Migne, Jacques Paul

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD USQUE INNOCENTII III TEMPORA FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA,

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE, Cursuum Completorum IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS XX.

S. PHOEBADII, S. ANASTASII I, PAPÆ, FAUSTI MANICHÆI, SULPICII SEVERI, SECUNDINI MANICHÆI, S. CHROMATII, S. VICTRICII RHOTOMAGENSIS, PAMMACHII ET OCEANI, S. INNOCENTII I, PAPÆ, S. ZOSIMI, PAPÆ, PAULINI MEDIOLANENSIS, PAULINI DIACONI, SEVERI MAJORICENSIS, S. BONIFACII I, PAPÆ, S. GAUDENTII BRIXIANI, S. AURELII CARTHAGINENSIS, BACHIARII MONACHI, ZACCHÆI CHRISTIANI, EVAGRII MONACHI,

TOMUS UNICUS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRES LA BARRIERE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1845.

Imprimerie de Vrayet de Surcy et Cie,
rue de Sèvres, 37, à Paris.

QUINTI SÆCULI

SCRIPTORUM

ECCLESIASTICORUM

QUI AD S. HIERONYMUM USQUE FLORUERUNT,

NONNULLIS TANTUM EXCEPTIS, MELIUS ALIBI COLLOCANDIS, UT IN EORUM LOCO ADNOTABITUR,

OPERA OMNIA,

NUNC PRIMUM IN UNUM CORPUS

ET ORDINE CHRONOLOGICO DIGESTA;

JUXTA MEMORATISSIMAS EDITIONES

GALLANDII, COUSTANTII, GALEARDI, LEBEUF, BARONII, ISIDORI MERCATORIS, BRAIDÆ, HOLSTENII, LABBÆI ET MANSI

RECOGNITA, EXPRESSA ET EMENDATA.

COLLECTIO, SI QUA ALIA, INSIGNIS

NEC MINUS VIGINTI NUMERO AUCTORES COMPREHENDENS,

NEMPE :

S. PHŒBADIUM, S. ANASTASIUM I PAPAM, FAUSTUM MANICHÆUM, SULPICIUM SEVERUM, SECUNDINUM MANICHÆUM, S. CHROMATIUM, S. VICTRICIUM RHOTOMAGENSEM, PAMMACHIUM, OCEANUM, INNOCENTIUM I PAPAM, S. ZOSIMUM PAPAM, PAULINUM MEDIOLANENSEM, PAULINUM DIACONUM, SEVERUM MAJORICENSEM, S. BONIFACIUM I PAPAM, S. GAUDENTIUM BRIXIANUM, S. AURELIUM CARTHAGINENSEM, BACHIARIUM MONACHUM, ZACCHÆUM CHRISTIANUM, EVAGRIUM MONACHUM.

TOMUS UNICUS.

VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1845.

ELENCHUS OPERUM.

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

ERRATA.

Col. 373, lin. 13 (ascendendo) : EPISTOLA V. CHROMATII, etc.; lege : EPISTOLA CHROMATII. — Col. 374, lin. 10 (ascendendo) : EPISTOLA VI; lege : EPISTOLA V. — Col. 435, in titulo superiori, post AQUILEIENSI, adde DILUCIDATIO. — Col. 935, lin. 15 pro *In eo quod S. episcopum*, lege simpliciter : *quem*, pronomen ad vocem SERMO referendum. — Col. 1077, lin. 50 : *incorruptibilem*, lege *corruptibilem*. — Col. 1077 ad col. 1096, capitum VIII et seqq. usque ad cap. XXVIII inclusive titulos, a nobis in textu juxta Gallandii editionem, aliunde optimam, dispositos, lege melius uti jacent ad calcem hujus voluminis, in *Ordine rerum*, col. 1211, ubi etiam capitum VIII et XXXVIII titulos supplevimus.

ANNO DOMINI CCCC.

SANCTUS PHOEBADIUS,

AGINNENSIS EPISCOPUS.

(Ex Galland. Bibl. Vet. Pat. tom. V.)

PROLEGOMENA.

Phœbadius, natione Gallus, et provinciæ quidem Aquitanicæ, si Sulpicium audiamus qui et ipse Aquitanicus eum *nostrum* appellat (*a*), Aginnensem rexit ecclesiam, ut scribit sanctus Hieronymus (*b*); qua etiam in urbe quæ caput Nitiobrigum est, fortasse ortum habuit. Quo autem anno ad episcopalem dignitatem fuerit evectus, haud est exploratum. Id vero contigerit post annum cccxlvii; nam inter præsules Gallicanos qui Sardicensi concilio eo ipso anno celebrato interfuere, non recensetur, ut observant Tillemontius aliique (*c*). At episcopali certe honore fulgebat anno ccclvii, quo missam in Gallias a Constantio secundam fidei formulam Sirmiensem (quæ inter fidei confessiones Arianicas septima est Athanasio (*d*), quæque Hilario dicitur (*e*) *Potamii et Hosii blasphemia*) una cum aliis Galliarum antistitibus respuit ac damnavit; quam præterea conscripto libro acriter confutavit, ut ex ipsius opere satis comperimus (*f*).

His porro strenue gestis, posterius interfuit synodo Ariminensi, anno ccclix ab eodem Constantio coactæ: qua quidem in synodo, eorum quæ primum pro fide catholica contra perfidiam Arianam, nondum captivatis patribus acta sunt, pars magna fuit Phœbadius. Quin etiam postquam cæteri fere omnes cesserunt, ipsemet nihilominus constantissimus cum Servatione Tungrorum episcopo, pro veritate Nicæna plurimum decertavit, Sulpicio teste (*g*), omnesque Ariomanitarum impetus invicto sustinens animo, professus est malle se exsilium omneque suppliciorum genus subire, quam fidei formulam ab Arianis conceptam recipere.

A Verum postmodum Valentis fraude deceptus, formulam a se prout libuit, immutatam, nihilque nisi catholicum, ut ipsi videbatur, complectentem, admisit ac sua subscriptione firmavit. Nimirum Arianus ille Mursorum episcopus, confessioni fidei Christum non esse creaturam asserenti, hujusmodi sententiam adjecit, *ut sunt aliæ creaturæ*, cui sane inerat hæreseos Arianæ venenum. *Etenim*, ut cum Sulpicio loquar (*h*), *his verbis similis esse cæteris creaturis Filius negabatur; creatura tamen, potior tantum cæteris, pronuntiabatur*. Qua de re consulas velim quæ habet sanctus Ambrosius (*i*).

Hinc igitur arguas, non eo usque rem esse deductam, ut ad hæresim Arianam profitendam accesserit Phœbadius: immo vero vix fraude detecta, ipsemet B aliique præsules Gallicani, ut inquit Sulpicius (*j*), *apud Ariminum gesta condemnant, et in statum pristinum ecclesiarum fidem reformant*. In eamdem sententiam Hieronymus (*k*). Quod quidem plenissime astruitur ex actis ab Hilario (*l*) ac Theodorito (*m*) relatis. Errorem itaque insectatus sanctus præsul simul ac primum illum detexit, fidei suæ integritatem palam ostendit; ac propterea de ejus fama nihil inde detractum, ejusque auctoritas neutiquam imminuta: constat enim ipsum deinceps præfuisse conciliis, Valentino anno ccclxxiv et Cæsaraugustano sub annum ccclxxx coactis. Vitam autem agebat adhuc anno cccxcii, quo suum *de Viris illustribus* conscripsit librum Hieronymus, qui de Phœbadio in eo hæc habet (*n*): *Vivit usque hodie decrepita senectute;* C ut proinde per annos ferme xl ecclesiam rexerit Aginnensem. Vir fuit pietate ac doctrina clarissi-

(*a*) Sulpic. Sever. Hist. sacr. lib. ii, c. 44.
(*b*) Hieron. de Vir. illustr. cap. 108.
(*c*) Tillem. Mem. eccl. tom. VI, p. 427; Sammarth. Gall. Christ. tom. II, p. 895: *Histoire littéraire de la France* tom. I, part. ii, p. 266.
(*d*) Athan. de Synod. § 28, opp. tom I, part. ii, p. 744.
(*e*) Hilar. de Synod. § 10.
(*f*) Phœb. lib. contra Arian. §§ 5 et 23. Vid. infra.
(*g*) Sulpic. Hist. sacr. lib. ii, cap. 44.
(*h*) Sulpic. Hist. sac. lib. ii, cap. 44.
(*i*) Ambros. de Fide lib. iii, c. 16, nn. 129, 130, opp. tom. II, p. 519.
(*j*) Sulp. Hist. sac. lib. ii, c. 45.
(*k*) Hieron. Dial. adv. Lucifer., § 19, opp. t. II, p. 191 ed. Veron.
(*l*) Hilar. ex ep. hist. fragm. 11, num. 1.
(*m*) Theodor. Hist. Eccles. lib. ii. c. 22.
(*n*) Hieron. de Vir. illustr. cap. 108.

mus, et Arianorum perfidiæ insectator acerrimus: charus propterea præ cæteris sancto Ambrosio Mediolanensi episcopo, ut ex ipsius epistola eidem Phœbadio ac Delphino Burdigalensi præsuli simul inscripta intelligimus (*a*). Cæterum ejus memoria in tabulis ecclesiæ Aginnensis recolitur die 25 Aprilis. Qua de re pluribus Dionysius Sammarthanus (*b*) et Bollandiani (*c*).

Ex iis porro litterarum monumentis quæ ad fidem propugnandam posteris commendavit Phœbadius, unum memorat Doctor maximus; reliqua vero quæ ab eodem auctore perscripta ferebantur, se non legisse profitetur (*d*): *Edidit*, inquit, *contra Arianos librum. Dicuntur et ejus esse alia opuscula, quæ necdum legi.* Et exstat quidem *liber contra Arianos*, quem exaravit beatus antistes ad secundam formulam Sirmiensem penitus profligandam, ab Arianis in Gallias missam, Latineque conscriptam ut auctor est Athanasius (*e*), atque ab Hilario relatam (*f*). Hujusmodi autem opusculum cum aliis nonnullis antiquorum scriptis primus evulgavit Genevæ anno 1570 Theodorus Beza; unde in Patrum bibliothecas transiit. Deinde quorumdam veterum Gallorum theologorum operibus intextum, Petri Pithœi studio Parisiis prodiit anno 1586. Separatim præterea ipsum cum notis edidit Caspar Barthius Francofurti anno 1623. Denique Parisiis iterum anno 1666 excudendum curavit Delalandius (*g*). Scriptum autem opus merito existimatur anno circiter CCCLVIII adhuc superstite Hosio Cordubensi qui laudatam formulam Sirmiensem subsignaverat, ut ex ipso auctore erudimur (*h*).

Verum non hujusce tantum libri auctor fuisse perhibetur noster Aginnensis antistes. Hieronymum enim modo enarrantem audivimus, alia ejusdem scriptoris opuscula suo tempore exstitisse, quæ tamen neutiquam ipse legerit. Et alterum quidem etiamnum superest præclarum opus *de fide orthodoxa contra Arianos* quod nos absque ulla cunctatione velut genuinum Phœbadii fetum agnoscimus, sive Hieronymi ductu, sive haud levibus rationum momentis permoti, quas in medium protulerunt eruditissimi viri (*i*) ad eamdem sententiam astruendam. Exstat porro hujusmodi liber inter Gregorii Nazianzeni (*j*) et Ambrosii (*k*) opera evulgata; quorum tamen utrique abjudicandum esse, doctorum hominum studio luculenter ostensum (*l*). Neque vero

A iisdem viris cll. magis probantur eorum placita, qui sive Vigilio Tapsensi, sive Gregorio Eliberitanæ sedis in provincia Bætica episcopo ascribendum opus censuerunt.

Et jure optimo enimvero: nam totius operis contextus stylusque unum plane Phœbadium clamat. Et primum quidem sub initium auctor (*m*): *Jam pridem*, inquit, *adversus Arianos libellum ediderам.* Ecquis vero non videat hisce verbis præcedens indicari opusculum, procul dubio Phœbadianum, atque ita quidem inscriptum, quemadmodum et illud Hieronymus nominavit? Ad hæc easdem loquendi rationes utroque in opere comperimus: utrobique Sapientiæ liber sub nomine Salomonis laudatur (*n*); et symbolum Nicænum, *tractatus Nicœnus* vocatur (*o*).
B Utrobique Sabelliana hæresis cum Ariana conjungitur (*p*). Eadem præterea utrobique doctrina, ubi de ratione agitur qua Deus antiquis patribus se conspiciendum præbuit. (*q*) Eadem denique utrobique eorumdem scripturæ locorum interpretatio, ubi de personarum distinctione sermo habetur. Hæc aliaque complura latius pertractata videas apud Gallicæ historiæ litterariæ scriptores, quos modo semel iterumque laudavimus.

Illud porro advertere juverit, quod nemini hactenus observatum: Phœbadium scilicet consuevisse lucubrationes suas tacito auctoris nomine in vulgus emittere, ut ipsemet testatur ubi ait (*r*), « se amico legendum dedisse *libellum adversus Arianos*, simulque ab eo magnopere postulasse, ut interim *dissimu-*
C *lato auctore*, doctis viris et prudentibus legeret; ut si quem movisset, quod illic plus aut minus positum videretur, posset plurimorum consilio emendari. » Hæc ille. Atque ita quoque se gesserit sanctus Pater in eo evulgando, de quo verba facimus. Hinc vero, ut par est conjicere, orta occasio hujusmodi opus Gregorio Nazianzeno et Ambrosio, tantis Ecclesiæ sive Græcæ sive Latinæ patribus, ascribendi. Accedit præterea, ut viris doctis animadversum, quod ex eodem Phœbadii opere avulsum fragmentum libro *de Patris et Filii unitate* intextum fuit, qui inter Hilarii Pictavensis opera circumfertur (*s*), nec non sermoni quem diutissime Augustino adjudicarunt (*t*). Quæ utique omnia junctim accepta, operis et antiquitatem arguunt et elegantiam, simulque aucto-
D rem doctrina et eruditione præstantem virum evincunt.

(*a*) Ambros. epist. 87, opp. tom. II, p. 1108.
(*b*) Sammarth. Gall. Christ. tom. II, p. 896.
(*c*) Bolland. Act. SS. April. tom. III, p. 366.
(*d*) Hieron. l. c.
(*e*) Athan. de Synod., § 28, opp. t. I, part. II, p. 744.
(*f*) Hilar. de Synod. § 10.
(*g*) Delal. Supplem. Concil. Gall. pp. 3-91.
(*h*) Phœbad. lib. contra Arian. § 23, infra.
(*i*) *Hist. litt. de la France*, tom. I, part. II, pp. 273 seq.
(*j*) Greg. Naz. orat. 49, opp. tom. I, pp. 717 seqq.
(*k*) Ambros. append. tom. II, p. 346 edit. Paris. BB.
(*l*) Nourry ad Ambros. Append. l. c.; Tillem. Mem. eccl. tom. IX, p. 727, not. 64, *sur S. Grégoire de Nazianze; Histoire litt. de la France*, l. c.
(*m*) Phœbad. de Fide orthod. c. 2, infra.
(*n*) Id., libr. contra Arianos, §§ 7, 11, pp. 251, 252; de Fid. orthod. c. 5. p. 261.
(*o*) Id., libr. contra Arianos, § 27, p. 256; de Fid. orthod. c. 8, p. 264.
(*p*) Id. ibid., § 13, p. 253; de Fid. c. 8, p. 264.
(*q*) Id. ibid., § 17, p. 254; de Fid. c. 8, p. 264.
(*r*) Id. de Fid. orthodox. § 2, p. 257.
(*s*) Hilar. opp. tom. II, p. 719 ed. Veron.
(*t*) Aug. opp. tom. V in Append. serm. 113, pag. 206 ed. BB. Paris.

Cæterum opusculi exemplar typis expressimus, quod ad mss. codices veteresque editiones recensuit Nourryus doctissimus monachus Benedictinus in sua præclara operum Ambrosianorum editione, in Appendice ad tomum II, pag. 345-358.

Superest ut paucula dicamus de *libello fidei*, qui tertium inter Phœbadiana locum in nostro edito tenet : est enim præcedentis *de fide orthodoxa* tractatus veluti compendium; neque solum materiæ affinitate, sed et scriptoris ipsius consilio alteri conjungendus. Exstat autem libellus ille inter Gregorii Nazianzeni orationes, numeraturque 50. Jam vero A inter eruditos convenit (*a*) istam orationem 50, quæ Nazianzeni esse putatur, ita concinere cum 49, quæ ipsius pariter existimatur, ut unum eumdemque referat auctorem. Porro cum ex superius dictis satis constet, orationis 49 auctorem esse Phœbadium; propterea quæ est 50 ipsi quoque jure asserenda. Neque hac de re plura contexere animus est : qui pleniora desiderat, viros doctos consulat, quos assectati sumus (*b*). Nostram autem libelli hujus editionem ad novissimam Ballerinianam exegimus.

(*a*) Quesn. dissert. 14, ad opp. S. Leon., § 7, tom. II, pag. 380 ed. Lugd.; Baller. opp. S. Leon. tom. III, p. 945 ed. 1700.

B (*b*) *Histoire littér. de la France*, tom. I, part. II, p. 279, num. 3.

SANCTI PHŒBADII

AGINNENSIS EPISCOPI

OPUSCULA ADVERSUS ARIANOS.

I.

LIBER CONTRA ARIANOS.

CAPUT I.

Disputationis occasio et argumentum.

Nisi illam zabolicæ subtilitatis fraudem viderem, quæ omnium fere sensibus occupatis, et hæresim persuadet ut fidem rectam, et fidem rectam damnat ut hæresim; nullum omnino super his quæ nuper ad nos scripta venerunt, sermonem haberem, fratres charissimi. Sufficiebat enim conscientiæ parvæ tenere quod credit : æstimanti fore rectius tueri propria, quam extranea et aliena discutere. Sed quia, ut diximus, aut hæresis suscipienda est ut catholici dicamur; aut vere catholici non futuri, si hæresim non repudiamus : ad hanc tractatus conditionem necessitate descendimus, quam zabolicum virus sub modestia religiosæ venerationis occultum, in medium proferre nos convenit : ut et malum quod sub opinione verborum simplicium latet, deprehendatur, et mendacio detecto veritas interclusa respiret. Destruenda sunt enim aliena, ut nostris credatur : nostris autem, nisi ea fuerint destructa, ut solis credi debeat, non nisi credendum video. Igitur [a] ante hæresim zabolica fraude cæcatam proferre in conscientiam publicam possim; tamen dum de ipsa mihi sermo est, dans fidei meæ pignus, catholicum me pro- C babo; probatum quidem ut spero Deo primum, dein conscientiæ meæ : sed et his probandum, quos aut metus aut sæculi ambitio non vicerit.

CAPUT II.

Arianorum fallaciæ.

Incipientes igitur ab ipso capite perfidiæ, non fidei, ac deinceps per totum corpus decurrentes, probabimus multa per fraudem communis professionis, quæ scilicet nec recipere possumus : nonnulla vero sine ulla pudoris similitudine esse congesta. Nam et unus Deus non sine fraude proponitur, nec duo simpliciter negantur: nomen vero substantiæ idcirco penitus juratur, ut scindatur a Patre Filius : denique nativitas ejus referatur ignota, quæ si, ut D est ex Patre, ita credatur, ipsa sui confessione satis nota est. Major Pater Filio dicitur, non tamen ea differentia qua Filio Pater major est, sed omnibus divinæ gloriæ bonis major : quibus si minor est Filius, nec ipse esse in Patre dabitur, quia nihil in semetipsam recipiet æterna ejus beatitudo, nisi proprium. Non autem proprium Dei, nisi plenum atque perfectum; nec rursum in eo Pater esse dignabitur, in quo totus esse non possit. Habere initium Pater negatur, hoc ideo, ut Filius non ad auctorem, sed

[a] *Ante hæresim.* Præmittendum videtur *quamvis*, vel quid simile.

ad tempus habere credatur. Puto autem, cui initium sic ascribitur, fini obnoxius non negetur. Subjectus deinde Patri Filius dicitur; non tamen ut Filius Patri, sed ut servus Domino, cum legamus servum hæredem esse non posse. Denique cum omni creatura subjectus Deo refertur, invisibilis, immortalis Pater nuntiatur, ut scilicet in contrariis eorum Filius jaceat. [a] Si hæc igitur singula non humana præsumptione, sed auctoritate divina loqui refellimus: consequens erit in ea parte catholicam fidem stare, quæ talem recipit Deum, qualis debet esse qui Deus est.

CAPUT III.

Venenum melle litum.

Unum, inquit, constat Deum esse. Videri quidem non possunt calumniantibus conjecturis argumentari, et sanctitatem fidei simplicis maligna interpretatione torquere. Sed respiciendum ad Ursacium et Valentem et Potamium, quia sæpenumero iisdem verbis unicum Deum subdola fraude confessi sunt. Nihil simplex in hac fidei professione suscepi, quæ prima fronte ad decipiendos imperitos, credulos, incautos, hæretica subtilitate blanditur: pari modo quo veneni poculum mella commendant. Unum, inquit, constat Deum omnipotentem Patrem. Nemo nostrum abnegat, quia nemo ignorat: sed (ut probari ipsorum tractatibus potest) dicimus illos hoc loco non tam unum Deum professos, quam unum Patrem omnipotentem. Namque et eadem constantia Filium nolunt, et Deum tamen Filium confitentur. Puto suscepisse alterum non negabunt; et idcirco integrum illis est in hac sua perfidia, non fide, unum Deum Patrem, quam unum Deum dicant. Quamquam in omni professionis suæ corpore sic ipsum Dominum nostrum non negant, ut Deum destruant, hoc est, ut tantum nomine Domini dicant, quo nomine etiam nos appellari soliti sumus. *Ego*, inquit, *dixi: Vos dii estis* (*Psal.* LXXXI, 6). Quo nomine et Moyses ante donatus est: *Faciam te*, inquit, *deum Pharaoni* (*Exod.* VII, 1). Ne quis ergo putet his verbis perfici catholicam professionem, si et unum Deum Patrem confitemur, et Deum Filium non negamus. Potest enim et Deus Pater sic unus Deus dici, ut sit unus Pater, non Deus unus. Potest et sic Filius Deus dici, ut Deus non sit.

CAPUT IV.

Deus unus, aut nullus. Cæci hæretici.

Duos, inquit, deos nec posse, nec prædicari debere scimus. Hoc nec umquam ex ore nostro duos deos proferimus. Deus enim si non unus et verus est, Deus non est. Sed advertendum est qua istud definitione ponatur, cui perfidiæ paretur hoc totum, in quod piaculum communia nobiscum verba prorumpant. Statim enim cur duos deos negaverint ponunt: Quia ipse Deus ait: *Vado ad Patrem meum et Patrem vestrum, ad Deum meum et ad Deum vestrum*

A (*Joan.* XX, 17): qua definitione malæ interpretationis in tantum a Patre Filius separatur, et infra omnipotentem Deum ponitur: ut nobis et nativitatis conditio, et humanitatis infirmitas societur. Denique subjungunt Deum omnium, Unus est Deus, quo dicto Dominus non Deus absolute denegatur; Deo etenim Patri non Filii nomine, sed creaturæ conditione subjicitur. Et credo, hoc loco auctoritas Apostolica vindicabitur, ut Deus Christus dicatur potius quam sit: quia dixerit: *Et donavit illi Deus nomen quod super omne nomen est* (*Philipp.*, II, 9). Sed et ipsius Domini negantis esse se Deum verum, cum dicit: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum et verum Deum* (*Joan.* XVII, 3); et: *Quid me*, inquit, *dicis bonum? nemo bonus nisi unus Deus* (*Luc.* XVIII, 19).
B Adhuc audies: Cur honorem ab uno et solo Deo non quæritis? *De die autem et hora nemo scit nisi Pater solus* (*Matth.* XXIV, 36). O duces cæci! o sæculi ambitione decepti! non distinguentes Dominicæ potentiæ duplicem statum, in sua unumquemque proprietate distantem; et quidquid de homine ejus dictum est, Deo applicatis, ut ipse Deus homini imbecillitate societur.

CAPUT V.

Arianorum blasphemiæ. Epistola Potamii.

Et idcirco duplicem hunc statum, non conjunctum, sed confusum vultis videri, ut etiam unus vestrum, id est, Epistola Potamii quæ ab Oriente et Occidente transmissa est, qua asserit; carne et
C spiritu Christi coagulatis per sanguinem Mariæ et in unum corpus redactis, passibilem Deum factum. Hoc ideo ne quis illum ex eo crederet, quem impassibilem satis constet. Fecistis igitur de Spiritu Dei et carne hominis nescio quid tertium: quia nec vere etiam Deus est, si Verbum esse desinit (caro enim factus est); neque vere homo, quia non proprie caro, fuit enim Verbum, ac si ex utroque jam neutrum est, ille, inquam, ille qui contra hoc venenum utramque substantiam suam affectus proprietate distinxit. Nam et Spiritus in illo res suas regit, id est, virtutes et opera et signa: et caro passionibus suis functa est. Cibum desideravit, cum tentaretur a zabulo: sitivit ad puteum Samariæ,
D cum prophetæ vox sit: Deus æternus neque sitiet neque esuriet. Quid adhuc de hominis affectu flevit Lazarum et Jerusalem? postremo anxius fuit ad mortem. Sed quod expressit affectu, numquid non testatus est verbis? Ait enim Nicodemo: *Quod de carne natum est, caro est, et quod de spiritu, spiritus* (*Joan.* III, 6); et *caro*, inquit, *infirma, spiritus promptus est* (*Matth.* XXI, 46). Non ergo fit spiritus caro, nec caro spiritus: quod isti volunt egregii doctores, ut factus sit scilicet Dominus et Deus noster ex hac substantiarum permixtione passibilis. Ideo autem passibilem volunt dici, ne et impassibilis credatur.

[a] *Si.* Ita rescribimus. Al. *sic.*

CAPUT VI.

Nicæna synodus. Veritas incorrupta.

Sed quid necesse est altiora scrutari, et virus internum per argumenta prodiens communi exponere et publicare judicio, cum lucifuga serpens per anfractus evolvens seriem suam tortuoseque procedens, qualis quantusque sit aliquando prodiderit, et venenum prius solito solitus aspergere libertate, victoriis totum pariter effuderit? Ab Episcopis procedit edictum : Nemo unam substantiam dicat : hoc est : Nemo in Ecclesia prædicet Patris et Filii unam esse virtutem. Quid egistis, o beatæ memoriæ viri, qui ex omnibus orbis partibus Nicæam congregati, et sacris voluminibus pertractis, perfectam fidei catholicæ regulam circuminspecto sermone fecistis, dantes bene credentibus communis fidei dexteras, errantibus vero formam credendi? En labor vester, en anxia sollicitudo quo recidit, qua orientis mali semina, quantum in vobis tunc fuit, professione catholica necavistis? Vetatur in Ecclesia prædicari, quod solum sanxistis ob hæreses detegendas debere in Ecclesia prædicari. Tollitur quod probastis, et quod damnastis inducitur : quia mendacium astrui, nisi destructa veritate non poterat. Destructioni quidem illa non subjacet, et ut est semper incorrupta durabit; sed manus sibi sacrilegas inferentes, tamquam violatam punivit.

CAPUT VII.

Substantiæ vox explicatur.

Nemo unam substantiam dicat. Quod piaculum, quod facinus in hoc verbo, qua ex parte catholicam fidem pulsat? Utrumne sono vocabili, an interpretatione rei ipsius? Nihil fallor : interpretatio caret culpa. Substantia enim dicitur id quod semper ex sese est : hoc est, quod propria intra se virtute subsistit; quæ vis uni et soli Deo competit. Usitatum vero et familiare divinis voluminibus hoc nomen nec ipsos puto ignorare qui negant. David enim ex persona Christi : *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia* (*Psal.* XXVIII, 3). Et rursum : *Substantia mea in inferioribus terræ* (*Psal.* CXXXVIII, 15). Et : *Substantia mea ante te est semper* (*Psal.* XXXVIII, 8). Et : *Substantia mea tamquam nihilum ante te* (*Ibid.*, 6). *Scrutetur fenerator substantiam ejus* (*Psal.* CVIII, 11). Sed et Salomonis sententia : *Substantiam*, inquit, *tuam et dulcedinem tuam* (*Sap.* XVI, 2). Et Jeremias : *Si stetissent in substantia mea* (*Jerem.* XXIII, 22, *sec.* LXX). Et in Proverbiis : *Substantia divitis, civitas munita* (*Prov.* X, 15). Et in eodem : *Domum et substantiam dividunt patres filiis* (*Prov.* XIII, 22). Sed et Tobias : *Si fuerit*, inquit, *tibi copiosa substantia* (*Tob.* IV, 9). Et idem : *Fili, ex substantia tua fac eleemosynam* (*Ibid.*, 7). Sed et Joannes : *Qui habuerit substantiam mundi* (I *Joan.* III, 17). Et in Evangelio : *Ecce*, inquit, *dimidium do* A *ex substantia mea* (*Luc.* XIX, 8). Ideo hæc in unum exempla congessimus, ne sermo ille caperet indoctos, quod testati sunt; idcirco substantiam non prædicatam, quia in divinis Scripturis nusquam inveniretur. Ergo si neque ipsum vocabulum substantiæ sacris litteris novum est, neque interpretatio ejus habet crimen; superest ut dispiciamus qua ex causa repudietur hoc nomen. Dispicientes autem, invenimus illos non nomen, sed nominis repudiare virtutem. Quod si relucebit, erit apud nos intuitus nominis status : erit et illorum sensus in vitio, qui dum novellas profanæ intelligentiæ vias quærunt, a recto Evangeliorum limite recesserunt.

CAPUT VIII.

B *Hæreticorum objectiones solvuntur.*

Prius tamen quam astruo quod spopondi, occurrendum est illis quæ in contrarium proponuntur. Aiunt enim inveniri quidem in divinis voluminibus nomen substantiæ, sed non statim pertinens ad eamdem speciem quæ inducatur a nobis. Ibi enim per substantiæ vocabulum, aut virtutem aut divinitatem significari. Et nos ergo unam Patris et Filii substantiam vindicantes, quid aliud quam in utroque pares divitias, unius scilicet divinitatis prædicamus? De quibus divitiis ait Apostolus : *Notas*, inquit, *fecit Deus divitias gloriæ suæ* (*Coloss.* I, 27) : quod est Christus. Et unam utriusque dicimus esse virtutem, de qua idem Apostolus ait : *Christus, vir-*C *tus Dei est* (I *Cor.* I, 24). Quæ quidem virtus, quia nullius extraneæ opis indiget; dicta substantia est, ut supra diximus, quidquid illud est sibi debens. Nihil ergo in hoc vocabulo novum, nihil extraneum dicimus, nihil incongruum divinitati, etiam in quamvis partem significantiæ transferatur. Sed (ut cœperam dicere) omnis ista quæstio nominis, alterius est doloris : nec vocabulum, sed vis vocabuli displicet. Quibus enim accipere auribus possint unam Patris et Filii substantiam prædicari, hoc est, honorem, dignitatem, claritatem, virtutem, majestatem pari in utroque veritate communem; qui a Patre Filium separant, et divisis substantiis in sua unumquemque proprietate degentem, repudiata divinitatis communione proponunt? Hic ergo blasphemiæ, D hic dictus sacrilegus dolor, quo in Patre et Filio recipitur Deus unus. Mortuis enim auctoribus hujus veneni, scelera tamen eorum et doctrina non moritur. Illis, inquam, auctoribus in tantum a Patre separantibus Filium, ut ore sacrilego protulerint, Filium Dei ante sæcula quidem creatum et fundatum, sed vivere et esse a Patre suscepisse : et fuisse antequam nasceretur; et Deum quidem esse, sed non esse verum Deum. Successoribus igitur hujus perfidiæ, non fidei, per quos malorum serpit hæreditas, merito una substantia displicet, quam tolli velut scandalum et unitatis divortium postulant, ignorantes illos tantum catholicos esse dicendos, qui in hujus professionis communione concordant.

CAPUT IX.

Ignota Christi nativitas. Christus ex Deo, in Deo, cum Deo.

Illud autem quis ferre æquanimiter possit, ut quem initium habere pro certo asserunt, hujus nativitatem habeant in incertum? Aut utrumque in occulto habendum est, quia contemporale est: aut utrumque esse cognitum debet. Alterum enim neque nosci, neque ignorari sine altero potest. Habet (inquit) initium Filius, sed est ejusdem occulta nativitas. Non est iniquum, quis prodidit de nativitate? cur tacuit? Immo ipsa nativitas unde nota, quæ asseritur ignota? Sed hoc loco homines omni spe bona vacui præscribunt propheticæ auctoritati dicentis: *Nativitatem ejus quis enarravit* (*Isa.* LVIII, 8)? non intelligentes jam tunc eos prophetali spiritu esse prævisos, qui daturi erant initium Dei Verbo, hoc est, Dei Filio. *Nativitatem*, inquit, *ejus quis enarravit?* hoc est dicere: Nemo hominum poterit. Nemo enim potuit præter ipsum, qui sinum Patris edisserens, principaliter nobis secreta nativitatis suæ revelavit. Nam, et legimus ad eamdem speciem dictum esse: *Quis cognoscit sensum Domini* (*Rom.* XI, 34; I *Cor.* I, 16)? Sed rursum docemur: *Nisi spiritus qui in ipso est. Nativitatem ejus quis enarravit* (I *Cor.* I, 11)? hoc est dicere: Nemo audeat enarrare quod non potest. Cur autem nemo poterit? quia scilicet non solum ex eo et cum eo, sed et in eo est qui caret nativitate. Genitus enim ab ingenito, his divinæ gloriæ bonis natus est quæ penes ingenitum erant; et penes eumdem ingenitum desivit Pater habere quod genuit, cumdem in semetipso habendo quem genuit? Hujus igitur nativitas ideo inenarrabilis nuntiatur, quia per ipsam inconceptus est, sed perfectus ex Deo Patre Filius Deus est, quia secundum Scripturas de Filio diximus, *ex eo, et cum eo, et in eo* (*Rom.* XI, 36).

CAPUT X.

Doctrina hujusmodi exponitur. Verbis, non sensu, hæretici nobis conveniunt.

Ne quis significationum varietate turbetur, reddenda est ratio dictorum: et ne proposita confundantur, reddenda compendio. *Ex eo* auctorem: *Cum eo*, ad unigenitum: *In eo*, ad nativitatem substantiæ respicit. Hoc auditur in omnibus. Tene divinæ dispositionis mysteria. Satis nosti. *Nativitatem*, inquit, *ejus quis enarravit?* quis enim possit secundum naturam enarrare nativitatem quæ contra naturam est? Hic enim solus est natus, nativitatis suæ conscius. Hic enim qui cui bona pararentur, intelligens per naturam originem, Patri inerat, ipsa illa conditione qua natus est. *Nativitatem*, inquit, *ejus quis enarravit?* Et subjungunt nulli hanc proditam, quia soli scilicet et Patri nota sit. Hoc est dicere sine subtilium fraude verborum: Genuit quidem Filium Pater, sed nemo scit unde. Nam et similiter Judæi dixerunt: *Nos scimus quod Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus unde sit* (*Joan.* IX, 29). Quamvis enim aliquando nobiscum faciant communione verborum, et nonnulla videantur dicta simpliciter infamia hæreticæ pravitatis aspergere; tamen quia fere[a] eorum veniunt adversus fidem veram, necesse est secundum plura intelligi pauciora; præsertim cum si quid receptum fuerit contra fidem veniens, totius fidei damnum sit. *Nemo scit*, inquit, *quomodo genitus sit Filius, nisi Pater solus* (*Joan.* I, 18). Quid ergo sibi vult illa sententia, quia hoc Dominus ignorare nos nolens: *Ego*, inquit, *de Patre exivi, et de sinu Patris* (*Joan.* XVI, 27, 28)? Proh dolor! Cur sectantes ignorantiæ tenebras ignorare nos noluit? et utique noluit, ut auctore nobis cognito, status sui quæstio tolleretur. Non enim erat quærendum, quis, quomodo vel qualis esset, cum unde esset nosceremus. Sed si hoc loco ipsius Domini sententia id confirmatum esse proponitur, dicentis scilicet: *Nemo novit Patrem nisi Filius, nec Filium quis novit nisi Pater* (*Matth.* XI, 27); audient a nobis, ne fraudem faciant divinæ definitioni. Sequitur enim: *Et cui voluerit Filius revelare.* Non est enim penitus occultum quod non potest revelari. Revelatur enim, si dignus revelatione quis fuerit.

CAPUT XI.

Per Spiritum Dei secreta cognoscimus.

Jam ergo hæc notitia secreti causa non tegitur, quæ revelatur ex causa: et consequens est ut nos indigni cognitione, non iniquus habendus sit Deus qui ignorantiam punit; non autem puniret, si scientiam non dedisset. Dedit enim per Spiritum sanctum. Denique, *Spiritus*, inquit, *veritatis enarrabit vobis omnem veritatem* (*Joan.* XVI, 13). Cum dicit *omnem veritatem*, certe nihil excipit. Hic est Spiritus notitiæ et veritatis, per quem Salomon de Dominica nativitate: *Quid sit*, inquit, *et sapientia, et quemadmodum facta sit, referam, et ab initio nativitatis investigabo eam* (*Sap.* VI, 24). Ergo per eumdem Spiritum possumus invenire quod quærimus. Nam et Apostolus: *revelavit nobis*, inquit, *Deus per Spiritum suum; Spiritus enim omnia scrutatur, etiam alta Dei* (I *Cor.* II, 10). Nemo scit quæ sunt in Deo, nisi Spiritus Dei; quem Spiritum, si in nobis habitare idem Apostolus probat; possumus ergo per eumdem Spiritum, Dei nos inserere secretis. Et sane: *Quærite*, inquit, *et invenietis: petite, et dabitur vobis: pulsate, et aperietur vobis* (*Matth.* VII, 7; *Luc.* XI, 24). Et rursum: *Pater, quæ abscondisti a sapientibus, revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI, 25): nobis utique, ad quos Dominus: *Vobis*, inquit, *datum est nosse mysterium Dei* (*Matth.* XIII, 11); illud utique mysterium de quo Apostolus: *Quod ante*, inquit, *non fuit notum filiis*

[a] *Fere eorum*. Inserendum videtur *verba* vel *dicta*, aut aliquid ejusmodi, ut paulo ante.

hominum, nunc revelatum est sanctis ejus (*Ephes.* III, 5). Revelatum plane. Ostendit enim eminentes divitias gloriæ suæ, in bonitate super nos [a] Christo, qui ipse est [b] gloria Dei Patris. Ipse vera progenies Ingeniti. Hoc est : Nemo scit quomodo genitus sit Filius. Nemo utique, sed ex his in quibus, ut ait Dominus, *verbum ejus non capit* (*Joan.* VIII, 37); sicut nec Judæis, ad quos idem Dominus ait : *Vos*, inquit, *ignoratis unde veniam, et quo eam;* quia *secundum carnem judicatis* (*Ibid.*, 14, 15). Quomodo enim nemo, si Pater dicit : *Eructavit cor meum verbum bonum* (*Psal.* XLIV, 2)? Quomodo nemo, si Filius ait : *Ego ex ore Altissimi prodivi* (*Eccl.* XXIV, 5)? Noli quærere amplius, et non habes quod requiras; nosti enim totum : quia quod dicitur, totum est. *Ex ore* inquit, *Altissimi prodivi*. Hæc est enim nativitas perfecta Sermonis, hoc est principium sine principio. Hic est ortus habens initium in nativitate, in statu non habens. Ex Deo enim innascibili Deus nascibilis exivit, unus ab uno, verus a vero, plenus a pleno; ac sic nascendo in his quæ erant semper, non cœpit esse quod natum est de non conceptis, nec habet tempus quod est intemporali Patri congenitum per naturam. Scriptum est enim : *Deus spiritus est* (*Joan.* IV, 4) : et ex Deo natus est æternus. Ut ergo ejus naturæ, qua constat æternitas. Non igitur imperfectus Filius, licet natus, quia natus est a perfecto : nec imminutus ille qui genuit, quia genuit de semetipso. Totus enim dedit totum, ut secundum Spiritus virtutem totus esset in toto.

CAPUT XII.

Mali doctores quid sentiant, quomodo pugnent.

Sed jam se mali doctores intra artis suæ secreta non continent, et adversus veritatem, et ipsa veritate consistunt, habentes cornua ut agni, et loquentes tamquam dracones. Volentes igitur a Patre Filium scindere et infra Deum ponere, de Evangelio præscribunt : *Pater*, inquit, *major me est* (*Joann.* XIV, 18). Et quomodo major? statim hæretica præsumptione definiunt : Honore, claritate, dignitate, majestate. Quod si ita est, cur jubetur ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem? Quod si ita est, ergo quotidie blasphemamus in gratiarum actionibus et oblationibus sacrificiorum, communia hæc Patri et Filio confitentes; quia scilicet non potest Filius non totum habere quod Patris est, cum ipse totus in Patre sit. Denique Joannes ait : *Deum nemo vidit umquam, nisi unigenitus Filius qui est in sinu Patris* (*Joann.* I, 18). Et ideo inquit : *Omnia tua mea sunt, et mea tua* (*Joann.* XVII, 10); et : *Nihil potest Filius facere a semetipso* (*Joann.* V, 19), et : *Non veni voluntatem meam facere, sed ejus qui me misit* (*Joann.* VI, 38). Quod utique non infirmitatis confessio est, sed unitatis assertio. Dixerat enim et contra infirmitatem et pro unitate : *Qui me misit, mecum est* (*Joann.* VI, 29); et, *Pater in me manens, facit opera sua* (*Joann.* XIV, 10); et : *Verba quæ loquor, non sunt mea, sed Patris* (*Ibid. et* VII, 6). Quidquid ergo detrahitur Filio, derogabitur et Patri. Nam nihil alter sine altero facit : quia esse alter sine altero non potest. Nec Filius est Filius, nisi Patrem habet : nec Pater Pater, nisi habens Filium. *Pater*, inquit, *major me est*. Sed plenitudo ejusdem divinitatis in Filio est. Denique Apostolus: *Quotquot*, inquit, *promissiones Dei sunt : in illo EST* (II *Cor.* I, 20). Numquid ergo obsequia Filii divinitatis statum solvunt? Solvitur enim in Christo omne quod Deus est, si majestatis alterius accipitur: alterius autem erit, si majestate Pater major est. Quæ quidem majestas, quia una est, unius scilicet Dei, non potest non esse perfecta : imperfecta, inæqualis est : inæqualis autem, si altero minor est.

CAPUT XIII.

Christus, speculum Dei majestatis, plenam Patris imaginem reddit. Sabellii hæresis.

Sed in hoc loco illud vobis applaudet quod Matthæus refert, Filium hominis, quasi privatum scilicet et minorem, legite in eodem Matthæo (*Matth.* XXV, 31), Filium esse venturum in majestate Patris, de quo adventu et Lucas : *Cum venerit*, inquit, *Filius hominis cum gloria sua et Patris* (*Luc.* XXI, 27). Non tam ergo a vobis minor majestate Filius dicitur, cum hoc dicitur, quam Deus negatur. Ille, inquam, ille de quo Salomon ait : *Splendor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis* (*Sap.* VII, 26). Plane speculum sine macula. Custodit enim Dei vultus; et figuram fideliter exprimens, plenam Patris imaginem reddidit. Et quid amplius de statu ejus, in quo se Dominus Christus agnovit? *Pater*, inquit, *major est me*. Merito major, quia solus hic auctor sine auctore est. Denique Apostolus de Filio : *In ipso*, inquit, *habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II, 9). Ergo ut Filius in Patre, ita et Pater perfectus in Filio est. Denique dicens Dominus noster proficisci a Patre Spiritum sanctum, subdidit : *De meo accipiet* (*Joann.* XXI, 14). Sicut Joannes cum dixisset : *Annuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem* (I *Joann.* I, 2), addidit : *Hæc vita in filio ejus est* (*Ibid.*, 11). Ac si cum ambo et alteruter perfecti sint, unus tamen perfectus Deus est in duobus. *Pater*, inquit, *major me est* (*Joann.* XIV, 28). Merito major, quia non ipse descendit in Virginem; quod Sabellius noluit, apud quem Pater et Filius ambo non sunt, hoc est, duum nominum una persona; cum Patris vocem audierit per Isaiam : *Ecce Filius meus quem ego elegi, ponam Spiritum meum super eum* (*Isa.* XLII, 1); ac deinceps per eumdem prophetam loquentem Filium recognoscat : *Spiritus Domini su-*

[a] *Christo*. Legerim *in Christo* cum Apostolo Ephes. III, 6.

[b] *Gloria*. Al., *in gloria*.

per me propter quod unxit me (*Isa.* LXI, 1). Quam hæresim Dominus prævidens : *Non creditis*, inquit, *quia ego in Patre et Pater in me* (*Joann.* XIV, 10, 11)? Certe non dixit : Ego sum Pater, et ego in me : sed, *Ego in Patre et Pater in me :* quo dicto duas hæreses elisit, Sabellianam scilicet et Arianam. Patrem et Filium non esse unam personam, ut Sabellius : aut duas substantias, ut Arius, sed (ut fides catholica confitetur) unam substantiam et duas docuit esse personas.

CAPUT XIV.

Ex sacris litteris doctrina catholica confirmata.

Sed quid argumentis opus est? cum ipse Dominus pronuntiaverit definitiva sententia? *Quæcumque Pater facit, eadem et Filius* (*Joann.* v, 19) : quomodo eadem, si aspirare ad summam paternæ illius gloriæ non potest? Immo quia potest, recte Joannes: *Sine ipso*, inquit, *factum est nihil* (*Joann.* I). Et ipse Dominus : *Ego*, inquit, *et Pater unum sumus* (*Joann.* x, 30). Unum utique per naturam : quia quod erat in Filio hominis, et in Patris sinu manebat. Denique: *Et me*, inquit, *nostis, et nostis unde sim : et non veni a me, sed est verus qui me misit, quem vos nescitis. Ego novi eum, quia apud illum sum, et ille me misit* (*Joann.* VII, 28, 29); et : *Solus*, inquit, *non sum, sed ego et qui me misit, Pater* (*Joann.* VIII, 16); et : *Sicut me novit Pater, et ego novi Patrem* (*Joann.* x, 15). Nescio autem an nosse potuerit Patrem Filius, si initium sortitus est Filius. Genitus enim nosse non potuit ingenitum, antequam genitus est. Jam ergo non sic Patrem novit, ut notus a Patre est : et adscribendum ei mendacium (quod in Domino cadere non debet) et merito adscribendum, si assertio ejus ratione non steterit. Non stabit autem nisi ille est, et qui non solum exivit a Patre, sed in Patre et est, et fuit semper. *Omnia*, inquit, *tradidit Pater in manu ejus* (*Joann.* III, 35). Quomodo omnia, nisi et omnis temporis? Quomodo autem omnis temporis, si initio non caret? Quamlibet enim ante omne tempus natum dicatis, tamen quia vultis eum aliquando cœpisse qui natus est, nec fuisse quod factum est : nescio quomodo defendatis omnia illum a Patre et omnis temporis consecutum.

CAPUT XV.

Ambigue loquuntur hæretici. Unus Deus. In Patre Deo Filius Deus.

Subjectus, inquit, Patri Filius cum omnibus his, quæ ei ipse Pater subjecit. Quod venenatum virus exquisitorum verborum velamine tegitis. Nos quæ audivimus a patribus nostris, constanter prædicamus : et vos ergo doctrinam patrum vestrorum deserere nolite. Illi, inquam, libere Deum gloriæ cœlestis non Deum verum esse, sed creaturam Dei perfectam esse dixerunt. Vos tamen idem sentientes abrupta blasphemia, verba vitantes, ambigua sectamini ad decipiendos simplices et incautos. Subjectum enim Patri Filium, non Patris vel Filii nomine,

A ut sancta et catholica dicit Ecclesia, sed (ut supra diximus) creaturæ conditione profitemini. Dicentes enim : Cum omnibus his quæ illi Pater subjecit, Patri Filium esse subjectum ; nonne ipsum in creaturarum ordine quæ ex tempore sunt instituta, numeratis? Nihil enim secundum vos omni creatura amplius habet Deus et Dominus noster, nisi quod primus in numero est, nisi quod ei etiam illa serviunt cum quibus servit. Servus enim et ipse, si servit; et licet nonnullorum Dominus, sed Dominus voluntate, si voluntate Domini Dominus effectus, hoc ipso serviens, quod jussus est imperare. Hoc est illud quod vos occulte, et patres vestri cum libertate dixerunt : Filium Dei sine tempore editum a Patre, et fundatum non prius quam nasceretur. Quæ ista
B est, rogo, cordis hebetudo? quæ oblivio spei? Immo quæ tam amens et blasphema confessio Deum dicentis, quem omnibus his quæ ex nihilo facta sunt, comparastis? Hoc est et Filium falso nomine divinitatis illudere, si esse verbo dicitur, quod corde negatur ; et Deum Patrem mendacem notare, dicentem scilicet : *Ego sum qui sum* (*Exod.* III, 14) ; et : *Ego sum Dominus solus* (*Isa.* LXIII, 11) ; et : *Claritatem meam alteri non dabo* (*Isa.* XLII, 8 ; XLVIII, 11) ; et : *Audi Israel, Dominus Deus tuus , Deus unus est* ; et: *Nomen meum non quæras, Deus nomen est mihi* (*Deut.* VI, 4). Si ergo unus Deus, uni hoc competit nomen. Unus autem jam non erit, nisi in Patre Deo Filius Deus sit? Et merito Dominus juxta prophetam, qui dixerat : *Benedictus qui venit in nomine Domini*
C (*Ps.* CXVII, 26) : *Ego*, inquit, *veni in nomine Patris mei* (*Joan.* v, 43). Quod nomen Patris, nisi Dei nomen et Domini? quod Joannes in Filio recognoscens : *Qui est*, inquit, *et qui erat, et qui venturus est, omnipotens* (*Apoc.* I, 8).

CAPUT XVI.

Filius, imago ingeniti Dei, non potest cœpisse post Deum. Pater non est sine Filio.

Patrem, inquit, initium non habere. Hoc est dicere, Filium habere. Nam quæ necessitas id de Patre asseverare quod notum est, nisi præjudicium ejus opinionis quæ de Filio paria suscepit? Patrem, inquit, initium non habere. Quis negat? Sed puto, et imago invisibilis et ingeniti Dei non potest cœpisse
D post Deum. Denique interroganti Moysi quis esset, respondit : *Ego sum qui sum semper* (*Exod.* III, 14). Erat enim semper, qui est et erit semper. De quo Joannes : *Quod erat ab initio, oculis nostris vidimus* (I *Joan.* I, 1). Et rursum : *Annuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem* (*Ibid.*, 2) : utique et in Patre : nam quod ex ipso erat, extra ipsum esse non poterat. Et sane cum dicitur : Erat in ipso tempus, non ipse fuisse in tempore nuntiatur. Æternæ enim substantiæ vis non facta est a Deo, sed egressa a Deo, ideo, *Et ego*, inquit, *a Patre exivi* (*Joan.* XVI, 28) : et, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30) ; et: *Qui me videt, videt et Patrem* (*Joan.* XIV, 9); et : *Ego in Patre, et Pater in me* (*Ibid.*, 10); et : *Qui*

me misit, mecum est (*Joan.* VIII, 29). Ideo et David : A *Tecum principium in die virtutis tuæ* (*Psalm.* CIX, 3). Dei enim Verbum, hoc est, Dei Filius, ante omne principium cum eo qui ex eo, et in eo cui nullum potest esse principium. Invenimus quidem dixisse Salomonem ex persona Sapientiæ (quam Christum esse defendimus) : *Dominus condidit me, et ante sæculum fundavit me, et prior abysso genita sum* (*Prov.* VIII, 22-24). Sed non ideo credendum est, Deum factum. Nam si factus est, non fuit: si non fuit, non erit. Et quomodo Deus, cui, ne Deus sit, utraque conditio præscribitur? Ideo autem Sapientia Dei nata et condita nuntiatur, ne quid præter ipsum Deum Patrem, qui est etiam suis origo virtutibus, crederetur in natura. Exinde enim recte diceretur : Ex ipso, et in ipso creata Sapientia, B ex quo effulsit ab eo unigenita et beata nativitas. Qui ergo probaverit sine Verbo, sine sapientia, sine ratione, sine virtute, sine Spiritu aliquando Patrem fuisse; is probavit cum Patre et in Patre Filium ante omne principium non fuisse. Tamen nescio si his virtutibus carens Pater possit Deus dici. Non modo enim Deus qui in sua æternitate perfectus est, sed nec creatura quidem ulla secundum suum genus non consummata constabit. Non potest enim quid esse, quod non sit; non erit autem, si id illi defuerit, quod esse debebit. Totum igitur defuit Patri, si aliquid defuit de toto. Defuit autem, si Filius suus, hoc est virtutum suarum plenitudo, initio non caret: et necesse est hanc opinionem alterutram blasphemiæ partem profana et sacrilega finitione transire. C Aut enim Pater credendus est cum Filio suo initium fuisse sortitus, quia sine Filio, hoc est sine virtutibus suis, esse non potuit; et erit auctor huic illorum initio nescio quis tertius Deus: aut si solus ipse sine initio dicitur usque ad Filii generationem, imperfectus fuisse dicendus est. Imperfectus enim, si cœpit habere quod ante non habere voluit. Is omnia autem habere debuit semper, qui semper debuit esse perfectus: quia non recipit augmentum quidquid occupaverit totum.

CAPUT XVII.

Hæretici quidquid de Patre negant, de Filio confitentur. Quomodo visibilis Deus Filius.

Patrem, inquiunt, initium non habere, invisibilem esse, immortalem esse, impassibilem esse. Hæc D ideo proponunt, ut contraria his Filio ascribant. Quidquid enim de Patre negant, de Filio confitentur; qui si habere initium probatur, merito mortalis, merito passibilis. Præjudicatum quidem esse deberet, et cætera passionum genera in Filium non convenire, prima propositionis specie destructa, quæ initium dabat Dei Verbo. Ne quid tamen diffidentia præ cæteris quæ sunt profane proposita, retractemus. Nam ut initium non habenti, ascribi cætera quæ sunt huic definitioni subjecta, non possunt: ita si uni eorum affinis deprehenditur, æquum est etiam illa quæ fuerant defensa, dissolvi. Invisibilem, inquit, Patrem esse. Quasi vero usquam inveniamus vel Filium sine transfiguratione fuisse visibilem, antequam Patri obediens fieret ex æternitate corporeus. Quamvis enim et Abrahæ visus sit, et Jacob, et Moysi, et Isaiæ, et Ezechieli; tamen visionis illius qualitas explicatur. In somno enim et in speculo et in ænigmate visus refertur. Denique et Moysi postulanti ut cognoscenter eum videret, *Nemo potest*, inquit, *faciem meam videre: quia nemo qui eam viderit, vivet* (*Exod.* XXXIII, 20). Ergo hoc loco aut Patrem locutum fuisse contendant, qui invisibilem esse se dicit: aut si Filium non negant, hunc locutum sciant, et illum suo nomine invisibilem fuisse, ut Sermonem, ut Spiritum. Invisibilis Deus denique quomodo visus sit, eadem scriptura testatur. Refert enim locutum cum eo Deum, tamquam ad amicum, facie ad faciem. Ac deinceps subjungit postulasse Moysem, ut faciem ejus videret: quam utique si viderat, non statim [a] postulasset videndam. Ait quidem Jacob: *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea* (*Gen.* XXXII, 30): sed quomodo eam faciem videndo salvatus est, quæ, si videatur, occidit? Quomodo et Dominus ostenderat faciem suam, quam videri non posse postmodum dixit, nisi illa conditione qua supra diximus, in speculo scilicet et in ænigmate, in somnio et visione? Hoc est ergo, illam visibilem materiam assumpsisse cum placuit, statim vero invisibilem perseverare: quia necesse est, si visibilis docetur, non ex eo illum esse quem invisibilem confitemur.

CAPUT XVIII.

Filius Dei unitatis vinculum servans cum Patre, in terris hominem gestabat, neque a cœlis aberat.

Sed hanc assertionem, ut quæstionibus Testamenti veteris expediant, de novo Testamento sumunt confirmationem. Ait enim Dominus et Deus cum de Patre loqueretur (*Joan.* I, 18), nulli Patris imaginem visam: quod si imago Patris ipse est Filius, ut Apostolus probat (*Heb.* I, 3), negat visibilem fuisse, dicendo, nulli Patris imaginem visam. Et ideo, *Nec me*, inquit, *nostis, neque Patrem meum* (*Joan.* VIII, 19). Et hic certe duos confirmat ignotos, tam autem duos quam inseparatos. Nam si ipsum nossent, et Patrem nossent : quia per individuitatem neque sciri neque ignorari alter sine altero poterat. Similis igitur de mortali et passibili ratio subsequitur. Nam si neque initium habet Filius, utpote qui semper in eo et fuerit et sit, cui initium non datur ; neque visibilis, qui in sinu invisibilis perseverat : jam nec mortalis nec passibilis habendus est, ex ea tamen substantiæ parte qua Deus. Scimus enim nihil spiritum Dei passum, dumtaxat suo nomine : quia impassibilis Deus, quia *Deus spiritus* (*Joan.* IV, 24).

[a] *Postulasset. Al., postulasse.*

Scimus quod omnis illa passio proprie carnis et animæ, id est hominis: in quo quidem homine cum pateretur erat et Filius Dei cohærens illi per naturam (a quo venerat) Patri; et unitatis vinculum servans, in terris hominem gestabat, nec aberat a cœlis. Sic mediator dictus, sic sequester utriusque substantiæ. Non ergo passibilis Dei spiritus, licet in homine suo passus: quem ideo nec in passione deseruit, ut ei pati posse præstaret: quod nisi ita recipitur, fidei nostræ ratio non stabit, dantis scilicet ei hominis infirmitatem quem Deum non negant. Nam si et initium habens dicitur, et visibilis docetur, et mortalis inducitur; non video ab homine quid distet, in quem regnant hujusmodi passiones.

CAPUT XIX.

Ariomanitæ aliud ore, aliud corde sentiunt.

Confitemur, inquiunt, Filium Dei, Deum ex Deo, lumen de lumine. Videri quidem sacrilegum non potest, perfectam fidei catholicæ professionem, maligna disputatione vexare; sed concedendum non est ut tollatur nobis illud quod nobiscum non tenent, per hoc quod nobiscum tenent. Agnoscimus igitur et cum veneratione suscipimus communis fidei verba, sed quid faciemus? Sic vesana Ariomanitarum doctrina tradit. Et ipsa enim, dicens Deum ex Deo, lumen ex lumine, facit ex Deo alterum Deum, ex lumine alterum lumen: ut sit Filius ex Patre et non in Patre, hoc est, ut factus Deus a Deo, non sit unigenitus in Deo. Sed quid hic amplius, cum nonnullorum ex iis qui nuper ad nos hanc fidem egregiam miserunt, scripta teneantur, quibus dicentes Deum ex Deo, lumen ex lumine: tamen separatum a Patre et penitus excisum hæretica disputatione docuerunt? Ipsum inquiunt Filium Dei hominem de Maria suscepisse per quem compassus est. Congruo igitur omnia fine claudentes, quod mente conceperant, scriptura confessi sunt, respondente ea sensui suo, et occulta eorum venena reserante: dicentes scilicet Filium Dei hominem de Maria suscepisse per quem compassus est. Primum, non video cur maluerint compassibilem dicere, quam libere passibilem confiteri. Quasi vero aliud sit compati quam pati. Porro autem si impassibilis Deus, utique et incompassibilis. Tam ergo compassus non est, quam nec passus est, ex ea tamen conditione qua Deus. Denique Apostolus: *Passus est*, inquit (II *Cor.* XIII, 4), *ex infirmitate*, utique carnis (*caro enim* (*Matth.* XXVI, 41) *infirma; spiritus promptus*); *sed vivit ex virtute Dei:* utique ex semetipso. Ipse enim, Dei virtus, habens vitam in semetipso: quod credimus Dominum nostrum ex duabus substantiis constitisse, humana scilicet atque divina; et ita illum immortalem fuisse divina, ut mortalem ea quæ fuerit humana: ex una enim natus, ex alia probatus: ex una immortalis, ex alia mortalis. Denique idem Apostolus, *Christus*, inquit (I *Cor.* XV, 3), *mortuus* A *est:* id est, unctus: hoc enim nomen ad unctionem deducitur. Si ergo non aliud quam caro uncta est; caro igitur tantummodo mortua dicitur, quoties Christus mortuus nuntiatur.

CAPUT XX.

Alius a Patre Filius, distinctione, non divisione personarum. Sermo Dei, non sonus vocis, sed res substantiva.

Sed si quis extorquere e duobus alterum velit, ut aut unum Deum singulariter determinemus, si unum fatemur; aut duos libere proferamus, si et Patrem Deum et Filium Deum dicimus: illud ante omnia sciatur, nec unum nos cum præjudicio, nec duos dicere; quia unum dicimus in duobus ipso B Domino suggerente: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30), ut duo crederentur in una virtute. Non enim dixit tamquam ex una persona, Patris et Filii, quasi Filius Patrem se confirmans: *Filius meus sum;* et: *Ego hodie genui me;* et: *Ante luciferum genui me;* et, *Dominus condidit me initium viarum mearum;* et: *Ante sæcula fundavit me;* et: *Ego et Pater unum sum:* sed reddens notitiam sacramenti distinctione, non divisione personarum: *Ego*, inquit, *in Patre, et Pater in me: Ego et Pater unum sumus:* et: *Qui me videt, videt et Patrem;* videri enim Patris Filius, imago vera et figura expressa substantiæ ejus, hoc est Dei Sermo, non sonus vocis, sed res substantiva ac per substantiam corpulentiva. Non enim sine substantia con- C stitit, quod de tanta substantia fecit. Nihil ergo vacuum de pleno, nihil inane de solido: quia Dei Sermo, spiritus Dei, Christus, instructus est; et, ut evidentius dicam, Sermonis corpus est: corpus enim spiritus, sed corpus sui generis. Nam et invisibilis et incomprehensibilis spiritus. Numquid tamen inane et vacua res Deus? Deus enim spiritus est. Denique: *Nemo scit*, inquit, *quæ sunt in Deo, nisi spiritus qui in ipso est* (I *Cor.* II, 11). Legimus quidem: *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit* (*Rom.* XI, 34)? Nemo utique, sed extra spiritum suum nemo: quem spiritum propheta sapientem, architectum et mirabilem consiliarium dicit: nec immerito. Nam idem spiritus Sermo et sapientia Dei est: ex cujus persona Salomon: *Cum pa-* D *raret*, inquit, *cœlum, ego aderam illi* (*Prov.* VIII, 27); et: *Ego*, inquit, *eram cum illo, et mihi adgaudebat* (*Ibid.* 30). Non ergo consiliarius nemo, quia per ipsum facta sunt universa quæ facta sunt. Denique cum eadem sapientia et Verbum Dei, et spiritus Dei sit, singulorum tamen nominum officia nuntiantur. Sapientia condenti omnia Patri aderat: *Sermone ejus cœli solidati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* XXXII, 6). Apparet ergo unum eumdemque venisse nunc in nomine spiritus, nunc in appellatione sapientiæ.

CAPUT XXI.

Locus Rom. XI, 36 *expositus.*

Ergo hic Sermo, *cum in forma Dei esset* (*Philipp.*

II, 6-8), sapientia et ratione et spiritus ratione et spiritus virtute constructus, hoc est, totam vim Dei possidens, non se Deo Patri adæquavit, sed *formam servi accipiens humiliavit se usque ad mortem*. Induerat enim quod servire, quod mori posset: hominem scilicet quem excitatum exhibuit ad cœlum, et secundus Adam per obedientiam restitueret quod primus transgressione perdiderat. Si qui igitur adhuc et de Apostolo requirit dominicum statum, id est, singularis substantiæ qualitatem, quæ per naturam auctori suo jungatur, audiat ad compendium quid idem Apostolus senserit, cum Dei Patris investigabiles vias et recondita retro sacramenta loqueretur. *Ex ipso*, inquit, *et per ipsum, et in ipso omnia* (*Rom.* XI, 36). Cum dicitur *per ipsum*, agnosco Filium significari: legi enim, *Per ipsum omnia* (*Joan.* I, 3). Cum *in ipso* nuntiatur, nihil novi est; in ipso enim omnium seminum initia constiterunt. Sed cum refertur, *ex ipso*, certe ad Patrem ut ad rerum omnium respicitur auctorem. Et si ita est, ut est, quemodo his ratio constabit distincta jungentibus, hoc est referentibus ad unum omnia; cum alius sit, ex quo omnia; et alius, per quem omnia? quia alius ingenitus, alius unigenitus, nisi alia conditione qua recte dicitur: et ex Filio omnia, dum in ejus corde est per naturam, ex quo omnia; et per Patrem omnia, dum in eo semper est, per quem omnia. Pater enim sensu agit: Filius vero qui in Patre sensus est, videns perficit. Non ergo Apostolum temere pronuntiasse credendum est: sed illud credendum non ita est credidisse, Filium scilicet Dei secundum carnem factum esse quod non erat, secundum spiritum vero esse quod fuerit; quia quod fuit semper, non potest non fuisse.

CAPUT XXII.

Quid Patropassiani? quid Ariani? Fidei regula quæ?

Tenenda est igitur ratio quæ per arduum et angustum tramitem repit, circumjacentibus hinc et inde præruptis quæ zabolica fraude cæcata plana et facilia submittunt, ut in ruinam mergant excessus. Nam si unum Deum singulariter nominamus, excludentes vocabulum secundæ personæ, furorem ejus hæresis approbamus, quæ ipsum asserit Patrem passum. Si admittimus numerum cum divisione, jungimur cum Arianis, qui factum a Deo Deum, novamque asserunt ex nihilo substantiam constitisse. Tenenda est igitur, ut diximus, regula quæ Filium in Patre, Patrem in Filio confitetur (*Joan.* XIV, 20); quæ unam in duabus personis substantiam servans, dispositionem divinitatis agnoscit. Igitur Pater Deus, et Filius Deus: quia in Patre Deo Filius Deus. Hoc si cui scandalum facit, audiat a nobis Spiritum esse de Deo; quia illi cui est in Filio secunda persona, est et tertia in Spiritu sancto. Denique Dominus: *Petam*, inquit, *a Patre meo et alium advocatum dabit vobis* (*Ibid.*, 16). Sic alius a Filio Spiritus, sicut a Patre Filius. Sic tertia in Spiritu, ut in Filio secunda persona: unus tamen Deus omnia, tres unum sunt. Hoc credimus, hoc tenemus, quia hoc accepimus a prophetis: hoc nobis Evangelia locuta sunt: hoc apostoli tradiderunt: hoc martyres passione confessi sunt: in hoc mentibus fidei etiam hæremus, contra quod *etiamsi angelus de cœlo annuntiaverit, anathema sit* (*Gal.* I, 8).

CAPUT XXIII.

De Hosio episcopo Cordubensi judicium auctoris.

Sed non sum nescius, his omnibus discussis et in lucem intelligentiæ publicæ propositis, antiquissimi sacerdotis et promptæ semper fidei Hosii nomen quasi quemdam in nos arietem temperari, quo contradictionis temeritas propulsetur. Sed hanc contra nos erigentibus machinam brevi admodum sermone respondeo. Non potest ejus auctoritate præscribi, quia aut nunc errat, aut semper erravit. Novit enim mundus quæ in hanc tenuerit ætatem, qua constantia apud Sardicam et in Nicæno tractatu assensus sit et damnaverit Arianos. Quid si diversa nunc sentit, et quæcumque ab eo retro damnata fuerant, defenduntur: quæ defensa, damnantur? Rursum dico, non mihi ejus auctoritate præscribitur. Nam si nonaginta fere annis male credidit; post nonaginta illum recte sentire non credam. Aut si nunc recte, quid de his opinandum est, qui eadem signati fide in qua ipse erat, de sæculo transierunt? quid et de ipso pronuntiaretur, si ante hanc synodum dormiisset? Ergo ut supra diximus, præjudicatæ opinionis auctoritas nihil valebit, quia contra semetipsam ipsa consistit. Et sane legimus: *Justitia justi non salvabit eum in quacumque die exerraverit* (*Ezech.* XXXIII, 12). Amen.

Scimus quod omnis illa passio proprie carnis et animæ, id est hominis: in quo quidem homine cum pateretur erat et Filius Dei cohærens illi per naturam (a quo venerat) Patri; et unitatis vinculum servans, in terris hominem gestabat, nec aberat a cœlis. Sic mediator dictus, sic sequester utriusque substantiæ. Non ergo passibilis Dei spiritus, licet in homine suo passus: quem ideo nec in passione deseruit, ut ei pati posse præstaret: quod nisi ita recipitur, fidei nostræ ratio non stabit, dantis scilicet ei hominis infirmitatem quem Deum non negant. Nam si et initium habens dicitur, et visibilis docetur, et mortalis inducitur; non video ab homine quid distet, in quem regnant hujusmodi passiones.

CAPUT XIX.

Ariomanitæ aliud ore, aliud corde sentiunt.

Confitemur, inquiunt, Filium Dei, Deum ex Deo, lumen de lumine. Videri quidem sacrilegum non potest, perfectam fidei catholicæ professionem, maligna disputatione vexare; sed concedendum non est ut tollatur nobis illud quod nobiscum non tenent, per hoc quod nobiscum tenent. Agnoscimus igitur et cum veneratione suscipimus communis fidei verba, sed quid faciemus? Sic vesana Ariomanitarum doctrina tradit. Et ipsa enim, dicens Deum ex Deo, lumen ex lumine, facit ex Deo alterum Deum, ex lumine alterum lumen: ut sit Filius ex Patre et non in Patre, hoc est, ut factus Deus a Deo, non sit unigenitus in Deo. Sed quid hic amplius, cum nonnullorum ex iis qui nuper ad nos hanc fidem egregiam miserunt, scripta teneantur, quibus dicentes Deum ex Deo, lumen ex lumine: tamen separatum a Patre et penitus excisum hæretica disputatione docuerunt? Ipsum inquiunt Filium Dei hominem de Maria suscepisse per quem compassus est. Congruo igitur omnia fine claudentes, quod mente conceperant, scriptura confessi sunt, respondente ea sensui suo, et occulta eorum venena reserante: dicentes scilicet Filium Dei hominem de Maria suscepisse per quem compassus est. Primum, non video cur maluerint compassibilem dicere, quam libere passibilem confiteri. Quasi vero aliud sit compati quam pati. Porro autem si impassibilis Deus, utique et incompassibilis. Tam ergo compassus non est, quam nec passus est, ex ea tamen conditione qua Deus. Denique Apostolus: *Passus est*, inquit (II *Cor.* XIII, 4), *ex infirmitate*, utique carnis (*caro enim* (*Matth.* XXVI, 41) *infirma; spiritus promptus*); *sed vivit ex virtute Dei:* utique ex semetipso. Ipse enim, Dei virtus, habens vitam in semetipso: quod credimus Dominum nostrum ex duabus substantiis constitisse, humana scilicet atque divina; et ita illum immortalem fuisse divina, ut mortalem ea quæ fuerit humana: ex una enim natus, ex alia probatus: ex una immortalis, ex alia mortalis. Denique idem Apostolus, *Christus*, inquit (I *Cor.* XV, 3), *mortuus est:* id est, unctus; hoc enim nomen ad unctionem deducitur. Si ergo non aliud quam caro uncta est; caro igitur tantummodo mortua dicitur, quoties Christus mortuus nuntiatur.

CAPUT XX.

Alius a Patre Filius, distinctione, non divisione personarum. Sermo Dei, non sonus vocis, sed res substantiva.

Sed si quis extorquere e duobus alterum velit, ut aut unum Deum singulariter determinemus, si unum fatemur; aut duos libere proferamus, si et Patrem Deum et Filium Deum dicimus: illud ante omnia sciatur, nec unum nos cum præjudicio, nec duos dicere; quia unum dicimus in duobus ipso Domino suggerente: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30), ut duo crederentur in una virtute. Non enim dixit tamquam ex una persona, Patris et Filii, quasi Filius Patrem se confirmans: *Filius meus sum;* et: *Ego hodie genui me;* et: *Ante luciferum genui me;* et, *Dominus condidit me initium viarum mearum;* et: *Ante sæcula fundavit me;* et: *Ego et Pater unum sum:* sed reddens notitiam sacramenti distinctione, non divisione personarum: *Ego*, inquit, *in Patre, et Pater in me: Ego et Pater unum sumus:* et: *Qui me videt, videt et Patrem;* videri enim Patris Filius, imago vera et figura expressa substantiæ ejus, hoc est Dei Sermo, non sonus vocis, sed res substantiva ac per substantiam corpulentiva. Non enim sine substantia constitit, quod de tanta substantia fecit. Nihil ergo vacuum de pleno, nihil inane de solido: quia Dei Sermo, spiritus Dei, Christus, instructus est; et, ut evidentius dicam, Sermonis corpus est: corpus enim spiritus, sed corpus sui generis. Nam et invisibilis et incomprehensibilis spiritus. Numquid tamen inane et vacua res Deus? Deus enim spiritus est. Denique: *Nemo scit*, inquit, *quæ sunt in Deo, nisi spiritus qui in ipso est* (I *Cor.* II, 11). Legimus quidem: *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit* (*Rom.* XI, 34)? Nemo utique, sed extra spiritum suum nemo: quem spiritum propheta sapientem, architectum et mirabilem consiliarium dicit: nec immerito. Nam idem spiritus Sermo et sapientia Dei est: ex cujus persona Salomon: *Cum pararet*, inquit, *cœlum, ego aderam illi* (*Prov.* VIII, 27); et: *Ego*, inquit, *eram cum illo, et mihi adgaudebat* (*Ibid.* 30). Non ergo consiliarius nemo, quia per ipsum facta sunt universa quæ facta sunt. Denique cum eadem sapientia et Verbum Dei, et spiritus Dei sit, singulorum tamen nominum officia nuntiantur. Sapientia condenti omnia Patri aderat: *Sermone ejus cœli solidati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* XXXII, 6). Apparet ergo unum eumdemque venisse nunc in nomine spiritus, nunc in appellatione sapientiæ.

CAPUT XXI.

Locus Rom. XI, 36 *expositus.*

Ergo hic Sermo, *cum in forma Dei esset* (*Philipp.*

II, 6-8), sapientia et ratione et spiritus ratione et spiritus virtute constructus, hoc est, totam vim Dei possidens, non se Deo Patri adæquavit, sed *formam servi accipiens humiliavit se usque ad mortem.* Induerat enim quod servire, quod mori posset: hominem scilicet quem excitatum exhibuit ad cœlum, et secundus Adam per obedientiam restitueret quod primus transgressione perdiderat. Si qui igitur adhuc et de Apostolo requirit dominicum statum, id est, singularis substantiæ qualitatem, quæ per naturam auctori suo jungatur, audiat ad compendium quid idem Apostolus senserit, cum Dei Patris investigabiles vias et recondita retro sacramenta loqueretur. *Ex ipso,* inquit, *et per ipsum, et in ipso omnia* (*Rom.* XI, 36). Cum dicitur *per ipsum,* agnosco Filium significari: legi enim, *Per ipsum omnia* (*Joan.* I, 3). Cum *in ipso* nuntiatur, nihil novi est; in ipso enim omnium seminum initia constiterunt. Sed cum refertur, *ex ipso,* certe ad Patrem ut ad rerum omnium respicitur auctorem. Et si ita est, ut est, quomodo his ratio constabit distincta jungentibus, hoc est referentibus ad unum omnia; cum alius sit, ex quo omnia; et alius, per quem omnia? quia alius ingenitus, alius unigenitus, nisi alia conditione qua recte dicitur: et ex Filio omnia, dum in ejus corde est per naturam, ex quo omnia; et per Patrem omnia, dum in eo semper est, per quem omnia. Pater enim sensu agit: Filius vero qui in Patre sensus est, videns perficit. Non ergo Apostolum temere pronuntiasse credendum est: sed illud credendum non ita est credidisse, Filium scilicet Dei secundum carnem factum esse quod non erat, secundum spiritum vero esse quod fuerit; quia quod fuit semper, non potest non fuisse.

CAPUT XXII.

Quid Patropassiani? quid Ariani? Fidei regula quæ?

Tenenda est igitur ratio quæ per arduum et angustum tramitem repit, circumjacentibus hinc et inde præruptis quæ zabolica fraude cæcata plana et facilia submittunt, ut in ruinam mergant excessus. Nam si unum Deum singulariter nominamus, excludentes vocabulum secundæ personæ, furorem ejus hæresis approbamus, quæ ipsum asserit Patrem passum. Si admittimus numerum cum divisione, jungimur cum Arianis, qui factum a Deo Deum, novamque asserunt ex nihilo substantiam constitisse. Tenenda est igitur, ut diximus, regula quæ Filium in Patre, Patrem in Filio confitetur (*Joan.* XIV, 20); quæ unam in duabus personis substantiam servans, dispositionem divinitatis agnoscit. Igitur Pater Deus, et Filius Deus: quia in Patre Deo Filius Deus. Hoc si cui scandalum facit, audiat a nobis Spiritum esse de Deo; quia illi cui est in Filio secunda persona, est et tertia in Spiritu sancto. Denique Dominus: *Petam,* inquit, *a Patre meo et alium advocatum dabit vobis* (*Ibid.*, 16). Sic alius a Filio Spiritus, sicut a Patre Filius. Sic tertia in Spiritu, ut in Filio secunda persona: unus tamen Deus omnia, tres unum sunt. Hoc credimus, hoc tenemus, quia hoc accepimus a prophetis: hoc nobis Evangelia locuta sunt: hoc apostoli tradiderunt: hoc martyres passione confessi sunt: in hoc mentibus fidei etiam hæremus, contra quod *etiamsi angelus de cœlo annuntiaverit, anathema sit* (*Gal.* I, 8).

CAPUT XXIII.

De Hosio episcopo Cordubensi judicium auctoris.

Sed non sum nescius, his omnibus discussis et in lucem intelligentiæ publicæ propositis, antiquissimi sacerdotis et promptæ semper fidei Hosii nomen quasi quemdam in nos arietem temperari, quo contradictionis temeritas propulsetur. Sed hanc contra nos erigentibus machinam brevi admodum sermone respondeo. Non potest ejus auctoritate præscribi, quia aut nunc errat, aut semper erravit. Novit enim mundus quæ in hanc tenuerit ætatem, qua constantia apud Sardicam et in Nicæno tractatu assensus sit et damnaverit Arianos. Quid si diversa nunc sentit, et quæcumque ab eo retro damnata fuerant, defenduntur: quæ defensa, damnantur? Rursum dico, non mihi ejus auctoritate præscribitur. Nam si nonaginta fere annis male credidit; post nonaginta illum recte sentire non credam. Aut si nunc recte, quid de his opinandum est, qui eadem signati fide in qua ipse erat, de sæculo transierunt? quid et de ipso pronuntiaretur, si ante hanc synodum dormiisset? Ergo ut supra diximus, præjudicatæ opinionis auctoritas nihil valebit, quia contra semetipsam ipsa consistit. Et sane legimus: *Justitia justi non salvabit eum in quacumque die exerraverit* (*Ezech.* XXXIII, 12). Amen.

II.

DE FIDE ORTHODOXA,

CONTRA ARIANOS,

ALIAS

DE FILII DIVINITATE ET CONSUBSTANTIALITATE,

TRACTATUS.

PROLOGUS.

Confessio fidei.

Credimus in Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium factorem, et unum Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei, natum de Patre unicum, hoc est, de substantia Patris : Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; natum, non factum : unius substantiæ cum Patre, quod Græci dicunt ὁμοούσιον ; per quem omnia facta sunt, sive quæ in cœlo, sive quæ in terra. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est, et homo factus est, passus est, resurrexit tertia die, ascendit ad cœlos, inde venturus est judicare vivos et mortuos. Et Spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt : Erat quando non erat, et priusquam nasceretur, non erat, et mutabilem vel convertibilem esse Filium Dei; hos anathematizat catholica et apostolica Ecclesia, amen.

Procemium.

Amore catholicæ Fidei ductus, jam pridem adversus Arianos libellum ediderام, quem cum amico legendum dedissem, quia placuit, credidit transscribendum. A quo hoc ego magnopere postulavi, ut interim dissimulato auctore, doctis viris et prudentibus legeret; ut si quem novisset, quod illic plus aut minus positum videretur, posset plurimorum consilio emendari. Nemo est enim qui sibi tam arroganter summam doctrinæ cœlestis assumat, ut putet se omnia mysteria liquido comprehensa retinere. cum Paulus apostolus dicat : *Qui ergo putat se aliquid scire, nec dum scit quemadmodum oporteat scire* (I *Cor.* VIII, 2); et : *Modo per speculum in ænigmate videmus; tunc facie ad faciem* (I *Cor.* XIII, 12). Sin vero cunctis omnia quæ illic scripta erant, juxta fidem veram constare viderentur, tum et ipse petentibus non negaret. Quod eum ita fecisse manifestum est. Et quia res digna tam catholicæ confessioni, quam hæreticæ responsioni, universorum judicio æstimata est, multi eum vel legere vel describere voluerunt.

Sed non defuit qui pro studio doctrinæ, vel pro A charitatis officio, ea quæ a nobis dicta sunt, scrupulosius retractaret; et quædam ille vel superflua, vel ambigua diceret, quæ aliter possint a quibusdam, quam a me dicta sunt, accipi. Proinde rursus ea ipsa planiori sermone in hoc libello digessi, ut et simplicitatem sensus mei ostenderem, et scrupulum legentibus amputarem.

Nam hoc est quod aiunt posse reprehendi, quod ubi Verbum Dei ex persona Filii posuimus, tale hoc Verbum intelligere putemus, quale grammatici tradunt spiritu oris aerem offensum, intelligibilem auditu. Sed nos sapientiam non hujus mundi quæ destruitur, sed illam quæ ex Deo est, novimus, quæ Verbum Dei Deum insinuat, cum dicit : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum,* B *et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 1-3). Unde mirari me fateor hoc ita sentiri potuisse, quasi nos personam propriam Verbi, quod est Filius, negaremus. Nemo verbo tenus nominat, quem vere esse in persona sua sæpius profitetur : nam quomodo aut verum Filium, aut verum Patrem confessi sumus, si non vere proprietatem personarum tam Patris quam Filii servavimus?

Sed quia unius Dei vocabulum diximus, personas negasse putamur. Et hinc verisimile visum est quod posuimus. Nos Patrem et Filium ita nominamus, ut unum Deum in his personis et nominibus assignemus. Porro iterum Pater et Filius, etsi duo nomina appellantur; ratione tamen et substantia unum sunt : C et cum Patrem et Filium statuo, unitatem assigno generis.

Hæc omnia intelligi posse æstimata sunt, quasi ista vocabula inter Patrem et Filium ita posita sint, ut est nomen et cognomen, unius tamen personæ; cum ex superioribus aut inferioribus dictis potuerit hæc suspicio non admitti. Qui enim filium Dei non aliunde natum dixeram, quam proprie de Patre, totum de toto, integrum de integro, perfectum de perfecto, consummatamque virtutem; quomodo potui ipsum Patrem, ipsum sibi Filium ponere, et hoc modo unam personam duobus nominibus appellare; quippe cum et hanc sectam, id est, Sabellianam in

eodem libello damnaverim, et personarum distinctionem secundum vocabulum scripserim? Nam et nemo pro una persona potest, *unum sunt*, dicere, vel unitatem generis, nisi personis assignare.

Quis autem catholicorum ignorat Patrem vere esse Patrem, Filium vere Filium, et Spiritum sanctum vere esse Spiritum sanctum? sicut ipse Dominus ad apostolos suos dicit: *Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). Hæc est perfecta Trinitas in unitate consistens, quam scilicet unius substantiæ profitemur. Non enim nos secundum corporum conditionem divisionem in Deo facimus: sed secundum divinæ naturæ potentiam, quæ in materia non est, et nominum personas vere constare credimus, et unitatem divinitatis esse testamur.

Nec extensionem partis alicujus ex Patre (ut quidem putaverunt) Dei Filium dicimus, nec verbum sine re, ut velut sonum vocis accipimus: sed tria nomina, et tres personas unius esse essentiæ, unius majestatis atque potentiæ credimus. Et ideo unum Deum confitemur, quia unitas majestatis plurium vocabulo deos prohibet appellari.

Denique Patrem et Filium catholice nominamus; duos autem deos dicere nec possumus, nec debemus; non quod Filius Dei Deus non sit, immo verus Deus de Deo vero: sed quia non aliunde, quam de ipso uno Patre Dei Filium novimus, perinde unum Deum dicimus. Hoc enim prophetæ, hoc apostoli tradiderunt, hoc ipse Dominus docuit, cum dicit: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). *Unum* ad unitatem divinitatis, ut dixi, refert: *sumus* autem personis assignat. Sed et apostolus ait: *Unus est*, inquit, *Deus Pater, ex quo omnia; et nos in ipso: et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia; et nos per ipsum. Sed non in omnibus est scientia* (I *Cor.* VIII, 6).

Qua de re explanatis his verbis quæ scrupulum, non mihi qui scio quod dixerim, sed aliis inferebant, puto occasionem malæ interpretationis fuisse sublatam. Nam et professio fidei manifesta est, et persona cum vocabulis constat, et una divinitas assignata est.

Vel si adhuc aliquid quod legentibus ambiguum videatur in verbis, ad sensus debent verba conferri; quia non simplicitas verborum, sed mali intellectus obstinatio culpam olet. At cum sensus noster cum veritate concordet, et verba debent cum ratione sincerissima. Unde a simplicitate Christiana academicus disputator abscedat.

CAPUT I.

Nihil periculosius iis hæreticis, quibus multa nobiscum paria sunt. Hi cum integre per omnia decurrere videantur, uno tantum verbo simplicem fidem inficiunt. Sublato nomine substantiæ, *quod isti de* A *evangelica et apostolica fide patrumque traditione auferre volunt, subtiliter Ariana hæresis intromittitur. Qua ratione istud nomen tollere laborarint.*

Multas quidem et graves hæreses novimus a plurimis ebullire, et veneni vice, ad intimum pectus canceris sui virus infundere: sed vinci illi vel facile possunt, vel facile vitari, quorum prima propositione omne consilium pectoris proditur. At vero iis quibus multa nobiscum paria sunt, facile possunt innoxias mentes et soli Deo deditas fraudulenta societate percutere, dum malorum suorum virus per bona nostra defendunt. Nihil enim periculosius his hæreticis esse potest, qui cum integre per omnia decurrant; uno tamen verbo, ac si veneni gutta, B meram illam ac simplicem fidem Dominicæ, et exinde apostolicæ traditionis inficiunt.

Unde vehementer nobis cavendum est, ne se vel sensibus vel auribus nostris hujusmodi aliquid latenter insinuet; quia nihil tam cogit in mortem, quam sub obtentu fidei fidem violare. Ut enim gypsum aqua permixtum lac colore mentitur, ita hic per verisimilem confessionem traditio inimica suggeritur. Qua de re non similitudo confessionis, sed sensus mentis est ponderandus, quo confessio ipsa firmatur.

Denique si diligentius et accuratius attendatis; cur voluerint de evangelica et apostolica fide et de patrum traditione *substantiæ* nomen auferri, procul dubio probatis hæresim Arianam subtili compendio breviatam, sublato hoc nomine intromissam. Nec hoc C quidem [a] ego suspicione aut opinione collectum affirmo, nec uti ipsi putant, academicus disputator assisto, ut simplices sensus verborum subtilitate contorqueam: sed ut contortos et pravos tenui argumento compositos in lucem cognitionis exponam, quo facilius possit cognita et comperta iniquitas ab hominibus evitari.

Quæ etenim causa [b] quæve ratio exstitit, ut quod docendum, et quod credendum cunctis ecclesiis fuerat traditum, quodque patres nostri apostolici viri contra universas hæreses, et maxime Arianam, quasi quemdam obicem veritatis, quo omnes aditus pestiferæ doctrinæ obstruerent, [c] sancto Spiritu mundati, catholica ratione posuerunt, non sine D magno nisu ab his qui [d] elogio Arianæ labis addicti sunt, laboretur auferri; nisi ut Filium Dei mutabilem et convertibilem utpote non de propria Patris substantia constitisse confingant; cui et initium ex tempore, et ortum ex nihilo, nomen ex altero, ut semper docuerunt, propter quod et sæpe damnati sunt, nunc jam libere et secure, incunctanterque ecclesiis tradere et insinuare possint?

CAPUT II.

De Arianorum hæreseos confutatione per firmissimas rationes, et evidentia sacræ Scripturæ testimonia.

[a] Mss. Læt. et Tell., *ego suscipio. nec aut opinione*, etc., melius omnes edit. ut in textu.

[b] Tell. cod. et Amerb., *quæ vera ratio exsistit.*

[c] Vigiliana edit., *Spiritu sancto inundati.*

[d] *Elogium* aliquando idem significat, ac formula quædam condemnationis.

Ita Deum Filium de Deo ponunt, ut ex Deo factus sit, non ex Deo genitus. Vocabulum ὁμοούσιον *auferunt, eique* ὁμοιούσιον *substituunt. Illam sapientiam quæ Dei Filius est, creaturam intelligunt.*

Videtis ergo omnia eos in tractatu ipsorum, non evangelica fide, sed subdola malignitate ad seducendos simplices quosque posuisse. Non jam tam suspectum, quam manifestum omnibus esse debet, ita eos Deum de Deo posuisse, ut Arius tradere solebat, ut ex Deo factus sit, non ex Deo natus. Qui si natus est, unius substantiæ est : si factus est, verus Filius non est : et si verus Filius non est, nec verus Deus est : aut si verus Deus est, et de Patre non est, duo sunt habentes singuli et voluntates proprias, et imperia diversa : vel si concordia tantum et societate unum sunt, non tamen et substantia verus, ut jam dixi, Deus non est.

Sic erit Deus, ut Moyses Pharaoni (*Exod.* VII, 1), potestate, non genere : Filius quoque ita credendus erit, ut per Esaiam populo dictum est : *Filios genui et exaltavi* (*Isa.* I, 2); et alibi : *Dii estis, et filii Altissimi omnes* (*Psal.* LXXXI, 6). Sed et primogenitus ita habebitur, quomodo et Israel a Deo primogenitus filius appellatus est (*Exod.* IV, 22). Nec non et primogenitus totius creaturæ, quasi in ordine factorum primogenitus habeatur; ut ex eo seriem quamdam creandis mundi rebus assignent.

Denique sublato ὁμοούσιον, id est, unius substantiæ [a] vocabulo, ὁμοιούσιον, id est, similem factori suo posuerunt; cum aliud sit similitudo, aliud veritas. Nam et homo ad imaginem et similitudinem Dei factus est (*Gen.* I, 26), nec tamen Deus est : nec quod Deus est, homo exstitisse credendus est. Ita et Filium Dei similem volunt, ut eum aliunde similem, non de ipsa una sancta et beata Patris substantia dicant. Qui si de Patris substantia non est, ἐξ οὐκ ὄντων est, id est, ex nullis exstantibus, ut idem Arius tradidit : sublato enim eo quod Pater est, undecumque fuerit Filius, necesse est ut et initium ex nihilo, et ortum ex tempore habeat : nihil enim sine initio, nisi solus Deus.

Unde et Filius, sicut ipse Dominus ait : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Quod ideo dixit, ut duarum personarum [b] vocabula in unius deitatis majestate monstraret, sicut et propheta ex voce Dei : *Eructavit,* inquit, *cor meum Verbum bonum : dico ego opera mea regi* (*Psal.* XLIV, 2). Vides ergo hoc Verbum bonum Filium Dei esse, quem non aliunde quam de paterno pectore, et, ut ita dixerim, de utero cordis Dei credimus natum. Et proinde eum regem appellat, quia ipse est rex regum : Deum Dominum, cui omnia divina opera succumbunt, qui dixit : *Omnia quæ Pater habet, mea sunt* (*Joan.* XVI, 15).

De hoc et Evangelista : *In principio,* inquit, *erat* A *Verbum, et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 1-3). Igitur quod in principio erat, semper fuisse credendum est : sed nec aliunde esse, quam ex eo qui principium non habet, id est, de corde Patris; quia *eructavit,* inquit, *cor meum Verbum bonum* (*Psal.* XLIV, 2) Non enim dixit : In principio factum est Verbum ; sed *in principio,* inquit, *erat Verbum.* Quodcumque principium Verbi assignare volueris, præjudicatum habebis quia *in principio,* inquit, *erat.*

Non quod duo principia ex rerum diversitate dicamus, sed quia Sermo Filius semper cum Patre est, et de Patre natus est. Ac proinde cujus origo principium non habet, sempiternus cum Patre cre- B dendus est; quia nec Pater potest umquam sine Filio nominari, nec Filius sine Patre vocari : ac per hoc semper Filius, quia semper Pater.

Et *Deus,* inquit, *erat Verbum.* Quod Deus est, semper est; ne si semper non fuerit, verus Deus esse non possit, sicuti et in Sophiæ nomine quia secundum Apostolum (I *Cor.* I, 24) ipse est Sapientia Patris. *Ego* inquit, *ex ore Altissimi prodivi* (*Eccli.* XXIV, 5). Non ergo aliunde quam de Patre, quia semper cum Patre. Et ideo Sapientia Dei appellatur, ut numquam Pater sine Sapientia, hoc est, sine Filio suo fuisse credatur. Hæc est illa Sapientia ineffabilis [c] quæ initium viarum Dei apud Salomonem (*Prov.* VIII, 22) vel condita, vel genita, vel creata describitur; quam tamen sic conditam dicit, ut semper C eam cum Deo fuisse ostendat. Quod enim initium Deo dabis, ut initium possis Sapientiæ ipsius consignare ? Non enim ita Deus Sapientiam suam condidit, quasi aliquando sine Sapientia fuerit : sed cum initium viarum suarum dicat, initium motus operis alicujus ostendit; ut hoc initium habeat Sapientia Dei, quod de Deo processit ad creanda omnia tam cœlestia quam terrestria, non quo cœperit esse in Deo. Creata est ergo Sapientia, immo genita, non sibi quæ semper erat, sed his quæ ab ea fieri oportebat; ut quia quanta et qualis esset sciri non poterat, de effectu operum suorum virtus ejus et potentia nosceretur : [d] ut quod de conditis æstimamus, tunc magis timeremus cum facta miramur.

Cæterum si tu creatam Sapientiam dicas, ut Fi- D lium Dei creaturam intelligas; occurrit tibi Apostolus, condemnans eos qui creaturam colunt, dicens : *Propter quod tradidit illos Deus in desiderium cordis eorum in immunditiam : ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis, qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt et servierunt creaturæ potius quam creatori, qui est benedictus Deus in sæcula* (*Rom.* I, 24, 25).

Hæc est, inquam, illa Sapientia Dei, quæ dicit : *Ego ex ore Altissimi prodivi* (*Eccli.* XXIV, 25), uni-

[a] Ita edit. Rom. et Chifflet.; vet. autem ac mss., *vocabulo similem gestori suo posuerunt.*

[b] Læt. cod., *vocabula, unius deitatis majestatem monstraret.*

[c] Mss. Tell. et Læt. nec non vet. edit., *quæ initio :* et infra, *sed cum initio ;* Rom. et Vigil., *sed cum initium.*

[d] Vigil. edit., *ut dum conditorem de conditis..... timeamus.*

versalitatis conditrix et effectrix, id est, Filius Dei per quem omnia, et in quo omnia; quia ut Apostolus dixit : *In ipso constituta sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Virtutes, sive Principatus, sive Potestates : omnia per ipsum, et in ipso condita sunt : et ipse est ante omnia, et omnia in ipso constant* (*Coloss.* I, 26). Hinc et Salomon : *Cum sit*, inquit, *una, omnia potest ; et permanens in se, omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert* (*Sap.* VII, 27). Quod confirmans Apostolus ait (*Ephes.* III, 16) in interiore homine habitare Christum; ut per quem a principio omnia facta sunt, per ipsum et in fine cuncta salventur.

CAPUT III.

Solvuntur argumenta quibus Ariani hæresim suam astruunt, dicentes potissimum propterea ὁμοούσιον admitti non oportere, quod in Scripturis divinis non contineatur.

Sed dicis mihi ὁμοούσιον, id est, unius substantiæ nomen ob hoc potius quam creatorem adorant, servantes eadem utique quæ Apostolus dixit : *Ut in nomine Jesu omnes genu flectant, cœlestium, terrestrium et infernorum; et omnis lingua confiteatur* (*Philipp.* II, 10). Et Moyses : *Adorent*, inquit, *eum omnes angeli Dei* (*Deut.* XXXII, 43, *sec.* LXX). Et David : *Omnes reges adorabunt eum* (*Psal.* LXXI, 1). Quod quidem in Scripturis non diceretur, sed quia ipse est Sermo Filius omnium opifex.

Sed dicis ὁμοούσιον nominari non oportere, quia in Scripturis divinis non contineatur. Quæro et ego, homo, qui hoc prohibes; si ideo nominari non debet, quia scriptum non est, an quia ita credi non liceat?

Quod si ita credendum est, cur non ita profitendum? *Corde enim*, inquit Apostolus, *creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X, 10).

Aut si ideo nominandum non est, quia nec ita credendum; obtinuit Arianæ labis assertio, quæ ideo Patrem et Filium unius substantiæ denegavit, quia Filium Dei modo ex nihilo, modo ex Patre, sed ab alia substantia, quando voluit, et quomodo voluit, et unde voluit factum inducit; dummodo aliunde eum, et non de eo quod Pater est, exstitisse confingat. Quem etsi natum dicit, sed hoc dicto tenus; quia rursum omne quod natum est, factum intelligit; eo quod et nos a Deo geniti appellemur, quos constat esse facturam.

Vel si Arianus non es, et verum Filium de vero Patre natum, non factum agnoscis; cur non eum cum Patre unam substantiam dicis. Frustra times, homo, profiteri quod credis; et frustra credis si ita

A non credis, et merito hæreticus denotaris. [a] Et quamquam immutaveris dictum, quo putaris prohibuisse Dei Filium nuncupari facturam; sed cum subjungit : Sicuti aliquid horum quod factum est; ex aperto ostendis non ob hoc [b] facturam dici noluisse, quasi non debeat factus intelligi; sed non ita factum vis, sicut aliquid horum quod factum est, sed tamen factum. Aliter enim dicis factum, utpote perfectam creaturam, per quem facta sunt omnia; dummodo et ipsum factum intelligas, licet non ita ut cætera.

Sed ut ad id revertar, quod dicis in Scripturis divinis ὁμοούσιον, id est, unius substantiæ vocabulum non inveniri; finge hoc interim sic sit, eo quod ubicumque substantia legitur, res Dei, non Deus accipiatur; quamquam et aliud quod scriptum non est, B pariter profitearis, id est, Deum ex Deo, lumen ex lumine : quid ad hæc dicis? Aut totum mecum tene, aut totum omitte. Si enim unius substantiæ vocabulum inde times dicere, quia scriptum non est; timere identidem debes Deum ex Deo, et lumen ex lumine profiteri.

Sed ego probo Deum de Deo, lumen de lumine, et unius substantiæ vocabulum [c] in divinis Scripturis contineri. Cum enim ipse Dei Filius, qui Deus est in Evangelio suo dicat : *Ego de Patre exivi* (*Joan.* XVI, 27), jure et merito Deum de Deo profitemur, quia de Deo Patre Filium Dei Deum verum de Deo vero natum esse cognoscimus. Sed non eo genere, ut nos dii sumus appellati (*Ps.* LXXXI, 6), vel ut Moyses Pharaonis deus est dictus (*Exod.* VII, 1) : sed C quia verus est Filius, [d] de vero Patre natus est ; vere et confidenter Deus de Deo dicendus, et sic lumen ex lumine.

Quod scriptum non est, mecum quidem dicis, sed mecum omnino [e] non sentis. Et quia scriptum est de Patre : *Deus lux est* (I *Joann.* I, 5) ; et de Filio : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9) ; et : *Lux lucet in tenebris* (*Ibid.*, 5); id est, Christus in sæculo; *et tenebræ eam non sunt assecutæ* ; ii scilicet homines quorum cor ignorantiæ tenebris obcæcatum est, Christum verum Deum, et verum Dei Filium non agnoverunt. Sed ipse Dominus : *Ego sum*, inquit, *lux mundi : qui me secutus fuerit, non ibit in tenebris, sed habebit lumen vitæ* (*Joann.* VIII, 12). Ergo quia lumen Pa- D ter, et lux Filius, recte lumen de lumine.

Sed lumen ex lumine ita asseris, quasi a Patre qui verum lumen est, aliud lumen sit factum, quod de ipsa Patris substantia non sit : sed sicuti aliud quodlibet lumen, quamquam a Deo sit factum, longe tamen aliud sit ab eo qui fecerit; et ideo lumen ex lumine, non de lumine dicis. Cum ergo hæc prælocutus sum, licet mecum non intelligas, tamen quomodocumque ipsa pronuntias, cum scripta non sint.

[a] Tell. cod. et Vigil. edit., *quamquam non immutaveris dictum*. Haud recto sensu.

[b] Gill. et Rom. edit., *facturam dici voluisse*. Perperam.

[c] Teller., *in scripturis dominicis*.

[d] Vigil. edit., *de vero Patre natus, non factus est*.

[e] Omnes exarati atque editi cod. Ambrosii nomen præferentes, *non sentis, ut quia scriptum est de Patre : Deus lux est quæ illuminat omnem hominem.... id est, Christus in cœlo ; et tenebræ..... Hi scilicet homines... non agnoverunt : sed ipse*, etc. Nos vero locum ex edit. Vigil. restituimus.

An non et unius substantiæ vocabulum, quod in Scripturis non putas contineri, mecum pariter profiteris : nisi quia illic habuisti quomodo malignos sensus tuos occulta fraude in utroque contegeres ; ut mecum hoc ipsum sono vocis exprimeres, sed tamen longe dicti intelligentiam separares?

Sicuti et illi hæretici qui resurrectionem carnis negant ad decipiendas [a] animas simplicium, væ dicunt his qui in carne non resurgunt. Sed si discutias eos cur hoc dixerint, cum scias illos carnis resurrectionem omnino negâre, dicent tibi : Væ utique illi erit, qui in carne baptizatus non fuerit, ut anima ipsius dum in corpore est, de morte delictorum suorum, ut de sepulcro criminum per baptisma, in eadem resurgat. Solius enim animæ per lavacri vitalis gratiam resurrectionem in carne defendunt ; nam et ipsius carnis salutem excludunt. Et hi per verisimilem confessionem innocentium mentes occulta fraude seducunt. Et ut solet lethale poculum mellis dulcedine temperatum, suavitate fallente, perimere ; sic et hoc malum per blandimentum aurium, audientium sensus quadam labe contaminans, contagione vitii adhærentis inficit.

CAPUT IV.

Quo argumento Ariani Deum non esse substantiam probare contendant. Ejusdem argumenti dissolutio.

Denique et nunc possent ὁμοούσιον sicuti et cætera verbo tenus nominare, si haberent quomodo illud ad aliam intelligentiam scævo sensu perverterent : sed cum viderent se in hoc verbo concludi, nullam omnino mentionem hujus fieri voluerunt ; ne aut profitendo hoc crederent, aut credentes professi viderentur : subtili ingenio excusantes, quod aut scriptum non esset, aut Deum in substantia dici non oportere, ne corporeus crederetur.

Deus etenim, inquiunt, efficit ut sit substantia, non tamen ut ipse Deus in substantia deputetur ; quippe, aiunt, cum omnis substantia contraria recipiat. Deus vero qui nihil diversum admittere potest, substantia dici non debet.

Ignoscerem tibi si hoc simpliciter diceres, si rudis ad hanc quæstionem accederes, si non ipse esses, qui semper vel de alia substantia, vel de nullis exstantibus Dei Filium asserebas : at cum idem ipse sis, qui hinc sæpe convictus, sæpe confessus, sæpe negasti, sæpius aliter immutando damnatus es : qui etiam [b] nunc vi, ambitione et potentia exagitans, turbas omnia ; quomodo putas me ignoscere tibi posse frequentius eadem retractanti? Sed ne videatur hæc perversitas præjudicata magis quam examinata damnari, breviter tibi de hac oppositione respondeam.

Prohibes itaque in Deo substantiam nominari, quasi omne quod substantia dicitur, res ipsa unius generis habeatur. An ignoras aliter cœlestia, aliter terrena constare ; sed et in ipsis cœlestibus rebus atque mundanis magnam differentiam interesse? Aliter enim angeli, aliter singulæ Virtutes constitutionum suarum substantias acceperunt, sicuti Apostolus ait : *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum* (I *Cor.* XV, 41). Sic et in hoc mundo, ut diversa genera rerum, ita et diversa corpora animantium ; et omnibus sui cujusque generis substantia, sicut Apostolus dicit : *Non omnis caro eadem caro* (*Ibid.*, 39).

Si ergo ea quæ a Deo facta sunt, diversas qualitates substantiarum suarum habent ; tu putas in Deo talem esse substantiam, qualem habet aliquid horum quod factum est, ut possit contraria recipere? Absit. Quæ est enim substantia Dei? Ipsum quod Deus est simplex, singulare, purum, nulla concretione permixtum, limpidum, bonum, perfectum, beatum, integrum, sanctum totum. An tu putas inane aliquid esse et vacuum, quod est Deus? Hoc enim dici blasphemia est, ut inane putetur, per quem cuncta constiterunt, qui omnia Verbo edidit, ratione composuit, virtute perfecit, cujus nutu et imperio universa reguntur, cuncta deserviunt.

Et bene de Deo legis scriptum : *Ego sum, qui sum* (*Exod.* III, 14) ; et : *Qui est, misit me* (*Ibid.*). Et ipse Salvator Dominus : *Hæc est*, inquit, *vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3). Est ergo [c] in substantia essentia sua Deus, cujus cognitio vita æterna est, qui et tantus est, quantus dici non potest. Qui tunc digne æstimatur, cum inæstimabilis dicitur, utique velis ac nolis.

Ergo ipsum quod est, hoc est substantia rei, quæ esse defenditur ; quod tamen jam dictum est, quantum et quale sit, nec mente concipi, nec sensu æstimari, nec animo definiri potest ; dummodo constet esse quod esse creditur ; ut de eo ipso quod Deus est, inde sit Filius, ut verus sit Filius, et verus sit Pater in Filio, et Filius in Patre. Hoc erit ὁμοούσιος, id est, unius substantiæ cum Patre, sicut ipse Dominus ait : *Ego in Patre et Pater in me* (*Joan.* XIV, 10); et : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30) ; et : *Ego de Patre exivi* (*Joan.* XVI, 28) ; et : *Qui me videt, videt et Patrem meum* (*Joan.* XIV, 9).

Non immerito, quia Filius Dei de Deo Patre natus est ; et ideo de unitate substantiæ, et de majestate deitatis unum sunt, sicuti et Hieremias prophetavit : *Quis stabit in substantia Domini, et videbit Verbum Domini* (*Jerem.* XXIII, 18, *sec.* LXX)? Et iterum : *Si stetissent in substantia mea, et si audissent verba mea*,

[a] Hunc etiam locum nobis edit. Vigil. restituit, cum haberetur in mss. et edit. Ambrosianis in hæc verba, *animas simplicium, dicunt his quia in carne non resurgant..... dicent tibi : Utique ille erit*, etc., inepto sensu.

[b] Ambros. edit. cum ms. Tell., *nunc in ambitione exagitans*. Vigil. edit. cum Læt. cod., *vi, ambitione;* sed sola edit. Vig. addit, *et potentia*.

[c] Ita omnes edit. et cod. Læt.; at Vigil. edit. resecuit, *essentia sua*, pro quibus Tell. cod. substituit, *sententia sua*. Verum recepta lectio non est mutanda ; idem ea significat, ac si scribatur, in ordine substantiæ per essentiam suam.

avertissem eos ab studiis eorum pessimis (*Ibid.*, 22). A
Et apud Salomon: *Substantia mea, dulcedo mea est* (*Sap.* XVI, 21).

CAPUT V.

Cum unitas substantiæ in Patre et Filio, non solum prophetica, sed et evangelica auctoritate comprobetur, dici non potest in sacris litteris ὁμοούσιον *non inveniri. Quæ sit ratio nominis. Præterea, si ad aliquam similitudinem velit Arianus in Deo comparationem instituere, non potest expressius comparatum definire, nisi cum dicat,* lumen ex lumine.

Cum ergo hanc unitatem substantiæ in Patre et Filio non solum prophetica, sed et evangelica auctoritate cognoscas; quomodo dicis in Scripturis divinis ὁμοούσιον non inveniri, quasi aliud sit ὁμοούσιον quam B
quod dicit: *Ego de Deo Patre exivi* (*Joan.* XVI, 28), et: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30); vel quod prophetæ ex aperto substantiam Dei intimabant?

Hæc est autem nominis ratio, ut in Patre et Filio unitatem substantiæ credas, licet rem ipsam quæ est inenarrabilis, definire non possis: ut sive lumen de lumine dicas, sive verbum de verbo, sive spiritum de spiritu, sive Dominum de Domino, quodcumque de eo dixeris, unius tamen essentiæ Patrem et Filium credas, et de eo ipso quod Pater est, Filium intelligas. Nam si aliquam comparationem de rebus his quæ videntur, in eo facias; ipsa dissimilitudine rerum non rationem ostendes, sed altercationem disputationum induces, [a] ut cujus voce descriptum est: *Cui me comparabitis* (*Isai.* XLVI, 53)? Ac proinde C
Deus cui assimilari nihil potest, sufficiat credi, quod ipse sentitur, quem ipse credi se voluit, non indicari.

Denique si de hoc ipso quod mecum profiteris, ad aliquam similitudinem velis in Deo conferre, nescio an quod comparaveris, possis expressius definire: ut puta, cum dicis lumen ex lumine, si ad explanandum illum scrupulosa narratione cogaris, quæro quomodo lumen ex lumine credas? Utrum quasi lucernam ex lucerna, vel quasi solem ex sole; ut aut duas lucernas, aut duos soles, quasi duos deos sub hoc exemplo inducas? Aut splendorem luminis ejusdem lucernæ, vel claritatem solis de eodem sole fulgentem, lumen de lumine consignes, ut in matricem luminis Patris figuram assimiles, Filium vero in splendorem claritatis ostendas; quod de eo propheta dixerit: *Apud te est fons* D
vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen (*Psal.* XXXV, 10); vel Salomon, cum dicit: *Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius* (*Sap.* VII, 26); vel Apostolus hic (*Coloss.* I, 15) prædicaverit Salvatorem nostrum imaginem esse invisibilis Dei, eo quod imago [b] solis lux sua sit, quæ de eodem sole procedit.

Sed quanta ad hæc responderi possunt quæ lites generant, quod Apostolus prohibet (II *Tim.* II, 24), longum est dicere: quippe cum constet lumen illud quod Deus est, æstimari, comprehendi et definiri non posse: nec vere aliquid ex his quæ in hoc mundo sunt, majestati divinæ comparari; quia nihil de omnibus istis quæ videntur aut dicuntur, secundum id quod Deus est, condigna similitudine æstimari potest, quippe cum ipsis intellectibus et sensibus major sit.

Ideo præmonuit ut divinitatem substantiæ crederes, et verum Filium de vero Patre cognosceres: de qualitate autem rei requirere non deberes; quia quale aut quantum sit, scire non possis. Hoc enim prophetæ, hoc apostoli prædicarunt.

CAPUT VI.

Quid sit Deus. Utrum ei aliquid possit comparari. Ratio quædam est, quæ apud Græcos Λόγος *nominatur, quæ inter Patrem et Filium personas vel vocabula distinguit. Illa Ratio multis nominibus appellatur. Qua de causa singula de Filio dicantur.*

Denique pro captu, pro viribus, pro fide nostra intueamur Deus quid sit, et videamus an ei aliquid possit comparari. Certe hic est, de quo et cum dicitur, non potest dici: cum æstimatur, non potest æstimari: cum comparatur, non potest comparari: cum definitur, ipsa sua definitione crescit. Qui cœlum manu sua aperit, pugno omnem ambitum mundi claudit. Quem totum omnia nesciunt, et metuendo sciunt. Cujus nomini et virtuti famulatur hic orbis, et ipsa elementorum sibi succedentia momentanea vicissitudo testatur. Vide ergo si potest aliquid esse, cui possit Pater comparari et Filius; quia talis est Filius, qualis et Pater: non enim ipse se unum cum Patre diceret, nisi talem se, qualis est Pater, sciret.

Ratio quædam est, quæ apud Græcos Λόγος nuncupatur, quæ inter Patrem et Filium personas vel vocabula distinguit; quia et ipse Filius Ratio dicitur. Quæ tamen Ratio multis nominibus appellatur: modo Verbum, modo Virtus, modo Sapientia, modo dextera, modo brachium, modo margarita, modo thesaurus, modo retia, modo aratrum, modo fons, modo petra, modo lapis angularis, modo agnus, modo homo, modo vitulus, modo aquila, modo leo, modo via. Et ita cum sit Deus omnia in omnibus, ut per hæc vocabula divinarum dispositionum mysteria cognoscantur, non ut ipsa majestas Filii Dei proprie definita monstretur.

Quid est enim Filius de eo quod Pater est? Alius idem. Nam [c] et ob hoc Verbum nuncupatur, quia ex proprio divino ore processit, et nihil Pater sine eo aut jussit aut fecit. Virtus dicitur, quia vere de Deo et semper cum Deo est, et omnis potestas Patris in ipso consistit. Sapientia appellatur, quia de corde Patris adveniens, arcana cœlestia credentibus reseravit. Dextera nuncupatur, quia per eum omnia opera divina perfecta sunt. Brachium dicitur, quia ab ipso omnia continentur. Margarita appellatur, ut nihil illa

[a] Vigil. edit. sola: *Et quia ex voce Dei scriptum est.*
[b] Vox *solis* in edit. desideratur, quam e cod. Tell. restituimus integritati sensus non inutilem.

[c] Ambr. edit., *Nam et hoc Verbum;* melius Vigil. et codex Tell., *Nam et ob hoc,* id est, ob hanc rem, etc.

pretiosius habeatur. Thesaurus dicitur, ut in ipso omnes opes et divitiæ regnorum cœlestium conditæ agnoscantur. Retia dicitur, quia per ipsum, et in ipso de mari sæculi diversa gentium multitudo sicut piscium per aquam baptismatis in ecclesia congregatur, ubi bonorum malorumque discrimen agnoscitur. Aratrum nuncupatur, quia signo crucis suæ dura pectora subjiciuntur, [a] ut necessario semini ipsa præparentur. Fons aquæ vivæ appellatur, quia ex eo sitientia corda cœlestis aquæ gratia irrigantur. Petra dicitur, quia credentibus fortitudinem, incredulis duritiam præstat. Lapis angularis dicitur, quia utrosque parietes novi et veteris Testamenti unus et mediator in semetipso continens copulavit. Agnus dicitur, ut innocentia Christi et passio demonstretur. Homo dicitur, quia secundum carnem propter nos homines nasci dignatus est. Vitulus dicitur, quia propter nostram salutem pati sustinuit. Aquila dicitur, quia post venerabilem resurrectionem, [b] ut rex alitum ad Patris pervolat sedem. Leo dictus est, quia ipse est rex regum, qui mortem ac zabulum virtutis suæ potestate comminuit. Via est, quia per ipsum ascensus est. Veritas, quia mendacium nescit. Vita est, quia ipse universa vivificat.

Vides ergo per hæc vocabula significationes et dispositionum et operum divinorum præostensas; non tamen ipsum Deum proprie definitum? Est ergo Pater Deus immensus, æternus, incomprehensibilis, inæstimabilis. Est et Filius ejus Deus et Dominus noster, tantus, quantus est et Pater: sed non aliunde quam de Patre: quia *Ego*, inquit, *de Patre exivi*, hoc est, lumen de lumine.

CAPUT VII.

De remotione occasionis erroris quam hæreticus homo ex hoc capere posset, quod duo nomina vel duæ personæ, id est, Patris et Filii, statuantur, quasi duo dii dicantur.

Sed ne ex eo occasionem aliquam hæreticus capiat, cum duo nomina, vel duas personas, id est, Patris et Filii statuo, quasi duos deos dicam, ut illi duos ex diversitate confingunt: nos autem Patrem et Filium ita nominamus, ut unum Deum in his personis et nominibus consignemus. Viderint philosophi, viderint hæretici discipuli eorum, qui potestatum diversitate variantur: *Nobis* tamen *unus Deus est Pater*, ut Apostolus dixit (I *Cor.* VIII, 6), *ex quo omnia; et nos ex ipso: et unus Dominus Jesus Christus*, Deus Dei Filius, *per quem omnia; et nos per ipsum.*

Nam per duo quid aliud intelligitur, quam duorum per partes divisa substantia, [c] et cum nominibus ipsis dissociata natura agendi ac jubendi tam voluntas, quam imperia divisa? Porro Pater ac Filius etsi duæ personæ creduntur, ratione tamen et substantia unus sunt. Nam inæqualium societas melioris offensa est; et in injuriam ejus qui verus Deus est, non verus alius comparatur. Cum autem ego Patrem et Filium statuo, unitatem generis assigno: et si illam in personis divido; discretiones tamen personarum rursus eadem nomina in unitatem sui naturali legis fœdere consignant.

Unde et tantus est Filius, quantus videbitur Pater, totus de toto, integer de integro, perfectus de perfecta consummataque virtute, sicut Apostolus dicit: *In quo omnis plenitudo divinitatis corporaliter habitat* (*Coloss.* II, 9). Nam [d] et Hieremias receptissimus prophetarum, hanc unitatem divinitatis in Patre et Filio sciens ait: *Hic est Deus noster, et non deputabitur alius absque illo: qui invenit omnem viam prudentiæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch.* III, 36-38). Et Esaias hoc ipsum prædicat dicens: *Hæc dicit Dominus Deus: Fatigata est Ægyptus, et negotiatio Æthiopum; et Sabaim viri excelsi ad te transient: tui erunt servi, et post te ambulabunt vincti compedibus, et te deprecabuntur; quoniam in te Deus est, et non est alius Deus præter te: tu es enim Deus* (*Isa.* XLV, 14).

Quod ne putes me eo supercilio dixisse quo Sabellius fertur, qui ipsum Patrem, ipsum Filium profitetur; non ita nos totum in unam sententiam cogimus, ut aliorum hæreticorum fraude capiamur. Sed quia in ipso nomine personarum auctoritas indiscreta cognoscitur, et Filius non genere, sed personaliter a Patre nominatur; proinde totum Patri ascribimus, quod est Filius; et totum Filio, quod Pater est. Nihil non videbitur Patris, quod judicabitur Filii: nec Filii, quod defenditur Patris; quia unitas majestatis non sinit deos plurali vocabulo appellari: quippe cum constet Patrem et Filium unius esse substantiæ, unde uterque unus Deus est dictus.

Illud ante cuncta metuentes, [e] quia nisi Pater et Filius unum non sint, in invidiam recurrat auctoris interpolata nativitas; hoc enim placuit hæreticis, ut Deus ille omnipotens, invisibilis, immensus degeneraret in Filio, [f] non modo potestate, sed conditione mutata, quasi non potuerit Pater de semetipso talem habere, qualis et ipse est. Proinde nos verum Filium de vero Patre, qui semper fuit, et est unius substantiæ cum Patre, defendimus. Et hoc est, quod Græci ὁμοούσιον appellant, id est, cum uno aliud ipsum; [g] ut personæ audientia nominatim fierent, et non ut substantiam vocabula separarent.

[a] Edit. Ambr., *ut necessariora in ipsa;* cod. Tell., *ut necessaria in ipsa:* optime Vigil. ut in textu.

[b] Ita codex Tell. et edit. Vigil. Ambr. vero *ut rex altum ad Patris*, etc.

[c] Ambr. edit. cum cod. Tell. et Læt., *et cum omnibus ipsi dissociata;* Vigil. concinnius, ut in textu.

[d] Rom. edit. sola, *Nam et Baruc*. Sed et hunc Hieremiæ nomine etiam ab Ambrosio citari non semel advertere licet.

[e] Vet. edit., *quod ubi Pater;* Vigil., *ne si Pater;* mss., *quia nisi Pater*. At seq. membro ubi vet. edit. ac mss. *invidia recurrat*, multo melius Vigil., *in invidiam recurrat.*

[f] Ita edit. Vigil. cum in aliis ac mss. habeatur: *Non modo potest esse de conditione;* nullo sensu.

[g] Vet. edit., *ut personæ audientis nominatim.*

CAPUT VIII.

Hæreseos Arianæ mysterium detegitur. Cur Filium de substantia Patris credi nolint. Arianis argumentis respondetur. Multum interest inter ea quæ facta sunt, et eum qui omnia fecit. Quemadmodum in multis ac variis figuris Deus se patribus ostenderit, qui tamen secundum deitatem videri non potuit. Disputationis conclusio.

Sed ut omne mysterium hæresis Arianæ traducam; cur nolint Filium de Patris substantia credi, breviter intimabo. Aiunt enim : Cum sit Deus Pater omnipotens, invisibilis, inconvertibilis, immutabilis, perfectus, semper idem, æternus : Filius vero visibilis, quia sæpe patribus visus est; et convertibilis atque mutabilis, quia in variis figuris quibusque sese monstravit : qui si de Patris, inquiunt, esset substantia, numquam fieri posset, ut ante carnis assumptionem aut visibilis aut mutabilis cerneretur; quin potius in æqualitate qua Pater est, permansisset, ex cujus substantia erat; quia quod de Patre est, nec videri, nec mutari, nec converti posse credendum est.

Accedit ad causam, quia cum illapsus est in Mariam, cum Virginis uterum opplevit; aliud utique ex illa, quam quod venerat, natum est. Unde jam, inquiunt, corrupta substantia [a] statum vertit, ordinem perdit, continuo immutatione ipsa formandus de Deo in hominem, de spiritu in carnem. Et utique translatio omnis interemptio est pristini. Ac per hoc aiunt : Si Filius de Patris substantia esset, jam et Patrem minorem videri substantiæ suæ vel traditione, vel fine : et proinde Filium ex alia substantia credere maluerunt, quod converti, et mutari, et videri posset; quia hoc de Patris substantia credi non liceat.

Hæc est causa erroris, hæc origo hæresis Arianæ : dum non intelligunt virtutem Dei, neque tanti sacramenti dispositionem agnoscunt, ut Deum humanis conditionibus comparent. [b] Quibus primo respondendum in loco Filium Dei non ita visum, ut Deus erat, sed ut homo capere poterat de Deo; deinde variis figuris non mutabilem et convertibilem ipsum esse, sed hoc esse potentiæ Dei, ut cum se singulis, prout vult, revelare dignatur, habitum mutet, non substantiam vertat : nec proprietatem qualitatis amittat, sed juxta meritum videntis temperamentum majestatis adhibeat: ipse tamen idem, ut semper est, in substantiæ suæ proprietate permaneat, sicut scriptum est : *Mutabis eos et mutabuntur : tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* CI, 28).

Nam etsi multa sunt ex his quæ in hoc mundo videntur, quæ ex alio convertantur in aliud, ut desinant esse quod erant, et hoc sint quod retro non

A fuerant; ut limus cum in hominem figuratur, limus esse jam desinit : aut pisces, aut aves cum de aqua procedunt, ex eo jam non aqua, quia aliud : ut lutum figuli, cum solidatur in testam : ut lapis, cum dissolvitur decoctus in calcem : ut arena, cum mutatur in vitrum, et cætera quæ longum est recensere. Sed multum interest, stulte hæretice, inter ea quæ facta sunt, et eum qui omnia, quemadmodum voluit, fecit. Quæ facta sunt, ascriptæ conditioni deserviunt : qui vero fecit, suæ voluntatis et proprii juris est. Neque potest in aliud, quam quod est, aliquo cogente, mutari : sed prout vult, et cui vult, se demonstrat. Nam si angeli in figura hominum sæpe sunt visi, et tamen aliud non sunt, quam quod se esse norunt, neque substantiam mutant, cum formam humani B corporis sumunt; quanto magis ipse Dominus noster, qui omnia fecit, qui ipsis angelis, ut hoc possent, sua institutione concessit?

Huc accedit quod sic Filium Dei, ut jam dictum est, visum a patribus approbamus, ut non totum in illo, quod Deus est, videretur : sed dispositiones rerum futurarum, quæ suis quibusque temporibus complendæ erant, in illo per imaginem cernerentur. Nam quis Filium Dei videre potuit, antequam conspicabilem materiam, sicut ei placuit, assumpsit, vel ipsum hominem induere dignatus est?

Qui etsi Abrahæ visus est (*Gen.* XVIII, 1), sed in forma humani corporis visus est, quo scilicet postremis temporibus in homine venturus esse ostenderetur.

C Jacob etiam alibi in angelo, alibi æque videtur in homine (*Gen.* XXVIII, 13). Qui ideo se in angelo demonstravit, ut nuntium se magni consilii indicaret : in homine vero, cum quo et colluctatus fuisse describitur; ut imaginem futuræ colluctationis quam cum Israel habiturus erat, cum secundum hominem advenisset, præcipue indicaret. Sed ut Dominum crederet, cum quo tanto certamine sub figura hominis luctabatur, Israel (*Gen.* XXXII, 24), id est, homo videns Deum, nomen accepit. *Vidi*, inquit, *Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea* (*Ibid.*, 30). Et utique figuram hominis viderat, quam Deus Dei Filius induerat.

Moysi in rubo in flamma ignis apparuit (*Exod.* III, 2), ut lumen credentibus, incredulis judicium D demonstraret; quia Christus credentibus salus est, non credentibus pœna, ut Apostolus ait : *Aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem* (II *Cor.* II, 16).

Populum Israel in columna nubis per diem, et per noctem in columna ignis quasi dux itineris præcedebat (*Exod.* XIII, 21); ut baptismi gratiam per nubem, et donum sancti Spiritus per ignem ostenderet; quia apostolus Paulus in nube patres baptizatos

Vigil. et mss., *ut personæ audientia nominum* (mss., *nominatim*). Quod autem ad dictionem ὁμοούσιον auctor explicat *cum uno aliud ipsum* : hoc Ambrosius paulo fusius exhibet lib. III *de Fide* cap. 15, num. 126, quem locum a Basilio desumptum videri annotavimus.

[a] Ambr. edit. et cod. Lat., *statim vertit ordinem, perdit continuo immutationem, ipsa formando*; Tell., *mutationem ipsam formando*, secunda manu, *ipsa formandi* : aptius edit. Vigil. ut in contextu.

[b] Tell. cod. et Vigil. edit., *quibus primi in loco respondendum est Filium*, etc.

scribit (I *Cor.* x, 2), et Spiritum sicut ignem esse A Apostolorum Acta declarant (*Act.* I, 3).

Vides ergo per omnia, hæretice, characteres divinarum Scripturarum in honorem Dei patribus præostensos; non tamen ipsum Deum, ut est proprie revelatum. Denique cum Moyses oraret ut faciem Dei pure videret, quid ad illum continuo Deus? *Non poteris*, inquit, *videre faciem meam; non enim videbit homo faciem meam, et vivet* (*Exod.* XXXIII, 20). Hoc ipso quod negatur aspectus, claritas assignatur, quæ scilicet tanta est, quanta credenda est, quæ invisibilis indicatur. Cum ergo Moyses qui et situm cœli, et ordines mundi, et elementorum vices, totius denique orbis ornamenta digesserit, indicarit, expresserit; cui ipse Dominus testimonium perhibuit dicens : *Nemo erit ex prophetis ut servus meus Moyses,* B *cui facie ad faciem, ore ad os locutus sum* (*Num.* XII, 7, 8); Deum tamen pure videre non potuit. Merito quidem prophetia omni dignus, sed non usque adeo ut intueri Deum valeret, qua homo tantummodo esset.

Et utique hæc omnia Filii verba defendimus, quem in monte Sina cum Moyse locutum esse scimus (*Exod.* XXXI, 18), qui agendis explicandisque rebus a Patre advenerat; quia omnia a principio per ipsum et ordinari, et explicari, et manere convenerat, ut habendi Filii hæc præcipua ratio constaret. Et tamen sic visus accipitur, ut alicujus conspicabilis, ut dixi, materiæ dispositione assumpta videretur, salva scilicet invisibilitate ejus, quam a conspectu omnium majestas interfusa seposuit. Non enim sic humanis aspectibus revelatus est, ut tota C in illo deitas appareret : sed ad vicem speculi cum conceptos intra lucem suam vultus quasi ad plenam effigiem hominis includit; [a] ita majestatis ejus præeunte fulgore, intra id visum est, quod imaginem veritatis, non ipsum Deum proprie demonstraret.

Sic et cum hominem induere dignatus est, non labem æternitati intulit; ut spiritum in carnem mutaret, sed ut suscepto homine immortalitatem atque æternitatem cœlestis vitæ præstaret. Nam etsi Apostolus semet ipsum exinanisse dicit (*Philipp.* II, 7), formam servi suscipiendo; non utique sic exinanitum accipimus, ut aliud, quam quod fuerat, [b] idem Spiritus fieret : sed ut seposito interim majestatis suæ honore, humanum corpus indueret, quo suscepto, salus gentium fieret. Ut enim sol cum nube tegi- D tur, claritas ejus comprimitur, non cæcatur; et lumen illud quod toto orbe diffusum claro splendore cuncta perfundit, parvo admodum obstaculo nubis includitur, non aufertur : sic et homo ille quem Dominus Jesus Salvatorque noster, id est, Deus Deique Filius induit; [c] Deum tamen in illo non intercepit, sed abscondit.

Denique cum in monte se paululum extra ipsum hominem extulisset (*Matth.* XVII, 6), fulgore luminis ejus pene obcæcati apostoli in terram quippe homines ceciderunt, periclitati vitam, nisi eis Dominus compresso rursum majestatis suæ honore ut misericors subvenisset, secundum illam sententiam : *Nemo vidit Deum, et vixit* (*Exod.* XXXIII, 20). Ut ergo claritas solis, [d] cum non usque ad nostros emicat visus, sibi salva est; quia quod non videtur, infirmitatis est nostræ quorum oculos nubium texit obscuritas : [e] ita probat se non suo detrimento proprii latuisse fulgoris; sed carnis, ut dixi, beneficio, cujus causa Filius Dei filius hominis esse sustinuit.

Nempe enim de Spiritu Dei Virgo concepit, et quod concepit, hoc peperit, id est, Deum homini suo, ut jam dixi, sociatum, sicut ipse dixit : *Quod nascitur de carne, caro est; et quod nascitur de spiritu, spiritus est* (*Joan.* III, 6) : quia Deus spiritus est, et de Deo natus est. Sicut et Angelus ad Mariam Virginem dixit : *Spiritus Dei veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit te : propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 35).

Vides ergo ipsum spiritum, id est Filium Dei venisse ad virginem; et inde Dei et hominis Filium processisse : nec tamen ipso indumento carnis Dei Filium esse mutatum; sed eumdem ipsum esse in homine, qui fuerat ante mundum cum Patre; per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil, sicut Evangelista ait : *Mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit* (*Joan.* I, 10).

Cæterum amentis est credere ab eo posse liberari, qui ut liberaret, amissus est; ut nasceretur, oppressus est : ut immortalitatem reciperet, transivit ad mortem. Sed absit, hæretice, ut sensus tuæ iniquitatis a catholicis admittatur : nos enim credimus immutabilem et inconvertibilem, Verbum et Spiritum, id est, Filium Dei; qui cum hominem induit, non statum vertit, non ordinem perdidit, non substantiam immutavit : sed illuvias ejusdem corporis æterno claritatis suæ lumine illustravit; ut ad nos per tramitem corporis ejus lux sancti Spiritus, et æternæ vitæ gratia redundaret.

Quem etsi passum credimus et sepultum; sed homo ille passus est, quem Filius Dei suscepit, quem induit, quem portavit. Sed quia totum ad auctorem referebatur, quidquid homo ille patiebatur : ideo mors et passio Domini indicatur; nam constat immortale esse, quod Dei est : hominis, quod caducum.

Tertia quoque die resurrexit, non Deus in hominem, sed homo potius in Deum.

Ascendit in cœlos, obtulit Patri suo hominem illum gratissimum munus, consedit ad dexteram Patris, secundum quod scriptum est : *Dixit Dominus*

[a] Vet. edit. et ms. Tell.: *ita majestas ejus ... intra id visum esset : magis* concinne Vigil. edit. cum Læt. mss., *ita majestatis ejus.....intra id visum est*, hoc est, sub his conditionibus visio conceditur.

[b] Gill. et Rom. edit., *idem Christus fieret;* aliæ ac mss., *idem spiritus fieret*. Minime male, supra enim scriptum legimus, *ut spiritum in carnem mutaret*.

[c] Vigil. edit., *divinitatem in illo*, etc.

[d] Ambr. edit ac mss., *cum usque ad nostros;* Vigil. edit. negationem adjicit, quam quidem illic necessario sensus exigit.

[e] Vigil. edit., *ita et majestas illa divina, quæ, ut dixi, corpus induerat, probat se non suo*, etc.

Domino meo : Sede ad dexteram meam (*Psal.* CIX, 1).

Misit nobis Spiritum sanctum de propria sua, et ipsa una substantia sua, protectorem, sanctificatorem et deductorem in vitam æternam, sicut scriptum est ex voce Dei : *Effundam de Spiritu meo super servos meos, et ancillas meas* (*Joel.* II, 29). Et iterum : *Spiritus ex me prodibit* (*Isai.* LVII, 6). Et ipse Dominus Salvatorque noster : *De meo*, inquit, *accipiet* (*Joan.* XVI, 15); ex eo utique quod est Filius, quia et Filius de eo quod Pater est.

Exinde præfinito tempore venturus, vivos mortuosque judicaturus; ut reddat credentibus præmia, non credentibus vero supplicia.

Cujus regnum æternum, immortale; nec initium A habet, nec terminum : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum.

Hæc qui legis, per Deum obsecro, ne simplicitatem sensus in ambiguum torqueas, aut alias quam dicta sunt, trahas; quia nos Patrem verum Patrem confitemur, et Filium Dei verum Filium Dei, et Spiritum sanctum vere Spiritum sanctum credimus : tres personas unius substantiæ, et unius divinitatis confitentes. Sabellii autem et Photini, nec non Arii sectam, et si qua alia sunt quæ contra regulam veritatis veniunt, condemnamus. Nicænæ autem synodi tractatum omni animi nisu ex tota fide servantes, amplectimur : hunc enim tractatum scimus contra omnes hæreses invicta veritate oppositum.

III.

LIBELLUS FIDEI.

Credimus [a] unum Deum, Patrem omnipotentem, et unum unigenitum Filium ejus Deum et Dominum Salvatorem nostrum, et Spiritum sanctum Deum : non tres Deos Patrem et Filium et Spiritum sanctum, sed unum Deum esse confitemur. Non sic unum Deum, quasi solitarium, nec eumdem, qui [b] ipse sibi Pater sit, ipse et Filius; sed Patrem verum, qui genuit Filium verum, [c] ut est Deus de Deo, lumen de lumine, vita ex vita, perfectum de perfecto, totum a toto, plenum a pleno; non creatum, sed genitum; non ex nihilo, sed ex Patre, [d] unius substantiæ cum Patre : [e] Spiritum vero sanctum Deum, non ingenitum, neque genitum; non creatum, nec factum; sed Patris et Filii, semper in Patre, et Filio [f] coæternum. Veneramur tamen unum Deum : [g] quia ex uno Patre totum quod Patris est, natus est Filius Deus; et in Patre totum quod inest, [h] totum genuit Filium. Pater Filium generans non minuit, nec amisit plenitudinis suæ deitatem : totum autem [i] quod Deus Pater est, id esse et Filium ab eo natum, certissime tenentes. Cum Spiritu sancto unum Deum piissime confitemur JESUM CHRISTUM Dominum nostrum, Dei Filium, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlis et quæ in terra, visibilia et invisibilia : propter nostram salutem descendit de cœlo; qui B numquam desierit esse in cœlo : natus de Spiritu sancto ex virgine Maria. Verbum caro factum non amisit quod fuerat, sed cœpit esse quod non erat. [j] Non demutatum sed permanentem etiam hominem natum, non putative, sed vere; non aerium, sed corporeum; non phantasticum, sed carneum; ossa, sanguinem, sensum et animam habentem; [k] ita verum Deum et verum hominem intelligimus : ita verum hominem verum Deum fuisse nullo modo ambigimus. Confitendum est hunc eumdem Dominum nostrum JESUM CHRISTUM adimplesse legem et prophetas, passum sub Pontio Pilato, [l] crucifixum secundum Scripturas, mortuum et sepultum secundum Scripturas, tertia die a mortuis surrexisse, assumptum in cœlos, sedere ad dexteram Patris; inde ventu- C rum judicare vivos et mortuos exspectamus. In hujus morte et sanguine mundatos [m] remissionem peccatorum consecutos; resuscitandos nos ab eo in his corporibus et in eadem carne qua nunc sumus; sicut et ipse in eadem carne qua natus est et passus et mortuus, resurrexit : et animas cum hac carne [n] vel corpora nostra ab eo, aut vitam æternam, præmium boni meriti, aut sententiam pro peccatis æterni supplicii recepturos.

[a] *Unum.* Codd. Vat. et Vallic., *in unum.* Mox, *in unum unigenitum Filium ejus Jesum Christum Deum.*

[b] *Ipse sibi.* Codd. Lucens., *ipse sit Pater, sit ipse et Filius.*

[c] *Ut est D.* Crab., *id est Deum de Deo.*

[d] *Unius subst.* Quesn., *et unius subst.* Conjunctionem omittunt nostri codd. et Crab.

[e] *Spiritum vero sanctum D.* Ita cum Crab. codd. mss. Apud Quesn., *et Spiritum sanctum verum Deum.*

[f] *Coæternum.* Crab. cum plerisque nostris codd. alia interpunctione, *coæternum veneramur, unum tamen Deum.*

[g] *Quia.* Crab., *qui.* Mox Lucens., Vallic. et uterque Vat., *Deus natus est Filius.*

[h] *Totum gen.* Vat. 1342, *totum genuit in Filium.* Vallic. et alius Vat., *totum ingenitum, et in Filium.*

[i] *Quod Deus Pater est.* Ita codd. Vind. ac Thuan. consentientibus cæteris omnibus aliarum collectionum. Unus Quesn., *quod Pater est Deus, idem esse et Filium... certissime tenemus.*

[j] *Non demut.* Sic omnes nostri codd. et Thuan. Quesn., *non demutatum, sed permanens. Credimus hominem natum.*

[k] *Ita verum D.* Melior videtur lectio cod. Lucens., *ita verum hominem et verum Deum intelligimus, ut verum Deum verum hominem fuisse nullo modo ambigamus confitendum.*

D [l] *Crucifixum*, Quesn., *crucifixum et mortuum.*

[m] *Mundatos remiss.* Quesn. inserit *confitemur.*

[n] *Vel corpora nostra.* Hæc verba delevit Quesn. licet fateatur illa exhiberi in duobus Thuan. uti in omnibus nostris quinque codd. diversarum collectionum leguntur. Solus Lucens. post *vel corpora nostra* subjicit *accepimus.* Melius Vallic. et Vat., *accepturos*, deleto in fine verbo *recepturos :* pro quo Quesn., *recepturas.*

ANNO DOMINI CCCCI.

S. ANASTASIUS I PAPA.

PROLEGOMENA.

VITA S. ANASTASII I PAPÆ.

I.

(Ex libro pontificali.)

Anastasius, natione Romanus, ex patre Maximo, sedit annos tres, dies decem. Hic constituit ut quotiescumque sancta Evangelia recitarentur, sacerdotes non sederent, sed curvi starent. Hic fecit constitutum de Ecclesia. Hic fecit basilicam, quæ dicitur Crescentiana, in regione secunda, in via Mamertina in urbe Roma. Et hoc constituit, nulla ratione transmarinum hominem in clericatus honorem suscipi, nisi quinque episcoporum designaret chirographos, A quia et eodem tempore Manichæi inventi sunt in urbe Roma. Hic fecit ordinationes duas in urbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros octo, diacones quinque, episcopos per diversa loca decem. Qui etiam sepultus est in cœmeterio suo ad ursum pileatum, quinto kalendas Maii. Et cessavit episcopatus dies viginti unum.

II.

(Ex Const. Epist. Rom. Pontif.)

Hieronymus epist. 16, ad Principiam, ubi litteras ecclesiasticas Origenis fautoribus a Siricio datas me-

NOTÆ SEVERINI BINII.

Anastasius. Post obitum Siricii et interregnum viginti dierum, pridie idus Martias, anno Domini 398, qui est Arcadii et Honorii quartus, Anastasius, teste Hier. vir insignis, ditissimæ paupertatis et apostolicæ sollicitudinis, apostolicam sedem Origenistarum turbinibus agitatam occupat, *statimque*, inquit Hier. *noxium caput percutit, et sibilantia hydræ ora compescuit.* Joannes cognomento Chrysostomus Antiochia abductus, post obitum Nectarii, Constantinopolitanus episcopus eligitur: ejusque auctoritate Africanæ Ecclesiæ pax et concordia reddita fuit. Gainæ pro Arianis templum petenti negavit. Arianos in contumeliam consubstantialis cantilenas cantantes, cantilenis catholicis oppressit; ac demum tumultuantes, prohibitis eorum cantilenis, urbe expellit. Ob patrocinium miserabilium viduarum adversus Eudoxiam imperatricem, avaritia insatiabili laborantem, susceptum, ejus offensionem graviter incurrit. Hoc tempore præclarum illud de eucharistia miraculum contigit: quo buccella profana, pro sacra eucharistia dentibus admota, in lapidem conversa fuit. De quo Sozom. lib. VIII, c. 5, Origenis hæreses jam ante concilio Alexandrino damnatas, Anastasius auctoritate apostolica condemnat, et per encyclicas totum orbem terrarum hac de re certiorem reddit. Hieron. epist. 78 et Apol. lib. I.

Quibus damnatis, Rufinum, qui ea de causa S. Hieronymum scriptis suis graviter exagitarat, per litteras Romam evocat. Cum scriptis apologiis ad rem parum spectantibus se defenderet, et venire contemneret, in absentem sæpe vocatum damnationis sententiam intorquet. Hieron. apologia ad Rufinum, et epist. Anast. ad Joannem Hierosolymitanum.

Sedit annos tres. Verius annos quatuor, mensem unum et dies tredecim. Omnium enim consensu, obiit in fine mensis Aprilis; non quidem anni 401, sed 402. Nam ex concilio Africano III idibus Septembris, Vincentio et Flavita consulibus, sub Anastasio celebrato constat eum tunc adhuc in vivis superstitem fuisse. Quare cum auctoritate Marcellini comitis, et Prosperi in suis chronicis, initium Innocentii B referatur ad Arcadii et Honorii consulatum V, qui est Christi 402, ejusdem anni mense Aprili Anastasium e vita migrasse, atque adeo facta computatione annorum ab initio et sedis ingressu, tempore supradicto pontificatum tenuisse oportuit. Baron. anno 402, num. 42.

Constituit ut quoties Evangelia recitarentur, sacerdotes non sederent, sed curvi starent. Occasio hujus decreti sanciendi hinc fluxisse videtur. Tempore Anastasii Romæ inter presbyteros et diacones gravis contentio oborta fuit. Hi enim administrantes res Ecclesiæ, supercilio elati, presbyteros spernebant. Presbyteri autem in eosdem insurrexere, atque ex consuetudinis Romanæ Ecclesiæ præscripto, ipsis sedentibus eos stare debere contendebant. Sed eo usque contentio pertinax progressa est, ut etiam cum stantes diaconi coram populo legerent evangelium, presbyteri tamen minime a sessione exsurgerent. Anastasius itaque hoc factum merito detestatus, hujusmodi C decreto emendandum esse putavit. Hæc ex Augustino et Hieronymo Baronius anno 402, num. 45. Quod autem diaconi Romanæ Ecclesiæ majori fastu tumescerent, testimonio sancti Augustini, accidit partim propter magnificentiam urbis Romanæ, quæ omnium civitatum caput esse videretur: partim etiam quod ordinandis presbyteris astarent, causas diversorum ad summum pontificem referrent, acceptaque ab eo responsa petentibus redderent. Ex bonorum vero administratione, non Romæ tantum, sed ubique majore obsequio diaconi quam sacerdotes frequentabantur; eaque occasione adversus presbyteros cervicem erigebant. Apud S. Gregorium libro secundo epistola 14, 15 et 16. Honoratus archidiaconus Salonitanus conquestus est degradari se potius, quam D provehi, cum ab eo in presbyterum ordinari tentaretur, non aliam sane ob causam, quam quod diaconi majore honore propter bonorum administrationem sibi commissam a populo observarentur. Quid vero ad hujusmodi procaciam retundendam contra eos statutum sit, vide can. 18 concilii Nicæni, et Arelat. I.

moravit, adjungit: *Non multum temporis in medio. succedit in pontificatum vir insignis Anastasius.* Quibus verbis litteras illas iis quibus datæ fuerant haud multum profuisse innuit, quia brevi postea succedens Siricio Anastasius, malum quod Romæ intulerat Origenis περὶ Ἀρχῶν liber recens Latine conversus, compescere curavit. Insignem illum virum anno 398 Decembris 5 die, quæ in dominicam cadebat, Anton. Pagius ordinatum putat. Ipsius autem obitum Baronius et eruditi alii, fulti tum Prosperi et Marcelli comitis Chronicis, in quibus Innocentius anno 402 ei successisse ponitur, tum pluribus veteribus Martyrologiis, in quibus Anastasii dies festus Aprilis 27 die consignatur, ad 27 diem mensis Aprilis anni 402 differunt. Verum his refragantur non modo Socrates, qui lib. VII, c. 9, eum triennio sedem Romanam obtinuisse scribit, sed etiam veteres Romanorum pontificum catalogi, in quorum nullo pontificatus illius ultra tres annos ac dies 21 aut 22 prorogatur, in plurimis autem tantum annis tribus ac diebus decem continetur. Ubi obiter moneo accuratam non esse viri eruditi annotationem, qua Corbeiensem codicem medio sæculo VI exaratum, præ se ferre observat. *Anastasius annis* II..... *d.* XXV.; atque ibi quidquam deletum opinatur. In eo quippe legitur, *Anastasius sed. ans* III. *d.* XXI.; nec quidquam prorsus oblitteratum est. Porro in illa catalogorum istorum varietate Pagius, iis hærens in quibus Anastasius annis tribus ac diebus decem sedisse annotatur, eum anno 401 Decembris 4 die, quo festum illius in Hieronymiano Martyrologio recolitur, ad cœlum migrasse censet. *Hunc*, inquit Hieronymus (*Epist.* 16, *ad Princip.*), *diu Roma habere non meruit, ne orbis caput sub tali episcopo truncaretur. Immo idcirco raptus atque translatus est, ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur.*

III.

(Ex Galland. Bibl. Vet. Patr. tom. VIII.)

1. Sancto Siricio Romano pontifice anno CCCXCVIII desinente ad superos evocato, paucos post dies, id est ineunte mense Decembris, pontificatum iniit sanctus Anastasius. De brevi interpontificio testis est locuples sanctus Hieronymus (*a*): *Non multum temporis in medio*, inquit, *succedit in pontificatum vir insignis Anastasius:* quem alibi vocat idem Doctor maximus (*b*) *virum ditissimæ paupertatis et apostolicæ sollicitudinis.* Enimvero, ut ex illius successore Innocentio erudimur (*c*), *ejus merita tanta fuere ac talia, ut jam excederent humanæ conversationis consortium.... præ vitæ puritate et abundantia doctrinæ, qua populum Dei toto ecclesiasticæ auctoritatis rigore* (forte *vigore*) *regebat.* In id nimirum potissimum omni studio incubuit vigilantissimus pastor (*d*), ne quid Christi Dei Ecclesiam macularet, neve gregis suæ curæ commissi fidem integram profanæ novitatis ausus inficeret. Præclara ejus gesta ex Ecclesiæ fastis repetenda. Verum beatum hunc pontificem *diu Roma habere non meruit*, inquit Hieronymus (*e*), *ne orbis caput sub tali episcopo truncaretur. Immo idcirco raptus atque translatus est, ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur.* Exactis itaque in pontificatu tribus annis et quinque circiter mensibus supremum diem obiit summus antistes V kal. Maias anno CCCCII. Quæ est Baronii sententia (*f*), contra Papebrochium, Pagium, Constantium aliosque, ab eruditis viris Tillemontio (*g*), Fontanino (*h*), Bern. de Rubeis (*i*), Balleriniis (*j*) et Vallarsio (*k*) propugnata.

2. Porro tanti pontificis duæ dumtaxat supersunt epistolæ; quarum altera jam dudum, altera nuper in vulgus prodiere. Et prior quidem Joanni Hierosolymitano episcopo inscribitur *super nomine Rufini.* Hac vero epistola Origenes damnatus fuisse perhibetur: an vero cum Origene fuerit quoque damnatus Rufinus, disputant viri doctrinæ laude clarissimi. Affirmant Baronius (*l*), Norisius (*m*), Pagius (*n*) ac Tillemontius (*o*): quod item antea censuisse videtur Huetius (*p*). Verum alii potiori jure partis adversæ patroni esse noscuntur: quos inter Constantius (*q*), Ballerinii (*r*), Bern. de Rubeis (*s*), sed præ reliquis Fontaninus (*t*). Quam sane posteriorem sententiam vel ipso textu epistolæ Anastasianæ probe accepto comprobari exploratum habemus. In ea enim epistola Rufini causam a causa Origenis manifeste distinguit sanctus pontifex. Et de Origene quidem (*u*): « Hoc igitur, inquit, mente concepi, fidem apostolorum et majorum traditione firmatam... illum voluisse dissolvere. » De Rufino autem (*v*): « Ap-

(*a*) Hieron. ep. 127, num. 10, opp. tom. I, p. 95, nov. ed. Veron.
(*b*) Idem ep. 130, opp. t. I, pag. 986.
(*c*) Innocent. I, ep. 1.
(*d*) Anastas. ep. 1, § 5, infra.
(*e*) Hieron. ep. 127, loc. cit.
(*f*) Baron. ad ann. 402, § 42.
(*g*) Tillem. Mem. eccl. tom. XII, p. 650, not. 69, sur *S. Jérôme.*
(*h*) Fontan. Hist. litter. Aquil. lib. V, c. 6, § 6, pag. 279 seq.
(*i*) Bern. de Rub. dissert. de Rufin. c. 17, p. 118.
(*j*) Baller. ad opp. Noris. tom. IV Observ. c. 3, § 3, p. 845.
(*k*) Vallars. sub init. tom. XI opp. Hieron. in ejus Vita, c. 32, § 6, p. 199.
(*l*) Baron. ad ann. 401, § 4.
(*m*) Noris. Hist. Pelag. lib. I, c. 2, opp. tom. I, pag. 25.
(*n*) Pagi ad ann. 401, §§ 9, 15, 16.
(*o*) Tillem. Mem. eccl. tom XII, art. 100, p. 242.
(*p*) Huet. Origen. lib. II, c. 4, sect. 1, § 20, pag. 206.
(*q*) Constant. Epistt. Rom. Pont. p. 723, § 7.
(*r*) Baller. l. c. cap. 2, § 1, p. 827.
(*s*) Bern. de Rub. l. c. cap. 17, p. 109, seqq.
(*t*) Fontan. l. c. cap, 19, § 2, p. 240, seqq.
(*u*) Anastas. epist. 1, § 3, infra.
(*v*) Idem ibid. § 4.

probo, ait, si accusat, auctorem, et exsecrandum factum populis prodit, ut justis tandem odiis teneatur, quem jam dudum fama constrinxerat : si vero interpres tantorum malorum consensum præstat.... nihil aliud sui opera laboris exstruxit, nisi ut propriæ veluti mentis arbitrio, hæc quæ sola, quæ prima, quæ apud catholicos Christianos vera fide.... tenentur, inopinatæ titulo assertionis everteret. » Paulo ante præterea (*a*). « Rufinum conscientiæ suæ divinam habere arbitram majestatem » declarat. Hæc aliaque in eamdem sententiam, quæ apud laudatos scriptores latius pertractata videas, apertissime arguunt haud fuisse ab Anastasio damnatum Rufinum. Cæterum quæ ad hujus epistolæ § 5 illustrandum ex Vallarsio annotavimus, antea perviderat noster Hieronymus de Prato, quem proinde consulere juverit (*b*).

3. Alteram Anastasii ad Simplicianum antistitem Mediolanensem epistolam, haud ita pridem inter Hieronymiana scripta evulgavit cum aliis luculentis vetustis litterarum monumentis ex antiquissimo Ambrosianæ bibliothecæ codice ms. eruditus Vallarsius (*c*). In ea vero sanctus pontifex, Theophili episcopi Alexandrini studium ac vigilantiam laudans, Origenis errores cum suo auctore ab se proscriptos declarat. Hujusmodi autem epistola sub initium anni CCCC scripta fuisse videtur ; quo currente Simplicianum e vivis excessisse, eique successisse Venerium, compertum habemus. Qua de re post cl. editorem (*d*) complura probe observata legas apud Ballerin. (*e*), atque imprimis apud laudatum Hieron. de Prato (*f*) : qui et ipsam Anastasianam epistolam lectorum oculis sistens, aliquot in locis ex conjectura emendatiorem exhibere studuit. Quapropter prout eam vir doctus emaculatam profert, operæ pretium fuerit hic in medium afferre. Sic autem se habet :

4. *Domino fratri Simpliciano Anastasius.* « Grandem sollicitudinem atque excubias super gregem suum pastor habere approbatur : similiter et ex alta turre causa civitatis diu noctuque cautus speculator observat : magister [a] *providus* [b] navis hora tempestatis et periculi magnam patitur animi jactationem, ne procellis atque asperrimis fluctibus navis elidatur in saxa. Pari animo vir sanctus et honorabilis Theophilus, frater et coepiscopus noster, circa salutis commoda non desinit vigilare, ne Dei populus per diversas ecclesias Origenem legendo in magnas incurrat blasphemias. Conventus litteris memorati, convenio sanctitatem tuam, ut [c] siculi nos A in urbe Roma positi, quam princeps apostolorum statuit et fide sua confirmavit gloriosus Petrus, ne quis contra præceptum legat quæ diximus, damnavimus, et cum magnis precibus postulavimus, ut Evangeliorum instituta quæ ex ore suo Dei et Christi docuit censura [d], ab hac recedi omnino non debere, sed illud in memoriam deduci, quod Paulus venerabilis apostolus prædixit atque commonuit : *Si quis vobis evangelizaverit præter quod evangelizatum est vobis, anathema sit.* » Reliqua porro, prout in vulgato exemplari.

5. His duabus Anastasii epistolis Apologiam subdidimus, quam ad eumdem pontificem pro se misit Rufinus Aquileiensis; Coustantium assectati, cujus proinde exemplar pro more hic expressimus : illud tamen contulimus cum Rufini operum editione a B Vallarsio solerter adornata, qui ad ms. codicem Guarnerianum eamdem Apologiam exegit, et aliquot in locis feliciter restituit (*g*), ut ex notulis subjectis constat. Hanc vero Apologiam pro fide sua ad sanctum pontificem direxit Rufinus, quo suæ prospiceret existimationi, simulque invidiam apud sedem apostolicam ob librorum Origenis περὶ Ἀρχῶν versionem sibi conflatam propulsaret. Quo autem tempore scripta illa fuerit, cum ex ipso Rufino, tum ex Hieronymo edocemur. Rufinus enim Romam accitus, ut suspiciones de fide sua ibi coram dilueret, hanc excusationem prætendit (*h*) : *Quoniam*, inquit, *ipse* POST TRIGINTA FERE ANNOS *parentibus redditus sum, et durum satis atque inhumanum erat, si tam cito desererem eos quos tam tarde reviseram, simul et* C *quia tam longi itineris labor fragiliorem me reddit ad iterandos labores.* Hujusmodi autem excusationis causas carpens Hieronymus, hæc ait (*i*) : *Prætendit longi itineris lassitudinem, quasi* TRIGINTA ANNIS *semper cucurrerit, aut* BIENNIO *Aquileiæ sedens, præteriti itineris labore confectus sit.* Quibus ex locis arguit vir eruditus (*j*), anno CCCC hanc a Rufino missam fuisse Apologiam. Nimirum, inquit, Aquileia in Orientem discesserat Rufinus anno CCCLXXII illuc reversus anno CCCXCIII. Cum autem rotundum *triginta annorum* numerum particula *fere* diminuat ipse : anno igitur CCCC jam incepto currebat *biennium* Hieronymianum, quo Aquileiæ morabatur Rufinus. In eamdem ferme sententiam cl. Coustantius (*k*). Hæc porro presbyteri Aquileiensis Apologia septem quo-D dammodo capita complecti videtur, quorum priora quinque dogmata respiciunt : videlicet primum de Trinitate, secundum de Verbi incarnatione, tertium de resurrectione, quartum de judicio extremo et

[a] Ms. *magister hactenus navis.* Num. *magister autem navis?*

[b] Ms. *hora tempestatis ecoris et periculo.* Forte, *hora tempestatis, æquoris et periculo.*

[c] *Ut siculi.* Forte, *ut scias uti.*

[d] Hic deesse videntur aliqua.

(*a*) Idem ibid. § 2.

(*b*) H. de Prato. Dissert. 6, ad tom. I opp. Sulp. Sev. num. 36, pag. 311.

(*c*) Hieron. opp. tom. I, epist. 93, pag. 552.

(*d*) Vallars. edit. Hieron. tom. I, pag. 552, et ibid. in recens. epistt. ad numm. 93, 94, 95, nec non in Vit. Hieron. tom. XI, pag. 176.

(*e*) Baller. l. c. cap. 3, § 1, pag. 842.

(*f*) H. de Prato l. c. numm. 18, 21, p. 295 seqq.

(*g*) Vallars. præf. ad opp. Rufin. pag. 16.

(*h*) Rufin. Apolog. § 1, infra pag. 249 d.

(*i*) Hieron. lib II adv. Rufin. § 2.

(*j*) Bern. de Rub. Dissert. de Rufin. cap. 16, § 1, p. 110.

(*k*) Coustant. Epistt. Rom. Pontiff. pag. 713, § 4.

diaboli æterna damnatione, quintum de animarum origine. In duobus reliquis capitibus Origenis se interpretem, non defensorem profitetur Rufinus. Quæ quidem omnia singillatim enucleat Fontaninus (a); neque ipsum de his edisserentem lector adiens, operam oleumque perdet.

IV.

(Ex Schœnem. Biblioth. tom. I.)

1. *Scripta.* — Duæ dumtaxat supersunt *epistolæ*, quarum altera *ad Joannem Hierosolymitanum* jam dudum; altera *ad Simplicianum episcopum Mediolanensem* nuper demum lucem vidit. Prior a. 401, hæc a. 400, scripta esse videtur, quo currente Simplicianus e vivis excessit, et in locum ejus Venerius creatus est. *Perierunt* epistolæ *duæ* ad Paulinum, *una* ad Anysium, qua omnia, quæ in Illyrici partibus gererentur, recens ipsi commisisse ferunt; *una* ad Venerium, ad quam in epistola ad Joannem Hierosol. respicit, *una* ad Afros, *alia* denique super Rufino in Orientem missa, Rufino assertore. *Tria fragmenta* Epistolarum ad Ursinum, ad Anastasium II pertinere, Baluzius ostendit (b). De aliis *supposititiis* et falso ejus decreto ex Blondello Coustantius disserit.

2. *Edita.* — Epistola *ad Joannem Hieros.* quoniam ad eam sæpius respicit Hieronymus, inter ipsas Hieronymi epistolas a veteribus collectionibus est reposita, in Benedictina locum in tomo V, qui aliena complectitur, p. 260 occupavit. E vulgatis Hieronymi editionibus hæc epistola primum in Romanam editionem Epistolarum Pontif., dein a Baronio ad a. 402, § 26, recepta est, deinde in conciliorum Collectiones migravit. Postea ex codicibus mss. Vaticano et Bellovacensi a *Joanne Garnerio* inter opera Marii Mercatoris ed. Paris. 1673, parte I App. 1, edita est, addita ex ejusdem codicibus personati Rufini professione fidei, quæ XII anathematismis constat. Cum in superioribus autem editionibus, sicuti etiam in sequentibus factum est, in sectiones seu paragraphos sex divisa esset, a Garnerio in XII particulas distincta est, quarum octavam laceram et corruptam suspicatus, plane ad arbitrium interpolavit damnationis Origenis et Rufini formula; tametsi id non eo animo fecit, ut lectores falleret, sed quo citius in oculos incurreret, verba insiticia diverso charactere exscribenda curavit (c) et in notis p. 112, pro suis agnovit, et fidem eis facere triplici ratione conatus est, quarum nulla, ut Coustantius censet, id quod vult, necessario conficit, ac præsertim duæ postremæ verbis Anastasii vel depravatis vel perperam intellectis nituntur. Rejecta itaque hac interpolatione, integram ad Garnerii et veterum editionum varietatem denuo exactam et notis suis et præmonitione illustratam exhibuit a. 1721 Petr. Coustantius in Epist. Pontif. Rom. t. I, p. 719 usque ad 730, addiditque p. 729-738 notitiam de deperditis et falso ascriptis (d). Novis curis perpolitam dedit Vallarsius in edit. opp. Rufini t. I, p. 411.

Epistolam ad Simplicianum Hieronymo ignoratam et nemini antea cognitam, Vallarsius demum ex Ambrosianæ Bibliothecæ codice ms. cum aliis quibusdam aliorum inter Epistolas Hieronymianas tomo I opp. ep. 95 evulgavit. Omnino sincera esse videtur. Hinc deprompsit et conciliorum Collectioni tomo I inseruit Jo. Domin. Mansius. Eamdem pluribus locis ex conjectura emendatam proposuit *Hieronymus de Prato* in ed. opp. Sulpicii Severi. t. I (Veronæ 1741), dissert. 6, num. 36, pag. 311. Utramque tandem Garnerii, Coustantii et Vallarsii studiis illustratam additaque Apologia Rufini ad Anastasium *Andreas Gallandius* in Bibl. PP. et vet. Eccl. Script. t. VIII, p. 246-251, intulit, simulque dissertationem super Anastasio c. 9 Prolegg. p. XXI seq. præmisit.

NOTITIA EPIST. NON EXSTANTIUM,

QUÆ AD ANASTASIUM PAPAM ATTINENT.

I.

(Ex Coustant. Epist. Rom. Pont.)

1. *Anastasii ad Paulinum et Paulini ad Anastasium litteræ.* — Paulinus adhuc presbyter, postea Nolanus episcopus, epist. 20, ad Delphinum, n. 2, plures epistolas, quæ ad Anastasium nostrum attinent, simul indicat in hunc modum: « Sciat veneratio tua sanctum fratrem tuum papam Urbis Anastasium amantissimum esse humilitatis nostræ. Nam ubi primum potestatem charitatis suæ nobis offerendæ habere cœpit, non solum suscipere eam a nobis, sed ingerere nobis piissima affectione properavit. Nam brevi post ordinationem suam epistolas de nomine nostro plenas pietatis et pacis ad episcopos Campaniæ misit, quibus et suum declararet affectum, et aliis benignitatis suæ præberet exemplum. Postea quoque interposito tempore etiam ad Natalem suum, quod consacerdotibus suis tantum deferre solet, invitare dignatus est. Nec offensus est excusatione nostra: sed officium sermonis nostri, quod in vicem præsentiæ reddideramus, acceptans, animo nos paterno et absentes recepit. » His quippe verbis quatuor vel quinque notantur epistolæ: prima Paulini ad Anastasium recens ordinatum, quam ille benigne suscepit; altera Anastasii, qua Paulino benevolentiam suam *ingerere* ac vicissim significare properavit; tertia ejusdem papæ ad episcopos Campaniæ in gratiam Paulini missa; quarta, qua Anastasius Paulinum ad Natalem suum, seu ad anniversarium ordinationis suæ diem invitabat, et id quidem præter morem, quo soli consacerdotes, quod notandum, hoc est episcopi, non simplices presbyteri invitari solebant; postrema Paulini ad Anastasium, qua

(a) Fontan. Hist. litter. Aquil. lib. v, cap. 4.

(b) In Coll. nova concil. t. I, p. 1457.

(c) Nihilominus fuerunt, ut Coustantius animadvertit, qui in his offenderent, quod notis ejus non inspectis ideoque characterem mutatum arbitrantes ut sententia adversus Origenem et Rufinum prolata facilius secerneretur, addititia Garnerii verba pro genuinis Anastasii acciperent. Id quod Ant. Pagio in Crit. ad a. 401, n. 9, accidit.

(d) Hanc notitiam Coustantii huic Schœnemanni subjicimus (Edit.).

quod vocatus, ad Natalis ipsius celebritatem non convenisset, excusabat. Ex omnibus illis epistolis, tres primæ brevi post Anastasii ordinationem scriptæ memorantur, adeoque ad annum 399 pertinent. Ad ejusdem quoque anni exitum referendæ videntur duæ aliæ, utpote quæ scriptæ sint occasione solemnitatis anniversariæ, qua redeuntem ordinationis suæ diem Anastasius celebravit.

II.

2. *Anysio vices suas in Illyrico committit.*—Scripsit et Anastasius ad Anysium Thessalonicensem episcopum, quo omnia, quæ in Illyrici partibus gererentur, ei cognoscenda committeret. Cujus rei testis Innocentius epist. 1 idem eidem Anysio munus delegans, hoc ei deferre se ait, « quod tanti ac tales prædecessores mei episcopi, id est sanctæ memoriæ Damasus, Siricius atque supra memoratus vir (Anastasius) detulerunt. » Et hæc quidem notatu digna sunt Innocentii verba. Inde enim conficitur, vicarii apostolicæ sedis in Illyrico munus alicui episcopo Thessalonicensi semel collatum, toties innovari debuisse, quoties novus Romanæ sedis præsul crearetur. Hæ Anastasii litteræ non longe post initia pontificatus ejus videntur differendæ.

III.

3. *Joannis Jerosol. ad Anastasium epistola de Rufini nomine.* — Anastasio pontifice contigit, ut Rufinus libros Origenis περὶ Ἀρχῶν latinitate donaret. Unde plures adversus interpretem commoti, eum Anastasii auctoritate reprimendum censuerunt. Tunc Joannes Jerosolymitanus antistes, seu variis rumoribus de Rufino dissipatis, seu ipsius Rufini precibus compulsus, beatum papam de hoc presbytero quid censeret, consuluit. In his litteris Joannes summis laudibus Anastasium extollebat, uti ex superiori epistola 2, eidem antistiti ab Anastasio rescripta colligere est.

IV.

4. *Anastasii ad Venerium Mediol. epistola.* — Joanni Jerosolymitano rescribens Anastasius, simul ipsi mittere se notat epistolam a se ad Venerium Mediolanensem episcopum scriptam, in qua Origenis libros recens a Rufino Latine conversos quam exitiosos censeret, *diligentiori cura* explicabat (*Epist.* 2, n. 5). Unde suspicari est, etiam a Venerio Anastasium de iisdem libris fuisse consultum. Forte circa idem tempus Anastasius a Joanne atque Venerio eadem de causa consultus simul etiam ad utrumque responsa dedit, et quod uni respondebat, epistolæ alteri rescriptæ subnectendum curavit.

V.

5. *Theophili Alexandrini ad Anastasium litteræ.* — Hieronymus epist. 71, ad Theophilum, ex Dei dispensatione putare se ait factum, ut eo tempore, quo ipse Hieronymus epistolas adversus Origenem in Occidentem miserat, contra eumdem quoque Theophilus ad Anastasium papam scriberet, ac suam ipsius sententiam nesciens confirmaret. Quid vero hæc Theophili epistola apud Anastasium effecisset, cum nondum exploratum haberet idem Doctor, ad eam respiciens epist. 78, ad Pammachium et Marcellam, scripsit : « Orate igitur Dominum, ut.... prædicationem quoque cathedræ Marci Evangelistæ cathedra Petri apostoli sua prædicatione confirmet, » hoc est, ut in Origene condemnando Anastasius cum Theophilo consentiat. His tamen subjicit : « Quamquam celebri sermone vulgatum sit, beatum quoque papam Anastasium eodem fervore, quia eodem spiritu est, latitantes in foveis hæreticos persecutum, ejusque litteræ doceant damnatum in Occidente, quod in Oriente damnatum est. » Quibus verbis non obscure indicat Hieronymus, Anastasii sive ad Venerium Mediolanensem, sive ad Joannem Jerosolymitanum adversus Origenem litteras jam tum quidem fuisse scriptas, sed earum notitiam necdum ad se nisi ex rumore pervenisse. Unde liquet hanc Theophili epistolam prædictis ad Venerium aut Joannem litteris recentiorem non esse.

VI.

6. *Afrorum ad Anastasium litteræ ac legatio.* — Anno 401, Junii 18 die, Afri Carthagine congregati, unum ex episcoporum numero eligendum decreverunt, « qui tam venerabili sancto fratri Anastasio sedis apostolicæ episcopo, quam etiam sancto fratri Venerio sacerdoti Mediolanensis ecclesiæ » necessitatem et inopiam clericorum, qua ecclesiæ Africanæ laborabant, intimaret, peteretque ut parvulos, qui apud hæreticos fuerant baptizati, promovere in clerum sibi liceret. Quod ideo sibi ab illis petendum duxere « quia, inquiunt, ex his sedibus, » a Siricio nimirum et Ambrosio, « hoc fuerat prohibitum. »

VII.

7. *Anastasii litteræ ad Afros.* — Aliquanto post Afri ab Anastasio litteras acceperunt, quibus suam erga eos benevolentiam et paternam pro eorum ecclesia sollicitudinem ostendebat. Quapropter eodem anno 401, Septembris 13 die, rursum Carthaginem convenientes, litteras illas sibi recitari, et quo pacto illas receperint, synodalibus gestis in hunc modum mandari curarunt : « Recitatis epistolis beatissimi fratris et consacerdotis nostri *Anastasii* Ecclesiæ Romanæ episcopi, quibus nos paternæ et fraternæ charitatis sollicitudine ac sinceritate adhortatus est, ut de hæreticorum et schismaticorum Donatistarum insidiis et improbitatibus, quibus Africanam Ecclesiam catholicam graviter vexant, nullo modo dissimulemus : gratias agimus Domino, quod illi optimo ac sancto antistiti suo tam piam curam pro membris Christi quamvis in diversitate terrarum, sed in una compage corporis constitutis, inspirare dignatus est. » Istud vero cum grati animi significatione recolentes, an concesserit Anastasius, quod ab ipso de pueris in Donati parte baptizatis quærendum decreverant, silent. At quod petebant, ipsis a pio papa permissum esse, colligere est ex epistola de qua nunc nobis est agendum.

VIII.

8. *Aliæ Afrorum ad Anastasium litteræ.*—Nisi obli-

nuissent Afri quod in puerorum prædictorum gratiam petierant, nullus videbatur locus novis eorum ad eumdem papam litteris, atque huic alteri constitutioni, qua eodem in concilio sanxerunt : « Placuit ut litteræ mittantur ad fratres et coepiscopos nostros, et maxime ad sedem apostolicam, in qua præsidet memoratus venerabilis frater et collega noster ANASTASIUS, quo noverit habere Africam magnam necessitatem, propter Ecclesiæ pacem et utilitatem, ut et ipsis Donatistis, quicumque clerici correcto consilio ad catholicam unitatem transire voluerint, secundum uniuscujusque episcopi catholici voluntatem atque consilium, qui in eodem loco gubernat Ecclesiam, si hoc paci Christianæ prodesse visum fuerit, in suis honoribus suscipiantur (sicut prioribus ejusdem divisionis factum esse manifestum est; quod multarum et pene omnium Africanarum Ecclesiarum, in quibus talis error exortus est, exempla testantur) : non ut concilium, quod in transmarinis partibus de hac re factum est, dissolvatur; sed ut illud maneat circa eos, qui sic transire ad Catholicam volunt, ut nulla per eos unitatis compensatio procuretur. Per quos autem vel omni modo perfici, vel adjuvari manifestis fraternarum animarum lucris catholica unitas in locis, in quibus degunt, visa fuerit, non eis obsit quod contra honores eorum, quamvis salus nulli interclusa sit, in transmarino concilio statutum est : id est ut ordinati in parte Donati, si ad Catholicam correcti transire voluerint, non suscipiantur in honoribus suis secundum transmarinum concilium, sed exceptis iis, per quos catholicæ unitati consulitur (*Cod. can. Eccles. Afric.*, c. 6). » Si enim de legis severitate nihil remittere voluisset Anastasius circa pueros, quanto minus id ab eo sperandum erat circa clericorum honores servandos ?

9. Hunc autem canonem totum exscribendum duximus : quia in eo, utpote in quo aperte quid Anastasio scribendum erat præscribitur, ipsius epistolæ ad hunc papam scriptæ, quæ interiit, summam ac supplementum nos habere gaudemus. Istud porro concilium cujus de Donatistarum clericis decretum ita venerantur Afri, ut sibi tamen illud unitatis Ecclesiæ gratia temperandum existiment, non aliud videtur nisi Capuanum, cujus item aliud (Ibid , c. 48) circa « reordinationes, rebaptizationes, vel translationes episcoporum » statutum laudant. His autem Afrorum litteris num rescripserit Anastasius, latet. Verum quod illi sine apostolicæ sedis consensu sumere sibi non ausi sunt, paulo post in Africa usu receptum esse constat. Anno quippe 417, Augustinus (*Epist.* 185, *ad Bonifac.*, *n.* 44) Donatistis ut rem usitatam objicientibus : « Quomodo post istam pœnitentiam apud vos clerici vel etiam episcopi permanemus? » respondet, « Hoc non fieret, quoniam revera, quod fatendum est, fieri non deberet, nisi pacis ipsius compensatione sanaretur. » Neque mirum est id ab apostolica sede tunc fuisse concessum, quod ab initio schismatis in Africa, etiam ex Melchiadis sententia, observatum fuerat. Nempe iste prudentis-
A simus papa, ut supra pag. 328, n. 5, vidimus, schismatis radicitus exstirpandi gratia constituerat, ut in locis, in quibus duo erant episcopi, unus schismaticus, alter catholicus, ille confirmaretur qui fuisset ordinatus prior, et alteri plebs alia regenda provideretur. Sed ubi aberat unitatis compensatio, lex pristina de non servandis honoribus, ut in Innocentio aliisque pontificibus visuri sumus, integra illibataque permansit.

IX.

10. *Anastasii epistolæ contra Rufinum in Orientem missæ.* — Hieronymus eo ipso anno, quo Apologiæ suæ librum III adornabat, novas ab Anastasio adversus Rufinum epistolas in Orientem missas esse non semel memorat. Nunc enim adversus Rufinum, qui
B epistolæ anno præterito ad Joannem Jeros. scriptæ suppositionem suspicari affectabat, ait : Illius veritatem « hujus quoque anni contra te epistolæ probant. » Et aliquanto ante : « Esto, præteriti anni ego epistolam finxerim. Recentia ad Orientem scripta quis misit? in quibus papa ANASTASIUS tantis te ornat floribus, ut cum ea legeris, magis te velle defendere incipias, quam me accusare. » Modo e floribus illis quosdam decerpens et ob oculos ponens, ita Rufinum alloquitur : « Præsens apud eum (Anastasium) expostula, cur tibi et absenti et innocenti fecerit contumeliam, ut epistolas contra te ad Orientem mitteret, et cauterium tibi hæreseos, dum nescis, inureret, diceretque libros Origenis περὶ Ἀρχῶν a te translatos, ut fidei veritatem, quam ab Apostolo didicerant, per te
C perderent; et, quod tibi majorem faceret invidiam, ausus sit criminari, hos ipsos præfationis tuæ testimonio fuisse roboratos. Non est leve quod tibi impingit tantæ urbis pontifex, vel ab alio objectum temere suscepit. » Si tamen expendamus qua ratione in eodem opere Hieronymus ea quæ Anastasius ad Joannem de Rufino scripserat referens, non tam quod ille papa dicit, quam quod ex dictis illius consequi arbitratur, proferat; etiam nunc eodem modo se gerere non immerito existimetur. Quocirca valde verisimile est, hæc ipsa, quæ Hieronymus notat, minus dure ab Anastasio fuisse enuntiata. Forte autem hæc Anastasii scripta tunc in Orientem missa sunt, postquam is pontifex, et cum eo universa Occidentalium synodus (*Labb. tom.* V *Concil. c.* 658) « accepit
D ac probavit Alexandrinorum Ecclesiæ sententiam in impium (Origenem) latam, » ut loquitur Theophilus in Sermone quem Justinianus imperator laudat.

X.

11. *Judicium apostolicæ sedi subreptum.* — Ab aliquo Innocentii decessore adversus Photinum Illyrici episcopum prolata est sententia, qua, Innocentio teste (*Epist.* 15, *c.* 14), « gravius aliquid constitutum » fuit. Subinde Macedones episcopi, collegæ sui causam suscipientes, judicium illud « per falsum rumorem apostolicæ sedi subreptum et elicitum per insidias » demonstrarunt. Quod cum audiisset Innocentius, primum quidem sibi anxium ac difficillimum esse fassus, « majorum revolvere » atque retractare

« sententias, » simul tamen durius aliquid esse existimavit tot tamque bonis præsulibus negare consensum. Quamobrem, priore sententia, qua Photinus damnatus fuerat, in melius commutata, eumdem episcopum constituere ipsis permittit. Prius vero judicium nequaquam in alium pontificem convenire videtur, nisi in Anastasium, et quidem sub pontificatus illius exitum; ita ut mors interveniens Macedonibus locum ac tempus negaverit, quo ipsi subreptum esse demonstrarent. Quod cum Innocentius correxit, plane sentire se docuit, neminem esse tam sanctum, etiamsi prima in sede constitutus sit, cui in judiciis non possit imponi.

XI.

12. *Fragmenta tria Anastasio II restituenda.* — Præterea Baronius ad ann. 402 tria fragmenta laudat velut epistolæ Anastasii nostri ad Ursinum : sed hæc Steph. Baluzius, to. I Coll. nov. concil. pag. 1457, Anastasio II restituit, ad quem ea pertinere suo loco demonstraturi sumus.

XII.

13. *Epistolæ duæ Anastasio I a Mercatore suppositæ.* — Neque papæ hujus nomini pepercit Isidorus Mercator, sed duas ei epistolas supposuit, unam omnibus Germaniæ et Burgundiæ episcopis, alteram Neriano inscriptam. Utriusque falsitas a Baronio detecta certisque argumentis comprobata est. Istud suo loco sumus confirmaturi, ubi epistolas illas cum reliqua impostoris hujus collectione edemus.

XIII.

14. In vulgato libro pontificali de Anastasio I legitur : « Hic constituit, ut quotiescumque sancta Evangelia recitarentur, sacerdotes non sederent, sed curvi starent. Et hoc constituit, nulla ratione transmarinum hominem in clericatus honorem suscipi, nisi quinque episcoporum designaret chirographos; quia et eodem tempore Manichæi inventi sunt in urbe Roma. » Ad cujus libri normam Isidorus Mercator Anastasium epist. I, c. 1, 2 et 3, istud præcipientem inducit : « Dum sancta Evangelia in ecclesia recitantur, sacerdotes et cæteri omnes præsentes, non sedentes, sed venerabiliter *curvi* in conspectu sancti Evangelii stantes, dominica verba intente audiant et fideliter adorent. Similiter et transmarinos homines, de quibus nos consuluistis, in clericatus honore nolite suscipere, nisi quinque aut eo amplius episcoporum chirographis sint designati.... Manichæos vero, quos in urbe Roma invenimus, etc. »

15. In eo tamen libri pontificalis codice olim Reginæ Suecorum, quem Bollandi continuatores Justiniani imperatoris temporibus exaratum censent, quemque to. I. Aprilis Propil. pag. 40, in lucem emiserunt, necnon in exemplari S. Petri Fossatensis, nunc bibliothecæ Colbertinæ 1868, quod in Pelagio II desinit, hoc tantum Anastasius decrevisse legitur : « Hic constituit, quotiescumque Evangelia recitantur, sacerdotes non sederent, » nec de cleri-A cis transmarinis aut Manichæis Romæ inventis quidquam habetur. Quocirca suspicio non deest, Isidorum Mercatorem, qui librum pontificalem cum prædictis additamentis seu interpolationibus collectioni suæ præmisit, horum additamentorum esse auctorem. Sed his expunctis, minus jam repugnat Anastasium constituisse, ne sacerdotes, dum Evangelia recitantur, sederent. Eum enim præcepisse, ut sacerdotes, quorum plurimi senio erant confecti, toto illo tempore, quo Evangelia legerentur, non solum starent, sed etiam curvi starent, a prudentia pontificis nostri abhorrere jure videatur. An vero ei reipsa congruat, expendendum.

16. Baronio decreti hujus occasio fluxisse videtur ex contentione, quæ Romæ circa illa tempora pres-B byteros inter et diacones oborta est, cum nonnulli diaconos presbyteris coæquare vel etiam anteferre niterentur. Contentionis hujus testes profert auctorem quæstionum apud Augustinum, qui et Augustino antiquior existimatur, in appendice to. III editarum, necnon Hieronymum epist. olim 85, ad Evagrium, seu potius Evangelum. Tunc, inquit doctus Cardinalis, « presbyteri in eosdem (diaconos) insurrexere atque ex consuetudinis Romanæ Ecclesiæ præscripto ipsis sedentibus, eos stare debere contendebant. Sed eo usque contentio pertinax progressa est, ut etiam cum stantes diaconi coram populo legerent Evangelium, presbyteri tamen minime e sessione consurgerent. Quod, ut enorme factum, Anastasius papa emendandum sancito ejusmodi de-C creto putavit. » Ubi controversiam illam in eo maxime ponere videtur, quod presbyteris in ecclesia sedentibus, diaconi pariter sedere vellent. At Ecclesiæ Romanæ diaconos hoc sibi numquam arrogasse, ipse auctor apud Augustinum editus, quem profert, diserte testatur his verbis (*Quæst.* 101, *pag.* 92 *f*) : « Quamquam Romanæ Ecclesiæ diaconi modico inverecundiores videantur, sedendi tamen dignitatem in ecclesia non præsumunt. » Multorum etiam presbyterorum, qui Romanas regebant ecclesias, gloriæ detrahit Baronius in eo quod illos tunc commisisse ponit. Constans enim, ubique obtinebat lex, ut propter Evangelii reverentiam lectio ejus non nisi astantibus audiretur. Constitutionum apostolis tributarum libro II, c. 57, sancitur : « Cum legetur D Evangelium, presbyteri et diaconi universusque populus cum omni silentio stent. » Et Nicephorus quidem Callisti hoc olim in Alexandrina ecclesia obtinuisse memorans (*Lib.* II, *c.* 34), « ut episcopus, cum sacra Evangelia legerentur, non consurgeret, » id « in omnibus aliis locis novum et insolens esse » simul observat. Philostorgius quoque, antiquus scriptor, dum Theophilum Indum laudat, quod peragrans in die regiones, « multa quæ ibi non rite fiebant emendavit, » statimque addit, « nam et lectiones Evangelii audiebant sedentes, et alia quædam peragebant, quibus divina lex repugnabat, » satis indicat ubique receptum esse, ut Evangelium astantibus audiretur. Jam vero quis credat, in Ec-

clesia florentissima, et ecclesiasticarum consuetudinum retinentissima, apud primum cleri ordinem tantum potuisse contentionis studium, ut observantiam sacris Evangeliis debitam non unus aut alter, sed vulgo presbyteri præter morem receptum negarent?

S. ANASTASII I PAPÆ

EPISTOLÆ ET DECRETA.

MONITUM IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

I. *Epistola hæc ab Hieronymo memorata, et libro* II *adv. Rufin. inserta.* — Frequens epistolæ hujus in Hieronymi scriptis fit mentio. Ad illam respicit in epistola 8, ad Demetriadem, ubi scribit: « Dum esses parvula, et sanctæ ac beatæ memoriæ Anastasius episcopus Romanam regeret Ecclesiam, de Orientis partibus hæreticorum sæva tempestas simplicitatem fidei, quæ Apostoli voce laudata est, polluere et labefactare conata est. Sed vir ditissimæ paupertatis et apostolicæ sollicitudinis statim noxium percussit caput, et sibilantia hydræ ora compescuit. » In epistola 78, ad Pammachium et Marcellam, Theophilo Alexandrino, quod Origenem hæreticum declarasset, laudato, de hac epistola ita loquitur: « Quamquam celebri sermone vulgatum sit, beatum quoque papam Anastasium eodem fervore, quia eodem spiritu est, latitantes in suis foveis hæreticos persecutum; ejusque litteræ doceant damnatum in Occidente, quod in Oriente damnatum est. Cui multos imprecamur annos, ut hæreseos rediviva plantaria per illius studium longo tempore arefacta moriantur. » In libro III Apologiæ de eadem pluries sermonem habet, neque de ea tacet in secundo. Immo huic libro ejus exemplum a se subjectum esse testatur, et cur subjectum sit, Rufinum alloquens exponit his verbis: « Si ideo interpretaris (Origenis libros) ut eum hæreticum arguas, nihil de Græco mutes, et hoc ipsum præfatione testare, quod prudentissime papa Anastasius in epistola, quam contra te scribit ad episcopum Joannem, suo sermone complexus est; me liberans qui id feci, et te arguens qui facere noluisti. Ac ne forsitan hoc quoque neges, subjeci exemplum ejus: ut si non vis audire fratrem monentem, audias episcopum condemnantem. »

II. *Epistolarum Hieronymi collectioni unde inserta sit.* — Inde quoque conjectare licet, qua occasione evenerit, ut inter Hieronymi epistolas, etiam in veteribus earum collectionibus, hæc Anastasii collocata sit. Nimirum qui has concinnarunt collectiones, quidquid inter Hieronymi opera sunt nacti, quod epistolæ formam haberet, illud a cæteris ejusdem scriptis distraxerunt, ut in unum epistolarum corpus referrent. Cum igitur hanc Anastasii epistolam, sicut et superiorem Rufini, libro II Apologiæ Hieronymi subnexas invenissent, utramque ad epistolarum classem sibi transferendam duxerunt. Nunc vero ambæ in tomum, qui aliena Hieronymi opera continet, rejectæ sunt. An satius foret hujusmodi scripta eo loco exhibere, quem Hieronymus eis dederat, meum non est definire.

III. *Marii Mercatoris scriptis exemplaribus reperitur præfixa.* — E vulgatis Hieronymi operibus hæc Anastasii epistola primum in editione Romana pontificiarum epistolarum, tum apud Baronium, ac postmodum in editionibus conciliorum descripta est. In Vaticano ac Bellovacensi scriptis exemplaribus Marii Mercatoris operibus una cum altero libello, cui titulus est *Fides ejusdem Rufini*, præfigitur. Ac licet neutrum opus ad Marium Mercatorem ullo modo pertinere Joannes Garnerius agnoscat, utrumque tamen cum hujus scriptoris operibus, non quidem in eorum fronte, sed ad calcem edendum, ac notis illustrandum putavit. Unum pag. 109, alterum pag. 114, ejus editio repræsentat. Eam autem fidei expositionem, quam Rufini nomine donatam invenit, Aquileiensis presbyteri non esse recte observavit.

IV. *Hanc Rufinus ab Hieronymo confictam suspicatur.*—Istam Anastasii epistolam ab Hieronymo confictam suspicari se Rufinus non sine animi ancipitis atque incerti nota significavit. Quocirca eum Hieronymus sic alloquitur: « In epistola sancti papæ Anastasii lubricus exstitisti; et turbatus in quo figas gradum non reperis. Modo enim dicis a me esse compositam; nunc ab eo (scil. Joanne) ad te debuisse transmitti cui missa est. Rursum injustitiam scribentis arguis. » Et post pauca ipse de epistolæ veritate certus Rufinum, quod ex Oriente ejus exemplum exspectare se diceret, ridet in hunc modum: « Vade potius Romam, et præsens apud eum (Anastasium) expostula, cur tibi absenti et innocenti fecerit contumeliam: primum, ut non reciperet expositionem fidei tuæ (*in superiore epistola* contentam).. deinde ut epistolas contra te ad Orientem mitteret. » Etiamnum tamen Petrus Halloix de Vita Origenis pag. 335, eamdem suppositionis suspectam habet. At veritatem ejus Hieronymus litteris aliis ab eodem papa sequenti anno rursus in Orientem missis confirmat, de quibus paulo post ista subjicit: « Esto præteriti anni ego epistolam finxerim: recentia ad Orientem scripta quis misit, in quibus papa Anastasius tantis te ornat floribus, ut cum ea legeris, magis te velle defendere incipias, quam nos accusare? » Et circa apologiæ suæ finem: « Sin autem ejus est (scil. Anastasii), ut hujus quoque anni contra te epistolæ probant, frustra et falso falsam arguere niteris. »

V. *Quo anno scripta sit.* — Cum his duobus locis stare nequit opinio eorum, qui epistolam, de qua agimus, anno 402 scriptam putant. Nemo enim est, qui Anastasii ultra 27 diem mensis Aprilis anni 402 protrahat vitam. Atqui non eo anno, quo defunctus est hic papa, sed eo qui illum præcessit, Hieronymus epistolam istam scriptam esse testatur. Ex quo sequitur, ut vel ad annum 401 referenda sit, si reipsa Anastasius anno 402 mense Aprili obiit; vel si non male obitus ejus 4 die Decembris anni 401 consignatur, ad annum 400 pertineat, atque Hieronymus postremam apologiæ suæ partem adversus Rufinum non anno 402, sed 401 composuerit.

VI. *Origenes ab Anastasio damnatus.* — Hac epistola Origenem damnatum esse cum ex pluribus Hieronymi locis, tum ex ipsius epistolæ verbis liquet. Eam, uti jam observavi, Hieronymus epist. 16, Marcellæ laudem tribuit, quod hujus *damnationis principium* fuerit. Hanc ipse tum expetebat Hieronymus, eique postulanti Theophilus Alexandrinus antistes etiam nesciens non mediocri subsidio fuit. Cum enim sanctus ille Doctor in Occidentem litteras adversus Origenem misisset, atque Anastasius nihil præcipitatum volens, necdum Hieronymi aliorumve

sollicitationibus cederet; « ex dispensatione Dei, » inquit ipse Hieronymus epist. 71, ad Theophilum scribens, « factum puto, ut eo in tempore tu quoque ad Anastasium papam scriberes, et nostram dum ignorares sententiam roborares. » Idem Theophilus in Sermone ad quosdam monachos Origenem, ut a se, ita et ab Anastasio damnatum testatur his verbis: « Anathematizantes Origenem cæterosque hæreticos, exemplo nostro et Anastasii sanctæ Romanæ Ecclesiæ episcopi, qui ex veteribus certaminibus clarus, nobilissimi populi dux creatus est, quem et universa Occidentis episcoporum sequitur synodus; quæ accepit ac probavit Alexandrinorum Ecclesiæ sententiam in impium latam. » Hæc autem Theophili verba Justinianus imperator in epistola, quam ad Menam adversus Origenis errores scripsit, laudat (*Concil. Lab. tom.* V, *pag.* 658).

VII. *Anastasius Rufinum lata sententia non condemnavit.* — An vero pariter cum Origene Rufinus ab Anastasio lata sententia condemnatus sit, expendisse juverit. Id quidem pro certo ponunt plerique: iisque favere videtur Hieronymus, dum Rufinum non modo accusatum, ac Romam citatum, sed etiam damnatum nonnumquam prædicat. In eum quippe maxime convenit illud (Epist. 16) hujus Doctoris: « Acciti frequentibus litteris hæretici, ut se defenderent, venire non sunt ausi: tantaque vis conscientiæ fuit, ut magis absentes damnari, quam præsentes coargui maluerint. » At Theophilus loco allato unam memorat *sententiam in impium* (hoc est in unum Origenem) *latam*. Et commode intelligitur Hieronymus hæreticos eatenus dixisse damnatos, quatenus damnato Origene, condemnati censentur et ii, qui erroribus iisdem implicantur. Neque vero Rufinum ab Anastasio damnatum sonant hæc Hieronymi lib. II apol. Rufinum ipsum sic alloquentis: « Cur translaturus hæretica, in defensionem eorum præmittis quasi Martyris librum, et id Romanis auribus ingeris, quod translatum totus orbis expavit? aut certe si ideo interpretaris ut eum hæreticum arguas, nihil de Græco mutes, et hoc ipsum quod prudentissime papa Anastasius in epistola, quam contra te scribit ad episcopum Joannem, suo sermone complexus est; me liberans qui id feci, te arguens qui facere noluisti. » Ubi notandum quod ait *te arguens*, non *te condemnans;* atque ita arguens, ut adhuc in potestate ipsius esset præstandi quod facere hactenus omisisset, eoque pacto condemnationem evaderet. Nondum igitur ulla adversus illum dicta erat sententia: sed res etiamnum in suspenso erat. Quocirca ubi verbis allatis proxime subdit Hieronymus. « Ac ne forsitan hoc quoque neges, subjeci exemplum ejus » (scil. epistolæ Anastasii), « ut si non vis audire fratrem monentem, audias episcopum condemnantem, » non absolutam condemnationem seu hæreseos convicto jam dictam sententiam notat, sed hypotheticam, quam nondum quidem subierit, sed haud dubie subiturus sit, si quod illum monet facere spernat. Immo et de posterioribus scriptis, anno sequente in Orientem missis sermonem habens, « in quibus, » inquit ad Rufinum, « papa Anastasius tantis te ornat floribus, ut cum ea legeris, magis te

A velle defendere incipias quam accusare, » presbyterum illum necdum lata sententia damnatum significat. Ubi enim a supremo judice lata sententia est, nullus jam superest defensioni locus: sed unum reo restat, ut aut judicii sustineat pœnam, aut id emendet propter quod judicatus est. Sed quid alienis immorer argumentis, cum Anastasius in subjecta epistola a judicio de Rufino ferendo sese sustinere constanter affectet? quippe cui nondum satis compertum erat, qua ille mente libros Origenis Latine transtulisset. Sane si sententiam adversus eum dixisset, hæc aut ipsi, aut præsuli Ecclesiæ, in cujus territorio degebat, aut publice denuntianda fuerat. Id porro unum aperte significat Anastasius, suo ipsius judicio Rufinum damnatione dignum censeri, si librorum Origenis, quos latinitate donavit, doctrinam approbarit. De eadem re in notis nonnulla erunt necessario disserenda.

B

EPISTOLA I.

ANASTASII I ROMANÆ URBIS EPISCOPI AD JOANNEM EPISCOPUM JEROSOLYMORUM, [a] SUPER NOMINE RUFINI.

A Joanne consultus Anastasius, utrum Rufinus ob versos e Græco in Latinum Origenis περὶ Ἀρχῶν libros damnandus esset, respondet, seposita omni suspicione perpendendum esse quo id animo aggressus esset, et eum quidem damnandum, si propria mente et laudans ac probans transtulerit, secus, si ipsum accusans auctorem: se vero non vano timore sollicitari, sed operam daturum, ne hinc Ecclesiæ per orbem corrumpantur.

1. *Anastasius se laudantem laudat, ac rogat ut laudare desinat.* — Probatæ quidem affectionis est hoc, C ut laudabiliter de sacerdote sacerdos loquaris. Pro tanto igitur præconio, quod [b] in merita mea effusissimum contulisti, ut amori tuo gratias ago, ita splendorem tuæ sanctitatis, et [c] eas quas in Domino habes virtutes, subinde quodam modo parvitatis nostræ favorabilis sermo prosequitur. [d] Tam enim, vir omnium præstantissime, laudum tuarum fulges nitore conspicuus, ut par esse meritis sermo non possit. Porro autem tanto titulorum tuorum rapior incitamento, ut etiam quod impetrare nequeo, audere non desinam. Jam hoc de laudibus tuis est, quod me tantummodo de cœlestis istius animi serenitate laudasti. Tui etenim episcopatus ordo perspicuus per [e] diversum orbem velut radians, etiam ad nos splendoris sui detulit claritatem. In me quippe D totum [f] ipse amicitiæ tribuis, examini nihil relinquis. Aut si jure me laudas, tu quoque [g] similiter non relaudandus es? Obsecro igitur ob utrumque,

[a] In edit. Rom. et concil. desideratur *super nomine Rufini*. Hieronymus Rufinum alloquens non *super nomine tuo*, sed simpliciter *contra te scriptam* dicit.

[b] Garner., *immerito in me :* iis etiam mss. quibus usus est, refragantibus. Non displiceret *in me immeritum :* sed sana etiam est et nitida lectio, quam mss. exhibent.

[c] In mss. Cluniac. et Bellov., *et earum :* recte, si proxime sequeretur *virtutum quas in Domino habes*.

[d] Ita Garner. cum mss. Vatic. et Bellov. At editi alii, *Tam eminenter*. Codex Clun., *Tamen eminente*. Ex quo conjectura est legendum, *Tam enim eminente*.

[e] Garner., *per universum orbem... splendoris tui*. renitentibus aliis editis et scriptis. Diversum orbem intelligere est vel Orientem et Occidentem simul, vel simpliciter Occidentem, qui diversus est ab eo quem Joannes incolebat.

[f] In ms. Bellov., *totum tum ipse*. An pro *totum dum ipse?*

[g] Garner. cum ms. Bellov., *simili tenore laudandus es*. Sincerior visa est lectio Clun. ms. et cæterorum editorum. In his autem editis mox desideratur *apud me :* quod perinde est atque etiam in scriptis privatis.

ut me ipsum apud me laudare jam desinas; duplex etenim [a] me causa constringit, ne consacerdotis tui sensibus aut dolorem falsa laus ingerat, aut pudorem vera succendat.

2. *Rufini causa Dei relinquitur arbitrio.* — Sed ut ad causam revertar : Rufinus, de quo me consulere dignatus es, conscientiæ suæ divinam habet [b] arbitram majestatem, apud quam se integro devotionis officio ipse viderit qualiter debeat approbare.

3. *De Origene quid sentiendum.* — Origenes autem, cujus in nostram linguam composita derivavit, antea et quis fuerit, et in quæ processerit verba, nostrum propositum [c] nescit : quod vero sit animi mei studium, cum tua paulisper super hoc conferam sanctitate. Hoc igitur mente concepi, [d] quod urbis nostræ populis de translatis Origenis lectio patefecit, quadam puris mentibus velut nebula cæcitatis injecta, fidem Apostolorum et majorum traditione firmatam velut deviis anfractibus illum voluisse dissolvere.

4. *Qua mente Rufinus Origenem interpretatus sit quæritur.* — [e] Discere hoc loco libet, quid agat in Romanam linguam ista translatio. Approbo, si accu-

[a] Apud Garner., *te causa*. Tum aliis in editis, *hoc poscere constringit*. Istud *hoc poscere*, quod abest a mss. non alienum est ab Anastasii mente, sed recte subauditur. Quamvis autem Anastasius laudes respuat, quia etiam in veris molestiæ offensio est, quæ ideo pudorem excitet; alii tamen Sancti bonorum laudes interdum utiles esse non inficiantur. Quod Augustinus epist. 231, ad Darium, n. 4, sic explicat : *Si enim non sunt in me* (quæ laudas), *salubriter erubesco, atque ut sint inardesco. Ac per quod agnosco mea in laude tua, gaudeo me habere, et abs te illa, ac me ipsum diligi propter illa. Quæ autem non agnosco, non solum ut habeam consequi desidero, verum etiam ne semper mea laude fallantur qui me sinceriter diligunt*. Eodem animo Gregorius Magnus a Leandro Hispalensi episcopo laudatus lib. IX, Ind. 2 mense Augusto rescribit : *Quod non est ita ut dicitur, sit ita quia dicitur, ne qui non solet mentiatur.*

[b] In edit. Rom., *arbitrium*. Apud Baron. et Lab., *arbitrum*. Rectius Garn. ut in mss., *arbitram*. Jam Anastasius Rufini Origenisque causas incipit distinguere, ac de Rufino judicium sustinens, sententiam suam de Origene aperte exponit.

[c] Ita mss. At editi, *nesciret*, nisi quod Garnerius totum locum istum sic de suo mutavit : *nostrum studium nesciit, quod vero sit animi mei propositum*. Verum hujusmodi mutationes editori licitas non putamus. At *locus*, inquit, *prout est in omnibus codicibus, eget Œdipo*. Esto : nonne præstat omnium codicum verba etiam non intellecta retinere, quam ea invertendo intelligentiam auctori suo substituere alienam? Hoc tamen Anastasius, si mentem ejus assequor, sibi vult : Cum scopus noster, in ipsius epistolæ fronte propositus, sit *de nomine Rufini*, de quo uno etiam a te consultus sum, nostri hujus propositi non est indagare quis Origenes fuerit : quod tamen animi mei studium, quis affectus erga eum, quæ de illo sententia sit paucis tibi aperiam. Reipsa paululum a Rufino digressus, ut suam de Origene sententiam promeret, intermissam de illo orationem reperit. Neque etiam Origenes, antequam Hieronymus ac Rufinus aliquot opera illius latinitate donarent, Latinis omnino incognitus dicendus est, cum et antea in eo interpretando Victorinus, Hilarius et Ambrosius operam suam contulerint. Unde et Rufino in superiore epistola dicere licuit : *Origenis ego neque defensor neque assertor sum, neque primus interpres : alii ante me hoc idem opus fecerant; feci et ego postremus*. Observat tamen Hieronymus lib. I Apol. contigisse, *ut totus orbis post translationem* (Rufini) *in Origenis odia exarserit, quem antea simpliciter lectitabat*.

[d] Editi, Garnerio excepto, *quod qui urbis nostræ populis de translata Origenis lectione patefecit, quamdam puris mentibus velut nebulam excitans injectam, fidem Apostolorum*, etc. Notat Garnerius in mss. Bellovac. et Vatic. haberi, *Quod urbis nostræ populis lectione* (ubi lapsus est memoriæ, nam in Bellovac. reperimus *lectio*) *patefecit, quamdam puris mentibus, veluti nebulam cæcitatis injectam*. Ipse in hoc loco restaurando se multum laborasse professus, hunc ita edidit : *Hoc igitur mente concipi* (librarii oscitantia pro concepi), *illum qui urbis nostræ populis opera translata Origenis lectione patefecit, quamdam puris mentibus veluti nebulam cæcitatis injicere, fidemque Apostolorum et majorum traditione firmatam velut deviis anfractibus voluisse dissolvere*. At cui probanda videatur lectio, in qua præter mss. fidem tot mutata cernat? Ac primo quidem additur *illum qui*, ubi non erat. Tum substituitur *opera translata* ubi erat *de translatis*, item, *lectione* pro *lectio*, et *injicere*, loco verbi *injectam*. Exinde post *fidem* rursum adjicitur conjunctio *que*; ac demum vox *illum* ante *voluisse dissolvere* supprimitur. Sed neque tot mutationibus plana omnino et perspicua efficitur oratio : quid enim hæc sibi velint, *qui opera translata Origenis lectione patefecit*, non satis percipitur. Nostra autem lectio eo potior videri debet, quod ex veterum codicum fide expressa sit nulla voce addita, nulla dempta, nulla suo loco mota, sed tantum in his, *quamdam puris mentibus velut nebulam cæcitatis injectam*, expuncta littera *m*, quam in mss. sæpissime a librariis perperam adjici experientia est. Unde et observarunt nonnulli grammatices periti accusandi casum pro sexto antiquis fuisse usitatum. Neque vero temere expunctam censebit, qui inferius n. 4. de eadem doctrina legerit dictum, *quæ devotas mentes immissa sui caligine labefactare conetur*. Præterea ut *illum*, quem Anastasius mente concepit apostolicam traditionem dissolvere voluisse, Origenem non Rufinum intelligamus, et quod antecedit proxime, et quod consequitur, postulat. Hæc enim statim dicit, ut cum Joanne paucis ac veluti raptim et extra propositum de Origene qui sentiat communicaturum se prælocutus est. Deinceps vero ab omni adversus Rufinum judicio pronuntiando sese constanter sustinet, aperte significans necdum sibi exploratum esse, qua ille mente Origenem Latine converterit, et quoad istud compertum habeat, de illo judicare se nil certo posse. Ex quo et de Rufino minime dici liquet, illum apostolicam traditionem dissolvere voluisse. Nulla vero restabit obscuritas, *si concipiendum et sentiendum esse* ante verbum *patefecit* subaudiatur.

[e] Garner., *Dicere... quid aget... ista translatione et execrando factum, exosum populis prodit*. Retinendum cum editis aliis et mss. *Discere*, etc. Incertus quippe Anastasius quo consilio Rufinus librorum περὶ Ἀρχῶν interpretationem aggressus esset, hoc nunc rescire ac discere se cupere significat. Huc manifeste spectat illud Hieronymi lib. II : *Si ideo interpretaris, ut eum hæreticum arguas, nihil de Græco mutes, et hoc ipsum præfatione testare, quod prudentissime papa Anastasius in epistola, quam contra te scribit ad episcopum Joannem, suo sermone complexus est*. Annus porro jam effluxerat, quo Anastasius scripserat ad Joannem, cum hæc Hieronymus dixit : adeoque necdum ulla tum adversus eum dicta erat sententia, sed injecta tantum de eo suspicio, quam ipsi amovere integrum adhuc et liberum esset. Certe Rufinum non damnat, quem *approbare* se conceptis verbis scribit, si auctorem a se translatum accusat.

sat auctorem, et execrandum factum populis prodit, ut justis tandem odiis teneatur, quem jam dudum fama constrinxerat. Si vero interpres tantorum malorum [a] consensum præstat, et legenda prodit in populos; nihil aliud sui opera laboris exstruxit, nisi ut propriæ [b] veluti mentis arbitrio hæc, quæ sola, quæ prima, quæ apud catholicos christianos [c] vera fide jam exinde ab Apostolis in hoc usque tempus tenentur, [d] inopinatæ titulo assertionis everteret.

5. *Anastasii vigilantia adversus pravam doctrinam. Origenis lectio imperialibus edictis prohibita.*—Absit [e] hoc ab Ecclesiæ Romanæ catholica disciplina. Numquam profecto eveniet, aliqua ut hæc admittam ratione, quæ jure meritoque damnamus. Quapropter illa toto orbe Christi Dei nostri diffusa providentia probare dignabitur, accipere nos omnino non posse quæ Ecclesiam maculent, probatos mores evertant, aures circumstantium vulnerent, jurgia, iras, dissensionesque disponant. Qua re [f] moti, qualem epistolam ad fratrem et coepiscopum nostrum [g] Venerium diligentiori cura perscriptam parvitas nostra transmiserit, ex subditis poteris comprobare. Unde igitur habeat secum ille qui transtulit, servetque sibi hanc conscientiam, non superflua laboro formidine, neque inani timore sollicitor. Mihi [h] certe cura non deerit Evangelii fidem circa meos custodire populos, partesque [i] corporis mei, per spatia diversa terrarum [j], quantum possum, litteris convenire, ne qua profanæ interpretationis origo subrepat, quæ devotas mentes immissa sui caligine [k] labefactare conetur. Illud quoque, quod evenisse gaudeo, tacere non potui, beatissimorum principum nostrorum manasse responsa, quibus unusquisque Deo serviens ab Origenis lectione revocetur: [l] damnatumque sententia

[a] Editi, *malorum erroribus consensum præstat, et legenda impia dogmata prodit:* castigantur auctoritate mss.

[b] Apud Garner., *propriæ voluntatis arbitrio.* Nostra lectio est cæterorum librorum.

[c] In mss. Bellov., *mera fide.* In edit. Rom. et concil., *Hanc quæ sola et quæ prima apud catholicos Christianos vera fides... tenetur.*

[d] Apud Garner. desideratur *inopinatæ*, quod hic perinde est atque *novæ* et cujus nec opinio hominum animos hactenus pervaserat. Vocis hujus loco in ms. Bellov. exstat *impiæ.*

[e] Ita mss. cum Garner. Alii vero editi, *Absit hæc ab Ecclesia Romana nequaquam catholica disciplina.* Jam sine ambagibus Origenis doctrinam a se damnari Anastasius declarat.

[f] In ms. Bellov., *moto.* Non displiceret *mota*, scil. *parvitas nostra.* In Clun. ut apud Garner. exstat *moti*, supple *cum essemus.* Vel hoc verbum ita construendum, quasi post sequeretur *transmiserimus*, non *parvitas nostra transmiserit.* In edit. Rom. et concil. depravate efferebatur iste locus in hunc modum: *Quare nosce qualem epistolam ad fratrem et coepiscopum nostrum Venerium diligentiori cura parvitas* (Rom. edit., *pravitas*) *nostra transmiserit, sibique hanc conscientiam fecerim, qua non superflua laborem formidine, neque inani timore solliciter.* Garnerius vero post verbum *moti* lacunam esse suspicatus, hanc de suo explendam censuit. Quamobrem Anastasii verbis sex prope versus adjicere non veritus, mutato dumtaxat charactere, hunc papam ex præconcepta mente sic inducit pronuntiantem: *Origenis quidem scripta et errores damnavimus: interpretem vero, cum non satis neque sua præfatione ad libros Origenis neque apologia ad nos missa se purgaverit, immo forte iisdem erroribus reipsa consentiat, Romam ad judicium sedis apostolicæ vocavimus, et renuentem venire eadem sententia involvimus. Damnationis autem sententiam fratribus nostris Venerio et Chromatio scripsimus.* Tum in subnexo commentario hujusmodi additamentum triplici ratione approbare conatur, quarum nulla id quod vult, necessario conficit, ac præsertim duæ postremæ verbis Anastasii vel depravatis, vel perperam intellectis nituntur. Nonnulli autem characterem ideo mutatum arbitrantes, ut sententia adversus Origenem ac Rufinum prolata facilius secerneretur, addititia Garnerii verba pro genuinis Anastasii acceperunt. Et in hunc quidem errorem lapsus est nominatim Ant. Pagius in Critico opere suo ad ann. 401, n. 9. Verum nulla jam subest ratio, cur hunc Anastasii locum, qualem exhibemus, non sanum aut integrum quis suspicetur.

[g] Is est Venerius Mediolanensis episcopus, ad quem simul et ad Anastasium nostrum anno 401 Carthaginense concilium legatos mittere constituit, quemque Hieronymus post med. lib. II, n. 2, apol. cum Anastasio item nostro necnon Theophilo Alexandrino, Chromatio Aquileiensi, et omni cum Orientis tum Occidentis Catholicorum synodo recenset, *ut qui pari sententia, quia pari et spiritu, illum* (Origenem) *hæreticum denuntiant populis.*

[h] Mss., *mihi curæ non deerit.*

[i] Garn., *partesque corporis*, omisso *mei;* editi alii, *partes populi mei:* corriguntur ex mss. Ecclesias *corporis sui partes* ea loquendi ratione Anastasius vocat, qua easdem et Cœlestinus epist. 24, *membra* ac *viscera sua* nuncupat, et qua Siricius epist. I, n. 21, ad omnia se respondisse memorat, *de quibus*, inquit Himerium alloquens, *ad Romanam Ecclesiam, utpote caput tui corporis retulisti.*

[j] In vulgatis hic additur *diffusas:* quod non reperimus in scriptis.

[k] Ad hæc respiciens Hieronymus epist. 8, ad Demetriadem, ab Anastasio percussum ait caput hæreseos, *quæ simplicitatem fidei, quæ apostoli voce laudata est, polluere, et* LABEFACTARE CONATA EST.

[l] Ita mss. cum Garner. Alii vero editi, *damnandum*, et mox, *lectio rerum*, non *reum.* Quæ hic memorantur principum responsa, nusquam comparent. Hieronymus quidem lib. I Apolog. prædicat, *Imperatorum scripta, quæ de Alexandria et Ægypto Origenistas pelli jubent*, sed librorum Origenis lectionem iis interdici tacet. Immo circa id tempus a Tranquillino de Origene consultus, *utrum secundum fratrem Faustinum penitus respuendus sit, an secundum quosdam legendus ex parte;* rescribit epist. 76: *Origenem propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium*, etc. Quærunt eruditi, Honorione, an Arcadio, hoc est, num Occidentis, an Orientis imperatori responsa illa tribuenda sint. Non desunt qui ea ab Honorio, Marcello ac cæteris, a quibus Origenis damnatio exspectabatur, instantibus, prodiisse putent. Ex verbis tamen Posthumiani apud Sulpicium dial. I, c. 3, colligere licet, ea ab Orientis imperatore manasse. Primo enim præmittit, fœda Alexandriæ episcopos inter et monachos exstitisse certamina *ex ea occasione, quia congregati in unum sæpius sacerdotes frequentibus decrevisse synodis videbantur, ne quis Origenis libros legeret aut haberet;* ac paulo post subdit: *Per diversas oras monachi sunt fugati, ita ut* PROPOSITIS EDICTIS *in nulla consistere sede sinerentur.* Valde enim probabile est, Origene a Theophilo et synodo ejus damnato, atque operum illius interdicta lectione, episcopos Ægypti, cum synodalibus constitutis nihil proficere se experti essent, edicta petiisse imperialia, et monachos, cum horum edictorum auctoritate

principum, quem lectio reum profana prodiderit. A Hactenus sententiæ meæ forma [a] processerit.

6. Quod te vero vulgi de Rufino querela sollicitat, ut quosdam [b] vagis suspicionibus persequaris : hanc tuam opinionem constringam divinæ lectionis exemplo, sicut scriptum est : [c] *Non sic homo ut Deus; nam Deus videt in corde, homo videt in facie* (I *Reg.* XVI, 7). Itaque, frater charissime, omni suspicione seposita, [d] Rufinum propria mente perpendo si Origenis dicta in latinum transtulit ac probavit : nec dissimilis [e] a reo est, qui alienis vitiis præstat assensum. Illud tamen [f] tenere te cupio, ita haberi a nostris partibus alienum, ut quid agat, et ubi sit, nescire cupiamus. Ipse denique viderit ubi possit absolvi [g].

EPISTOLA II.

[h] AD SIMPLICIANUM.

Studium Theophili ac vigilantiam laudat, cujus litteris conventus, Simpliciano Mediolanensi episcopo denuntiat; a se quoque Origenianæ hæresi inflictum esse anathema.

Domino Fratri SIMPLICIANO ANASTASIUS.

I. Grandem sollicitudinem atque excubias super gregem suum pastor habere approbatur. Similiter et [i] ex alta turre causa civitatis diu noctuque cautus speculator observat. Magister [j] providus navis hora tempestatis et periculi magnam patitur animi jactationem, ne procellis atque asperrimis fluctibus navis elidatur in saxa. Pari animo vir sanctus et honorabilis Theophilus, frater et coepiscopus noster, circa salutis commoda non desinit vigilare, ne Dei populus per diversas Ecclesias Origenem legendo, B in magnas incurrat blasphemias.

II. Conventus litteris memorati, convenio sanctitatem tuam, ut [k] siculi nos in urbe Roma positi,

ab Origenis lectione absterreri non possent, aut id certe prætexeretur, undique fugatos esse. Veri etiam est simile, rescripta illa, quibus Origenis lectio prohibebatur, ad normam ac formam esse concinnata edictorum illorum, quæ Codex Theod. lib. XVI, tit. 5, leg. 34, exhibet, anno 398, Martii 4 die datorum, quibus Arcadius et Honorius Montanistarum aut Eunomianorum codices legi vetant, eosque igni cremari jubent.

[a] Edidit Garnerius *præcesserit :* eaque lectione confirmari putat quod superius senserat de lacuna, in qua sententiam adversus Origenem ac Rufinum prolatam desiderari existimavit. Verum non in aliis tantum editis, sed et in mss. exstat *processerit*, et rectius quidem. Hoc enim sibi vult : Ex occasione novæ librorum περὶ ἀρχῶν interpretationis, quam Rufinus in lucem emisit, quid agendum quidve sentiendum sit, hactenus aperui. Sane hic *sententiæ* vox non latam a judice sententiam, sed ad ea quæ fuerant quæsita datam responsionem sonat : quasi uno C verbo diceret, Hactenus quid sentirem explicui.

[b] Edit. Rom. et concil., *malis suspicionibus persequaris, hanc etiam opinionem :* corriguntur ex mss. et Garnerio : cui quidem Anastasius hic *videtur loqui de Hieronymo, Hieronymique amicis Pammachio, Oceano et Marcella, qui multum re ipsa contulerunt ad promovendam Origenistarum condemnationem.* Et in eos quidem, quos Rufinus in superiore epistola n. 1 *æmulos* suos vocat, cadere videntur vagæ illæ suspiciones. Cum autem in eo essent positæ, quod Joannes Rufini accusatores livoris et invidiæ suspectos haberi vellet, cumque livor internum sit malum solius Dei oculis notum : recte monet Anastasius Deum unum in corde, hominem autem tantum in facie et quæ foris parent videre. Neque vero hic notari putem D suspiciones de Hieronymo sparsas, de quibus Pammachius et Oceanus ad Hieronymum ipsum epist. 64 ita scribunt : *Purga ergo suspiciones hominum, et convince criminationem : ne si dissimulaveris, consentire videaris.*

[c] Ita Garn. cum mss. Alii vero editi, *non sicut videt homo, ita et Deus.* Mox cum iisdem editis etiam Garn., *homo in facie*, omisso verbo *videt*, quod revocatur ex mss.

[d] Editi, *Rufinum scito quod propria mente Origenis dicta*, etc. castigantur ex mss. Quemadmodum superius Anastasius Rufinum conscientiæ suæ permittit, ac prius quam de illo quidquam definiat, discere cupit, auctoremne cujus interpres fuit accuset, an erroribus ejus assentiatur : ita et nunc vult ut Joannes ab omni suspicione liber ad explorandam Rufini mentem, quæ nondum probe perspecta erat, progrediatur.

[e] In edit. Rom. et concil., *ab eo est.* Verius apud Garn. ut in mss., *a reo est.* Istud argumentum Hieronymus Apolog. lib. II prosequens, Rufinum sic urget : *Dic ergo quare Origenis mala in latinum verteris; ut auctorem mali proderes, an ut laudares? Si prodis, in præfatione cur laudas? Si laudas, hæreticus approbaris.... Si hæc omnia probantur mala, igitur unius et auctor et interpres* REI *criminis sunt.* Hujusmodi autem argumento minime opus erat, si jam ab anno præterito Rufinus convictus ac damnatus ab Anastasio fuisset.

[f] Ita Garn. cum mss. At editi alii, *tamen scire cupio.* Mox, *a nostris partibus*, idem est quod a nostra regione, nominatimque ab urbe Roma.

[g] Non sane a lata sententia, sed ab injectis suspicionibus. Ubi enim quis dicta sententia damnatus fuit, si supremus est judex qui illam dixit, non ubivis, sed apud eum unum, a quo damnatus est, absolvi potest. Hinc argumentum ruit Garnerii, qui hæc verba de absolutione judiciali interpretatus, iis probari putat Rufinum lata sententia ab Anastasio fuisse damnatum. A præconcepta illa opinione, quam et ante alii e corruptis epistolæ hujus exemplaribus ceperant, si ad eam castigandam vir eruditus accessisset liberior, aut ad eas quæ præscribuntur editoribus attendisset leges, a mutationibus quas induxit, manus abstinuisset. Illis certe liberum non est vocem ullam de suo addere, vel demere, aut loco movere. Multo minus ipsis licet auctorum suorum lectiones ad præconceptas opiniones accommodare : sed præconceptæ opiniones beneficio lectionum, quæ illis adversantur, corrigendæ.

[h] De tempore quo scripta fuit hæc epistola, vide Vallars. ad tom. I Hieron. in recens. epist. 93, 94, 95.

[i] Uno verbo, nullo autem sensu, erat in archetypo *exultare*, quod ex ingenio emendare non dubitavimus tribus hisce verbis *ex alta turre*, quam scripturam et ipsa orationis series, et perspicui sensus necessitas postulabant. Proclive autem veteri librario fuerit, qui compendiarias exemplaris sui notas non intellexerit, unam pro tribus exscribere. VALLARS.

[j] Mirum dictu est hoc loco, tam paucis in verbis, quam multa peccata sint a veteri amanuensi : siquidem erat in ms. *Magister hactenus navis hora tempestatis ecoris et periculo, magnam*, etc., quæ conjectura tantum adducti mutare ausi sumus, cum nullum esset sensus dispendium, ne hujusmodi monstris lector offenderetur. *Ecoris* vero, quod nomen nihil est, penitus expunximus. ID.

[k] Illud *siculi* adverbium pro *similiter*, sive *eodem pacto* sumitur, cujusmodi exempla apud veteres Latinos scriptores invenimus. Tunc vero pro *ut*, si *et*

quam Princeps Apostolorum statuit et fide sua confirmavit gloriosus Petrus, ne quis contra præceptum legat hæc quæ diximus, damnavimus, et cum magnis precibus postulavimus, ut Evangeliorum instituta, quæ ex ore suo Dei et Christi docuit censura, [a] ab hac recedi omnino non debere, sed illud in memoriam deduci quod Paulus venerabilis Apostolus prædixit atque commonuit : *Si quis vobis evangelizaverit præter quod evangelizatum est vobis, anathema sit* (*Gal.* I, 8). Igitur hoc præceptum tenentes, illud quidquid est fidei nostræ contrarium, ab Origene quondam scriptum, indicavimus, a nobis esse alienum atque punitum.

III. Hæc sanctitati tuæ scripsimus per Eusebium presbyterum, qui calorem fidei gestans, et amorem circa Dominum habens [b], quædam capitula blasphemiæ obtulit, quæ nos non solum horruimus, et judicavimus, verum et si qua alia sunt ab Origene exposita, cum suo auctore pariter a nobis scias esse damnata. Dominus te incolumem custodiat, domine frater merito honorabilis.

legeris, perspicue etiam sensus constabit : nam laciniosus ferme totus est textus, librariorum culpa. Id.

[a] Desunt hic loci quædam, quæ amanuensium veterum oscitantia exciderunt, puta *serventur; et constituimus*, aut quid simile : nec tamen, tot adhuc mendis impedita oratione, sancti Pontificis obscura mens est. Id.

[b] Nimirum Cremonensis Eusebius, qui cum Romæ esset ab anno 398 Origenis libros περὶ Ἀρχῶν a Rufino latinitate donatos, primus accusavit palam, atque inde blasphemiarum capitula excerpsit. Qui et Mediolani cum esset, per id tempus temporis, quo detulit hancce ad Simplicianum Anastasi epistolam, quamdam Rufino præsente recitavit ex ejus interpretatione Origenis sententiam, quam se impugnasse idem Rufinus l. I Invectivar. tradit. Id.

APPENDIX.

EPISTOLÆ DUÆ S. ANASTASIO PERPERAM ATTRIBUTÆ.

(Ex Labb. Conc. tom. II.)

[a] EPISTOLA PRIMA.

AD OMNES GERMANIÆ AC BURGUNDIÆ EPISCOPOS.

I. *Ut sanctum Evangelium universi, non sedentes, sed stantes audiant.* — II. *Transmarini quomodo ad clerum recipi debeant.* — III. *De Manichæis in urbe Romana repertis.*

ANASTASIUS episcopus cunctis Germaniæ et [b] Burgundiæ regionis episcopis in Domino salutem.

Exigit dilectio vestra, charissimi, ut ex auctoritate sedis apostolicæ vestris deberemus respondere consultis. Et quamvis non prolixe, sed succincte hoc agere, propter quasdam alias occupationes festinaremus, denuo tamen, si necesse fuerit, ob has vel alias necessitates, quasi ad caput, mittere charitative non dubitetis, quia vestras preces et nunc et tunc acceptas habemus.

I. Significastis enim quosdam sacerdotes in ecclesia, quando leguntur Evangelia, sedere, et Domini Salvatoris verba non stantes, sed sedentes audire, et hoc ex majorum traditione se accepisse narrant : quod ut nullatenus deinceps fieri sinatis, apostolica auctoritate mandamus. Sed dum SS. Evangelia in ecclesia recitantur, sacerdotes et cæteri omnes præsentes, non sedentes, sed venerabiliter curvi, in conspectu sancti Evangelii stantes, Dominica verba intente audiant, et fideliter adorent.

II. Similiter et transmarinos homines, de quibus nos consuluistis, in clericatus honore nolite suscipere, nisi quinque aut eo amplius episcoporum chirographis sint designati; quia multa per subreptionem solent evenire. Ideo et hæc summopere sunt cavenda.

III. Manichæos vero, quos in urbe Roma invenimus, et sequaces eorum nolite recipere, neque eis communicare, aut ullam cum eis participationem habere, priusquam ad rectam convertantur fidem; ne eorum male pullulantia semina, quæ a nobis in Urbe exstinguuntur, pessimis vobiscum radicibus seminentur vel germinent. Plurimos vero eorum, et suæ sequaces impietatis, atque illorum doctores investigatio nostra reperit, vigilantia divulgavit, auctoritas

[a] *Epistola.* Anastasius plures scripsit epistolas in causa Origenistarum et Donatistarum, et inter alias ad Ursinum de incarnatione Filii Dei, cujus tria exstant fragmenta in appendice ad breviarium Liberati diaconi. Hæc si, quod reperitur in fine illius, scripta fuit Arcadio atque Bautone consulibus, anno Domini 385 atque adeo quatuordecim annis ante ingressum Anastasii exaratam fuisse oportet. Unde si eam legitimam et non potius supposititiam esse velimus, apparet, eam vel aliis pontificibus quam Anastasio ascribendam esse, vel in notam consularem mendum irrepsisse. Imposturæ suspicionem auget, quod maxima pars epistolæ, qua agitur de Manichæis, reperiatur apud sanctum Leonem magnum Romanum pontificem, in epistola illius secunda ad universos Italiæ episcopos scripta. Hæc post Surium Baronius anno 402, num. 48.

SEVERIN. BINIUS.

[b] Vel hoc verbum imposturam arguit, nam sub Valentiniani III imperio primum ad fidem christianam conversi sunt Burgundiones. LABB.

et censura coercuit. Quos potuimus emendare, correximus : et ut damnarent Manichæum cum prædicatione et disciplinis suis, publica in ecclesia professione et manus suæ subscriptione compulimus : et ita de voragine impietatis suæ confessos, pœnitentiam concedendo, levavimus. Aliquanti vero, qui ita se demerserunt, ut nullum his auxiliantis remedium posset subvenire, subditi legibus, secundum Christianorum principum constituta, ne sanctum gregem sua contagione pollurent, per publicos judices perpetuo sunt exsilio relegati, et omnia quæ tam in scriptis, quam in occultis traditionibus suis habent profana vel turpia, ut nosset populus quid fugeret aut vitaret, oculis Christianæ plebis certa manifestatione probavimus (*fort.* propalavimus), adeo ut ipse qui eorum dicebatur episcopus, a nobis tentus, proderet flagitiosa in suis mysteriis (*fort.* mysticis), quæ teneret, sicut gestorum vos series poterit edocere. Ad instructionem enim vestram etiam ipsa direximus : quibus lectis, omnia quæ a nobis deprehensa sunt, nosse poteritis. Et quia aliquantos de his, quos, ne absolverentur, arctior (*fort.* atrocior) reatus involverat ; cognovimus aufugisse, hanc ad dilectionem vestram epistolam misimus, ut effecta certior sanctitas vestra, sollicitius agere dignetur et cautius, nec ubi Manichææ perversitatis homines plebes vestras facultatem lædendi, et hujus sacrilegii possint invenire doctores. Aliter enim nobis commissos regere non possumus, nisi eos, qui sunt perversi doctores (*fort.* proditores) et perditi, zelo fidei dominicæ persequamur, et a sanis mentibus (ne pestis hæc latius divulgetur) (*al.* perditores, ita ms. Justell.) severitate, qua possumus, abscindamus. Unde hortor dilectionem vestram, obtestor et moneo, ut qua debetis et potestis, sollicitudine vigiletis ad investigandos eos, necubi occultandi se reperiant facultatem. Hi, fratres, valde cavendi sunt, ne dominicum gregem perversitatibus, quibus possunt, contaminare valeant. Sunt ergo quidam eorum veste sua oves significantes, interius vero lupi rapaces existunt : *Quos* (juxta veritatis vocem) *ex fructibus eorum debemus agnoscere* (*Matth.* VII, 16). Quando autem cœperint assumere impietatem, illud quod occultabatur in illis, aperitur, et dolus omnis fit omnibus manifestus. Inveniuntur quoque infirmæ fidei homines, et qui divinas lectiones sitiunt, secum eos in perditionem præcipitant. Dissipant enim et vituperant patrum disciplinas, et relinquunt sanctas Scripturas ad suam perditionem. Quos, ut prædictum est, debemus prævidere, et ab his multum cavere, ne in malitia sua aliqui occupati, concidant de sua firmitate. Saluto itaque vos, fratres, et omnes quæ vobiscum bene sentiunt, ecclesias. Nos quoque, ut modo facitis, et alloquamini, peto, crebrius litteris, et frequentius de fide et bona intentione vestra atque sospitate, lætificate, ut et gaudium commune habeamus, et Domino pari voto fideliter serviamus. Data Nonis Octobris, Arcadio et Bautone viris clarissimis consulibus.

[a] EPISTOLA II.

AD NERIANUM.

Nerianum religiosum virum ob parentum amissionem solatur.

Dilectissimo fratri Neriano Anastasius.

Multa mihi in omnibus fidei et bonitatis tuæ litteris causa gaudii est, quod tantum studium circa religionis cultum exhibes, et Domini sacerdotes tuis in partibus adjuvare studes. Unde et Deo gratias ago, qui te ad hoc instigat, et ut perseverabilem in bonis operibus te faciat, exoro. Vos tamen et in prosperis et in adversis Deum laudare magnifice oportet, ejus sub potenti humiliari manu : *ut in tempore vos tribulationis* (juxta Petrum apostolum) *confortet et exaltet* (I *Pet.* V, 6). Fraternitatis ergo vestræ afflictio, quam de amissione parentum vestrorum vos habuisse audivimus, tantam nobis causam mœroris injecit, ut quia nos de duobus charitas unum fecit, cor nostrum in vestris specialiter uri tribulationibus sentiremus. Sed in hoc dolore multum me consolata est sanctitatis tuæ ad animum res deducta, quia (*fort.* qua) et patienter ferre tristitiam decet, et de morte plebis tuæ ulterius longam non habere mœstitiam. Ne tamen aliqua adhuc tribulatio in vestra mente resideat, hortor quiescere (*fort.* quiesce) a dolore : quia indecens est, te illis tædio affectionis addici, quos credendum est ad veram moriendo vitam pervenire. Habent forsitan illi justam longi doloris excusationem, qui vitam alteram nesciunt, qui de hoc sæculo ad melius esse transitum non confidunt. Nos autem qui novimus, qui credimus et docemus, contristari nimium de obeuntibus non debemus, ne quod apud alios pietatis tenet speciem, hoc nobis magis in culpa sit. Nam diffidentiæ quodammodo genus est ; contra [b] quod quisque prædicator queritur, justitiam amans, dicente Apostolo : *Nolumus autem vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent.* Hac itaque, frater charissime, ratione perspecta, studendum nobis est, ne (sicut diximus) de mortuis affligamur, sed affectum viventibus impendamus, quibus et pietas ad utilitatem, et sit ad fructum dilectio. Depone ergo, charissime, mœrorem, et assume spiritualem fructum lætitiæ

[a] *Epistola II.* Eadem fere suspicione imposturæ hæc, sicut etiam præcedens epistola, laboraret, si non in manuscriptis codicibus nota consularis hic circa finem addita abesset. Septimus enim consulatus Theodosii, habens collegam Palladium, incidit in annum Domini 416, qui est 15 post obitum Anastasii. Qua ratione isto tempore Anastasius epistolam scripsisse dicatur, non video. Ne igitur totius epistolæ fides et auctoritas periclitetur, ob manuscriptos codices, unde hæc Anastasii in tomum primum epistolarum pontificiarum relata est ; notam consularem in fine superadditam, hac virgula censoria perstringendam esse judicavimus. SEVER. BINIUS.

[b] *Quod quisque* .... Hoc est, quod quisque prædicat torqueri mœstitia mentis, dicente, etc. LABB.

ad utilitatem sanctæ Dei Ecclesiæ, servorumque ejus profectum: et vitæ hujus quæcumque sunt spatia æternis divinisque officiis illustrare contende, ut qui insignem te prestitit, reddat per sæcula clariorem.

ᵃ Data septimo Idus Junii, Theodosio Augusto VII et Palladio, viris clarissimis consulibus.

ᵃ *Data septimo Idus Junii.* Hæc est illa consularis nota, de fide integre suspecta, quæque tomo primo epistolarum pontificiarum ab hac epistola ex manuscriptis codicibus scripta, abest. SEVER. BINIUS.

ANNO DOMINI CCCCI.

FAUSTUS MANICHÆUS.

LIBER CONTRA FIDEM CATHOLICAM.

(Hic Liber habetur et refellitur ab eminentissimo gratiæ Doctore in XXXIII libris contra Faustum Manichæum, quos vide tom. VIII opp. S. Augustini.)

ANNO DOMINI CCCCIII.

SULPICIUS SEVERUS.

(Galland. Biblioth. Vett. Patr. tom. VIII.)

PROLEGOMENA.

I. SEVERUS *presbyter*, inquit Gennadius (*a*), *cognomento* SULPICIUS, *Aquitanicæ provinciæ, vir genere et litteratura nobilis*, sæculo IV desinente claruisse perhibetur: Paulino scilicet Nolano *ætate florentior* (*b*), quem anno CCCLIII natum edocet Tillemontius (*c*), in litteris liberaliter institutus, et ingenii facultatis laudem adeptus, facundi nominis palmam cæteris in foro præripuit. Uxorem duxit ex consulari familia, magnisque opibus affluit (*d*). Sed sæculo demum abdicato, monasticæ disciplinæ totum se addixit, *paupertatis atque humilitatis amore conspicuus* (*e*). Quod sane variis ex Paulini epistolis palam astruit vir eruditus (*f*). Num vero sacerdotio fuerit initiatus, quamvis id asserat Gennadius, non est adeo exploratum, ut nullus hac de re dubitandi locus supersit (*g*). Beato Martino episcopo Turonensi et Paulino Nolano familiariter usus fuit. Sub vitæ finem a Pelagianis fuisse deceptum tradit idem Gennadius: ejus tamen narrationem vir doctus modo laudatus suspectam reddit (*h*): qui et Massiliæ anno circiter CCCCX Severum e vivis excessisse ferme quinquagenarium existimat (*i*).

II. Complura luculento sermone conscripta reliquit Severus, Sallustium in primis assectatus. Ejus operum seriem hic verbis exponere juverit V. C. qui eadem paucis exceptis haud ita pridem diligenter admodum expolita atque illustrata in lucem emisit; cujus propterea editionem præ cæteris seligendam typisque nostris exprimendam putavimus. Sic igitur ille (*j*): « Scripsit itaque (Severus) *Martini vitam*, ut in votis habuerat, quum tamen non nisi post Martini obitum edidisse, idque anno fere CCCC vergente; satis superque demonstravimus (*k*). Martini Vitam proxime præiverunt partim, partim secutæ sunt *tres epistolæ* de eodem argumento scriptæ, de quibus alibi fusius » (*l*).

III. « Aliud interim aut eodem anno CCCC aut non multo post opus suscepit, *Historiæ* nempe *Sacræ* breviarium jam inde a mundi initio ad Stiliconem usque consulem, qui eo nimirum anno consul primum prodiit. Huic operi absolvendo intentus erat biennio post, quum a Paulino petiit ut quasdam chronologiæ difficultates in ea occurrentes sibi explanaret: quod colligimus ex epistola 28 Paulini anno

(*a*) Gennad. lib. de Vir. illustr. cap. 19.
(*b*) Paulin. epist. 5, § 5.
(*c*) Tillem. Mem. eccl. tom. XIV, p. 724, not. 9 sur S. *Paulin*.
(*d*) Paulin. l. c. § 6.
(*e*) Gennad. l. c.
(*f*) Hier. de Prato Vit. Sulp. Sever. § 8, pag. LXI seqq.
(*g*) Hier. de Prato Vit. Sulp. Sever. § 10, pag. LXV; Tillem. Mem. eccl. tom. XII, p. 689, not. 2 *sur S. Sulp. Sévère*.
(*h*) Hier. de Prato, l. c. § 12, pag. LXIX.
(*i*) Idem ibid., § 15, pag. LXXV.
(*j*) Hier. de Prato, l. c. § 11, pag. LXVIII.
(*k*) Idem, dissert. 1. 2 et 3 opp. Sulp. Sever tom. I, pag. 149-231.
(*l*) Idem, dissert. 1, §§ 5 et seqq.

ccccii scripta, qua illi respondet se de ea re Rufinum consuluisse, et si quid is opis attulerit, facturum certiorem. Sed et anno cccciii accepta a Paulino historia inventionis sanctæ Crucis, quam ejus epistola 31 ad eumdem scripta fuse narrat, eam libello suo adjecit, iisdem fere verbis expressam. »

IV. « Anno demum ccccv Severus *Dialogos* suos vulgavit, de quibus in duabus nostris dissertationibus agimus [a]. Præterea toto eo temporis spatio quam plurimas *Epistolas* scripsit, quas Gennadius primo loco his verbis commemoravit: *Scripsit non contemnenda opuscula: nam epistolas ad amorem Dei et contemptum mundi exhortatorias scripsit sorori suæ multas, quæ et notæ sunt* (ex his una tantum aut altera ætatem tulit) : *scripsit et ad Paulinum prædictum duas, et ad alios alias: sed quia in aliquibus familiaris necessitas inserta est, non digeruntur.* Dolendum sane est, quod jam tum Gennadii ævo minori in pretio essent, nec *digererentur*, seu dispersæ non in unum corpus conjungerentur hæ Severi epistolæ, nimirum quod circa τὰς φιλικὰς φιλοφρονήσεις seu *dulcedines amicitiæ* (qua etiam de causa in aliquibus libris manuscriptis epistola ad Bassulam obtruncata exhibetur) essent occupatæ: sic enim interpretor Gennadii verba: *Sed quia in aliquibus familiaris necessitas inserta est, non digeruntur:* nam una hujus generis, et quidem perbrevis, quæ ad Paulinum scripta adhuc superest, satis declarat quam et cæteræ dignæ essent quæ cedro linerentur. Hæc omnia porro quæ diximus, ad annum usque ccccv pertingunt. Quid postea Severus egerit, ubi fuerit, quamdiu vixerit, quidve omnino illo sit factum, incertum est: nam in Paulini epistolis, post eas quas anno sequenti ad eum per Victorem se misisse scribit epistola 43, num. 2, ne verbum quidem de ipso amplius occurrit. » Hactenus vir eruditus.

V. Quandoquidem vero in nova editione Veronensi quam secuti sumus, desiderabantur *Epistolæ septem* Severi nomine inscriptæ ac superiore sæculo evulgatæ, quarum *duæ* Baluzio, aliæ *quinque* Dacherio acceptæ referuntur; eas propterea eidem editioni attexendas curavimus. Ex quibus tres priores auctorem Severum nostrum agnoscere perhibentur: quatuor autem reliquæ falso ipsi suppositæ comperiuntur. Quid porro studii et operæ in iisdem Epistolis rursus excudendis post Clericum præstiterimus, ex notis subjectis quisque facile perspiciet.

[a] Idem ibid. et dissert. 5 et 6 pagg. 259-317.

VETERUM TESTIMONIA DE SULPICIO SEVERO.

I. [a] S. Paulinus Nolanus, *epist.* 5, *alias* 1, *scripta anno* 395, *num.* 5 *et* 6, *ita ad eum scribit :*

Tu, frater dilectissime, ad Dominum miraculo majore conversus es, quia ætate florentior, laudibus abundantior, oneribus patrimonii levior, substantia facultatum non egentior, et in ipso adhuc mundi theatro, id est, fori celebritate, diversans et FACUNDI NOMINIS PALMAM TENENS, repentino impetu discussisti servile peccati jugum, et lethalia carnis et sanguinis vincla rupisti, neque te divitiæ de matrimonio familiæ consularis aggestæ, neque post conjugium peccandi licentia, et cælebs juventas ab angusto salutis introitu et arduo itinere virtutis in mollem illam et spatiosam multorum viam revocare potuerunt..... Tu ergo verus factor legis, et Evangelii non surdus auditor, qui corpus et mundum configens cruci, delicias juventutis, et vitæ præsentis mala gaudia pro venenis et luctibus aversatus es, respuens patrimoniorum onera ceu stercorum, merito socrum sanctam [b] omni liberaliorem parente in matrem sortitus æternam, quia cœlestem Patrem anteverteras terreno parenti; exemplo apostolorum [c] relicto patre in navicula fluctuante, scilicet in hujus vitæ incerto cum retibus rerum suarum et implicatione patrimonii derelicto, Christum secutus : nec minoris domesticis opibus INGENII FACULTATIS LAUDEM ab hominibus non accipiens, et inanis gloriæ sublimiter negligens, piscatorum prædicationes Tullianis omnibus et tuis litteris prætulisti, confugisti ad pietatis silentium, ut evaderes iniquitatis tumultum : mutescere voluisti mortalibus, ut ore puro divina loquereris, et pollutam canina facundia linguam, Christi laudibus et commemoratione ipsa pii nominis expiares.

Idem *epist.* 11, *alias* 5, *scripta anno* 397, *ad eumdem, num.* 4.

Neque sat habes occasionibus cunctis revisere, nisi et pueros tuos mittas, nec solum de famulis, sed et de filiis sanctis, quorum benedicta in Domino prole lætaris, eligis tabellarios, quorum oculis nos videas, et ore contingas. Speciosi nobis pedes illorum tamquam evangelizantium bona : nuntiant enim nobis et afferunt ea quæ ad pacem sunt de te, cum proferunt opera Domini, quæ aut operaris in verbo Dei, aut scribis in spiritu Verbi.

Ibid., num. 11.

Te vero victa lege membrorum et exteriore corrupto purani conspersionem parare [d], et sine fermento azymum Christo confici, eloquia tua tam facunda quam sancta testantur; neque enim tibi donatum fuisset enarrare Martinum, nisi dignum os tuum sacris laudibus mundo corde fecisses. Benedictus igitur tu homo Domino, qui tanti Sacerdotis et ma-

[a] *S. Paulinus Nolanus, intimus Sulpicii Severi amicus, plures ad eum scripserat epistolas, quarum hodie exstant 13 tantum, ex quibus hæc pauca excerpsimus; licet omnes et singulæ totidem sint Severi virtutum præclarissima testimonia.*

[b] Scilicet Bassulam, ad quam data est epistola 3.

[c] Monet Le Brunius hoc verbum *relicto* in editione Schotti deesse : et sane redundare videtur.

[d] Al. *parari* : quod magis placet.

nifestissimi Confessoris historiam tam digno sermone A tanquam justo affectu percensuisti : beatus et ille pro meritis, qui dignum fide et vita sua meruit historicum, qui et ad divinam gloriam suis meritis, et ad humanam memoriam tuis litteris consecratur.

Ibid., num. 13, in fine :

Sed in me peccatorem fugere, non pauperem, Martini beatissimi frequentator argueris; quem certe numquam desiderasses, si cibis corporis esurire timuisses.

IDEM *epist. 23, alias 3 et 4, scripta anno 401 ad eumdem, num. 3, de Victore loquens :*

Vere recognovimus in eo sanctorum formulam beatorum Martini et Clari, quem proximo intervallo illustris magistri sequacem [a] te auctore cognovimus. Horum se unius in regeneratione progeniem, alterius B in via comitem fuisse filius pacis Victor asseruit.

Ibid., num. 4 :

Vix ut me aquam ministrare manibus suis sineret : ex libro enim tuo istius gratiam servitutis adamavi, ut minimam saltem guttulam de sacris Martini actibus delibarem.

IDEM *epist. 24, alias 2, scripta et missa cum superiore, num. 1 :*

Cur audeas nobis, ut decertato agone victoribus, palmam perfectionis ascribere, quod omnem terrenæ possessionis sarcinam expoluisse videamur : te contra adhuc infelicem et in luto fæcis infernæ adhærentem ingemiscas, quod vel unum, ut scripsisti, prædiolum non vendidisse videaris; cum ipsum quoque æque ut vendita a tuo jure præsenti alienaveris, C ut majoribus fidei fructibus bis devotus existeres Deo, diverso mercimonii opere, sed uno vitæ lucro intra ejusdem præcepti terminos venditor largitorque fundorum, et ideo sine animi captivitate possessor; quia ei quæ reservasti, Ecclesia te serviente possideat. *Adde et quæ num. 3 et 4.*

IDEM *epist. 27, alias 14, scripta itidem anno 401, ad eumdem, num 3 :*

Ineffabile mihi est, quanta me voluptate perfuderint, cum referrent et actus et sermones tuos et perfectum cor tuum charitatis divinæ scientia, qua humilis et excelsus, pauper et dives, servus et liber, famulis conservus, fratribus servus, pauperibus dives in visceribus misericordiæ, divitibus pauper in spiritu mansuetudinis, humilis virtute pietatis, ar- D duus sublimitate virtutis, et servus Deo, liber mammonæ, totum in te spirare Martinum, florere Clarum, maturari Evangelium prædicabant.

IDEM *epist. 28, alias 9, scripta anno 402, num. 5 :*

Præterea autem jussisti, nimium opulenter tibi de paupere tuo blandiens, ut quæ de te annalibus non unius gentis, sed generis humani fugerent, ego videlicet quasi peritior edocerem. Sed sibi imputet famem, qui pauperis amici forem pulsat, et promptuarium inane scrutatur. Numquam enim in hæc investiganda et colligenda mihi contentum studium fuit : nam etiam in tempore veteri, quo videbar legere nec legenda, ab historicis scriptoribus peregrinatus sum. Attamen nunc operis tui curam gerens, quo te pro utilitate fidei nostræ inspiciendis et conferendis præteritorum temporum rationibus occupatum indicasti, quod de me non habui, de fratris unanimis opulentiori thesauro petivi; et ipsam annotationem, quam commonitorii vice miseras, litteris meis inditam direxi ad Rufinum presbyterum, sanctæ Melani [b] spiritali in via comitem, vere sanctum et pie doctum, et ob hoc [c] intima mihi affectione conjunctum. Si ille has, quæ merito te permovent, de annorum sive regnorum non congruente calculo hiantis historiæ causas non ediderit, qui et scholasticis et salutaribus litteris Græce juxta et Latine dives est; vereor ne apud alium in his regionibus frustra requiramus. Quod si præsumptioni de se meæ satisfecerit, prima occasione, si Dominus faverit, transmittam unanimitati tuæ, utcumque mihi super hac ratione rescripserit.

IDEM *epist. 29, alias 10, scripta eodem quo superior tempore ad eumdem, num 6 :*

Quo etiam ILLUSTRI ILLI MATERIA ET ELOQUENTIA LIBRO TUO vicem aliquam videar reddere; si feminam (*Melanium*) inferiorem sexu, virtutibus Martini Christo militantem prosequar, quæ, etc.

Ibid., num. 14, de eadem Melanio loquens :

Non tuli, frater, ut te ista nesciret. Ut gratiam in te Dei plenius nosceret, tuo te illi magis quam meo sermone patefeci : Martinum enim nostrum illi studiosissimæ talium historiarum ipse recitavi. Quo genere te et venerabili episcopo atque doctissimo Nicetæ, qui ex Dacia Romanis merito admirandus advenerat, et plurimis Dei sanctis, in veritate non magis tui prædicator quam mei jactans, revelavi : gloria enim mihi est, diligi [d] te et amari, quem famulum veritatis consona linguæ vita testatur.

IDEM *epist. 32, alias 12, scripta anno 403 ad eumdem. Inter versiculos, quos mittit ipsi aliquibus in locis basilicæ ab eo ædificatæ et depictæ parietibus inscribendos, hi habentur, num. 3 :*

Dives opum Christo, pauper sibi, pulchra *Severus*
Culmina sacratis fontibus instituit.

Ibid., num. 5 :

Corpore, mente, fide castissimus incola Christi
Condidit ista Deo tecta *Severus* ovans.
Totus et ipse Dei templum viget hospite Christo,
Gaudentemque humili corde gerit Dominum.

[a] Alludit ad ea quæ Severus in epist. 2, ad Aurelium scripserat.

[b] Ita editio Rosweydi, et Le Brunii ex mss.; alibi tamen legitur *Melanii.*

[c] Ex hoc aliisque locis Paulini aperte colligas, ipsi admodum charum fuisse Rufinum : Severo vero cum eodem nullam intercessisse amicitiam hinc plane liquet. Itaque corrigendus Norisius qui Hist. Pelag. lib. I, cap. 2, scripsit : *Paulinum Nolanum, et Severum Sulpicium non modo Rufini amicos, sed et encomiastas fuisse, ex ipsorum litteris satis intelligitur.*

[d] Forte *a te.*

Ecce velut trino colit unam nomine mentem ;
Sic trinum sancta mente sacravit opus.

II. PAULINUS S. *Ambrosii Mediolanensis episcopi notarius, initio ejus Vitæ quam scripsisse autumant anno* 412 *aut* 413 *aut saltem* 422 [a] *ad beatum Augustinum episcopum ita scribit* :

Hortaris, venerabilis pater [b] Augustine, ut sicut beati viri Athanasius episcopus et Hieronymus presbyter stylo prosecuti sunt vitas SS. Pauli et Antonii in eremo positorum, sicut etiam Martini venerabilis episcopi Turonensis ecclesiæ *Severus servus Dei* LUCULENTO SERMONE contexuit ; sic etiam ego beatissimi Ambrosii episcopi Mediolanensis ecclesiæ meo prosequar stylo. Sed ego ut meritis tantorum virorum, qui muri ecclesiarum sunt et eloquentiæ fontes, ita etiam sermone me imparem novi.

III. S. HIERONYMUS *scribens, circa annum* 415, *in Ezechielis cap.* XXXVI :

Neque enim juxta Judaicas fabulas, quas illi δευτερώσεις appellant, gemmatam et auream de cœlo exspectamus Jerusalem : nec rursum passuri circumcisionis injuriam, nec oblaturi taurorum et arietum victimas, nec sabbati otio dormiemus. Quod et multi nostrorum, et præcipue Tertulliani liber qui inscribitur *De spe fidelium*, et Lactantii Institutionum volumen septimum pollicetur, et Victorini Petabionensis episcopi crebræ expositiones, et nuper *Severus* noster in Dialogo, cui Gallo nomen imposuit : et ut Græcos nominem, et primum extremumque conjungam, Irenæus et Apollinarius.

IV. URANIUS *presbyter in epistola ad Pacatum De Obitu S. Paulini, scripta anno* 441 *aut paulo post* :

Martinus autem vir per omnia apostolicus, cujus [c] Vita ab omnibus legitur, Galliarum episcopus fuit.

V. PROSPERI AQUITANI *Chronicum Pithœanum, quod desinit in annum* 404, *ad annum Arcadii et Honorii* IX :

Severus, ex disciplina sancti Martini, ejus vitam tribus explicat libris.

VI. PAULINI PETROCORICENSIS, *qui Vitam beati Martini versu expressit circa annum* 460, *lib.* V, *vers.* 193 *et seqq.* :

Testis adest docto mirabilis ore *Severus*,
Et tota Christum cordis virtute secutus,
Insignis mundi titulis, sed clarior illa,
Qua mundum tempsit, sanctæ virtute fidei ;
Nobilitate potens, sed multo extentius idem
Nobilior Christi cultu quam sanguinis ortu.
Hic Sacrum Canonem, distentæ et scripta coarctans
Historiæ, geminis conclusit cuncta libellis,
Quæcumque a primis percurrerat edita sæclis.
Idem Martini titulos vel gesta retexens,
Scrutator cautus veri, fidusque relator,
Protulit in medium tam claræ insignia vitæ ;
Sic justam retinens æquato examine libram,
Ne dubia astrueret dicens, nec certa taceret.
Hic Sancto persæpe pie sociatus adhæsit,
Ut solet in speculo cordis perspectio mentis
Cognatæ [d] similis morum sociare figuras :
Quo mage credendum est testem magis esse probatum,
Qui coram comperta docet, cum visa loquatur.

VII. GENNADIUS *in* [e] *Catalogo de Viris illustribus, quem scribebat circa annum* 494 [f], *sub numero* 19 :

Severus presbyter, cognomento Sulpicius, Aquitanicæ provinciæ, vir genere et litteratura [g] nobilis, et paupertatis atque humilitatis amore conspicuus, charus [h] etiam sanctorum virorum Martini Turonensis episcopi, et Paulini Nolensis, scripsit non contemnenda opuscula : nam epistolas ad amorem Dei et contemptum mundi hortatorias scripsit sorori suæ multas, quæ [i] et notæ sunt. Scripsit ad Paulinum [j] prædictum duas, et ad alios alias : sed quia in aliquibus etiam familiaris necessitas inserta est, non digeruntur. Composuit et Chronica ; scripsit et ad multorum profectum Vitam beati Martini monachi et episcopi, signis [k] et prodigiis ac virtutibus illustris viri : et collationem Postumiani et Galli se mediante et judice de conversatione monachorum Orientalium

[a] Vide Tillem. in Vita S. Ambrosii § 2.

[b] Ex his verbis jure possumus arguere et cognitam et in pretio habitam fuisse S. Augustino S. Martini Vitam a Severo scriptam : neque tamen verum esse comperio eum in epistolis suis Severi mentionem aliquando fecisse : nam quod in omnibus fere Severi editionibus ejus testimonium producitur ex epist. 205, nihil moror : in comperto enim est eam epistolam Augustino falso ascriptam, quod vero alii, iique non ignobiles scriptores, Labbeus, Bailletus, Natalis ab Alexandro, epistolam ejusdem 25 citant, eodemque tempore animadvertant eam quæ num. 205 prænotatur supposititiam esse, profecto graviter allucinantur : nullibi enim, quod comperiam, in epistolis Augustinus Severi nostri meminit, et sane in antiquis editionibus, ad quas provocat Bailletus, epist. XXV ne quidem Augustini est, sed Hieronymi.

[c] Hæc autem, non alia certe ab ea quam Severus edidit.

[d] Pro *similes*.

[e] Collatione facta cum tribus mss. codicibus, primo antiquissimo Capituli Veronensis, in quo habetur integer liber ejusdem Gennadii ; altero Brixiano, et tertio Veneto, in quorum primo præmittitur Dialogis, in altero postponitur hoc de Sulpicio Severo testimonium : item cum aliis libris impressis.

[f] Vide Norisium Hist. Pelag. lib. II, cap. 16.

[g] *Litteratura* : ita Venetus, et ita legit Pastrengus : favent Capitularis et Brixianus, qui habent *littera* : et ita legitur in editione Parmensi anni 1480 Operum D. Hieronymi. Ea voce usus Gennadius et in Prudentio, *Vir sæculari litteratura eruditus*. Vulgat. habent *litteris*.

[h] Editio Gennadii Hamburgi curata a Joanne Alberto Fabricio, quam sequitur editio Hieronymiana Veronensis, habet *clarus... notitia*, contra mss. et impressorum fidem. Sic Hieronymus lib. de Vir. Illustr. in Serapione, *Charus Antonii monachi* ; et Tertullianus de Pœnitentia cap. 9 : *Charis Dei adgeniculari*.

[i] Conjunctio *et*, quæ abest ab editione Hamburg. et Veronensi, habetur in Cap. et in editione Parmensi.

[j] *Ad supradictum Paulinum Nolanum duas*. Cap. Brix. cum Parm. editione ; quæ cum Veneto libro, et aliis impressis præmittit *et* : *et ad supradictum*.

[k] *Et prodigiis* in Brix. non apparet.

et ipsius Martini habitam in Dialogi speciem [a] duabus in concisionibus comprehendit : in quarum priore refert suo tempore apud Alexandriam [b] synodo episcoporum decretum, Origenem [c] et cautius a sapientibus pro bonis legendum, et [d] a minus capacibus pro malis [e] repudiandum. Hic in senectute sua a Pelagianis deceptus, et agnoscens loquacitatis culpam, silentium usque ad mortem tenuit, ut peccatum quod loquendo contraxerat, tacendo [f] penitus emendaret.

VIII. Gelasius *in concilio* LXX *episcoporum, Decreto de Apocryphis Scripturis edito anno* 496 :

Opuscula Postumiani et Galli apocrypha.

IX. Vigilius Tapsensis, *qui floruit sub finem sæculi* V *non interpres sed auctor disputationis Athanasii contra Arium, in Proœmio :*

Sed si illud recolat, quod in Chronica sua beatæ memoriæ [g] *Sulpicius severus* posuit, dicens ; *Duo Arii tamquam duo serpentes ex uno ore sibilabant ;* duos Arios fuisse evidenter reperiet.

X. Eugippius *presbyter, discipulus S. Severini Noricorum apostoli, in ejus Vita, quam scripsit ut ipse testatur in epistola ad Paschasium diaconum, biennio post consulatum Importuni, id est* Coss. Felice et Secundino, *anno Christi* 511 :

Severus quoque *Sulpicius* refert ex relatione Postumiani, virum quemdam magnis virtutibus signisque mirabilem, ad expellendam de corde suo jactantiæ vanitatem quam incurrerat, exorasse ut, permissa in se mensibus quinque diaboli potestate, similis his fieret quos ipse curaverat.

XI. Venantius Fortunatus, *qui postea fuit Pictavensis episcopus, in Vita Martini scripta ante annum* 570, *lib.* II, *vers.* 467 *et seqq.* :

Cujus [h] prosaicus cecinit prius acta *Severus*
Versibus intonuit Paulinus deinde beatus :
Æquipararc [i] valens illustris uterque relator,
Materia victi sed et ipsi carmine cedunt.

Et lib. III, *vers.* 10 *et seqq.* :

Ante per Adriacos fluctus dare vela videbar
Cum duce *Sulpicio*, bene cujus ab ore venusto
Martini sacros dulcis stylus edidit actus,
Quos ego sub geminis claudo pede curro libellis.

Et paulo infra :

Dum tamen alta peto, resonet mihi *Gallus* in aure
Gesta beata viri, [j] qua mitiget unda tumorem,
Et sermone viam relevet sale fabula dulcis.
Deferor ecce freto, fugiunt et littora visum :
Remiget hic *Gallus*, Martinus vela gubernet.

XII. Gregorius Turonensis *Hist. Franc. lib.* I, *cap.* 7 :

Hoc vero [k] holocaustum in monte Calvariæ, quo Dominus crucifixus est, oblatum fuisse, *Severus* narrat in Chronica.

Idem *lib.* II *Hist. Franc., in Proœmio :*

Sic et Eusebius, *Severus* Hieronymusque in Chronicis, atque Orosius, et bella regum et virtutes martyrum pariter texuerunt.... Venientes ergo per ante dictorum auctorum historias, ea quæ in posterum acta sunt, Domino jubente, disseremus.

Idem *Hist. Franc. lib.* X, *cap.* 31 :

De cujus (*S. Martini*) vita tres a *Severo Sulpicio* libros conscriptos legimus.

Idem *lib.* I *Mirac. S. Martini :*

Multi sunt qui virtutes S. Martini vel stante versu vel stylo prosaico conscripserunt, de quibus primus ille *Severus Sulpicius*, cui tantus fervor amoris fuit in Sanctum Dei, ut eo adhuc degente in sæculo unum librum de mirabilibus vitæ ejus scriberet : exinde post transitum beati viri duos libros scripsit, quos Dialogos voluit vocitari ; in quibus nonnulla de virtutibus eremitarum anachoretarumque, referente Postumiano, inseruit : sed in nullo inferiorem nostrum potuit reperire Martinum, quem apostolis sanctisque prioribus exæquavit, ita ut etiam diceret, *Felicem quidem Græciam, quæ meruit audire Apostolum prædicantem; sed nec Gallias a Christo derelictas, quibus donavit Dominus habere Martinum.*

Idem *in epistola præmissa quatuor libris de Miraculis S. Martini episcopi :*

Miracula illa quæ Dominus Deus noster per beatum Martinum antistitem suum in corpore positum operari dignatus est, quotidie ad corroborandam fidem credentium confirmare dignatur. Ille nunc exornans virtutibus ejus tumulum, qui in eo operatus est cum esset in mundo ; et ille præbet per eum beneficia Christianis, qui misit tunc præsulem gentibus perituris. Nemo ergo de ante actis virtutibus dubitet, cum præsentium signorum cernit munera dispensari, cum videt claudos erigi, cæcos.... Ego vero fidem ingerens libri illius [l] qui de ejus vita ab anterioribus est scriptus, præsentes virtutes, quantum ad memoriam recolo, memoriæ in poste-

[a] Miræus, Fabricius et alii ; *in tribus incisionibus :* male : *duabus in concisionibus* est in Cap. et Parm. editione, quibus suffragantur Brix. et Ven., *in duabus concisionibus ;* al. edit., *duabus incisionibus.*

[b] Edit. Hamburgensis et Veron., *in synodo.* Male alii quidam libri impressi, *apud Alexandrinam synodum episcoporum decretum.*

[c] *Et cautius. Et* est ex Cap. et Brix. Parm. edit. et aliis.

[d] In Cap. Brix. mss. et edit. Parm., *a minus capientibus.*

[e] Hamburg. et Veron. edit., *refutandum :* sic habet et Ven. liber.

[f] Ita libri omnes præter Hamburg. et Veron. qui habent *pœnitens*, ex cod. Corbeiensi ; cujus variantes lectiones habes in Tom. II editionis Parisiensis S. Hieronymi.

[g] Sed verba citata non sunt propria Severi. Vid. *Histor. Sacræ* lib. II, cap. 35.

[h] *Martini.*

[i] Lege *valens.*

[j] Forte *quo.*

[k] Loquitur de Abrahæ sacrificio. Sed hic locus non habetur in Severo.

[l] Vel Severi opuscula singillatim his verbis indicat, vel Severi, Paulini et Fortunati opera in unum volumen compacta.

rum, Domino jubente, mandabo.... Utinam *Severus*, aut Paulinus viverent, aut certe Fortunatus adesset, qui ista (*Miracula S. Martini*) describerent!

IDEM *lib.* I *de Mirac. S. Martini cap.* 4, *in fine :*

Sed et si ad *Severi* recurramus historiam, ipsa hora cum sibi scripsit [a] in libro Vitæ suæ fuisse revelatum.

IDEM *lib.* II *de Mirac. S. Mart. cap.* 32 :

Cum talia miracula, quæ scripsimus, quotidie cernamus, quid illi miseri sunt dicturi, qui *Severum* in Vita sancti antistitis mentitum esse pronuntiant? Nam audivi quemdam nequam, ut credo, spiritu repletum, proloquentem non potuisse fieri, ut oleum sub Martini benedictione crevisset : sed nec hoc, quod elapsa ampulla, super stratum marmoris corruens, perstitisset illæsa [b].

IDEM *ibidem*, *cap.* 49 :

Venerat dies festus solemnitatis beati, in qua caterva populorum multa concurrerat.... Denique Sacerdotibus qui advenerant, ad agenda solemnia procedentibus, cum lector, cui legendi erat officium, advenisset, et arrepto libro *Vitam* sancti cœpisset legere Confessoris, etc. [c].

XIII. JONAS *monachus Bobiensis, fere æqualis S. Columbano abbati, qui obiit anno* 615, *cujusque vitam scripsit, quæ habetur sæculo* II *Benedict. apud P. Mabillon. et nonnihil interpolata apud Surium; in Præfatione illius Vitæ hæc habet :*

Beatus Athanasius Antonii, Hieronymus Pauli et Hilarionis, vel cæterorum quos cultus bonæ vitæ laudabiles reddebat; Postumianus vero, *Severus* et Gallus Martini egregii pastoris, nostris eorum memoriam dimisere sæculis : plerique aliorum, etc.

XIV. *In Prologo Vitæ S. Projecti episcopi et martyris, cujus mortem Sigebertus anno* 670 *consignat*, *auctore coætaneo anonymo.*

Sed ut ad sacros veniam anachoretas, atque confessores, beatus Athanasius Alexandrinus episcopus Antonii, sanctus vero et eruditissimus vir Hieronymus Pauli et Hilarionis, vel cæterorum quos cultus bonæ vitæ laudabiles reddebat, edidit acta : Postumianus vero, *Severus* et Gallus Martini egregii vitam suis edidere schedulis... Jonas etiam nostræ memoriæ tempore vir eloquens vitam beati Columbani et discipulorum ejus Athalæ, Eustasii et Bertulfi luculentissime edidit.

XV. *Ex Epitome Canonum, quam Adrianus summus Pontifex Carolo magno Romæ obtulit anno circiter* 774 [d].

Sciendum est autem, hunc Osium inter CCCXVIII

A Patres Nicæni concilii honorabilem fuisse, atque ab apostolica sede cum Victore et Vincentio presbyteris destinatum, [e] qui et Hispanus usque ad tempus Constantii principis in corpore legitur permansisse. Hic tamen in extremis suis satis pueriliter desipuit, ut *Severus Sulpicius* in Chronicis suis testatur, asserens quod Constantius imperator numerosissimum Ariminense concilium ab eo contra catholicam fidem congregatum Arianæ hæresi subscribere compulisset. Unde etiam, etc.

XVI. *Ex Collectione historica chronographica ex Idatio*, *collectore quodam Gallo*, *Carolo magno compari :*

Anno [f] undecimo regni Arcadii Martinus episcopus Spiritu sancto plenus et vir apostolicus transiit ad B Dominum carne deposita : cujus vitam et mirabilia quæ fecit, SEVERUS VIR SUMMUS, discipulus ipsius, qui et Chronica, alia quam hæc sunt, ab initio Genesis apertissime scripsit [g].

XVII. *Martyrologium* RHABANI, *ex tom.* II *part.* II *Thes. Monum. Eccl. Henrici Canisii*, *ad annum* 804 :

Novembris III idus. Depositio beati Martini Turonensis Archiepiscopi et Confessoris, cujus vita et doctrina per miracula quæ Dominus per eum fecit, pene omnibus fidelibus claret, nec necesse est aliquid hic inde a nobis commemorari, quia ipsius vitam, virtutes et signa *Sulpicius Severus* luculento sermone manifeste descripsit; nec non et Gregorius ejusdem urbis episcopus in Miraculorum libris plenissime C disseruit.

XVIII. ADO *Viennensis in Chronico, quod perduxit ad annum* 874.

Severus presbyter [h], cognomento Sulpicius, Aquitanicæ provinciæ, vir genere et litteris nobilis, et paupertatis amore conspicuus, charus etiam sanctorum episcoporum Martini Turonensis et Paulini Nolani, moritur. Hic in senectute sua a Pelagianis deceptus, et agnoscens loquacitatis culpam, silentium usque ad mortem tenuit, ut peccatum quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret.

XIX. S. ODO *Abbas Cluniacensis, qui obiit anno* 842, *Serm.* 4 *de combustione Basilicæ beati Martini*, *qui* D *habetur tom.* XVII *Bibl. PP. pag.* 266 :

Quem (*S. Martinum*) sicut de eo perhibetur, usquequaque Deus mirificans, etiam in hoc glorificat, quod [i] omnis qui de illo et prosaice et metrice sive etiam rhythmice scripserunt, et sancti et periti

[a] Al., *cum libro :* et melius. Si legamus *in libro*, indicat epistolam ad Aurelium.

[b] Habentur hæc duo miracula Dial. III, cap. 3. Hos Dialogos sub Vita S. Martini comprehendit, ut vidimus et epistolas comprehendere in Testimonio superiori.

[c] Huic adde cap. 29 ejusdem libri II, et cap. 42 lib. III, quibus locis de libro Severi agi videtur.

[d] Ita in collectione Conciliorum, et in Antiquis Lectionibus Canisii tom. II. Vide tamen quæ illic annotavit Sirmondus.

[e] Forte, *qui in Hispaniis*.

[f] Alii legunt *decimo quinto* seu XV. Vide Tillem. in Martini Vita, not. 12, col. 781.

[g] Hunc locum præ oculis habuerunt Vossius aliique, qui Idatium scribunt laudasse Severum : itaque Tillemontius loco supra citato scribit : *Mais je n'ai pu trouver cet endroit dans Idace*.

[h] Hæc omnia ad verbum ex Gennadio.

[i] Lege *omnes*.

fuisse, et dulci admodum et congruo eloquio noscuntur quæ [a] pertulerunt edidisse [b].

XX. Hugo *archidiaconus Turonensis in Dialogo de quodam miraculo quod contigit in translatione S. Martini, quem Dialogum scriptum vult Mabillonius post annum* 1012, *apud eumdem Mabillonium Analectorum tom.* I:

Sed ut ad Martinum recurram, habet et ipse virtutum suarum egregios interpretes, licet et has ipse occultare maluerit; habet, inquam, Paulinum, virum apostolicum, Fortunatum, *Severum* et Gallum, qui isti Martinum usque ad extremos mundi cardines, velut evangelici testes, diffuderunt.

XXI. Hermanus Contractus *in Chronico juxta editionem Canisii Antiqu. Lection. tom.* III, *part.* I, *quod perduxit ad annum* 1054, *hæc habet ad annum* 397:

Sanctus Martinus Turonorum episcopus post multas virtutes migravit ad Dominum anno ætatis LXXXI; episcopatus vero XXVI, cujus virtutes et vitam *Sulpicius Severus* egregio edidit stylo.

Ex eodem Chronico juxta Urstisii ms. a Pistorio edito tom. I *Scriptorum rerum Germanicarum, ad annum* 390:

Hoc tempore S. Martinus, Ambrosius episcopi, Hieronymus presbyter, Joannes Chrysostomus, Augustinus et *Severus*, aliique quamplures doctores claruerunt.

Ibidem ad annum 397:

Sanctus Martinus episcopus migravit ad Dominum anno ætatis LXXXI, episcopatus vero [c] XXII, cujus vitam et virtutes *Sulpicius Severus* egregie composuit.

XXII. Petrus Damiani, *qui floruit circa annum* 1070, *in sermone de S. Martino:*

Nobilis ille confessor, sacerdotum gloria, gemma pontificum, clericorum forma, lumen monachorum, solemnem diem universitati nostræ præfixit. Hic est Martinus miraculorum potestate sublimis, qui terrarum orbem lumine suæ cognitionis implevit. Ægyptus, religionis mater et eremitarum fecundissima nutrix, Martinum tantis filiis posuit in exemplum. Crevit in immensum fama nominis ejus, et ausa est in ipsam apostolorum irrumpere dignitatem, quorum manus tractaverunt de verbo vitæ, qui filium hominis inter filios hominum felici vocis officio divulgarunt. In omnem terram pervagata est memoria tanti pontificis, et ubicumque resonat fides Christiana, sonat vita Martini. *Et post pauca:* Actus ejus et vitam Severus insignis orator ita suo nobilitavit eloquio, ut et historiam relatione plena veritate proponeret, et rhetoricis legibus multipliciter insigniret.

XXIII. Sigebertus Gemblacensis *monachus in Chronico, quod ad annum usque* 1112 *perduxit, hæc habet ad annum* 399:

Florebant in Ecclesia hoc tempore sancti et docti viri Joannes Chrysostomus .... in Aquitania *Severus*, qui vitam S. Martini et multa alia scripsit; qui in senecta a Pelagianis seductus, silentium usque ad mortem tenuit, tacendo corrigens quod loquendo peccavit.

XXIV. S. Uldaricus *in collectione* Antiquiorum consuetudinum Cluniacensis Monasterii *concinnata anno* 1110, *hæc habet cap.* 43, *quod est* de Festivitate S. Martini, *etc.*:

Cujus Vita cum sit luculento stylo composita, et de ipsius adeo virtutibus admiranda, SS. Patres nostri, sicut in Assumptione S. Mariæ, ita hic quoque noluerunt, ut in ejus (*Martini*) Depositione aliud Evangelium pronuntiaretur, vel alia Homilia, quam ipsa Vita legeretur [d].

XXV. Honorius Augustodunensis, *qui floruit circa annum* 1130, *lib.* II *de Scriptoribus Ecclesiasticis cap.* 19:

Severus presbyter, cognomento Sulpicius, Aquitanicæ provinciæ, vir genere et litteris nobilis, scripsit vitam Martini Turonensis episcopi et Paulini Nolensis [e], et sorori suæ epistolas multas hortatorias ad amorem Dei et contemptum mundi; scripsit et ad Paulinum duas, et ad alios alias. Sub Arcadio claruit.

XXVI. S. Bernardus *Clarævallensis Abbas, qui obiit anno* 1153, *Sermonem quem habuit in festo S. Martini, Severi verba usurpat sæpius, et ipsius nomen exprimit, cum dicit:*

Audi vero mansuetudinem ejus, suo illo *Sulpicio* sic scribente: [f] Tantam adversus omnes injurias patientiam assumpserat, ut cum esset summus Sacerdos, impune etiam ab infimis clericis læderetur, nec propter id eos aut loco umquam amoverit, aut a sua, quantum in ipso fuit, charitate repulerit.

XXVII. Chronographus Saxo *a Leibnitzio editus, quique ad annum* 1188 *annales suos protulit, proindeque illo ipso tempore vixisse credi potest, pag.* 84:

Annus Domini CCCCVII, Arcadii et Honorii IX, *Severus* vitam S. Martini eleganter scribit.

XXVIII. Guibertus Martinus *abbas Gemblacensis, qui anno* 1208 *obiisse dicitur, in elogio seu apologia Severi, quæ habetur apud Boll.* 29 *Januar. pag.* 968 *et seqq.:*

Sulpicius Severus, primum beati Martini discipulus, post Bituricensis archiepiscopus, juxta Gennadium in libro quem de viris scripsit illustribus, immo sicut ex gestis ejus patet, quæ in Majori-Monasterio positus legi, ex Aquitaniæ partibus oriundus fuit, et tam disciplinis liberalium artium quam generis nobilitate clarus enituit. Itaque gemina simul et prosapiæ et sapientiæ ac scientiæ præpollens gloria,

[a] Lege *protulerunt*.

[b] In eodem sermone plura ex Severo decerpit, iisdem ut plurimum verbis transcriptis.

[c] Lege XXVI.

[d] Lectam olim fuisse Vitam S. Martini in ecclesia Turonensi constat ex Gregorio Turonensi.

[e] Notat Aubertus Miræus labi Honorium, dum scribit Severum Paulini Vitam scripsisse.

[f] Hæc verba habentur in Vita S. Martini prope finem.

quodque inter hujusmodi homines caput est, mediocritatis virtute conspicuus, cum ad viriles mediæ ætatis excrevisset annos, ut vir prudens, mundum in maligno positum esse perpendens, et secundum carnem vivere vel sapere mortem et stultitiam deputans, relicta domo et cognatione, rebusque propriis in usum pauperum expensis, ad beatum Martinum se contulit; a quo officiose et grate susceptus, ejus se discipulatui incunctanter subdidit, et cum eo in prædicto Majori-Monasterio, donec carne exueretur, vir sanctus familiarissime conversatus est. Recepto denique inter cœli secreta beatissimo Martino, Sulpicius iste Severus, qui ejus discipulatui totus semper inhæserat, cellam Patris per quinquennium, hæreditate videlicet, præclare plus hæres et habitator obtinuit. Quem, scilicet Sulpicium, quamvis admodum renitentem, Bituricensis clerus inde extrahens, sanctitate et scientia viri, pariterque amore ductus beati Martini magistri ejus, archiepiscopum sibi sublimavit. Quod a Pelagianis seductus in aliquo a regula orthodoxæ fidei exorbitaverit, nusquam omnino nisi in solo legi Gennadio, qui nescio utrum hoc alicubi et ipse legerit, an ex sola fama, quæ facta et infecta loquitur, didicerit, illud tamen fideliter credo, hunc ejus errorem apud pium judicem Christum, qui pœnitentibus clementer ignoscit, ipsius merita non minorasse, sicut in Ecclesia videmus gloriam sanctitatis ejus non obscurasse; cum auctor idem qui refert deceptum, testetur et correctum, dicens, illum pœnitentiam sibi ipsi imposuisse, ut scilicet silentium usque ad mortem teneret, quatenus tacendo penitus emendaret quod incaute loquendo deliquisset. Et hoc eo magis sit mirum necesse est, quod cum esset clarus genere, sublimis dignitate, episcopus officio, ac per hoc pluribus se debens, publicum desereret, secretum peteret, atque carcerali latebra se prædamnans, simulque vigiliis, fame et frigoribus carnem macerans, in spiritu humilitatis et animo contrito Deo satisfaceret. Proinde quis, nisi de Christi pietate diffidens, non dico de ejus salute, sed de maxima ejus sanctitate dubitare jam audeat? Fidelis sermo, et omni acceptione dignus. Et quidni illa taciturnitate solitaria ad diligendum Deum intra se concalesceret cor ejus? quidni in meditatione ejus exardesceret ignis compunctionis (quidni, dum non nisi ad hoc vacat, revocaretur dolor offensionis suæ)? Quo scilicet igne in camino divinæ probationis examinatus, et fonte lacrymarum, quibus per singulas noctes, id est recordationes ejusdem offensionis, stratum conscientiæ rigabat, cum hyssopo purgatoriæ humiliationis aspersus, profecto mundatus est a delicto maximo, et super nivem dealbatus. Itaque quodammodo transiens per ignem et aquam, optimo tempore eductus est in refrigerium. Proinde lignum istud fructiferum, etsi aliquando subripiente vento fallaciæ ad Aquilonem transiit, non ibi cecidit nec ibi remansit; sed rursus flante Deo regyratum ad Austrum, ibi in fine cecidit, ibique sine fine permanebit. Si autem assertioni mei solius super his non creditur, credatur toti sanctæ Majoris-Monasterii multitudini, quæ sacræ depositionis ejus solemnia festivo quotannis concelebrat officio: cujus celebritati ipse quoque apud eos degens et semel et iterum interfui, et hanc cum cæteris fratribus cum nonnulla devotione IV kalend. Februarii, ut agitur, percolui. Habeatur ergo, ut dignum est pro auctoritate, tantæ fides ecclesiæ, et contrahat et oppilet os suum iniquitas, quæ confessionem et pulchritudinem, quam dedit Dominus sancto suo et excelso in verbo gloriæ, procaciter illi nititur abrogare. Gratias tibi ago, doctrix viarum Dei omnipotens sapientia, quæ in eo vicisti malitiam, delapsumque in foveam et in vinculis peccati positum non dereliquisti; sed in fraude circumvenientium illi assistens, a peccatoribus gratiæ tuæ adversariis liberasti eum, tantaque sublimasti gloria, ut inter filios ejusdem gratiæ computetur, et inter sanctos sors illius sit. Cæterum ne quis de ignorantia fallatur, et me quoque deceptum sanctitatem alterius alteri arrogasse causetur; noverit hunc alium, et alium illum esse Sulpicium, cujus festivitas XVI kalend. præscripti mensis Februarii in nonnullis ecclesiis celebratur: ambos tamen unius ejusdemque civitatis Bituricensis fuisse archiepiscopos; et hunc quidem ob distinctionem alterius Sulpicium Severum, illum vero Sulpicium Pium appellari. Inveniet autem et diligens annorum supputator hunc illo multum superiorem tempore, cum iste beati Martini, qui tertius Turonicæ præsedit ecclesiæ, ille diebus S. Gregorii, qui nonus decimus eamdem rexit ecclesiam, exstiterit. Sulpicius igitur noster iste insignis et elegans, studiorum et operum beatissimi Martini conscriptor, non reprehensionis elogio, sed summo laudis dignus præconio censeatur, qui splendidissimam gemmam aureo luculenti sermonis circumdans eloquio, tam præclarum tamque politum in medio Ecclesiæ speculare portabat, ut omnes boni æmulatores, qui sui sollicite curam gerentes in veritate salvari cupiunt, in illo quid vitandum, quid appetendum, et unde placendum sit Deo, limpidissime perspiciant.

XXIX. *Ex Chronico Turonensi, quod in annum 1222 desinit, apud Martene tom. V Veterum Scriptorum, etc. pag. 925:*

S. Florentius abbas claret .... claret et S. Maurilius Andegavensis episcopus .... *Sulpicius* maximus et Gallus, et Postumianus, et Clarus, et Brictius, beati Martini Turonensis discipuli.

XXX. *Anonymus in Prologo S. Paulini, ex codice Cluniacensi apud P. Le Brunium in Testimoniis:*

Paulinus sanctus Nolanæ civitatis episcopus, genere Aquitanus, dignitate vero generis urbis Romæ senator clarissimus, exemplo maxime et prædicatione beati Martini Turonensis episcopi, et Delphini Burdegalensis, una cum *Severo Sulpicio* æque nobili et litterato viro, ex laica et conjugali vita ad perfectionis Christianæ pauperiem ditissimam animatus, omnem pompam et luxum sæculi calcans, quacumque

in hoc sæculo possidebat, juxta Domini præceptum vendidit et pauperibus erogavit.

XXXI. *Historia Septem Dormientium apud* GREGORIUM TURONENSEM *col.* 1726 *novissimæ editionis:*

Nec minus propter ostendendam et charitatis ejus (*Martini*) abundantiam, qua semper totus affluxit, et originis nobilitatem a *Severo* primo vitæ ipsius scriptore prætermissam, quam propter, *etc.*, stylum moverimus.

SULPICII SEVERI CHRONICORUM,

QUÆ VULGO INSCRIBUNTUR

HISTORIA SACRA,

LIBRI DUO.

PROLOGUS.

I. Res a mundi exordio Sacris Litteris editas breviter constringere, et cum distinctione temporum usque ad nostram memoriam carptim dicere aggressus sum; multis id a me studiose efflagitantibus, qui Divina, compendiosa lectione, cognoscere properabant. Quorum ego voluntatem secutus, non peperci labori meo, quin ea quæ permultis voluminibus præscripta continebantur, duobus libellis concluderem; ita brevitati studens, ut pene nihil gestis subduxerim. Visum autem mihi est non absurdum, cum usque ad Christi crucem, Apostolorumque actus per Sacram Historiam cucurrissem, etiam post gesta connectere; excidium Hierosolymæ, vexationesque populi Christiani, et mox pacis tempora, ac rursum ecclesiarum intestinis periculis turbata omnia locuturus. Cæterum illud non pigebit fateri, me, sicubi ratio exegit, ad distinguenda tempora continuandamque seriem usum esse historicis ethnicis, atque ex his, quæ ad supplementum cognitionis deerant, usurpasse; ut et imperitos docerem et litteratos convincerem. Verumtamen ea quæ de sacris voluminibus breviata digessimus, non ita legentibus auctor accesserim, ut prætermissis illis unde hæc derivata sunt, appetantur; nisi, cum illa quis familiariter noverit, hic recognoscat quæ ibi legerit. Etenim universa divinarum rerum mysteria non nisi ex ipsis fontibus hauriri queunt. Nunc initium narrandi faciam.

LIBER PRIMUS.

II. Mundus a Domino constitutus est abhinc annos jam pene sex millia, sicut processu voluminis istius digeremus: quamquam inter se parum consentiant qui rationem temporum investigatam ediderunt. Quod cum vel Dei nutu, vel vitio vetustatis eveniat, calumnia carere debebit. Mundo autem condito, homo factus est. Viro Adam, mulieri Eva nomen fuit. Sed constituti in Paradiso, cum interdictam sibi arborem degustassent, in nostram velut exsules terram ejecti sunt. Deinde ex his Cain atque Abel nascuntur. Sed Cain impius fratrem interemit. Filium Enoch habuit, a quo primum civitas condita est, auctoris nomine vocitata. Ex hoc Irad, atque ex eo Maviael nascitur. Hic Mathusalem filium habuit; isque Lamech genuit, a quo juvenis quidam occisus traditur, nec tamen nomen refertur occisi: quod quidem futuro mysterio fuisse præmissum a prudentibus æstimatur. Igitur Adam, post necem filii minoris, Seth filium procreavit, cum jam tricesimum et ducentesimum annum ætatis implesset. Vixit autem annos ıɔ ccccxxx. Seth vero Enos, Enos Cainan, Cainan Malaleel, Malaleel Iared, Iared Enoch genuit, qui ob justitiam translatus a Deo traditur. Hujus filius Mathusala dictus est, qui Lamech genuit, ex quo Noe natus, justitia egregius, et præ cæteris mortalibus Domino charus acceptusque. Qua tempestate, cum jam humanum genus abundaret, angeli, quibus cœlum sedes erat, speciosarum forma virginum capti, illicitas cupiditates appetierunt; ac naturæ suæ originisque degeneres, relictis superio-

ribus, quorum incolæ erant, matrimoniis se mortalibus miscuerunt. Hi paulatim mores noxios consecrentes, humanam corrupere progeniem : ex quorum coitu Gigantes editi esse dicuntur, cum diversæ inter se naturæ permixtio monstra gigneret.

III. Quibus rebus offensus Deus, maximeque malitia hominum, quæ ultra modum processerat, delere penitus humanum genus decreverat. Sed Noe, virum justum, vita innocens destinatæ exemit sententiæ. Idem admonitus a Domino diluvium terris imminere, arcam immensæ magnitudinis ex lignis contexuit ; ac bitumine illitam impenetrabilem aquis reddidit : qua ille cum uxore ac filiis tribus et totidem nuribus est clausus. Volucrum etiam paria, itidemque diversi generis bestiarum, eodem claustro recepta; reliqua omnia diluvio absumpta. Igitur Noe, cum jam imbrem destitisse, ac quieto in salo arcam circumferri intelligeret ; ratus id quod erat, aquas decedere, corvum primum explorandæ rei gratia, eoque non revertente (ut ego conjicio, cadaveribus detento) emisit columbam, quæ cum consistendi locum non reperisset, reversa est. Rursum remissa, folium olivæ retulit : manifestum indicium, nudari cacumina arborum. Tertio demum emissa, non rediit : unde animadversum, aquas destitisse. Ita Noe arcam egressus est. Id gestum a mundi exordio, post annos, ut ego comperio, ii cc duos et quadraginta.

IV. Ac primum Noe aram Domino statuit, hostiasque ex volucribus immolavit. Mox a Domino cum filiis benedicitur, præceptumque accepit, ne sanguine vesceretur, aut sanguinem hominis effunderet : quia mundi primordia, mandati istius liber, Cain maculaverat. Igitur vacuo tum sæculo, ex filiis Noe *Sem* fuit. Tres enim habuit, Sem, Cham, Japheth. Sed Cham, quod sopitum vino patrem riserat, maledictum a patre meruit. Hujus filius, Chus nomine, Nebrod gigantem genuit, a quo Babylon civitas constructa traditur. Pleraque etiam oppida ea tempestate condita memorantur, quæ nominatim persequi animus non fuit. Sed cum multiplicaretur humanum genus, diversaque loca atque insulas mortales haberent, una tantum omnes lingua utebantur ; donec se in unum, dispergenda per totum orbem, multitudo contraxit. His, more humani ingenii, consilium fuit, insigni aliquo opere famam quærere, priusquam a se invicem diducerentur. Ita turrim facere aggressi, quæ cœlo accederet ; nutu Dei, ut officia operantium præpedirentur, ab assueto sermonis genere multa diverso neque ulli invicem intellecto linguarum ritu loquebantur : quo promptius dispersi sunt, cum alter alterum velut alienigenam facile relinquebat. Sed filiis Noe ita divisus orbis fuit, ut Sem intra Orientem, Japheth Occidentem, Cham mediis contineretur. Ita usque Abram ducta successio, nihil sane insigne aut memorabile in se habuit.

V. Abram autem patre Thara natus est, post diluvium anno millesimo et septuagesimo. Abram uxor Sara dicta est : primaque eis in regione Chaldæorum A habitatio fuit. Inde apud Charras una cum patre diversatus est. Qua tempestate admonitus a Domino, domum, patriam ac patrem relinquens, assumpto Lot fratris filio, in terram Chananæorum profectus, in loco cui Sichem nomen est, consedit. Mox annonæ inopia Ægyptum concessit, ac rursum reversus. Lot præ multitudine familiæ a patruo digressus, ut laxioribus vacuæ tum regionis spatiis uterentur, in Sodomis consedit. Id oppidum infame incolis, viris in viros irruentibus, atque ob id invisum Domino fuisse traditur. Ea tempestate reges vicinarum gentium in armis erant, cum antea nullum inter mortales certamen fuisset. Sed adversum hos qui bello vicina tentabant, reges Sodomorum, Gomorrhæorum vicinarumque regionnm in prælium erumpunt ; B primoque impetu fusi, victoriam concessere. Tum a victoribus Sodoma direpta, prædæ hostibus fuit ; ductusque Lot in captivitatem. Quod cum Abram comperisset, propere armatis servis suis, numero trecentis decem et octo, reges victoria feroces, exutos præda armisque in fugam compulit. Tum a Melchisedech sacerdote benedictus est, eidemque decimas prædæ dedit : reliqua his quibus erepta erant, reddidit.

VI. Per idem tempus Abræ Dominus locutus est, multiplicandumque semen ejus, sicut arenas maris stellasque cœli, spopondit; peregrinumque ejus semen prædictum futurum, ac posteros in hostili solo per quadringentos annos laturos servitium, postea libertati restituendos. Tunc ei atque uxori ejus ad- C jectione unius litteræ nomen immutatum : ita nunc ex Abram Abraam, ex Sara Sarra dicitur. Cujus quidem rei non inane mysterium non est hujus operis exponere. Eodem tempore Abraæ lex circumcisionis imposita est. Erat ei autem ex ancilla filius Ismael. Et cum ipse esset annorum centum, uxor autem ejus nonaginta, futurum eis filium Isaac Dominus pollicetur, qui cum duobus angelis ad eum venerat. Inde Sodomam missi angeli, Lot in porta sedentem repererunt. Quos cum ille, homines existimans, hospitio receptos cœnatosque domi haberet ; juventus improba ex oppido novos hospites ad stuprum flagitabant. Lot pro hospitibus filias offerens, non acquiescentibus quibus illicita potius desiderio erant, ipse ad stuprum trahebatur. Quem an- D geli propere ab injuria vindicantes, luminibus impudicorum cæcitatem offuderunt. Tum Lot ab hospitibus edoctus perdendum oppidum, propere cum uxore et filiabus est egressus : interdictum tamen eis est, ne retrorsum conspicerent. Sed mulier parum dicto audiens (humano malo, quo ægrius vetitis abstinetur) reflexit oculos, statimque in molem conversa traditur. At Sodoma divinis ignibus conflagravit. Lot autem filiæ existimantes humanum genus interiisse, concubitum inebriati patris appetiverunt; unde Moab et Ammon nati sunt.

VII. Per idem tempus fere, cum Abraam esset etiam centum annorum, Isaac filius natus est. Tum ancillam, de qua Abraam filium susceperat, Sarra

expulit; quæ habitasse in deserto una cum filio, et præsidio Domini defensa traditur. Non multum post Dominus Abraæ fidem tentans, immolandum sibi a patre filium Isaac poscit. Quem ille non cunctatus offerre, cum aræ puerum superposuisset, gladiumque educeret, vox missa de cœlo est, puero ut parceret. Victimæ aries præsto fuit : consummatoque sacrificio, Abraæ Dominus locutus est, promittens ea quæ jam spoponderat. At Sarra, cum septimum et vicesimum supra centesimum annum ageret, decessit. Corpus cura viri sepultum in Hebron Chananæorum oppido : etenim illic Abraam commorabatur. Tum Abraam Isaac filium juvenilis ætatis videns (siquidem tum quadragesimum annum ætatis agebat) servo suo imperavit, uxorem ei quæreret; ex ea tamen tribu atque terra, de qua ipse oriundus videbatur : modo ut inventam puellam in regionem Chananæorum deduceret, nec putaret eum causa conjugis in solum patrium rediturum. Atque ut ea strenue mandata exsequeretur, contacto domini femine sacramentum dedit. Ita servus profectus in Mesopotamiam, ad oppidum Nachor Abraæ fratris devenit; successitque in domum Bathuelis Syri, Nachore patre geniti. Hujus filiam Rebeccam speciosam virginem conspicatus, poposcit, atque ad dominum adduxit. Post id Abraam accepit uxorem Ceturam nomine, quæ in Paralipomenis concubina dicitur; suscepitque ex ea filios. Sed Isaac Sarra edito substantiam tradidit : his autem quos ex concubinis susceperat, dona distribuit : atque ita ab Isaac separati sunt. Abraam diem functus est, impletis annis centum et quinque et septuaginta. Corpus sepulcro Sarræ uxoris appositum.

VIII. At Rebecca diu sterilis, assiduis mariti ad Dominum precibus, a die matrimonii vicesimo fere anno geminos edidit, qui in matris alvo exsultasse sæpius traduntur : dictumque responso Domini est, duos in his populos prænuntiari, et majorem minoris subdendum esse principio. Sed prius editus asper setis, Esau vocatus; minori Jacob nomen fuit. Ea tempestate gravis annonæ inopia terras incesserat : qua necessitate Isaac in Geraris ad regem Abimelec cessit, admonitus a Domino ne in Ægyptum descenderet. Eidemque universæ illius terræ possessio promittitur, ibique benedicitur; multiplicatusque pecore atque omni substantia, agente invidia ab incolis pellitur. Pulsus apud Puteum juramenti consedit. Igitur annis gravior, luminibus obductis, cum Esau filium benedicere pararet, consilio Rebeccæ matris Jacob se benedicendum pro fratre obtulit. Ita Jacob adorandus principibus et gentibus, fratri præponitur. Queis rebus Esau accensus, fratri necem moliebatur. Quo metu Jacob, hortante matre, in Mesopotamiam confugit, admonitus a patre, ut ex domo Laban fratris Rebeccæ uxorem acciperet : tanta illis cura fuit, cum in alienis terris consisterent, genus tamen intra familiam suam ducere. Ita Jacob profectus in Mesopotamiam, per soporem Dominum vidisse traditur :

A atque ob id locum somnii sacratum habens, lapidem ex eo sumpsit; vovitque, si rebus prosperis revertisset, titulum sibi domus Domini futurum; decimasque omnium quæ acquisita sibi forent, Domino daturum. Inde se ad Laban fratrem matris contulit, quem ille sororis filium agnitum, in hospitium benigne recepit.

IX. Erant Laban duæ filiæ, Lia et Rachel; sed Lia oculis deformior, Rachel pulchra fuisse traditur; cujus specie Jacob captus, amore virginis conflagrabat; eamque sibi in matrimonio a patre postulans, septem annorum servitio se mancipavit. Sed impleto tempore Lia ei supponitur; ac rursum septennii servitio subditur, atque ei Rachel traditur. Sed hanc diu sterilem, Liam fecundam fuisse accepimus.
B Filiorum quos ex Lia Jacob habuit, hæc sunt nomina : Ruben, Simeon, Levi, Judas, Issachar, Zabulon, Dina. Ex ancilla vero Liæ Gad et Aser, ex ancilla Rachel Dan et Nephthalim nati sunt. At Rachel, desperato jam partu, Joseph edidit. Tum Jacob redire ad patrem cupiens, cum ei Laban socer partem pecorum mercedem servitii dedisset, ob quæ parum sibi eum æquum gener Jacob ratus, dolum ab eo suspectans; clam profectus est vicesimo primo fere anno quam advenerat. Rachel viro inscio patris idola furto abstulit : qua injuria Laban generum persecutus, non repertis idolis, pace facta, regressus est; multum obtestatus generum ne uxores filiabus suis superinduceret. Inde digressus Jacob, vidisse angelos et castra Domini traditur.
C Sed cum præter regionem Edom, quam Esau frater incolebat, iter destinaret, missis prius legatis et muneribus suspectum sibi fratrem exploravit : tum ille obviam fratri processit; nec tamen Jacob se ultra fratri credidit. Sed pridie quam inter se fratres convenirent, Dominus humana specie assumpta, colluctatus cum Jacob refertur : et cum adversus Dominum prævaluisset, tamen non esse mortalem non ignoravit : benedici sibi ab eo flagitabat. Tum ab eo illi immutatum nomen est, ut ex Jacob Israel diceretur. Sed cum ille vicissim a Domino nomen Domini quæreret; non esse quærendum, quia admirabile esset, responsum est. Ex colluctatione autem latitudo femoris Jacob obtorpuit.

X. Igitur Israel declinans fratris domum, promovit agmen in Salem Sicimorum oppidum, atque ibi loco
D pretio accepto tabernaculum statuit sibi. Huic oppido Emor Chorræus princeps præerat. Hujus filius Sichem Dinam filiam Jacob ex Lia genitam stupro subdidit. Quo comperto, Simeon et Levi Dinæ fratres, omnes in oppido sexus virilis dolo peremerunt, ac impigre sororis ulti sunt injuriam. Oppidum a filiis Jacob direptum, prædaque omnis est abducta. Id factum ægre admodum tulisse Jacob traditur. Mox a Domino monitus, Bethel petiit, ibique altare Domino statuit. Inde in parte turris Gader tabernaculum fixit. Rachel ex partu obiit. Puer Benjamin vocatus est. Isaac decessit annos natus centum et octoginta. At Esau potens divitiis erat, uxoribus sibi etiam e Chananæorum gente assumptis : cujus

progeniem in hoc tam præciso opere inserendam non putavi. Si quis studiosior erit, ad origines revertatur. Post excessum patris, Jacob in solo eo in quo Isaac vixerat, commorabatur : filii ejus aliquantum ab eo pascui gratia cum gregibus secesserant; Joseph tamen ac Benjamin parvus domi resederant. Charus admodum Joseph patri, obque id invisus fratribus : simul, quia frequentibus ejus somniis majorem eum omnibus futurum portendi videbatur. Igitur ad inspiciendos greges revisendosque fratres a patre missus, opportunus injuriæ fuit. Namque viso fratre, consilium necis ejus ceperunt : sed obsistente Ruben, cui a tanto facinore abhorrebat animus, in lacum demissus. Mox suadente Juda deducti ad mitius consilium, negotiatoribus eum, qui tum Ægyptum petebant, vendiderunt, atque ab his Potifari præposito Pharaonis traditus est.

XI. Per idem tempus Judas Jacob filius Suam Chananæam in matrimonium assumpsit, ex qua tres filios sustulit, Her, Onan, Selam. Sed Her Thamar connubio sociatur; quo mortuo, Onan fratris uxorem accepit; qui, quia spermata in terram effunderet, exstinctus a Domino refertur. Tum Thamar meretricio habitu assumpto, socero mixta est; exque eo geminos edidit. In partu autem illo mirabile fuit, quod cum prodeunti puero, ad dignoscendum qui prius nasceretur, obstetrix manum ejus cocco illigasset, reductus in alvum matris puer, postero die editus est. Nomen infantibus Fares et Zara inditum. At Joseph, cum benigne a curatore regio, qui eum pretio acceperat, haberetur, domumque ejus et familiam procuraret; decorus ipse insigni specie, uxoris domini oculos in se converterat. Cumque amore ipsius deperiret, appetitum sæpius nec acquiescentem sibi falso scelere infamat, ac viro queritur, stuprum sibi intentatum : ita Joseph in carcerem est conjectus. Erant in eadem custodia ministri regis duo, qui cum somnia sua ad Joseph retulissent, futura ex somnio conjectans, unum eorum pœnas capite luiturum, alium absolvendum pronuntiavit; atque ita accidit. Igitur post biennium somnium regi objectum est. Quod cum a prudentibus Ægyptiorum non posset absolvi, minister regis ille carcere exemptus regem admonet, Joseph esse mirum somniorum interpretem. Ita Joseph solvitur; interpretatusque est regi somnium : Septem annis proximis maximam frugum ubertatem futuram, consequentibus inopiam. Quo metu rex perculsus, videns divinum in Joseph spiritum, rei eum annonariæ præfecit, æquato secum imperio. Tum Joseph abundantibus per totam Ægyptum frumentis, magnam copiam congessit : multiplicatisque horreis adversus futuram famem consuluerat. Ea tempestate spes atque salus Ægypti in illo sita erat. Per idem tempus vero duos ex Asceneth filios genuit, Manassem et Ephræm. Ipse autem, cum summam a rege potestatem accepit, erat annorum xxx; nam a fratribus septemdecim annos natus venumdatus est.

XII. Interea rebus in Ægypto adversus famem bene compositis, orbem terræ gravis frumenti inopia quatiebat. Qua necessitate compulsus Jacob, filios in Ægyptum misit, Benjamin tantum secum domi retento. Igitur Joseph rerum potentem, penes quem annonæ arbitrium erat, fratres adeunt, et more regio adorant. Quibus ille visis, callide agnitionem dissimulans, hostiliter eos venisse, et subdole loca explorare arguebat. Angebatur autem, quod Benjamin fratrem non videbat. Res ergo in id deducta, ut præsentiam ejus pollicerentur : nimirum ut ex eo quæreretur, an isti explorandi causa Ægyptum intrassent. Ad promissi autem fidem Simeon obses traditur : ipsis frumentum gratis datum. Rursum igitur revertentes, Benjamin, ut convenerat, deduxerunt. Tum se cognoscendum Joseph fratribus præbuit, non sine pudore male merentium. Ita eos oneratos frumento, multisque donatos domum remisit, præmonens, Quinque adhuc annos famem futuram : cum patre atque omni progenie ac familia ad se commigrarent. Igitur Jacob in Ægyptum descendit, Ægyptiis admodum lætantibus, gaudente rege, benigne a filio susceptus. Id gestum anno ætatis Jacob centesimo et trigesimo; a diluvio autem anno CIↃ CCC et LX : cæterum ab eo tempore quo Abraam in terra Chananæorum consedit, in id quo Jacob Ægyptum ingressus est, referuntur anni CCXV. Igitur Jacob septimo et decimo anno quam in Ægypto advenerat, urgente morbo Joseph filium obtestatur, corpus sepulcro suo redderet. Tum Joseph patri benedicendos filios suos obtulit; quibus benedictis, cum tamen benedictionis merito majori minorem præposuisset, filios omnes benedictione lustravit. Decessit autem annos natus CXLVII. Funus magnifice curatum : corpus in sepulcro majorum Joseph condidit. Fratres, post patris obitum pro conscientia paventes, benigne habuit. Decessit autem Joseph ipse, ætatis anno decimo et centesimo.

XIII. Hebræi igitur qui in Ægyptum devenerant; incredibile memoratu est, quam cito numero aucti sint, multiplicataque progenie Ægyptum repleverint. Sed defuncto rege qui eos ob meritum Joseph benigne fovebat, succedentium regum imperio deprimebantur : nam et opus durum ædificandarum civitatum eis impositum; et quia jam multitudo abundans metuebatur, ne quandoque libertatem armis vindicarent, parvulos recens editos aquis mergere edicto regio cogebantur. Nec dissimulari cruentum imperium licebat. Qua tempestate filia Pharaonis infantem in flumine repertum, nutriendum pro filio curavit : nomen puero Moyses dedit. Moyses hic, cum viriles annos ageret, conspicatus Hebræum ab Ægyptio pulsari, permotus dolore, fratrem ab injuria vindicans, Ægyptium calce perculsum interemit. Mox supplicium e facto metuens, in terram Madian profugit; et apud Jothor sacerdotem regionis illius diversatus, filiam ejus Sepphoram in matrimonium accepit, exque ea duos filios Gersam et Elieser sustulit. Hoc tractu temporum Job fuit, lege naturæ et agnitionem Dei et omnem

justitiam complexus, prædives opibus, atque eo illustrior, quod his neque integris corruptus, neque amissis depravatus est. Nam cum per diabolum exutus bonis, filiis etiam esset orbatus, ad extremum diris ulceribus affectus, non potuit vinci, ut præ doloris impatientia aliqua in parte peccaret. Mercedem denique divini testimonii consecutus, sanitati redditus, omnia quæ amiserat, in duplum recepit.

XIV. At Hebræi multiplicato servitutis malo pressi, querelis in cœlum conversi, spem auxilii a Deo exspectabant. Tum Moysi pascenti oves repente rubus ardere visa, flammis tamen, quod erat mirabilius, innoxiis. Qua novitate obstupefactus, rubo propius accessit, statimque ad eum istiusmodi fere verbis Deus locutus est: Dominum se esse Abraam, Isaac et Jacob; quorum progeniem, Ægyptiorum dominatione depressam, ereptam malis cupiat: iter ergo susciperet ad regem Ægypti, ducemque se populi in libertatem restituendi præstaret. Cunctantem potestate confirmat, virtutem ei signorum faciendorum impertiens. Ita Moyses in Ægyptum profectus, signis prius apud suos editis, assumpto fratre Aaron regem adiit: missum se a Deo prodit, verbisque se Dei dicere, populum Hebræum uti dimitteret. At ille negans se Dominum nosse, parere imperio abnuebat. Cumque Moyses in testimonium mandatorum Dei ex virga draconem fecisset, mox aquas omnes in sanguinem convertisset, totamque terram ranis opplesset; facientibus similia Chaldæis, magicas esse artes quæcumque per Moysen fierent, potius quam Dei virtutem, pronuntiabat; donec superductis ciniphibus terra oppleta est, Chaldæis fatentibus majestate divina ista fieri. Tum rex malo coactus, advocato ad se Moyse et Aaron, dat populo discedendi potestatem, modo ut superductam cladem averterent. Sed ubi clades exempta est, impotens sui animus in se reversus, exire, ut convenerat, Israelitas non patiebatur. Ad extremum decem plagis corporis et regni sui contusus et evictus est.

XV. Sed pridie quam Ægypto populus est egressus, mandatis Domini instruitur, rudis adhuc temporum: Mensem illum qui tunc erat, primum omnium mensium esse cognosceret: sacrificium autem diei illius in solemnitatem consequentium sæculorum ita esse celebrandum, ut quartadecima die mensis agnus immaculatus, anniculus, victima cæderetur; ejusdem sanguine postes illinirentur: carnem penitus exedendam, os autem non conterendum: septem diebus fermento abstinerent, azymis uterentur, ritumque hunc posteris traderent. Ita populus egressus dives suis copiis, et Ægypti spoliis cumulatior: cujus numerus, ex quinque et septuaginta Hebræis, qui primum Ægyptum descenderant, ad millia virorum sexcenta pervenerat . . . . ab eo autem quo primum Abraam terram Chananæorum accesserat, anno trigesimo et quadringentesimo: a diluvio autem mille quingentis quinque et septuaginta. Igitur propere egressis, columna nubis interdiu, noctu columna ignis præferebatur. Sed cum, ob interjectum sinum Rubri maris, præter terram Philistiim via duceret; ne postea Hebræis eremum aspernantibus redeundi in Ægyptum continentibus terris noto itinere facultas panderetur, nutu Dei aversi, in Rubrum mare illati sunt, castraque ibi cunctantes constituerunt. Quod ubi regi nuntiatum est: Hebræum populum viæ errore in objectum mare devenisse: nullum ei esse exitum obsistente elemento; furens animi, quo augebatur tot hominum millia regno suo et potestati decedere, exercitum propere educit. Jamque eminus arma signaque et protentæ patentibus late campis acies visebantur, cum Hebræis metu trepidis et cœlum aspectantibus Moyses a Deo monitus percussum virga mare discidit. Ita populo, cedentibus in latera aquis, velut in continenti iter pervium fuit. Nec cunctatus rex Ægyptius cedentes insequi, mare, qua patebat, ingressus, mox coeuntibus aquis cum omni exercitu deletus est.

XVI. Tunc Moyses incolumitate suorum, exitio hostium, virtuteque exsultans, canticum Domino cecinit, idemque omnis turba virilis ac muliebris sexus fecit. Sed ingressos eremum, cum jam per triduum iter agerent, aquæ penuria urgebat, repertaque ob amaritudinen usui non erat. Ac tum primum impotentis populi contumacia apparuit. Jamque in Moysen ferebatur, cum edoctus a Deo lignum aquis intulit, cujus hæc vis fuit, ut dulcem saporem fluentis redderet. Exin promotum agmen, apud Elim duodecim fontibus aquarum et septuaginta arboribus palmarum repertis consedit. Rursum populus famem conquerens, Moysen increpabat, Ægypti servitium cum saturitate ventris desiderans. Tum grex coturnicum superne missus castra opplevit. Postero autem die animadvertunt qui extra castra processerant, parvis quibusdam siliquis oppletum solum; quarum species in modum coriandri seminis, glaciali albitudine erat, ut crebro hibernis mensibus superductis pruinis tegi terram videmus. Tum per Moysen populus admonetur, Panem hunc eis munere missum Dei: unumquemque in id paratis vasculis tantum usurpare debere, quantum in diem unum pro numero singulis satis esset: sexto tamen die, quia sabbato colligi non liceret, duplum præsumerent. Verum populus, ut semper, parum dicto audiens, more humani ingenii, non refrenavit cupiditatem, ex reconditis in posterum quoque diem consulens. Sed reposita fetore diro in vermes effervescebant; cum die sexto in sabbatum reservata, integra permanerent. Hoc Hebræi per XL annos cibo sunt usi, cujus sapor melli proximus, nomen Manna traditur. In testimonium autem divini muneris reservasse Moyses gomor plenum in vase aureo dicitur.

XVII. Inde progressus populus, cum aquæ penuria tentaretur, ægre ab exitio ducis temperabat. Tum Moyses mandante Domino, apud locum cui Oreb nomen est, virga petram percutiens, large aquæ copiam fecit. Sed ubi Raphidim perventum, Amalecitæ populum incursionibus vastabant. Moyses suis in prælium eductis, cum Jesum bellantibus præfe-

cisset, assumpto Aaron et Ur spectator pugnæ futurus, simul precandi Dominum gratia, montem conscendit. Sed cum dubio eventu acies concurrissent, Moysi precibus victor Jesus hostes in noctem cæcidit. Per idem tempus Jothor Moysi socer cum filia Sepphora (quæ Moysi nupta, proficiscente in Ægyptum viro domi resederat) liberisque ejus, cognitis rebus quæ per Moysen gerebantur, ad eum venit. Hujus consilio Moyses ordines populi distribuit : tribunos centurionesque et decuriones præficiens, necessarium disciplinæ ritum posteris tradidit. Jothor in patriam regressus. Exin ad Sinam montem perventum. Ibi Moyses a Domino monetur, populus ut sanctificaretur, auditurus Dei voces : idque sollicite curatum. Sed ubi Deus monti institit, validis tubarum clangoribus aer quatiebatur, crassæque nubes crebris cum fulminibus advolvebantur. Sed Moyses et Aaron in montis cacumine Dominum propter, populus circa ima montis constitit. Ita lex lata multiplex et copiosa Dei verbis, et sæpe repetita : cujus si quis erit curiosior, fontem ipsum adeat : nos eam breviter perstringimus. Non erunt, inquit, tibi dei alieni præter me : Non facies tibi idolum : Non sumes nomen Dei tui in vanum : Sabbato nullum opus facies : Honorifica patrem tuum et matrem tuam : Non occides : Non mœchaberis : Non furtum facies : Non falsum testimonium dices adversus proximum tuum : Non concupisces quidquam proximi tui.

XVIII. His a Deo dictis, cum tubæ circumstreperent, lampades inardescerent, montem fumus obtegeret, populus præ timore inhorruit, verba Dei non sustinens ; poposcitque a Moyse, ut ipsi tantum loqueretur Dominus, atque ita audita ad populum referret. Edicta autem Dei ad Moysen istiusmodi sunt : Hebræus puer pecunia emptus, sex annis serviet, post hæc liber erit : sponte autem permanenti in servitute, auris forabitur. Qui hominem occiderit, capite pœnas luet : qui imprudens, rite exsulerit. Qui patrem matremve pulsaverit, conviciumque eis dixerit, capitali supplicio afficitor. Si quis Hebræum subreptum vendiderit, morti dabitur. Si quis servum proprium servamve percusserit, exque eo ictu obierit, reus judicio fiet. Si quis partum non deformatum mulieri excusserit, neci dabitur. Si quis servo oculum aut dentem extorserit, servus vindicta liberabitur. Taurus si hominem occiderit, lapidabitur : si dominus sciens bestiæ vitium, non consuluerit, et ipse lapidabitur : aut pretio se redimat, in quantum accusator poposcerit. Si servum taurus occiderit, in triginta didrachmis pecunia domino numerabitur. Si quis defossum lacum non cooperuerit, pecusque in lacum ceciderit, pretium pecudis domino dabit. Si taurus alterius taurum occiderit, pecus venumdabitur, pretiumque domini partientur : peremptum etiam divident. Quod si dominus vitium tauri sciens, non consuluerit ; taurum dabit. Si quis vitulum subripuerit, quinque restituet ; si ovem subripuerit, quadrupli pœna erit : si viva pe-

A nes abactorem pecora reperientur, dupla restituet. Nocturnum furem occidi licet, diurnum non licet. Si cujus pecora alterius sata depaverint, dominus pecoris eversa restituet. Si depositum perierit, is penes quem depositum fuit, jurabit nihil se dolo egisse : fur inventus, duplum dabit. Commendatum pecus a bestia interceptum, non restituetur. Si quis virginem nondum desponsatam corruperit, dotabit puellam, et ita eam uxorem accipiet. Si pater puellæ nuptias recusaverit, dotem raptor dabit. Si quis se pecudi miscuerit, morti dabitur. Sacrificans idolis, pereat. Viduam et orphanum non premendos : Pauperem debitorem non perurgendum ; nec usuram poscendam : Vestimentum pauperis pro pignore non accipiendum : Principem populi non increpandum :

B Primogenita omnia Domino offerenda : Carnem a fera captam non edendam : Coitiones in testimonium falsum, aut in quacumque malitia, non esse faciendas. Inimici pecus errans non præteribis, sed reduces. Si animal inimici succubuisse oneri inveneris, erigere debebis. Innocentem et justum non occides. Non justificabis impium pro muneribus. Munera non accipienda : Advenam benigne habendum : Sex diebus opus faciendum, sabbato requiescendum : Fructus septimi anni non metendos, sed pauperibus et egenis relinquendos.

XIX. Hæc fere Moyses ad populum verba Dei retulit, altariumque ex duodecim lapidibus sub monte constituit. Ac rursum montem, in quo Dominus consistebat, conscendit, adhibito secum Aaron,

C Nadab et Abiud, majoribusque natu septuaginta. Sed hi non valentes Dominum intueri, locum tamen in quo Dominus stabat, viderunt : cujus mirabilis forma et claritudo eximia refertur. Moyses autem accersitus a Domino, interiorem nubem quæ circum Dominum steterat, ingressus, quadraginta diebus totidemque noctibus ibi fuisse traditur. Quo tempore super ædificando tabernaculo atque arca, rituque sacrificandi edoctus verbis Dei est : quæ ego, quia prolixa admodum videbantur, inserenda huic tam præciso operi non putavi. Sed immorante diutius Moyse, quippe qui XL dies apud Dominum duceret, populus desperato ejus reditu Aaron compulit simulacra facere. Tunc ex metallis conflatis vituli caput exstitit; cui cum populus Domini immemor hostias

D obtulisset, vinoque se et ventri dedisset, despectans hæc justo dolore Deus, improbum populum, nisi a Moyse fuisset exoratus, delesset. Sed regressus Moyses, cum duas ex lapide tabulas manu Domini scriptas detulisset, populumque luxui et sacrilegio deditum deprehendisset, tabulas confregit ; indignam esse gentem existimans, cui lex Domini traderetur. Multis tamen increpitis, Levitas ad se aggregavit, eisdemque præcepit, ut districtis gladiis populum cæderent ; quo impetu XX tria millia virorum perempta traduntur. Tum Moyses tabernaculum extra castra constituit : quod quoties fuisset ingressus, columna nubis adstare pro foribus visebatur, coramque ad Moysen Dominus loquebatur. Poscente

autem Moyse, ut Dominum in majestate propria videret; responsum, Formam Dei mortalibus oculis perspici non posse; posteriora tamen ejus videre concessum; tabulæque quas Moyses prius confregerat, refectæ; sed in hoc colloquio Dei XL diebus diversatus apud Dominum Moyses traditur. Cumque de monte descenderet tabulas præferens, tanta claritudine facies ejus renidebat, ut intueri eum populus non valeret, sed cum mandata Dei relaturus esset, vultum velamento obtexit, atque ita ad populum verbis Domini locutus est. Hoc in loco tabernaculi interiorumque ejus ædificatio refertur; quo consummato, nubes superne decidit, atque ita tabernaculum obumbravit, ut ipsum Moysen aditu excluderet. Hæc fere duobus libris, Genesi atque Exodo, continentur.

XX. Exin Leviticus liber sequitur, in quo litandi præcepta traduntur; mandata etiam latæ superius legi adduntur, plena omnia sacerdotalibus institutis: quæ si quis cognoscere volet, perfectius inde capiet; nos enim suscepti operis modum custodientes, solam historiam persequimur. Igitur Levi tribu in sacerdotium segregata, reliquæ tribus dinumeratæ, repertaque hominum DC et III CIↃ. Cum ergo populus mannæ cibo, ut supra retulimus, uteretur, tot tantisque beneficiis Dei, ut semper, ingratus, viles quibus in Ægypto assueverat, dapes desiderabat. Tum Dominus immensam copiam coturnicum castris intulit; quas cum avide diriperent, primoribus labiis admotis carnibus interibant: magnaque eo die clades in castris fuit, adeo ut XX et III virorum millia periisse tradantur. Ita populus eo quem desiderabat cibo punitus est. Inde promotum agmen, et in Faran ventum est: edoctusque a Domino Moyses vicinam esse terram, cujus possessionem eis promiserat Dominus; exploratoribus in eam missis renuntiatur, felicem omni copia esse regionem, sed gentes validas, et munita ingentibus muris oppida. Quod ubi populo compertum, magna mentes omnium formido incesserat, eoque mali ventum, ut spreto Moysi imperio ducem sibi constituere pararent, cujus ductu in Ægyptum reverterentur. Tunc Jesus et Chaleb, qui inter exploratores terræ fuerant, conscissis vestibus flentes, populum obtestantur, ne exploratoribus credant formidolosa referentibus: se quoque una cum his fuisse, nihil metuendum in solo illo reperisse: promissis illos Dei confidere oportere: hostes prædæ potius quam exitio fore. Sed gens indomita, sanis consiliis male renitens, in perniciem eorum ferebatur: queis rebus commotus Dominus partem populi hostibus cædendam objecit, exploratoribus interfectis ad vulgi formidinem.

XXI. Secuta est eorum contumacia, qui se Dathan et Abiron ducibus adversum Moysen et Aaron erigere conati sunt, sed eos vivos hiatu suo terra absorbuit. Nec multo post totius populi in Moysen et Aaron orta seditio est, adeo ut tabernaculum (quod erat nefas nisi sacerdotibus introire) irrumperent: tum vero catervatim in eos grassata mors est, momentoque omnes interissent, nisi Moysi precibus placatus Dominus cladem avertisset; numerus tamen peremptorum septingenti et XIV millia fuit. Nec multo post ob aquæ penuriam, ut jam sæpius, populi exorta seditio est. Tunc Moyses a Domino monitus ut petram virga feriret (familiari sibi experimento, siquidem id jam ante fecisset), semel atque iterum petram percussit, atque ita aqua effluxit. In quo quidem notatus a Domino Moyses refertur, quod per diffidentiam non nisi iterato ictu aquam eduxerit; denique ob hoc peccatum promissam sibi terram non ingressus est, sicut inferius ostendam. Igitur Moyses ex eo loco promovens, cum præter Edom agmen educere pararet, missis ad regem legatis transeundi copiam poposcit, ob jus sanguinis bello abstinendum ratus: etenim gens illa Esau progenies erat; sed rex supplices aspernatus, transitum negavit, paratus armis contendere. Tum Moyses in Or montem iter convertit, vetita via abstinens, ne quam inter consanguineos causam belli præberet; in eo quoque cursu regem gentis Chananæorum delevit. Seon quoque regem Amorrhæorum perculit, omniumque eorum oppidis potitus est. Basan etiam et Balac reges devicit, et castra super Jordanem haud longe ab Hiericho molitus est. Tunc adversus Madianitas certatum, victique et subacti sunt. Moyses mortuus est, cum XL in deserto annos populo præfuisset. Cæterum Hebræi ob hanc causam tanto tempore in eremo fuisse traduntur, donec omnes qui verbis Dei non crediderant, interirent: excepto enim Jesu et Chaleb, nemo ultra XX annos natus Ægypto profectus, Jordanem transiit. Ipse Moyses ut terram promissam viderit tantum, nec contingeret, peccato ejus ascribitur: quod eo tempore quo saxum ferire et aquam producere præceptus est, post tot virtutum suarum experimenta dubitaverit. Decessit autem anno ætatis vigesimo et centesimo; de sepulcri loco parum compertum.

XXII. Moyse mortuo summa rerum penes Jesum Nave filium erat: etenim illum sibi Moyses successorem constituerat, virum virtutibus suis simillimum. Principio autem suscepti imperii, dimissis per castra nuntiis populum certiorem facit, frumentum uti pararent, triduoque proximo iter pronuntiat. Sed Jordanis flumen validissimum transitum prohibebat: quia neque navium copia pro tempore erat, neque vadari fluvius poterat, qui tum pleno alveo ferebatur. Igitur arcam præferri a sacerdotibus, eosdemque adverso flumine consistere jubet; quo facto incisus Jordanis traditur: ita per siccum copiæ traductæ. Erat in his locis oppidum nomine Hiericho, muris validissimis munitum, neque expugnationi neque obsidioni facile; sed Jesus Domino fretus, non armis aut viribus, urbem aggressus ferri arcam Dei circa muros jubet, sacerdotesque præire arcam, et tuba canere: sed cum arca septies circumlata esset, muri ac turres conciderunt, direptum oppidum atque incensum. Tum Jesus Dominum traditur... Inde adversus Gai ductus exercitus: loca-

tisque a tergo urbis insidiis, Jesus metum simulans A terga hosti dedit : quo viso, qui in oppido erant patentibus portis cedentibus instare. Ita hi qui in insidiis fuerant, vacuam urbem cepere : cæsique omnes absque ullius effugio, rex captus summoque supplicio affectus.

XXIII. Quod ubi vicinarum gentium regibus compertum est, in bellum conspirant Hebræos armis depellere. Verum Gabaonitæ, gens valida ex urbe opulenta, ultro se Hebræis dederunt, jussa facturos pollicentes : receptique in fidem; ut ligna et aquam conveherent imperatum. Sed regibus proximarum urbium deditio eorum iras conciverat. Itaque admotis copiis, oppidum eorum Gabaon nomine, obsidione circumsistunt. Igitur oppidani, arctis rebus suis, nuntios ad Jesum mittunt, obsessis uti succurreret. B Ita ille maturato itinere inopinantibus supervenit, cæsaque ad internecionem multa hostium millia. Cum dies cædentes deficeret, noxque victis futura præsidio videretur, merito fidei dux Hebræus noctem avertit : dies perseveravit. Ita nullum hostibus effugium fuit; quinque reges capti, interfecti sunt; eodem impetu vicinæ quoque urbes imperio adjectæ, regesque earum perempti. Verum, quia omnia hæc in ordinem persequi non fuit consilium, dum brevitati studemus, id modo annotandum curavimus, XX et novem regna imperio Hebræorum subjecta, quorum terra per undecim tribus viritim distributa est. Levitis enim in sacerdotium assumptis nulla portio data, quo liberius servirent Deo. Equidem C hoc exemplum non tacitus præterierim, legendumque ministris ecclesiarum libenter ingesserim; etenim præcepti hujus non solum immemores, sed etiam ignari mihi videntur : tanta hoc tempore animos eorum habendi cupido veluti tabes incessit. Inhiant possessionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt venduntque, quæstui per omnia student : at si qui melioris propositi videntur, neque possidentes neque negotiantes (quod est multo turpius) sedentes munera exspectant, atque omne vitæ decus mercede corruptum habent, dum quasi venalem præferunt sanctitatem. Sed longius quam volui egressus sum, dum me temporum nostrorum piget tædetque : ad inceptum redeo. Igitur, ut supra dixi, diviso per tribus captivo solo pace summa Hebræi perfruebantur, finitimis bello territis, tot victoriis D nobiles armis nemine audente tentare. Eodem tractu Jesu mortuus est, anno ætatis decimo et centesimo; de imperii autem ejus tempore parum definio : frequens tamen opinio est XX et VII annis eum Hebræis præfuisse; quod si ita est, a mundi exordio in excessum ejus anni sunt III IↃCCCLXXX et IIII.

XXIV. Jesu mortuo populus sine duce agebat. sed cum adversus Chananæos bellandum esset, dux belli Judas assumptus est. Hujus ductu res prospere gestæ : domi militiæque summum otium : populus aut subactis aut per deditionem acceptis gentibus imperitabat. Inde, ut semper fieri secundis rebus solet, morum disciplinæque immemor, matrimonia ex victis assumere, paulatimque externos mores trahere, ac mox profano ritu idolis sacrificare occœpit : adeo cuncta cum externis societas perniciosa est. Quæ Deus longe ante prospiciens, salubri Hebræos responso instruxerat, devictas gentes ut internecioni darent; sed plebs cupida dominandi, imperare victis cum pernicie malebat. Igitur cum relicto Deo idola colerent, destituti divino auxilio a rege Mesopotamiæ evicti et subacti, VIII annis captivitatem pependerunt : donec Gothoniel duce in libertatem restituti per quinquaginta annos rerum potiti sunt. Rursumque corrupti longæ pacis malo, idolis litaverunt. Moxque aderat pœna peccantibus : ab Eglom enim rege Moabitarum devicti, duodeviginti annis servierunt, donec instinctu Dei Aod regem hostium dolo interemit, contractoque tumultuario exercitu libertatem armis vindicavit. Idem per LXXX annos in pace Hebræis præfuit. Huic Semigar successit : hicque adversus allophylos congressus, secundo eventu prælium fecit. Rursumque Hebræos sectantes idola rex Chananæorum Jabin nomine subjugavit, gravissimamque in eos per XX annos dominationem exercuit, donec pristinum Debbora mulier statum reddidit : adeo nihil spei in eorum ducibus erat, ut muliebri auxilio defenderentur; quamquam hæc in typum Ecclesiæ forma præmissa sit, cujus auxilio captivitas est depulsa. Sub hac duce vel judice XL annis Hebræi fuerunt. Rursumque ob peccata Madianitis traditi, duro imperio habebantur, afflictique malo servitutis divinum auxilium imploraverunt. Ita semper in secundis rebus, immemores cœlestium beneficiorum, idolis supplicabant; in adversis, Deo. Unde cum reputare in animo soleo, populum tot beneficiis Dei obligatum, tot cladibus cum peccaret coercitum, expertumque et misericordiam et severitatem Dei, nequaquam emendatum; et cum semper veniam erroris acciperet, semper peccasse post veniam; nihil mirum videri potest, Christum ab his non esse receptum, cum jam inde ab initio toties in Domino rebelles deprehendantur : magisque mirum est, illis semper peccantibus numquam Dei, si quando eum imploraverunt, defuisse clementiam.

XXV. Igitur cum eis, ut supra retulimus, Madianitæ dominarentur, conversi ad Dominum misericordiam solitam flagitantes, impetraverunt. Erat in Hebræis Gedeon quidam nomine, vir justus et charus Domino acceptusque; huic angelus de campo messis domum revertenti astitit : Dominus, inquit, tecum, potens in virtute. At ille voce humili, non esse in se Dominum ingemiscebat : siquidem quod populum captivitas premeret, virtutumque Domini, qui eos de terra Ægypti eduxerat, flens recordabatur. Tum angelus : Vade, inquit, in hoc spiritu quo locutus es, et populum de captivitate eripe. Ille vero abnuere, se infractis suorum viribus, cum ipse minimus esset, tantum onus suscipere; perstare contra

angelus, Ne dubitaret posse fieri quæ Dominus loquebatur. Perfecto igitur sacrificio, dirutaque ara quam Baalis idolo Madianitæ sacraverant, ad suos profectus, castra castris hostium contulit. Sed Madianitis etiam gens Amalech se conjunxerat; Gedeon vero non amplius quam ad triginta et II millia exercitum paraverat. Sed priusquam confligeret, Deus ad eum locutus est, Nimiam esse hanc multitudinem, quam in prælium vellet educere : Hebræos pro solita perfidia eventum pugnæ non Deo, sed virtuti suæ daturos : itaque daret volentibus discedendi potestatem; quod ubi populo divulgatum, XX et II M a castris recesserunt. Sed ex X millibus quæ resederant, admonitus a Domino, non amplius quam trecentos tenuit : reliquos ab armis dimisit. Ita media vigilia castra hostium ingressus, jussis omnibus tuba canere, magnum terrorem injecit; neque cuiquam resistendi animus fuit : turpi fuga, qua quisque potuit, dilapsi; sed, occurrentibus omni ex parte Hebræis, passim fugientes cadunt; reges Gedeon persecutus ultra Jordanem, comprehensos neci dedit. Ea pugna centum et XX M ex hostibus cæsa, XV capta traduntur. Tunc consensu omnium Gedeoni, ut princeps populi esset, delatum : quod ille aspernatus, communi jure cum civibus vivere, quam præesse suis maluit.

XXVI. Depulsa igitur captivitate, quæ septem annos populum continuerat, pax per XL annos fuit. Sed defuncto Gedeon, filius ejus Abimelech, ex concubina ortus, fratribus interemptis, pessimis quibusque consentientibus et maxime Sichimorum principibus operam ei navantibus, regnum occupavit : isque discordiis civilibus exercitus, cum suos bello premeret, turrim quamdam, in quam se amisso oppido fugientes receperant, expugnare aggressus, dum incautius subit, saxo a muliere ictus periit, cum triennio imperium tenuisset. Huic successit Thola, qui duobus et XX annis regno potitus est. Post hunc Jair fuit, qui cum æque viginti et duos annos principatum obtinuisset, populus relicto Domino idolis se mancipavit : obque id Israelitæ subacti sunt ab allophylis et Ammonitis, duoque de XX annis sub eorum imperio fuerunt. Quo tempore eis Dominum invocantibus divinum scilicet responsum redditum est : Simulacra potius invocarent : se non ultra misericordiam ingratis præstiturum. At illi flentes culpam fateri, et precari veniam; abjectisque idolis Deum implorantes, negatam licet misericordiam impetraverunt. Igitur Jepta duce ad libertatem armis vindicandam frequentes conveniunt; missis prius ad Ammon regem legatis, ut finibus suis contentus, bello abstineret. At ille prælium non abnuens, aciem instruxit. Tum Jepta, prius quam signum pugnæ daretur, vovisse dicitur, si prospere pugnasset, eum qui sibi primus revertenti obvius fuisset, hostiam Deo dandum. Ita victis hostibus, cum domum rediret, filia ei obviam fit, quæ patrem exceptura victorem, cum tympanis et choris læta processerat. Tum Jepta consternatus, dolore conscissis vestibus, indicat filiæ voti necessitatem. At illa, non feminea constantia, mori non recusans, duos tantum tamen menses vitæ spatium petit, ut æquales suas prius videret : quibus actis ultro ad patrem redit, votumque Domino reddit. Jepta principatum sex annis tenuit. Huic Esebon successit, et tranquillis rebus exacto imperio, anno septimo decessit : postque eum Allon Zabulonites annis X, itemque Abdon annis VIII rerum potiti, pacis tempore nihil quod historia loqueretur, ediderunt.

XXVII. Rursum Israelitæ ad idola conversi, divino destituti præsidio, subjecti allophylis, per XL captivitatis annos pœnas perfidiæ pependerunt. Ea tempestate Sampson natus traditur. Hujus mater diu sterilis, angelum vidit; dictumque ei est : Vino et sicera atque immundis abstineret : fore, uti puerum ederet libertatis vindicem et hostium ultorem. Ita mulier enixa puerum, Sampson nomen ei indidit. Is intonso capite, miræ virtutis fuisse traditur : adeo ut leonem in via obvium manu discerperet. Uxorem ex allophylis habuit; quæ cum absente viro in alterius matrimonium convenisset, dolore ereptæ conjugis perniciem genti molitus est (fretus Domino et viribus, palam victores clade afficiebat) : CCC siquidem vulpibus captis, ardentes lampades earum illigavit caudis, atque eas agris hostium immisit : ac tum forte maturis messibus facile incendium fuit, vineæque et olivarum arbores exustæ. Grandi allophylorum exitio abreptæ uxoris injuriam ultus videbatur : quo dolore allophyli permoti, mulierem tanti mali causam cum domo et patre incendio consumpserunt. Sed Sampson parum se vindicatum ratus, urgere omnibus incommodis profanam gentem non desinebat. Tum compulsi Judæi, vinctum eum allophylis tradiderunt. Sed traditus, ruptis vinculis, arrepto osse asini, quod casus telum dederat, mille ex hostibus prostravit. Ingravescente autem æstu cum siti affectus esset, invocato Domino, ex osse quod manu tenebat, aqua fluxit.

XXVIII. Ea tempestate Sampson Hebræis præerat, allophylis unius virtute domitis. Igitur insidiantes vitæ ejus, nec palam eum tentare audentes, uxorem ejus, quam ille postea acceperat, pecunia corrumpunt, virtutem viri uti proderet. Illa eum blandimento muliebri aggressa, diu eludentem et multum cunctantem perpulit ut indicaret, in crinibus capitis virtutem suam subsistere. Mox dormienti insidiata, crinem ejus abstulit, atque ita eum allophylis tradidit : nam sæpe prius traditum comprehendere nequiverant. Tum illi, effossis oculis, vinctum compedibus in carcerem conjecerunt. Sed spatio temporis accisos crines crescere, et cum eis virtus redire occœperat : jamque Sampson conscius recepti roboris, tempus modo justæ ultionis opperiebatur. Erat allophylis moris, cum dies festos agerent, Sampson quasi in pompam publicam producere, capto insultantes. Ita die quodam, cum

publicum epulum in honorem idoli dedissent, Sampson exhiberi jubent: templum autem, in quo omnis populus omnesque allophylorum principes epulabantur, duabus subnixum columnis miræ magnitudinis erat. Productus Sampson, inter columnas statuitur: tum ille tempore arrepto, invocato prius Domino, columnas disjecit; turbaque omnis ruina domus obruta; ipse cum hostibus non inultus occubuit, cum xx annis Hebræis præfuisset. Huic Simmichar successit, de quo nihil amplius Scriptura prodidit: nam neque finem imperii ejus reperi, et fuisse populum sine duce invenio; ideo cum adversus Benjamin tribum civile bellum fuit, Judas temporarius dux belli assumptus est. Sed plerique, qui de temporibus scripserunt, annum unum imperio ejus annotaverunt: plerique ita eum B præterierunt, ut post Sampson Heli sacerdotem subjunxerint. Nos eam rem, ut parum compertam, in medio relinquemus.

XXIX. Per hæc tempora civile, ut diximus, bellum exarserat: causa autem motus hæc fuit. Levites quidam cum concubina iter faciens, urgente nocte compulsus, in oppido Gabaa, quod ab Benjamitis incolebatur, secesserat. Cum eum senex quidam hospitio benigne recepisset, juvenes ex oppido hospitem circumsistunt, stupro eum subdere parantes. Multum a sene increpiti, ægreque exhortati, vicario demum concubinæ ejus corpore in ludibrium accepto, advenæ pepercerunt: illusamque nocte tota, postero die reddiderunt. Sed illa (stupri injuria, an verecundia, parum definio) viso viro C animam efflavit. Tum Levita in testimonium diri facinoris, membra ejus in duodecim discissa partes per duodecim tribus misit, quo promptius omnes facti invidia commoveret: quod ubi omnibus compertum, undecim reliquæ tribus adversus Benjamin in bellum conspirant. Huic bello Judas, ut diximus, dux fuit: sed duobus præliis male pugnatum; tertio demum Benjamitæ victi, cæsique ad internecionem. Ita paucorum scelus publico exitio punitum. Hæc quoque Judicum volumine continentur. Regum libri sequuntur. Sed mihi annorum ordinem et seriem temporum persequenti, parum continuata videtur historia: nam, cum post Sampson Judicem Semigar fuerit, pauloque post historia consignet, populum sine judicibus egisse; Heli etiam sacerdos libris D Regnorum fuisse referatur: sed cum, quot anni inter Heli et Sampson fuerint, minime Scriptura prodiderit: video medii quiddam fuisse temporis, quod laboret ambiguo. Cæterum a die mortis Jesu usque in id tempus quo Sampson defunctus est, numerantur anni cccc et xix: a mundi autem exordio anni $\overline{\text{IIII}}$ ccc et III, quamquam ab hac supputatione nostra cæteros discordare non nesciam: sed mihi conscius sum, me non incuriose latentem annorum ordinem protulisse, donec in hæc tempora incidi, de quibus dubitare me fateor. Nunc reliqua exsequar.

XXX. Igitur, ut supra retuli, Hebræi sine judice aut duce ullo, proprio arbitrio agebantur. Heli sacerdos erat: sub hoc Samuel natus est. Huic pater Elcana, mater Anna. Hæc diu sterilis, cum conceptum a Deo peteret, vovisse traditur, si puer nasceretur, sacrandum Domino. Ita enixum puerum Heli sacerdoti tradidit. Mox, cum adolevisset, Dominus ad eum locutus est, Heli sacerdoti iram denuntians ob vitia filiorum, qui sacerdotium patris in quæstum verterant, munera a sacrificantibus exigentes, quamquam plerumque eos pater increpasse referatur: sed levior objurgatio non satisfecerat disciplinæ. Igitur allophylis in Judæam irruentibus obviam itum. Sed victi Hebræi parant aciem restituere: arcam Domini secum in pugnam efferunt, et cum ea filii sacerdotis prodeunt: quia ipse annis gravior luminibus obductis satisfacere officio nequiverat. Sed ubi arca in conspectum hostium deducta est, majestate quadam præsentis Domini territi, fugam parabant: assumptaque rursum constantia, et non sine Domino mutatis animis, totis viribus concurrunt. Victi Hebræi: arca capitur: filii sacerdotis cadunt. Heli delato ad se mali nuntio consternatus, animam exspiravit, cum per annos xx sacerdotium administrasset.

XXXI. Victores secundo prælio allophyli, arcam Dei quæ in potestatem venerat eorum, oppido Azoto in templum Dagon intulerunt. Sed simulacrum dæmoni dicatum, ubi arca illata est, corruit: cumque idolum loco restituissent, nocte insecuta discerptum est. Inde mures per omnem regionem exorti, noxiis morsibus multa hominum millia letho dabant. Quo malo compulsi Azotii, ad declinandam calamitatem, arcam Dei ad Gethæos transtulerunt; qui cum simili clade afficerentur, in oppidum Ascalonensium arcam transvexerunt. His vero, advocatis gentis ejus primoribus, consilium fuit, arcam Domini Hebræis reddere; ita ex sententia principum augurumque et sacerdotum, imposita vehiculo multis cum muneribus remittitur. Illud mirabile, quod cum oneri boves feminas subjecissent, vitulosque earum domi retinuissent, iter nullo duce in Judæam pecudes direxerunt, non revocante affectu fetus relicti: cujus rei miraculo reguli allophylorum usque in fines Hebræorum arcam secuti, religiosum officium præstiterunt. Judæi autem, ubi referri arcam viderunt, certatim ex oppido Bethsamis cum gaudio obviam ruere, festinare, exsultare, grates Domino referre. Mox Levitæ, quorum hoc negotium erat, sacrificium Deo celebrant, bovesque eas quæ arcam adduxerant, immolant. Sed in oppido quod supra diximus, teneri arca non potuit: itaque passim Dei nutu per totam urbem sævitum. Arca in Cariathiarim oppidum translata est, ibique per viginti annos fuit.

XXXII. Ea tempestate Samuel sacerdos Hebræis præerat; quietis a bello rebus populus in otio degebat; pax deinde allophylorum irruptione turbata. Trepidantibus cunctis ob conscientiam peccati, Samuel, cæsa prius hostia, Domino fretus suos in

prælium eduxit; primoque impetu fusis hostibus, victoria penes Hebræos stetit. Sed hostili metu remoto, secundis tranquillisque rebus, corruptis consiliis (more vulgi, cui præsentia fastidio, insueta desiderio sunt) regium nomen, cunctis fere liberis gentibus semper invisum, populus desiderabat, planeque non sine exemplo amentiæ præoptabat libertatem servitio mutare. Igitur frequentes Samuelem circumsistunt, ut, quia jam ipse senuisset, regem eis constitueret. At ille placide, salubri oratione, ab insana voluntate detorquere plebem: dominationem regiam et superba imperia exponere: libertatem extollere, servitutem detestari: postremo divinam eis iram denuntiare, siquidem homines mente corrupti, Deum regem habentes, regem sibi ex hominibus flagitarent. His atque aliis istiusmodi frustra dictis, cum populus in sententia perseveraret, Dominum consulit: qui permotus vecordia insanæ gentis, nihil adversum se petentibus negandum respondit.

XXXIII. Igitur Saul, sacerdotali prius a Samuele unguento perfusus, rex constitutus est. Hic ex tribu Benjamin, Cis patre ortus, modestus animi, forma excellenti erat; ut merito dignitas corporis dignitati regiæ conveniret. Sed principio regni hujus aliquanta ab eo pars populi desciverat, parere imperio abnuens, seque Ammonitis conjunxerat. Verum hos Saul impigre ultus est: victique hostes, et venia Hebræis data; tum Saul iterato a Samuele unctus traditur. Inde allophylorum irruptione atrox bellum exortum. Locum exercitui ad conveniendum Saul in Galgalis constituerat: et cum per septem dies Samuelem opperitus esset, ut sacrificium Domino fieret; tardante illo, cum populus dilaberetur, illicita præsumptione rex ad vicem sacerdotis holocaustum obtulit. multumque a Samuele increpitus, sera peccatum pœnitentia fatebatur. Igitur ex peccato regis metus omnem exercitum pervaserat: castra hostium haud longe sita præsens periculum ostendebant: neque cuiquam exeundi in prælium animus: plures *lacrymas* et latebras petiverant; nam præter imbecillitatem animorum, qui alienum a se Dominum delicto regis arbitrabantur, in maxima ferramentorum inopia exercitus erat; adeo ut præter Saul et Jonathan filium ejus, nemo gladium aut lanceam habuisse tradatur: nam allophyli superiore bello victores usum Hebræis ademerant, neque cuiquam conficiendi teli bellici aut rustici ferramenti potestas fuerat. Igitur Jonatha audaci consilio, solo armigero suo comite castra hostium ingressus, viginti fere ex hostibus interemptis, universum exercitum terrore perculerat. Tum vero nutu Dei in fugam versi, non imperia exsequi, non ordines observare, omne præsidium in pedibus habere: quod ubi Saul animadvertit, suis propere eductis fugientes persecutus, victoria potitus est. Eo die rex edixisse traditur, ne quis, nisi confectis hostibus, cibum caperet: sed Jonatha interdictionis ejus inscius, favo reperto, tincto spiculo mel degustaverat. Sed

A ubi regi ex Domini ira compertum est, mortem affici filium jussit: sed populi auxilio ab exitio vindicatus est. Ea tempestate Samuel a Domino monitus, regem adiit, verbis Domini nuntians, uti genti Amalec, quæ olim Hebræos ex Ægypto venientes transitu prohibuerat, bellum inferret; addito interdicto, ne quid ex spoliis devictorum concupisceret. Ita in fines hostium ductus exercitus, rex captus, gens subacta. Saul victus prædæ magnitudine, præcepti divini immemor, capta servari et ferri jubet. Quo facto offensus Dominus, Samuelem alloquitur: Pœnitere se, quod Saul regem constituerit.

XXXIV. Dictum sacerdos regi refert. Mox a Domino monitus, David regali unguento perlinit, parvum etiamnum puerum, sub patre agentem, pastorem
B ovium, assuetum sæpius cithara canere: ob quod postea a Saule assumptus, inter ministros regios habebatur. Qua tempestate allophylis atque Hebræis bello flagrantibus, cum ex adverso acies constitissent, Goliath quidam ex allophylis, vir miræ magnitudinis et roboris, suorum ordines prætergressus, ferocibus verbis probra in hostes jaciens singularem pugnam ciebat. Tum rex magna præmia et filiæ nuptias despondit, si quis provocantis spolia retulisset: sed nemo ex tanto agmine aggredi audebat. Igitur David etiamnum puer, pugnæ se obtulit: rejectisque armis, quibus infirma ætas gravabatur, virga tantum et quinque lapidibus sumptis, in prælium processit: primoque ictu, misso funda lapide, allophylum perculit: caput victi et spolia abstulit:
C gladium postea in templum posuit; allophyli autem omnes in fugam versi, victoriam concessere. Sed e prælio reversis, multus circa David favor invidiam regis accenderat: timens autem tam carum omnibus cum invidia et pernicie necare, sub specie honoris objectare eum periculis statuit. Ac primum tribunum eum fecerat, ut rem bellicam curaret; inde, cum ei filiam spopondisset, fidem fregit, eamque alteri tradidit. Mox filia regis natu minor, Melchol nomine, amore David flagrare occœperat; igitur nuptiarum ejus istiusmodi conditionem proponit: si centum præputia David ex hostibus retulisset, regiam virginem matrimonio illius cessuram: sperabat enim juvenem periculosa audentem facile periturum. Sed longe aliter ac ratus erat, evenit: nam ut proposuerat,
D impigre David centum præputia ex allophylis retulit; atque ita regis filiam in matrimonium accepit.

XXXV. Crescebat in dies in eum regis odium stimulante invidia: quia bonos semper mali insectantur; igitur ministris et Jonathæ filio imperavit, vitæ ejus ut insidias pararent. Sed Jonathæ carus acceptusque jam inde a principio David fuerat: itaque rex increpitus a filio, cruentum imperium repressit. Sed non diu mali boni sunt; nam cum spiritu erroris Saul affligeretur, eique David assisteret cithara laborantem deliniens, lancea eum ferire conatus est, nisi ille lethalem ictum propere declinasset. Exinde jam non occulte, sed palam ei necem parabat: nec ultra

se David regi credidit. Ac primum fugiens, ad Samuelem se contulit: inde ad Abimelech, postremo ad regem Moab confugit; mox per Gad prophetam monitus, in terram Judæ regressus, vitæ periculum adiit. Ea tempestate Saul Abimelech sacerdotem interemit, quod David recepisset: et cum ex ministris regiis nemo in sacerdotem manus inferre auderet, Doeg Syrus cruentum ministerium exsecutus est. Post id David desertum petiit. Illuc quoque eum Saul persecutus est: sed inani opera ejus exitium moliebatur, quem Dominus protegebat. Erat in deserto spelunca vasto recessu patens, in hujus interiora David se conjecerat. Saul nesciens in primo speluncæ aditu reficiendi corporis gratia successerat, ibique somno captus requiescebat; quod ubi David animadvertit, hortantibus cunctis ut opportunitate uteretur, abstinuit regis exitio: diploidem tamen ejus abstulit. Mox egressus, tuto eminus loco a tergo regem allocutus est, sua in illum commemorans beneficia, Ut sæpe pro regno ejus caput periculis objectasset, utque postremo præsenti tempore a Domino sibi traditum interimere noluisset. Ad hæc culpam Saul fateri, veniam precari, lacrymas fundere, pietatem David extollere, malitiam suam incusare, regem eum et filium appellans. Tantum ex feroci illo animo mutatum, crederes nihil ultra adversum generum ausurum. Sed David, qui penitius ingenium mali spectatum haberet et cognitum, nihil regi credendum ratus, intra eremum se continebat. Saul vecors animi, quia comprehendendi generum potestas non erat, filiam suam Melchol David, ut supra retulimus, nuptam, Phaltim cuidam in matrimonium dedit.

XXXVI. David ad allophylos confugit. Ea tempestate Samuel diem functus est. Saul allophylis bellum inferentibus Dominum consulit, nullumque est ei responsum redditum. Tum per mulierem, cujus viscera spiritus erroris impleverat, Samuelem evocatum consulit. Dictum ei ab eo est, postero illum die cum filio victum ab allophylis in prælio casurum. Igitur allophyli castris in hostili solo positis, postero die aciem instruunt, David tamen ex castris remisso: quia parum crediderant sibi illum adversum suos fidum fore. Sed conserto prælio, Hebræi fusi: filii regis cadunt: Saul equo delapsus, ne vivus in potestatem hostium veniret, gladio suo incubuit. De ætate imperii ejus parum certa comperimus, nisi quod in Actibus Apostolorum XL annos regnasse dictus est; quamquam ego arbitror tum a Paulo, cujus illa prædicatio refertur, etiam Samuelis annos sub regis istius ætate numeratos. Plerique tamen qui de temporibus scripserunt, XXX eum annos regnasse annotaverunt: cui opinioni nequaquam accedimus; nam ea tempestate qua Domini arca in Cariathjarim oppidum translata est, necdum regnare Saul cœperat: refertur autem per David regem ex illo oppido arcam sublatam, cum per XX annos ibi constitisset; ergo, cum intra id tempus Saul regnaverit atque decesserit, parvo admodum spatio tenuit imperium. Eadem nobis de temporibus Samuelis caligo, ut qui cum Heli sacer-

A dote natus, admodum senex sacerdotio functus refertur. A nonnullis tamen qui de temporibus scripsere (quia vere nihil de ejus annis sacra historia signavit) LXX annis præfuisse populo refertur: sed unde hæc auctoritas fuerit assumpta, non reperi. Nos in tanta erroris copia, Chronicorum annotationem secuti (quia eam ex Apostolorum Actibus, sicut superius memoravimus, profectam arbitramur) Samuelem et Saulem XL annos principatum egisse referimus.

XXXVII. Saul perempto, David in terra allophylorum, perlato ad se mortis ejus nuntio, miro pietatis exemplo flevisse traditur. Tum Chebron Judææ oppidum petiit. Ibi rursum regali unguento illitus, rex appellatus est: sed Abner, qui magister militiæ Saul regis fuerat, spreto David, Isbaal regis sui filium regem constituit. B Crebris deinde præliis inter duces regum concursum: pulsus Abner sæpius; fratrem tamen Joab, qui ex parte David exercitui præerat, fugiens peremit; quo dolore postea Joab, cum se Abner David regi dedisset, jugulari eum præcepit non sine dolore regis, cujus fidem cruentaverat. Per idem tempus omnes fere natu majores Hebræorum publico consensu regnum ei totius gentis detulerunt; nam per septem annos in Chebron tantum regnaverat. Ita tertio rex ungitur, annorum circiter XXX: Allophylos in regnum irruentes secundis præliis repulit. Ea tempestate arcam Domini, quæ in Cariathjarim oppido, ut supra retulimus, erat, in Sion transtulit: cumque ædificare Domino templum in animo haberet, divinum ei responsum redditum, Semini illius id reservari. C Bello deinde allophylos domuit, Moabitas subjugavit, Syriam subegit, stipendiumque ei imposuit; auri atque æris ex præda immensum modum retulit. Bellum deinde adversum Ammonitas ex injuria Channon regis eorum exortum. Syris denuo rebellantibus, qui cum Ammonitis in bellum conjuraverant, David summam rerum Joab principi militiæ permiserat: ipse a bello remotus, intra Hierusalem commorabatur.

XXXVIII. Qua tempestate Bersaben quamdam miræ feminam pulchritudinis stupro compertam habuit. Hæc *viri* cujusdam uxor, qui tum in castris erat, fuisse traditur. Hunc David iniquo pugnæ loco objectum hostibus, interficiendum curavit: ita mulierem matrimonio vacuam, sed jam ex stupro gravidam, D numero uxorum aggregavit. Tum per Nathan prophetam graviter increpitus, licet agnito errore, castigationem Domini non effugit: namque filium ex furtivo illo concubitu editum paucos post dies amisit, multaque in domum familiamque ejus exsecranda acciderunt; ad extremum Absalon filius ejus arma impia adversus patrem sustulit, regno eum depellere cupiens. Adversus hunc Joab acie conflixit, admonitus a rege, ut victo parceret: sed ille, spreto imperio, parricidiales conatus ferro ultus est. Flebilis ea victoria fuisse regi traditur: tanta in eo pietas erat, ut etiam parricidæ filio ignosci voluerit. Vix hoc bellum exstinctum videbatur, aliud rursum exortum Sabæa quodam duce, qui pessimum quemque ad

arma incitaverat : sed propere motus omnis morte ducis repressus. Crebra deinde adversus allophylos David prælia secundo eventu habuit : cunctisque bello domitis, et tam exteris quam domesticis motibus compressis, florentissimum regnum in pace habebat. Tum eum subita cupido incessit, ad metiendas imperii vires, populum censere : ita a Joab militiæ magistro decies centena et trecenta civium millia dinumerata. Hujus eum facti mox piguit pœnituitque, veniam a Domino petens, cur in id animos extulisset, ut regni sui potentiam ex suorum potius multitudine, quam ex favore divino æstimaret. Itaque missus ad eum angelus, trinam ei pœnam denuntiat, datque arbitrium unam eligendi : sed proposita triennii fame, trium mensium fuga, morte tridui; fugam et famem detestatus, mortem elegit : momentoque temporis LXX millia virorum interiere. Tum David videns angelum, cujus dextera populus prosternebatur, veniam precari, seque unum pro omnibus pœnæ objicere : se dignum exitio, quia ipse peccasset. Ita aversum plebis supplicium. David in loco, in quo angelum viderat, aram Domino statuit. Mox annis et morbo infractior, Salomonem filium, ex Bersabee Uriæ uxore susceptum, successorem regni constituit. Is regali unguento per Sadoc sacerdotem unctus, patre adhuc incolumi rex appellatus. David, cum regnasset annos XL defunctus est.

XXXIX. Salomon initio regni urbem muro circumdedit. Huic per soporem astare Dominus visus est, petendi quæ vellet tribuens optionem. Sed ille non aliud sibi quam sapientiam dari poposcit, reliqua omnia parvi æstimans. Ita somno excitatus, cum ante sacrarium Domini constitisset, indultæ sibi a Domino sapientiæ documentum dedit. Namque duæ mulieres una in domo diversantes cum eodem tempore pueros edidissent, atque ex his alter post diem tertium nocte obisset; mater defuncti somno alterius insidiata mortuum suum supposuit, viventem abstulit. Inde inter eas de puero altercatio; postremo res ad regem delata : difficilis judicii absolutio inter negantes, ubi testis deerat. Tum Salomon divinæ sapientiæ munere perimi puerum, corpusque ejus dividi inter ambigentes jubet : cumque una earum judicio acquievisset, alia vero cedere potius puero quam discerpi eum mallet; Salomon ex affectu feminæ hanc vere matrem esse conjectans, puerum illi adjudicavit, non sine circumstantium admiratione : siquidem latentem veritatem prudentia protulisset. Ita in admirationem ingenii prudentiæque ejus reges vicinarum gentium amicitiam ab eo fœdusque petiere, parati imperata facere.

XL. Queis opibus confisus, templum Domino immensi operis facere aggressus, paratis per triennium impendiis, quarto fere imperii anno primum fundamentum jecit, a profectione Hebræorum ex Ægypto anno fere octavo et octogesimo et quingentesimo : licet libro Regnorum tertio CCCCXL fuisse referantur; quod nequaquam convenit : siquidem per seriem superius comprehensam facilius fuerit, ut minus for-

A tassis annorum, quam amplius, annotarim. Sed non dubito librariorum potius negligentia, præsertim tot jam sæculis intercedentibus, veritatem fuisse corruptam, quam ut propheta erraverit : sicut in hoc ipso nostro opusculo futurum credimus, ut describentium incuria, quæ non incuriose a nobis sunt digesta, vitientur. Igitur Salomon cœptum templi opus vigesimo anno explicuit. Celebrato deinde ibidem sacrificio, dictaque oratione, qua populum templumque benedixit, Dominus ad eum locutus est, denuntians fore, si quando peccassent ac Dominum reliquissent, templum illud solo æquandum. quod jampridem impletum videmus, et mox .... connexum rerum ordinem exponemus. Interea Salomon florens opibus, omnium qui umquam fuerant regum ditissimus, qui-
B que semper ordo rerum est, ab opibus in luxum et vitia delapsus, cum adversum interdictum Dei ex alienigenis conjugia sumpsisset, et jam septingentas uxores et trecentas concubinas haberet, idola eis ritu gentium suarum, quibus litarent, constituit. Quibus rebus aversus Dominus, graviter increpito pœnam denuntiavit, fore ut regnum ex parte majore ademptum filio, servo illius traderetur; idque ita accidit.

XLI. Nam defuncto Salomone anno imperii quadragesimo, cum Roboam filius anno ætatis sexto et decimo regnum patrium tenere cœpisset, pars populi ab eo offensa discedit. Etenim cum laxari sibi stipendium poposcisset, quod Salomon gravissimum imposuerat; repudiatis precibus supplicum, favorem
C universæ plebis averterat : itaque consensu omnium, imperium ad Hieroboam defertur. Is medio genere ortus, aliquamdiu Salomoni servitutem pependerat : sed cum ei responso Achiæ prophetæ regnum Hebræorum annuntiatum comperisset, necare eum clam destinaverat; quo ille metu in Ægyptum confugit : ibique uxore accepta ex stirpe regia, cognita demum Salomonis morte in solum patrium regressus, voluntate populi, ut supra retulimus, sumpsit imperium. Penes Roboam tamen duæ tribus, Judæ et Benjamin, resederant : ex his ad trecenta millia paravit exercitum. Cumque acies promoverentur, verbis Dei populus admonetur, prælio abstineret : ex suo nutu Hieroboam regnum accepisse. Ita spreto regis imperio, exercitus dilapsus, Hieroboam impe-
D rium invaluerat : sed cum Hierosolymam Roboam obtineret, ubi templo a Salomone facto populus sacrificare Domino consueverat; veritus Hieroboam, ne ab eo plebem religio averteret, statuit animos ejus superstitione occupare. Itaque vaccam auream in Bethel, alteram apud Dan constituit, quibus populus litaret : sacerdotesque, omissa Levi tribu, ex plebe instituit. Invisum Domino flagitium expostulatio consecuta. Crebra deinde inter reges prælia : dubio eventu regnum obtinebant. Roboam septimo et decimo imperii anno exacto, vita functus est.

XLII. In hujus locum Abiu filius ejus regnum Hierosolymæ sex annos tenuit; quamvis in Chronicis triennio regnasse referatur. Huic Asa filius suc-

cessit, a David quintus fere, quippe abnepos ejus. Fuit religiosus Domini cultor : namque deletis aris lucisque idolorum, vestigia paternæ perfidiæ sustulit, fœdus cum rege Syriæ firmavit : ejus auxilio Hieroboæ regnum, quod tum a filio tenebatur, multa clade affecit; ac sæpe victis hostibus prædam ex victoria retulit. Post unum et quadragesimum annum æger pedibus decessit. Huic triplex peccatum ascribitur : unum, quod societate regis Syriæ nimium confisus sit : alterum, quod prophetam Domini hoc ipsum increpantem in vincula conjecit : tertium, quia in pedum dolore remedium non a Domino, sed a medicis speraverit. Sed initio regni hujus, Hieroboam rex decem tribuum defunctus est; regnum Nadab filio reliquit. Is malis operibus, et tam suis quam paternis meritis invisus Domino, non ultra biennium regno potitus est, privataque imperio indigna progenies. Baasam Achiæ filium successorem habuit, æque a Domino alienissimum; isque sexto et vigesimo imperii anno defunctus est. Regnum ad Elam filium devolutum, nec ultra biennium retentum; namque eum Zambri princeps equitum epulantem interfecit, regnumque occupavit : vir perinde in Dominum atque homines impius. Ab hoc pars populi secessit; Thamni cuidam regium nomen delatum, sed Zambri ante hunc septem annos et cum eodem duodecim regnavit. At in parte tribus Judæ Asa mortuo, Josaphat filius ejus regnare cœpit, vir religiosis virtutibus merito clarus. Is cum Jambri pacem habuit; defunctus est autem, cum regnasset annos v et xx.

XLIII. Hujus imperii tempore Achab, Jambri filius, rex decem tribuum fuit, ultra omnes in Dominum impius : namque Jezabel filia Basæ regis ex Sidone in matrimonio accepta Baali idolo aram lucosque constituit, et prophetas Domini interemit : quo tempore Elias propheta oratione cœlum conclusit, ne pluviam terræ daret; idque regi denuntiavit, ut se impius causam mali esse cognosceret. Igitur suspensis cœlo aquis cum loca omnia adusta solis ardoribus non victum hominibus, non pabulum jumentis darent; ipse se intra periculum famis propheta concluserat. Ea tempestate cum eremum petiisset; corvis cibum ministrantibus vixit, aquam torrens proximus, donec aruit, dedit. Inde admonitus a Domino Sareptæ oppidum petiit : ad mulierem viduam divertit; cumque ab ea esuriens cibum peteret, illa causari, non esse sibi nisi pugillum farris et pusillum olei : quo absumpto una cum filiis mortem exspectaret. Sed cum Elias verbis Dei polliceretur nec hydriam farre, nec vas oleo esse minuendum; mulier poscenti fidem non cunctata prophetæ credere, promissorum fidem consecuta est; siquidem divinis incrementis tantum accresceret, quantum quotidie detrahebat. Eodem tempore ejusdem viduæ filium mortuum Elias in vitam reduxit. Tum jussu Domini regem adiit, exprobratoque ei sacrilegio, poposcit ad se omnem populum congregari; qui cum propere convenisset, accitis idolorum ac lucorum sacerdoti-

A bus cccc fere et L inter eos inde orta est altercatio : Elia Dominum prædicante, illi superstitiones suas asserebant; postremo placuit fieri periculum, ut, si cujus cæsam hostiam missus cœlo ignis absumeret, rata esset religio quæ virtutem edidisset. Ita sacerdotes occiso vitulo Baal idolum invocare cœperunt : frustraque consumptis invocationibus imbecillitatem domini sui tacite fatebantur. Tum vero Elias irridens eos, Ne forte, inquit, dormiat : clamate vehementius, ut somno quo tenetur evigilet. Enimvero miseri trepidantes mussare, et tamen quidnam Elias facturus esset exspectare. At ille cæsum vitulum imposuit, cum prius sacrarium aqua opplesset : invocatoque Domino, exspectantibus cunctis ignis cœlo delapsus aquam cum hostia absumpsit. Tum vero
B populus solo stratus Dominum fateri, idola exsecrari : postremo Eliæ jussu profani sacerdotes comprehensi deductique ad torrentem, necati sunt. Redeuntem inde regem propheta prosecutus est : sed cum ei Jezabel regis uxor vitæ periculum pararet, ad remotiora secessit. Ibi eum Dominus allocutus est, septem millia virorum esse adhuc pronuntians, qui se idolis non dedissent : mirum id Eliæ fuit, qui solum se a sacrilegio immunem esse crediderat.

XLIV. Ea tempestate Achab rex Samariæ vineam Nabuthæi adhærentem sibi concupivit; quam cum ille ei vendere noluisset, dolis Jezabel interfectus est : ita Achab vinea potitus est, cum tamen Nabuthæi mortem doluisse referatur. Mox per Eliam verbo Domini increpitus, agnitoque crimine, cilicio
C indutus egisse pœnitentiam traditur, quo facto imminentem pœnam avertit. Namque rex Syriæ magno cum exercitu, duobus et triginta regibus in societatem belli adscitis, fines Samariæ ingressus, cum rege urbem obsidere cœpit. Arctis deinde obsessorum rebus, dat belli conditiones : Si aurum et argentum et feminas tradidissent, fore uti vitæ eorum parceret; sed tam injustis conditionibus extrema perpeti satius visum. Et cum jam omnium desperata esset salus, propheta a Domino missus regem adit : hortatur ut in prælium exeat, cunctantem multis confirmat : ita eruptione facta, fusi hostes copiosaque præda reperta. Sed post annum reparatis viribus Syrus in Samariam regressus, acceptam cladem ultum ire cupiens, rursum victus est, eo prælio cxx millia
D Syrorum interiere : regi venia data : regnum ei et pristinus status concessus. Tum Achab verbis Dei a propheta increpitus, cur abusus divino munere hosti sibi tradito pepercisset. Igitur Syrus post triennium bellum Hebræis intulit : adversum hunc Achab pseudoprophetarum impulsu in prælium descendit, spreto Michæa propheta et in vincula conjecto, quod ei exitiabilem fore pugnam denuntiasset, ita eo prælio Achab interfectus Ochoziæ filio imperium reliquit.

XLV. Is æger corpore cum ex ministris, qui idolum pro salute ejus consulerent, misisset; Elias a Deo monitus obviam se eis obtulit, increpitosque renuntiare regi jubet, mortem ejus consecuturam

Tum rex comprehendi eum ac deduci ad se jubet : A
sed missi, cœlesti igne absumpti. Rex, ut propheta prædixerat, obiit : successit autem Joram ei frater ejus, isque duodecim annis imperio potitus est. At in parte duarum tribuum Josaphat rege defuncto Joram filius regnum tenuit annos duodeviginti. Is Achab filiam uxorem habuit, socero quam patri propior. Post hunc Ochozias filius imperium adeptus est : hoc regnante Elias translatus refertur. Eodem tempore Elisæus discipulus ejus multis signis potens exstitit, quæ omnia notiora sunt quam ut nostro stylo egeant : ab eo viduæ filius resuscitatus, et Syrus lepra purgatus, et famis tempore omnium rerum copia fugatis hostibus invecta, et in usum trium exercituum aquæ præbitæ, et de exiguo olei immodicis incrementis solutum mulieris debitum et ipsi B
sufficiens vivendi substantia data. Hujus temporibus, ut diximus, Ochozias duarum tribuum erat rex ; decem vero Joram, ut supra retulimus, imperabat : interque eos fœdus ictum ; nam et adversus Syros junctis viribus bellatum, et adversum Jehu, qui per prophetam in regem decem tribuum unctus fuerat, pariter in prælium egressi, eadem pugna interiere.

XLVI. Sed regnum Joram Jehu tenuit. *Posito* Ochozia in Judæa rege, qui uno anno regnavit, mater ejus Gotholia imperium occupavit adempto nepoti imperio, etiam tum parvo puero, cui Joas nomen fuit : sed huic ab avia præreptum imperium, post octo fere annos per Sacerdotem et populum depulsa avia redditum. Hic initio regni observantissimus di- C
vini cultus fuit, magnisque sumptibus templum exornavit : post adulatione principum depravatus, adoratusque ab eis, Dei iram meruit. namque ei Azahel rex Syriæ bellum intulit : inclinatisque rebus suis, auro templi pacem redemit, nec tamen ea potitus est, facti invidia a suis interfectus anno imperii quadragesimo. Huic Amassia filius successit. At in parte decem tribuum defuncto Jehu Joachas filius ejus regnavit, invisus Deo malis operibus, ob quæ regnum ejus Syris prædæ fuit, donec Dei misericordia depulsis hostibus pristinum habere statum cœperunt. Joachas diem functus Joæ filio reliquit regnum. Is Amassiæ regi duarum tribuum civile bellum intulit, victoriaque potitus multam prædam in regnum suum convertit ; idque Amassiæ ob delictum accidisse tra- D
ditur : siquidem Idumæorum fines victor ingressus, idola gentis ejus assumpserat. Hic novem annos regnasse scribitur, quantum in libris Regnorum reperi : sed in Paralipomenis, atque etiam in Chronicis, novem et viginti annos imperium tenuisse annotatum est ; ea nimirum id persuadente ratione, quæ in his Regnorum libris facile perspici potest. Joram enim rex decem tribuum octavo anno imperii Amassiæ traditur regnare cœpisse, unumque et quadraginta annos imperium tenuisse : regnante demum Ozia Amassiæ filio, quarto imperii ejus anno defunctus est ; qua ratione viginti et novem annos Amassiæ efficit. Itaque nos hoc ipsum secuti, quia rationem temporum persequi placet, Chronicorum auctoritati accessimus.

XLVII. Igitur Amassiæ Ozia filius successit ; nam in parte decem tribuum Joas diem functus Joram filio locum fecerat : postque hunc Zacharias ejus filius regnavit. Horum nos regnum, omniumque qui in parte decem tribuum Samariæ præfuerunt, annotanda esse tempora non putavimus : quia brevitati studentes, superflua omisimus : et ad cognitionem temporum ejus potissimum partis annos credimus persequendos, quæ in captivitatem posterius abducta prolixius tempus in regno habuit. Igitur Ozias regnum Judæ adeptus præcipuam curam Domini cognoscendi habuit, Zacharia propheta plurimum usus (Esaias etiam sub hoc primum prophetasse traditur), quo merito prosperis eventibus adversus finitimos bella gessit. Arabas etiam devicit. Jamque Ægyptum terrore nominis sui concusserat, elatusque secundis rebus illicita præsumens, incensum Deo obtulit : quod solis facere sacerdotibus fas erat. Itaque cum per Azariam sacerdotem increpitus eo loco decedere cogeretur, atque in iram exarsisset, lepra oppletus decessit : quo morbo affectus vita functus est, cum regnasset annos duos et quinquaginta. Regnum inde Joathæ filio datum : isque admodum sanctus fuisse traditur, prospereque imperium administravit : gentem Ammonitarum bello victam stipendium præstare coegit : regnavit autem annis XVI eidemque Achaz filius successit.

XLVIII. Celebris circa hæc tempora Ninivitarum fides traditur. Id oppidum, olim ab Assur Sem filio conditum, caput regni Assyriorum fuit, frequens tum incolentium multitudine, alens virorum millia C et XX, atque, ut in magno populo, abundans vitiis. Queis Deus motus Jonam prophetam ex Judæa ire præcepit, ac denuntiare urbi excidium, sicut olim Sodoma et Gomorrha divinis ignibus conflagrassent. Verum prophet aprædicationis istius ministerium detrectans, non contumacia, sed præscientia qua vide bat Dominum pœnitentia populi placandum, navim quæ longe diversa regione Tharsos petebat, conscendit. Sed, ubi in altum processum, nautæ sævitia maris compulsi, quisnam esset mali causa sorte exploravere. Cum super Jonam sors decidisset, tamquam piaculum tempestatis in profundum projectus est : exceptusque a ceto, marino monstro, ac devoratus, post triduum fere Ninivitarum littoribus ejectus jussa prædicat : Urbem scilicet ob peccata populi triduo perituram. Igitur non dissimulanter, ut olim Sodomis, audita est vox Prophetæ : ac statim jussu regis exemploque populus universus, quin et recens nati, cibo potuque abstinentur : jumenta itidem et diversi generis animalia compulsa fame ac siti lamentantium speciem cum hominibus præbebant. Ita imminens malum aversum. Jonæ apud Deum conquerenti, quod fides dictis non adfuisset, responsum, Pœnitentibus veniam negari non posse.

XLIX. At in Samaria Zachariam regem admodum impium, quem superius regnasse memoravimus, Sel-

la quidam interemit, regnumque occupavit : idemque Manæ insidiis, exemplo facti sui, perit. Mane ereptum Sellæ imperium tenuit, filioque Pache reliquit : eumdem vero Pache quidam ejusdem nominis interemit, regnumque occupavit ; mox ab Osee peremptus, eodem scelere quo assumpserat imperium, amisit. Hic ultra omnes reges superiores impius, pœnam sibi perpetuamque genti captivitatem a Deo meruit ; namque ei Salmanassar rex Assyriorum intulit bellum, victumque tributarium sibi effecit. Sed cum occultis consiliis rebellionem pararet, regemque Æthiopum qui tum Ægyptum obtinebat, in auxilium acciverit, idque Salmanassar comperisset, perpetuis eum vinculis in carcerem conjecit, urbemque excidit : populum universum in regnum suum abduxit, Assyriis in hostili solo ad custodiam positis (exinde ea pars Samaria appellata : quod lingua Assyriorum *custodes* Samaritas vocant), ex quibus plerique divinas ceremonias receperunt reliquis in errore gentilitatis perseverantibus. Hoc bello Tobias in captivitatem ductus est. At in parte duarum tribuum rex Achaz ob impietatem invisus Deo, cum finitimorum bellis sæpe premeretur, deos gentium colere decrevit, nimirum quia eorum auxilio victores frequentibus præliis exstitissent : ita in hoc nefariæ mentis piaculo diem functus est, cum xvi annis in regno fuisset.

L. Huic Ezechias filius successit, multum paterni dissimilis ingenii : namque initio regni populum sacerdotesque ad Dei cultum cohortatus, multis disseruit. Ut frequenter castigati a Domino, sæpius essent misericordiam consecuti : ut postremum decem tribus in captivitatem nuper adductæ sacrilegii pœnas dissolverent : curandum eis sedulo, ne eadem pati mereantur. Ita conversis ad religionem omnium animis, levitas sacerdotesque omnes ad celebranda secundum legem sacrificia ordinavit : celebrarique Pascha instituit, quod jam pridem fuerat omissum ; cumque dies festus adesset, dimissis per omnem terram nuntiis : conventus diem edixit : ut, si quis post abductionem decem tribuum in Samaria resedissent, ad solemne sacrum convenirent : ita frequentissimo conventu dies sacer publica lætitia exactus, longo post intervallo religione legitima per Ezechiam restituta. Pari deinde industria qua divina curaverat, rem bellicam administravit, allophylosque frequentibus præliis contudit, donec ei Sennacherib rex Assyriorum bellum intulit. Magno cum exercitu fines ejus ingressus, lateque agris vastatis, nullo obsistente urbis obsisidionem urgebat : Ezechias enim multitudine inferior, non ausus manum conserere, muris se tuebatur. Rex Assyrius portis adsultans, minitari excidium, deditionem imperare : Ezechiam frustra Deo confidere : se Dei nutu potius arma sumpsisse : victorem omnium gentium, eversorem Samariæ effugi non posse, ni maturæ deditione sibimet consuluisset. In hoc rerum statu Ezechias Deo fretus, Esaiam prophetam consulit, ejusque responso edocetur, Nihil ex hoste periculi fore : divinum autem auxilium non defuturum.

LI. Nec multo post Tharacas rex Æthiopum regnum Assyriorum invadit : quo nuntio Sennacherib ad sua tuenda conversus, fremens et clamitans, Victori sibi victoriam eripi, bellum omisit, missis ad Ezechiam litteris cum verborum contumeliis denuntians, se paulo post rebus domi compositis ad excidium Judææ mature rediturum. Sed nihil his Ezechias motus orasse Dominum traditur, ne hanc tantam hominis insolentiam inultam sineret : ita eadem nocte Angelus castra Assyriorum aggressus, multa hominum millia letho dedit ; rex trepidus in oppidum Niniven confugit, ibique a filiis interfectus dignum se exitum tulit. Per idem tempus Ezechias æger corpore, morbo incubuerat. Cumque Esaias ei verbum Domini annuntiasset, vitæ ejus finem adesse, flesse rex traditur, ita xv annos prorogari sibi ad vitam meruit : quibus peractis, nono et vigesimo imperii anno decessit, regnum Manasse filio reliquit. Is a patre multum degenerans, relicto Domino culturas impias exercuit : ob quod in potestatem Assyriorum traditus, malo coactus agnovit errorem, populumque adhortatus est, uti relictis idolis Dominum colerent. Nihil sane dignum memoria gessit : regnavit autem annos v et L. Amon deinde filius ejus regnum adeptus est, nec ultra biennium eo potitus est : paternæ impietatis hæres, Domini negligens, suorum insidiis circumventus periit, ad Josiam filium imperium devolutum.

LII. Is admodum religiosus fuisse traditur, summaque cura divina administrasse, Helchia sacerdote usus bene. Is cum in templo librum verbi Dei scriptum, repertum a sacerdote legisset, quo continebatur, Hebræam gentem ob crebras impietates et sacrilegia delendam ; piis ad Deum precibus fletuque jugi imminentem cladem avertit. Quod ubi indultum sibi per Holdam prophetissam comperit, majore cura, utpote obligatus divinis beneficiis, cultum Dei exercuit. Igitur vasa omnia anteriorum regum superstitionibus idolis consecrata cremavit ; namque eo profani ritus invaluerant, ut soli ac lunæ divinos honores darent, eisdemque etiam ex metallis sacraria ædificarent : quibus Josias in pulverem redactis, sacerdotes quoque profanarum ædium interfecit. Sed ne sepulcris quidem impiorum pepercit : quod olim prædictum a propheta, impletum animadversum est. Hujus octavo et decimo imperii anno Pascha celebratum. Post triennium fere adversus Nechao regem Ægypti, qui bellum Assyriis inferebat, in prælium egressus, priusquam inter se acies concurrerent, sagitta ictus est : exque eo vulnere in urbem relatus, decessit, cum regnasset annos i et xx.

LIII. Joachas inde filius ejus regnum adeptus, tribus mensibus tenuit, captivitati ob impietatem destinatus : namque eum Nechao rex Ægypti victum captumque duxit, nec multo post in vinculis diem functus est. Judæis stipendium annuum imperatum ;

rex eis Eliachim arbitrio victoris datus, qui postea immutato nomine Joachim vocitatus est. Hic Joachæ frater, Josiæ filius fuit, fratri quam patri propior, sacrilegio invisus Deo. Igitur cum regi Ægyptio pareret, quippe cui tributum penderet, Nabuchodonosor rex Babylonius Judæam terram occupavit armis, et per triennium jure belli victor possedit: etenim cedente jam rege Ægypti, determinatisque inter eos imperii finibus convenerat, Judæos ad Babylonem pertinere. Ita cum Joachim, exactis in regno annis undecim, filio ejusdem nominis locum fecisset, isque regis Babylonii in se iram concitasset (Deo nimirum agente, cui constitutum erat Judæam gentem captivitati et internecioni dare), Nabuchodonosor Hierosolymam cum exercitu ingressus, urbem murosque ac templum solo stravit: auri immensum modum, et sacra ornamenta vel publica vel privata, puberesque omnes virilis ac muliebris sexus transtulit, relictis, quorum imbecillitas aut ætas fastidio victoribus fuit. Quæ turba, inutilis servitio, exercendis colendisque agris, ne incultum esset solum, deputata: eisdemque rex Sedechias præpositus, ademptis viribus inani tantum umbra regii nominis concessa. Sed Joachim tribus mensibus tempus imperii habuit. Is cum populo Babyloniam translatus, et in carcerem conjectus est. Trigesimum post annum emissus, atque a rege in amicitiam receptus, mensaque et consiliis participatus, non sine solatio depulsæ calamitatis decessit.

LIV. Interea Sedechias rex turbæ inutilis, quamquam sine viribus, infido ingenio et Dei immemor, qui non intelligeret captivitatem ob delicta gentis illatam, postremis denique malis debitus, regis animum offendit. Ita ei post novem annos Nabuchodonosor bellum intulit, compulsumque intra muros confugere triennio obsedit. Qua tempestate Hieremiam prophetam, qui jam sæpius imminere urbi captivitatem pronuntiaverat, consulit, si quid spei forsitan superesset. Sed ille cœlestis iræ non ignarus, eadem sæpius interrogatus respondit, ipsi regi specialem pœnam denuntians. Tum vero Sedechias in iram excitatus, trudi prophetam in carcerem jubet: moxque eum crudelis facti piguit; sed obsistentibus Judæorum principibus, quibus jam inde a principio moris fuerat bonos premere, absolvere innocentem non est ausus. Iisdem cogentibus, in lacum immensi profundi, cœnoque ac sordibus, atque ex eo exitiabili fetore horridum, demissus est, ut ne simplici quidem morte exspiraret. Sed rex licet impius, aliquanto tamen sacerdotibus mitior, educi prophetam de lacu et carceris custodiæ reddi jubet. Interea obsessos vis hostium et penuria urgebat: consumptisque omnibus quæ mandi poterant, fames invaluerat. Ita defessis inedia defensoribus, oppidum captum incensumque: rex, ut propheta dixerat, effossis oculis, Babyloniam translatus: Hieremias misericordia hostili carcere exemptus. Cum eum Nabuzardan princeps regius captivum cum cæteris duceret, delata sibi optione ab eo, utrum in solo patrio deserto desolatoque subsistere, an secum abire in summis honoribus vellet, residere in patria maluit. Nabuchodonosor, abducto populo, residuis (quos belli conditio vel prædæ fastidium relinqui a victoribus fecerat) Godoliam ejusdem gentis præposuit, absque ullo insigni regio aut imperii nomine: quia præesse paucis et calamitosis nulla dignitas erat.

LIBER SECUNDUS.

I. Captivitatis tempora prophetarum vaticiniis atque actibus illustrata sunt, maximeque Danielis egregia ad conservandam legem perseverantia, et in absolutione Susannæ divino consilio, cæterisque ab eo gestis, quæ ordine persequemur. Hic sub rege Joachim captus deductusque Babyloniam, parvus admodum puer: postea ob elegantiam vultus inter ministros regios assumptus, unaque cum eo Ananias, Misael et Azarias. Sed cum eos rex delicatioribus cibis curari præcepisset, idque Asphanæ eunucho negotii dedisset, Daniel paternarum traditionum memor, ne ex mensa regis gentilium cibis participaret, poposcit ab eunucho, ut leguminibus tantum uterentur. Causante Asphane, ne dissimulatum imperium regis consecutura macies proderet, Daniel Domino fretus pollicetur, majoris decoris sibi vultus ex leguminibus quam ex cibis regiis fore; fidesque dictis adfuit, ita ut minime eorum vultus comparabiles haberentur, qui imperialibus impendiis procurabantur. Igitur a rege in honore et gratia adhibiti, prudentia et disciplina brevi omnibus regis proximis antelati. Per idem tempus Susanna quædam Joachim nupta, spectatæ feminæ pulchritudinis, a duobus presbyteris appetita, cum impudicis non acquievisset, falso crimine incessitur: iisdem presbyteris deferentibus, in remotis locis adolescentem cum ea deprehensum, sed illum juvenili alacritate senum manus effugisse. Ita presbyteris fides habita: judicio populi Susanna damnatur. Quæ cum secundum legem ad supplicium duceretur, Daniel tum annos natus XII, increpitis Judæis quod innocentem morti dedissent, reducere eam in judicium, causamque denuo audiri postulat. Enimvero multitudo Judæorum quæ tum aderat, non sine Domino existimans puerum contemptæ ætatulæ in hanc constantiam prorupisse, favore accommodato, in concilium reverti-

tur. Initur denuo judicium: Danieli, ut inter majores natu resideret, delatum. Igitur separari accusatores jubet: unumque ex eis interrogat, sub cujus generis arbore adulteram deprehendisset. Ex varietate responsi falsitas deprehensa: Susanna absoluta: presbyteri, qui innocenti periculum creaverant, capite damnati.

II. Ea tempestate Nabuchodonosor somnium vidit mysterio futurorum mirabile, cujus interpretationem quum per se non posset evolvere, adscitis ad interpretandum Chaldæis, qui magicis artibus extisque hostiarum scire occulta et futura præcinere videbantur: mox, veritus ne more hominum non vera sed placita regi ex somnio conjectarent, visa supprimit, poposcitque ab eis, ut, si vera in his divinatio esset, somnium ipsum sibi dicerent: tum demum interpretationi eorum crediturum, si prius enuntiando somnium artis periculum fecissent. Illi vero tantam molem abnuentes, non esse id humanæ opis confitebantur. Rex motus, quod falsa divinandi professione homines erroribus illuderent, cum astricti præsenti negotio nihil scire se confiterentur: ita edicto regis in eos animadversum, palamque omnes hujus artis interficiebantur. Quod ubi Danieli compertum, regis proximum appellat: enuntiationem somnii interpretationemque ejus pollicetur. Res ad regem defertur: Daniel accersitur; jam revelato sibi per Dominum mysterio, visio regis refertur, solutioque. Sed res postulat, ut regis somnium et interpretationem prophetæ et consequentium fidem exponamus. Viderat rex per soporem imaginem capite aureo brachiisque argenteis, ventre et femoribus æreis, cruribus ferreis, quæ in pedes partim ferreos, partim fictiles desinebat. Sed ferrum atque testum inter confusum coire non poterat. Ad extremum, imaginem lapis sine manibus abscissus proterebat: redactaque omnia in pulverem, vento ablata.

III. Igitur secundum prophetæ interpretationem imago visa figuram mundi gerit: caput aureum Chaldæorum imperium est: siquidem id primum et opulentissimum fuisse accepimus. Pectus et brachia argentea secundum regnum annuntiant: Cyrus enim victis Chaldæis atque Medis imperium ad Persas contulit. In ventre æreo tertium regnum portendi pronuntiatur; idque impletum videmus: siquidem Alexander ereptum Persis imperium Macedoniæ vindicavit. Crura ferrea imperium quartum, idque Romanum, intelligitur, omnibus ante regnis validissimum. Pedes vero partim ferrei, partim fictiles, dividendum esse Romanum regnum, ita ut numquam inter se coeat, præfigurant; quod æque impletum est: siquidem jam non ab uno imperatore, sed etiam a pluribus, semperque inter se armis aut studiis dissentientibus res Romana administratur. Denique commisceri testum atque ferrum numquam inter se coeuntem materiam, commistiones humani generis futuræ a se invicem dissidentes significantur: siquidem Romanum solum ab exteris gentibus

A aut rebellibus occupatum, aut dedentibus semper pacis specie traditum constat; exercitibusque nostris, urbibus atque provinciis permistas barbaras nationes, et præcipue Judæos inter nos degere, nec tamen in mores nostros transire, videamus. Atque hæc esse postrema tempora prophetæ annuntiant: in lapide vero sine manibus abscisso, qui aurum, argentum et ferrum testumque comminuit, Christi figuram esse. Is enim non conditione humana editus (siquidem non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est) mundum istum, in quo sunt regna terrarum, in nihilum rediget, regnumque aliud incorruptum atque perpetuum, id est futurum sæculum, quod sanctis paratum est, confirmabit: de quo uno adhuc quorumdam fides in ambiguo est, non credendum B de futuris, cum de præteritis convincantur. Igitur Daniel multis a rege muneribus donatus, præfectus Babyloniæ atque omni imperio, in summis honoribus habebatur; ejus suffragio Ananias, Azarias et Misael ad summam æque dignitatem et potestatem provecti. Eodem fere tempore præclara Ezechielis prophetia exstitit, revelato ei futurorum et resurrectionis mysterio: exstat liber magni operis, et cum cura legendus.

IV. At in Judæa, cui post excidium Hierosolymæ Godoliam præpositum supra memoravimus, ægre ferentes Judæi principem sibi ex stirpe non regia arbitrio victoris datum, Ismael quodam duce et concitatore nefandæ conjurationis, dispositis eum in convivio insidiis peremerunt. At hi qui extra C noxiam fuerant, ultum ire facinus cupientes, propere adversum Ismael arma capiunt; sed ille, quia cognovit exitium sibi imminere, relicto exercitu quem contraxerat, non amplius quam octo comitantibus ad Ammonitas confugit. Igitur populum universum metus pervaserat, ne paucorum scelus omnium exitio rex Babylonius ultum iret: nam præter Godoliam multos ex Chaldæis cum eo interfecerant. Itaque consilium ineunt fugiendi in Ægyptum. Sed prius Hieremiam frequentes adeunt, sciscitantes divinum responsum; at ille verbis Dei universos hortari: In solo patrio manerent: si id fecissent, Dei præsidio tuendos, nullumque a Babyloniis periculum fore: sin Ægyptum peterent, omnes ibi ferro ac fame diversoque mortis genere D perituros. Sed plebs, assueto malo, insolens parendi salubribus consiliis et divino imperio, profecta est in Ægyptum; quid de ea postea actum, sacris litteris siletur, nobis nihil compertum.

V. Hoc tractu temporum Nabuchodonosor elatus rebus secundis statuam sibi auream immensæ magnitudinis posuit, adorarique eam ut sacram effigiem præcepit; quod cum certatim ab omnibus (depravatis adulatione omnium animis) fieret, Ananias, Azarias et Misael profano officio abstinuerunt, non ignorantes honorem hunc soli Deo debitum. Igitur rei ex edicto regis constituuntur: propositaque eis conditio pœnarum ardens caminus, ut præsenti metu adorare statuam cogerentur. Ve-

rum* illi devorari ignibus, quam piaculum committere, maluerunt. Itaque vincti pedibus in medias flammas conjiciuntur. Sed ministros infandi operis, dum promptius damnatos in ignem propellunt, flamma absorbuit: Hebræos (mirum dictu, et incredibile non visentibus) ignis non attigit, quum a spectantibus deambulantes in camino psalmum Deo dicere cernerentur: visusque cum his inter ignem quartus specie angeli, quem Nabuchodonosor propius intuitus, filium Dei se vidisse confessus est. Tum rex haud dubius divinam in re præsenti fuisse virtutem, missis per omne regnum suum edictis, facti miraculum provulgavit; confessus soli Deo honorem deferendum. Nec multo post rex objecto sibi somnio, mox voce etiam cœlo emissa admonitus, potestate regia abjecta, atque ab omni conversatione humana remotus, herbis tantum vitam sustinens egisse pœnitentiam traditur; servatum ei nutu Dei imperium, donec impleto tempore, agnito demum Deo, post septem annos et regno et statui pristino restitutus est. Hic post devictum, ut supra diximus, Sedechiam, quem captivum Babylonem transtulit, regnasse traditur annos VI et XX, quamquam id non in Sacra Historia scriptum invenerim: sed forte accidit, ut dum multa evolverem, annotationem hanc jam interpolato per ætatem libello sine auctoris nomine reperirem, in quo regum Babyloniorum tempora continebantur: quam prætereundam non putavi, siquidem et Chronicis consentiret, et ita illius nobis ratio quadraret, ut per ordinem regum, quorum tempora continebat, usque in primum Cyri regis annum LXX annos (tot enim per sacram Historiam a captivitate usque ad Cyrum fuisse referuntur) impleret.

VI. Post Nabuchodonosor, filius ejus regnum est adeptus, quem in Chronicis Evilmarodach fuisse vocitatum reperi. Hic duodecimo imperii anno diem functus fratri minori, qui Balthasar dictus est, locum fecit. Is cum quarto et decimo anno publicum epulum principibus ac præfectis suis daret, sacra vasa, quæ per Nabuchodonosor de templo Hierosolymæ ablata, nec in regales usus usurpata sed recondita in thesauris habebantur, proferri imperavit. Cum his per luxum ac licentiam regalis convivii promiscue omnes virilis ac muliebris sexus, uxores concubinæque ejus uterentur, subito rex in pariete conspicit digitos scribentes: cernebanturque in versum ductæ litteræ; sed qui posset scripta legere non reperiebatur. Igitur rex perterritus magos et Chaldæos advocat: quibus mussitantibus nec quidquam respondentibus, regina regem admonet: Esse quempiam Hebræum, Daniel nomine, qui olim Nabuchodonosor occulti mysterii somnium revelasset, jam tum ob illustrem sapientiam summis honoribus donatum. Itaque accitus Daniel, perlegit interpretatusque: Ob delictum regis, qui sacra Deo vasa temerasset, ipsi exitium imminere, regnumque ejus Medis ac Persis datum; quod mox

A consecutum est: nam eadem nocte Balthasar interiit, regnumque ejus Darius natione Medus occupavit. Danielem illustri opinione compertum universo imperio præposuit, secutus superiorum regum judicium: nam et Nabuchodonosor eum regno præfecerat, et Balthasar veste purpurea et torque aureo donatum, tertium regni principem constituerat.

VII. Igitur hi qui una cum eo rerum potentes erant, exagitati invidia, quod eis alienigena captivæ gentis fuisset æquatus, regem depravatum adulatione compellunt, ut sibi diebus proximis triginta, divini honores darentur, neque cuiquam liceret Dominum nisi regem precari. Facile id Dario persuasum, stultitia regum omnium, qui sibi divina vindicant. Igitur Daniel non rudis neque inscius B Deo preces non homini deferendas, reus constituitur, edicto regis non paruisse: multumque abnuente Dario, cui charus acceptusque semper fuerat, principes pervicere, ut in lacum demitteretur; sed objecto bestiis nullum periculum fuit. Quod cum rex comperisset, accusatores deputari leonibus præcepit, qui non simili exemplo perfuncti sunt: nam continuo devorati ferarum famem expleverunt. Daniel clarus ante, clarior haberi cœpit. Rex antiquato edicto suo, novum proposuit: Relictis erroribus ac superstitionibus Deum Danielis colendum. Exstant etiam visiones ejus, quibus consequentium sæculorum ordinem revelavit, annorum etiam numerum complexus, intra quem Christum, sicut factum est, descensurum ad terras pronuntiavit, C venturumque Antechristum manifeste exposuit. Quod si quis studiosior erit, rectius ibi quæsitum reperiet: nobis propositum est rerum tantum ordinem contexere. Darius duodeviginti annos regnasse traditur, qua tempestate Astyages Medis imperabat.

VIII. Hunc Cyrus, ex filia nepos ejus, regno expulit Persarum usus armis: unde summa imperii ad Persas translata est. Babylonii quoque in potestatem ditionemque ejus concessere. Igitur initio regni, propositis publice edictis, dat potestatem Judæis in solum patrium redeundi: sacra etiam vasa, quæ Nabuchodonosor de templo Hierosolymæ abstulerat, reddidit. Itaque pauci tum in Judæam regressi: cæteris redeundi animus, an facultas defuerit, parum comperimus. Erat ea tempestate D apud Babylonios Beli antiquissimi regis, cujus etiam Virgilius meminit, ex ære simulacrum, quod superstitione hominum consecratum Cyrus quoque adorare erat solitus, antistitum ejus dolo illusus, qui vesci effigiem illam atque potare affirmabant, cum diurnam pensitationem, quæ idolo inferebatur, clam ipsi absumerent. Igitur Cyrus, cum Daniele familiariter uteretur, quærit ab eo, cur simulacrum non adoraret, cum manifestum viventis Dei esset indicium, absumentis ea quæ inferebantur? Daniel ridens hominis errorem, negare id posse fieri, ut æs illud, id est bruta materies, cibo uteretur aut potu. Acciri ergo rex sacerdotes jubet (nam fere ad septuaginta erant) adhibitoque eos

terrore increpitat, Quis impensa consumeret, cum Daniel vir prudentia insignis minime id ab insensibili simulacro posse fieri contenderet? Tum illi confisi parato dolo, inferre et obsignari a rege templum deposcunt; uti, nisi omnia postero die absumpta deprehenderentur, morte pœnas persolverent : dum eadem conditio Danieli maneret. Itaque signo regis templum obsignatur, cum prius Daniel sacerdotibus insciis pavimentum cinere aspersisset, ut introeuntium occultos aditus vestigia proderent. Igitur postero die rex templum ingressus animadvertit absumpta quæ idolo apponi jusserat. Tum Daniel occultam fraudem vestigiis prodentibus reserat : Sacerdotes cum uxoribus et filiis suffosso foramine ingressos ea quæ idolo apposita fuerant devorasse. Ita omnes jussu regis interfecti : templum ac simulacrum Danieli in potestatem datum, atque arbitrio ejus dirutum.

IX. Interea Judæi, quos ex permissu Cyri in patriam regressos supra memoravimus, urbem ac templum restituere aggressi, ut pauci atque inopes, parum proficiebant; donec centesimo fere anno, Artaxerxe rege Persis imperitante, per eos qui locis præerant ab ædificando sunt deterriti. etenim tum Syria atque omnis Judæa sub Persarum imperio per magistratus ac præsides regebatur. Igitur his consilium fuit regi Artaxerxi scribere, Non oportere Judæis restituendæ urbis suæ copiam dari, ne pro contumaci ingenio, resumptis viribus, aliis gentibus imperare soliti non paterentur sub alieno imperio degere. Ita comprobato a rege præsidum consilio prohibita urbis ædificatio, usque in secundum Darii regis annum dilata est. Sed hoc tractu temporum qui reges Persis imperaverint, inserimus, quo facilius annorum series in ordinem contexta prodatur. Post Darium Medum, quem duodeviginti annos regnasse significavimus, Cyrus uno et triginta annis rerum potitus est : Scythis bellum inferens in prælio cecidit, secundo anno postquam Tarquinius Superbus Romæ regnare cœperat. Cyro Cambyses filius ejus successit, regnavitque annos novem. Hic cum Ægyptum atque Æthiopiam bello premeret et subegisset, victorque in Persas reverteretur, casu se ipsum vulneravit, ex eoque ictu periit. Post hujus mortem Magi duo fratres natione Medi menses septem Persarum regnum obtinuerunt. Ad hos interficiendos septem nobilissimi Persæ conjuraverunt, quorum princeps fuit Darius Hystaspis filius, natus ex fratre patruele Cyri, omniumque consensu regnum ei delatum : regnavit annos sex et triginta. Hic ante quadriennium quam decederet, apud Marathonam pugnavit celeberrimo Græcis Romanisque historiis prælio. Id gestum post Romam conditam anno fere ducentesimo et sexagesimo, Macerino et Augurino consulibus, abhinc annos, si tamen investigatio Romanorum consulum non fefellit, ∞ CCC LXXX et VIII : omne enim tempus in Stiliconem consulem direxi. Post Darium Xerxes fuit, isque unum et viginti annos re-

A gnasse traditur : quamquam in plerisque exemplaribus viginti et quinque annos imperii ejus fuisse reperi. Huic successit Artaxerxes, cujus supra mentionem fecimus. Hic cum inhiberi ædificationem urbis Judææ templique jussisset, suspensum opus usque in secundum Darii regis annum pependit. Sed ut usque ad eum temporum ordo connexus sit ; Artaxerxes regnavit annos unum et quadraginta, Xerxes duobus mensibus, postque eum Sucdianus septem mensibus fuit.

X. Darius deinde, sub quo templum est restitutum, regnum adeptus est, cui Ochus tum nomen erat. Hic cum ex Hebræis tres adolescentes spectatæ fidei corporis custodes haberet, unusque ex his prudentiæ documento admirationem regis in se convertisset; B delata sibi optione petendi, si quid animo concepisset, ingemiscens patriæ ruinis, copiam restituendæ urbis poposcit, meruitque a rege, ut subregulis ac præsidibus imperaret, ut ædificationem sacræ ædis præbitis impendiis maturaret. Ita templum quadriennio consummatum, sexto post anno quam Darius regnare cœperat : idque Judæis satis visum : et quia magnæ molis erat urbem restituere, diffisi viribus, opus multi laboris incipere non ausi, templo continebantur. Per idem tempus Esdras scriba legis post viginti fere annos quam templum fuerat consummatum, defuncto jam Dario, qui unum de viginti annis rerum fuerat potitus, permissu Artaxerxis secundi, non illius qui inter duos Xerxes fuit, sed hujus qui Dario Ocho succes- C serat, Babylonia profectus, multique eum secuti Hierosolymam pervenere; vasa quoque diversi operis et dona, quæ rex templo Dei miserat, cum duodecim levitis : vix enim hic numerus ex illa tribu repertus traditur. Is cum deprehendisset Judæos gentilium connubiis permistos, multis increpitos renuntiare istiusmodi matrimoniis, ac filios ex his susceptos extrudi jubet : omnesque dicto paruere : purgatus populus veteris legis ritum agebat. Cæterum Esdram nihil super reficienda urbe egisse comperio : credo, potiorem curam ratus plebem corruptis moribus reformare.

XI. Erat ea tempestate apud Babyloniam Neemias minister regius, gente Judæus, Artaxerxi merito obsequiorum charissimus. Is Judæos percontatus, quis D paternæ urbis status esset, ubi comperit in iisdem ruinis jacere patriam, totis sensibus conturbatus, cum gemitu multisque lacrymis orasse ad Deum traditur, delicta gentis suæ reputans, misericordiamque divinam efflagitans. Igitur cum eum rex inter epulas mœstum extra solitum animadvertisset, poposcit ab eo causam dolorum ut exponeret ; tum ille adversa gentis suæ et ruinam civitatis deflere, quæ jam per annos fere ducentos et quinquaginta solo strata, malorum testimonium, spectaculum inimicis præberet : daret sibi eundi et restituendæ ejus potestatem. Paruit rex piis precibus, statimque cum eum præsidio equitum, quo tutius iter ageret, dimisit, datis ad prætores epistolis,

ut necessaria præberent. Is cum Hierosolymam pervenisset, viritim populo opus urbis distribuit; et certatim jussa omnes curabant, jamque ad medium machinæ processerant, cum, flagrante invidia gentium, vicinæ urbes conspirant opera interrumpere, Judæosque ab ædificando deterrere. Sed Neemias, dispositis adversum incursantes præsidiis, nihil territus cœpta explicuit, consummatoque *muro*, et valvis portarum perfectis, per familias construendis interius domibus urbem dimensus est, censuitque populum minime urbi parem : neque enim amplius quam ad quinquaginta millia promiscui sexus atque ordinis reperta, tantum ex illo quondam immani numero frequentibus bellis absumptum, aut captivitate detentum : nam olim hæ duæ tribus, quarum hoc residuum fuit, cum ab his decem tribus separatæ sunt, CCC et XX millia **B** virorum armaverant : a Deo ob peccatum internecioni et captivitati datæ, ad hanc usque paucitatem devenerant. Sed hæc, ut dixi, plebs duarum tribuum fuit : decem vero prius ductæ, per Parthos, Medos, Indos atque Æthiopas dispersæ numquam in solum patrium sunt regressæ; hodieque barbararum gentium imperiis continentur. Sed consummatio restitutæ urbis XXX et II imperii Artaxerxis anno refertur: a quo tempore usque ad Christi crucem, id est Fusium Geminum et Rubellium consules, anni CCCXC et VIII. Cæterum a restitutione templi usque in eversionem, quæ sub Vespasiano consule augusto per Titum Cæsarem consummata est, anni CCCC LXXX et III. Prædictum id olim est a Daniele, qui ab instauratione templi usque in eversionem LX et IX hebdo- **C** madas futuras pronuntiaverat. A die autem captivitatis Judæorum usque in tempus restitutæ civitatis fuerunt anni CCLX.

XII. Hoc temporum tractu Esther atque Judith fuisse arbitramur; quarum quidem actus quibus potissimum regibus connectam, non facile perspexerim : nam cum Esther sub Artaxerxe rege referatur (porro duos hujus nominis Persarum reges fuisse reperi), multa cunctatio est, cujus hæc temporibus applicetur; mihi tamen visum est huic Artaxerxi sub quo Hierosolyma est restituta, Esther historiam connectere : quia non fit verisimile ut, si sub priore Artaxerxe fuisset, cujus tempora... complexus est, nullam tam illustris feminæ mentionem retulisset; maxime cum ab illo Artaxerxe inhibitam templi ædi- **D** ficationem, sicut supra memoravimus, constet : neque Esther passura fuerit tum, si in illius matrimonio tum fuisset; nunc gesta edisseram. Erat ea tempestate regi in matrimonio Vastis quædam, miræ femina pulchritudinis : cujus cum formam omnibus prædicaret, die quodam cum publicum convivium dabat, adesse reginam demonstrandæ pulchritudinis gratiam jubet. Illa vero stulto rege consultior, pudens virorum oculis spectaculum corporis præbere, jussa abnuit; qua contumelia barbarus animus permotus uxorem matrimonio ac regia depellit. Igitur cum in locum ejus puella regis conjugio quæreretur, reperta est Esther cæteras specie vincere : hæc Judæa ex **A** tribu Benjamin, utroque parente orba a Mardochæo patruele fratre educta. Quum ad regales nuptias duceretur, mandante educatore genus ac patriam occultavit : admonita ne paternarum traditionum immemor, etsi in matrimonium alienigenæ captiva succederet, gentium cibis participaret.

XIII. Igitur juncta regi, brevi, ut fit, vi pulchritudinis totum ejus animum facile cepit : adeo ut eam æquatam imperio, insigni regio, veste purpurea donaret. Qua tempestate Mardochæus inter proximos regis erat, pro virili portione negotiorum familiarium curator. Is compositas a duobus spadonibus regi insidias prodiderat : atque ex eo charior, summisque honoribus donatus. Erat ea tempestate regi Aman quidam perfamiliaris, quem æquatum sibi adorari more regum præceperat. Id Mardochæus unus ex omnibus facere fastidiens, odia Persæ in se graviter accenderat. Igitur Aman ad perniciem Hebræi animum intendens, regem adit; affirmatque, esse in regno ejus hominum genus pravis superstitionibus Deo hominibusque invisum, externis legibus vivens, dignum exitio : rectum esse omnes hujus gentis internecioni dare, exque eorum bonis immensas opes pollicetur. Facile id barbaro persuasum : edictum emittitur, Judæos necandos; missique continuo, qui per omne regnum ab India usque Æthiopiam edictum promulgarent. Id ubi Mardochæo compertum, conscissis vestibus sacco obvolvitur, conspersusque cinere pergit ad regiam, ibique ejulatu multo cuncta questibus replet : Facinus indignum, immeritam gentem perire, neque ullam pereundi causam dari. Esther lamentantis voce excita, rem, ut erat, cognoscit; tum vero anceps consilii, quia adeundi regem potestas non erat : etenim more Persarum reginæ introire ad regem, nisi accersitæ, non licet : nec tamen cum fuerit regi libitum, sed statuto tempore admittitur; et forte tum ita evenerat, ut diebus triginta proximis separata a conspectu regis Esther haberetur. Igitur audendum aliquid pro civibus rata, etsi certa pestis adesset, pulchro in negotio occumbere parat : invocato prius Domino aulam regis ingreditur. At barbarus re insolita perculsus, paulatim blandimento muliebri delinitus, postremo ad cœnam reginæ perducitur, unaque cum illo Aman ille regi charus et Judææ genti infestus. Igitur cum jam post epulas multis poculis convivium calere cœpisset, Esther genibus regis advolvitur, gentis suæ perniciem deprecatur. Rex vero nihil se petenti, si quid ultra peteret, negaturum pollicetur. Tum Esther arrepto tempore, Amanis mortem flagitat in ultionem gentis quam perditam cupierat. Sed rex amici memor paulisper cunctatur, deliberandique gratia modicum secessit. Deinde regressus vidit Aman reginæ genua complexum : succensus ira, et appetitam reginam clamitans, morte eum affici jubet. Et tum regi compertum erat, pœnam crucis per Aman Mardochæo paratam : ita Aman eidem cruci affigitur, omniaque bona ejus Mardochæo data, Judæique sunt absoluti. Artaxerxes

regnavit annos duos et sexaginta, eidemque Ochus successit.

XIV. Huic rerum ordini recte Judith actus conseram, traditur enim post captivitatem fuisse; sed quis eo tempore Persis regnaverit, historia divina non edidit : regem tamen sub quo illa gesta sint, Nabuchodonosor nuncupat, non utique eum qui Jerosolymam ceperit, sed nullum hoc nomine post captivitatem apud Persas regnasse reperio, nisi si ob impatientiam et pariles conatus, quicumque ille rex, Nabuchodonosor a Judæis vocitatus est. Plerique tamen Cambysem Cyri regis filium putant esse, quod victor Ægyptum atque Æthiopiam penetraverit; sed huic opinioni eadem sacra historia repugnat : nam duodecimo regis illius anno Judith fuisse signatur : porro Cambyses non ultra novem annos rerum potitus est. Unde, si in historia opinari licet, sub Ocho rege qui post Artaxerxem secundum fuit, hæc gesta crediderim ; idque vel ex hoc conjicio, quod idem Ochus (ut in sæcularibus quibusdam scriptis legi) natura immitis cupidusque bellorum traditur : nam et arma finitimis intulit, et Ægyptum, quæ ante multos annos desciverat, bello recuperavit. Quo tempore etiam sacra eorum, et Apin in Deum receptum irrisisse traditur : quod postea Baguas spado ejus, natione Ægyptius, indignatus, contumeliam gentis morte regis ultus est. Meminit autem hujus Baguæ historia divina : nam cum Holofernes jussu regis adversus Judæos duxerat exercitum, Baguam in iisdem castris fuisse memoravit : unde non immerito in argumentum nostræ opinionis adduxerim, ut rex ille, Nabuchodonosor nuncupatus, Ochus fuerit, sub quo Baguam fuisse mundiales historici prodiderunt. Cæterum illud nemini mirum esse oportebit, quod scriptores sæcularium litterarum nihil ex his quæ sacris voluminibus scripta sunt, attigerunt ; Dei spiritu prævalente, ut intaminata ab ore corrupto et falsis vera miscente, intra sua tantum mysteria contineretur historia, quæ separata a mundi negotiis, et sacris tantum vocibus proferenda, permisceri cum aliis velut æquali sorte non debuit; etenim erat indignissimum, ut alia agentibus, aut alia quærentibus, hæc quoque cum reliquis miscerentur. Sed pergam ad cætera, ac per Judith gesta, ut potero, paucis absolvam.

XV. Igitur reversis, ut supra memoravimus in solum patrium Judæis, necdum composito rerum aut urbis statu, rex Persarum Medis bellum infert, atque adversus regem eorum, Arphaxad nomine, acie confligit : secundo eventu perempto rege, gentem imperio adjungit; idem reliquis nationibus facit, præmisso Holoferne, quem principem militiæ delegerat, cum millibus peditum centum et viginti, equitum duodecim. Is Cilicia et Arabia bello vastatis, multas urbes aut vi capit aut metu in deditionem compellit; jamque Damascum admotus exercitus magno Judæos terrore perculerat : sed impares ad resistendum, neque ad deditionem acquiescentibus animis, expertis quippe usque ante captivitatis mala, ad templum frequentes concurrunt. Ibi communi gemitu permixtoque ululatu divinum auxilium implorant : Satis se Domino ob peccata vel crimina dedisse pœnarum : reliquiis saltem servitio nuper exemptis parceret. Interea Holofernes Moabitis in deditionem acceptis, atque adversum Judæos in societatem belli assumptis; cum ab eorum principibus inquireret, quibusnam viribus freti Hebræi deditioni animos non dedissent ; Achior quidam comperta edisserit : Judæos Dei cultores, pio a Patribus ritu institutos : olim in Ægypto pependisse servitium : inde divino munere eductos, ac siccatum mare pedibus emensos : postremo omnibus gentibus devictis, habitatas majoribus terras recepisse : exin vario rerum statu floruisse, aut concidisse, atque iterum malis emersisse, secundum merita iratum aut placatum Deum vicissitudine expertos; dum peccantes incursionibus hostium aut captivitatibus coercentur, propitio numine semper invicti : cæterum si præsenti tempore absque peccato sint, nullo modo eos posse superari : sin aliter se habeant, facile vincendos. Ad hæc Holofernes ferox multis victoriis, nihil sibi invictum ratus, ira accensus cur ex peccato potissimum Judæorum pendere illius victoria putaretur, propelli Achior in castra Hebræorum jubet, ut cum his periret, quos vinci non posse affirmaverat, ac tum Judæi montes petiverant : ita, quibus id negotii datum, ima montium successere, ibique vinctum Achior reliquerunt. Quod ubi Judæi animadverterunt, exemptum vinculis in collem perducunt, causas rei quærentibus, gesta exponit, receptusque parem exitum opperiebatur, is post victoriam circumcisus, Judæus factus est. Igitur Holofernes, difficultate locorum comperta, quia adiri præcelsa non poterant, montes militibus circumdat, et summa cura Hebræos aquationibus prohibet : eoque maturius obsidionem sensere. Itaque victi penuria aquæ, ad Oziam principem concurrunt proni omnes ad deditionem ; ille vero opperiendum paulisper, et divinum auxilium exspectandum respondens, quinto *decimo* die deditionis tempus constituit.

XVI. Quod ubi Judith compertum (quæ viro vidua, prædives opibus, insignis specie, sed moribus quam vultu illustrior, tum in castris erat) arctis suorum rebus etiam certo sibi exitio audendum aliquid et tentandum rata, caput comit, vultu expolitur, comite ancilla castra hostium ingreditur. Statimque ad Holofernem deducta perditas res suorum memorat, se transfugio vitæ consuluisse; deinde a duce poscit liberum extra castra nocturno tempore egressum orandi gratia : mandatum id vigilibus, portarumque custodibus. Sed ubi per triduum egrediendi ac redeundi consuetudinem sibi, barbaris fidem fecit, Holofernem cupido incessit dedititiæ corpore abuti : etenim forma excellenti Persam facile permoverat. Ita ad ducis tentorium per Baguam eunuchum deducitur, initoque convivio barbarus multo se vino obruit ; tum remotis ministris, priusquam vim mulieri inferret, somno captus est. Judith tempore ar-

repto caput hostis desecat, secumque aufert : et cum secundum consuetudinem castris egredi crederetur, incolumis ad suos regressa est. Postero die Hebræi caput Holofernis de superioribus ostentantes, eruptione facta ad castra hostium pergunt. Tum vero barbari signum pugnæ poscentes, tabernaculum ducis frequentes assistunt; ubi truncum corpus repertum, fœda formidine in fugam versi, terga hostibus præbuerunt. Judæi fugientes persecuti, cæsisque multis millibus, castris ac præda potiti. Judith summis laudibus celebrata, centum et quinque annos vixisse traditur. Hæc si Ocho rege, ut opinamur, gesta sunt, anno imperii ejus duodecimo; a tempore Hierosolymæ restitutæ usque in id bellum fuerunt anni duo et viginti. Cæterum Ochus viginti et tres annos regnavit; fuit autem ultra omnes cruentus, et plusquam barbaro animo. Hunc Bagua spado ægrotantem venenis sustulit. Post eum Arses filius ejus triennio imperium tenuit : Darius annos quatuor.

XVII. Adversum hunc Alexander Macedo acie conflixit; eo victo, Persis imperium ademptum, quod ab initio Cyri steterat annos ducentos et quinquaginta. Alexander, victor fere omnium gentium, adiisse Hierosolymæ templum dicitur, ac dona intulisse : edixitque per omne imperium quod sui juris effecerat, ut Judæis ibidem degentibus liberum esset in patriam reverti. Exacto duodecimo imperii anno, septimo postea quam Darium devicerat, apud Babyloniam defunctus est. Regnum amici ejus, qui simul cum illo maxima illa bella gesserant, partiti sunt. Inde aliquanto tempore sine usurpatione regali susceptas partes procuraverunt, Ariddæo quodam Philippo Alexandri fratre regnante : cui perimbecillo, verbo datum imperium videbatur, re autem penes eos erat qui sibi exercitum et provincias distribuerant. Nec vero hic rerum status diu mansit, omnesque se reges appellari maluerunt. Primus in Syria post Alexandrum Seleucus rex fuit, subjecta eidem Perside ac Babylone : qua tempestate Judæi annuum stipendium talenta regi trecenta argenti dabant; nec tamen per externos magistratus, sed per sacerdotes suos regebantur, patrioque ritu vivebant, donec plerique eorum longa rursum pace corrupti, miscere omnia seditionibus et turbare cœperunt, affectantes summum sacerdotium libidine, avaritia et dominandi cupidine.

XVIII. Namque primum sub rege Seleuco Antiochi magni filio Oniam Sacerdotem, virum sanctum atque integrum, Simon quidam falsis apud regem criminibus insimulatum, *exquirere* nequiverat. Interjecto deinde tempore, Jason frater Oniæ Antiochum regem, qui Seleuco fratri successerat, adiit augmentum stipendii pollicens, si sibi summum sacerdotium traderetur; et quamquam insolitum neque ante permissum cuiquam erat perpetuo sacerdotio perfungi, sollicitus tamen regis animus atque æger avaritia facile superatus est. Ita depulso Onia, Jasoni Sacerdotium est mandatum. Is fœde admodum cives patriamque laceravit. Dein cum per Menelaum quem-
A dam, Simonis illius fratrem, promissam regi pecuniam misisset, patefacta semel ambitioni via, iisdem artibus quibus Jason prius, Menelaus quoque Sacerdotium obtinuerat. Nec multo post, cum is promissum argenti modum non reddidisset, loco pellitur : Lysimachus substituitur. Inde inter Jasonem et Menelaum fœda fuere certamina, donec Jason, profugus patria, excessit. His initiis corruptis moribus eo usque processum, ut plerique popularium ab Antiocho poscerent permitti sibi more gentilium vivere. Quod quum rex petentibus annuisset, certatim pessimus quisque delubra exstruere, idolis supplicare, legem profanare occœperat. Interea Antiochus rediens ab Alexandria (namque tum bellum regi Ægyptio intulerat, quod jussu senatus et populi
B Romani deposuit, Paulo et Crasso consulibus) Hierosolymam adiit. Cum discordantem superstitionibus susceptis populum reperisset, legem Dei destruens, et his favens qui impia sequebantur, omnia templi ornamenta detraxit, ac multa cæde vastavit. Id gestum ab excessu Alexandri anno centesimo uno et quinquagesimo, Paulo, ut diximus, Crassoque consulibus, post quinquennium fere quam Antiochus regnare cœperat.

XIX. Sed ut temporum ordo consertus sit, ac liqueat evidentius quis hic fuerit Antiochus; regum qui post Alexandrum in Syria fuerunt, et nomina et tempora enumerabimus. Defuncto, ut supra retulimus, rege Alexandro, ab amicis ejus regnum omne divisum, ac regio nomine aliquamdiu adminis-
C tratum est. Seleucus post novem annos in Syria rex est appellatus, regnavitque annos duos et triginta. Post eum Antiochus, filius ejus, annos unum de viginti. Inde Antiochus, Antiochi filius, qui et Theus cognominatus est, annos quindecim. Post hunc Seleucus filius, cognomine Callinicus, annos unum et viginti. Item Seleucus, filius Callinici, annos tres. Hoc defuncto, Antiochus frater *Callinici* Asiam et Syriam tenuit annos septem et triginta. Hic est Antiochus, adversus quem Scipio Africani frater bellavit; quo bello victus, et imperii parte mulctatus est. Hic duos filios habuit, Seleucum et Antiochum, quem obsidem Romanis dederat. Ita Antiocho magno mortuo, Seleucus ejus filius natu minor regnum adeptus est : sub quo Oniam Sacerdotem a Simone in-
D simulatum diximus. Tum Antiochus a Romanis dimissus, datusque in locum ejus obses Demetrius Seleuci regis qui eo tempore regnabat, filius. Seleuco mortuo anno imperii duodecimo, regnum frater Antiochus qui Romæ obses fuerat, occupavit. Is post quinquennium quam regnare cœperat, ut supra docuimus, Hierosolymam depopulatus est : etenim grave Romanis stipendium pensitans, ipse immensis sumptibus pene necessario cogebatur pecunias rapto quærere, neque ullam prædandi occasionem omittere. Post biennium deinde pari rursum clade affectis Judæis, ne forte frequentibus malis compulsi bellum sumerent, præsidium arci imposuit. Inde sacram legem evertere aggressus, mittit edictum, ut om-

nes, relictis majorum suorum traditionibus, gentilium ritu viverent. Nec defuere qui profano imperio volentes parerent. Tum vero, fœdum spectaculum! per universam urbem palam in plateis diis litabatur: sacra etiam legis et prophetarum volumina igni cremata.

XX. Ea tempestate Mathathias Joannis filius, Sacerdos erat. Hic cum a regiis cogeretur edicto parere, egregia constantia profana contemnens, Hebræum publice profanantem in ore omnium jugulavit. Tum demum reperto duce facta secessio est. Mathathias oppido egressus, multis ad eum confluentibus speciem justi exercitus effecerat: queis omnibus destinatum erat, adversus profanum imperium se armis tueri, et in bello potius occumbere, quam impias cerimonias exercere. Interea Antiochus per Græcas quoque urbes quæ in illius imperio erant, repertos Judæos sacrificare cogebat, inauditisque cruciatibus reluctantes afficiebat. Qua tempestate illustris illa passio septem fratrum matrisque fuit: qui omnes cum legem Dei et instituta majorum violare suppliciis cogerentur, mori maluerunt. Ad extremum pœnas mortesque eorum comitata mater est.

XXI. Interea Mathathias moritur. Vicarium exercitui quem paraverat, ducem Judam filium substituit. Hujus ductu adversus regios frequentibus prœliis prospere pugnatum: nam primum Apollonium ducem hostium, qui magnis copiis in conflictum descenderat, cum omni exercitu delevit. Quod cum Seron quidam, qui tum Syriæ præerat, comperisset, multiplicatis legionibus Judam aggressus, ferox, quia numero præstabat; ubi in certamen descensum, fusus ac fugatus, octingentis ferme amissis in Syriam regressus est. Id ubi compertum est Antiocho, ira et dolore succensus (quippe angebatur duces suos cum magnis exercitibus devictos), auxilium per omne regnum contrahit: donativum militibus, exhaustis penitus thesauris, largitur. Etenim tum præcipue graviter pecuniæ inopia affectus erat. Nam deficientibus ab eo Judæis, qui ei ultra trecenta argenti talenta annua pensitaverant, præterea græcis urbibus multisque regionibus persecutionis malo turbatis (ne gentilibus quidem pepercerat, quos deserere inveteratas superstitiones et ad unum ritum deducere tentaverat: illis quidem, ubi nihil sancti erat, facile relinquentibus; sed tamen omnibus metu ac clade affectis), vectigalia cessaverant. Quibus rebus æstuans (etenim ipse olim omnibus regibus opulentior, suomet scelere inopiam persenserat) copias cum Lysia partitur, eique Syriam et bellum adversus Judæos committit, ipse in Persas ad cogenda vectigalia profectus. Igitur Lysias duces belli delegit, Ptolemæum, Gorgiam, *Doronem* et Nicanorem: his XL millia peditum, septem equitum data, ac primo impetu magnum Judæis terrorem intulerunt. Tum Judas, cunctis desperantibus, suos adhortatus, forti animo descenderent in prælium: Deo fretis nihil invictum fore; sæpe antea a paucioribus adversum plures bene pugnatum. Jejunio indicto celebratoque sacrificio in aciem descensum, fusæ hostium copiæ. Judas castris potitus, multumque ibi auri et Tyriarum opum repertum: Namque ex Syria negotiatores, nihil de victoria dubitantes, regium exercitum secuti spe captivos mercandi, prædæ fuere. Hæc ubi Lysiæ ex nuntiis comperta, majore cura copias parat, annoque post immani exercitu Judæos aggreditur. Victus denuo Antiochiam se recepit.

XXII. Judas pulsis hostibus Hierosolymam regressus, purgare templum et restituere animum intendit, quod eversum ab Antiocho profanatumque a gentibus fœdam sui speciem præbebat. Sed Syris arcem tenentibus (quæ contigua templo et loci natura superior atque inexpugnabilis erat), adiri subjecta non poterant, crebris eruptionibus prohibentibus. Adversum hos Judas validissimam suorum aciem objecit: ita opus sacræ ædis curatum, templumque muro circumdatum, constitutique qui perpetuum præsidium armati agitarent. At Lysias multiplicato exercitu in Judæam regressus, rursum vincitur, magna clade exercitus et auxiliorum, quæ ei a civitatibus missa in bellum conspiraverant. Interea Antiochus, quem in Persidem profectum supra memoravimus, oppidum Elymum regionis illius opulentissimum, fanumque ibi situm multo auro refertum diripere conatus; confluente undique ad defensionem loci multitudine fugatus, insuper nuntium accepit, res vel a Lysia, vel a *Lysimacho* improspere gestas: ita ex mœrore animi corporis morbo incubuit. Sed cum internis doloribus angeretur, reminiscens malorum quibus populum Dei vexaverat, merito sibi illa accidisse confitebatur; deinde post paucos dies moritur, cum regnasset annos undecim. Antiocho filio regnum reliquit, cui Eupator nomen fuit.

XXIII. Ea tempestate Judas Syros in arce positos obsidebat: qui cum fame atque inopia afficerentur, missis ad regem nuntiis præsidium implorant. Ita Eupator cum centum millibus, et equitum viginti millibus, suis subsidio venit, præeuntibus aciem cum ingenti terrore elephantis. Tum Judas laxata obsidione regi obviam tendit, primoque prœlio Syros fundit. Rex petit pacem: quia infido ingenio male usus, perfidiam consecuta ultio. Nam Demetrius Seleuci filius, quem Romanis obsidem datum supra memoravimus, ut audivit Antiochum decessisse, petivit ut se in regnum remitterent: quod cum ei negatum fuisset, clam Roma profugit, in Syriam venit, regnumque occupavit, Antiocho filio, qui annum unum et menses sex regnaverat, interfecto. Hoc regnante primum Judæi a populo Romano amicitiam fœdusque petiere: benigneque excepta legatio. Decreto Senatus socii atque amici appellati. Interim Demetrius adversus Judam per duces suos bellum gerebat, ac primum per Bacchidem quemdam et Alcimum Judæum ductus exercitus; post Nicanor bello præpositus in prœlio occubuit. Tum Bacchides et Alcimus, resumptis viribus auctisque copiis, adversum Judam confligunt. In ea pugna victores Syri cruente admodum victoria sunt usi. Hebræi in locum Judæ Jonatham fratrem ejus deligunt. Interea Alci-

mus cum fœde Hierosolymam vastasset, moritur : A Bacchides socio destitutus ad regem redit. Dein post biennium rursus Bacchides bellum Judæis intulit : victus pacem petit; quæ propositis conditionibus data : Si perfugas captivosque et omnia bello rapta redderet.

XXIV. Dum hæc intra Judæam geruntur, adolescens quidam Rhodi educatus, nomine Alexander, Antiochi se esse filium dictitans (quod falsum erat), adjutus opibus Ptolemæi regis Alexandrini, in Syriam cum exercitu venit : Demetrium bello superatum occidit, cum regnasset annos XII. Hic Alexander, priusquam adversus Demetrium confligeret, fœdus cum Jonatha fecerat, eumque veste purpurea et insignibus regiis donaverat : ob quod eum Jonathas auxiliis juverat, victoque Demetrio primus B omnium congratulatum occurrerat. Neque postea Alexander datam fidem violavit : ita quinquennio, quo rerum potitus est, res Judæorum tranquillæ fuerunt. Igitur *Demetrius*, Demetrii filius, qui post mortem patris Cretam confugerat, hortante Listhene Cretensium duce, regnum patrium bello repetens, impar viribus Ptolemæum Philometorem regem Ægypti, Alexandri socerum jam tum genero infestum, ut sibi sit auxilio implorat. Ille vero non tam supplicis precibus quam spe Syriæ occupandæ illectus, copias cum eo jungit, ac filiam Alexandro nuptam dat Demetrio. Adversus hos Alexander acie confligit: eo prælio Ptolemæus cadit; Alexander vincitur et paulo post interficitur, cum regnasset annos V, vel, ut in plerisque auctoribus reperi, novem. C

XXV. Demetrius regnum indeptus, Jonathan benigne habuit, fœdus cum eo fecit, Judæos legibus suis reddidit. Interea Tryphon, qui partium Alexandri fuerat, præfectus Syriæ, regno.... Eum bello prohibiturus contra Jonathan in prælium descendit, terribilis XL millium exercitu. Tryphon ubi se imparem cernit, pacem simulat : receptumque in amicitiam, invitatumque Ptolemaidam interfecit. Post Jonathan summa rerum ad Simonem fratrem defertur. Is funus fratris magnifice curavit, septemque illas pyramidas nobilissimi operis exstruxit, in quibus et fratrum et patris ossa condidit. Tum Demetrius, refecto cum Judæis fœdere, contemplatione cladis a Tryphone illatæ (nam post Jonathæ necem urbes eorum atque agros bello vastaverat), annua eis vec- D tigalia in perpetuum remittit : etenim usque ad id tempus regibus Syriæ, nisi cum armis resisterent, stipendium pensitaverant. Id gestum Demetrii regis anno secundo : quod ideo signavimus, quia usque in hunc annum per tempora Asianorum regum cucurrimus, ut ratio temporum digesta luceret. Nunc autem per tempora eorum qui Judæis vel pontifices vel reges fuerunt usque ad Christi nativitatem rerum ordinem digeremus.

XXVI. Igitur post Jonathan Simon frater ejus, ut supra dictum est, Hebræis præfuit jure pontificis : id enim ei tum a suis, tum et a populo Romano honoris delatum. Hic cum secundo Demetrii regis anno civibus præesse cœpisset, post octo annos insidiis Ptolemæi circumventus occubuit. Huic Joannes filius successit, qui cum adversum Hyrcanos, gentem validissimam, egregie pugnasset, Hyrcani cognomen accepit. Mortuus est annos VI et XX rerum potitus. Post hunc Aristobulus pontifex substitutus, primus omnium post captivitatem regium nomen assumpsit, capitique diadema imposuit. Exacto anno diem functus est. Alexander deinde filius ejus rex pariter et pontifex fuit : regnavit annos VII et viginti; in cujus actibus nihil præter crudelitatem memoria dignum reperi. Hic cum Aristobulum et Hyrcanum parvos filios reliquisset, Salina sive Alexandra uxor ejus regnum per novem annos tenuit. Post hujus obitum fœda inter fratres de regno certamina. Ac primum Hyrcanus imperium obtinebat : mox ab Aristobulo fratre pulsus, confugit ad Pompeium, qui tum, Mithridatico bello confecto pacataque Armenia et Ponto, victor omnium gentium quas adierat, introrsum pergere, et vicina quæque Romano imperio adjungere cupiens, causas belli et materiam vincendi quærebat. Igitur Hyrcanum libens excepit, ductuque ejus Judæos aggreditur. Urbe capta atque arce, templo pepercit. Aristobulum vinctum Romam mittit : Hyrcano jus pontificatus restituit : impositoque Judæis stipendio, procuratorem eis Antipatrum quemdam Ascalonitem præposuit. Hircanus quatuor et triginta annos rerum potitus, dum adversum Parthos bella gerit, capitur.

XXVII. Tum Herodes alienigena, Antipatri Ascalonitæ filius, regnum Judææ a senatu et populo Romano petiit, accepitque. Hunc primum Judæi externum regem cœperunt habere : etenim jam adventante Christo necesse erat, secundum vaticinia prophetarum, suis eos ducibus privari, ne quid ultra Christum exspectarent. Sub hoc Herode, anno imperii ejus tertio et XXX Christus natus est, Sabino et Rufino consulibus, VIII kalendas Januarias. Verum hæc quæ Evangeliis ac deinceps Apostolorum Actibus continentur, attingere non ausus, ne quid forma præcisi operis rerum dignitatibus diminueret, reliqua exsequar. Herodes post nativitatem Domini regnavit annos IV, nam omne imperii ejus tempus VII et XXX anni fuerunt, post quem Archelaus tetrarcha annis IX. Herodes annis XX et IV. Hoc regnante, anno regni octavo et decimo, Dominus crucifixus est, Fufio Gemino et Rubellio Gemino consulibus, a quo tempore usque in Stiliconem consulem sunt anni CCCLXXII.

XXVIII. Apostolorum Actus Lucas edidit, usque in tempus quo Paulus Romam deductus est Nerone imperante : qui non dicam regum, sed omnium hominum et vel immanium bestiarum sordidissimus, dignus exstitit qui persecutionem in Christianos primus inciperet : nescio an et postremus explebit, siquidem opinione multorum receptum sit, ipsum Antichristum venturum. Hujus vitia ut plenius exponerem, res admonebat, nisi non esset hu-

jus operis tam vasta ingredi : id tantum annotasse contentus sum, hunc per omnia fœdissima et crudelissima eo processisse, ut matrem interficeret; post etiam Pythagoræ cuidam in modum solemnium conjugiorum nuberet : inditumque imperatori flammeum, dos et genialis torus et faces nuptiales, cuncta denique quæ vel in feminis non sine verecundia conspiciuntur, spectata. Reliqua vero ejus, incertum pigeat an pudeat magis disserere. Hic primus Christianum nomen tollere aggressus est : quippe semper inimica virtutibus vitia sunt, et optimi quique ab improbis quasi exprobrantes aspiciuntur. Namque eo tempore divina apud urbem religio invaluerat, Petro ibi episcopatum gerente, et Paulo, posteaquam ab injusto *præsulis* judicio Cæsarem appellaverat, Romam deducto : ad quem audiendum plures conveniebant; qui, veritate intellecta, virtutibusque Apostolorum, quas tum crebro ediderant, permoti, ad cultum Dei sese conferebant. Etenim tum illustris illa adversus Simonem Petri ac Pauli congressio fuit, qui cum magicis artibus, ut se Deum probaret, duobus suffultus dæmoniis evolasset, orationibus Apostolorum fugatis dæmonibus, delapsus in terram, populo inspectante, disruptus est.

XXIX. Interea abundante jam Christianorum multitudine, accidit ut Roma incendio conflagraret, Nerone apud Antium constituto; sed opinio omnium invidiam incendii in principem retorquebat, credebaturque imperator gloriam innovandæ urbis quæsiisse; neque ulla re Nero efficiebat, quin ab eo jussum incendium putaretur. Igitur vertit invidiam in Christianos, actæque in innoxios crudelissimæ quæstiones, quin et novæ mortes excogitatæ, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent; multi crucibus affixi, aut flamma usti : plerique in id reservati, ut cum defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hoc initio in Christianos sæviri cœptum. Post etiam datis legibus religio vetabatur, palamque, edictis propositis, Christianum esse non licebat. Tum Paulus ac Petrus capitis damnati : quorum uni cervix gladio desecta. Petrus in crucem sublatus est. Dum hæc Romæ geruntur, Judæi præsidis sui Festi Flori injurias non ferentes, rebellare cœperunt. Adversus eos Vespasianus proconsulari imperio a Nerone missus, multis gravibusque prœliis devictos coegit intra muros Hierosolymæ confugere. Interim Nero jam etiam sibi pro conscientia scelerum invisus, humanis rebus eximitur : incertum an ipse sibi mortem consciverit. Certe corpus illius *interemptum*. Unde creditur, etiamsi se gladio ipse transfixerit, curato vulnere ejus servatus, secundum illud quod de eo scriptum est : Et plaga mortis ejus curata est (*Apoc.* XIII, 3); sub sæculi fine mittendus, ut mysterium iniquitati exerceat.

XXX. Igitur per excessum Neronis Galba imperium rapuit : mox Otho, Galba interfecto, occupavit. Tunc Vitellius *in Gallias*, fretus exercitibus quibus præerat, Urbem ingressus, Othone interfecto, summam rerum usurpavit; quæ posteaquam ad Vespasianum delata, licet malo exemplo, bono tamen affectu Reip. ab improbis vindicandæ, cum Hierosolymam obsideret, sumit imperium : et, ut mos est, diademate capiti imposito, ab exercitu imperator consalutatus Titum filium Cæsarem facit, eidem pars copiarum, et obsidendæ Hierosolymæ negotium datum. Vespasianus Romam profectus, summo favore senatus et populi receptus, cum se Vitellius interfecisset, imperium confirmavit. Interea Judæi obsidione clausi, quia nulla neque pacis neque deditionis copia dabatur, ad extremum fame interibant; passimque viæ oppleri cadaveribus cœpere, victo jam officio humandi. Quin omnia nefanda insuper ausi, ne humanis quidem corporibus pepercerunt, nisi quæ ejusmodi alimentis tabes præripuerat. Igitur defessis defensoribus irrupere Romani, ac tum forte in diem Paschæ omnis ex agris aliisque Judææ oppidis multitudo convenerat : nimirum ita Deo placitum, ut eo tempore quo Dominum cruci affixerat gens impia, internecioni daretur. Pharisæi aliquantisper pro templo acerrime restiterunt : donec obstinatis ad mortem animis ultro se subjectis ignibus intulerunt. Numerus peremptorum ad undecies centena millia refertur : capta vero c millia, ac venumdata. Fertur Titus adhibito consilio prius deliberasse, an templum tanti operis everteret : etenim nonnullis videbatur, ædem sacratam, ultra omnia mortalia illustrem, non debere deleri : quæ servata modestiæ Romanæ testimonium, diruta perennem crudelitatis notam præberet. At contra alii, et Titus ipse, evertendum templum in primis censebant, quo plenius Judæorum et Christianorum religio tolleretur, quippe has religiones, licet contrarias sibi, iisdem tamen auctoribus profectas; Christianos ex Judæis exstitisse; radice sublata stirpem facile perituram. Ita Dei nutu accensis omnium animis templum dirutum, ab hinc annos trecentos triginta et unum. Atque hæc ultima templi eversio et postrema Judæorum captivitas, qua extorres patria per orbem terrarum dispersi cernuntur; quotidie mundo testimonio sunt, non ob aliud eos quam ob illatas Christo impias manus fuisse punitos : nam sæpe alias cum propter peccata captivitatibus traderentur, numquam tamen ultra septuaginta annos servitutis pœnam pependerunt.

XXXI. Interjecto deinde tempore, Domitianus Vespasiani filius persecutus est Christianos. Quo tempore Joannem apostolum atque evangelistam in Pathmum insulam relegavit : ubi ille, arcanis sibi mysteriis revelatis, librum sacræ Apocalypsis (qui quidem a plerisque aut stulte aut impie non recipitur) conscriptum edidit. Non multo deinde intervallo tertia persecutio per Trajanum fuit; qui cum tormentis et quæstionibus nihil in Christianis morte aut pœna dignum reperisset, sæviri in eos ultra vetuit. Sub Hadriano deinde Judæi rebellare voluerunt, Syriam ac Palæstinam diripere conati : missoque exercitu subacti sunt. Qua tempestate Hadrianus

existimans se Christianam fidem loci injuria peremturum,..... et in templa ac loco Dominicæ passionis dæmonum simulacra constituit; et (quia Christiani ex Judæis potissimum putabantur: namque tum Hierosolymæ non nisi ex circumcisione habebat Ecclesia Sacerdotem) militum cohortem custodias in perpetuum agitare jussit, quæ Judæos omnes Hierosolymæ aditu arceret. Quod quidem Christianæ fidei proficiebat, quia tum pene omnes Christum Deum sub legis observatione credebant. nimirum id Domino ordinante dispositum, ut legis servitus a libertate fidei atque Ecclesiæ tolleretur: ita tum primum Marcus ex gentibus, apud Hierosolymam episcopus fuit. Quarta sub Hadriano persecutio numeratur, quam tamen post exerceri prohibuit, injustum esse pronuntians, ut quisquam sine crimine reus constitueretur. Post Hadrianum Antonino Pio imperante pax ecclesiis fuit.

XXXII. Sub Aurelio deinde Antonini filio persecutio quinta agitata. Ac tum primum intra Gallias martyria visa, serius trans Alpes Dei religione suscepta. Sexta deinde Severo imperante Christianorum vexatio fuit; quo tempore Leonidas Origenis pater sacrum in martyrio sanguinem fudit. Interjectis deinde annis VIII et XXX pax Christianis fuit: nisi quod medio tempore Maximinus nonnullarum Ecclesiarum clericos vexavit. Mox Decio imperante, jam tum septima persecutione sævitum in Christianos. inde Valerianus octavus sanctorum hostis fuit. Post eum, interjectis annis fere quinquaginta, Diocletiano et Maximiniano imperantibus acerbissima persecutio exorta, quæ per X continuos annos plebem Dei depopulata est. Qua tempestate omnis fere sacro martyrum cruore orbis infectus est: quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoque avidius tum martyria gloriosis mortibus quærebantur, quam nunc episcopatus pravis ambitionibus appetuntur. Nullis umquam magis bellis mundus exhaustus est; neque majore umquam triumpho vicimus, quam cum decem annorum stragibus vinci non potuimus. Exstant etiam mandatæ litteris præclaræ ejus temporis martyrum passiones: quas connectendas non putavi, ne modum operis excederem.

XXXIII. Sed finis persecutionis illius fuit abhinc annos IX et LXXX, a quo tempore Christiani imperatores esse cœperunt: namque tum Constantinus rerum potiebatur, qui primus omnium Romanorum principum Christianus fuit. Sane tum Licinius, quia adversum Constantinum de imperio certavit, milites suos litare præceperat: abnuentes militia rejiciebat. Sed id inter persecutiones non computatur: adeo res levioris negotii fuit, quam ut ad Ecclesiarum vulnera perveniret. Exinde tranquillis rebus pace perfruimur, neque ulterius persecutionem fore credimus, nisi eam quam sub fine jam sæculi Antichristus exercebit: etenim sacris vocibus X plagis mundum afficiendum pronuntiatum est: ita cum jam IX fuerint, quæ superest, ultima erit. Hoc temporum tractu mirum est quantum invaluerit religio Christiana. Tum siquidem Hierosolyma horrens ruinis, frequentissimis ac magnificentissimis Ecclesiis est adornata: namque Helena mater principis Constantini, quæ Augusta cum filio conregnabat, cum Hierosolymam agnoscere concupisset, reperta ibi idola ac templa protrivit: mox usa regni viribus, basilicas in loco Dominicæ passionis et resurrectionis et ascensionis constituit. Illud mirum, quod locus ille in quo postremum institerant divina vestigia cum in cœlum Dominus nube sublatus est, continuari pavimento cum reliqua stratorum parte non potuit: siquidem quæcumque applicabantur, insolens humana suscipere terra respueret, excussis in ora apponentium sæpe marmoribus. Quin etiam calcati Deo pulveris adeo perenne documentum est, ut vestigia impressa cernantur, et cum quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non sentiat: et eadem adhuc sui speciem, velut impressis signata vestigiis, terra custodit.

XXXIV. Ejusdem reginæ beneficio crux Domini tum reperta, quæ neque in principio obsistentibus Judæis potuerat consecrari, et postea dirutæ civitatis oppressa ruderibus, non nisi tam fideliter requirenti meruit ostendi. Igitur Helena primum de loco passionis certior facta, admota militari manu, atque omnium provincialium multitudine in studia reginæ certantium, effodi terram et contigua quæque ac vastissima ruinarum purgari jubet: mox pretium fidei et laboris tres pariter cruces, sicut olim Domino ac latronibus duobus fixæ fuerant, reperiuntur. Hic vero major dignoscendi patibuli in quo Dominus pependerat, difficultas omnium animos mentesque turbaverat, ne errore mortalium forsitan pro cruce Domini latronis patibulum consecrarent. Capiunt deinde consilium, ut aliquem recens mortuum crucibus admoverent. Nec mora, quasi Dei nutu funeris exstincti solemnibus exsequiis deferebatur, concursuque omnium feretro corpus eripitur. Duabus prius frustra crucibus admotis, ubi Christi patibulo attactum est, dictu mirabile! trepidantibus cunctis funus excussum, et inter spectatores suos astitit. Crux reperta, dignoque ambitu consecrata.

XXXV. His per Helenam gestis principe Christiano libertatem atque exemplum fidei mundus acceperat: sed longe atrocius periculum cunctis Ecclesiis illa pace generatum. Namque tum hæresis Ariana prorupit, totumque orbem invecto errore turbaverat. Etenim duobus Ariis acerrimis perfidiæ hujus auctoribus, imperator etiam depravatur: dumque sibi religionis officium videtur implere, vim persecutionis exercuit: actique in exsilium episcopi, sævitum in clericos, animadversum in laicos, qui se ab Arianorum communione secreverant. Quæ autem Ariani prædicabant, erant hujuscemodi: Patrem Dominum instituendi orbis causa genuisse filium: eo pro potestate sui ex nihilo, in substantiam novam atque alteram, factum Dominum novum alterumque: fuisse autem tempus quo filius non fuisset,

Igitur hujus mali causa synodus apud Nicæam ex toto orbe contrahitur. Trecenti siquidem et duodeviginti episcopis congregatis fides plena conscribitur, hæresis Ariana damnatur. Imperator decretum episcopale complectitur. Ariani nihil contra sanam fidem retractare ausi, se quoque tamquam acquiescentes nec aliud sentientes Ecclesiis miscuerunt : manebat tamen in pectoribus eorum insitum in catholicos viros odium : et adversum quos de fide disceptare non poterant, eos subornatis accusatoribus fictisque criminibus appetebant.

XXXVI. Itaque primum Athanasium Alexandriæ episcopum, jurisconsultum, qui apud Nicænam synodum diaconus adfuerat, aggrediuntur, absentemque condemnant. Etenim ad crimina quæ falsi testes congesserant, aggregabant quod Marcellum atque Photinum hæreticos sacerdotes, synodi judicio condemnatos, pravo studio recepisset. Sed de Photino dubium non erat, merito fuisse damnatum : in Marcello nihil tum damnatione dignum repertum videbatur; maximeque ei studium partium innocentium accesserat, quod eosdem illos judices a quibus fuerat condemnatus, hæreticos esse nemo dubitabat. Cæterum Ariani non hos potius, quam Athanasium removere cupiebant : itaque imperatorem eo usque compellunt, ut Athanasius exsulatum ad Gallias mitteretur. Mox in Ægypto octoginta episcopi congregati, Athanasium injuste condemnatum esse pronuntiant. Res ad Constantinum refertur; jubet ex toto orbe apud Sardicam episcopos congregari, atque omne judicium quo Athanasius damnatus fuerat, retractari. Inter hæc Constantinus moritur : synodus congregata jam Constantino imperatore Athanasium absolvit ; Marcellus quoque episcopatui redditur. Nam de Photino episcopo Sirminensi non est rescisa sententia, quia etiam nostrorum judicio hæreticus probabatur. Et tamen hoc ipsum Marcellum gravabat, quia Photinus auditor ejus fuisse in adolescentia videbatur. Verumtamen ad Athanasii absolutionem etiam illud accesserat, quod Ursacius et Valens principes Arianorum, cum post synodum Sardicensem viderentur a communione secreti, coram positi a Julio Romanæ urbis episcopo veniam poposcerunt, quod innoxium condemnassent : meritoque eum sententia concilii Sardicensis absolutum professi sunt.

XXXVII. Interjecto deinde tempore Athanasius, cum Marcellum parum sanæ fidei esse penitus comperisset, a communione suspendit, habuitque ille hanc verecundiam, ut tanti viri judicio notatus sponte concederet. Cæterum antea innocens, postea depravatus, videri poterat jam tum nocens fuisse cum de eo fuerat judicatum. Nacti ergo Ariani istiusmodi occasionem, conspirant penitus Sardicensis synodi decreta subvertere : etenim eis color quidam suppetere videbatur, quod tam injuste fuisset pro Athanasio judicatum, quam Marcellus fuerat absolutus, qui nunc etiam Athanasii judicio hæreticus esse probaretur. Namque Marcellus Sabellianæ hæresis A assertor exstiterat : Photinus vero novam hæresim jam ante protulerat, a Sabellio quidem in Unione dissentiens, sed initium Christi ex Maria prædicabat. Igitur Ariani astuto consilio miscent innoxium criminosis, damnationemque Photini et Marcelli et Athanasii eadem sententia comprehendunt : illud nimirum apud imperatorum animos præstruentes, ut non putarentur de Athanasio perperam judicasse, qui de Marcello atque Photino vera sensissent. Verumtamen ea tempestate Ariani perfidiam suam occultabant : non ausi palam erroris sui dogmata prædicare, catholicos se gerebant, nihil sibi prius agendum rati, quam ut Athanasium Ecclesia submoverent, qui semper eis velut murus obstiterat : quo remoto, reliquos in libidinem suam cessuros sperabant. Sed B pars episcoporum quæ Arium sequebatur, damnationem Athanasii cupitam accepit : pars coacti metu et factione, in studia partium concesserant. Pauci, quibus fides cara et veritas potior erat, injustum judicium non receperunt : inter quos Paulinus episcopus Treverorum, oblata sibi epistola, ita suscripsisse traditur, se in Photini atque Marcelli damnationem præbere consensum, de Athanasio non probare.

XXXVIII. Tum vero Ariani, ubi doli parum processerant, vi agere decernunt : nam quodlibet audere atque agere facile erat regis amicitia subnixis, quem sibi pravis adulationibus devinxerant. Quin etiam ex consensione multorum inexpugnabiles erant : nam omnes fere duarum Pannoniarum episcopi, multique Orientalium ac tota Asia in perfidia eorum C conjuraverant. Sed principes mali istius habebantur, a Singiduno Ursacius, Valens a Mursa, ab Heraclia Theodorus, Stephanus Antiochenus, Acacius a Cæsarea, Menophantus Epheso, Georgius Laodicea, Narcissus a Neronopoli. Hi ita palatium occupaverant, ut nihil sine eorum nutu ageret imperator : obnoxius quidem omnibus, sed præcipue Valenti deditus. Nam eo tempore quo apud Mursam contra Magnentium armis certatum, Constantius descendere in conspectum pugnæ non ausus, in basilica Martyrum extra oppidum sita, Valente tum ejus loci episcopo in solatium assumpto, diversatus est. Cæterum Valens callide per suos disposuerat, ut quis prælii fuisset eventus, primus cognosceret : vel gratiam regis captans, si prior bonum nuntium detu- D lisset : vel vitæ consulens, antecapturus fugiendi spatium, si quid contra accidisset. Itaque paucis qui circa regem erant, metu trepidis, imperatore anxio, primus nuntiat hostes fugere. Cum ille indicem ipsum intromitti posceret, Valens, ut reverentiam sui adderet, angelum sibi fuisse nuntium respondit. Facilis ad credendum imperator, palam postea dicere est solitus, se Valentis meritis, non virtute exercitus vicisse.

XXXIX. Ab hoc initio illecti principis extulere animos Ariani, potestate regis usuri, ubi auctoritate sua parum valuissent. Igitur cum sententiam eorum, quam de Athanasio dederant, nostri non reciperent, edictum ab imperatore proponitur, ut

qui in damnationem Athanasii non suscriberent, in A exsilium pellerentur. Cæterum a nostris tum apud Arelatem ac Biterras, oppida Galliarum, episcoporum concilia fuere. Petebatur, ut priusquam in Athanasium subscribere cogerentur, de fide potius disceptarent : ac tum demum de re cognoscendum, cum de persona judicium constitisset. Sed Valens sociique ejus prius Athanasii damnationem extorquere cupiebant, de fide certare non ausi : ab hoc partium conflictu agitur in exsilium Paulinus. Interea Mediolanum convenitur, ubi tum aderat imperator. Eadem illa contentio nihil invicem relaxabat. Tum Eusebius Vercellensium et Lucifer a Caralis Sardiniæ, episcopi relegati. Cæterum Dionysius Mediolanensium Sacerdos in Athanasii damnationem se consentire subscripsit, dummodo de fide B inter episcopos quæreretur. Sed Valens et Ursacius cæterique, metu plebis quæ catholicam fidem egregio studio conservabat, non ausi piacula profiteri, intra palatium congregantur. Illinc epistolam sub imperatoris nomine emittunt omni pravitate refertam; eo nimirum consilio, ut si eam æquis auribus populus recepisset, publica auctoritate cupita proferrent; sin aliter fuisset excepta, omnis invidia esset in rege, et ipsa venialis : quia etiam tum catechumenus sacramentum fidei merito videretur potuisse nescire. Igitur lectam in ecclesia epistolam populus aversatur. Dionysius, quia non esset assensus, urbe pellitur : statimque ejus in locum episcopus subrogatur. Liberius quoque urbis Romæ et Hilarius Pictavorum episcopus, dantur exsilio. Rhodanium quoque Tolosanum antistitem (qui natura lenior, non tam suis viribus quam Hilarii societate non cesserat Arianis) eadem conditio implicuit : cum tamen homines parati essent Athanasium a communione suspendere, modo ut de fide inter episcopos quæreretur, sed Arianis optimum visum præstantissimos viros a certamine submovere. Ita pulsi in exsilium, quos supra memoravimus, abhinc annos quinque et quadraginta, Arbetione et Lolliano consulibus; sed Liberius paulo post Urbi redditur ob seditiones Romanas. Cæterum exsules satis constat totius orbis studiis celebratos, pecuniasque eis in sumptum affatim congestas, legationibus quoque eos plebis catholicæ ex omnibus fere provinciis frequentatos.

XL. Interea Ariani non occulte, ut antea, sed palam ac publice hæresis piacula prædicabant : quin etiam synodum Nicænam pro se interpretantes, quam unius litteræ adjectione corruperant, caliginem quamdam injecerant veritati : nam ubi ὁμοούσιον erat scriptum, quod est *unius substantiæ*, illi ὁμοιούσιον, quod est *similis substantiæ*, scriptum esse dicebant : concedentes similitudinem, dum adimerent unitatem, quia multum ab unitate similitudo distaret; ut, verbi gratia, pictura humani corporis esset homini similis, nec tamen haberet hominis veritatem. Sed quidam ex his ultra processerant, ἀνομοιούσιον id est, *dissimilem substantiam*, confirmantes, eoque his certaminibus processum, ut istiusmodi piaculis orbis terrarum implicaretur. Nam Italiam, Illyricum atque Orientem Valens et Ursacius cæterique, quorum nomina edidimus, infecerant. Gallias nostras Saturninus Arelatensium episcopus, homo impotens et factiosus, premebat. Osium quoque ab Hispania in eamdem perfidiam concessisse opinio fuit : quod eo mirum atque incredibile videtur, quia omni fere ætatis suæ tempore constantissimus nostrarum partium, et Nicæna synodus auctore illo confecta habebatur : nisi fatiscente ævo; etenim major centenario fuit, ut *sanctus* Hilarius in epistolis refert; deliraverit. Quibus rebus perturbato orbe terrarum, et morbo quodam Ecclesiis languentibus, segnior quidem, sed non minus gravis cura principem exercebat : quod licet Ariani quibus favebat, superiores viderentur, necdum tamen de fide inter episcopos conveniret.

XLI. Igitur apud Ariminum urbem Italiæ synodum congregari jubet : idque Tauro præfecto imperat, ut collectos in unum non ante dimitteret quam in unam fidem consentirent, promisso eidem consulatu, si rem effectui tradidisset. Ita missis per Illyricum, Italiam, Africam, Hispanias Galliasque Magistri officialibus, acciti aut *macti* quadringenti et aliquanto amplius Occidentales episcopi Ariminum convenere : quibus omnibus annonas et cellaria dare imperator præceperat. Sed id nostris (id est Aquitanis) Gallis ac Britannis indecens visum : repudiatis fiscalibus, propriis sumptibus vivere maluerunt. Tres tantum ex Britannia inopia proprii publico usi C sunt, cum oblatam a cæteris collationem respuissent, sanctius putantes fiscum gravare quam singulos. Hoc ego Gavidium episcopum nostrum quasi obtrectantem referre solitum audivi. Sed longe aliter senserim : laudique attribuo episcopis tam pauperes fuisse, ut nihil proprium haberent, neque ab aliis potius quam fisco sumerent, ubi neminem gravabant. Ita in utrisque egregium exemplum : de reliquis nihil memoria dignum traditur. Sed redeo ad ordinem. Posteaquam omnes, ut supra diximus, in unum collecti sunt, fit partium secessio : Ecclesiam nostri obtinent; Ariani *tam* ædem *tum* de industria vacantem orationis loco capiunt, sed hi non amplius quam octoginta : reliqui nostrarum partium erant. Igitur frequentibus conciliis nihil actum, nos- D tris in fide manentibus, illis de perfidia non cedentibus. Ad postremum placuit decem legatos mitti ad imperatorem, ut quæ esset partium fides et sententia, cognosceret, sciretque pacem cum hæreticis esse non posse. Idem Ariani faciunt, mittuntque numero pari legatos, qui adversum nostros coram imperatore confligerent. Sed ex parte nostrorum leguntur homines adolescentes, parum docti et parum cauti : ab Arianis autem missi senes callidi et ingenio valentes, veneno perfidiæ imbuti, qui apud regem facile superiores exstiterunt; sed nostris mandatum ne quo modo cum Arianis communionem inirent, omniaque integra synodo reservarent.

XLII. Interim in Oriente, exemplo Occidentis

lium, imperator jubet cunctos fere episcopos apud Seleuciam Isauriæ oppidum congregari, qua tempestate Hilarius quartum jam exsilii annum in Phrygia agens, inter reliquos episcopos, per vicarium ac præsidem data evectionis copia, adesse compellitur. Cum tamen nihil de eo specialiter mandasset imperator, judices tantum generalem jussionem secuti, qua omnes episcopos ad concilium cogere jubebantur (hunc quoque inter reliquos volentes miscere, ut ego conjicio). Dei nutu ita gestum, ut vir divinarum rerum instructissimus, cum de fide disceptandum erat, interesset. Is ubi Seleuciam venit, magno cum favore exceptus omnium in se animos et studia converterat; ac primum quæsitum ab eo, quæ esset Gallorum fides: quia tum Arianis prava de nobis vulgantibus suspecti ab Orientalibus habebamur, B trionymam solitarii Dei unionem secundum Sabellium credidisse. Sed exposita fide sua, juxta ea quæ Nicææ erant a Patribus conscripta, Occidentalibus perhibuit testimonium. Ita absolutis omnium animis, intra conscientiam communionis, nec non etiam in societatem receptus, conciliogue adscitus est. Agi deinde cœptum: repertique pravæ hæresis auctores, atque ab Ecclesiæ corpore avulsi. In eo numero fuere Georgius ab Alexandria, Acacius, Eudoxius, Uranius, Leontius, Theodosius, Evagrius, Theodulus. Sed confecta synodo, decreta ad imperatorem legatio quæ gesta insinuaret. Damnati quoque ad regem profecti, satis freti sociorum viribus et Principis societate.

XLIII. Interea legatos Ariminensis concilii ex parte C nostrorum compellit imperator uniri hæreticorum communioni, eisdemque conscriptam ab improbis fidem tradit verbis fallentibus involutam, quæ catholicam disciplinam perfidia latente loqueretur, namque *usiæ* verbum tamquam ambiguum et temere a patribus usurpatum, neque ex auctoritate Scripturarum profectum sub specie falsæ rationis abolebat, ne unius cum Patre substantiæ Filius crederetur. Eadem fides similem Patri Filium fatebatur; sed interius aderat fraus parata, ut esset similis, non esset æqualis. Ita dimissis legatis præfecto mandatum, ut synodum non ante laxaret quam conscriptæ fidei consentire se omnes subscriptionibus profiterentur: ac, si qui pertinacius obsisterent, dummodo is numerus intra quindecim esset, in exsilium D pellerentur. Sed regressis legatis, licet vim regiam deprecantibus, negata communio. Enimvero compertis quæ decreta erant, major rerum et consiliorum perturbatio: dein paulatim plerique nostrorum, partim imbecillitate ingenii, partim tædio peregrinationis evicti, dedere se adversariis, jam post reditum legatorum superioribus, et ecclesiam, nostris inde detrusis, obtinentibus: factaque semel inclinatione animorum, catervatim in partem alteram concessum, donec ad viginti usque nostrorum numerus imminutus est.

XLIV. Sed hi quanto pauciores, tanto validiores erant: constantissimusque inter eos habebatur noster Fægadius, et Servatio Tungrorum episcopus. Hos, quia minis et terriculis non cesserant, Taurus precibus aggreditur, ac lacrymans obtestatur, mitiora uti consulerent: clausos intra unam urbem episcopos jam septimum mensem agere: injuria hiemis et inopia confectis nullam spem reversionis dari; quis tandem esset finis? sequerentur plurium exemplum: auctoritatem saltem ex numero sumerent. Enimvero Fægadius paratum se exsilio atque ad omne supplicium in quod deposceretur, profiteri: se ab Arianis conceptam fidem non recepturum. Ita in hoc certamine aliquot dies tracti. Ubi parum ad pacem proficiebant, paulatim et ipse infractier, ad extremum proposita conditione evincitur. Namque Valens et Ursacius affirmantes præsentem fidem catholica ratione conceptam, ab Orientalibus imperatore auctore prolatam, cum piaculo repudiari, et quis discordiarum finis foret, si, quæ Orientalibus placuisset, Occidentalibus displiceret? Postremo, si quid minus plene præsenti fide editum videretur, ipsi adderent quæ addenda putarent: præbituros se in his quæ essent adjecta, consensum. Favorabilis professio pronis omnium animis excepta, nec ultra nostri repugnare ausi, jam quoquo modo finem rebus imponere cupientes. Dein conceptæ a Fægadio et Servatione professiones edi cœpere, in queis primum damnatur Arius, totaque ejus perfidia: cæterum non etiam Patri æqualis et sine initio, sine tempore, Dei Filius pronuntiatur. Tum Valens, tamquam nostros adjuvans, subjecit sententiam cui inerat occultus dolus: Filium Dei non esse creaturam sicut cæteras creaturas: fefellitque audientes fraus professionis. Etenim his verbis, quibus similis esse cæteris creaturis Filius negabatur, creatura tamen, potior tantum cæteris, pronuntiabatur. Ita neutra pars vicisse se penitus, aut victam putare poterat: quia fides ipsa pro Arianis, professiones vero postea adjectæ pro nostris erant, præter illam quam Valens subjunxerat, quæ tum non intellecta, sero demum animadversa est. Hoc vero modo concilium dimissum, bono initio, fœdo exitu consummatum.

XLV. Igitur Ariani, rebus nimium prospere et secundum vota fluentibus, Constantinopolim ad imperatorem concurrunt. Ibi repertos Seleuciensis synodi legatos vi regia compellunt exemplo Occidentalium pravam illam fidem recipere: plerique abnuentes, injuriosa custodia ac fame vexati, captivam conscientiam dedere; multi constantius retinentes, adempto episcopatu, in exsilium detrusi, atque in eorum locum alii dati. Ita optimis sacerdotibus aut metu territis, aut exsilio deductis, perfidiæ paucorum cuncti concesserant. Aderat ibi tum Hilarius, a Seleucia legatos secutus, nullis certis de se mandatis opperiens imperatoris voluntatem, si forsitan redire ad exsilium juberetur. Is ubi extremum fidei periculum animadvertit: Occidentalibus deceptis, Orientales per scelus vinci; tribus libellis publice datis, audientiam regis poposcit, ut de fide coram adversariis disceptaret. Id vero Ariani maximopere ab-

nuere, postremo quasi discordiæ seminarium et perturbator Orientis, redire ad Gallias jubetur absque exsilii indulgentia. Verum ubi permensus est orbem pene terrarum malo perfidiæ infectum, dubius animi et magna curarum mole æstuans, cum plerisque videretur non ineundam cum his communionem qui Ariminensem synodum recepissent; optimum factu arbitratus revocare cunctos ad emendationem et pœnitentiam, frequentibus intra Gallias conciliis, atque omnibus fere episcopis de errore profitentibus, apud Ariminum gesta condemnat, et in statum pristinum ecclesiarum fidem reformat. Resistebat sanis consiliis Saturninus, Arelatensium episcopus, vir sane pessimus et ingenio malo pravoque; verum etiam, præter hæresis infamiam, multis atque infandis criminibus convictus Ecclesia ejectus est: ita partium vires amisso duce infractæ. Paternus etiam a Petrocoriis æque vecors, nec detrectans perfidiam profiteri, sacerdotio pulsus, cæteris venia data. Illud apud omnes constitit, unius Hilarii beneficio Gallias nostras piaculo hæresis liberatas. Cæterum Lucifer tum Antiochiæ longe diversa sententia fuit: nam in tantum eos qui Arimini fuerant, condemnavit, ut se etiam ab eorum communione secreverit, qui eos sub satisfactione vel pœnitentia recepissent. Id recte an perperam constituerit, dicere non ausim. Paulinus et Rhodanius in Phrygia defuncti. Hilarius sexto anno postquam redierat, in patria obiit.

XLVI. Sequuntur tempora ætatis nostræ gravia et periculosa, quibus non usitato malo pollutæ Ecclesiæ et perturbata omnia. Namque tum primum infamis illa Gnosticorum hæresis intra Hispanias deprehensa, superstitio exitiabilis, arcanis occultata secretis. Origo istius mali Oriens ac Ægyptus. Sed quibus ibi initiis coaluerit, haud facile est disserere. Primus eam intra Hispanias Marcus intulit, Ægypto profectus, Memphi ortus. Hujus auditores fuere Agape quædam non ignobilis mulier et rhetor Elpidius. Ab his Priscillianus est institutus, familia nobilis, prædives opibus, acer, inquies, facundus, multa lectione eruditus, disserendi ac disputandi promptissimus: felix profecto, si non pravo studio corrupisset optimum ingenium. Prorsus multa in eo animi et corporis bona cerneres: vigilare multum, famem ac sitim ferre poterat: habendi minime cupidus, utendi parcissimus. Sed idem vanissimus, et plus justo inflatior profanarum rerum scientia: quin et magicas artes ab adolescentia eum exercuisse creditum est. Is ubi doctrinam exitiabilem aggressus est, multos nobilium pluresque populares auctoritate persuadendi et arte blandiendi allicuit in societatem. Ad hoc mulieres novarum rerum cupidæ, fluxa fide, et ad omnia curioso ingenio, catervatim ad eum confluebant: quippe humilitatis speciem ore et habitu prætendens, honorem sui et reverentiam cunctis injecerat. Jamque paulatim perfidiæ istius tabes pleraque Hispaniæ pervaserat: quin et nonnulli episcoporum depravati; inter quos Instantius et Salvianus Priscillianum non solum consensione, sed sub quadam

A etiam conjuratione susceperant: quoad Hyginus, episcopus Cordubensis, ex vicino agens, comperta ad Idacium Emeritæ sacerdotem referret. Is vero sine modo, et ultra quam oportuit, Instantium sociosque ejus lacessens, facem quamdam nascenti incendio subdidit: ut exasperaverit malos potius quam compresserit.

XLVII. Igitur post multa inter eos et digna memoratu certamina, apud Cæsaraugustam synodus congregatur: cui tum etiam Aquitani episcopi interfuere. Verum hæretici committere se judicio non ausi: in absentes tum lata sententia, damnatique Instantius et Salvianus episcopi, Elpidius et Priscillianus laici. Additum etiam, ut si quis damnatos in communionem recepisset, sciret in se eamdem sen- B tentiam promendam. Atque id Ithacio *Sossubensi* episcopo negotium datum, ut decretum episcoporum in omnium notitiam deferret, maximeque Hyginum extra communionem faceret: qui cum primus omnium insectari palam hæreticos cœpisset, postea turpiter depravatus in communionem eos recepisset. Interim Instantius et Salvianus damnati judicio sacerdotum, Priscillianum, etiam laicum, sed principem malorum omnium, una secum Cæsaraugustana synodo notatum, ad confirmandas vires suas episcopum in Abilensi oppido constituunt: rati nimirum, si hominem acrem et callidum sacerdotali auctoritate armassent, tutiores fore sese. Tum vero Idacius atque Ithacius acrius instare, arbitrantes posse inter initia malum comprimi; sed parum sanis consiliis C sæculares judices adeunt, ut eorum decretis atque executionibus hæretici urbibus pellerentur. Igitur post multa et fœda certamina, Idacio supplicante elicitur a Gratiano tum imperatore rescriptum, quo universi hæretici excedere non ecclesiis tantum aut urbibus, sed extra omnes terras propelli jubebantur. Quo comperto, Gnostici diffisi rebus suis, non ausi judicio certare, sponte cessere qui episcopi videbantur: cæteros metus dispersit.

XLVIII. At tum Instantius, Salvianus et Priscillianus Romam profecti, ut apud Damasum Urbis ea tempestate episcopum objecta purgarent; sed iter eis præter interiorem Aquitaniam fuit, ubi tum ab imperitis magnifice suscepti, sparsere perfidiæ semina, maximeque Elusanam plebem, sane tum bonam et D religioni studentem, pravis prædicationibus pervertere. A Burdigala per Delphinum repulsi, tamen in agro Euchrotiæ aliquantisper morati, infecere nonnullos suis erroribus. Inde iter cœptum ingressi, turpi sane pudibundoque comitatu, cum uxoribus atque alienis etiam feminis, in queis erat Euchrotia, ac filia ejus Procula: de qua fuit in sermone hominum, Priscilliani stupro gravidam partum sibi graminibus abegisse. Hi ubi Romam pervenere Damaso se purgare cupientes, ne in conspectum quidem ejus admissi sunt. Regressi Mediolanum, æque adversantem sibi Ambrosium repererunt. Tum vertere consilia, ut (quia duobus episcopis, quorum ea tempestate summa auctoritas erat, non illuserunt) largiendo et

ambiendo ab imperatore cupita extorquerent. Ita corrupto Macedonio tum magistro officiorum, rescriptum eliciunt, quo calcatis quæ prius decreta erant, restitui Ecclesiis jubebantur. Hoc freti Instantius et Priscillianus repetivere Hispanias (nam Salvianus in urbe obierat), ac tum sine ullo certamine Ecclesias quibus præfuerant, recepere.

XLIX. Verum Ithacio ad resistendum non animus, sed facultas defuit: quia hæretici corrupto Volventio proconsule vires suas confirmaverant. Quin etiam Ithacius ab his quasi perturbator Ecclesiarum, reus postulatus, jussusque per atrocem exsecutionem deduci, trepidus profugit ad Gallias. Ibi Gregorium præfectum adiit; qui compertis quæ gesta erant, rapi ad se turbarum auctores jubet, ac de omnibus ad imperatorem refert, ut hæreticis viam ambiendi præcluderet. Sed id frustra fuit, quia per libidinem et potentiam paucorum cuncta ibi venalia erant. Igitur hæretici suis artibus, grandi pecunia Macedonio data, obtinent ut imperiali auctoritate præfecto erepta cognitio Hispaniarum vicario (nam jam proconsulem habere desierant)..... missique a magistro officiales, qui Ithacium tum Treveris agentem ad Hispanias retraherent; quos ille callide frustratur: ac postea per Pritannium episcopum defensus illusit. Jam tum rumor incesserat, Clementem Maximum intra Britannias sumpsisse imperium, ac brevi in Gallias erupturum. Ita tum Ithacius statuit, licet rebus dubiis, novi imperatoris adventum exspectare: interim sibi nihil agitandum. Igitur ubi Maximus oppidum Treverorum victor ingressus est, ingerit preces plenas in Priscillianum ac socios ejus invidiæ atque criminum. Quibus permotus imperator, datis ad præfectum Galliarum atque ad vicarium Hispaniarum litteris, omnes omnino quos labes illa involverat, deduci ad synodum Burdegalensem jubet. Ita deducti Instantius et Priscillianus: quorum Instantius prior jussus causam dicere, postquam se parum expurgabat, indignus esse episcopatu pronuntiatus est. Priscillianus vero, ne ab episcopis audiretur, ad principem provocavit; permissumque id nostrorum inconstantia, qui aut sententiam in refragantem ferre debuerant, aut si ipsi suspecti habebantur, aliis episcopis audientiam reservare, non causam imperatori de tam manifestis criminibus permittere. Ita omnes quos causa involverat, ad regem deducti.

L. Secuti etiam accusatores Idacius et Ithacius episcopi: quorum studium in expugnandis hæreticis non reprehenderem, si non studio vincendi plus quam oportuit certassent. Ac mea quidem sententia est, mihi tam reos quam accusatores displicere. Certe Ithacium nihil pensi, nihil sancti habuisse definio: fuit enim audax, loquax, impudens, sumptuosus, ventri et gulæ plurimum impertiens. Hic stultitiæ eo usque processerat, ut omnes etiam sanctos viros, quibus aut studium inerat lectionis, aut propositum erat certare jejuniis, tamquam Priscilliani socios aut discipulos, in crimen arcesseret. Ausus etiam miser est ea tempestate Martino epi- A scopo, viro plane Apostolis conferendo, palam objectare hæresis infamiam: namque tum Martinus apud Treveros constitutus, non desinebat increpare Ithacium, ut ab accusatione desisteret; Maximum orare, ut sanguine infelicium abstineret; satis superque sufficere, ut episcopali sententia hæretici judicati Ecclesiis pellerentur; novum esse et inauditum nefas, causam Ecclesiæ judex sæculi judicaret. Denique quoad usque Martinus Treveris fuit, dilata cognitio est; et mox discessurus egregia auctoritate a Maximo elicuit sponsionem, nihil cruentum in reos constituendum. Sed postea imperator per Magnum et Rufum episcopos depravatus, et a mitioribus consiliis deflexus, causam præfecto Evodio permisit, viro acri et severo, qui Priscillianum B gemino judicio auditum, convictumque maleficii, nec diffitentem obscœnis se studuisse doctrinis, nocturnos etiam turpium feminarum egisse conventus, nudumque orare solitum, nocentem pronuntiavit, redegitque in custodiam, donec ad principem referret. Gestis ad palatium delatis, censuit imperator Priscillianum sociosque ejus capitis damnari oportere.

LI. Cæterum Ithacius videns quam invidiosum sibi apud episcopos foret, si accusator etiam postremis rerum capitalium judiciis astitisset (etenim iterari judicium necesse erat), subtrahit se cognitioni: frustra, callido jam scelere perfecto. At tum per Maximum accusator apponitur Patricius quidam, fisci patronus: ita eo insistente Priscillianus capitis C damnatus est, unaque cum eo Felicissimus et Armenius, qui nuper a catholicis, cum essent clerici, Priscillianum secuti desciverant. Latronianus quoque et Euchrotia gladio perempti. Instantius quem superius ab episcopis damnatum diximus, in Sylinam insulam, quæ ultra Britannias sita est, deportatus. Itum deinde in reliquos sequentibus judiciis, damnatique Asarinus et Aurelius diaconus gladio. Tiberianus, ademptis bonis, in Sylinam insulam datus. Tertullus, Potamius et Joannes, tamquam viliores personæ et digni misericordia, quia ante quæstionem se ac socios prodidissent, temporario exsilio intra Gallias relegati. Hoc fere modo homines luce indignissimi, pessimo exemplo, necati aut exsiliis mulctati: quod initio jure judiciorum et D egregio publico defensum, postea Ithacius in jurgiis solitus, ad postremum convictus, in eos retorquebat, quorum id mandato et consiliis effecerat, solus tamen omnium episcopatu detrusus: nam Idacius, licet minus nocens, sponte se episcopatu abdicaverat: sapienter id et verecunde, nisi postea amissum locum repetere tentasset. Cæterum Priscilliano occiso non solum non repressa est hæresis, quæ illo auctore proruperat, sed confirmata, latius propagata est: namque sectatores ejus, qui eum prius ut sanctum honoraverant, postea ut martyrem colere cœperunt. Peremptorum corpora ad Hispanias relata, magnisque obsequiis celebrata eorum funera. Quin et jurare per Priscillianum summa religio pu-

tabatur. Ac inter nostros perpetuum discordiarum A bellum exarserat, quod jam per quindecim annos fœdis dissensionibus agitatum, nullo modo sopiri poterat. Et nunc, cum maxime discordiis episcoporum turbari aut misceri omnia cernerentur, cunctaque per eos odio aut gratia, metu, inconstantia, invidia, factione, libidine, avaritia, arrogantia, somno, desidia essent depravata: postremo plures adversum paucos bene consulentes, insanis consiliis et pertinacibus studiis certabant: inter hæc plebs Dei et optimus quisque probro atque ludibrio habebatur.

SULPICII SEVERI
DE VITA BEATI MARTINI
LIBER UNUS.

AUCTORIS AD DESIDERIUM EPISTOLA
DE LIBRO VITÆ B. MARTINI.

Severus Desiderio charissimo salutem.

Ego quidem, frater unanimis, libellum quem de vita sancti Martini scripseram, scheda sua premere, et intra domesticos parietes cohibere decreveram; quia, ut sum natura infirmus, judicia humana vitabam, ne (quod fore arbitror) sermo incultior legentibus displiceret, omniumque reprehensione dignissimus judicarer, qui materiam disertis merito scriptoribus reservandam impudens occupassem: sed petenti tibi sæpius negare non potui. Quid enim esset, quod non amori tuo vel cum detrimento mei pudoris impenderem? Verumtamen ea tibi fiducia libellum edidi, qua nulli a te prodendum reor; quia id spopondisti. Sed vereor, ne tu ei janua sis futurus, et emissus semel non queat revocari; quod si acciderit, et ab aliquibus eum legi videris, bona id venia a lectoribus postulabis, ut res potius quam verba B perpendant, et æquo animo ferant, si aures eorum vitiosus forsitam sermo perculerit: quia regnum Dei non in eloquentia, sed in fide constat. Meminerint etiam, salutem sæculo non ab oratoribus, sed a piscatoribus prædicatam; cum utique, si utile fuisset, id quoque Dominus præstare potuisset. Ego enim cum primum animum ad scribendum appuli, quia nefas putarem tanti viri latere virtutes, apud me ipse decidi ut solœcismis non erubescerem: quia nec magnam istarum umquam rerum scientiam contigissem; et, si quid ex his studiis olim fortasse libassem, totum id desuetudine tanti temporis perdidissem. Sed tamen, ne nos maneat tam molesta defensio, suppresso, si tibi videtur, nomine libellus edatur. Quod ut fieri valeat, titulum fronti erade, ut muta sit pagina; aut, quod sufficit, loquatur materiam, non loquatur auctorem.

INCIPIT LIBER.

I. Plerique mortales studio et gloriæ sæculari C inaniter dediti exinde perennem, ut putabant, memoriam nominis sui quæsiverunt, si vitas clarorum virorum stylo illustrassent. Quæ res utique non perennem quidem, sed aliquantulum tamen conceptæ spei fructum afferebat: quia et sui memoriam, licet incassum, propagabant; et propositis magnorum virorum exemplis non parva æmulatio legentibus excitabatur. Sed tamen nihil ad beatam illam æternamque vitam hæc eorum cura pertinuit. Quid enim aut ipsis occasura cum sæculo scriptorum suorum gloria profuit? aut quid posteritas emolumenti tulit legendo Hectorem pugnantem, aut Socratem philosophantem? cum eos non solum imitari stultitia sit, sed non acerrime etiam impugnare, dementia: quippe qui humanam vitam præsentibus tantum actibus æstimantes, spes suas fabulis, animas sepulcris dederint: siquidem ad solam hominum memoriam se perpetuandos crediderunt; cum hominis officium sit, perennem potius vitam quam perennem memoriam quærere, non scribendo aut pugnando vel philosophando, sed pie, sancte religioseque vivendo. Qui quidem error humanus litteris traditus in tantum valuit, ut multos plane æmulos vel inanis philosophiæ, vel stultæ illius virtutis invenerit. Unde facturus mihi operæ pretium videor, si vitam

sanctissimi viri, exemplo aliis mox futuram, perscripsero : quo utique ad veram sapientiam et cœlestem militiam divinamque virtutem legentes incitabuntur. In quo ita nostri quoque rationem commodi ducimus, ut non inanem ab hominibus memoriam, sed æternum a Deo præmium exspectemus : quia etsi ipsi non ita viximus, ut aliis exemplo esse possimus; dedimus tamen operam, ne his lateret qui esset imitandus. Igitur S. Martini vitam scribere exordiar, ut se vel ante episcopatum vel in episcopatu gesserit. Quamvis nequaquam ad omnia illius potuerim pervenire, adeo ea in quibus ipse tantum sibi conscius fuit nesciuntur, quia, laudem ab hominibus non requirens, quantum in ipso fuit, omnes virtutes suas latere voluisset. Quamquam etiam ex his quæ comperta nobis erant, plura omisimus : quia sufficere credidimus, si tantum excellentiora notarentur. Simul et legentibus consulendum fuit, ne quod his pareret copia congesta fastidium. Obsecro autem eos qui lecturi sunt, ut fidem dictis adhibeant; neque me quidquam nisi compertum et probatum scripsisse arbitrentur : alioquin tacere, quam falsa dicere, maluissem.

II. Igitur Martinus Sabaria Pannoniarum oppido oriundus fuit, sed intra Italiam Ticini altus est, parentibus secundum sæculi dignitatem non infimis, gentilibus tamen. Pater ejus miles primum, post tribunus militum fuit. Ipse armatam militiam in adolescentia secutus, inter scholares alas sub rege Constantio, deinde sub Juliano Cæsare militavit : non tamen sponte : quia a primis fere annis divinam potius servitutem sacra illustris pueri spiravit infantia. Nam cum esset annorum decem, invitis parentibus ad ecclesiam confugit, seque catechumenum fieri postulavit. Mox mirum in modum totus in Dei opere conversus, cum esset annorum duodecim, eremum concupivit : fecissetque votis satis, si ætatis infirmitas non obstitisset. Animus tamen aut circa monasteria, aut circa ecclesiam semper intentus, meditabatur adhuc in ætate puerili quod postea devotus implevit. Sed cum edictum esset a regibus, ut veteranorum filii ad militiam scriberentur; prodente patre, qui felicibus ejus actibus invidebat, cum esset annorum quindecim, captus et catenatus sacramentis militaribus implicatus est, uno tantum servo comite contentus, cui tamen versa vice dominus serviebat, adeo ut plerumque ei et calciamenta ipse detraheret et ipse detergeret; cibum una caperent, hic tamen sæpius ministraret. Triennium fere ante baptisma in armis fuit, integer tamen ab iis vitiis, quibus illud hominum genus implicari solet. Multa illi circa commilitones benignitas, mira caritas; patientia vero atque humilitas ultra humanum modum. Nam frugalitatem in eo laudare non est necesse, qua ita usus est, ut jam illo tempore non miles, sed monachus putaretur. Quibus rebus ita sibi omnes commilitones suos devinxerat, ut eum miro affectu venerarentur. Nec dum tamen regeneratus in Christo, agebat quem-

A dam bonis operibus baptismatis candidatum : assistere scilicet laborantibus, opem ferre miseris, alere egentes, vestire nudos : nihil sibi ex militiæ stipendiis præter quotidianum victum reservans, jam tum Evangelii non surdus auditor de crastino non cogitabat.

III. Quodam itaque tempore, cum jam nihil præter arma et simplicem militiæ vestem haberet, media hieme (quæ solito asperior inhorruerat, adeo ut plerosque vis algoris exstingueret) obvium habet in porta Ambianensium civitatis pauperem nudum : qui cum prætereuntes ut sui misererentur oraret, omnesque miserum præterirent; intellexit vir Deo plenus sibi illum, aliis misericordiam non præstantibus, reservari. Quid tamen ageret? nihil præter

B chlamydem, qua indutus erat, habebat : jam enim reliqua in opus simile consumpserat. Arrepto itaque ferro, quo accinctus erat, mediam dividit, partemque ejus pauperi tribuit, reliqua rursus induitur. Interea de circumstantibus ridere nonnulli, quia deformis esse truncatus habitu videretur : multi tamen, quibus erat mens sanior, altius gemere, quod nihil simile fecissent; cum utique plus habentes, vestire pauperem sine sua nuditate potuissent. Nocte igitur insecuta, cum se sopori dedisset, vidit Christum chlamydis suæ, qua pauperem texerat, parte vestitum. Intueri diligentissime Dominum, vestemque quam dederat, jubetur agnoscere. Mox ad angelorum circumstantium multitudinem audit Jesum clara voce dicentem : Martinus adhuc catechumenus

C hac me veste contexit. Vere memor Dominus dictorum suorum (qui ante prædixerat : Quamdiu fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis) se in paupere professus est fuisse vestitum; et ad confirmandum tam boni operis testimonium, in eodem se habitu quem pauper acceperat, est dignatus ostendere. Quo viso, vir beatissimus non in gloriam est elatus humanam, sed bonitatem Dei in suo opere cognoscens, cum esset annorum duodeviginti, ad baptismum convolavit. Nec tamen statim militiæ renuntiavit, tribuni sui precibus evictus, cui contubernium familiare præstabat. Etenim transacto tribunatus sui tempore, renuntiaturum se sæculo pollicebatur. Qua Martinus exspectatione suspensus, per biennium fere posteaquam est baptisma consecutus, solo licet

D homine, militavit.

IV. Interea irruentibus intra Gallias barbaris, Julianus Cæsar coacto in unum exercitu apud Vangionum civitatem, donativum cœpit erogare militibus : et, ut est consuetudinis, singuli citabantur, donec ad Martinum ventum est. Tum vero opportunum tempus existimans, quo peteret missionem (neque enim integrum sibi fore arbitrabatur si donativum non militaturus acciperet) : Hactenus, inquit ad Cæsarem, militavi tibi : patere ut nunc militem Deo : donativum tuum pugnaturus accipiat : Christi ego miles sum; pugnare mihi non licet. Tum vero adversus hanc vocem tyrannus infremuit, dicens, eum metu pugnæ, quæ postera die erat futura,

non religionis gratia detrectare militiam. At Martinus intrepidus, immo illato sibi terrore constantior: Si hoc, inquit, ignaviæ ascribitur non fidei, crastina die ante aciem inermis astabo: et in nomine Domini Jesu, signo crucis non clypeo protectus aut galea, hostium cuneos penetrabo securus. Retrudi ergo in custodiam jubetur, facturus fidem dictis, ut inermis barbaris objiceretur. Postera die hostes legatos de pace miserunt, sua omnia seseque dedentes. Unde quis dubitet hanc vere beati viri fuisse victoriam, cui præstitum sit, ne inermis ad prælium mitteretur? et quamvis pius Dominus servare militem suum, licet inter hostium gladios et tela, potuisset; tamen ne vel aliorum morte Sancti violaretur obtutus, exemit pugnæ necessitatem: neque enim aliam pro milite suo Christus debuit præstare victoriam, quam ut, subactis sine sanguine hostibus, nemo moreretur.

V. Exinde relicta militia, sanctum Hilarium Pictavæ episcopum civitatis, cujus tunc in Dei rebus spectata et cognita fides habebatur, expetivit; et aliquamdiu apud eum commoratus est. Tentavit autem idem Hilarius imposito diaconii officio sibi eum arctius implicare, et ministerio vincere divino. Sed cum sæpissime restitisset, indignum se esse vociferans; intellexit vir altioris ingenii, hoc eum modo posse constringi, si id ei officii imponeret, in quo quidam locus injuriæ videretur. Itaque exorcistam eum esse præcepit, quam ille ordinationem, ne despexisse tamquam humiliorem videretur, non repudiavit. Nec multo post admonitus per soporem ut patriam parentesque, quos adhuc gentilitas detinebat, religiosa sollicitudine visitaret, ex voluntate sancti Hilarii profectus est, multis ab eo astrictus precibus et lacrymis ut rediret. Mœstus, ut ferunt, peregrinationem illam aggressus est, contestatus fratres, multa se adversa passurum; quod postea probavit eventus. Ac primum inter Alpes devia secutus incidit in latrones, cumque unus securi elevata in caput ejus librasset ictum, ferientis dexteram sustinuit alter; vinctis tamen post tergum manibus uni servandus et spoliandus traditur. Qui cum eum ad remotiora duxisset, percontari ab eo cœpit quisnam esset; respondit, Christianum se esse. Quærebat etiam ab eo, an timeret. Tum vero constantissime profitetur, numquam se fuisse tam securum, quia sciret misericordiam Domini maxime in tentationibus adfuturam: se magis illi dolere, qui Christi misericordia, utpote latrocinia exercens, esset indignus; ingressusque evangelicam disputationem, verbum Dei latroni prædicabat. Quid longius morer? latro credidit, prosecutusque Martinum viæ reddidit, orans ut pro se Dominum precaretur. Idemque postea religiosam agens vitam visus est: adeo ut hæc, quæ supra retulimus, ab ipso audita dicantur.

VI. Igitur Martinus inde progressus cum Mediolanum præterisset, diabolus in itinere humana specie assumpta se ei obvium tulit, quo tenderet quærens; cumque id a Martino responsi accepisset, se, quo Dominus vocaret, intendere, ait ad eum: Quocumque ieris, vel quæcumque tentaveris, diabolus tibi adversabitur. Tunc ei prophetica voce respondit: Dominus mihi adjutor est; non timebo quid faciat mihi homo. Statimque e conspectu ejus inimicus evanuit. Itaque ut animo ac mente conceperat, matrem gentilitatis absolvit errore, patre in malis perseverante: plures tamen suo salvavit exemplo. Deinde (cum hæresis Ariana per totum orbem et maxime intra Illyricum pullulasset) cum adversus perfidiam sacerdotum solus pene acerrime pugnaret, multisque suppliciis esset affectus (nam et publice virgis cæsus est, et ad extremum de civitate exire compulsus), Italiam repetens, cum intra Gallias quoque discessu sancti Hilarii, quem ad exsilium hæreticorum vis coegerat, turbatam ecclesiam comperisset, Mediolani sibi monasterium statuit. Ibi quoque eum Auxentius, auctor et princeps Arianorum, gravissime insectatus est; multisque affectum injuriis de civitate exturbavit. Cedendum itaque tempori arbitratus, ad insulam Gallinariam nomine secessit, comite quodam presbytero, magnarum virtutum viro. Hic aliquamdiu radicibus vixit herbarum: quo tempore helleborum, venenatum, ut ferunt, gramen in cibum sumpsit; sed cum vim veneni in se grassantis vicina jam morte sensisset, imminens periculum oratione repulit, statimque omnis dolor fugatus est. Nec multo post, cum sancto Hilario comperisset regis pœnitentia potestatem indultam fuisse redeundi, Romæ ei tentavit occurrere, profectusque ad urbem est.

VII. Cum jam Hilarius præterisset, ita cum est vestigiis prosecutus; cumque ab eo gratissime fuisset susceptus, haud longe sibi ab oppido monasterium collocavit. Quo tempore se ei quidam catechumenus junxit, cupiens sanctissimi viri institui disciplinis; paucisque interpositis diebus languore correptus vi febrium laborabat. Ac tum Martinus forte discesserat; et cum per triduum defuisset, regressus, corpus exanime invenit: ita subita mors fuerat, ut absque baptismate humanis rebus excederet. Corpus in medio positum tristi mœrentium fratrum frequentabatur officio, cum Martinus flens et ejulans accurrit. Tum vero sanctum Spiritum tota mente concipiens, egredi cellulam, in qua corpus jacebat, cæteros jubet; ac foribus obseratis super exanimata defuncti fratris membra prosternitur: et cum aliquandiu orationi incubuisset, sensissetque per spiritum Domini adesse virtutem, erectus paululum, et in defuncti ora defixus, orationis suæ ac misericordiæ Domini intrepidus exspectabat eventum: vixque duarum fere horarum spatium intercesserat, vidit defunctum paulatim membris omnibus commoveri, et laxatis in usum videndi palpitare luminibus. Tum vero magna ad Dominum voce conversus gratias agens, cellulam clamore compleverat: quo audito qui pro foribus astiterant, statim irruunt. Mirum spectaculum, quod videbant vivere quem mortuum reliquissent! Ita

redditus vitæ, statim baptisma consecutus, plures A postea vixit annos: primusque apud nos Martini virtutum vel materia vel testimonium fuit. Idem tamen referre erat solitus, se corpore exutum ad tribunal judicis ductum, deputatumque obscuris locis et vulgaribus turbis tristem excepisse sententiam: tum per duos angelos judici fuisse suggestum, hunc esse pro quo Martinus oraret: ita per eosdem angelos se jussum reduci, et Martino redditum vitæque pristinæ restitutum. Ab hoc primum tempore beati viri nomen enituit, ut qui sanctus jam ab omnibus habebatur, potens etiam et vere apostolicus haberetur.

VIII. Nec multo post, dum agrum Lupicini cujusdam honorati secundum sæculum viri præteriret, clamore et luctu turbæ plangentis excipitur. Ad B quem sollicitus cum astitisset, et quis esset hic fletus inquireret; indicatur unum e familia servulum laqueo sibi vitam extorsisse. Quo cognito cellulam, in qua corpus jacebat, ingreditur; exclusisque omnibus turbis, superstratus corpori aliquantisper oravit. Mox vivescente vultu, marcescentibus oculis in ora illius defunctus erigitur; lentoque conamine enisus assurgere, apprehensa beati viri dextera, in pedes constitit; atque ita cum eo usque ad vestibulum domus, turba omni inspectante, processit.

IX. Sub idem fere tempus ad episcopatum Turonicæ Ecclesiæ petebatur; sed cum erui a monasterio suo non facile posset, Ruricius quidam, unus e civibus, uxoris languore simulato, ad genua illius pro- C volutus, ut egrederetur obtinuit. Ita dispositis jam in itinere civium turbis, sub quadam custodia ad civitatem usque deducitur. Mirum in modum incredibilis multitudo non solum ex illo oppido, sed etiam ex vicinis urbibus ad suffragia ferenda convenerat. Una omnium voluntas, eadem vota, eademque sententia, Martinum episcopatu esse dignissimum: felicem fore tali Ecclesiam sacerdote. Pauci tamen, et nonnulli ex episcopis, qui ad constituendum antistitem fuerant evocati, impie repugnabant, dicentes scilicet: contemptibilem esse personam, indignum esse episcopatu, hominem vultu despicabilem, veste sordidum, crine deformem. Ita a populo sententiæ sanioris hæc illorum irrisa dementia est, qui illustrem virum dum vituperare cupiunt, prædicabant. D Nec vero aliud his facere licuit, quam quod populus Domino volente cogebat. Inter episcopos tamen qui affuerant, præcipue defensor quidam nomine dicitur restitisse: unde animadversum est, graviter illum lectione prophetica tunc notatum. Nam cum fortuito lector, cui legendi eo die officium erat, interclusus a populo defuisset, turbatis ministris, dum exspectatur qui non aderat, unus e circumstantibus sumpto psalterio, quem primum versum invenit, arripuit. Psalmus autem hic erat: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et defensorem* (*Psal.* VIII, 3). Quo lecto clamor populi tollitur, pars diversa confundi-tur. Atque ita habitum est, divino nutu psalmum hunc lectum fuisse, ut testimonium operis sui defensor audiret; quia, ex ore infantium atque lactentium in Martino Domini laude perfecta, et ostensus pariter et destructus est inimicus.

X. Jam vero sumpto episcopatu qualem se quantumque præstiterit, non est nostræ facultatis evolvere. Idem enim constantissime perseverabat qui prius fuerat. Eadem in corde humilitas, eadem in vestitu ejus vilitas erat: atque ita, plenus auctoritatis et gratiæ, implebat episcopi dignitatem, ut non tamen propositum monachi virtutemque desereret. Aliquamdiu ergo adhærente ad Ecclesiam cellula usus est; deinde cum inquietudinem se frequentantium ferre non posset, duobus fere extra civitatem millibus monasterium sibi statuit. Qui locus tam secretus et remotus erat, ut eremi solitudinem non desideraret: ex uno enim latere præcisa montis excelsi rupe ambiebatur; reliquam planitiem Liger fluvius reducto paululum sinu clauserat. Una tantum eademque arcta admodum via adiri poterat. Ipse ex lignis contextam cellulam habebat: multique e fratribus in eumdem modum; plerique, saxo superjecti montis cavato, receptacula sibi fecerant. Discipuli vero octoginta erant, qui ad exemplum beati magistri instituebantur. Nemo ibi quidquam proprium habebat; omnia in medio conferebantur; non emere, aut vendere, ut plerisque monachis moris est, quidquam licebat. Ars ibi, exceptis scriptoribus, nulla habebatur; cui tamen operi minor ætas deputabatur: majores orationi vacabant. Rarus cuiquam extra cellulam suam egressus, nisi cum ad locum orationis conveniebant. Cibum una omnes post horam jejunii accipiebant: vinum nemo noverat, nisi quem infirmitas coegisset. Plerique camelorum setis vestiebantur; mollior ibi habitus pro crimine erat: quod eo magis sit mirum necesse est, quod multi inter eos nobiles habebantur, qui longe aliter educati ad hanc se humilitatem et patientiam coegerant; pluresque ex his postea episcopos vidimus. Quæ enim esset civitas, aut ecclesia, quæ non sibi de Martini monasterio cuperet sacerdotem?

XI. Sed ut reliquas virtutes ejus, quas in episcopatu egit, aggrediar; erat haud longe ab oppido proximus monasterio locus, quem falsa hominum opinio, velut consepultis ibi martyribus, sacraverat: nam et altare ibi a superioribus episcopis constitutum habebatur. Sed Martinus non temere adhibens incertis fidem, ab his, qui majores natu erant, presbyteris vel clericis flagitabat, sibi nomen martyris, vel tempora passionis ostendi: grandi se scrupulo permoveri, quod nihil certi constans sibi majorum memoria tradidisset. Cum aliquandiu ergo a loco illo se abstinuisset, nec derogans religioni, quia incertus erat, nec auctoritatem suam vulgo accommodans, ne superstitio convalesceret; quodam die paucis secum adhibitis fratribus ad locum pergit. Deinde super sepulcrum ipsum astans oravit ad Dominum, ut quis esset, vel cujus meriti sepultus, ostenderet. Tum

conversus ad lævam vidit prope assistere umbram sordidam, trucem. Imperat, nomen meritumque ut loqueretur. Nomen edicit, de crimine confitetur: latronem se fuisse, ob scelera percussum, vulgi errore celebratum; sibi nihil cum martyribus esse commune, cum illos gloria, se pœna retineret. Mirum in modum vocem loquentis qui aderant audiebant, personam tamen non videbant. Tum Martinus quid vidisset exposuit, jussitque ex eo loco altare, quod ibi fuerat, submoveri: atque ita populum superstitionis illius absolvit errore.

XII. Accidit autem insequenti tempore, dum iter ageret, ut gentilis cujusdam corpus, quod ad sepulcrum cum superstitioso funere deferebatur, obvium haberet: conspicatusque eminus venientium turbam, quidnam id esset ignarus, paululum stetit: nam fere quingentorum passuum intervallum erat, ut difficile fuerit dignoscere quid videret. Tamen quia rusticam manum cerneret, et agente vento linteamina corpori superjecta volitarent, profanos sacrificiorum ritus agi credidit: quia esset hæc Gallorum rusticis consuetudo, simulacra dæmonum candido tecta velamine misera per agros suos circumferre dementia. Elevato ergo in adversos signo crucis, imperat turbæ non moveri loco, onusque deponere. Hic vero mirum in modum videres miseros primum velut saxa riguisse: dein, cum promovere se summo conamine niterentur, ultra accedere non valentes, ridiculam in vertiginem rotabantur, donec victi, corporis onus ponunt. Attoniti et semet invicem aspectantes, quidnam sibi accidisset, taciti cogitabant. Sed beatus vir cum comperisset, exsequiarum esse illam frequentiam non sacrorum, elevata rursum manu, dat eis abeundi et tollendi corporis potestatem. Ita eos et cum voluit, stare compulit; et cum libuit, abire permisit.

XIII. Item cum in vico quodam templum antiquissimum diruisset, et arborem pinum, quæ fano erat proxima, esset agressus excidere; tum vero antistes loci illius, cæteraque gentilium turba cœpit obsistere, et cum iidem illi, dum templum evertitur, imperante Domino quievissent, succidi arborem non patiebantur. Ille eos sedulo commonere, nihil esse religionis in stipite: Deum potius, cui serviret ipse, sequerentur: arborem illam excidi oportere, quia esset dæmoni dedicata. Tum ex illis unus, qui erat audacior cæteris: Si habes, inquit, aliquam de Deo tuo, quem dicis te colere, fiduciam, nosmetipsi succidemus hanc arborem, tu ruentem excipe: et, si tecum est tuus, ut dicis, Dominus, evades. Tum ille intrepide confisus in Domino, facturum se pollicetur. Hic vero ad istiusmodi conditionem omnis illa gentilium turba consensit: facilemque arboris suæ habuere jacturam, si inimicum sacrorum suorum casu illius obruissent. Itaque cum unam in partem pinus illa esset acclinis, ut non esset dubium, quam in partem succisa corrueret; eo loco vinctus statuitur pro arbitrio rusticorum, quo arborem esse casuram nemo dubitabat. Succidere igitur ipsi suam pinum

A cum ingenti gaudio lætitiaque cœperunt. Aderat eminus turba mirantium. Jamque paulatim nutare pinus, et ruinam suam casura minitari. Pallebant eminus monachi, et periculo jam propiore conterriti, spem omnem fidemque perdiderant, solam Martini mortem exspectantes. At ille confisus in Domino, intrepidus opperiens, cum jam fragorem sui pinus concidens edidisset, jam cadenti, jam super se ruenti elevata obviam manu signum salutis opponit: tum vero (turbinis modo retroactam putares) diversam in partem ruit: adeo ut rusticos, qui toto in loco steterant, pene prostraverit. Tum vero in cœlum clamore sublato, gentiles stupere miraculo; monachi flere præ gaudio; Christi nomen in commune ab omnibus prædicari. Satisque constitit, eo B die salutem illi venisse regioni: nam nemo fere ex immani illa multitudine gentilium fuit, qui non impositione manus desiderata, Dominum Jesum, relicto impietatis errore, crediderit. Et vere ante Martinum pauci admodum, immo pene nulli in illis regionibus Christi nomen receperant: quod adeo virtutibus illius exemploque convaluit, ut jam ibi nullus locus sit, qui non aut ecclesiis frequentissimis, aut monasteriis sit repletus. Nam ubi fana destruxerat, statim ibi aut ecclesias aut monasteria construebat.

XIV. Nec minorem sub idem fere tempus eodem in opere virtutem edidit: nam cum in vico quodam fano antiquissimo et celeberrimo ignem immisisset, in proximam immo adhærentem domum agente C vento flammarum globi ferebantur. Quod ubi Martinus advertit, rapido cursu tectum domus scandit, obvium se advenientibus flammis inferens. Tum vero mirum in modum cerneres contra vim venti ignem retorqueri, ut compugnantium inter se elementorum quidam conflictus videretur. Ita virtute Martini ibi tantum ignis est operatus, ubi jussus est. In vico autem, cui Leprosum nomen est, cum itidem templum opulentissimum superstitione religionis voluisset evertere, restitit ei multitudo gentilium, adeo ut non absque injuria sit repulsus. Itaque secessit ad proxima loca, ibique per triduum cilicio tectus et cinere, jejunans semper atque orans, precabatur a Domino, ut, quia templum illud evertere humana manus non potuisset, virtus illud divina D dirueret. Tum subito ei duo angeli hastati atque scutati instar militiæ cœlestis se obtulerunt, dicentes: missos se a Domino, ut rusticam multitudinem fugarent, præsidiumque Martino ferrent, ne quis, dum templum dirueretur, obsisteret: rediret ergo, et opus cœptum devotus impleret. Ita regressus ad vicum (inspectantibus gentilium turbis et quiescentibus, dum profanam ædem usque ad fundamentum dirueret) aras omnes atque simulacra redegit in pulverem. Quo viso rustici, cum se intelligerent divino nutu obstupefactos atque perterritos, ne episcopo repugnarent, omnes fere in Jesum Dominum crediderunt, clamantes palam et confitentes, Deum Martini colendum, idola negligenda, quæ sibi adesse

non possent. — XV. Quid etiam in pago Æduorum gestum sit, referam. Ubi dum templum itidem everteret, furens gentilium rusticorum in eum irruit multitudo; cumque unus audacior cæteris stricto eum gladio peteret, rejecto pallio nudam cervicem percussori præbuit: nec cunctatus ferire gentilis; sed cum dexteram altius extulisset, resupinus ruit: consternatusque divino metu, veniam precabatur. Nec dissimile huic fuit illud: cum eum idola destruentem cultro quidam ferire voluisset, in ipso ictu ferrum ei de manibus excussum non comparuit. Plerumque autem contradicentibus sibi rusticis, ne fana eorum destrueret, ita prædicatione sancta gentilium animos mitigabat, ut luce eis veritatis ostensa, ipsi sua templa subverterent.

XVI. Curationum vero tam potens in eo gratia erat, ut nullus fere ad eum ægrotus accesserit, qui non continuo receperit sanitatem: quod vel ex consequenti liquebit exemplo. Treveris puella quædam dira paralysis ægritudine tenebatur, ita ut jam per multum tempus nullo ad humanos usus corporis officio fungeretur: omni ex parte præmortua, vix tenui spiritu palpitabat. Tristes ad solam funeris exspectationem assistebant propinqui, cum subito nuntiatur ad civitatem illam venisse Martinum. Quod ubi pater puellæ comperit, cucurrit exanimis, pro filia rogaturus. Et forte Martinus jam Ecclesiam fuerat ingressus. Ibi inspectante populo multisque aliis episcopis præsentibus, ejulans senex genua ejus amplectitur, dicens: Filia mea moritur misero genere languoris, et quod ipsa est morte crudelius, solo spiritu vivit, jam carne præmortua; rogo ut eam adeas, atque benedicas, confido enim quod per te reddenda sit sanitati. Qua ille voce confusus obstupuit, et refugit dicens: Hoc suæ non esse virtutis; senem errare judicio; non esse se dignum, per quem Dominus signum virtutis ostenderet. Perstare vehementius flens pater, et orare ut exanimem visitaret. Postremo a circumstantibus episcopis ire compulsus descendit ad domum puellæ. Ingens turba pro foribus exspectabat quidnam Dei servus esset facturus. Ac primum, quæ erant illius familiaria in istiusmodi rebus arma, solo prostratus oravit; deinde ægram intuens dari sibi oleum postulat; quod cum benedixisset, in os puellæ vim sancti liquoris infudit, statimque vox reddita est. Tunc paulatim singula contactu ejus cœperunt membra viviscere, donec firmatis gressibus, populo teste, surrexit.

XVII. Eodem tempore Tetradii cujusdam proconsularis viri servus dæmonio correptus dolendo exitu cruciabatur. Rogatus ergo Martinus, ut ei manum imponeret, deduci eum ad se jubet; sed nequam spiritus nullo proferri modo ex cella in qua erat potuit: ita in advenientes rabidis dentibus sæviebat. Tum Tetradius ad genua beati viri advolvitur orans, ut ad domum, in qua dæmoniacus habebatur, ipse descenderet. Tum vero Martinus negare, se profani et gentilis domum adire posse (nam Tetradius eo tempore adhuc gentilitatis errore implicitus tenebatur). Spondet igitur se, si de puero dæmon fuisset exactus, christianum fore. Ita Martinus imposita manu puero, immundum ab eo spiritum ejecit: quo viso Tetradius Dominum Jesum credidit; statimque catechumenus factus, nec multo post baptizatus est, semperque Martinum salutis suæ auctorem miro coluit affectu. Per idem tempus in eodem oppido ingressus patrisfamilias cujusdam domum, in limine ipso restitit, dicens: horribile in atrio domus dæmonium se videre. Cui cum ut discederet imperaret, quemdam e familia, qui in interiore parte ædium morabatur, arripuit. Sævire dentibus miser cœpit, et obvios quoscumque laniare. Commota domus, familia turbata, populus in fugam versus. Martinus se furenti objecit, ac primum stare ei imperat; sed cum dentibus fremeret, hiantique ore morsum minaretur, digitos ei Martinus in os intulit: Si habes, inquit, aliquid potestatis, hos devora. Tum vero, ac si candens ferrum faucibus accepisset, longe reductis dentibus digitos beati viri vitabat attingere: et cum fugere de obsesso corpore pœnis et cruciatibus cogeretur, nec tamen exire ei per os liceret, fœda relinquens vestigia fluxu ventris egestus est.

XVIII. Interea cum de motu atque impetu Barbarorum subita civitatem fama turbasset, dæmoniacum ad se exhiberi jubet: imperat ut, an verus esset hic nuntius, fateretur. Tunc confessus est, se decem dæmones fuisse, qui rumorem hunc per populum disseminassent, ut hoc saltem metu ex illo Martinus oppido fugaretur: Barbaros nihil minus quam irruptionem cogitare. Ita cum hæc immundus spiritus media in ecclesia fateretur, metu et turbatione præsenti civitas liberata est. Apud Parisios vero, dum portam civitatis illius magnis secum turbis euntibus introiret, leprosum miserabili facie horrentibus cunctis osculatus est atque benedixit: statimque omni malo emundatus, postero die ad ecclesiam veniens nitenti cute, gratias pro sanitate quam receperat, agebat. Sed nec hoc prætereundum est, quod fimbriæ vestimentis ejus ciliciοque detractæ, crebras super infirmantibus egere virtutes: nam aut digitis illigatæ, aut collo inditæ persæpe ab ægrotantibus morbos effugaverunt.

XIX. Arborius autem, vir præfectorius, sancti admodum et fidelis ingenii, cum filia ejus gravissimis quartanis febribus ureretur, epistolam Martini quæ casu ad eum delata fuerat, pectori puellæ in ipso accessu ardoris inseruit, statimque fugata febris est. Quæ res apud Arborium in tantum valuit, ut statim puellam Deo voverit, et perpetuæ virginitati dicarit; profectusque ad Martinum, puellam ei, præsens virtutum ejus testimonium, quæ per absentem licet curata esset, obtulit, neque ab alio eam quam a Martino, habitu virginitatis imposito, passus est consecrari. Paulinus vero, vir magni postmodum futurus exempli, cum oculum graviter dolere cœpisset, et jam pupillam ejus crassior nubes superducta texisset, oculum ei Martinus peniculo contigit, pristinamque ei sanitatem sublato omni dolore restituit. Ipse

autem cum casu quodam esset de cœnaculo devolutus, et per confragosos scalæ gradus decidens, multis vulneribus esset affectus, cum exanimis jaceret in cellula, et immodicis doloribus cruciaretur, nocte ei angelus visus est eluere vulnera, et salubri unguine contusi corporis membra contingere : atque ita postero die restitutus est sanitati, ut nihil umquam pertulisse incommodi putaretur. Sed quia longum est ire per singula, sufficiant hæc vel pauca de plurimis : satisque sit nos et in excellentibus non subtrahere veritatem, et in multis vitare fastidium.

XX. Atque ut minora tantis inseram (quamvis, ut est nostrorum ætas temporum, quibus jam depravata omnia atque corrupta sunt, pene præcipuum sit, adulationi regiæ sacerdotalem non cessisse constantiam) : cum ad imperatorem Maximum, ferocis ingenii virum et bellorum civilium victoria elatum, plures ex diversis partibus episcopi convenissent, et fœda circa principem omnium adulatio notaretur, seque degeneri inconstantia regiæ clientelæ sacerdotalis dignitas subdidisset, in solo Martino apostolica auctoritas permanebat; nam et si pro aliquibus supplicandum regi fuit, imperavit potius quam rogavit : et a convivio ejus frequenter rogatus abstinuit, dicens, se mensæ ejus participem esse non posse, qui duos imperatores, unum regno, alterum vita expulisset. Postremo, cum Maximus se non sponte sumpsisse imperium affirmaret, sed impositam sibi a militibus divino nutu regni necessitatem armis defendisse; et non alienam ab eo Dei voluntatem videri, penes quem tam incredibili eventu victoria fuisset, nullumque ex adversariis nisi in acie occubuisse; tandem victus vel ratione vel precibus, ad convivium venit; mirum in modum gaudente rege, quod id impetrasset. Convivæ autem aderant, veluti ad diem festum evocati, summi atque illustres viri, præfectus idemque consul Evodius, vir quo nihil umquam justius fuit; Comites duo summa potestate præditi, frater regis et patruus : medius inter hos Martini presbyter accubuerat : ipse autem sellula juxta regem posita consederat. Ad medium fere convivium, ut moris est, pateram regi minister obtulit. Ille sancto admodum episcopo potius dari jubet, exspectans atque ambiens, ut ab illius dextera poculum sumeret ; sed Martinus ubi ebibit, pateram presbytero suo tradidit, nullum scilicet existimans digniorem qui post se prior biberet, nec integrum sibi fore, si aut regem ipsum aut eos qui a rege erant proximi, presbytero prætulisset. Quod factum imperator omnesque qui tunc aderant, ita admirati sunt, ut hoc ipsum eis, in quo contempti fuerant, placeret : celeberrimumque per omne palatium fuit, fecisse Martinum in regis prandio quod in infimorum judicum conviviis episcoporum nemo fecisset; eidemque Maximo longe ante prædixit futurum, ut si ad Italiam pergeret, quo ire cupiebat, bellum Valentiniano imperatori inferens, sciret se primo quidem impetu futurum esse victorem, sed parvo post tempore esse periturum. Quod quidem ita vidimus : nam primo adventu ejus Valentinianus in fugam versus est : deinde post annum fere resumptis viribus, captum intra Aquileiæ muros Maximum interfecit.

XXI. Constat autem etiam angelos ab eo plerumque visos, ita ut conserto invicem apud eum sermone loquerentur : diabolum vero tam conspicabilem et subjectum oculis habebat, ut sive se in propria substantia contineret, sive in diversas figuras spiritualis nequitiæ transtulisset, qualibet ab eo sub imagine videretur, quod cum diabolus sciret se effugere non posse, conviciis eum urgebat frequenter, quia fallere non posset insidiis. Quodam autem tempore cornu bovis cruentum in manu tenens cum ingenti fremitu cellulam ejus irrupit, cruentamque ostentans dexteram, et admisso recens scelere congaudens, Ubi est, inquit, Martine, virtus tua? unum de tuis modo interfeci. Tunc ille convocatis fratribus refert quid diabolus indicasset; sollicitosque esse præcipit per cellulas singulorum, quisnam hoc casu fuisset affectus. Neminem quidem deesse de monachis, sed unum rusticum mercede conductum, ut vehiculo ligna deferret, isse ad silvam nuntiant. Jubet igitur aliquos ire ei obviam. Ita haud longe a monasterio jam pene exanimis invenitur. Extremum tamen spiritum trahens, indicat fratribus causam mortis et vulneris : junctis scilicet bubus dum dissoluta arctius lora constringit, bovem sibi excusso capite inter inguina cornu adegisse : nec multo post vitam reddidit. Viderit is, quo judicio Domini diabolo data fuerit hæc potestas. In Martino illud mirabile erat, quod non solum hoc quod supra retulimus, sed multa istius modi, quoties accidissent, longe ante prævidebat, aut sibi nuntiata fratribus indicabat.

XXII. Frequenter autem diabolus, dum mille nocendi artibus sanctum virum conabatur illudere, visibilem se ei formis diversissimis ingerebat. Nam interdum in Jovis persona, plerumque Mercurii, persæpe etiam se Veneris ac Minervæ transfiguratum vultibus offerebat : adversus quem semper interritus, signo se crucis et orationis auxilio protegebat. Audiebantur etiam plerumque convicia, quibus illum turba dæmonum protervis vocibus increpabat : sed omnia falsa et vana cognoscens, non movebatur objectis. Testabantur etiam aliqui ex fratribus audisse se dæmonem protervis Martinum vocibus increpantem, cur intra monasterium aliquos ex fratribus qui olim baptismum diversis erroribus perdidissent, conversos postea recepisset, exponentem crimina singulorum : Martinum diabolo repugnantem respondisse constanter, antiqua delicta melioris vitæ conversatione purgari; et per misericordiam Domini absolvendos esse peccatis, qui peccare desinerent. Contra dicente diabolo, non pertinere ad veniam criminosos, et semel lapsis nullam a Domino clementiam præstari; tunc in hanc vocem fertur exclamasse Martinus : Si tu ipse, o miserabilis, ab hominum insectatione desisteres, et te factorum tuorum vel hoc tempore cum dies judicii in proximo est, pœniteres; ego tibi vere confisus in Domino Jesu Christo

misericordiam pollicerer. O quam sancta de Domini A pietate præsumptio, in qua etsi auctoritatem præstare non potuit, ostendit affectum! Et quia de diabolo ejusdemque artibus sermo exortus est, non ab re videtur, licet extrinsecus, referre quod gestum est: quia et quædam in eo Martini virtutum portio est, et res digna miraculo recte memoriæ mandabitur, in exemplum cavendi, si quid deinceps uspiam tale contigerit.

XXIII. Clarus quidam nomine, adolescens nobilissimus, mox presbyter, nunc felici beatus excessu, cum relictis omnibus se ad Martinum contulisset, brevi tempore ad summum fidei virtutumque omnium culmen enituit. Itaque cum haud longe sibi ab episcopi monasterio tabernaculum constituisset, multique apud eum fratres commorarentur; juvenis quidam ad eum Anatolius nomine, sub professione B monachi omnem humilitatem atque innocentiam mentitus accessit, habitavitque aliquamdiu in commune cum cæteris. Dein procedente tempore angelos apud se loqui solere dicebat: cum fidem nullus adhiberet, signis quibusdam plerosque ad credendum coarctabat. Postremo eo usque processit, ut inter se ac Deum angelos discurrere prædicaret: jamque se unum ex prophetis haberi volebat. Clarus tamen nequaquam ad credendum cogi poterat. Ille ei iram Domini et præsentes plagas, cur sancto non crederet, comminari. Postremo in hanc vocem erupisse fertur: Ecce hac nocte vestem mihi candidam Dominus de cœlo dabit, qua indutus in medio vestrum diversabor: idque vobis signum erit, me Dei esse virtutem, qui Dei veste donatus sim. Tum vero gran- C dis omnium ad hanc professionem exspectatio. Itaque ad mediam fere noctem fremitu terram insultantium commoveri omne monasterium loco visum est: cellulam autem, in qua idem adolescens continebatur, crebris cerneres micare luminibus: fremitusque in ea discurrentium, et murmur quoddam multarum vocum audiebatur. Deinde facto silentio egressus; unum de fratribus, *Sabacium nomine*, ad se vocat, tunicamque ei, qua erat indutus, ostendit. Obstupefactus ille convocat cæteros; ipse etiam Clarus accurrit; adhibitoque lumine vestem omnes diligenter inspiciunt. Erat autem summa mollitie, candore eximio, micanti purpura; nec tamen, cujus esset generis aut velleris, poterat agnosci. Curiosius tamen oculis aut digitis attrectata, non aliud quam vestis D videbatur. Interea Clarus fratres admonet orationi instare, ut manifestius eis Dominus, quidnam id esset, ostenderet: itaque reliquum noctis hymnis psalmisque consumitur. At ubi illuxit dies, apprehensum dextera trahere ad Martinum volebat, bene conscius illudi illum diaboli arte non posse. Tum vero reniti ac reclamare miser cœpit, interdictumque sibi esse dicebat, ne se Martino ostenderet. Cumque invitum ire compellerent, inter trahentium manus vestis evanuit. Unde quis dubitet hanc etiam Martini fuisse virtutem, ut phantasiam suam diabolus, cum erat Martini oculis ingerenda, dissimulare diutius aut tegere non posset?

XXIV. Animadversum est tamen, eodem fere tempore fuisse in Hispaniis juvenem, qui cum sibi multis signis auctoritatem paravisset, eo usque elatus est, ut se Heliam profiteretur. Quod cum plerique temere credidissent, addidit ut se Christum esse diceret: in quo etiam adeo illusit, ut eum quidam episcopus, nomine Rufus, ut Dominum adoraret: propter quod eum postea ab episcopatu dejectum vidimus. Plerique etiam nobis e fratribus retulerunt, eodem tempore in Oriente quemdam exstitisse, qui se Joannem esse jactitaret. Ex quo conjicere possumus, istiusmodi pseudoprophetis exsistentibus, Antichristi adventum imminere, qui jam in istis mysterium iniquitatis operatur. Non prætereundum autem videtur, quanta Martinum sub iisdem diebus diabolus arte tentaverit. Quodam enim die præmissa præ se et circumjectus ipse luce purpurea, quo facilius claritate assumpti fulgoris illuderet, veste etiam regia indutus, diademate ex gemmis auroque redimitus, calceis auro illitis, sereno ore, læta facie, ut nihil minus quam diabolus putaretur, oranti in cellula astitit. Cumque Martinus primo aspectu ejus fuisset hebetatus, diu multumque silentium ambo tenuerunt. Tum prior diabolus, Agnosce, inquit, Martine, quem cernis: Christus ego sum: descensurus ad terram prius me manifestare tibi volui. Ad hæc cum Martinus taceret, nec quidquam responsi referret, iterare ausus est diabolus professionis audaciam: Martine, quid dubitas credere, cum videas? Christus ego sum. Tum ille, revelante sibi Spiritu, ut intelligeret diabolum esse, non Deum: Non se, inquit, Jesus Dominus purpuratum et diademate renitentem venturum esse prædixit. Ego Christum, nisi in eo habitu formaque qua passus est, nisi crucis stigmata præferentem, venisse non credam. Ad hanc ille vocem statim ut fumus evanuit, et cellulam tanto fetore complevit, ut indubia indicia relinqueret, diabolum se fuisse. Hoc ita gestum ut supra retulimus, ex ipsius Martini ore cognovi, ne quis forte existimet fabulosum.

XXV. Nam cum olim audita fide ejus, vita atque virtutibus, desiderio illius æstuaremus, gratam nobis ad eum videndum peregrinationem suscepimus: simul, quia jam ardebat animus vitam illius scribere, partim ab ipso, in quantum ille interrogari potuit, sciscitati sumus; partim ab his qui interfuerant vel sciebant, cognovimus. Quo quidem tempore credi non potest qua me humilitate, qua benignitate susceperit, congratulatus plurimum et gavisus in Domino, quod tanti esset habitus a nobis, quem peregrinatione suscepta expetissemus. Miserum me! (pene non audeo confiteri) cum me sancto convivio suo dignatus esset adhibere, aquam manibus nostris ipse obtulit; ad vesperam autem ipse nobis pedes abluit. Nec reniti aut contra ire constantia fuit: ita auctoritate illius oppressus sum, ut nefas putarem, si non acquievissem. Sermo autem illius non alius apud nos fuit, quam mundi hujus illecebras et sæculi onera relinquenda, ut Dominum Jesum liberi expe-

ditique sequeremur: præstantissimumque nobis præsentium temporum illustris viri Paulini, cujus supra mentionem fecimus, exemplum ingerebat, qui summis opibus abjectis Christum secutus, solus pene his temporibus Evangelica præcepta complesset: illum nobis sequendum, illum clamabat imitandum: beatumque esse præsens sæculum tantæ fidei virtutisque documento, cum, secundum sententiam Domini, dives et possidens multa, vendendo omnia et dando pauperibus, quod erat factu impossibile, possibile fecisset exemplo. Jam vero in verbis et confabulatione ejus quanta gravitas, quanta dignitas erat! quam acer, quam efficax, et quam in absolvendis Scripturarum quæstionibus promptus et facilis! Et quia multos ad hanc partem incredulos scio, quippe quos viderim me ipso etiam referente non credere, Jesum testor spemque communem, me ex nullius umquam ore tantum scientiæ, tantum ingenii, tam boni et tam puri sermonis audisse. Quamquam in Martini virtutibus quantula est ista laudatio! nisi quod mirum est, homini illiterato ne hanc quidem gratiam defuisse.

XXVI. Sed jam finem liber postulat, sermo claudendus est: non quod omnia quæ de Martino fuerant dicenda, defecerint; sed quia nos, ut inertes poetæ, extremo in opere negligentes, victi materiæ mole succumbimus. Nam etsi facta illius explicari verbis utcumque potuerunt; interiorem vitam illius et quotidianam conversationem, et animum cœlo semper intentum, nulla umquam (vere profiteor), nulla explicabit oratio. Illam scilicet perseverantiam et temperamentum in abstinentia et jejuniis, potentiam in vigiliis et orationibus, noctesque ab eo perinde ac dies actas, nullumque vacuum ab opere Dei tempus, quo vel otio indulserit vel negotio, sed nec cibo aut somno quidem, nisi in quantum naturæ necessitas cogebat; vere fatebor, non si ipse, ut aiunt, ab inferis Homerus emergeret, posset exponere: adeo omnia majora in Martino sunt, quam ut verbis concipi queant. Numquam hora ulla momentumque præteriit, quo non aut orationi incumberet aut insisteret lectioni: quamquam etiam inter legendum, A aut si quid aliud forte agebat, numquam animum ab oratione laxabat: nimirum ut fabris ferrariis moris est, qui inter operandum pro quodam laboris levamine incudem suam feriunt; ita Martinus, etiam dum aliud agere videretur, semper orabat. O vere beatus, in quo dolus non fuit! neminem condemnans, nulli malum pro malo reddens. Tantam quippe adversum omnes injurias patientiam assumpserat, ut, cum esset summus sacerdos, impune etiam ab infimis clericis læderetur: nec propter id eos aut loco umquam amoverit, aut a sua, quantum in ipso fuit, charitate repulerit.

XXVII. Nemo umquam illum vidit iratum, nemo commotum, nemo mœrentem, nemo ridentem: unus idemque semper, cœlestem quodammodo læti- B tiam vultu præferens, extra naturam hominis videbatur. Numquam in illius ore nisi Christus; numquam in illius corde nisi pietas, nisi pax, nisi misericordia inerat. Plerumque etiam pro eorum qui obtrectatores illius videbantur, solebat flere peccatis, qui remotum et quietum venenatis linguis et vi, ereo ore carpebant. Et vere nonnullos experti sumus invidos virtutibus vitæque ejus, qui in illo oderant quod in se non videbant, et quod imitari non valebant. Atque (o nefas dolendum et ingemiscendum!) non alii fere insectatores ejus, licet pauci admodum, non alii tamen quam episcopi ferebantur; nec vero quemquam nominare necesse est, licet nosmetipsos plerique circumlatrent: sufficit, ut si quis ex his hæc legerit, et agnoverit, C erubescat: nam si irascitur, de se ipse dictum fatebitur, cum fortasse nos de aliis senserimus. Non refugimus autem, ut, si qui ejusmodi sunt, nos quoque cum tali viro oderint. Illud facile confido, omnibus sanctis opusculum istud gratum fore. De cætero si quis hæc infideliter legerit, ipse peccabit. Ego mihi conscius sum, me rerum fide et amore Christi impulsum ut hæc scriberem, manifesta exposuisse, vera dixisse: paratumque, ut spero, habebit a Deo præmium, non quicumque legerit, sed quicumque crediderit.

SULPICII SEVERI
EPISTOLÆ TRES.

EPISTOLA I.

Ad Eusebium presbyterum.

Contra æmulos virtutum beati Martini.

Hesterna die, cum ad me plerique monachi venissent, inter fabulas juges longumque sermonem mentio incidit libelli mei, quem de vita Beati viri Martini edidi, studioseque eum a multis legi liben- D tissime audiebam. Interea indicatur mihi, dixisse quemdam malo spiritu suscitatum, cur Martinus, qui mortuos suscitasset, flammas domibus depulisset, ipse nuper adustus incendio, periculosæ fuisset obnoxius passioni. O istum, quisquis est, miserum! Judæorum in verbis ejus perfidiam et dicta cognoscimus, qui in cruce positum Dominum his verbis increpabant: *Alios salvos fecit, se ipsum salvum fa-*

cere non potest (*Matth.* XVII, 42). Vere plane iste, A quicumque est, si illis temporibus natus esset, et in Dominum hac voce dicere potuisset, qui simili modo sanctum Domini blasphemat exemplo. Quid ergo, quisquis es, Martinus ideo non potens, ideo non sanctus; quia est periclitatus incendio? O beatum, et per omnia similem Apostolis, etiam in his conviciis, virum! Nempe hoc et de Paulo gentiles, cum eum vipera momordisset, dixisse referuntur: *Hic homo debet homicida esse, quem salvum factum de mari fata vivere non siverunt* (*Actor.* XXVIII, 4). At ille excussa vipera in ignem nihil mali patiebatur. Illi autem subito casurum, et repente moriturum eum putabant; sed cum viderent nihil mali contingere ei, convertentes se, dicebant eum Deum esse. Alioquin vel horum exemplo, omnium mortalium B infelicissime, perfidiam tuam coarguere ipse debueras; ut si tibi scandalum moverat quod Martinus flamma ignis videbatur attactus, hunc rursum attactum ad merita illius et virtutem referres, quod circumseptus ignibus non perisset. Agnosce enim, miser, agnosce quod nescis, omnes fere sanctos magis insignes periculorum suorum fuisse virtutibus. Video quidem Petrum fide potentem, rerum obstante natura, mare pedibus supergressum, et instabiles aquas corporeo pressisse vestigio, sed non ideo minor mihi videtur gentium prædicator, quem fluctus absorbuit, et post triduum totidemque noctes emergentem e profundo unda restituit, atque haud scio, an pene plus fuerit vixisse in profundo, an supra maris profunda transisse. Sed hæc tu, ut arbitror, C stulte, non legeras, aut lecta non audieras. Neque enim absque divino consilio istiusmodi exemplum beatus Evangelista sacris litteris protulisset, nisi ut ex his humana mens erudiretur, naufragiorum atque serpentium casus, et (sicut Apostolus refert, qui nuditate, fame latronumque periculis gloriatur) omnia hæc sanctis hominibus atque omnibus ad perpetiendum quidem esse communia; sed his tolerandis atque vincendis præcipuam semper justorum fuisse virtutem, dum per omnia tentamenta patientes et semper invicti, tanto fortius vincerent, quanto gravius pertulissent. Unde hoc quod ad Martini infirmitatem vocatur, plenum est dignitatis et gloriæ, siquidem periculosissimo casu tentatus evicerit. Cæterum id omissum a me in libello illo quem de vita il- D lius scripsimus, nemo miretur; cum ibidem sim professus, me non omnia illius facta complexum: quia si persequi universa voluissem, immensum volumen legentibus edidissem. Neque sunt tam parva quæ gessit, ut omnia potuerint comprehendi. Sed tamen hoc de quo quæstio incidit, latere non patiar, et rem omnem, ut gesta est, referam, ne forte consilio hoc, quod ad vituperationem beati viri poterat opponi, prætermisisse videamur. Cum ad diœcesin quamdam pro solemni consuetudine (sicut episcopis visitare ecclesias suas moris est) media fere hieme Martinus venisset, mansionem ei in secretario ecclesiæ clerici paraverunt, multumque ignem scabro jam et pertenui pavimento subdiderunt, lectumque ei plurimo stramine exstruxerunt. Dein, cum se Martinus cubitum collocasset, insuetam mollitiem strati male blandientis horrescit: quippe qui nuda humo, uno tantum cilicio superjecto, cubare consueverat: itaque quasi accepta permotus injuria stramentum omne projecit. Casu super fornaculum partem paleæ illius quam removerat, aggessit: ipse, ut erat moris, nuda humo, lassitudine itineris urgente, requievit. Ad mediam fere noctem per interruptum, ut supra diximus, pavimentum ignis æstuans, arescentes paleas apprehendit. Martinus somno excitus, re inopinata, ancipiti periculo, et maxime, ut referebat, diabolo insidiante atque urgente præventus, tardius quam debuit ad orationis confugit auxilium. Nam erumpere foras cupiens, cum pessulo quem ostio obdiderat diu multumque luctatus, gravissimum circa se sensit incendium, adeo ut vestem qua indutus erat, ignis absumpserit. Tandem in se reversus, non in fuga, sed in Domino sciens esse præsidium; scutum fidei et orationis arripiens, mediis flammis totus ad Dominum conversus incubuit. Tum vero divinitus igne submoto, innoxio sibi orbe flammarum orabat. Monachi autem, qui pro foribus erant, crepitante et colluctante incendii sono, obseratas effringunt fores: dimotoque igne, e mediis flammis Martinum auferunt cum jam pœnitus esse consumptus tam diuturno incendio putaretur. Cæterum (verbis meis Dominus est testis) mihi ipse referebat, et non sine gemitu fatebatur, in hoc se diaboli arte deceptum, ut excussus e somno consilium non haberet, quo per fidem et orationem periculo repugnaret: denique tamdiu circa se sævisse ignem, quamdiu erumpere ostium turbatus mente tentaverit. Ubi vero auxilium crucis et orationis arma repetisset, medias cessisse flammas, seque tunc sensisse rorantes quas male esset expertus urentes. Unde intelligat quisquis hæc legerit, tentatum quidem illo Martinum periculo, sed et probatum.

EPISTOLA II.

Ad Aurelium diaconum.

De obitu et apparitione beati Martini.

Sulpicius Severus Aurelio diacono salutem.

Posteaquam a me mane digressus es, eram residens solus in cellula, subieratque me illa quæ sæpius occupat cogitatio, spes futurorum, præsentiumque fastidium, judicii metus, formido pœnarum; et, quod consequens erat, atque unde cogitatio tota descenderat, peccatorum meorum recordatio tristem me confectumque reddiderat. Deinde cum fatigata angore animi in lectulo membra posuissem, ut plerumque ex mœstitudine solet, somnus obrepsit (qui ut semper matutinis oris levior incertusque, ita suspensus et dubius per membra diffunditur; ut, quod in alio sopore non evenit, pene vigilans dormire te sentias); cum repente sanctum Martinum episcopum videre mihi videor, prætextum toga candida, vultu igneo, stellantibus oculis, crine purpureo; atque ita mihi

in ea habitudine corporis formaque qua eum noveram, videbatur, ut, quod eloqui nobis pene difficile est, non posset aspici, cum posset agnosci. Arridensque mihi paululum, libellum quem de vita illius scripseram, dextra præferebat. Ego sancta genua ejus amplexus, benedictionem pro consuetudine flagitabam : superpositamque capiti meo manum tactu blandissimo sentiebam, cum inter benedictionis verba solemnia familiare illud ori suo crucis nomen iteraret. Mox in eum luminibus intentis, cum exsatiari vultu illius conspectuque non possem, subito mihi in sublime sublatus eripitur; donec emensa aeris istius vastitate, cum tamen rapida nube subvectum acie sequeremur oculorum, patenti cœlo receptus videri ultra non potuit. Nec multo post, presbyterum sanctum Clarum, discipulum illius, qui nuper excesserat, video eamdem quam magistrum, viam scandere. Ego impudens sequi cupiens, dum altos gressus molior et connitor, evigilo : somnoque excitus, congratulari cœperam visioni, cum ad me puer familiaris ingreditur, solito tristior, vultu loquentis pariter et dolentis. Quid tu, inquam, tam tristis loqui gestis? At ille, Duo, inquit, monachi modo a Turonis adfuerunt, qui domnum Martinum obisse nuntiant. Concidi, fateor, obortisque lacrymis flevi uberrime. Quin etiam dum hæc ad te, frater, scribimus, fluunt lacrymæ, nec ullum impatientissimi doloris admitto solatium. Te vero, ubi hoc mihi nuntiatum est, participem esse volui luctus mei, qui eras socius amoris. Veni ergo ad me statim, ut pariter lugeamus quem pariter amamus : quamquam sciam virum illum non esse lugendum, cui, post evictum triumphatumque sæculum, nunc demum reddita est corona justitiæ. Sed tamen ego non possum mihi imperare, quin doleam. Præmisi quidem patronum, sed solatium vitæ præsentis amisi : etsi, si rationem ullam dolor admitteret, gaudere deberem. Est enim ille consertus apostolis ac prophetis, et, quod pace sanctorum omnium dixerim, in illo justorum grege nulli secundus, ut spero, credo et confido, illis potissimum qui stolas suas in sanguine laverunt, aggregatus, agnum ducem ab omni integer labe comitatur. Nam licet ei ratio temporis non potuerit præstare martyrium, gloria tamen martyris non carebit, quia voto atque virtute et potuit esse martyr, et voluit. Quod si ei Neronianis Decianisque temporibus, in illa quæ tunc exstitit dimicare congressione licuisset, testor Deum cœli atque terræ, sponte equuleum ascendisset, ultro se ignibus intulisset, Hebræisque pueris æquandus, inter flammarum globos media licet, hymnum Domini in fornace cantasset. Quod si Esaianum illud supplicium persecutori forte placuisset, numquam profecto impar prophetæ serris et laminis dissecari membra timuisset; at si præcisis rupibus abruptisque montibus agere felicem furor impius maluisset, perhibeo confisus testimonium veritati, sponte cecidisset. Si vero gentium doctoris exemplo gladio deputatus, inter

A alias, ut sæpe provenit, victimas duceretur, primus omnium, carnifice compulso, palmam sanguinis occupasset. Jam vero adversus omnes pœnas atque supplicia, quibus plerumque humana cessit infirmitas, ita, a confessione Domini non recedens, immobilis stetisset, ut lætus ulceribus congaudensque cruciatibus quælibet inter tormenta risisset. Sed quamquam ista non tulerit, implevit tamen etiam sine cruore martyrium : nam quas ille pro spe æternitatis humanorum dolorum non pertulit passiones, fame, vigiliis, nuditate, jejuniis, opprobriis invidorum, insectationibus improborum, cura pro infirmantibus, sollicitudine pro periclitantibus? quo enim ille dolente non doluit? quo scandalizante non ustus est? quo pereunte non gemuit? præter illa quotidia-

B na illius adversum humanæ spiritalisque nequitiæ diversa certamina, dum in eo variis tentationibus appetito semper exsuperat fortitudo vincendi, patientia exspectandi, æquanimitas sustinendi. O vere ineffabilem virum, pietate, misericordia, charitate, quæ cum quotidie etiam in sanctis viris sæculo frigente frigescat, in illo tamen usque ad finem, aucta in dies, perseveravit! quo ego illius bono vel specialiter fruitus sum, cum me indignum et non merentem unice diligebat. En rursus lacrymæ fluunt, imoque de pectore gemitus erumpit. In quo mihi posthæc homine similis requies, in cujus erit charitate solatium? Me miserum, me infelicem! poterone umquam, si diutius vixero, non dolere, quod Martino superstes sum? erit mihi posthæc vita jucunda, erit

C dies aut hora sine lacrymis? aut tecum, frater dilectissime, potero illius mentionem habere sine fletu? aut umquam loquens apud te aliud quam de illo loqui potero? Sed quid te in lacrymas fletusque commoveo? ecce nunc consolatum esse te cupio, qui me consolari ipse non possum. Non deerit nobis ille, mihi crede, non deerit: intererit de se sermocinantibus, astabit orantibus: quodque jam hodie præstare dignatus est, videndum se in gloria sua sæpe præbebit, et assidua, sicut ante paululum fecit, benedictione nos proteget. Inde secundum ordinem visionis cœlum se sequentibus patere monstravit, et quo sequendus esset, edocuit: quo spes nostra tendenda, quo animus dirigendus, instruxit. Quid tamen fiet, frater? quod mihi ipse sum conscius, con-

D scendere arduum illud iter, ac penetrare non potero: ita sarcina molesta me prægravat, et peccati mole depressum, negato in astra conscensu, sæva miserabilem ducit in tartara. Spes tamen superest, illa sola, illa postrema, ut quod per nos obtinere non possumus, saltem pro nobis orante Martino mereamur. Sed quid te, frater, diutius occupo epistola tam loquaci, demororque venturum? simul jam pagina impleta non recipit. Mihi tamen hæc fuit ratio sermonem istum longius proferendi, ut quia doloris nuntium epistola deferebat, eadem tibi ex quadam nostri confabulatione præstaret charta solatium.

EPISTOLA III.

AD BASSULAM SOCRUM SUAM.

Quomodo beatus Martinus ex hac vita ad immortalem transierit.

SULPICIUS SEVERUS BASSULÆ parenti venerabili salutem.

Si parentes vocari in jus liceret, te plane expilationis furtique ream ad prætoris tribunal justo dolore traheremus. Quid enim non conquerar quam a te patior injuriam? nullam mihi domi chartulam, nullum libellum, nullam epistolam reliquisti : ita furaris omnia, ita universa divulgas. Si quid ad amicum familiariter scripsi; si quid forte, dum ludimus, quod velim tamen occultum esse, dictavi, omnia ad te prius pene quam fuerint scripta aut dictata, perveniunt. Nimirum obarrhatos habes notarios meos, per quos tibi nostræ ineptiæ publicantur; nec tamen adversum eos possum moveri, si tibi parent, qui in jus nostrum ex tua potissimum liberalitate venerunt, seque adhuc tuos quam meos esse meminerunt : tu sola es rea, tu sola culpabilis, quæ et mihi insidiaris, et illos fraude circumvenis, ut sine delectu ullo familiariter scripta, aut negligenter emissa, illucubrata tibi penitus atque impolita tradantur. Nam, ut de reliquis taceam, rogo quemadmodum tam cito ad te epistola illa potuit pervenire, quam nuper ad Aurelium diaconum scripseramus. Ego enim Tolosæ positus, tu Treveris constituta, et tam longe a patria filio inquietante divulsa, qua tandem familiarem illam epistolam occasione furata es? namque accepi litteras tuas, quibus scribis, in eadem epistola qua de obitu domni Martini fecerim mentionem, ipsum beati viri transitum exponere debuisse. Quasi vero ego illam epistolam aut legendam alii præterquam ipsi ad quem missa videtur, ediderim, aut ego tanto sim operi destinatus, ut omnia quæ de Martino cognosci oportet, me potissimum scribente notescant. Itaque, si quæ de obitu sancti episcopi audire desideras, ab illis potius qui interfuere, cognosce : ego tibi statui nihil scribere, ne ubique me publices; tamen si das fidem, nulli te esse lecturam, paucis tuæ satisfaciam voluntati : itaque præstabo te his quæ mihi sunt comperta, participem. Martinus igitur obitum suum longe ante præscivit, dixitque fratribus dissolutionem sui corporis imminere. Interea causa exstitit, qua Condatensem diœcesin visitaret; nam clericis inter se ecclesiæ illius discordantibus, pacem cupiens reformare, licet finem dierum suorum non ignoraret, proficisci tamen itiusmodi ob causam non recusavit : bonam hanc virtutum suarum consummationem existimans, si pacem ecclesiæ redditam reliquisset. Ita profectus cum suo illo, ut semper, frequentissimo discipulorum sanctissimoque comitatu, mergos in flumine conspicatur piscium prædam sequi, et rapacem ingluviem assiduis urgere capturis. Forma, inquit, hæc dæmonum est : insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos devorant, exsaturarique A non queunt devorati. Imperat deinde potenti virtute verborum, ut eum cui innatabant gurgitem relinquentes, aridas peterent desertasque regiones : eo nimirum circa aves illas usus imperio, quo dæmones fugare consueverat; ita grege facto, omnes in unum illæ volucres congregatæ, relicto flumine montes silvasque petierunt, non sine admiratione multorum, qui tantam in Martino virtutem viderent, ut etiam avibus imperaret. Aliquamdiu ergo in vico illo, vel in ecclesia ad quam ierat, commoratus, pace inter clericos restituta, cum jam regredi ad monasterium cogitaret, viribus corporis cœpit repente destitui : convocatisque discipulis, indicat se jam resolvi. Tum vero mœror et luctus omnium, vox una plangentium : Cur nos, pater, deseris? aut cui B nos desolatos relinquis? invadent enim gregem tuum lupi rapaces : et quis nos a morsibus eorum, percusso pastore, prohibebit? scimus quidem desiderare te Christum; sed salva tibi sunt tua præmia, nec dilata minuentur : nostri potius miserere, quos deseris. Tunc ille motus his fletibus, ut totus semper in Domino misericordiæ visceribus affluebat, lacrymasse perhibetur : conversusque ad Dominum, hac tantum flentibus voce respondit : Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem : fiat voluntas tua. Nimirum inter spem amoremque positus, dubitavit pene quid mallet : quia nec hos deserere, nec a Christo volebat diutius separari : nihil tamen in voto suo ponens, aut voluntati relinquens, totum se Domini arbitrio potestatique C committens. Nonne tibi his paucissimis verbis dicere videbitur : Gravis quidem est, Domine, corporeæ pugna militiæ, et jam satis est quod huc usque certavi; sed si adhuc in eodem labore pro castris tuorum stare me præcipis, non recuso, nec fatiscentem causabor ætatem; munia tua devotus implebo; sub signis tuis, quoadusque ipse jusseris, militabo; et quamvis optata sit seni missio post laborem, est tamen animus victor annorum, et cedere nescius senectuti. At si jam parcis ætati, bonum est mihi, Domine : fiat voluntas tua : hos vero quibus timeo, ipse custodies. O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum, qui in nullam se partem pronior inclinaverit, nec mori timuerit, nec vivere recusarit! Itaque cum jam per aliquot dies vi febrium D teneretur, non tamen a Dei opere cessabat : pernox in orationibus et vigiliis, fatiscentes artus servire spiritui cogebat, nobili illo strato suo in cinere et cilicio recubans. Et cum a discipulis rogaretur, ut saltem vilia sibi sineret stramenta supponi; non decet, inquit, filii, Christianum nisi in cinere et cilicio mori; ego si aliud vobis exemplum relinquo, ipse peccavi. Oculis igitur ac manibus in cœlum semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat; et cum a presbyteris, qui tum ad eum confluxerant, rogaretur, ut corpusculum lateris mutatione relevaret : Sinite, inquit, sinite me, fratres, cœlum potius respicere quam terram, ut suo jam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur. Hæc locutus,

diabolum vidit prope assistere. Quid hic, inquit, astas, cruenta bestia? nihil in me, funeste, reperies. Abrahæ me sinus recipiet.

(Ex capitulari Veron. cod.)

[a] Cum hac ergo voce fatigatum divinis operibus spiritum cœlo reddidit : testatique nobis sunt qui adfuerant, jam exanimo corpore glorificati hominis vidisse se gloriam. Vultus luce clarior renitebat, cum membra cætera ne tenuis quidem macula fuscaret; in aliis etiam, et in illo tantum artubus non pudendis, septennis quodammodo pueri gratia videbatur. Quis istum umquam cilicio tectum, quis cineribus crederet involutum? ita vitro purior, lacte candidior, jam in quadam futuræ resurrectionis gloria et natura demutatæ carnis ostensus est. Jam vero in obsequium funeris, credi non potest, quanta hominum multitudo convenerit : tota obviam corpori civitas ruit; cuncti ex agris atque vicis, multique ex vicinis etiam urbibus adfuerunt. O quantus luctus omnium, quanta præcipue mœrentium lamenta monachorum! qui eo die fere ad duo millia convenisse dicuntur, specialis Martini A gloria, cujus exemplo in Domini servitutem stirpes tantæ fruticaverant. Agebat nimirum ante se pastor exstinctus greges suos, sanctæ illius multitudinis pallidas turbas, agmina palliata, aut emeritorum laborum senes, aut juratos Christi in sacramenta tirones. Tum virginum chorus fletu abstinens præ pudore, cum lætandum potius illi esse sentiret quem jam suo Dominus gremio confoveret, quam sancto dissimulabat gaudio quod dolebat! siquidem fides flere prohiberet, gemitum B extorqueret affectus; etenim tam erat sancta de illius gloria exsultatio, quam pia de morte confusio. Ignosceres flentibus, gratularere gaudentibus : quia et pium est gaudere Martino, et pium est flere Martinum; dum unusquisque et sibi præstat ut doleat, et illi debet ut gaudeat. Hæc igitur beati viri corpus usque ad locum sepulcri hymnis canora cœlestibus turba prosequitur. Comparetur, si placet, sæcularis illa pompa, non dicam funeris, sed triumphi : quid simile Martini exsequiis conferetur? Ducant illi præ curribus suis vinctos post terga captivos : Martini corpus hi qui mundum ductu illius vicerant, prosequuntur; illos confusis plausibus populorum honoret insania : Martino divinis plauditur psalmis : Martinus hym- C nis cœlestibus honoratur, illi post triumphos suos in tartara sæva trudentur : Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur; Martinus hic pauper et modicus, cœlum dives ingreditur : illinc nos, ut spero, custodiens, me hæc scribentem respicit, te legentem.

Cum hac ergo voce animam cœlo reddidit : testatique nobis sunt qui ibidem fuerunt, vidisse se vultum ejus tamquam vultum angeli : membra autem ejus candida tamquam nix videbantur, ita ut dicerent, Quis istum umquam cilicio (vidit) tectum? quis in cineribus crederet involutum? jam enim sic videbatur, quasi in futuræ resurrectionis gloria et natura demutatæ carnis ostensus est[b]*. In obsequium vero funeris credi non potest quanta hominum multitudo convenerit; tota obviam corpori civitas ruit : cuncti ex agris atque ex vicis, multique de vicinis etiam urbibus adfuerunt. O quantus luctus omnium, quanta præcipue mœrentium lamenta monachorum! qui eo die fere ad* ∏ *Convenisse dicuntur, specialis Martini gloria : ejus exemplo in Dni servitutem stirpes tantæ fruticaverant*[c]*. Agebat nimirum ante se pastor greges suos, sanctæ illius multitudinis pallidas turbas, agmina palliata, aut emeritorum* (supple *laborum*) *senes, aut juratos Christi in sacramenta tirones; tum virginum chorus fletu abstinens præ pudore quam sancto dissimulabat gaudio quod dolebat! siquidem fides flere prohiberet : gemitum tamen extorquebat affectus; etenim tam sancta erat de illius gloria* (*et*) *exsultatio, quam pia de morte tristitia. Ignosceres flentibus, congratulare*[d] *gaudentibus, dum unusquisque et sibi præstat ut doleat, et illi ut gaudeat. Hæc igitur beati viri corpus usque ad locum sepulcri hymnis canora cœlestibus turba prosequitur,* etc.

[a] Cum ab hisce verbis prope ad finem usque epistolæ, majores quam usquam in Capitulari codice a Vulgatis discrepantiæ occurrant, et quidem concinnior inde et simplicior fluat sensus; adeo ut suspicio mihi jam pridem subierit, posteriorem hujus epistolæ partem, ut in Vulg. legitur, interpolatam ab aliquo fuisse : idcirco utrumque textum e regione sibi respondentem damus, ut lector uno intuitu videat quæ in Vulg. redundat, et rectius judicare possit utra sit præferenda lectio. Editor Veron.

[b] Leg. *esset.*

[c] In ms. *frutecaverant.*

[d] Forte *congratulurere.*

SULPICII SEVERI
DIALOGI.

DIALOGUS I.

I. Cum in unum locum ego et Gallus noster convenissemus, vir mihi et propter Martini memoriam (ex illius enim discipulis erat) et propter sua merita charissimus; intervenit nobis Postumianus meus, D nostri causa ab Oriente, quo se ante triennium patriam relinquens contulerat, regressus. Complexi hominem amantissimum, exosculatique genua et pedes ejus, cum uno atque altero spatio quasi obstu-

pefacti, invicem flentes gaudio deambulassemus, jactis in terram ciliciis consedimus. Tum prior Postumianus me intuens, Cum essem, inquit, in remotis Ægypti, libuit ut ad mare usque procederem. Navim illic onerariam offendi, quæ cum mercibus Narbonem petens solvere parabat. Eadem nocte astare in somnis mihi visus es, et injecta me manu trahere, ut navim illam conscenderem. Mox tenebras rumpente diluculo, cum de eo loco in quo quieveram surrexissem, somnium meum ipse mecum reputans tanto tui desiderio subito correptus sum, ut nihil cunctatus navim conscenderim; tricesimo die Massiliam appulsus, inde huc decimo pervenerim: adeo prospera navigatio piæ adfuit voluntati. Tu modo, propter quem tot maria transnavigavimus, tantum terræ transcucurrimus, complectendum perfruendumque te, remotis omnibus, trade. Ego vero, inquam, etiam cum tu in Ægypto morareris, totus tecum semper animo et cogitatione versabar, meque de te dies ac noctes cogitantem totum tua charitas possidebat; nedum modo me tibi æstimes puncto temporis defuturum, quominus amore tuo pendens te intuear, te audiam, tecum loquar, nullo penitus in secretum nostrum, quod nobis hæc remotior cellula præstat, admisso: nam hujus nostri, ut arbitror, Galli præsentiam non moleste feres, qui hoc adventu tuo, ut vides, perinde atque ego ipse, triumphat gaudio. Recte plane, inquit Postumianus; in societate nostra Gallus iste retinebitur: quia etsi mihi parum cognitus est, pro eo tamen quod tibi est charissimus, non potest mihi non esse charus, maxime cum ex Martini sit disciplina. Neque gravabor quamlibet conserte vobiscum, ut poscitis, fabulari: quippe cum huc propter hoc venerim, ut me hujus Sulpicii mei (me autem utraque manu complectebatur) desiderio etiam verbosus impenderem.

II. Enimvero, inquam, satis probasti, quantum pius amor possit, qui nostri causa tot maria tantumque terrarum emensus, a summo, ut ita dicam, solis egressu usque in ejus occidua venisti. Age ergo, quia et secreti inter nos nec occupati sumus, et sermoni tuo vacare debemus, edisseras nobis velim omnem peregrinationis tuæ historiam; qualiter in Oriente fides Christi floreat; quæ sit ibi sanctorum quies, quæ instituta monachorum; quantisque signis ac virtutibus in servis suis Christus operetur: nam certe, quia in his regionibus, inter ista quæ vivimus, ipsa nobis vita fastidio est; libenter ex te audiemus, si vel in eremo vivere Christianis licet. Ad hæc Postumianus, Faciam, inquit, ut desiderare te video; sed quæso prius ex te audiam, an isti omnes quos hic reliqueram sacerdotes, tales sint, quales eos, antequam proficiscerer, noveramus. Tum ego, Absiste, inquam, ista quærere, quæ aut una mecum, ut puto, nosti, aut si ignoras, non audire sit melius. Illud reticere non possum, non solum illos de quibus interrogas, nihil meliores quam noveras factos; sed unum illum nostri quondam amantem, in quo respirare ab istorum insectationibus solebamus, asperiorem nobis fuisse quam debuit. Nec vero quidquam in illum inclementius dicam, quia et amicum colui, et tunc etiam amavi cum putabatur inimicus. Me autem hæc tacitis cogitationibus resolventem admodum dolor iste compungit (pene nos sapientis et religiosi viri amicitia destitutos), illum quondam tam amicum nobis, tam amarum in nos esse potuisse. Verum hæc, quæ mœroris plena sunt, relinquamus: te potius, ut dudum spoponderas, audiamus. Ita, inquit, fiat, Postumianus; quod cum dixisset, paululum omnes conticuimus. Dein cilicium cui insederat, ad me propius admovit, atque ita exorsus est:

III. Ante hoc triennium, quo tempore tibi, Sulpici, hinc abiens valedixi, ubi Narbone navim solvimus, quinto die portum Africæ intravimus: adeo prospera Dei nutu navigatio fuit. Libuit animo adire Carthaginem, loca visitare sanctorum, et præcipue ad sepulcrum Cypriani martyris adorare. Quintodecimo die ad portum regressi, provectique in altum, Alexandriam petentes, reluctante austro pene in Syrten illati sumus: quod providi nautæ caventes, jactis navem anchoris sistunt. Sub oculis autem terra continens erat, in quam scaphis egressi cum vacua ab humano cultu omnia cerneremus, ego studiosius explorandorum locorum gratia longius processi. Tribus fere millibus a littore parvum tugurium inter arenas conspicio, cujus tectum, sicut Sallustius ait, quasi carina navis erat, contiguum terræ, satis firmis tabulis constratum, non quod ibi vis imbrium ulla timeatur (fuisse autem illic pluviam nequando quidem auditum est), sed quod ventorum ea vis est, ut si quando vel clementiori cœlo aliquantulus spirare flatus cœperit, majus in illis terris quam in ullo mari naufragium sit. Nulla ibi germina, sata nulla proveniunt, quippe instabili loco, arentibus arenis ad omnem motum ventorum cedentibus. Verum ubi eversa quædam a mari promontoria ventis resistunt, terra aliquantulum solidior herbam raram atque hispidam gignit. Ea ovibus est pabulum satis utile. Incolæ lacte vivunt; qui solertiores sunt, vel, ut ita dixerim, ditiores, hordeaceo pane utuntur. Ea ibi sola messis est, quæ celeritate proventus per naturam soli sive aeris, ventorum casus evadere solet: quippe fertur a die jacti seminis tricesimo die maturescere. Consistere autem ibi homines non alia ratio facit, quam quod omnes tributo liberi sunt: extrema siquidem Cyrenorum ora est, deserto illi contigua, quod inter Ægyptum et Africam interjacet, per quod olim Cato Cæsarem fugiens duxit exercitum.

IV. Ergo ut ad tugurium illud quod eminus conspexeram, pertendi, invenio senem in veste pellicea molam manu vertentem; consalutatus accepit nos benigne. Ejectos nos in illud littus exponimus; et ne statim repetere cursum possimus, maris mollitie detineri: egressos in terram (ut est mos humani ingenii) naturam locorum cultumque habitantium voluisse cognoscere: Christianos nos esse: id præcipue

quærere, an essent aliqui inter illas solitudines Christiani. Tum vero ille flens gaudio, ad genua nostra provolvitur: iterum nos ac sæpius exosculatus invitat ad orationem; deinde impositis in terram vervecum pellibus facit nos discumbere. Apponit prandium sane locupletissimum, dimidium panem hordeaceum. Eramus autem nos quatuor, ipse erat quintus. Fasciculum etiam herbæ intulit, cujus nomen excidit; quæ menthæ similis exuberans foliis, saporem mellis præstabat: hujus prædulci admodum suavitate delectati atque exsatiati sumus. Ad hæc subridens ego ad Gallum meum, Quid, inquam, Galle? placetne tibi prandium, fasciculus herbarum et panis dimidius viris quinque? Tum ille, sicut est verecundissimus, aliquantulum erubescens, dum fatigationem meam accepit, Facis, inquit, Sulpici, tuo more, qui nullam occasionem, si qua tibi porrecta fuerit, omittis, quin nos edacitatis fatiges. Sed facis inhumane, qui nos Gallos homines cogis exemplo angelorum vivere (quamquam ego studio manducandi etiam angelos manducare credam): nam istum dimidium hordeaceum timeo vel solus attingere. Sed contentus sit hoc Cyrenensis ille, cui vel necessitas vel natura est esurire; vel postremo isti, quibus, credo, marina jactatio inediam cibi fecerat. Nos procul a mari absumus, et quod tibi sæpe testatus sum, Galli sumus. Sed pergat hic potius explicare sui Cyrenensis historiam.

V. Enimvero, Postumianus ait, cavebo posthac cujusquam abstinentiam prædicare; ne Gallos nostros arduum penitus offendat exemplum. Statueram autem etiam cœnam Cyrenensis illius, vel consequentia (septem enim diebus apud ipsum fuimus) referre convivia: sed supersedendum est, ne Gallus se æstimet fatigari. Cæterum postero die, cum aliqui ex incolis ad nos visendos confluere cœpissent, cognoscimus illum hospitem nostrum esse presbyterum; quod summa nos dissimulatione celaverat. Deinde cum ipso ad ecclesiam processimus, quæ fere duobus millibus aberat, a conspectu nostro interjectu montis exclusa. Erat autem vilibus texta virgultis, non multo ambitiosis quam nostri hospitis tabernaculum, in quo nisi incurvus quis non poterat consistere. Cum hominum mores quæreremus, illud præclarum animadvertimus, nihil eos neque emere neque vendere. Quid sit fraus aut furtum, nesciunt; aurum atque argentum, quæ prima mortales putant, neque habent, neque habere cupiunt: nam cum ego presbytero illi decem nummos aureos detulissem, refugit, altiore consilio protestatus, Ecclesiam auro non instrui, sed potius destrui. Aliquantulum ei vestimentorum indulsimus.

VI. Quod cum ille benigne accepisset, revocantibus nos ad mare nautis, discessimus, prosperoque cursu septimo die Alexandriam pervenimus, ubi fœda inter episcopos atque monachos certamina gerebantur, ex ea occasione vel causa, quia congregati in unum sæpius sacerdotes frequentibus decrevisse synodis videbantur, ne quis Origenis libros legeret aut haberet: qui tractator sacrarum scripturarum peritissimus habebatur. Sed episcopi quædam in libris ipsius insanius scripta memorabant, quæ assertores ejus defendere non ausi, ab hæreticis potius fraudulenter inserta dicebant: et ideo non propter illa quæ in reprehensionem merito vocarentur, etiam reliqua esse damnanda; cum legentium fides facile possit habere discrimen, ne falsata sequeretur, et tamen catholice disputata retineret: non esse autem mirum, si in libris neotericis et recens scriptis fraus hæretica fuisset operata, quæ in quibusdam locis non timuisset incidere Evangelicam veritatem. Adversum hæc episcopi obstinatius renitentes, pro potestate cogebant recta etiam universa cum pravis et cum ipso auctore damnare: quia satis superque sufficerent libri quos Ecclesia recepisset: respuendam esse penitus lectionem, quæ plus esset nocitura insipientibus, quam profutura sapientibus. Mihi autem ex illius libris quædam curiosius indaganti, admodum multa placuerunt: sed nonnulla deprehendi, in quibus illum prava sensisse non dubium est, quæ defensores ejus falsata contendunt. Ego miror unum eumdemque hominem tam diversum a se esse potuisse, ut in ea parte qua probatur, neminem post Apostolos habeat æqualem; in ea vero quæ jure reprehenditur, nemo deformius doceatur errasse.

VII. Nam cum ab episcopis excerpta in libris illius multa legerentur, quæ contra catholicam fidem scripta constaret, locus ille vel maxime parabat invidiam, in quo editum legebatur, quia Dominus Jesus, sicut pro redemptione hominis in carne venisset, et crucem pro hominis salute perpessus, mortem pro homini æternitate gustasset; ita esset eodem ordine passionis etiam diabolum redempturus: quia hoc bonitati illius pietatique congrueret, ut qui perditum hominem reformasset, prolapsum quoque angelum liberaret. Cum hæc atque alia istiusmodi ab episcopis proderentur, ex studiis partium orta est seditio: quæ cum reprimi sacerdotum auctoritate non posset, scævo exemplo ad regendam Ecclesiæ disciplinam præfectus assumitur, cujus terrore dispersi fratres, ac per diversas oras monachi sunt fugati, ita ut propositis edictis in nulla consistere sede sinerentur. Illud me admodum permovebat, quod Hieronymus, vir maxime catholicus et sacræ legis peritissimus, Origenem secutus primo tempore putabatur, quem nunc idem præcipue, vel omnia illius scripta damnaret. Nec vero ausus sum de quoquam temere judicare; præstantissimi tamen viri et doctissimi ferebantur in hoc certamine dissidere. Sed tamen sive illud error est ut ego sentio, sive hæresis, ut putatur; non solum reprimi non potuit multis animadversionibus sacerdotum; sed nequaquam tam late se potuisset effundere, nisi contentione crevisset. Istiusmodi ergo turbatione cum veni Alexandriam, fluctuabat. Me quidem episcopus illius civitatis benigne admodum, et melius quam opinabar, excepit, et secum tenere tentavit: sed non fuit animus ibi consistere, ubi recens fraternæ cladis fervebat invidia: nam etsi

fortasse videantur parere episcopis debuisse, non ob hanc tamen causam multitudinem tantam sub Christi confessione viventem, præsertim ab episcopis, oportuisset affligi.

VIII. Igitur inde digressus, Bethleem oppidum petii, quod ab Hierosolymis sex millibus disparatur, ab Alexandria autem sedecim mansionibus abest. Ecclesiam loci illius Hieronymus presbyter regit: nam parochia est episcopi, qui Hierosolymam tenet. Mihi jam pridem Hieronymus superiore illa mea peregrinatione compertus facile obtinuerat, ut nullum mihi expetendum rectius arbitrarer: vir enim præter fidei meritum doteinque virtutum, non solum Latinis atque Græcis, sed et Hebræis etiam ita litteris institutus est, ut se illi in omni scientia nemo audeat comparare. Miror autem, si non et vobis per multa quæ scripsit opera compertus est, cum per totum orbem legatur. Nobis vero, Gallus inquit, nimium nimiumque compertus est: nam ante hoc quinquennium quemdam illius libellum legi, in quo tota nostrorum natio monachorum ab eo vehementissime vexatur et carpitur; unde interdum Belgicus noster valde irasci solet, quod dixerit, nos usque ad vomitum solere satiari. Ego autem illi viro ignosco; atque ita sentio, de orientalibus illum potius monachis quam de occidentalibus disputasse: nam edacitas in Græcis gula est, in Gallis natura. Tum ego, Scholastice, inquam, Galle, defendis gentem tuam; sed quæso te, liber iste numquid hoc solum vitium damnat in monachis? Immo vero, inquit, nihil penitus omisit, quod non carperet, laceraret, exponeret: præcipue avaritiam, nec minus vanitatem insectatus est. Multa de superbia, non pauca de superstitione disseruit. Vere fatebor, pinxisse mihi videtur vitia multorum.

IX. Cæterum de familiaritatibus virginum et monachorum, atque etiam clericorum, quam vera, quam fortia disputavit! unde a quibusdam, quos nominare nolo, dicitur non amari: nam sicut Belgicus noster irascitur, edacitatis nimiæ nos notatos, ita illi fremere dicuntur, cum in illo opusculo scriptum legunt: Cœlibem spernit virgo germanum, fratrem quærit extraneum. Ad hæc ego, Nimium, inquam, Galle, progrederis: cave ne et te aliquis, qui hæc fortassis agnoscit, exaudiat, teque una cum Hieronymo incipiat non amare. Nam quia scholasticus es, non immerito te versu Comici illius admonebo: Obsequium amicos, veritas odium parit. Tua nobis potius, ut cœperas, Postumiane, repetatur orientalis oratio. Ego, inquit, ut dicere institueram, apud Hieronymum sex mensibus fui: cui jugis adversum malos pugna perpetuumque certamen concivit odia perditorum. Oderunt eum hæretici, quia eos impugnare non desinit: oderunt clerici, quia vitam eorum insectatur et crimina. Sed plane eum boni omnes admirantur et diligunt: nam qui eum hæreticum esse arbitrantur, insaniunt. Vere dixerim, catholica hominis scientia, sana doctrina est.

A Totus semper in lectione, totus in libris est: non die, non nocte requiescit; aut legit aliquid semper, aut scribit. Quod nisi mihi fuisset fixum animo et promissum, Deo teste, propositam eremum adire, vel exigui temporis punctum a tanto viro discedere noluissem. Huic ergo traditis atque commissis omnibus meis, omnique familia, quæ me contra voluntatem animi mei secuta tenebat implicitum, exoneratus quodammodo gravi fasce penitus ac liber, regressus Alexandriam, visitatis ibi fratribus, ad superiorem inde Thebaidam, id est ad Ægypti extrema contendi. Ibi enim vastæ patentis eremi solitudines plurimum ferebantur habere monachorum. Longum est, si omnia cupiam referre quæ vidi: tamen pauca perstringam e pluribus.

B X. Haud longe ab eremo, contigua Nilo multa sunt monasteria. Habitant uno loco plerumque centeni: quibus summum jus est, sub abbatis imperio vivere, nihil arbitrio suo agere, per omnia ad nutum illius potestatemque pendere. Ex his, si qui majorem virtutem mente conceperint, ut acturi solitariam vitam se ad eremum conferant, non nisi permittente abbate discedunt. Hæc illorum prima virtus est, parere alieno imperio. Transgressis ad eremum, abbatis illius ordinatione panis vel quilibet cibus alius ministratur. Casu per illos dies quibus illo adveneram, cuidam qui nuper ad eremum secesserat, neque amplius ab hoc monasterio quam sex millibus tabernaculum sibi constituerat, panem abbas per duos pueros miserat, quorum major habebat C ætatis annos quindecim, minor duodecennis erat. His ergo inde redeuntibus aspis miræ magnitudinis fit obviam, cujus occursu nihil perterriti; ubi ante pedes eorum venit, quasi incantata carminibus, cærula colla deposuit. Minor e pueris manu apprehensam ac pallio involutam ferre cœpit: deinde monasterium quasi victor ingressus in occursum fratrum, inspectantibus cunctis, captivam bestiam resoluto pallio non sine jactantiæ tumore deposuit. Sed cum infantium fidem atque virtutem cæteri prædicarent, abbas ille altiori consilio, ne infirma ætas insolesceret, virgis utrumque compescuit, multum objurgatos, cur ipsi quod per eos Dominus operatus fuerat, prodidissent: ejus illud non suæ fidei, sed divinæ fuisse virtutis: discerent potius, Deo in humilitate D servire, non in signis et virtutibus gloriari: quia melior esset infirmitatis conscientia virtutum vanitate.

XI. Hoc ubi ille monachus audivit, et periclitatos infantulos serpentis occursu, et ipsos insuper multa verbera victo serpente meruisse; abbatem obsecrat, ne sibi post hæc panis ullus aut cibus aliquis mitteretur. Jamque octavus dies fuerat emensus, quo se homo Christi intra periculum famis ipse concluserat: arebant membra jejunio, sed deficere mens cœlo intenta non poterat: corpus inedia fatiscebat, fides firma durabat: cum interim admonitus abbas ille per spiritum, ut discipulum visitaret; pia sollicitudine cognoscere cupiens, qua vitæ substantia vir

fidelis aleretur, qui ministrari sibi panem ab homine noluisset, ad requirendum eum ipse proficiscitur. Ille ubi eminus senem venire conspexit, occurrit, agit gratias, ducit ad cellulam. Cum ingressi pariter ambo, conspiciunt palmiciam sportam, calido pane congestam, foribus affixam de poste pendere. Ac primum calidi panis odor sentitur : tactu vero ac si ante paululum focis esset ereptus, ostenditur. Ægyptii tamen panis forma non cernitur. Obstupefacti ambo munus cœleste cognoscunt : cum ille hoc abbatis adventui præstitum fateretur, abbas vero illius fidei ac virtuti id potius ascriberet; ita ambo cœlestem panem cum multa exsultatione fregerunt. Quod cum senex ad monasterium post regressus fratribus retulisset, tantus omnium incenderat ardor animos, ut certatim ad eremum et sacras solitudines ire properarent, miseros se fatentes, qui diutius in congregatione multorum, ubi humana esset patienda conversatio, resedissent.

XII. In hoc monasterio duos ego senes vidi, qui jam per quadraginta annos ibi degere, ita ut numquam inde discesserint, ferebantur. Quorum prætereunda mihi commemoratio non videtur : siquidem id de eorum virtutibus, et abbatis ipsius testimonio et omnium fratrum audierim sermone celebrari, quod unum eorum sol numquam vidisset epulantem, alterum vidisset iratum numquam. Ad hæc Gallus me intuens : O si vester ille (nolo nomen edicere) nunc adesset, vellem admodum istud audiret exemplum : quem in multorum sæpe personis nimium experti sumus vehementer irasci : sed tamen, quia inimicis suis, quantum audio, nuper ignovit, si istud audiret, magis magisque proposito confirmaretur exemplo, præclaram esse virtutem iracundia non moveri. Nec vero inficiabor justas illi causas irarum fuisse : sed ubi durior pugna, ibi gloriosior est corona : unde quemdam, si agnoscis, censeo jure laudandum, quod cum eum libertus deseruerit ingratus, misertus est potius quam insectatus abeuntem; sed neque illi irascitur, a quo videtur abductus. Ego autem : Nisi istud vincendæ iracundiæ Postumianus prodidisset exemplum, graviter irascerer discessione fugitivi : sed quia irasci non licet, tota istorum commemoratio quæ nos compungit, abolenda est. Te, inquam, Postumiane, te potius audiamus. Faciam, inquit, *Sulpici*, quod præcipis, quatenus tam studiosos audiendi esse vos video; sed mementote, quia non sine fenore istum apud vos depono sermonem : libens præsto quod poscitis, dummodo paulo post quod poposcero non negetis. Nos vero, inquam, nihil habemus, in quo tibi mutuum vel sine fenore restituere possimus. Sed tamen quidquid putaveris, imperato, dummodo, ut cœperas, desideriis nostris satisfacias : valde enim nos tua delectat oratio. Nihil, inquit Postumianus, vestra studia fraudabo : et quia eremitæ unius incipientis agnovistis virtutem, referam adhuc vobis pauca de plurimis.

XIII. Ergo ubi prima eremi ingressus sum, duodecim fere a Nilo millibus (habebam autem unum A e fratribus ducem, locorum peritum) pervenimus ad quemdum senem monachum sub radice montis habitantem. Ibi, quod in illis locis rarissimum est, puteus erat. Bovem unum habebat, cujus hic erat totus labor, impulsa rotali machina aquam producere : nam fere mille aut amplius pedum profundum putei ferebatur. Hortus illic erat multis oleribus copiosus : id quidem contra naturam eremi, ubi omnia arentia, exusta solis ardoribus, nullius umquam seminis vel exiguam radicem ferunt. Verum hoc sancto illi labor cum pecore communis, et propria præstabat industria : frequens enim irrigatio aquarum tantam pinguedinem arenis dabat, ut mirum in modum virere atque fructificare horti illius olera videremus. Ex iis igitur una cum domino bos ille B vivebat : nobis quoque ex ea copia cœnam sanctus dedit. Ibi vidi, quod vos Galli forte non credetis, ollam cum oleribus quæ nobis in cœnam præparabantur, sine igne fervere : tanta vis solis est, ut quibuslibet coquis etiam ad Gallorum pulmenta sufficiat. Post cœnam autem jam inclinante vespera invitat nos ad arborem palmam, cujus interdum pomis uti solebat, quæ fere duobus millibus aberat : nam hæ tantum in eremo arbores, licet raro, habentur tamen. Quod utrum solers antiquitas procuraverit, an soli natura gignat, ignoro : nisi si Deus præscius habitandam quandoque a sanctis eremum, hæc servis suis paraverit : ex majore enim parte, qui intra illa secreta consistunt, cum alia ibi germina nulla succedant, istarum arborum pomis aluntur. Ergo C ubi ad illam ad quam nos humanitas nostri hospitis ducebat, arborem pervenimus, leonem ibi offendimus : quo viso, ego et ille dux meus intremuimus; sanctus vero ille incunctanter accessit : nos, licet trepidi, secuti sumus. Fera paululum (ut cerneres imperatam a Deo) modesta secessit et constitit, dum ille attigua ramis humilioribus poma decerperet : cumque plenam palmulis manum obtulisset, accurrit bestia, accepitque tam libere quam nullum animal domesticum : et cum comedisset, abscessit. Nos hæc intuentes et adhuc trementes, facile potuimus expendere, quanta in illo fidei virtus et quanta in nobis esset infirmitas.

XIV. Alium æque singularem virum vidimus, parvo tugurio, in quo non nisi unus recipi posset, D habitantem. De hoc illud ferebatur, quod lupa ei solita erat astare cœnanti, nec facile umquam bestia falleretur, quin illi ad legitimam horam refectionis occurreret, et tamdiu pro foribus exspectaret, donec ille panem qui cœnulæ superfuisset, offerret : illam manum ejus lambere solitam : atque ita quasi impleto officio et præstita consolatione discedere. Sed forte accidit, ut sanctus ille, dum fratrem qui ad eum venerat deducit abeuntem, diutius abesset, et non nisi sub nocte remearet. Interim bestia ad consuetudinarium illud cœnæ tempus occurrit. Vacuam cellulam, cum familiarem patronum abesse sentiret, ingressa, curiosius explorans, ubinam esset habitator. Casu contigua cum pal-

bus quinque palmicia sportella pendebat : ex his unum præsumit et devorat, deinde perpetrato scelere discedit. Regressus eremita videt sportulam dissolutam, non constante panum numero ; damnum rei familiaris intelligit, ac prope limen panis absumpti fragmenta cognoscit; sed non erat incerta suspicio, quæ furtum persona fecisset. Ergo cum sequentibus diebus secundum consuetudinem bestia non venisset (nimirum audacis facti conscia, ad eum venire dissimulans, cui fecisset injuriam), ægre patiebatur eremita, se alumnæ solatio destitutum. Postremo illius oratione revocata, septimum post diem adfuit, ut solebat ante, cœnanti. Sed (ut facile cerneres verecundiam pœnitentis) non ausa propius accedere[1], dejectis in terram profundo pudore luminibus (quod palam licebat intelligi) quamdam veniam precabatur. Quam illius confusionem eremita miseratus, jubet eam propius accedere, ac manu blanda caput triste permulcet: dein pane duplicato ream suam reficit. Ita indulgentiam consecuta, officii consuetudinem deposito mœrore reparavit. Intuemini, quæso, Christi etiam in hac parte virtutem, cui sapit omne quod brutum est, cui mite est omne quod sævit. Lupa præstat officium, lupa furti crimen agnoscit, lupa conscio pudore confunditur: vocata adest, caput præbet, et habet sensum indultæ sibi veniæ, sicut pudorem gessit errati. Tua hæc virtus, Christe; tua sunt hæc, Christe, miracula : etenim quæ in tuo nomine operantur servi tui, tua sunt : et in hoc ingemiscimus, quod majestatem tuam feræ sentiunt, homines non verentur.

XV. Ne cui autem hoc incredibile forte videatur, majora memorabo. Fides Christi adest, me nihil fingere, neque incertis auctoribus vulgata narrare : sed quæ mihi per fideles viros comperta sunt, explicabo. Habitant plerique in eremo sine ullis tabernaculis, quos Anachoretas vocant : vivunt herbarum radicibus : nullo umquam certo loco consistunt, ne ab hominibus frequententur; quas nox coegerit, sedes habent. Ad quemdam igitur hoc ritu atque hac lege viventem duo ex Nitria monachi, licet longe diversa regione, tamen quia olim ipsis in monasterii conversatione charus et familiaris fuisset, auditis ejus virtutibus tetenderunt : quem diu multumque quæsitum, tandem mense septimo repererunt in extremo illo deserto quod est *Blembis* contiguum, demorantem : quas ille solitudines jam per annos duodecim dicebatur habitare. Qui licet omnium hominum vitaret occursus, tamen agnitos non refugit, seque charissimis per triduum non negavit. Quarto die aliquantulum progressus, cum prosequeretur abeuntes, leænam miræ magnitudinis ad se venire conspiciunt. Bestia, licet tribus repertis, non incerta quem peteret, anachoretæ pedibus advolvitur, et cum fletu quodam et lamentatione procumbens indicabat gementis pariter et rogantis affectum. Movit omnes, et præcipue illum qui se intellexerat expetitum. Præcedentem sequuntur : nam præiens, et subinde restitans subindeque respectans, facile poterat intelligi, id eam velle, ut quo illa ducebat, anachoreta sequeretur. Quid multis? ad speluncam bestiæ pervenitur, ubi illa adultos jam quinque catulos male feta nutriebat: qui ut clausis luminibus ex alvo matris exierant, cæcitate perpetua tenebantur; quos singulos de rupe prolatos ante anachoretæ pedes mater exposuit. Tum demum Sanctus animadvertit quid bestia postularet, invocatoque Dei nomine, contrectavit manu lumina clausa catulorum : ac statim cæcitate depulsa, apertis oculis bestiarum diu negata lux patuit. Ita fratres illi, anachoreta quem desiderabant visitato, cum admodum fructuosa laboris sui mercede redierunt : qui in testimonium tantæ virtutis admissi, fidem Sancti et gloriam Christi, quæ per ipsos esset testificanda, vidissent. Mira dicturus sum : leænam post dies quinque ad auctorem tanti beneficii revertisse, eidemque inusitatæ feræ pellem pro munere detulisse : qua plerumque sanctus ille quasi amiculo circumtectus, non dedignatus est munus per bestiam sumere, cujus alium potius interpretabatur auctorem.

XVI. Erat etiam alterius anachoretæ in illis regionibus nomen illustre, qui in ea parte deserti, quæ est Syenes, habitabat. Hic cum primum se ad eremum contulisset, herbis herbarumque radicibus, quas prædulces interdum et saporis eximii fert arena, victurus, ignarus germinis eligendi, noxia plerumque carpebat. Nec erat facile vim radicum sapore discernere; quia omnia æque dulcia; sed pleraque occultiore natura virus lethale cohibebant. Cum ergo edentem vis interna torqueret, et immensis doloribus vitalia universa quaterentur, ac frequens vomitus cruciatibus non ferendis ipsam animæ sedem stomacho jam fatiscente dissolveret; omnia penitus quæ essent edenda formidans, septimum in jejuniis diem spiritu deficiente ducebat. Tum ad eum fera, cui Ibicis est nomen, accessit; huic propius astanti fasciculum herbarum quem collectum pridie attingere non audebat, objecit : sed fera quæ virulenta erant ore discutiens, quæ innoxia noverat eligebat. Ita vir sanctus ejus exemplo quid edere, quid respuere deberet edoctus, et periculum famis evasit, et herbarum venena vitavit. Sed longum est de omnibus qui eremum incolunt, comperta nobis vel audita memorare. Annum integrum et septem fere menses intra solitudines constitutus exegi, magis virtutis admirator alienæ, quam quod ipse tam arduum atque difficile potuerim tentare propositum; sæpius tamen cum sene illo qui puteum et bovem habebat, habitavi.

XVII. Duo beati Antonii monasteria adii, quæ hodieque ab ejus discipulis incoluntur. Ad eum etiam locum in quo beatissimus Paulus primus eremita est diversatus, accessi. Rubrum mare vidi : jugum Sina montis ascendi, cujus summum cacumen cœlo pene contiguum nequaquam adiri potest. Inter hujus recessus anachoreta esse aliquis ferebatur, quem diu multumque quæsitum videre non potui, qui fere jam ante quinquaginta annos a conversatione hu-

mana remotus, nullo vestis usu, setis corporis sui tectus, nuditatem suam divino munere nesciebat. Hic quoties eum religiosi viri adire voluerunt, cursu avia petens, congressus vitabat humanos. Uni tantummodo ferebatur se ante quinquennium præbuisse, qui credo potenti fide id obtinere promeruit: cui inter multa colloquia percunctanti, cur homines tantopere vitaret, respondisse perhibetur, eum qui ab hominibus frequentaretur, non posse ab angelis frequentari: unde non immerito recepta opinione multorum fama vulgaverat, Sanctum illum ab angelis visitari. Ego autem a Sina monte digressus ad Nilum flumen regressus sum, cujus ripas frequentibus monasteriis consertas utraque ex parte lustravi; plerumque vidi, ut dudum dixeram, uno in loco habitare centenos: sed et bina et terna millia in iisdem viculis degere constabat. Nec sane ibi minorem putetis diversantium in multitudine monachorum esse virtutem, quam eorum esse cognoscitis qui se ab humanis cœtibus removerunt. Præcipua, ut jam dixeram, ibi virtus et prima est obedientia; neque aliter adveniens a monasterii abbate suscipitur, quam qui tentatus prius fuerit et probatus, nullum unquam recusaturus, quamlibet arduum ac difficile indignumque toleratu, abbatis imperium.

XVIII. Duo vobis referam incredibilis obedientiæ admodum magna miracula, licet suppetant plura recolenti: sed ad excitandam virtutum æmulationem, cui pauca non sufficiunt, multa non proderunt. Ergo cum quidam sæculi actibus abdicatis, monasterium magnæ dispositionis ingressus suscipi se rogaret; abbas ei cœpit multa proponere, graves esse istius disciplinæ labores, sua vero dura imperia, quæ nullius facile valeret implere patientia: aliud potius monasterium, ubi facilioribus legibus viveretur, expeteret: non tentaret aggredi quod implere non posset. Ille vero nihil his terroribus permoveri, sed magis ita omnem obedientiam polliceri, ut, si eum abbas in ignem ire præciperet, non recusaret intrare: quam illius professionem ubi magister accepit, non cunctatus probare profitentem. Casu clibanus propter ardebat, qui multo igne succensus coquendis panibus parabatur. Exundabat abruptis flamma fornacibus, et intra camini illius concava totis habenis regnabat incendium. Hunc igitur advenam illum jubet magister intrare: nec distulit parere præcepto: medias flammas nihil cunctatus ingreditur; quæ mox tam audaci fide victæ, velut illis quondam Hebræis pueris, cessere venienti. Superata natura est, fugit incendium: et qui putabatur arsurus, velut frigido rore perfusum se ipse miratus est. Sed quid mirum, si tuum, Christe, tironem ignis ille non attigit, ut nec abbatem pigeret dura mandasse, nec discipulum pœniteret imperio paruisse? qui eo quo advenerat die, dum tentaretur infirmus, perfectus inventus est, merito felix, merito gloriosus: probatus obedientia, glorificatus est passione.

XIX. In eodem autem monasterio factum id quod dicturus sum, recenti memoria ferebatur. Quidam iti- A dem ad eumdem abbatem recipiendus advenerat: cum prima ei lex obedientiæ poneretur, ac perpetem polliceretur ad omnia vel extrema patientiam; casu abbas storacinam virgam jampridem aridam manu gerebat: hanc solo figit, atque illi advenæ id operis imponit, ut tamdiu virgulæ aquam irriguam ministraret, donec, quod contra omnem naturam erat, lignum aridum in solo arente viresceret. Subjectus advena duræ legis imperio, aquam propriis humeris quotidie convehebat, quæ a Nilo flumine per duo fere millia petebatur; jamque emenso anni spatio, labor non cessabat operantis, et de fructu operis spes esse non poterat: tamen obedientiæ virtus in labore durabat. Sequens quoque annus laborem jam affecti fratris eludit. Tertio demum succedentium temporum la- B bente curriculo, cum neque noctu neque interdiu aquarius ille cessaret operator, virga floruit. Ego ipse ex illa virgula arbusculam vidi, quæ hodieque in atrio monasterii ramis virentibus quasi in testimonium manens, quantum obedientia meruit, et quantum fides possit, ostendit. Sed me dies ante deficiet, quam diversa miracula quæ mihi de virtutibus Sanctorum sunt comperta, consummem.

XX. Duo vobis adhuc præclara memorabo: quorum unum egregium erit adversus inflationem miseræ vanitatis exemplum, alterum adversus falsam justitiam non mediocre documentum. Quidam ergo Sanctus, fugandorum de corporibus obsessis dæmonum incredibili præditus potestate, inaudita per singulos dies signa faciebat. Non solum enim præsens, neque C verbo tantum, sed absens quoque interdum, cilicii sui fimbriis aut epistolis missis, corpora obsessa curabat. Hic ergo mirum in modum frequentabatur a populis ex toto ad eum orbe venientibus. Taceo de minoribus: præfecti comitesque, ac diversarum judices potestatum pro foribus illius sæpe jacuerunt: Episcopi quoque sanctissimi, sacerdotali auctoritate deposita, contingi se ab eo atque benedici humiliter postulantes, sanctificatos se ac divino munere illustratos, quoties manum illius vestemque contigerant, non immerito crediderunt. Hic ferebatur omni potu in perpetuum penitus abstinere, ac pro cibo (tibi, Sulpici, in aurem loquar, ne Gallus hoc audiat) septem tantum caricis sustentari. Interea sancto viro, ut ex virtute honor, ita ex honore vanitas cœpit D obrepere. Quod malum ille ubi primum potuit in se sentire grassari, diu multumque discutere conatus est: sed repelli pœnitus vel tacita conscientia vanitatis, perseverante virtute, non potuit. Ubique nomen ejus dæmones fatebantur: excludere a se confluentium populos non valebat. Virus interim latens serpebat in pectore; et cujus nutu ex aliorum corporibus dæmones fugabantur, se ipsum occultis cogitationibus vanitatis purgare non poterat. Totis igitur precibus conversus ad Dominum fertur orasse, ut permissa in se mensibus quinque diabolo potestate, similis his fieret quos ipse curaverat. Quid multis morer? ille præpotens, ille signis atque virtutibus toto Oriente vulgatus, ille ad cujus limina populi ante

confluxerunt, ad cujus fores summæ istius sæculi se A prostraverant potestates, correptus a dæmone est, tentus in vinculis. Omnia illa quæ energumeni solent ferre, perpessus, quinto demum mense purgatus est non tantum dæmone, sed, quod illi erat utilius atque optatius, vanitate.

XXI. Sed mihi ista replicanti nostra infelicitas, nostra occurrit infirmitas. Quis enim nostrum est, quem si unus homunculus humilis salutaverit, aut fatuis atque adulantibus verbis femina una laudaverit, non continuo elatus sit superbia, non statim inflatus sit vanitate? ut etiamsi non habeat conscientiam sanctitatis, tamen, quia vel stultorum adulatione aut fortassis errore sanctus esse dicatur, sanctissimum se putabit. Jam vero si ei munera crebra mittantur, Dei se munificentia asseret honorari, cui B dormienti atque resoluto necessaria conferantur: quod si vel de modico ei aliqua virtutis signa successerent, angelum se putaret. Cæterum cum neque opere neque virtute conspicuus sit, si quis clericus fuerit effectus, dilatat continuo fimbrias suas, gaudet salutationibus, inflatur occursionibus, ipse etiam ubique discurrit: et qui ante pedibus aut asello ire consueverat, spumante equo superbus invehitur: parva prius ac vili cellula contentus habitare, erigit celsa laquearia, construit multa conclavia, sculpit ostia, pingit armaria, vestem respuit grossiorem, indumentum molle desiderat, atque hæc charis viduis ac familiaribus mandat tributa virginibus; illa ut byrrhum rigentem, hæc ut fluentem texat lacernam. Verum hæc describenda mordacius beato viro Hie- C ronymo relinquamus: ad propositum revertamur. Tu vero, inquit Gallus meus, nescio quid Hieronymo reliqueris disputandum: ita breviter universa nostrorum instituta complexus es, ut pauca hæc tua verba, si æquanimiter acceperint et patienter expenderint, multum eis arbitrer profutura, ut non indigeant libris posthæc Hieronymi coerceri. Sed tu illa potius evolve quæ cœperas, et illud quod adversus falsam justitiam dicturum te esse promiseras, prode documentum: nam, ut vere tibi fatear, nullo perniciosius malo intra Gallias laboramus. Ita faciam, Postumianus inquit, nec te diutius tenebo suspensum.

XXII. Adolescens quidam ex Asia prædives opibus, genere clarus, habens uxorem et filium parvu- D lum, cum in Ægypto tribunus esset, et frequentibus adversum Blemmos expeditionibus quædam eremi contigisset, Sanctorum etiam tabernacula complura vidisset, a beato viro Joanne verbum salutis accepit. Nec moratus inutilem militiam cum vano illo honore contemnere, eremum constanter ingressus, brevi tempore in omni genere virtutum perfectus emicuit. Potens jejuniis, humilitate conspicuus, fide firmus, facile se antiquis monachis studio virtutis æquaverat; cum interim subiit eum cogitatio, injecta per diabolum, quod rectius esset ut rediret ad patriam, filiumque unicum ac domum totam cum uxore salvaret: quod utique esset acceptius Deo, quam si solum se sæculo eripere contentus, salutem suorum non sine impietate negligeret. Istiusmodi ergo falsæ justitiæ colore superatus, post quadriennium fere cellulam suam atque propositum eremita deseruit. Sed ubi ad proximum monasterium, quod a multis fratribus habitabatur, accessit, causam discessionis atque consilium quærentibus confitetur. Renitentibus cunctis, et præcipue loci illius abbate renitente, male animo fixa sententia non potuit avelli: igitur infelici se obstinatione proripiens, cum dolore omnium digressus est a fratribus. Vix e conspectu abscesserat, impletur a dæmone, cruentasque spumas ore provolvens, suis dentibus se ipse lacerabat. Deinde ad idem monasterium fratrum humeris reportatus, cum coerceri in eo immundus spiritus non valeret, necessitate cogente, ferreis nexibus alligatur, pedes cum manibus vinciuntur: non immerita pœna fugitivo, ut quem non cohibuerat fides, catenæ cohiberent. Post biennium demum oratione Sanctorum ab immundo spiritu liberatur; ad eremum unde discesserat, mox regressus est, et ipse correptus, et aliis post futurus exemplo, ne quem aut falsæ justitiæ umbra decipiat, aut incerta mobilitas inutili levitate compellat semel cœpta deserere. Hæc vos de virtutibus Domini, quas in servis suis vel imitanda operatus est vel timenda, scire sufficiat. Sed quia satisfeci vestris auribus, immo etiam verbosior fui fortasse quam debui, tu modo (ad me autem loquebatur) debitum fenus exsolve, ut te de Martino tuo, ut es solitus, plura referentem, jam pridem in hoc desideriis meis æstuantibus, audiamus.

XXIII. Quid? inquam: tibi de Martino meo liber ille non sufficit, quem ipse tu nosti me de illius vita atque virtutibus edidisse? Agnosco id quidem, Postumianus inquit, neque umquam a dextera mea liber ille discedit: nam si agnoscis (aperit librum qui veste latebat), en ipsum. Hic mihi, inquit, terra ac mari comes, hic in peregrinatione tota socius et consolator fuit. Sed referam tibi plane, quo liber iste penetraverit, et quam nullus fere in orbe terrarum locus sit, ubi non materia tam felicis historiæ pervulgata teneatur. Primus eum Romanæ urbi vir studiosissimus tui Paulinus invexit: deinde cum tota certatim Urbe raperetur, exsultantes librarios vidi, quod nihil ab his quæstuosius haberetur: siquidem nihil illo promptius, nihil charius venderetur. Hic navigationis meæ cursum longe ante prægressus, cum ad Africam venissem, jam per totam Carthaginem legebatur (solus eum Cyrenensis ille presbyter non habebat, sed me largiente descripsit): nam quid ego de Alexandria loquar? ubi pene omnibus magis quam tibi notus est. Hic Ægyptum, Nitriam, Thebaidam ac tota Memphitica regna transivit. Hunc ego in eremo a quodam sene legi vidi: cui cum me familiarem tuum esse dixissem, et ab illo et a multis fratribus hæc mihi injuncta legatio est, ut, si umquam terras istas te incolumi contigissem, ea te supplere compellerem quæ in illo tuo libro de virtutibus beati viri professus es præterisse.

Age ergo, quia non illa arte audire desidero quæ scripta sufficiunt, illa quæ tum vel propter legentium, ut credo, fastidium præteristi, multis id una mecum a te poscentibus explicentur.

XXIV. Equidem, Postumiane, inquam, cum te jamdudum de Sanctorum virtutibus intentus audirem, tacitis ad Martinum meum cogitationibus recurrebam, merito perspiciens omnia illa quæ singuli diversa fecissent, per unum istum facile completa. Nam cum excelsa retuleris (quod mihi dixisse liceat pace Sanctorum), nihil a te penitus audivi, in quo Martinus esset inferior. Sed sicut nullius umquam cum illius viri meritis profiteor conferendam esse virtutem, ita et illud animadverti decet, iniqua illum cum eremitis vel etiam anachoretis conditione conferri. Illi enim ab omni impedimento liberi, cœlo tantum atque angelis testibus, plane admirabilia docentur operari: iste in medio cœtu et conversatione populorum, inter clericos dissidentes, inter episcopos sævientes, cum fere quotidianis scandalis hinc atque inde premeretur, inexpugnabili tamen adversus omnia virtute fundatus stetit, et tanta operatus est, quanta ne illi quidem quos a te audivimus esse in eremo vel fuisse, fecerunt. Ac si illi paria fecissent, quis judex tam esset injustus, ut non istum esse potiorem merito judicaret? Puta enim istum fuisse militem qui pugnaverit in iniquo loco, et tamen victor evaserit; illos autem æque compone militibus, sed qui ex æquo loco aut etiam de superiore certaverint: quid ergo? etsi omnium una victoria est, non potest omnium esse par gloria. Et tamen cum præclara retuleris, a nemine retulisti mortuum suscitatum: quo uno utique te necesse est confiteri Martino neminem conferendum.

XXV. Nam si admirandum est, quod illum Ægyptium flamma non attigit; hic quoque sæpius imperavit incendiis. Si revolvas quod anachoretis feritas bestiarum victa succubuit; hic familiariter et rabiem bestiarum et serpentium venena compescuit. Quod si illum conferas qui immundis spiritibus obsessos verbi imperio ac etiam fimbriarum virtute curabat; ne in hac quidem parte inferiorem fuisse Martinum multa documenta sunt. Si etiam ad illum recurras qui setis suis pro veste contectus putabatur ab angelis visitari; cum isto angeli quotidie loquebantur. Jam vero adversus vanitatem atque jactantiam ita invictum spiritum gessit, ut illa vitia fortius nemo contempserit; cum quidem immundis spiritibus afflatos absens plerumque curaverit, nec solum comitibus aut præfectis, sed ipsis etiam regibus imperaret. Minimum id quidem in illius virtutibus; sed credas velim, non solum vanitati, sed causis etiam atque occasionibus vanitatis neminem fortius repugnasse. Parva quidem, sed non prætereunda dicturus sum: quia et ille laudandus est, qui summa præditus potestate tam religiosam ad reverentiam beati viri ostenderit voluntatem. Memini Vincentium præfectum, virum egregium et quo nullus sit intra Gallias omni virtutum genere præstantior, dum Turonos præteriret, a Martino sæpius poposcisse, ut ei convivium in suo monasterio daret (in quo quidem exemplum beati Ambrosii episcopi præferebat, qui eo tempore consules et præfectos subinde pascere ferebatur); sed virum altioris ingenii, ne qua ex hoc vanitas atque inflatio obreperet, noluisse. Ergo fatearis necesse est, in Martino omnium illorum quos enumerasti, fuisse virtutes; Martini autem in illis omnibus non fuisse.

XXVI. Quid tu, inquit Postumianus, ita mecum? quasi non eadem tecum sentiam semperque senserim. Ego vero quoad vivam semper et sapiam, Ægypti monachos prædicabo, laudabo anachoretas, mirabor eremitas; Martinum semper excipiam: non illi ego quemquam audebo monachorum, certe non episcoporum quempiam comparare. Hoc Ægyptus fatetur, hoc Syria, hoc Æthiops comperit, hoc Indus audivit, hoc Parthus et Persa noverunt, nec ignorat Armenia; Bosphorus exclusa cognovit, et postremo si quis aut fortunatas insulas, aut glacialem frequentat oceanum: quo miserior est regio ista nostra, quæ tantum virum, cum in proximo habuerit, nosse non meruit. Nec tamen huic crimini miscebo populares: soli illum clerici, soli nesciunt sacerdotes. Nec immerito nosse illum invidi noluerunt: quia si virtutes illius nossent, sua vitia cognovissent. Horreo dicere quod nuper audivi, infelicem dixisse nescio quem, te in illo libro tuo plura mentitum. Non est hominis vox ista, sed diaboli; nec Martino in hac parte detrahitur, sed fides Evangeliis derogatur: nam cum Dominus ipse testatus sit, istiusmodi opera quæ Martinus implevit, ab omnibus fidelibus esse facienda; qui Martinum non credit ista fecisse, non credit Christum ista dixisse. Sed infelices, degeneres, somnolenti, quæ ipsi facere non possunt, facta ab illo erubescunt: et malunt illius negare virtutes, quam suam inertiam confiteri. Verum nobis ad alia properantibus omnis istorum memoria relinquatur: tu potius, ut jamdudum desidero, residua Martini opera contexe. At ego, inquam, arbitror rectius istud a Gallo esse poscendum, quippe qui plura noverit (neque enim ignorare potuit magistri facta discipulus), et qui non immerito istam vicem non solum Martino, sed etiam nobis debeat; ut, quia ego jam librum edidi, ac tu hactenus Orientalium gesta memorasti, istam demum necessarii sermonis historiam Gallus evolvat: quia, ut dixi, et nobis debet loquendi vicem, et Martino suo, credo, præstabit ut non gravate illius facta commemoret. Ego plane, inquit Gallus, licet impar sim tanto oneri, tamen relatis superius a Postumiano obedientiæ cogor exemplis, ut munus istud quod imponitis, non recusem: sed dum cogito, me hominem Gallum inter Aquitanos verba facturum, vereor ne offendat vestras nimium urbanas aures sermo rusticior. Audietis me tamen ut Gurdonicum hominem, nihil cum fuco aut cothurno loquentem: nam si mihi tribuitis Martini me esse discipulum, illud etiam concedite, ut mihi liceat

exemplo illius inanes sermonum phaleras et verborum ornamenta contemnere. Tu vero, inquit Postumianus, vel Celtice; aut, si mavis, Gallice loquere, dummodo jam Martinum loquaris. Ego autem profiteor, quia, etiamsi mutus esses, non defutura tibi verba, quibus Martinum quamvis facundo ore loquaris; sicut Zachariæ in Joannis nomine lingua resoluta est. Cæterum cum sis scholasticus, artificiose facis, ut excuses imperitiam, quia exuberas eloquentia; sed neque monachum tam astutum, neque Gallum decet esse tam callidum. Verum aggredere potius, A et quod te manet explica: nimium enim dudum alias res agentes consumimus tempus; et jam solis occidui umbra prolixior monet, non multum diei vicina nocte superesse. Deinde cum paululum omnes conticuissemus, Gallus ita cœpit: Cavendum mihi imprimis esse arbitror, ne ea de Martini virtutibus repetam, quæ in libro suo Sulpicius iste memoravit. Unde prima illius inter militandum gesta prætereo, neque ea attingam quæ laicus egit ac monachus: nec vero audita ab aliis potius quam quæ vidi ipse, dicturus sum.

DIALOGUS II.

Sed potius *Dialogi* I *pars altera*.

I. Quo primo igitur tempore relictis scholis beato me viro junxi, paucos post dies euntem ad ecclesiam sequebamur. Interim ei seminudus hibernis mensibus pauper occurrit, orans sibi vestimentum dari. Tunc ille, arcessito archidiacono, jussit algentem sine dilatione vestiri, deinde secretarium ingressus, cum solus, ut erat illi consuetudo, resideret (hanc enim sibi etiam in ecclesia solitudinem permissa clericis libertate præstabat; cum quidem in alio secretario presbyteri sederent vel salutationibus vacantes, vel audiendis negotiis occupati: Martinum vero usque in eam horam qua solemnia populo agi consuetudo deposceret, sua solitudo cohibebat. Illud non præteribo, quod in secretario sedens numquam cathedra usus est: nam in ecclesia nemo umquam illum sedere conspexit; sicut C quemdam nuper, testor dominum, non sine meo pudore vidi sublimi solio et quasi regio tribunali celsa sede residentem. Sedebat autem Martinus in cellula rusticana, ut sunt istæ in usibus servulorum, quas nos rustici Galli tripetias, vos scholastici, aut certe tu qui de Græcia venis, tripodas nuncupatis); hoc ergo secretum beati viri pauper ille captatum, cum ei archidiaconus dare tunicam distulisset, irrupit, dissimulatum se a clerico querens, ac algere deplorans. Nec mora: Sanctus paupere non vidente, intra amphibalum sibi tunicam latenter educit, pauperemque contectum discedere jubet. Dein paulo post archidiaconus ingressus admonet, pro consuetudine exspectare in ecclesia populum: illum ad agenda solemnia debere procedere. Cui D ille respondens ait, pauperem prius (de se autem dicebat) oportere vestiri: se ad ecclesiam non posse procedere, nisi vestem pauper acciperet. Diaconus vero nihil intelligens, quia extrinsecus indutum amphibalo, veste nudum interius non videbat, postremo pauperem non comparere causatur. Mihi, inquit, vestis quæ præparata est, deferatur: pauper non deerit vestiendus. Arcta tum demum clericus necessitate compulsus, jamque felle commoto, a proximis tabernis bigerricam vestem, brevem atque hispidam B quinque comparatam argenteis rapit, atque ante Martini pedes iratus exponit. En, inquit, vestem: sed pauper hic non est. Ille nihil motus, jubet eum paululum stare pro foribus, secretum utique procurans dum sibi vestem nudus imponeret; totis viribus elaborans, ut posset occultum esse quod fecerat. Sed quando in sanctis viris latent ista? quærentibus velint nolint cuncta produntur.

II. Cum hac igitur oblaturus sacrificium Deo veste procedit. Quo quidem die (mira dicturus sum) cum jam altarium, sicut est solemne, benediceret; globum ignis de capite illius vidimus emicare, ita ut in sublime conscendens, longum admodum crinem flamma produceret. Hoc licet celeberrimo factum die in magna populi multitudine viderimus, una tantum de virginibus, et unus de presbyteris, tres tantum videre de monachis: cæteri cur non viderint, non potest nostri esse judicii. Per idem fere tempus, cum Evanthius avunculus meus, vir licet sæculi negotiis occupatus, tamen admodum Christianus, gravissima ægritudine extremo mortis periculo cœpisset urgeri, Martinum evocavit. Nec cunctatus ille properavit: prius tamen quam medium viæ spatium vir beatus evolveret, virtutem advenientis sensit ægrotus: receptaque continuo sanitate, venientibus nobis obviam ipse processit. Altera die redire cupientem magna prece detinuit; cum interim unum e familia puerum lethali ictu serpens perculit: quem jam exanimem vi veneni ipse Evanthius suis humeris illatum ante pedes sancti viri, nihil illi impossibile confisus, exposuit. Jamque se malum serpens per omnia membra diffuderat. Cernere omnibus venis inflatam cutem, et ad utris instar tensa vitalia. Martinus porrecta manu, universa pueri membra pertractans, digitum prope ipsum vulnusculum quo bestia virus infuderat, fixit. Tum vero (mira dicturus sum) vidimus venenum ex omni parte revocatum ad Martini digitum cucurrisse: deinde per illud ulceris foramen exiguum ita virus stipasse cum sanguine, ut solet ex uberibus caprarum aut ovium pastorum manu pressis longa linea copiosi lactis effluere. Puer

surrexit incolumis. Nos obstupefacti tantæ rei miraculo, id quod ipsa cogebat veritas, fatebamur, non esse sub cœlo qui Martinum possit imitari.

III. Consequenti itidem tempore iter cum eodem, dum diœceses visitat, agebamus. Nobis nescio qua necessitate remorantibus, aliquantulum ille processerat. Interim per aggerem publicum plena militantibus viris fiscalis rheda veniebat : sed ubi Martinum in veste hispida, nigro et pendulo pallio circumtectum, contigua de latere jumenta viderunt, paululum in partem alteram pavefacta cesserunt : deinde funibus implicatis, protentos illos quibus, ut sæpe vidistis, misera illa animalia conglobantur, ordines miscuerunt; dumque ægre expediuntur, moram fecere properantibus. Qua permoti injuria militantes, præcipitatis in terram saltibus, se dederunt : dein Martinum flagris ac fustibus urgere cœperunt; cum quidem ille mutus et incredibili patientia præbens terga cædentibus, majorem insaniam infelicibus commoveret, magis ex hoc furentes, quod ille quasi non sentiens verbera illata contemneret. Nos illico consecuti, fœde cruentum atque universa corporis parte laniatum, cum exanimis in terram procubuisset, invenimus : statimque eum asello suo imposuimus, ac locum cædis illius exsecrantes raptim abire properavimus. Interea illi regressi ad rhedam suam furore satiato, agi quo ire cœperant, jumenta præcipiunt. Quæ cum omnia solo fixa, ac si ænea signa, riguissent; tollentibus altius vocem magistris, flagris hinc atque inde resonantibus nihil penitus movebantur. Consurgunt deinde omnes pariter in verbera. Consumit Gallicas mularum pœna mastigias. Tota rapitur silva de proximo : trabibus jumenta tunduntur; sed nihil penitus sævæ manus agebant : uno atque eodem in loco stabant fixa simulacra. Quid agerent infelices homines, nesciebant; nec jam ultra dissimulare poterant, quin quamlibet brutis pectoribus agnoscerent, divino numine se teneri. Tandem ergo in se regressi, cœperunt quærere quis ille esset quem in eodem loco ante paululum cæcidissent; cum percunctantes cognoscunt ex viantibus Martinum a se tam crudeliter verberatum. Tunc vero apparere omnibus causa manifesta; nec ignorare jam poterant, quin ob illius viri injuriam tenerentur. Igitur omnes rapidis nos passibus consequuntur : conscii audacis facti ac merito pudore confusi, flentes et pulvere quo se ipsi fœdaverant, caput atque ora conspersi, ante Martini se genua provolvunt, veniam precantes, et, ut eos abire sineret, postulantes : satis se vel sola conscientia dedisse pœnarum, satisque intellexisse quam eosdem ipsos vivos absorbere terra potuisset, vel ipsi potius amissis sensibus in immobilem saxorum naturam rigescere debuissent, sicut affixa locis quibus steterant, jumenta vidissent : orare se atque obsecrare, ut indulgeret sceleris veniam, et copiam præstaret abeundi. Senserat etiam, priusquam accurrerent, vir beatus illos teneri, nobisque id ante jam dixerat : veniam tamen clementer indulsit, eosdemque abire permisit animalibus restitutis.

IV. Illud autem animadverti sæpe, Sulpici, Martinum tibi dicere solitum, nequaquam sibi in episcopatu eam virtutum gratiam suppetisse, quam prius se habuisse meminisset : quod si verum est, immo quia verum est, conjicere possumus quanta fuerint illa quæ monachus operatus est, et quæ teste nullo solus exercuit, cum tanta illum in episcopatu signa fecisse sub oculis omnium viderimus. Multa quidem illius prius gesta innotuere mundo, neque potuere celari : sed innumerabilia esse dicuntur quæ, dum jactantiam vitat, occultavit, neque in hominum notitiam passus est pervenire; quippe qui humanam substantiam supergressus, virtutis suæ conscientia mundi gloriam calcans, cœlo teste frueretur. Quod verum esse vel ex his quæ comperta nobis sunt nec latere potuerunt, possumus æstimare; siquidem ante episcopatum duos mortuos vitæ restituerit, quod liber tuus plenius est locutus; in episcopatu vero, quod prætermisisse te miror, unum tantummodo suscitaverit. Cujus rei ego testis sum, si tamen nihil de minus idoneo teste dubitatis. Idipsum autem vobis qualiter gestum sit, explicabo. Fuerat causa nescio quæ, qua Carnotum oppidum petebamus. Interea, dum vicum quemdam habitantium multitudine frequentissimum præterimus, obviam nobis immanis turba processit, quæ erat tota gentilium : nam nemo in illo vico noverat Christianum, verum ad famam tanti viri campos omnes late patentes confluentium multitudo contexerat. Sensit hic Martinus operandum, et annuntiante sibi spiritu totus infremuit; nec mortale sonans, verbum Dei gentilibus prædicabat, sæpius ingemiscens cur tanta Dominum Salvatorem turba nesciret. Interea (sicut nos incredibilis circumdederat multitudo) mulier quædam, cujus filius paulo ante defecerat, corpus exanime beato viro protensis manibus cœpit offerre, dicens : Scimus quia amicus Dei es : restitue mihi filium meum, quia unicus est mihi. Junxit se cætera multitudo, et matris precibus acclamabat. Tum Martinus videns pro exspectantium salute, ut postea nobis ipse dicebat, consequi se posse virtutem, defuncti corpus propriis manibus accepit; et cum inspectantibus cunctis genua flexisset, ubi consummata oratione surrexit, vivificatum parvulum matri restituit. Tum vero multitudo omnis in cœlum clamore sublato Christum Deum fateri : postremo cuncti catervatim ad genua beati viri ruere cœperunt, fideliter postulantes ut eos faceret Christianos; nec cunctatus, in medio ut erant campo, cunctos imposita universis manu catechumenos fecit, cum quidem ad nos conversus diceret, non irrationabiliter in campo catechumenos fieri, ubi solerent martyres consecrari.

V. Vicisti, inquit Postumianus, Galle, vicisti; non utique me, qui Martini sum potius assertor, qui hæc omnia de illo viro et scivi semper et credidi; sed eremitas omnes anachoretasque vicisti : nemo enim illorum, sicut Martinus hic vester, immo noster, mortibus imperavit : meritoque hunc iste Sulpicius

apostolis comparat et prophetis, quem per omnia illis esse consimilem, fidei virtus ac virtutum opera testantur. Sed perge, quæso, quamquam nihil magnificentius audire possimus, perge tamen, Galle, quod etiam nunc de Martino superest sermonis evolvere: nam etiam minima illius et quotidiana animus festinat agnoscere; quia minima illius aliorum maximis majora esse nulli dubium est. Ita faciam, Gallus inquit. Verum id quod dicturus sum, ipse non vidi: prius enim gesta res est quam me illi viro jungerem: sed factum celebre est, fidelium fratrum qui interfuerant sermone vulgatum. Eo fere tempore quo primum episcopus datus est, fuit ei necessitas adire Comitatum. Valentinianus tum major rerum potiebatur. Is cum Martinum ea petere cognovisset quæ præstare nolebat, jussit eum palatii foribus arceri: etenim ad animum illius immitem ac superbum uxor accesserat Ariana, quæ totum illum a sancto viro, ne ei debitam reverentiam præstaret, averterat. Itaque Martinus, ubi semel atque iterum superbum principem frustra adire tentavit, recurrit ad nota præsidia: cilicio obvolvitur, cinere conspergitur, cibo potuque abstinet, orationem diebus noctibusque perpetuat. Septimo vero die astitit ei angelus: jubet eum ad palatium ire securum: regias fores quamlibet clausas sponte rescrandas: imperatoris spiritum superbum molliendum. Igitur istiusmodi præsentis angeli confirmatus alloquio et fretus auxilio, palatium petit. Patent limina, nullus obsistit, postremo usque ad regem nemine prohibente pervenit. Qui cum venientem eminus videret, infrendens cur fuisset admissus, nequaquam assurgere est dignatus astanti, donec regiam sellam ignis operiret, ipsumque regem ea parte corporis qua sedebat, afflaret incendium. Ita solio suo superbus excutitur, et Martino invitus assurgit: multumque complexus quem spernere ante decreverat, virtutem sensisse divinam emendatior fatebatur: nec exspectatis Martini precibus, prius omnia præstitit quam rogaretur. Colloquio illum atque convivio frequenter adscivit: postremo abeunti multa munera obtulit, quæ vir beatus, ut semper, paupertatis suæ custos cuncta rejecit.

VI. Et quia palatium semel ingressi sumus, licet diversis in palatio temporibus gesta connectam: nequaquam enim prætermittendum videtur, circa Martini admirationem, reginæ fidelis exemplum. Maximus imperator rempublicam gubernabat, vir omni vita merito prædicandus, si ei vel diadema non legitime tumultuante milite impositum repudiare, vel armis civilibus abstinere licuisset: sed magnum imperium nec sine periculo renui, nec sine armis potuit teneri. Hic Martinum sæpius evocatum receptumque intra palatium venerabiliter honorabat: totus illi cum eo sermo de præsentibus, de futuris, de fidelium gloria, de æternitate sanctorum; cum interim diebus ac noctibus de ore Martini regina pendebat, Evangelico illo non inferior exemplo pedes Sancti fletu rigabat, crine tergebat. Martinus, quem nulla unquam femina contigisset, istius assiduitatem, immo potius servitutem non poterat evadere. Non illa opes regni, non imperii dignitatem, non diadema, non purpuram cogitabat: divelli a Martini pedibus solo strata non poterat. Postremo a viro suo poposcit, deinde Martinum uterque compellunt, ut ei remotis omnibus ministris præberet sola convivium: nec potuit vir beatus obstinatius reluctari. Componitur castus reginæ manibus apparatus: sellulam ipsa consternit, mensam admovet, aquam manibus subministrat: cibum quem ipsa coxerat, apponit; ipsa, illo sedente, eminus secundum famulantium disciplinam solo fixa consistit immobilis, per omnia ministrantis modestiam et humilitatem exhibens servientis: miscuit ipsa bibituro, et ipsa porrexit. Finita cœnula fragmenta panis absumpti micasque collegit, satis fideliter illas reliquias imperialibus epulis anteponens. Beata mulier! tantæ pietatis affectu illi merito comparanda, quæ venit a finibus terræ audire Salomonem; siquidem simplicem sequamur historiam: sed si fides reginarum est conferenda (quod mihi liceat separata mysterii majestate dixisse), illa expetiit audire sapientem; ista non tantum audisse contenta, sed et meruit servire sapienti.

VII. Postumianus, jamdudum, inquit, Galle, audiens te loquentem vehementer admiror reginæ fidem: sed illud ubi est, quod nulla unquam femina ferebatur propius astitisse Martino? ecce ista regina non solum astitit, sed etiam ministravit: et vereor, ne isto aliquantulum se tueantur exemplo qui libenter feminis inseruntur. Tum Gallus, Quid tu, inquit, non vides quod solent docere grammatici, locum, tempus, personam? Propone enim tibi ante oculos captum in palatio imperatoris precibus ambiri, reginæ fide cogi, temporis necessitate constringi, ut clausos carcere liberaret, exsiliis datos restitueret, bona adempta redhiberet: hæc quanti putas constare episcopo debuisse, ut pro his omnibus non aliquantulum de rigore propositi relaxaret? Veruntamen quia occasione hujus exempli male usuros esse aliquos arbitraris, illi vero felices erunt, si a disciplina exempli istius non recedant. Videant enim, quia Martino semel tantum in vita, jam septuagenario, non vidua libera, non virgo lasciviens, sed sub viro vivens, ipso viro pariter supplicante, regina servivit et ministravit. Hæc edenti astitit, non cum epulante discubuit: nec ausa est participare convivium, sed deferebat obsequium. Disce igitur disciplinam: serviat tibi matrona, non imperet; et serviat, non recumbat: sicut Martha illa ministravit Domino, nec tamen est adscita convivio; immo prælata est ministranti quæ verbum potius audiebat. Sed in Martino ista regina utrumque complevit: et ministravit ut Martha, et audivit ut Maria. Quod si quis hoc uti voluerit exemplo, per omnia teneat exemplum: talis causa sit talisque persona, tale obsequium, tale convivium, et in omni vita semel tantum.

VIII. Præclare, inquit Postumianus, nostros istos, ut Martini non egrediantur exemplum, tua constrin-

git oratio : sed profiteor tibi, quia hæc surdis auribus audientur : nam si Martini sequeremur vias, (numquam causas de osculo diceremus, et) universis scævæ opinionis opprobriis careremus. Verum sicut tu soles dicere, cum edacitatis argueris, Galli sumus; ita nos in hac parte numquam vel Martini exemplo vel tuis disputationibus corrigendi fatemur. Verumtamen hæc nobis jamdudum agentibus, quid tu tam, obstinate Sulpici, taces? Ego, inquam, non solum modo taceo, sed olim de istis tacere disposui : nam quia quamdam viduam vagam, nitidulam, sumptuosam objurgaverim, lascivius victitantem; itidemque virginem adolescenti cuidam mihi charo indecentius adhærentem, cum quidem ipsam frequenter audissem, alios etiam qui talia agerent, increpantem ; tanta mihi omnium feminarum cunctorumque monachorum odia concitavi, ut adversum me utræque legiones jurata bella susceperint. Unde quæso taceatis, ne etiam hoc quod vos loquimini, ad meam referatur invidiam. Tota vobis istorum mentio relinquatur : ad Martinum potius revertamur. Tu, Galle, ut aggressus es, cœptum opus explica. Tum ille : Jam quidem vobis, inquit, tanta narravi, ut satisfacere studiis vestris meus sermo debuerit : sed quia voluntati vestræ non obsecundare mihi non licet, quantum adhuc diei superest, loquar : nam certe dum stramen illud quod in lectos nostros paratur, aspicio, subvenit in memoriam etiam de stramine in quo Martinus jacuerat, factam esse virtutem. Res ita gesta est : Claudiomagus vicus est in confinio Biturigum atque Turonorum. Ecclesia ibi est celebris religione sanctorum, nec minus gloriosa sacrarum virginum multitudine. Præteriens ergo Martinus, in secretario ecclesiæ habuit mansionem. Post discessum illius cunctæ in secretarium illud virgines irruerunt : allambunt singula loca, ubi aut sederat vir beatus aut steterat : stramentum etiam in quo quieverat, partiuntur. Una earum post dies paucos partem straminis, quam sibi pro benedictione collegerat, energumeno, quem spiritus erroris agitabat, de cervice suspendit; nec mora, dicto citius, ejecto dæmone, persona purgata est.

IX. Per idem fere tempus Martino a Treveris revertenti fit obviam vacca, quam dæmon agitabat : quæ relicto grege suo, in homines ferebatur; et jam multos noxie petulca confoderat. Verum ubi nobis cœpit esse contigua, hi qui eam eminus sequebantur, prædicere magna voce cœperunt, ut caveremus. Sed postquam ad nos torvis furibunda luminibus propius accessit, Martinus elevata obviam manu pecudem consistere jubet : quæ mox ad verbum illius stare cœpit immobilis. Cum interea videt Martinus dorso illius dæmonem supersedentem, quem increpans, Discede, inquit, funeste, de pecude, et innoxium animal agitare desiste. Paruit nequam spiritus, et recessit. Nec defuit sensus in bucula, quin se intelligeret liberatam : ante pedes sancti recepta quiete prosternitur, deinde jubente Martino gregem suum petiit, seque agmini cæterarum ove placidior immiscuit. Hoc illud fuit tempus quo inter medias flammas positus non sensit incendium : quod mihi non arbitror esse referendum ; quia hoc plenius iste Sulpicius, licet in libro suo præteritum, in epistola tamen postea, quam ad Eusebium tunc presbyterum, modo episcopum, fecit, exposuit : quam tu, Postumiane, aut, credo, legisti, aut si incognita tibi est, cum libuerit, in promptu ex illo armario habes : nos ab illo omissa referimus. Quodam autem tempore, dum diœceses circuiret, venantium agmen incurrimus. Canes leporem sequebantur : jamque multo spatio victa bestiola, cum undique campis late patentibus nullum esset effugium, mortem imminentem jam jamque capienda crebris flexibus differebat. Cujus periculum vir beatus pia mente miseratus imperat canibus, ut desisterent sequi, et sinerent abire fugientem : qui continuo ad primum sermonis ejus imperium constiterunt. Crederes vinctos, immo potius affixos, in suis hærere vestigiis.

X. Ita lepusculus, persecutoribus alligatis, incolumis evasit. Operæ pretium autem est, etiam familiaria illius verba spiritali sale condita memorare. Ovem recens tonsam forte conspexerat. Evangelicum, inquit, mandatum ista complevit : duas habuit tunicas ; unam earum largita est non habenti : ita ergo et vos facere debetis. Item cum subulcum algentem ac pene nudum in pellicea veste vidisset, En, inquit, Adam ejectus de paradiso in veste pellicea sues pascit : sed nos illo vetere deposito, qui adhuc in isto manet, novum Adam potius induamus. Boves ex parte prata depaverant, porci etiam nonnulla suffoderant; pars cætera quæ manebat illæsa, diversis floribus quasi picta vernabat. Speciem, inquit, gerit pars illa conjugii, quæ pecore depasta etsi non penitus gratiam amisit herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatem : illa vero quam porci pecora immunda foderunt, fornicationis imaginem fœdam prætendit : cæterum illa portio quæ nullam sensit injuriam, gloriam virginitatis ostendit, herbis fecunda luxuriat, feni in ea fructus exuberat, et ultra omnem speciem distincta floribus quasi gemmis micantibus ornata radiat. Beata species et Deo digna! nihil enim virginitati est comparandum : ita et illi qui conjugia fornicationi comparant, vehementer errant; et illi qui conjugia virginitati æquanda æstimant, miseri penitus et stulti sunt. Verum hæc a sapientibus tenenda distinctio est, ut conjugium pertineat ad veniam, virginitas spectet ad gloriam, fornicatio deputetur ad pœnam, nisi satisfactione purgetur.

XI. Miles quidam cingulum in ecclesia, monachum professus, abjecerat : cellulam sibi eminus in remoto quasi eremita victurus erexerat. Interea astutus inimicus variis cogitationibus brutum pectus agitabat, ut conjugem suam, quam Martinus in monasterio puellarum esse præceperat, voluntate mutata secum potius vellet habitare. Adiit ergo Martinum fortis eremita : quod haberet animi confitetur. Ille vero vehementer abnuere : feminam viro rursus, jam

monacho non marito, incongrua ratione misceri. Postremo cum miles instaret, affirmans nihil hoc proposito esse nociturum : se solo conjugis uti velle solatio : porro ne rursus se in sua vitia revolverent, non esse metuendum : se esse militem Christi, illam quoque in eadem ejusdem militiæ sacramenta jurasse : pateretur episcopus, sanctos et sexum suum fidei merito nescientes pariter militare. Tum Martinus (verba vobis ipsa dicturus sum) : Dic mihi, inquit, si umquam in bello fuisti, si in acie constitisti? At ille respondens, Frequenter, inquit, in acie steti, et bello frequenter interfui. Ad hæc Martinus: Dic mihi ergo, numquid in illa acie quæ armata in prælio parabatur, aut jam adversus hostilem exercitum collato cominus pede, districto ense pugnabat, ullam feminam stare aut pugnare vidisti? Tunc demum miles confusus erubuit, gratias agens, errori suo se non fuisse permissum, nec aspera increpatione verborum, sed vera et rationabili secundum personam militis comparatione correctum. Martinus autem conversus ad nos (sicut eum frequens fratrum turba vallaverat) : Mulier, inquit, virorum castra non adeat; acies militum separata consistat; procul femina in suo degens tabernaculo sit remota : contemptibilem enim reddit exercitum, si virorum cohortibus turba feminea misceatur. Miles in acie, miles pugnet in campo : mulier se intra murorum munimenta contineat. Habet et illa gloriam suam, si pudicitiam viro absente servaverit : cujus hæc prima virtus et consummata victoria est, non videri.

XII. Illud vero, Sulpici, meminisse te credo, quo affectu nobis, cum et tu coram adesses, illam virginem prædicaret, quæ ita se penitus ab omnium virorum oculis removisset, ut ne ipsum quidem ad se Martinum, cum eam ille officii causa visitare vellet, admiserit : nam cum præter agellum illius præteriret, in quo se jam ante complures annos pudica cohibebat; audita fide illius atque virtute divertit, ut tam illustris meriti puellam religioso officio episcopus honoraret. Nos consequentes gavisuram illam virginem putabamus; siquidem hoc in testimonium virtutis suæ esset habitura, ad quam tanti nominis sacerdos deposito propositi rigore venisset; verum illa fortissimi vincula propositi ne Martini quidem contemplatione laxavit : ita vir beatus accepta per aliam feminam excusatione laudabili, ab illius foribus quæ videndam se salutandamque non dederat, lætus abscessit. O virginem gloriosam, quæ ne a Martino quidem passa est se videri! o Martinum beatum, qui illam repulsam non ad contumeliam suam duxit; sed magnificans illius cum exsultatione virtutem, inusitato in his dumtaxat regionibus gaudebat exemplo! Ergo cum haud longe ab illa villula nos manere nox imminens coegisset, xenium beato viro eadem illa virgo transmisit : fecitque Martinus quod antea non fecerat (nullius enim ille umquam xenium, nullius munus accepit); nihil ex his quæ virgo venerabilis miserat, refutavit, dicens benedictionem illius a sacerdote minime respuendam, quæ esset multis sacerdotibus præferenda. Audiant, quæso, virgines istud exemplum, ut fores suas, si eas malis obsistere volunt, etiam bonis claudant; et, ne ad se improbis sit liber accessus, non vereantur excludere etiam sacerdotes. Totus hoc mundus audiat : videri se a Martino virgo non passa est. Non utique illa quemcumque a se repulit sacerdotem; sed in ejus viri conspectum puella non venit, quem videre salus videntium fuit. Quis autem hoc alius præter Martinum sacerdos non ad suam injuriam retulisset? quos adversum sanctam virginem motus quantasque iras mente concepisset! hæreticam judicasset, et anathematizandam esse decrevisset. Quam vero illi beatæ animæ illas virgines prætulisset, quæ crebris occursibus ubique se præbent obvias sacerdoti, quæ convivia sumptuosa disponunt, quæ una pariter accumbunt! Sed quo me ducit oratio? paululum iste liberior sermo reprimendus est, ne in aliquorum forsitan incurrat offensam : etenim infidelibus objurgationis verba non proderunt, fidelibus autem satisfaciet exemplum. Verum ego ita virtutem hujus virginis prædicabo, ut tamen nihil illis quæ ad Martinum videndum ex longinquis regionibus sæpe venerunt, arbitrer derogandum; siquidem hoc beatum virum frequenter affectu etiam angeli frequentarint.

XIII. Cæterum id quod dicturus sum, Postumiane, hoc tibi (me autem intuebatur) teste recte perhibeo. Quodam die ego et iste Sulpicius pro foribus illius excubantes, jam per aliquot horas cum silentio sedebamus, ingenti horrore et tremore ac si ante angeli tabernaculum mandatas excubias duceremus, cum quidem clauso cellulæ suæ ostio nos ibi esse nesciret. Interim colloquentium murmur audimus, et mox horrore quodam circumfundimur ac stupore; nec ignorare potuimus nescio quid fuisse divinum. Post duas fere horas ad nos Martinus egreditur : ac tum eum iste Sulpicius (sicut apud eum nemo familiarius loquebatur) cœpit orare, ut pie quærentibus indicaret, quid illud divini fuisset horroris quod fatebamur nos ambo sensisse, vel cum quibus fuisset in cellula collocutus : tenuem enim nos licet et vix intellectum, sermocinantium sonum pro foribus audisse. Tum ille diu multumque cunctatus (sed nihil erat quod ei Sulpicius non extorqueret invito. Incredibiliora forte dicturus sum, sed Christo teste non mentior : nisi quisquam est tam sacrilegus, ut Martinum æstimet fuisse mentitum) : Dicam, inquit, vobis; sed vos quæso nulli dicatis. Agnes, Thecla et Maria mecum fuerunt. Referebat autem nobis vultum atque habitum singularum. Nec vero illo tantum die, sed frequenter se ab eis confessus est visitari : Petrum etiam et Paulum apostolos videri a se sæpius non negavit. Jam vero dæmones, prout ad eum quisque venisset, suis nominibus increpabat. Mercurium maxime patiebatur infestum : Jovem brutum atque hebetem esse dicebat. Hæc plerisque in eodem etiam monasterio constitutis incredibilia videbantur;

nedum ego confidam omnes qui hæc audient, credituros: nam nisi inæstimabilem vitam atque virtutem Martinus egisset, nequaquam apud nos tanta gloria præditus haberetur: quamquam minime mirum, si in operibus Martini infirmitas humana dubitaverit, cum multos hodieque videamus nec Evangeliis quidem credidisse. A Martino autem sæpe angelos visos familiariter et sensimus et experti sumus. Rem minimam dicturus sum, sed tamen dicam. Apud Nemausum episcoporum synodus habebatur, ad quam quidem ire noluerat, sed quid gestum esset scire cupiebat. Casu cum eo iste Sulpicius navigabat; sed procul, ut semper, a cæteris in remota navis parte solus residebat. Ibi ei angelus, quid gestum esset in synodo, nuntiavit. Nos postea tempus habiti concilii sollicite requirentes, satis compertum habuimus, ipsum diem fuisse conventus, et ea ibi ab episcopis fuisse decreta quæ Martino angelus nuntiarat.

XIV. Cæterum cum ab eo de fine sæculi quæreremus, ait nobis, Neronem et Antichristum prius esse venturos: Neronem in Occidentali plaga regibus subactis decem imperaturum, persecutionemque ab eo eatenus exercendam, ut idola gentium coli cogat: ab Antichristo vero primum Orientis esse capiendum imperium, qui quidem sedem et caput regni Hierosolymam esset habiturus: ab illo urbem et templum esse reparandum: illius eam persecutionem futuram esse, ut Christum Deum cogat negari, se potius Christum esse confirmans: omnesque secundum legem circumcidi jubeat: ipsum denique Neronem ab Antichristo esse perimendum, atque ita sub illius potestate universum orbem cunctasque gentes esse redigendas, donec adventu Christi impius opprimatur: non esse autem dubium, quin Antichristus malo spiritu conceptus jam natus esset, et in annis puerilibus constitutus, ætate legitima sumpturus imperium. Quod autem hæc ab illo audivimus, annus octavus est. Vos æstimate quam jam in præcipiti consistant quæ futura metuuntur. Hæc cum maxime Gallus, needum explicatis quæ statuerat referre, loqueretur; puer familiaris ingressus est, nuntians Refrigerium presbyterum stare pro foribus. Dubitare cœpimus, utrum Gallum adhuc esset melius audire, an exoptatissimo nobis viro, qui officii causa ad nos veniebat, occurrere. Tum Gallus: Etiamsi non ob adventum sanctissimi sacerdotis relinquenda nobis hæc esset oratio, nox ipsa cogebat hucusque protractum finire sermonem. Verum quia de Martini virtutibus nequaquam explicari universa potuerunt, hæc vos hodie audisse sufficiat: cras reliqua dicemus. Ita pariter accepta hac Galli sponsione surreximus.

DIALOGUS III.

Qui tamen dicendus esset Secundus.

I. Lucescit hoc, Galle: surgendum est: nam, ut vides, et Postumianus instat; et hic presbyter, qui hesterno auditorium amisit, exspectat, ut quæ de Martino nostro in hodiernum diem explicanda distuleras, debitor sponsionis evolvas. Non ignarus quidem iste omnium, quæcumque memoranda sunt: sed dulcis et grata cognitio est etiam nota relegenti; siquidem natura ita comparatum sit, ut meliore quis conscientia se nosse congaudeat quæ multorum testimoniis non esse incerta cognoscat. Nam et hic a prima adolescentia Martinum secutus novit quidem omnia, sed libenter cognita recognoscit. Fatebor enim tibi, Galle, Martini mihi sæpius auditas esse virtutes; quippe qui de eo etiam litteris multa mandaverim: sed per gestorum admirationem semper mihi nova sunt quæ de illo, licet audita sæpius, revolvuntur. Proinde additum nobis Refrigerium auditorem eo impensius gratulamur, quo promptius Postumianus iste, qui hæc Orienti inferre festinat, quasi sub testibus consignatam abs te accepturus est veritatem. Hæc me loquente, Gallo jam ad narrandum parato, irruit turba monachorum: Evagrius presbyter, Aper, Sebastianus Agricola: et post paululum ingreditur presbyter noster Ætherius cum Calupione diacono, et Amatore subdiacono: postremus Aurelius presbyter dulcissimus meus, longiore via veniens, anhelus cucurrit. Quid vos, inquam, tam subito et tam insperati, tam ex diversis regionibus, tam mane cucurristis? Nos, inquiunt, hesterno cognovimus, Gallum istum per totum diem Martini narrasse virtutes, et reliqua in hodiernum diem, quia nox oppresserat, distulisse: propterea maturavimus frequens auditorium facere tantam materiam locuturo. Interea nuntiatur, multos sæcularium stare pro foribus, nec ingredi audentes, sed ut admitterentur orantes. Tum Aper, nequaquam istos, inquit, nobis admisceri convenit: quia ad audiendum curiositate potius quam religione venerunt. Confusus ego illorum vice quos non admittendos esse censebat. Ægre tandem obtinui, ut Eucherium ex vicariis et Celsum admitterent consularem: cæteri sunt repulsi. Tum Gallum media in sede componimus: qui cum diu nobili sua verecundia silentium tenuisset, tandem ita exorsus est:

II. Convenistis, inquit, ad me audiendum, et sancti et diserti; sed religiosas potius quam doctas aures, uti arbitror, attulistis, audituri me fide testis, non oratoris copia locuturum. Quæ autem hesterno dicta sunt, non revolvam: illa qui non audierunt, ex scriptis recognoscent. Nova Postumianus exspectat, nuntiaturus Orienti, ne se in comparatione Martini præferat Occidenti. Ac primum gestit animus, quod

Refrigerius in aurem suggerit, explicare. Res in A Carnotena gesta est civitate. Paterfamilias duodecennem ab utero mutam puellam Martino cœpit offerre, poscens ut linguam ligatam meritis suis sanctus absolveret. Ille cedens episcopis, qui tum forte latus illius ambiebant, Valentino atque Victricio, imparem se esse tantæ moli; sed illis quasi sanctioribus nihil impossibile fatebatur. At illi pias preces una cum patre supplici voce jungentes, orare Martinum, ut sperata præstaret. Nec cunctatus ultra (utrumque præclarum, et ostendendo humilitatem, nec differendo pietatem), jubet circumstantis populi multitudinem submoveri: episcopis tantum et puellæ patre assistentibus in orationem suo illo more prosternitur: dein pusillum olei cum exorcismi præfatione benedicit, atque ita in os puellæ sanctificatum B liquorem, cum et linguam illius digitis teneret, infudit. Nec fefellit Sanctum virtutis eventus. Patris nomen interrogat: mox illa respondit. Proclamat pater, cum gaudio pariter et lacrymis Martini genua complexus, et hanc primam se filiæ audisse vocem cunctis stupentibus fatebatur. Ac ne cuiquam id incredibile forte videatur, perhibeat vobis præsens Evagrius testimonium veritatis, nam res ipso præsente tum gesta est.

III. Parvum illud est quod nuper Harpagio presbytero referente cognovi: sed non prætermittendum videtur: Avitiani comitis uxorem misisse Martino oleum, quod ad diversas morborum causas necessarium (sicut est consuetudo) benediceret: ampullulam vitream istiusmodi fuisse, ut rotunda in ventrem C cresceret, ore producto; sed oris exstantis concavum non repletum; quia ita moris sit vascula illa complere, ut pars summa umbonibus obstruendis libera relinquatur. Testabatur presbyter, vidisse se oleum sub Martini benedictione crevisse, quoad exundante copia superne difflueret: eademque, dum ad matremfamilias vasculum referretur, fervisse virtute: nam inter manus pueri portantis ita semper exundasse oleum, ut omne illius vestimentum copia superfusi liquoris operiret: matronam ita usque ad summum labrum plenum vasculum recepisse, ut presbyter hodieque fateatur, obdendi pessuli, quo claudi diligentius servanda consueverunt, in vitro illo spatium non fuisse. Mirum et illud, quod huic (me autem intuebatur) memini contigisse. Vas D vitreum cum oleo quod Martinus benedixerat, in fenestra paululum editiore deposuit: puer familiaris incautior linteum superpositum, ampullam ibi esse ignarus, attraxit. Vas super constratum marmore pavimentum decidit: cunctis metu exterritis, ne benedictio deperisset, ampulla perinde incolumis est reperta ac si super plumas mollissimas decidisset; quæ res non potius ad casum quam ad Martini est referenda virtutem, cujus benedictio perire non potuit. Quid illud? quod factum est a quodam, cujus nomen, quia præsens est et prodi se vetuit, supprimetur: cui quidem tempori hic etiam Saturninus interfuit. Canis nobis importunior oblatrabat: In nomine, inquit, Martini jubeo te obmutescere. Cani hæsit latratus in gutture: lingua (abscisam putares) obmutuit. Ita parum est ipsum Martinum fecisse virtutes: credite mihi, quia etiam alii in nomine ejus multa fecerunt.

IV. Avitiani quondam comitis noveratis barbaram nimis, et ultra omnia cruentam feritatem. Hic rabido spiritu ingressus Turonum civitatem, sequentibus eum miserabili facie ordinibus catenatis, diversa perdendis parari jubet genera pœnarum, disponens postera die attonita civitate ad opus tam triste procedere. Quod ubi Martino compertum est, solus paulo ante mediam noctem ad prætorium bestiæ illius tendit: sed cum, profundæ noctis silentio, quiescentibus cunctis, nullus foribus obseratis pateret ingressus, ante limina cruenta prosternitur. Interea Avitianus gravi somno sepultus angelo ingruente percellitur: Servus, inquit, Dei ad tua limina jacet, et tu quiescis? qua ille voce percepta, lecto suo turbatus excutitur; convocatisque servis trepidus exclamat, Martinum esse pro foribus: irent protinus, claustra reserarent, ne Dei servus pateretur injuriam; sed illi, ut est omnium natura servorum, vix prima limina egressi, irridentes dominum suum, quod somno fuisset illusus, negant quemquam esse pro foribus, ex suomet ingenio conjectantes neminem nocte posse vigilare, nedum illi crederent, in illo noctis horrore jacere ante aliena limina sacerdotem: idque Avitiano facile persuasum. Rursum solvitur in soporem; sed mox vi majore concussus exclamat, Martinum stare pro foribus: sibi ideo nullam quietem animi corporisque permitti. Tardantibus servis, ipse usque ad limina exteriora progreditur: ibi Martinum, ut senserat, deprehendit. Perculsus miser tantæ manifestatione virtutis, quid, inquit, mihi hoc, domine, fecisti? nihil loqui te necesse est: scio quid desideres, video quid requiras: discede quantocius, ne me ob injuriam tuam cœlestis ira consumat: satis solverim hucusque pœnarum. Crede, quia non leviter apud me actum est, ut ipse procederem. Post discessum autem Sancti advocat officiales suos: jubet omnes custodias relaxari; et mox ipse proficiscitur. Ita fugato Avitiano, lætata est se civitas liberatam.

V. Hæc cum multis Avitiano referente comperta sunt, tum nuper Refrigerius presbyter, quem coram videtis, ab Evagrio fideli viro, ex tribunis, sub invocatione divinæ majestatis audivit, qui sibi hoc ab ipso Avitiano relatum esse jurabat. Cæterum nolo miremini me hodie facere quod hesterno non feci, ut ad singulas quasque virtutes nomina testium personasque subnectam, ad quas, si quis fuerit incredulus, quia adhuc in corpore sunt, recurrat. Exigit id infidelitas plurimorum, qui in aliquibus quæ hesterno memorata sunt, nutare dicuntur. Accipiant ergo testes adhuc incolumes atque viventes, quibus, quia de fide nostra dubitant, magis credant. Sed si adeo infideles sunt, profiteor, quia nec illis sunt credituri. Miror autem quemquam qui vel tenuem sen-

sum religionis habeat, tantum piaculi velle committere, ut putet quemquam de Martino posse mentiri. Facessat a quoquam qui sub Deo vivit, ista suspicio: neque enim Martinus hoc indiget, ut mendaciis asseratur. Sed tamen totius sermonis fidem apud te, Christe, depromimus, nos nec alia dixisse nec alia dicturos, quam quæ aut ipsi vidimus, aut quæ manifestis auctoribus vel plerumque ipso referente cognovimus. Cæterum etsi dialogi speciem, quo ad relevandum fastidium lectio variaretur, assumpsimus, nos pie præstare profitemur historiæ veritatem. Hæc me extrinsecus inserere nonnullorum incredulitas, non sine meo dolore, compulerit. Sed redeat ad nostrum sermo consessum: in quo cum me tam studiose audiri videam, fatear necesse est, Aprum fecisse constanter, qui repulit infideles, eos tantum judicans audire debere, qui crederent.

VI. Efferor siquidem (credite) spiritu, et præ dolore totus insanio: non credunt Martini virtutibus Christiani, quas dæmones fatebantur! Monasterium beati viri duobus a civitate erat millibus disparatum: sed si quoties venturus ad ecclesiam pedem extra cellulæ suæ limen extulerat, videres per totam ecclesiam energumenos rugientes, et quasi adveniente judice agmina damnanda trepidare, ut adventum episcopi clericis, qui venturum esse nescirent, dæmoniorum gemitus indicaret. Vidi quemdam, appropiante Martino, in aera raptum manibus extensis in sublime suspendi, ut nequaquam solum pedibus attingeret. Si quando autem exorcizandorum dæmonum Martinus operam recepisset, neminem manibus attrectabat, neminem sermonibus increpabat, sicut plerumque per clericos rotatur turbo verborum; sed admotis energumenis cæteros jubebat abscedere, ac foribus obseratis in medio ecclesiæ cilicio circumtectus, cinere respersus, solo stratus orabat. Tum vero cerneres miseros diverso exitu perurgeri: hos sublatis in sublime pedibus quasi de nube pendere, nec tamen vestes defluere in faciem, ne faceret verecundiam nudata pars corporum: at in parte alia videres sine interrogatione vexatos et sua crimina confitentes. Nomina etiam nullo interrogante prodebant: ille se Jovem, iste Mercurium fatebatur. Postremo cunctos diaboli ministros cum ipso cerneres auctore cruciari; ut jam in Martino illud fateamur impletum quod scriptum est: Quoniam sancti de angelis judicabunt.

VII. Pagum quemdam in Senonico annis singulis grando vastabat. Compulsi extremis malis incolæ a Martino auxilium poposcerunt, missa per Auspicium præfectorium virum satis fida legatione, cujus agros specialiter gravior quam cæterorum assueverat procella populari. Sed facta ibi oratione Martinus ita universam penitus liberavit ab ingruenti peste regionem, ut per viginti annos, quibus postea mansit in corpore, grandinem in illis locis nemo pertulerit. Quod ne fortuitum esse et non potius Martino præstitum putaretur, eo anno quo ille defunctus est rursus incubuit rediviva tempestas: adeo sensit et mundus viri fidelis excessum, ut cujus vita jure gaudebat, etiam ejusdem mortem lugeret. Cæterum si ad hæc probanda quæ diximus testes etiam infirmior auditor exegerit, non unum ego hominem, sed multa millia producam, et totam in testimonium virtutis expertæ Senonum advocabo regionem. Et tamen tu, Refrigeri presbyter, credo, meministi, nuper nobis super hoc cum Romulo Auspicii illius filio, honorato et religioso viro, fuisse sermonem; qui hæc nobis tamquam incomperta referebat, et cum futuris proventibus per assidua damna trepidaret, ut ipse vidisti, magno secum mœrore lugebat, Martinum non in hæc tempora reservatum.

VIII. Sed ut ad Avitianum recurram (qui cum in omnibus locis cunctisque urbibus ederet crudelitatis suæ infanda monumenta, Turonis tantum innocens erat: et illa bestia quæ humano sanguine et infelicium mortibus alebatur, mitem se atque tranquillum beato viro præsente præstabat), memini quodam die ad eum venisse Martinum: qui ubi secretarium ejus ingressus est, vidit post tergum ipsius dæmonem miræ magnitudinis assidentem. Quem eminus (ut verbo, quia ita necesse est, parum Latino loquamur) exsufflans; Avitianus se exsufflari existimans, Quid me, inquit, Sancte, sic accipis? Tum Martinus, Non te, inquit, sed eum qui cervici tuæ teter incumbit. Cessit diabolus, et reliquit familiare subsellium: satisque constat, ab illo die Avitianum mitiorem fuisse, seu quod intellexerit egisse se semper assidentis sibi diaboli voluntatem, seu quod immundus spiritus ab illius consessu per Martinum fugatus, privatus est potestate grassandi, cum erubesceret minister auctorem, nec ministrum auctor urgeret. In vico autem Ambatiensi, id est, castello illo veteri quod nunc frequens habitatur a fratribus, idolium noveratis grandi opere constructum. Politissimis saxis moles turrita surrexerat, quæ in conum sublime procedens superstitionem loci operis dignitate servabat. Hujus destructionem Marcello, ibidem consistenti presbytero, vir beatus sæpe mandaverat. Post aliquantum tempus regressus increpat presbyterum, cur adhuc idolii structura consisteret. Ille causatus, vix militari manu et vi publicæ multitudinis tantam molem posse subverti, nedum id facile putaret per imbecilles clericos aut infirmos monachos quivisse curari. Tum Martinus recurrens ad nota subsidia, noctem totam in oratione pervigilat: mane orta tempestas ædem idoli usque ad fundamentum provolvit. Verum hæc Marcello teste dicta sint.

IX. Aliam ejus non dissimilem in simili opere virtutem Refrigerio astipulante perhibeo. Columnam immensæ molis, cui idolum superstabat, parabat evertere: sed nulla erat facultas qua id daretur effectui; tum ad orationem suo more convertitur. Visam certum est parilem quodammodo columnam ruere de cœlo, quæ impacta idolo totam illam inexpugnabilem molem solvit in pulverem: parum scilicet, si invisibiliter cœli virtutibus uteretur, nisi

ipsæ virtutes visibiliter servire Martino humanis etiam oculis cernerentur. Idem autem Refrigerius mihi testis est, mulierem profluvio sanguinis laborantem, cum Martini vestem exemplo mulieris illius Evangelicæ contigisset, sub momento temporis fuisse sanatam. Serpens flumen secabat, et ripæ in qua constiteramus, adnatabat: In nomine, inquit, Domini jubeo te redire. Mox se mala bestia ad verbum Sancti retorsit, et in ulteriorem ripam nobis exspectantibus transmeavit. Quod cum omnes non sine miraculo cerneremus, altius ingemiscens ait, Serpentes me audiunt, et homines non audiunt.

X. Piscem Paschæ diebus edere consuetus, paulo ante horam refectionis interrogat, an haberetur in promptu. Tum Cato diaconus, ad quem monasterii administratio pertinebat, doctus ipse piscari, negat per totum diem sibi ullam cessisse capturam; sed neque alios piscatores, qui vendere solebant, quidquam agere quivisse. Vade, inquit, mitte linum tuum: captura proveniet. Contigua flumini, ut Sulpicius iste descripsit, habebamus habitacula: processimus cuncti, utpote feriatis diebus, videre piscantem, omnium spebus intentis, non incassum futura tentamina, quibus piscis Martino auctore Martini usibus quæreretur. Ad primum jactum in rete permodico immanem esocem diaconus extraxit, et ad monasterium lætus accurrens, nimirum ut dixit poeta nescio quis (utimur enim versu scholastico, quia inter scholasticos fabulamur):

Captivumque suem mirantibus intulit Argis.

Vere, iste Christi discipulus, gestarum a Salvatore virtutum, quas in exemplum sanctis suis edidit, æmulator, Christum in se monstrabat operantem, qui sanctum suum usquequaque glorificans, diversarum munera gratiarum in unum hominem conferebat. Testatur Arborius ex præfecto, vidisse se Martini manum sacrificium offerentis, vestitam quodammodo nobilissimis gemmis, luce micare purpurea, et ad motum dextræ collisarum inter se fragorem audisse gemmarum.

XI. Veniam ad illud quod propter notam temporum semper occultavit; sed nos celare non potuit: in quo illud est miraculi, quod facie ad faciem cum eo est angelus collocutus. Maximus imperator, alias sane bonus, depravatus consiliis sacerdotum, post Priscilliani necem Ithacium episcopum Priscilliani accusatorem cæterosque illius socios, quos nominari non est necesse, vi regia tuebatur, ne quis ei crimini daret, opera illius cujuscumquemodi hominem fuisse damnatum. Interea Martinus multis gravibusque laborantium causis ad comitatum ire compulsus, procellam ipsam totius tempestatis incurrit. Congregati apud Treveros episcopi tenebantur, qui quotidie communicantes Ithacio communem sibi causam fecerant. His ubi nuntiatum est inopinantibus adesse Martinum, totis animis labefacti mussitare et trepidare cœperunt. Et jam pridie imperator ex eorum sententia decreverat, tribunos summa potestate armatos ad Hispanias mittere, qui hæreticos inquirerent: deprehensis vitam et bona adimerent. Nec dubium erat, quin sanctorum etiam maximam turbam tempestas ista depopulata esset, parvo discrimine inter hominum genera; etenim tum solis oculis judicabatur, cum quis pallore potius aut veste, quam fide hæreticus æstimaretur. Hæc nequaquam placitura Martino episcopi sentiebant: sed male consciis illa vel molestissima erat cura, ne se ab eorum communione adveniens abstineret, non defuturis qui tanti viri constantiam præmissa auctoritate sequerentur. Ineunt cum imperatore consilium, ut missis obviam Magistri officialibus urbem illam propius vetaretur accedere, nisi se cum pace episcoporum ibi consistentium adfore fateretur. Quos ille callide frustratus profitetur, se cum pace Christi esse venturum. Postremo ingressus nocturno tempore, adiit ecclesiam tantum orationis gratia: postridie palatium petit. Præter multas, quas evolvere longum est, has principales petitiones habebat: pro Narsete comite, et Leucadio præside, quorum ambo Gratiani partium fuerant, pertinacioribus studiis, quæ non est hujus temporis explicare, iram victoris emeriti. Illa præcipua cura, ne tribuni cum jure gladiorum ad Hispanias mitterentur: pia enim erat sollicitudo Martino, ut non solum Christianos qui sub illa erant occasione vexandi, sed ipsos etiam hæreticos liberaret. Verum primo die atque altero suspendit hominem callidus imperator, sive ut rei pondus imponeret, sive quia nimis sibi implacabilis erat, seu quia, ut plerique tum arbitrabantur, avaritia repugnabat: siquidem in bona eorum inhiaverat. Fertur enim ille vir multis bonisque actibus præditus, adversus avaritiam parum consuluisse: nisi fortasse regni necessitate, quippe exhausto superioribus principibus reipublicæ ærario, pene semper in expeditione atque procinctu bellorum civilium constitutus, facile excusabitur, quibuslibet occasionibus subsidia imperio paravisse.

XII. Interea episcopi quorum communionem Martinus non inibat, trepidi ad regem concurrunt, prædamnatos se conquerentes: actum esse de suo omnium statu, si Theognisti pertinaciam, qui eos solus palam lata sententia condemnaverat, Martini armaret auctoritas: non oportuisse hominem recipi mœnibus, illum jam non defensorem hæreticorum esse, sed vindicem: nihil actum morte Priscilliani, si Martinus exerceat illius ultionem. Postremo prostrati cum fletu et lamentatione potestatem regiam implorant, ut utatur adversus unum hominem vi sua. Nec multum aberat, quin cogeretur imperator Martinum cum hæreticorum sorte miscere. Sed ille, licet episcopis nimio favore esset obnoxius, non erat nescius, Martinum fide, sanctitate et virtute cunctis præstare mortalibus: alia longe via sanctum vincere parat: ac primo secreto accersitum blande appellat: hæreticos jure damnatos more judiciorum publicorum potius quam insectationibus sacerdotum; non

esse causam, qua Ithacii cæterorumque partis ejus communionem putaret esse damnandam; Theognistum odio potius quam causa fecisse discidium; eumdemque tamen solum esse qui se a communione interim separarit, a reliquis nihil novatum; quin etiam ante paucos dies habita synodus Ithacium pronuntiaverat culpa non teneri. Quibus cum Martinus parum moveretur, rex ira accenditur, ac se de conspectu ejus abripuit: et mox percussores his pro quibus Martinus rogaverat, diriguntur.

XIII. Quod ubi Martino compertum jam noctis tempore est, palatium irrupit; spondet, si parceretur, se communicaturum, dummodo ut et tribuni jam in excidium ecclesiarum ad Hispanias missi retraherentur. Nec mora: Maximus indulget omnia. Postridie Felicis episcopi ordinatio parabatur, sanctissimi sane viri, et plane digni qui meliore tempore sacerdos fieret. Hujus diei communionem Martinus iniit, satius æstimans ad horam cedere, quam his non consulere quorum cervicibus gladius imminebat; verumtamen summa vi episcopis nitentibus, ut communionem illam subscriptione firmaret, extorqueri non potuit. Postero die se inde proripiens cum revertens in via mœstus ingemisceret, se vel ad horam noxiæ communioni fuisse permixtum; haud longe a vico cui nomen est Andethanna, qua vastas solitudines silvarum secreta patiuntur, prægressis paululum comitibus ille subsedit, causam doloris et facti accusante ac defendente invicem cogitatione pervolvens. Astitit ei repente angelus: Merito, inquit, Martine, compungeris; sed aliter exire nequisti; repara virtutem, resume constantiam, ne jam non periculum gloriæ, sed salutis incurreris. Itaque ab illo tempore satis cavit cum illa Ithacianæ partis communione misceri. Cæterum cum quosdam ex energumenis tardius quam solebat et gratia minore curaret; subinde nobis cum lacrymis fatebatur, se propter communionis illius malum, cui se vel puncto temporis, necessitate, non spiritu, miscuisset, detrimentum sentire virtutis. Sedecim postea vixit annos: nullam synodum adiit, ab omnibus episcoporum conventibus se removit.

XIV. Sed plane, ut experti sumus, imminutam ad tempus gratiam multiplici mercede reparavit. Vidi postea ad pseudoforum monasterii ipsius adductum energumenum, et prius quam limen attingeret, fuisse curatum. Testantem quemdam nuper audivi, cum in Tyrrheno mari cursu illo quo Romam tenditur, navigaret, subito turbinibus exortis, extremum vitæ omnium fuisse discrimen: in quo cum quidam Ægyptius negotiator, necdum Christianus, magna voce clamaverit, Deus Martini, eripe nos; mox tempestatem fuisse sedatam, seque optatum cursum cum summa placidi æquoris quiete tenuisse. Lycontius ex vicariis vir fidelis, cum familiam illius lues extrema vexaret, et inauditæ calamitatis exemplo per totam domum corpora ægra procumberent, Martini per litteras imploravit auxilium. Quo tempore vir beatus rem esse promisit difficilem impetrari; nam spiritu sentiebat domum illam divino numine verberari: tamen non prius destitit septem totos dies totidemque noctes orando et jejunando continuans, quam id quod exorandum receperat, impetraret. Mox ad eum Lycontius divina expertus beneficia pervolavit, nuntians simul et agens gratias, domum suam omni periculo liberatam. Centum etiam argenti libras obtulit, quas vir beatus nec respuit nec recepit, sed priusquam pondus illud monasterii limen attingeret, redimendis id captivis continuo deputavit; et cum ei suggereretur a fratribus, ut aliquid ex eo in sumptum monasterii reservaret: omnibus enim angustum esse victum, multis deesse vestitum: Nos, inquit, Ecclesia, et pascat et vestiat, dummodo nihil nostris usibus quæsisse videamur. Succurrunt hoc loco illius viri magna miracula, quæ facilius admirari possumus quam referre. Agnoscitis profecto quod dico: multa sunt illius quæ non queunt explicari: veluti istud est, quod nescio an ita, ut gestum est, a nobis possit exponi. Quidam e fratribus (nomen non ignoratis; sed celanda persona est, ne sancto viro verecundiam fecerimus), quidam ergo cum ad fornaculam illius carbonum copiam reperisset, et admota sibi sellula divaricatis pedibus super ignem illum nudato inguine resideret; continuo Martinus factam sacro tegmini sensit injuriam, magna voce proclamans: Quis [inquit] nudato inguine nostrum incestat habitaculum? Hoc ubi ille frater audivit, et ex conscientia quod increpabatur agnovit; continuo ad nos cucurrit exanimis, pudorem suum non sine Martini virtute confessus.

XV. Quodam itidem die, dum in area, quæ parva admodum tabernaculum illius ambiebat, in illo suo quod nostis omnes, sedili ligneo resedisset, vidit duos dæmones in excelsa illa quæ monasterio supereminet rupe consistere, inde alacres ac lætos vocem istiusmodi adhortationis emittere: Heia te, Brictio; heia te, Brictio. Credo cernebant miserum eminus propinquantem, conscii quantam illi rabiem spiritus suscitassent. Nec mora, Brictio furibundus irrupit, ibi plenus insaniæ evomuit in Martinum mille convicia. Objurgatus enim pridie ab eo fuerat, cur qui nihil umquam ante clericatum (quippe qui in monasterio ab ipso Martino nutritus) habuisset, equos aleret, mancipia compararet: nam jam illo tempore arguebatur a multis, non solum pueros barbaros, sed etiam puellas scitis vultibus coemisse. Quibus rebus infelicissimus insano felle commotus, et, ut credo, præcipue dæmonum illorum agitatus instinctu, Martinum ita aggressus est, ut vix manibus temperaret; cum quidem Sanctus vultu placido, mente tranquilla infelicis amentiam per mitia verba cohiberet. Sed ita in eo nequam spiritus redundabat, ut ne sua quidem illi, quamvis vana admodum, mens subesset: trementibus labiis incertoque vultu decolor præ furore rotabat verba peccati, se asserens sanctiorem; quippe qui a primis annis in monasterio inter sacras Ecclesiæ disciplinas ipso Mar-

tino educante crevisset: Martinum vero et a principio, quod ipse diffiteri non posset, militiæ actibus sorduisse, et nunc per inanes superstitiones et phantasmata visionum ridicula prorsus inter deliramenta senuisse. Hæc cum multa, atque alia etiam, quæ reticere melius est, acerbiora vomuisset, egressus tandem furore satiato, quasi qui se penitus vindicasset, rapidus ea parte qua venerat, recurrebat: cum interea, credo per Martini orationes fugatis ab illius corde dæmonibus, reductus in pœnitentiam, mox revertitur, atque ad Martini se genua prosternit: veniam poscens, fatetur errorem, nec sine dæmone se fuisse tandem sanior confitetur. Non erat apud Martinum labor iste difficilis, ut ignosceret supplicanti. Tunc et ipsi et nobis omnibus Sanctus exposuit, qualiter illum a dæmonibus vidisset agitari, se conviciis non moveri, quæ magis illi a quo essent effusa, nocuissent. Exinde cum idem Brictio multis apud eum magnisque criminibus persæpe premeretur, cogi non potuit, ut eum a presbyterio submoveret, ne suam persequi videretur injuriam; illud sæpe commemorans, Si Christus Judam passus est, cur ego non patiar Brictionem?

XVI. Ad hæc Postumianus, Audiat, inquit, istud exemplum noster iste de proximo, qui cum sit sapiens, immemor præsentium, immemor futurorum, si fuerit offensus, insanit, in sua se non habens potestate: sævit in clericos, grassatur in laicos, totumque terrarum orbem in suam commovet ultionem: in qua per triennium jugiter dimicatione consistens, nec tempore nec ratione sedatur: dolenda hominis et miseranda conditio, etiamsi hac sola insanabilis mali peste premeretur. Verum ista ei patientiæ et tranquillitatis exempla referre sæpius, Galle, debueras, ut nesciret irasci et sciret ignoscere. Qui si istum ipsum breviter insertum sermonem meum in se prolatum forte cognoverit, sciat non magis ore inimici quam amici animo me locutum: quia, si fieri posset, optarem, ut Martino potius episcopo quam Phalari tyranno similis diceretur. Sed istum, cujus commemoratio parum suavis est, transeamus, et ad Martinum nostrum, Galle, redeamus.

XVII. Tum ego, cum jam adesse vesperam occiduo sole sentirem, Dies, inquam, abiit, Postumiane: surgendum est: simul tam studiosis auditoribus cœna debetur. De Martino autem exspectare non debes, ut ulla sit meta referendi: latius ille diffunditur, quam ut ullo valeat sermone concludi. Ista interim de illo viro portabis Orienti, et dum recurris, diversasque regiones, loca, portus, insulas urbesque prætерlegis, Martini nomen et gloriam sparge per populos. Imprimis memento non præterire Cam-
A paniam: etsi maxime cursus in devio sit, non tamen tibi tanti sint vel magnarum morarum ulla dispendia, quin illic adeas illustrem virum ac toto laudatum orbe Paulinum: illi, quæso te, primum sermonis nostri, quem vel hesterno confecimus vel hodie diximus, volumen evolve: illi omnia referes, illi cuncta recitabis, ut mox per illum sacras viri laudes Roma cognoscat; sicut primum illum nostrum libellum non per Italiam tantum, sed per totum etiam diffudit Illyricum. Ille Martini non invidus gloriarum, sanctarumque in Christo virtutum piissimus æstimator, non abnuet præsulem nostrum cum suo Felice componere. Inde si forte ad Africam transfretabis, referes audita Carthagini: licet jampridem, ut ipse dixisti, virum noverit, tamen nunc
B præcipue de eo plura cognoscat, ne solum ibi Cyprianum martyrem suum, quamvis sancto illius sanguine consecrata, miretur. Jam si ad lævam Achaiæ sinum paululum devexus intraveris, sciat Corinthus, sciant Athenæ, non sapientiorem in Academia Platonem, nec Socratem in carcere fortiorem: felicem quidem Græciam, quæ meruit audire Apostolum prædicantem; sed nequaquam a Christo Gallias derelictas, quibus donaverit habere Martinum. Cum vero ad Ægyptum usque perveneris, quamquam illa suorum sanctorum numero et virtutibus sit superba, tamen non dedignetur audire, quia illi vel universæ Asiæ in solo Martino Europa non cesserit.

XVIII. Cæterum cum Hierosolymam inde petiturus ventis rursum vela commiseris, negotium tibi
C nostri doloris injungo, ut, si umquam illustris illius Ptolemaidis littus accesseris, sollicitus inquiras, ubi sit consepultus noster ille Pomponius, nec fastidias visitare ossa peregrina. Multas illic lacrymas tam ex affectu tuo quam ex nostris funde visceribus: ac, licet inani munere, solum ipsum flore purpureo et suave redolentibus sparge graminibus. Dices tamen illi, sed non aspere, non acerbe, compatientis alloquio, non exprobrantis elogio: quod si vel te quondam, vel me semper audire voluisset, et Martinum magis quam illum, quem nominare nolo, fuisset imitatus: numquam a me tam crudeliter disparatus, ignoti pulveris syrte tegeretur, naufragi sorte prædonis passus in medio mari mortem, et vix in extremo nactus littore sepulturam. Videant hoc opus
D suum, quicumque ex illius abscessu mihi nocere voluerunt: videant gloriam suam, et vel nunc adversum me grassari desinant vindicati. Hæc cum maxime flebili voce gemeremus, omnium lacrymis per nostra lamenta commotis, cum magna quidem Martini admiratione, sed non minore ex nostris fletibus dolore, discessum est.



APPENDIX

AD

SULPICII SEVERI

OPERUM EDITIONEM VERONENSEM,

QUA CONTINENTUR

EPISTOLÆ VII

ANTEA EVULGATÆ.



EPISTOLA PRIMA.

AD CLAUDIAM SOROREM SUAM.

De ultimo judicio.

I. Lectis epistolis tuis, multo modo permotum affectum lacrymis tenere non potui. Nam et gaudio flebam quod te secundum Domini Dei nostri præcepta vivere ex sermone ipso litterarum tuarum poteram agnoscere, et pro desiderio tui non poteram non dolere, quod [a] per summam a te injuriam alienabar, si litteras non misisses. Tali ergo sorore non fruerer? Testor autem salutem tuam, persæpe ad vos venire volui, sed usque adhuc impeditus sum, obsistente eo qui consuevit obsistere. Nam et festinabam desiderio meo in tuo aspectu satisfacere; et opus Domini nostri inter nos obiter videbamur acturi, cum alter alterum consolando, calcata a nobis mole sæculi, viveremus. Sed jam veniendi diem tempusque non statuo, quia quotiescumque statui, implere non potui. Domini opperiar voluntatem; speroque quod meis votis et orationibus tuis de nostra nos fructum capere faciat [b] perseverantia.

II. Cæterum quod a me in omnibus epistolis quas ad te miseram vitæ ac fidei tuæ præcepta desiderans, jam per assiduitatem scriptorum meorum verba consumpsi, nihil novum tibi rescribere modo possum quod ante non scripserim. Et sane propitio Deo jam non indiges admoneri, quæ fidem inter principia consummans, devotam in Christo exhibes charitatem. Unum tamen moneo, ne transcursa repetas, ne contempta desideres; ne manum aratro inserens (*Luc.* IX, 62), retrorsum conversa respicias. Quo utique in te redeunte vitio, ordinem suum necesse est sulcus amittat, nec sane mercedem suam

A cultor accipiat. Alioquin nec partem consequitur, si ex parte cessaverit. Nam sicut a peccato ad justitiam fugiendum est, ita et qui justitiam fuerit ingressus, ne peccato pateat præcavendum. Scriptum enim est justo (*Ezech.* XVIII, 24, 26), in qua die exerraverit, justitiam non profuturam. In hoc igitur consistendum est, in hoc laborandum, ne qui peccata evasimus, præmia parata perdamus. Stat enim adversus nos paratus inimicus, ut nudatum fidei umbone mox feriat. Non abjiciendus est itaque clypeus, ne latus pateat. Non remittendus est gladius, ne hostis incipiat non timere. Porro cum armatum viderit, abibit. Nec ignoramus durum esse ac difficile adversus carnem et sæculum quotidie dimicare. Sed si æternitatem cogites, si cœlorum regna consideres, quæ

B utique nobis Dominus licet peccatoribus præstare dignabitur, quæ tandem condigna passio est qua tanta mercamur? Luctamen autem in hoc mundo parvi temporis est. Nam etsi mors non succedat, senecta succedet. Labuntur anni, fluunt tempora, et, ut spero, Dominus Jesus tamquam desideratos sibi celeriter vocabit.

III. O quam felix ille noster excessus, cum [c] a labe peccati melioris vitæ conversatione purgatos sede sua nos Christus excipiet! Occurrent martyres et prophetæ, [d] tangentur apostoli, gaudebunt angeli, lætabuntur archangeli, victusque Satanas cruento licet ore pallebit; quippe qui etiam nostra, quæ sibi in nobis præparaverat, peccata perdiderit. Videbit gloriam concessam per veniam, merita honorata per

C gloriam. Nos triumphabimus hoste superato, [e] ubi tunc mundi istius sapientes ridebuntur; ubi avarus, ubi adulter, ubi impius, ubi ebriosus, ubi maledicus recognoscentur. Quid miseri pro sua defensione dic-

[a] *Per summam a te injuriam*. Fortasse Severus voculas *a te* postposuerat voci *injuriam*. Vix enim ferunt aures ejusmodi metathesin. CLER.

[b] *Perseverantia*. Leg. *præsentia*. BALUZ. — Paulo ante rescripsi cum Baluzio *opperiar*; pro quo Clericus, *opperior*.

[c] *A labe peccati ..... purgatos*. His affinia sunt quæ habet Severus *de Vita B. Martini* cap. 13: *Antiqua delicta melioris vitæ conversatione purgari* H. DE PRATO.

[d] *Tangentur*. Ἀπὸ κοινοῦ, lætitia afficientur.

[e] *Ubi tunc*. Clerici editio mendose, *ubi nunc*.

turi sunt! Nescivimus te, Domine, te in mundo esse non vidimus. Prophetas non misisti, legem sæculo non dedisti. Patriarchas non vidimus, sanctorum non legimus exempla. Christus tuus in terra non fuit, Petrus tacuit, Paulus noluit prædicare, Evangelista non docuit, martyres non fuerunt quorum exempla sequeremur. Futurum judicium tuum nemo prædixit, vestire pauperem nemo mandavit, [a] prohibere libidinem nemo præcepit, repugnari avaritiæ nemo persuasit. Inscientia lapsi sumus, quæ fecimus nescientes.

IV. His e contrario ex illo sanctorum choro vel primus justus Noe proclamabit : Ego, Domine, et superventurum propter peccata hominum diluvium prædicavi, et post diluvium exemplum de me præbui bonis, ut malis pereuntibus non perirent, ut isti recognoscerent et quæ esset innocentibus salus, et quæ pœna peccantibus. Post hunc, Abraham fidelis obsistet : Ego, inquit, Domine, fidem qua humanum in te crederet genus, media fere mundi illius ætate fundavi. Ego pater gentium, cujus exempla sequerentur, electus sum. Ego Isaac adhuc parvulum non dubitavi, Domine, offerre tibi pro victima, ut isti recognoscerent nihil non Domino præstari debere, cum me ipsum ne filio quidem unico intelligerent pepercisse. Ego terram meam et cognationem meam te jubente deserui, ut istis quoque esset exemplum nequitias mundi et sæculi peccata deserere. Ego, Domine, te licet corpore, sub imagine primus agnovi, nec dubitavi credere quem videbam, licet in alia mihi substantia videreris, ut isti intelligerent non secundum carnem, sed secundum spiritum judicare. Huic Moyses beatus obsecundabit : Ego legem, Domine, istis omnibus te jubente tradidi, ut quos libera fides non tenebat, lex saltem dicta cohiberet. Ego dixi : *Non adulterabis* (*Exod.* xx, 14), ut licentiam fornicationis inhiberem. Ego dixi : *Diliges proximum tuum* (*Levit.* xix, 18), ut charitas abundaret. Ego dixi : *Domino soli servies* (*Deut.* vi, 13), ne isti idolis immolarent vel templa esse paterentur. Ego ne falsa testimonia dicerentur edixi, ut istis adversus omne mendacium præcluderem ora. Ego facta dictaque a mundi exordio, operante in me spiritu tuæ virtutis, exposui, ut istius [b] cognitio præteritorum doctrinam tribueret futurorum. Ego te venturum, Domine Jesu, prædicavi, ut istis non [c] inopinatum esset agnoscere quem venturum ante prædixeram.

V. Post hunc astabit dignus Domini sui David semine : Ego te, Domine, per omnia nuntiavi; ego nomini tuo tantum serviendum esse clamavi. Ego dixi : *Beatus vir qui timet Dominum* (*Ps.* cxi, 1); ego dixi : *Exsultabunt sancti in gloria* (*Ps.* cxlix, 5); ego

A dixi : *Desiderium peccatorum peribit* (*Ps.* cxi, 10), ut isti te agnoscerent et peccare desinerent. Ego cum regia præditus essem potestate, cilicio superjecto, pulvere subjecto, depositis insignibus magnificentiæ meæ procubui vestimentis, ut istis mansuetudinis atque humilitatis daretur exemplum. Ego inimicis meis, qui interficere me cupierunt, peperci, ut misericordiam meam istis probarem imitandam. Post hunc Isaias dignus Dei spiritu non tacebit : Ego, Domine, te per os meum loquente, præmonui : *Væ his qui jungunt domum ad domum* (*Isa.* v, 8), ut modum [d] cupiditati imponerem. Ego iram tuam peccantibus venisse testatus sum, ut istos a malefactis suis, si non spes præmiorum, saltem suppliciorum formido cohiberet.

B VI. Post hos aliosque complures qui doctrinæ nobis officia præstiterunt, ipse Dei Filius hæc loquetur : Ego certe excelsa sede sublimis, cœlum palma, terram pugillo continens (*Isa.* xl, 12), intra extraque diffusus, cunctorum quæ gignuntur interior, atque omnibus quæ moventur exterior, inæstimabilis naturæ potestate infinitus, invisibilis aspectu, incomprehensibilis attactu, ut inter vos ad edomandam duritiam cordis vestri et perfidiam doctrinis salutaribus molliendam vestrum minimus existerem, nasci carne dignatus sum, depositaque Dei gloria, habitum formæ servilis assumpsi, ut communicata vobiscum infirmitate corporea, rursum in consortium gloriæ meæ per obedientiam præcepti salutaris adhiberem. Ægris infirmisque omnibus sanitatem, auC ditum surdis, visum cæcis, vocem mutis, claudis pedum officia restitui, ut vos signis cœlestibus [e] permoverem, quo facilius in me atque in his quæ prædicaveram crederetis. Ego vobis cœlorum regna promisi. Ego etiam, ut impunitatis haberetis exemplum, latronem, qui me sub mortis suæ tempore fatebatur, in paradiso collocavi, ut illius fidem qui remitti sibi meruerat peccata, sequeremini. Atque ut exemplo meo pro vobis et ipsi pati possitis, pro vobis ego passus sum, ne dubitaret homo pro se pati quod Deus pro homine pertulisset. Ego me post resurrectionem, ne fides vestra confunderetur, ostendi. Ego in Petro Judæos monui, ego in Paulo gentibus prædicavi. Nec pœnitet. Est fructus bonorum. Opus meum boni intellexerunt, perD fecerunt fideles, justi impleverunt, consummaverunt misericordes; et magna pars martyrum, magna sanctorum est. In eodem certe et isti corpore, in eodem fuerunt mundo. Cur nullum in vobis bonum opus, gens vipereæ stirpis, invenio? Pœnitentiam malorum vestrorum nec sub ultima die vestri finis egistis. Quid autem attinet quod me labiis adoratis, si factis et operibus denegetis? Ubi nunc vestræ divitiæ, ubi

[a] *Prohibere.* Forte *cohibere.*

[b] *Cognitio præter.* Hanc eamdem sententiam legas supra *Hist. sacr.* lib. ii, c. 8.

[c] *Inopinatum.* Sic optime prima Baluzii editio. Mendose Lipsiensis, *opinatum.* Ubi Clericus legendum censebat *non opinatus.* At locus emendatione non eget.

[d] *Cupiditati.* Male Cler. *cupiditatis.*

[e] *Permoverem.* Arguit hic Clericus Baluzium, quod ediderit *promoverem;* sed immerito. Exemplar namque Baluzianum rite perhibet *permoverem.* Id vitio vertendum Clerici exscriptori, qui sæpe in exscribenda Baluzii editione peccavit, ut infra pluribus ostendimus.

honores, ubi potentia, ubi vestræ sunt voluptates? Nullam novam in vos mando sententiam. Habetis judicium quod ante prædixi.

VII. Tunc illud miseris Evangelista recitabit : *Ite in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* XXII, 13 ; XXV, 30). O miseri quos ista non permovent! Videbunt suam pœnam et aliorum gloriam. Utantur sæculo, dum æternitate illa quæ sanctis præparata est non fruantur. [a] Affluant divitiis, auro incubent, dum ibi egentes, ibi inopes deprehendantur. Sint in sæculo divites, dum in æternitate sint pauperes, de quibus scriptum est : *Divites eguerunt et esurierunt* (*Ps.* XXXIII, 11). Consequenter autem de bonis Scriptura subjecit : *Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono.* Itaque, soror, licet nos isti irrideant, licet nos stultos infelicesque commemorent, felicius gaudeamus opprobriis quibus nobis gloria, illis pœna cumulatur. Nec rideamus illorum stultitiam, sed potius infelicitatem doleamus: quia inter illos pars magna nostrorum est, quos si lucrifacere possimus, augetur in nobis gloria. Sed agant se ut volunt, sint nobis tamquam gentiles et publicani; nos vero salvos incolumesque tueamur. Si illi nunc nobis dolentibus gaudent, nos postea in illorum dolore gaudebimus. Vale soror charissima et in Christo dilectissima.

EPISTOLA II.

AD EAMDEM.

De Virginitate.

I. Quantam in cœlestibus beatitudinem virginitas sancta possideat, præter Scripturarum testimonia, Ecclesiæ etiam consuetudine edocemur, [b] quia addiscimus peculiare illi subsistere meritum cujus est specialis consecratio. Nam cum universa turba credentium paria dona gratiæ percipiat, et iisdem omnes sacramentorum benedictionibus glorientur, istæ proprium aliquid præ cæteris habent, dum de illo sancto et immaculato Ecclesiæ grege quasi sanctiores purioresque hostiæ pro voluntatis suæ meritis a sancto Spiritu eliguntur, et per summum sacerdotem Dei offeruntur altario. Digna revera Domino hostia tam pretiosi animalis oblatio, et nullius magis quam suæ imaginis hostia placitura. De hujusmodi enim Apostolum præcipue dixisse reor : *Obsecro autem vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem* (*Rom.* XII, 1). Possidet ergo virginitas et quod alii habent et quod alii non habent, dum et communem et peculiarem obtinet gratiam, et proprio, ut ita dixerim,
A consecrationis privilegio gaudet. Nam et Christi sponsas virgines dicere ecclesiastica nobis permittit auctoritas, [c] dum sponsarum modo eas Domino consecrat et velat, ostendens eas vel maxime habituras spiritale connubium quæ subterfugerint carnale consortium. Et digne Deo per matrimonii comparationem spiritaliter copulantur quæ ejus dilectionis causa humana connubia spreverunt. In his quam maxime illud completur Apostoli : *Qui autem adhæret Deo, unus est spiritus* (1 *Cor.* VI, 17).

II. Grande est et immortale, pene ultra naturam corpoream, [d] superare luxuriam, et concupiscentiæ spasmeam adolescentiæ facibus accensam animi virtute restinguere, et spiritali conatu vim genuinæ oblectationis excludere, et vivere contra humani ge-
B neris legem, despicere solatia conjugii, dulcedinem contemnere liberorum, et quæcumque præsentis vitæ esse commoda possint pro nihilo spe futuræ beatitudinis computare. Magna hæc, ut dixi, et admirabilis virtus est, et non immerito pro magnitudine laboris sui ingenti præmio destinata. [e] *Dabo spadonibus*, dicit Deus, *et in domo mea et in muro meo locum nominatum meliorem filiis et filiabus; nomen æternum dabo illis, et non deficiet* (*Isa.* LVI, 5). De quibus spadonibus Dominus in Evangelio repetit dicens : *Sunt enim spadones qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum* (*Matth.* XIX, 12). Magnus est quidem pudicitiæ labor, sed majus est præmium; temporalis custodia, sed remuneratio æterna est. De his enim et beatus Apostolus Joannes loquitur, quod
C sequantur agnum quocumque ierit. Quod ita intelligendum puto, nullum eis locum in cœlesti aula claudendum, sed cuncta eis divinarum mansionum habitacula reseranda.

III. Sed ut illustrius virginitatis meritum clareat, et quam digna Deo sit manifestius intelligi possit, illud cogitetur quod Dominus et salvator noster Deus, cum propter humani generis salutem hominem dignaretur assumere, non alium quam virginalem uterum elegerit, ut hujusmodi plurimum sibi placere monstraret, et ut pudicitiæ bonum utrique sexui intimaret. Virginem matrem habuit virgo mansurus. In se viris, [f] et in matre feminis præbuit virginitatis exemplum. Quo demonstratur in utroque sexu beatam integritatem divinitatis habere plenitudinem me-
D ruisse, dum tantum in matre fuit quidquid [g] habebat in filio. Sed quid ego satisago excellens ac sublime pudicitiæ meritum revelare, et gloriosæ bonum virginitatis ostendere, cum de hac se plerosque perorasse non nesciam et ejus beatitudinem manifestissime ...

[a] *Affluant div.* Gemina sunt quæ leguntur apud Sulpicium in *Hist. sacr.* lib. I, c. 23 : *Inhiant possessionibus, prædia excolunt, auro incubant.* Ed. ex PRATO.

[b] *Quia addiscimus.* Male Cleric. *qua dicimus.*

[c] *Dum sponsarum*, etc. Holsten. in *Append. cod. Reg.*, p. 10 : *Dum in sponsarum modum quas consecrat Domino, velat : ostendens*, etc. Pessime Cleric., *velut ostensas.*

[d] *Superare..... spasmeam.* Rectius Holsten., *sopire..... flammeam.* Contextus restitutionem confirmat.

[e] *Dabo spadonibus, dixit Deus.* Holst., *dabo*, inquit Dominus, *spadonibus meis.* Deest *meis* apud Isaiam. Clericus contra fidem exemplaris, ut sæpe alias, *dabo*, inquit spadonibus Deus, *et in domo*, etc. Mox Holst., *meliorem a filiis..... quod non deficiet.* Neque aliter sacer textus.

[f] *Et in matre.* Sic et Holstenius. At Clericus, *sed in matre.*

[g] *Habebat.* Leg. cum Holst., *habebatur.* Mox ibid., *satago* pro *satisago.*

simis rationibus comprobasse, et nulli sapienti in dubium venire possit eam rem majoris esse meriti quæ sit amplioris laboris? Quisquis enim pudicitiam aut nullius præmii aut parvi existimat, certum est illum aut ignorare aut non voluntarie ejus ferre laborem. Inde illi semper castitati derogant qui eam aut non habent, aut habere coguntur inviti.

IV. Nunc itaque, quoniam, paucis licet, tam laborem quam meritum integritatis ostendimus, ne res quæ grandi virtute constat, et ingenti præmio destinatur, carere fructu suo possit, diligentius excubandum est. Quantum enim quæcumque species pretiosior fuerit, tanto majore sollicitudine custoditur. Et quoniam multa sunt quæ bono proprio carent, nisi aliarum rerum juventur auxilio, ut est mellis species, quæ nisi cerarum custodia et favorum cellulis conservetur, et ut verius dixerim nutriatur, naturalem gratiam perdit et subsistere per se ipsam non potest : sicut et vini species, quod si non boni odoris [a] vasis, et reparatis crebris picibus foveatur, genuinam vini suavitatem amittit. Attentius ergo providendum est ne forte et virginitati aliqua sint necessaria, sine quibus nequaquam fructum afferre sufficiat ; et tantus nihil proderit labor, dum vane prodesse creditur, quod absque viribus necessariis possidetur. Nisi fallor enim, ob cœlestis regni præmium pudicitiæ servatur integritas, quod sine vitæ æternæ merito neminem consequi posse certum est. Æterna vero vita nonnisi per omnem divinorum præceptorum custodiam promereri potest, Scriptura dicente : *Si vis in vitam pervenire, serva mandata* (*Matth.* XIX, 17). Vitam ergo non habet, nisi qui cuncta mandata legis servaverit. Et qui vitam non habuerit, cœlestis regni non potest esse possessor, in quo non mortui, sed vivi quique regnabunt. Nihil ergo virginitas sola proficiet, quæ cœlestis regni gloriam sperat, nisi et [b] aliud habuerit cui perpetua vita promittitur, per quam cœlestis regni præmium possidetur. Ante omnia ergo pudicitiam integritatemque servantibus, et ejus remunerationem a Dei æquitate sperantibus mandatorum custodia est præcepta, ne gloriosæ castitatis et continentiæ labor in irritum deducatur. Supra mandatum vel præceptum esse virginitatem sapiens [c] ex lege nullus ignorat, Apostolo dicente : *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do* (I *Cor.* VII, 25). Cum ergo obtinendæ virginitatis consilium dat, non præceptum, supra mandatum et præceptum eam esse professus est. Quicumque ergo virginitatem servant, majus quam præceptum est faciunt. Tunc enim proderit amplius fecisse quam jussum est, si quod jussum est feceris. [d] Nam quomodo plus fecisse gloriaberis, si minus aliquid non feceris? Cupiens divinum A implere consilium, ante omnia serva mandatum. Volens virginitatis præmium consequi, amplectere meritum vitæ, ut tua castitas remunerari possit. Nam ut vitam præstat observatio mandatorum, ita eorum e contrario generat prævaricatio mortem. Et qui per prævaricationem [e] in morte fuerit, virginitatis coronam sperare non poterit, neque pudicitiæ præmium exspectare constitutus in pœna.

V. Tres enim species sunt per quas regni cœlestis possessio introitur. Prima est pudicitia, secunda mundi contemptus, tertia vero justitia : quæ ut connexæ plurimum se possidentibus præstant, ita divisæ prodesse difficile possunt ; dum unaquæque earum non propter se tantum, sed propter alias flagitatur. In primis ergo quæritur pudicitia ut facilius subse- B quatur mundi contemptus, quia ab illis mundus contemni levius potest qui matrimonii nexibus non tenentur ; mundi vero contemptus exposcitur ut justitia conservetur, quam difficile implere possunt qui sæcularium bonorum cupiditatibus et mundanarum voluptatum negotiis implicantur. Quisquis ergo pudicitiæ possidet primam speciem, et secundam, quæ est mundi contemptus, non obtinet, pene sine causa possidet primam, quando secundam non habet, propter quam prima quæsita est. Et si primam et secundam habeat, cui tertia, quæ est justitia, desit, frustra laborat, quoniam superiores duæ propter tertiam præcipue requiruntur. Quid enim prodest propter mundi contemptum pudicitiam habere, et propter quod eam habeas non habere? Vel [f] cui rei C mundum contemnas, si justitiam, propter quam pudicitiam et propter quam mundi contemptum habere te convenit, non custodias? quia ut prima species propter secundam est, ita et prima et secunda propter tertiam ; quæ si non fuerit, nec prima nec secunda proficiet.

VI. Dicis forsitan : Doce me ergo quid sit justitia, ut eam si cognoverim, facilius implere sufficiam. Dicam tibi breviter ut valeo, et verborum utar simplicitate communium ; quia causa de qua agimus talis est, quæ disertioribus facundiæ sermonibus nequaquam debeat obscurari, sed simplicioris eloquentiæ narrationibus pandi. Res enim omnibus in commune necessaria, communi debet sermone monstrari. Justitia ergo non aliud est quam non peccare ; D non peccare autem est legis præcepta servare. Præceptorum vero observatio duplici genere custoditur, ut nihil eorum quæ prohibentur facias, et cuncta quæ jubentur implere contendas. Hoc est quod dicit Psalmista : *Recede a malo, et fac bonum* (*Ps.* XXXIII, 15). Nolo enim in hoc putes constare justitiam ut malum non facias, cum et bonum non facere malum sit, et in utroque legis prævaricatio continetur : quoniam qui dixit : *Recede a malo*; ipse dixit, *et fac bonum*. Si

[a] *Vasis*. Malim cum Holst. *vas* : apud quem paulo post legitur *rebus nec*, pro *viribus nec*.

[b] *Aliud hab.* Holst., *illud hab.* Mox ibid., *mandatorum sunt custodienda præcepta*.

[c] *Ex lege*. Rectius, quam Holst. *et legens*.

[d] *Nam quomodo..... si minus aliquid non feceris?* Hæc apud Holstenium incuriosus exscriptor omiserit. Paulo post ibid. perperam, *remuneratio mandatorum*.

[e] *In morte fuerit*. Legendum videtur cum Holstenio, *in mortem fuerit deputatus*.

[f] *Cui rei*. Sic Baluz.; id est, *cui bono?* At Holst. *cur res mundi cont.*

a malo recesseris et non feceris bonum, transgressor es legis, quæ non tantum in malorum actuum abominatione, sed et in bonorum operum perfectione completur. Neque enim tibi hoc solum præcipitur ut vestitum suis non spolies indumentis, sed ut spoliatos operias tuis; neque ut habenti panem non auferas suum, sed ut non habenti tuum libenter impertias; [a] neque ut solum pauperem suo non pellas hospitio, sed ut pulsum et non habentem recipias tuo. Præceptum enim est nobis *flere cum flentibus* (*Rom.* XII, 15). Quomodo cum illis flemus, si in nullo eorum necessitatibus participamus, nec aliquod eis in his propter quas lacrymantur causis, præbemus auxilium? Neque enim fletuum nostrorum Deus infructuosum quærit humorem; sed quia lacrymæ doloris indicium sunt, vult te ita alterius angustias sentire ut tuas. Et quomodo tibi, in tali tribulatione si esses, subveniri cuperes, ita alteri ipse subvenias, propter illud: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines bona, ita et vos facite illis* (*Matth.* VII, 12). Nam cum flente flere, si nihil, cum possis flenti conferre, conferas, subsannationis, non pietatis indicium est. Denique Salvator noster cum Maria et Martha Lazari sororibus flevit, et immensæ misericordiæ affectum lacrymarum contestatione monstravit. Et veræ pietatis indicia mox opera subsecuta sunt, cum suscitatus Lazarus, cujus causa lacrymæ funduntur, sororibus [b] vivus redditur. Et hoc fuit pie flere cum flentibus, occasionem fletus auferre. [c] Sed quis potens? inquies. Sed nec tibi aliquid impossibile imperatur. Implevit omnia qui quod potuit fecit.

VII. Sed, ut dicere cœperamus, non sufficere Christiano a malis se abstinere, nisi etiam bonorum operum officia perfecerit, illo vel maxime testimonio comprobatur, quo comminatur Dominus æterni ignis reos fore qui, quamvis mali nihil gesserint, non fecerint omne quod bonum est, dicens: *Tunc dicit Rex his qui ad sinistram sunt: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, quem præparavit Pater meus diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare*, et reliqua (*Matth.* XXV, 41). Non dixit, *Discedite a me, maledicti, quia homicidium, quia adulterium*, aut *quia furta fecistis;* [d] sed quia bona non fecerunt, condemnantur. Hi æternis gehennæ suppliciis addicuntur, non quia quæ prohibita fuerant admisissent, sed quia quæ præcepta fuerant implere noluerunt. Unde advertendum est quam spem habere possint qui adhuc aliquid eorum faciunt quæ prohibentur, cum etiam illi rei sint qui non fecerunt quæ jubentur. Nolo enim tibi in hoc blandiaris, si aliqua

A non feceris, cum scriptum est: *Qui universam legem servaverit, offenderit autem in uno, factus est omnium reus* (*Jac.* II, 10). Adam enim semel peccavit, et mortuus est. Et tu te vivere posse existimas illud sæpe committens quod alium, dum semel perpetrasset, occidit? An grande illum commisisse crimen putas unde merito ac juste damnatus est? Videamus ergo quid fecerit. Contra mandatum de fructu arboris edit. Quid ergo? Propter arboris fructum Deus hominem morte multavit? Non propter arboris fructum, sed propter mandati contemptum. Ergo non agitur de qualitate peccati, sed de transgressione mandati. Et qui dixit Adæ ut de arboris fructu non ederet, ipse tibi præcepit ut non maledicas, non mentiaris, non detrahas, nec detrahentes auscultes; ut omnino

B non jures, ut non concupiscas, non invideas, non sis tepidus, non sis avarus, ut nulli malum pro malo reddas, ut pro calumniantibus et persecutoribus tuis ores; ut percutienti maxillam, alteram præbeas; ut in judicio sæculari non liliges; ut si quis tua auferre voluerit, gratanter remittas; ut nec iracundiæ nec zeli livoris malum intra pectus admittas, ut crimen avaritiæ fugias, ut omnis jactantiæ ac superbiæ malum caveas, et humilis ac mitis Christi exemplo vivas; malorum consortia in tantum devitans, ut cum fornicatoribus aut avaris, aut maledicentibus aut invidis, aut detrectatoribus aut ebriosis, aut rapacibus cibum non capias. Quem si in aliquo contempseris, si pepercit Adæ, parcet et tibi? Immo illi magis parcendum fuerat, qui adhuc rudis et novellus erat, et

C nullius ante peccantis et propter peccatum suum morientis trahebatur exemplo. Tibi vero post tanta documenta, post legem, post prophetas, post Evangelia, post apostolos si delinquere volueris, quomodo indulgeri possit ignoro.

VIII. An tibi de virginitatis prærogativa plaudes? Memento Adam et Evam virgines deliquisse, nec integritatem corporis profuisse peccantibus. Virgo quæ peccat, Evæ, non Mariæ comparanda est. Non negamus in præsenti tempore remedium pœnitentiæ; sed hortamur magis præmium sperare debere quam veniam. Turpe est enim delicti indulgentiam postulare quæ palmam virginitatis exspectant, et illicitum aliquid incurrere quæ se etiam a licitis castraverunt. Licitum quippe est matrimonii inire

D consortium. Et ut laudandæ sunt quæ propter Christi amorem et cœlestis regni gloriam copulam contempserunt nuptiarum, ita damnandæ non sunt quæ propter [e] incontinentiæ voluptatem, nondum Deo devotæ, remedio apostolico abutuntur. [f] Ergo, ut

[a] *Neque ut solum*. Leg. cum Holst. *Neque solum ut*. Et paulo ante *spoliatum* pro *spoliatos*: ut respondeat superiori voci *vestitum*.

[b] *Vivus redditur*. *Vivus* omittit Holst. Et sane redundat. Antea namque *suscitatus* habetur.

[c] *Sed quis potens? inquies. Sed nec*. Holst., *Sed quasi potens, inquies, fecit. Verum nec tibi*, etc. Quam quidem lectionem hic restituendam nullus dubito.

[d] *Sed quia bona*. Ante hæc verba legimus apud Holstenium: *non enim quia malum fecissent, sed quia bonum non fecerant*, etc. Hæc vero imprudenter fuisse omissa in exemplari Baluziano suadent quæ mox in eamdem sententiam occurrunt: *non quia quæ prohibita.... sed quia*, etc.

[e] *Incontinentiæ*. Sic recte Baluz. Corrupte Holst. *innocentiæ*.

[f] *Ergo, ut dix*. Pessime Clericus: *Ergo, ut diximus, quæ connubia licita, ut illicita, spernunt, ejusmodi autem si jurent, si maledicant, si cupidus in alienis, si detrahentes probantur audire, si malum pro malo reddant, si avaritiæ in propriis incurrant crimen*, etc.

diximus, quæ connubia deserunt, non illicita sed licita spernunt. Ejusmodi autem si jurent, si maledicant, si detrahant, si detrahentes probantur audire, si malum pro malo reddant, si cupiditatis in alienis vel avaritiæ in propriis incurrant crimen, si zeli, si livoris venena possideant, si contra legalia et apostolica instituta indecens aliquid aut loquantur aut cogitent, si in carne placendi studio comptæ et ornatæ procedant, et alia quæ fieri solent illicite faciant; quid proderit eis sprevisse quod licuit, et exercere quod non licet? Si vis prodesse tibi quod licita contempsisti, vide ne quid eorum quæ non licent facias. Stultum est enim timuisse quod minus est, et non timere quod majus est; aut ab iis non vitari quæ prohibentur, [a] quæ subterfugerint quæ conceduntur. Dicit enim Apostolus: *Innupta cogitat quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore et spiritu* (I *Cor.* VII, 34). *Quæ Dei sunt*, inquit, *cogitat*; non quæ sæculi, non quæ hominum, sed quæ Dei sunt cogitat. Quæ sunt ergo Domini? Dicit Apostolus: *Quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ* (*Philipp.* IV, 8), ista sunt Domini, quæ sanctæ vere apostolicæ virgines die noctuque meditantur et cogitant. Dei est etiam regnum cœlorum, Domini est resurrectio mortuorum, Domini est immortalitatis incorruptio; [b] Domini est splendor solis, qui sanctis promittitur: Domini sunt plures iterum in cœlestibus mansiones, Domini est fructus trigesimus et sexagesimus et centesimus. Hæc cogitant, et quibus possint operibus promereri quæ Domini sunt, cogitant. Domini est etiam lex novi et veteris Testamenti, in quibus [c] ejus elogia sancta refulgent: quæ si virgines sine intermissione meditantur, quæ Domini sunt cogitant, et impletur in eis propheticum illud: *Fundamenta æterna super terram solidata, et mandata Domini in corde mulieris sanctæ* (*Eccli.* XXVI, 24).

IX. Sequitur, *quomodo placeat Deo*. Deo, inquam, non hominibus. *Ut sancta corpore sit et spiritu*. Non dixit, *ut sit sancta membro aut corpore tantum*, sed, *ut sit sancta corpore et spiritu*. Membrum enim una corporis pars est, corpus vero omnium compago membrorum. Cum ergo dicit *ut sit sancta corpore*, omnibus membris [d] eam sanctificari debere testatur: quia non proderit sanctificatio cæterorum membrorum, si inveniatur vel in uno corruptio. Non erit sancta corpore, quod ex omnibus constat membris, quæ vel unius fuerit coinquinatione polluta. Sed ut quod dico manifestius et lucidius fiat, [e] esto, sit quæ-

A cumque omnium membrorum sanctificatione purgata, et lingua tantummodo peccet, aut blasphemet, aut testimonium falsum dicat; numquid liberabunt omnia membra unum, an propter unum judicabuntur et cætera? Ergo si nec aliorum membrorum sanctificatio proderit, cum in uno sit vitium; quanto magis si diversorum flagitio peccatorum omnia corrumpantur, unius nihil proficiet integritas!

X. Unde quæso te, virgo, ne in sola tibi pudicitia blandiaris, neque in unius membri integritate confidas; sed secundum Apostolum soli Deo conserva corporis sanctitatem. Munda ab omnibus inquinamentis caput; quia crimen est illud, post chrismatis sanctificationem, aut croci aut alterius cujuslibet pigmenti fuco vel pulvere sordidari, aut auro aut
B gemmis vel cujuscumque terrenæ creaturæ specie. Grandis quippe divinæ gratiæ contumelia est, mundani et sæcularis ornamenti prælatio. Munda frontem, ut humana non divina opera erubescat, et illam confusionem recipiat quæ non peccatum, sed Dei gratiam parit, Scriptura divina dicente: *Est confusio adducens peccatum, est confusio adducens gratiam Dei* (*Eccli.* IV, 25). Munda collum, [f] ut non auro texta capillis portet suspensa monilia, sed potius illa ornamenta circumferat de quibus Scriptura dicit: *Misericordia et fides non deficient a te: suspende autem illa in collo tuo* (*Prov.* III, 3). Munda oculos, dum eos ab omni concupiscentia retrahis, et ab intuitu pauperum numquam avertis, et ab omnibus fucis liberos [g] ad ea quæ a Deo sunt facta custodis.
C Munda linguam a mendacio, quia *os quod mentitur occidit animam* (*Sap.* I, 11); a detractione, a juramento, ab adulatione, a perjurio. Nolo præposterum ordinem putes quod prius a juramento quam a perjurio linguam dixi debere mundari: quia tunc perjurium facilius effugies, si in toto non jures. Impleatur [h] in te illa sententia: *Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum* (*Psal.* XXXIII, 14). Et memor esto dicentis Apostoli: *Benedicite et nolite maledicere* (*Rom.* XII, 14). Sed et illud crebrius recordare: *Videte ne quis malum pro malo reddat alicui, neque maledictum pro maledicto; sed e contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis ut benedictionem hæreditatis possideatis* (I *Pet.* III, 9). Et illud: *Si quis autem verbo non offendit fratrem, hic perfectus est*
D (*Jac.* III, 2). Nefas est enim ut labia illa quibus Dominum confiteris, rogas, benedicis et laudas; alicujus polluantur sorde peccati. Nescio qua conscientia ea lingua quis Dominum rogat, qua aut mentitur,

[a] *Quæ subterf.* Holst., *si subterf.* Mox ibid. post Apostoli verba, nonnulla interpolata noscuntur.

[b] *Domini est splendor solis, qui*, etc. Apud Clericum lectio male interpuncta et mendosa: *Domini est splendor, solis quæ sanctis promittuntur.* Respicit enim auctor ad *Matth.* XIII, 43. *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno patris eorum.*

[c] *In quibus ejus.* Leg. cum Holst., *in quibus* ORIS *ejus.*

[d] *Eam sanct.* Male Cler., *jam sanct.* Mox Holst., *Et jam non erit sancta corpore.*

[e] *Esto, sit quæcumque.* Cler. perperam pro more suo: *quæcumque sit.* omisso *esto.* Et mox: *Ergo sine aliorum... Quanto magis.*

[f] *Ut non auro texta... monilia.* Cler. corrupte: *ut non aurea testula capillis portet et suspensa monilia.* Mox Holst., *suspende autem illa in corde velut in collo tuo.*

[g] *Ad ea quæ a Deo sunt facta custodis.* Ita exemplar Baluzianum, quod Cler. exscripsit infidus: *ad ea quæ Dei sunt factis custodis.* Sed magis placet hujusmodi Holstenii lectio; *et ab omnibus fucis liberos, ea quæ a Deo facti sunt sinceritate custodias.*

[h] *In te.* Hæc omittit Cler.

aut maledicit, aut detrahit. Labia sancta exaudit Dominus, et ipsis annuit cito precibus quas lingua immaculata [a] pronuntiat. Munda aures, ut nonnisi sermonibus sanctis et seriis auditum præbeant, ut numquam obscena aut turpia aut sæcularia verba suscipiant, aut non aliquem de altero audiant detrahentem, propter illud quod scriptum est : *Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam* (*Eccli.* XXVIII, 28); ut cum eo habere partem possis, de quo dicitur, *quoniam auditu et visu justus erat* (II *Petr.* II, 8), hoc est, nec auribus nec oculis delinquebat. Munda manus, *ne porrectæ ad accipiendum sint*, *ad dandum autem collectæ* (*Eccli.* IV, 36); nec ad feriendum paratæ, sed ad omnia misericordiæ et pietatis opera satis promptæ. Munda pedes, ne latam et spatiosam viam pergant quæ ducit ad splendida sæculi et pretiosa convivia, sed ad arduum magis et angustum gradiantur iter quod tendit ad cœlum; quia scriptum est : *Iter rectum facite pedibus vestris* (*Prov.* IV, 26; *Isai.* LVII, 14; LXII, 10). Agnosce tibi a Deo artifice non ad vitia, sed ad virtutes membra formata; et cum universos artus mundaveris ab omni sorde peccati et toto fueris sanctificata corpore, tunc tibi castitatem intelligas profuturam, et cum fiducia palmam virginitatis exspecta.

XI. Quid sit sancta esse corpore breviter quidem, sed plene exposuisse me arbitror. Nunc quod sequitur, *et spiritu*, nosse debemus, hoc est, ut quod opere nefas est fieri, nec cogitatione concipere. Illa enim est sancta tam corpore quam spiritu, quæ nec mente nec carne delinquit; sciens enim cordis esse speculatorem Deum, et idcirco satis agit ut omni modo etiam animum cum corpore mundum habeat a peccato, sciens scriptum esse : *Omni custodia custodi cor tuum* (*Prov.* IV, 23). Et : *Ita enim diligit Dominus sancta corda, accepti sunt autem ei immaculati* (*Prov.* XI, 20). Et alibi : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). Quod de illis dici arbitror, quos conscientia in nulla redarguit culpa peccati; de quibus et Joannem in epistola dixisse reor : *Si cor nostrum nos non reprehendit, fiduciam habemus ad Deum; et quæcumque petierimus accipiemus ab eo* (I *Joan.* III, 21). Nolo existimes te peccati crimen fugisse, si voluntatem non sequatur effectus, cum scriptum sit : *Quicumque viderit mulierem ad concupiscendum, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matt.* V, 28). Ne dicas : Cogitavi quidem, sed non perfeci ; quoniam etiam concupiscere nefas est, quod fieri crimen est. Unde et beatus Petrus præcipit dicens : *Animas vestras castificate* (I *Pet.* I, 22). Qui si nullam animæ constuprationem nosset, nec castificari eam desiderasset. Sed et illum locum quo continetur : *Hi sunt qui se cum mulieribus non coinquinaverunt, virgines enim permanserunt ; hi sequuntur agnum quocumque ierit* (*Apoc.* XIV, 4), attentius considerare debemus, et animadvertere si solius integritatis ac pudicitiæ merito isti divino comitatui copulentur, et per omnia cœlorum tabernacula discurrant, an et alia sint quibus adjuncta virginitas tantæ beatitudinis gloriam consequatur. Sed unde hoc scire poterimus? De sequentibus, nisi fallor, in quibus scriptum est : *Hi empti sunt ex omnibus primitiæ Deo et Agno, et in ore ipsorum non est inventum mendacium ; sine macula sunt ante thronum Dei* (*Ibid.*). Vides ergo quod non in uno [b] tantum membro dominicis referantur inhærere vestigiis, sed illi qui præter virginitatem ab omni cogitatione peccati immaculatam gesserint vitam. Idcirco vel maxime virgo nuptias spernat, ut dum securior est, facilius, quod etiam a nubentibus quæritur, ab omni se delicto custodiat, et universa legis mandata perficiat. Nam si non nubat, et ea nihilominus faciat a quibus et nuptæ esse jubentur immunes, non nupsisse quid proderit ? Et quamquam nulli christianorum peccare liceat, et omnes quicumque spiritalis lavacri sanctificatione purgantur, immaculatam decurrere conveniat vitam, ut Ecclesiæ, quæ *sine macula, sine ruga, sine aliquo vitio hujusmodi* esse describitur (*Ephes.* V, 27), possint visceribus intimari; multo magis hoc virginem implere necesse est, quam nec mariti nec filiorum nec alterius necessitatis causa prohibet, quominus divinam Scripturam perficiat, nec, si qua peccet, poterit excusatione defendi.

XII. O virgo, serva propositum tibi magno prælio destinatum. Præclara est apud Dominum virginitatis et pudicitiæ virtus, si non aliis peccatorum et macularum lapsibus infirmetur. Agnosce statum tuum, agnosce locum, agnosce propositum. Christi sponsa diceris. Vide ne quid indignum ei cui desponsata videris admittas. Cito scribet repudium, si in te vel unum viderit adulterium. Quæcumque ergo humanorum sponsaliorum pignoribus [c] obarrhatur, statim a domesticis, a familiaribus, ab amicis sponsi sollicite ac diligenter requirit et servulis, quales juvenis habeat mores, quid potissimum diligat, quid accipiat, quo usu vivat, qua se consuetudine regat, quibus utatur dapibus, in quibus maxime rebus delectetur et gaudeat. Quæ cum didicerit, ita se in omnibus temperat ut sponsi moribus suum obsequium, sua jocunditas, sua dilectio, sua diligentia, sua vita concordet. [d] Et tu quoque quæ Christum sponsum habes, a domesticis, et familiaribus ejus, sponsi tui mores interroga, et strenue ac solerter inquire in quibus præcipue delectatur, qualem in te compositionem vestium diligat. Dicat tibi ejus familiarissimus Petrus, qui nec nuptis quidem corporalem, sed

[a] *Pronuntiat*. Clerico magis placuit *nuntiat*. Paulo post idem rescribere maluit *serm. sanctis et veris*, secus atque habet exemplar Baluzianum, quod nobis repræsentat. Hanc tamen posteriorem lectionem exhibet, etiam Holst. Mox vero iterum Cler. cum Holst., *aut aliquem de altero audiant derogantem*.

[b] *In uno tantum membro*. Cler., *In uno virgines t. m.* Sed importune in textum illud *virgines*. Verbum enim *referantur* quod sequitur, ad eos respicit de quibus loquitur præcedens textus Apocalypticus.

[c] *Obarrhatur*. Holst., *subarrhatur*.

[d] *Et tu quoque quæ*. Relativum *quæ* omittit Cler. et sic improvide locum effert : *Et tu quoque Christum sponsum habes. A domest.*

spiritalem permittit ornatum, sicut in Epistola sua scribit : *Mulieres similiter subjectæ viris suis; ut si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conversationem vestram : quarum sit non extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconsus est cordis homo in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples* (I *Pet.* III, 1-4). Dicat et alius apostolus beatus Paulus qui ad Timotheum scribens eamdem fidelium feminarum disciplinam testatur : *Mulieres similiter in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa; sed quod decet mulieres, promittentes castitatem per bonum conversationem* (I *Tim.* II, 9, 10).

XIII. Sed forsitan dicis : Cur hæc apostoli virginibus non jusserunt? Quia non necessarium judicabant; ne talis virginibus commonitio potius injuria quam emendatio videretur. Sed nec eas umquam tantæ temeritatis fore credidissent, ut nec nuptis quidem concessa carnalia ornamenta et terrena præsumerent. Revera ornare se et componere virgo debet. Nam quomodo sponso suo placere poterit, nisi composita et ornata processerit? Ornetur plane, sed interioribus ornamentis, et spiritualiter, non corporaliter, componatur; quia Dominus non corporis, sed animæ decorem in illa desiderat. Ergo et tu quæcumque animam tuam a Deo diligi et inhabitari concupiscis, omni eam diligentia [a] come et spiritualibus indumentis exorna. Nihil in ea indecorum, nihil fœdum appareat. Resplendeat auro justitiæ, et gemmis refulgeat sanctitatis, et pretiosissimo margarito pudicitiæ coruscet : [b] pro bysso et serico, misericordiæ et pietatis tunica vestiatur, secundum quod scriptum est : *Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ,* [c] *benignitatem, humilitatem*, etc. (*Coloss.* III, 12). Non cerussæ aut alterius pigmenti decorem quærat, sed innocentiæ simplicitatisque candorem habeat, roseum verecundiæ colorem [d] et pudorem ruboris pudorisque possideat. [e] Cœlestis abluatur nitro doctrinæ, et lumentis spiritalibus emundetur. Nulla in ea malitiæ, nulla doli macula relinquatur. Et ne quando male redoleat odore peccati, unguento suavissimæ sapientiæ et scientiæ perfundatur.

XIV. Hujusmodi Deus quærit ornatum, et animam taliter compositam concupiscit. Memento te Dei filiam dici, secundum illud : *Audi, filia, et vide* (*Psal.* XLIV, 11). Sed et tu ipsa, quotiescumque Deum patrem nominas, Dei te filiam esse testaris. Ergo si filia Dei es, vide ne quid eorum facias quæ Deo patri incongrua sunt; sed age omnia quasi filia Dei. Cognosce quomodo hujus se sæculi nobilium filiæ gerant, quibus assuescant moribus, quibusve se disciplinis instituant. Tanta in quibusdam verecundia est, tanta gravitas, tanta modestia, ut cæterorum hominum ritum intuitu humanæ ingenuitatis excedant, [f] et nequaquam honestis parentibus suis per lapsum suum infamiæ notam inurant, alteram sibi quodam modo inter homines consuetudinis facientes naturam. Et tu ergo originem tuam respice, genus intuere, gloriam nobilitatis adverte. Agnosce te non hominis tantum esse, sed et Dei filiam, et divinæ nativitatis nobilitate decoratam. Ita te exhibe ut in te cœlestis nativitas pateat, et ut ingenuitas divina clarescat. Sit in te nova gravitas, honestas admirabilis, stupenda verecundia, mira patientia, virginalis incessus, et [g] veræ pudicitiæ habitus, sermo semper modestus et suo in tempore proferendus; ut quisquis te viderit admiretur et dicat : Quæ hæc nova inter homines gravitatis patientia est, quæ pudoris verecundia, quæ honestatis modestia, quæ maturitas? Non est ista humana institutio, nec disciplina mortalis. Cœleste mihi aliquid in terreno corpore refulget. Puto quod habitet in quibusdam hominibus Deus. Et cum te [h] filiam Christi esse cognoverit, majori stupore tenebitur, et cogitet qualis ille sit Dominus cujus talis ancilla est.

XV. Si vis ergo habere partem cum Christo, Christi tibi exemplo vivendum est, qui ab omni malitia et nequitia ita fuit extraneus, ut nec inimicis quidem vicem redderet, quin potius et pro ipsis [i] oraret. Nolo enim ut eas animas Christianas exis-

[a] *Come*. Sic recte Baluz. Holst., *compone*. Male Cler., *comple*; qui paulo ante scribit *habitari* pro *inhabitari*.

[b] *Pro bysso et serico misericordiæ*. Hæc incautus exscriptor apud Clericum omisit. Quæ vero statim *et pietatis tunica vestiatur*, vitiose apud Baluzium repetita ante illa *pro bysso*, etc., prætermisimus, Holstenianum exemplar secuti.

[c] *Benignitatem*. Gr., χρηστότητα. Sed Cler. *bonitatem* intrusit; qui et mox : *Non decorem alterius pigmenti quærat*; voculis *cerussæ aut* prætermissis.

[d] *Et pudorem ruboris pudorisque possideat*. Sic et apud Hieron. Mariani Victorii tom. IX, pag. 55. II. Sed legendum cum Holst., *et purpuream r. p. p.*

[e] *Cœlestis abluatur nitro doctrinæ, et lumentis*. Ita unica editio Baluzii ann. 1678, *Miscell.* lib. I, p. 349, quam præ oculis habeo : ut proinde mirari subeat, in eadem editione legisse Cotelerium *Monum. Eccl. Gr.* tom. II, pag. 541, *abluatur et lamentis* : quod et legisse perhibetur Clericus. Hinc vero ansam arripit idem Cotelerius conjiciendi legendum esse *abluatur et lomentis*. Cæterum Holst. habet *cœlesti et lamentis*; quod posterius minus forte congruit verbo *emundetur*. In Hieronymo laudati Victorii l. c., *lavamentis*. Malim tamen cum eodem Cotelerio *lomentis*, quod et magis accedit edito Baluziano. Mox mendose apud Clericum : *Nullus in eo mal.*; et paulo post : *Sed et tui ipsa*.

[f] *Et nequaquam..... facientes*. Jure hic mendum suspicatus est Clericus. Lege igitur cum Holst., *et ne quam... studeant facere*.

[g] *Veræ pudicitiæ*. Perperam Cler. *vitæ pudicitiæ* nonnullisque interjectis : *Non est ista humana institutione disciplina mortalis*.

[h] *Filiam Christi*. Sic item habet Hieron. Victorii tom. cit. p. 56 b. Verum ex Holst. emenda *famulam Christi*. Restitutionem confirmant, quæ mox sequuntur : *qualis sit ille Dominus, cujus talis* ANCILLA *est*.

[i] *Oraret*. Cler., *rogabat* : qui et mox edidit contra sui exemplaris fidem : *toto corde conscientiæ, coram Dei testimonio* : cum tamen optime se habeat editio Baluziana; scilicet, *toto corde et conscientiæ.... testimonio ... coram Deo*, etc. Rescripsisset ille saltem, ut habet Holstenii exemplar, ubi legitur : *toto corde et conscientia coram Dei testimonio*.

times esse, quæ aut fratres aut sorores non dico oderunt, sed quæ proximos toto corde et conscientiæ coram Deo testimonio non diligunt, cum Christianis Christi similitudine inimicos etiam amare necesse sit. Si sanctorum cupis habere consortium, a malitiæ et nequitiæ cogitatu pectus emunda. Nemo te circumveniat, nemo fallaci sermone seducat. Nonnisi sanctos et justos et simplices et innocentes et puros cœlestis aula [a] suscipiet : nullum apud Deum locum habet malitia. Ab omni nequitia et dolo mundum esse necesse est qui cupit regnare cum Christo. Nihil tam contrarium, nihil tam exsecrabile Deo quam aliquem odisse, alterum velle vel lædere ; nihil tam probabile quam omnes amare. Quod Propheta prospiciens testatur dicens : *Qui diligitis Dominum, odite malum* (*Psal.* xcvi, 10).

XVI. Vide ne aliquam humanam gloriam diligas, [b] ne et tua portio inter illos computetur quibus dictum est : *Quomodo vos potestis credere, gloriam ad invicem quærentes* (*Joan.* v, 44)? et de quibus per Prophetam dicitur : *Auge* [c] *eis mala, auge mala gloriosis terræ* (*Isai.* xxvi, 15, *sec.* LXX). Et : *Confundantur a glorificatione vestra, et ab opprobrio in conspectu Domini* (*Jerem.* xii, 13, *sec.* LXX). Nolo enim illas respicias quæ sæculi non Christi sunt virgines, nec quæ propositi sui et professionis immemores gaudent in deliciis, in opibus delectantur, et corporeæ nobilitatis in origine gloriantur ; quæ si pro certo Dei filias se esse crederent, numquam post divinos natales nobilitatem admirarentur humanam, nec gloriarentur in patre quolibet honorato, si patrem Deum se habere sentirent. [d] Quid tibi, o stulta, blandiris et complaces ? Duos homines in exordio fecit Deus, ex quibus totius humani generis silva descendit. Mundanam nobilitatem non naturæ æquitas præstat, sed cupiditatis ambitio ; et nulla inter eos discretio potest esse quos nativitas secunda generavit, per quam tam dives quam pauper, tam liber quam servus, tam nobilis quam ignobilis, Dei efficitur filius, et terrena nobilitas splendore cœlestis gloriæ adumbratur. Nusquam omnino jam comparet, dum qui retro in sæcularibus honoribus impares fuerant, cœlesti divinæ gloriæ nobilitate vestiuntur æqualiter. Nullus ibi jam ignobilitatis locus est ; nec degener quisquam est quem divinæ nativitatis sublimitas ornat, nisi apud illos qui non putant humanis cœlestia præponenda. Aut si putant, quam vanum est ut sese

A illis in minoribus præferant quos sibi in majoribus pares sentiant, et quasi infra se positos in terra existiment, quos sibi in cœlestibus æquales crediderunt. Tu autem, quæcumque Christi non sæculi virgo es, omnem præsentis vitæ gloriam fuge, ut eam quæ in futuro promittitur consequaris.

XVII. Contentionum verba et animositatis causa evita, discordiarum quoque et litium occasiones subterfuge. Nam si juxta Apostoli doctrinam servum Domini litigare non oportet, quanto magis Dei ancillam ; cujus quo [e] verecundior est sexus, animus debet esse modestior ! Linguam a maliloquio cohibe, et ori tuo frenos legis impone ; et tunc si forte loquaris quando tacere peccatum, cave ne quid quod in reprehensionem veniat dicas. Lapis emissus est sermo prolatus : quapropter diu antequam proferatur cogitandus est. Beata quippe labia sunt, quæ numquam quod revocare velint emittunt. Pudicæ mentis sermo debet esse pudicus, qui ædificet semB per magis quam aliquando destruat audientes, secundum quod præcepit Apostolus dicens : *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat ; sed si quis bonus est ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus* (*Ephes.* iv, 29). Pretiosa Deo lingua est quæ non nisi de divinis rebus novit verba construere, et sanctum os unde cœlestia semper eloquia proferuntur. Absentium obtrectatores quasi malignos Scripturæ auctoritate deterre ; quia etiam hoc inter perfecti hominis virtutes Propheta commemorat (*Psal.* xiv, 4), si ante conspectum justi malignus ad nihilum deducatur, qui contra proximum non probanda protulerit. Non licet tibi alterius vituperationem patienter audire, quia nec ab aliis optas recipi tuam. Injustum quippe est quidquid contra Christi C Evangelium venit, si alteri quod tibi ab alio fieri molestum est, patiaris inferri. Linguam tuam semper de bonis loqui assuesce, et auditum tuum magis ad bonorum laudem quam ad malorum vituperationem accommoda. Vide ut omnia quæcumque bene facis propter Deum facias, sciens ejus rei tantam te a Domino recepturam esse mercedem, quam ejus timoris et dilectionis causa perfeceris. Sancta magis esse quam videri stude ; quia [f] nihil prodest æstimari quod non sis, et duplicis peccati reatus est non habere quod creditur, et quod non habeas simulare.

XVIII. In jejuniis magis quam in epulis delectare, illius viduæ memor quæ non discedebat de templo,

[a] *Suscipiet*. Sic et Holst. At Cler., *suscipit* : et mox *nihil exsecrabile*, omissa vocula *tam*.

[b] *Ne et tua portio inter illos*. Cler. absone, *ne et illa portio inter eos*. Paulo post in Joannis textu leg. cum Vulg. et Holst., *ab invicem*.

[c] *Auge eis mala*, etc. Holst., *Auge eis mala, auge mala glorio is terræ*. Et alibi : *Confundimini a gloriatione vestra, ab opprobrio in conspectu Dei*. Prior locus sec. LXX exstat Isa. xxvi, 15 : Πρόσθες αὐτοῖς κακὰ, πρόσθες κακὰ πᾶσι τοῖς ἐνδόξοις. Posterior vero item sec. LXX occurrit, Jerem. xii 13 : Αἰσχύνθητε αἰσχύνην ἀπὸ καυχήσεως ὑμῶν, ἀπὸ ὀνειδισμοῦ ἔναντι Κυρίου. Atque hujusmodi lectio ex Holstenii exemplari re- D stituenda huic loco in edito Baluziano.

[d] *Quid tibi, o stulta, blandiris ?* Holst. *Quid tibi in generis nobilitate blandiris ?* Hanc lectionem contextus postulare videtur.

[e] *Verecundior est sexus*. Deest *sexus* apud Clericum; qui et paulo post habet, *ne quod in reprehensionem*, omisso *quid*. Mox idem mendose : *Beata quippe talia* pro *labia*. Paucisque interjectis : *destruat audientes*, *Sequendum... in divinis rebus*.

[f] *Nihil prodest æstimari quod non sis*. Cler. *nihil æstimari quod non sit*, omisso *prodest*. Et mox *simulari*, pro *simulare* : *et decedebat* pro *discedebat*. Paulo post *talibus* pro *dapibus*.

jejuniis et orationibus Deo serviens die ac nocte. Et si vidua et quidem Judæa talis fuit, qualem nunc esse virginem convenit Christi? Divinæ magis dilectionis convivium dilige, et spiritalibus te satiari dapibus concupisce. Illos potius require cibos quibus anima magis quam corpus reficitur. Carnis et vini species quasi [a] caloris fomenta et libidinis incitamenta fuge. Et tunc, si forte, vino exiguo utere cum stomachi dolore nimio corporis compellat infirmitas. Iracundiam vince, animositatem cohibe, et quidquid illud est quod post factum pœnitentiam ingerit [b] pro maximo crimine, proximi criminis abominationem declina. Satis quietam et tranquillam convenit esse mentem ab omni perturbatione furoris alienam, quæ Dei habitaculum esse desiderat, qui per Prophetam testatur et dicit: *Super quem requiescam alium, nisi super humilem et quietum et trementem sermones meos* (*Isai.* LXVI, 2)? Omnium operum et cogitationum tuarum speculatorem Deum credere, et cave ne quid quod divinis oculis indignum sit, aut opereris aut cogites. Cum orationem celebrare desideras, talem te exhibe quasi quæ sis cum Deo locutura.

XIX. Cum psalmum dicis, cujus verba loquaris agnosce, et in compunctione magis animi quam in tinnulæ vocis dulcedine delectare. Lacrymas enim psallentis Deus magis quam vocis gratiam comprobat, sicut Propheta dicit: *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* (*Psal.* II, 11). Ubi timor et tremor est, ibi non vocis elatio est, sed animi flebilis et lacrymosa [c] dejectio. Omnibus actibus tuis diligentiam exhibe; quia scriptum est: *Maledictus qui facit opera Domini negligenter* (*Jerem.* XLVIII, 10). Crescat in te cum annis gratia, crescat cum ætate justitia, et fides eo perfectior videatur esse quo senior: quia Dominus Jesus, qui nobis vivendi reliquit exemplum, *proficiebat* non *ætate* tantum corporea, sed *sapientia et gratia* spiritali, *coram Deo et hominibus* (*Luc.* II, 52). Omne tempus in quo te non meliorem senseris, hoc te æstima perdidisse. Conceptum virginitatis propositum ad finem usque conserva; quia non inchoasse tantum, sed perfecisse, virtutis est, sicut in Evangelio Dominus ait: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x, 12). Cave ergo ne cuiquam concupiscendi occasionem tribuas, quoniam sponsus tuus Deus zelans est. Criminosior est Christi adultera quam mariti. Esto igitur omnibus forma vivendi, esto exemplum. Præcede et in actu quos in castitatis sanctificatione præcurris. Virginem te in omnibus exhibe. Nihil corruptionis objiciatur capiti tuo. Cujus corpus integrum est, sit inviolabilis conversatio. Et quoniam, ut in exordio epistolæ præfati sumus, te Dei sacrificium [d] factam, quod

A utique sanctitatem suam etiam aliis impertit, ut quisquis ex eo digne sumpserit, sanctificationis et ipse sit particeps; ita ergo et per te quasi per divinam hostiam sanctificentur et cæteræ, cum quibus te ita in omnibus exhibeas, ut quisquis vitam tuam aut auditu aut visu contigerit, sanctificationis vim sentiat, et tantum sibi intelligat gratiæ ex tua conversatione transfundi, ut dum te imitari concupiscit, Dei sacrificio et ipse sit dignus.

EPISTOLA III.

AD SANCTUM PAULINUM EPISCOPUM.

Severus coquum mittit ad præparandos monachorum cibos aptum.

[e] Postquam omnes coquos tuos coquinæ tuæ renuntiasse cognovi, credo quia dedignarentur officium

B vilibus præbere pulmentariis: puerulum tibi ex nostra misimus officina, doctum satis pallentem coquere fabam, et ignobiles betas aceto et jure condire, vilemque pultem esurientium faucibus inferre monachorum; piperis nescium, laseris ignarum, familiarem cymini, et apprime callidum herbis suave redolentibus clamosum urgere mortarium. Unum habet vitium, quod hortorum omnium non est civilis inimicus; ita, si admissus fuerit, proxima quæque metet gladio, nec exsaturabitur umquam cæde malvarum. In præbendis autem sibi lignis [f] calumniosus tibi non erit: obvia quæque comburet; metet, nec dubitabit inferre tectis manus, et antiquos asseres laribus amovere. Hunc igitur cum his moribus atque

C virtutibus donatum, tibi non servum, sed pro servo filium cupimus, qui non erubescis minimorum esse pater. Ego tibi pro hoc servire voluissem: sed si voluntas facti portio est, tu modo facito ut inter prandia cœnasque felices mei memineris; quia rectius est vestrum esse mancipium, quam dominum cæterorum. Ora pro me.

EPISTOLA IV.

Licet dominus et germanus meus de vestra petierit honestate, ut tutum velitis esse tutissimum, tamen nihil fas fuit eumdem litteris commendare, ut conduplicata petitione tutior habeatur: huic enim nocuerit puerilis culpa et error ætatis incertæ, ut annorum suorum initia macularet; sed qui necdum sciret quid bonis moribus deberetur, prope sine

D culpa peccavit: nam se ubi ad bonam mentem considerationemque convertit, intellexit vitam scenicam consilio meliore damnandam; huic autem plena non posset evenire purgatio, nisi divinitatis accessu delicta dilueret: si quidem Catholicæ religionis remedio commutatus, usum sibi loci turpioris negavit, seque ab oculis popularibus vindicavit. [g] *Domini ut*

[a] *Caloris*. Cler. perperam *coloris*: et paulo ante *reficiatur*. Mox vero *uteris* pro *utere*.

[b] *Pro maximo crimine*. Hæc desiderantur in exemplari Holsteniano. Et quidem recte, ut videtur. Mox ibid., *et ab omni perturb*. Clericus vero incheat cap. 30 ab his verbis: *Proximi criminis abominationem declina*: scilicet, interrupto contextu.

[c] *Dejectio*. Clerico magis placuit *dilectio*: sensu et exemplaris veritate repugnante.

[d] *Factam*. Cler., *factum*. Et mox, *ex eis*, invito contextu.

[e] *Postquam*, etc. Huic Severi epistolæ respondet Paulinus epist. 23.

[f] *Calumniosus tibi*. Cler., *sibi*; et paulo post, *quia non erubescis*, mendose.

[g] *Domini ut supra*. Cum inscriptio hujus epistolæ

supra. Quomodo itaque et divinæ leges et publicæ A fidele corpus, et sanctificatos animos, non permittunt inhonestas exhibere delicias, et vulgares edere voluptates; maxime cum castæ devotionis quodammodo videatur injuria, si quis sacro baptismate renovatus, in veterem lasciviam revocetur : oportet [a] laudabilitatem vestram bonis favere propositis, ut is qui beneficio Dei pium munus indeptus est, in foveam theatralem cadere non cogatur. Vestrum tamen omnium judicium non recusat, si alias injungatis congruas pro necessitate communis patriæ functiones.

EPISTOLA V.

AD SALVIUM.

Conqueritur rusticos exagitari, juraque et possessiones aliorum usurpari.

B

I. Forensis [b] elatio fori debet exercitatione fervere; convenit enim lacertis industriæ quotidie depugnantis motus habere terribiles; at cum sonora facundia receptui cecinit, et in otiosa nemora atque amœna diversoria [c] se migravit, fremitus inertes oportet abjiciat, et desinat inefficacia minitari. Scimus etenim palmigeros bijuges ubi e circo recesserint, quietissime stabulari; illos non jugis formido, non ambiguæ palmæ sollicitant, sed demum pacatis affixi præsepibus timere jam nesciunt hortatorem, seditiosæ contentionis dulcia ducentes oblivia. Sed et stipendiis consummatis tropæa suspendere juvat militem gloriosum, et patienter gerere senectutem.

II. An tibi igitur cordi sit terrificare miseros aratores, non plane intelligo; et ruricolas meos cur C velis exhibitionis urgere formidine, non agnosco. Quasi vero illos nesciam consolari, et a pavore retrahere, et docere non tantum esse timoris quantum ipse prætendis. Fateor dum nos campus exciperet, me sæpe [d] eloquentia tua fuisse conterritum, sed frequenter ut poteram recidiva vulnera reponebam. Tecum sane condidici, quo jure coloni, quove ordine repetantur, cui competat actio, cui non competat exitus actionis. Volusianenses, ais, te velle reducere, ac frequenter iratus ingeminas te rusticos ex mea turricula retracturum; et is qui, ut ego spero atque desidero, mihi antiqua necessitudine sis copulatus, confecturum te homines meos conventione neglecta temere minitaris. Quæro de insigni prudentia tua, utrum jus aliud habeant advocati, aliud ex togatis, D an aliud æquum Romæ est, [e] aliud Mataritæ.

III. Interim nescio Volusium fundi umquam fuisse dominum : si quidem Dionysius fertur ejus possessionis jura servasse, neque hæredes illius defecisse, qui dum viveret, rei navalis in plurimos venenales aculeos intendebat. Fuit ea tempestate Porphyrius quidam Zibberino satus; neque tamen recte Zibberini filius nominatus. Idem generis quæstionem militia convelabat, et ut nubem a fronte repelleret, officiosa gratia et lætis obsequiis fungebatur. Multum mecum fuit et domi et in foro, cum me et apud patrem defensore, et apud judicem patrono sæpius uteretur. Aliquando etiam Dionysium comprimebam, quod Porphyrio non deberet viginti jugerum causa navicularia jurgia commovere.

IV. En causa est cur insignis prudentia tua meis minitetur actoribus, ut cum dominus loci non sis, passim colonorum meorum facias mentionem. At si te Porphyrii denuntias successorem, [f] jugerum noris angustias ne ab uno quidem cultore posse tractari; aut si te memorem custodemque propriæ dignitatis piget hæredem nominare Porphyrii; certum manifestumque est illum posse proponere, qui proponendi habeat facultatem, ut adversum eos experiatur, qui nihil ex eadem terra possideant. Cæterum si diligenter inspicias, mihi potissimum deferri potest intentio repetendi. Quare, domine prædicabilis frater, quiescas oportet, et mecum redeas in gratiam, et ad privatum digneris venire colloquium. Desinas, quæso, inertes et trepidos conturbare, et jactantiam tuam procul exerceas, et existimes me lætari tua superbia, non offendi; nec duri enim nec inerudití sumus. Saltem te mitem faciat Maximinus.

EPISTOLA VI.

Alia animorum quidem fides et religio manet; sed hæc declaranda est indicio litterarum, ut charitatis augmentum salutatione succrescat. Sicut enim fertilis ager fructus copiosos attollere non potest, si cultura cessaverit; et terrarum bonitas perit desidia quiescentis : sic amorem gratiamque animi puto posse torpescere, nisi qui absentes sunt, epistolari præsentia visitentur. Deo gratias. Amen.

[g] EPISTOLA VII.

CIRTENSIS PLEBIS AD S. AUGUSTINUM,

sub falso Sulpicii Severi nomine vulgata.

Laudatur Augustinus ob sapientiam et mansuetudinem, queis utitur in exhortationibus.

I. Sanctæ religionis fidus interpres universa com-

desit; ad quos scripta sit, ne Apollo quidem ipse divinarit : nisi quod intelligitur missam ad Decuriones alicujus civitatis, qui adolescentem quemdam, cujus nomen initio latet sub voce *tutum* quæ procul dubio corrupta est, in scenam invitum retrahebant, cum huic sacris aquis lustratus renuntiasset. DACHER. — Dubito an hæc epistola sit *Severi* nostri, cujus stylus mihi melior videtur. CLER.

[a] *Laudab. vestram*. Cler., *laudab. tuam* : contra fidem exemplaris. Lectionem vulgatam confirmant quæ mox sequuntur : *Vestrum tamen omnium judicium*.

[b] *Forensis elatio*, etc. Magis abit hæc epistola a stylo *Severi*, quam superior. Præterea est hominis qui olim patronus causarum fuerat, et prædia habebat in Africa : quæ *Severo* presbytero Aquitano, et qui vitam in Gallia traduxit, non conveniunt. CLER.

[c] *Se migravit*. Rescribit Cler., *remigravit* : et quidem recte, ut videtur.

[d] *Eloquentia*. Sic legimus cum Clerico, pro *eloquia* edit. Dacher. Mox mendose apud Cler., *se velle reducere*.

[e] *Aliud Mataritæ*. Mataritanensis plebis in Africa mentio fit in Collat. Carthag. (I die, cap. 133). DACHER.

[f] *Jugerum*. Cler., *viginti jugerum* : ex prima forte Dacherii editione, quæ in promptu non est. Paulo ante idem Cler., *et si te Porph*.

[g] *Epistola* VII. Hæc est epistola II ex iis quinque quas sub nomine *Sulpicii Severi* primus edidit Da

ponit, ut peccatis ulterius locus esse non possit; A nam quid aliud tanta morum sanctitate promittis, nisi ut vitam beatam submotis erroribus agitemus? In quo laudem maximam tuis [a] video convenire virtutibus, quod imperitam mentem piis hortationibus immutaris, et ad optimam traxeris rationem. Cæterum non ita mirabile videretur si eruditos animos infusa sapientia confirmasses; est enim prudentibus viris cum devotione cognatio, nec est cito conveniens [b] credulitati rusticitas. Sic illi qui figuras animantium de lapidibus ducunt, difficilioris operis negotium gerunt, si durissima saxa ferramentis incuiunt: illi vero qui mollioris materiæ tentamenta susceperint, manus suas juvari sentiunt facilitate [c] pingendi; consentaneumque putatur, ut arduus labor opificis honore maximo censeatur: ita B tibi, domne, prædicatio singularis est exhibenda, quod impolitos agrestesque sensus culpæ caligine liberatos, et humana sentire feceris, et divina cognoscere.

II. Non minus ille Xenocrates in laude est, philosophorum longe doctissimus, qui severis exhortationibus fecit ut luxuria vinceretur: nam cum Polemo quidam vino languidus ex antelucano convivio publice vagaretur, illudque temporis esset, quo ad gymnasium Xenocratis confluerent auditores, ingressus et ipse est, et in numero studiosorum eo habitu quo de cœna prodierat impudenter assedit; nam caput ejus florens corona contexerat; neque est veritus se omnibus videri dissimilem, [d] cui revera caput, quod est domicilium sanitatis, usus C longæ potionis inverterat. Tunc graviter immurmurantibus cæteris, quod in multitudinem litteratorum intempestivus auditor irrepserat; ne minimum quidem magister ille commotus est, sed potius de disciplina morum legibusque modestiæ instituit disputare; tantumque valuit docentis auctoritas, ut petulantis illius animum ad amorem pudoris impelleret. Et primo quidem Polemo coronam capite [e] conturbatus deposuit, discipulumque professus est; ad extremum ita se ad officium gravitatis inflexit, seque totum formavit ad verecundiam, ut prioris vitæ consuetudinem emendatio gloriosa correxisset. Hoc ipsud nos in tuis præceptionibus admiramur, quod nullis minis, nullis omnino terroribus ad cultum Dei vesanos animos convertisti, ut confusa mens illud crederet esse rectissimum, cum omnibus bene beateque vivere, quam cum paucis injusta sentire.

S. AUGUSTINI EPISTOLA CXLIV.

Augustinus Cirtensibus a factione Donatistarum conversis ad Ecclesiæ catholicæ societatem gratulatur admonens ut hoc divino tribuant muneri.

Dominis honorabilibus et merito suscipiendis, charissimis ac desideratissimis fratribus in omni honorum gradu, CIRTENSIBUS, AUGUSTINUS episcopus.

I. Si id quod in vestra civitate nos graviter contristabat, absumptum est; si duritia cordis humani resistens manifestissimæ et quodammodo publicæ veritatis vi evicta est; si sapit dulcedo pacis, unitatisque charitas non jam reverberat oculos saucios, sed sanos illustrat ac vegetat; non sunt hæc opera nostra, sed Dei: non hæc humanis operibus omnino tribuerem, nec si cum apud vos essemus, tanta conversio multitudinis nobis loquentibus et hortantibus proveniret. Hoc agit ille et efficit, qui per ministros suos rerum signis extrinsecus admonet, rebus autem ipsis per se ipsum [f] extrinsecus docet. Nec ideo pigrius moveri nos oportet ad visendos vos, quoniam quidquid in vobis laudabile est factum, non a nobis, sed ab illo factum est *qui facit mirabilia solus* (*Psal.* LXXI, 18). Multo enim alacrius debemus accurrere ad spectanda opera divina, quam nostra; quia et nos si quid boni sumus, opus illius, non hominum sumus. Unde Apostolus dixit: ***Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus*** (I *Cor.* III, 7).

II. Xenocrates Polemonem, ut scribitis, et nos [g] ex illis litteris recordamur, de fruge temperantiæ disputando, non solum ebriosum, verum etiam tunc ebrium, ad mores alios repente convertit. Quamquam ergo ille, sicut prudenter et veraciter intellexistis, non Deo fuerit acquisitus, sed tantum a dominatu luxuriæ liberatus: tamen ne id ipsum quidem, quod melius in eo factum est, humano operi tribuerim, sed divino. Ipsius namque corporis, quod est infirmum nostrum, si qua bona sunt, sicut forma et vires et salus, et si quid ejusmodi est, non sunt nisi ex Deo creatore et perfectore naturæ; quanto magis animi bona donare nullus alius potest!

cherius. De qua epistola hujusmodi judicium tulit noster Hieronymus de Prato in præfat. ad opp. *Sulpicii Severi*, tom. I, pag. 32: « Ego, inquit, non ad Paulinum, sed ad Augustinum datam deprehendo, non a Sulpicio Severo, sed nomine Cirtensis plebis; cui nimirum Augustinus respondet epistola, quæ sub num. 144 in edit. PP. Maurin. recensetur. Conferatur, quæso, utraque inter se epistola diligenter, potissimum in Polemonis exemplo; et verum esse quod dico quisque fatebitur: id indicasse, mihi nunc sufficiat. Cæterum epistola hæc perperam Severo ascripta, mutila videtur initio et in fine. » Hæc vir eruditus. Cujus quidem sententia ut plenius constet, huic epistolæ 7 alteram S. Augustini modo laudatam subjiciendam curavimus.

[a] *Video*. Aut *vides* reponendum aut *videmus*: in toto namque epistolæ contextu numerus multitu- D dinis adhibetur: quæ est ejusdem V. C. emendatio, cujus modo meminimus.

[b] *Credulitati rusticitas*. Sic emendare libuit Dacherio, cum antea legeretur *crudelitati*. Clericus tamen ms. codicis lectionem *crudelitati* retinuit, vocem exponens *severitati*; aitque hunc sensum sequentia docere. In ejus tamen sententiam haud equidem ierim.

[c] *Pingendi*. In Dacherii editionem qua utor, mendum suspicor irrepsisse; adeoque malim cum Clerico *fingendi*.

[d] *Cui revera caput... usus l. p. inverterat*. Clericus: *qui revera caput... usu l. p. inverterat*. Sed hac emendatione locus haud egere videtur.

[e] *Conturb. deposuit*. Ita rescripsit Dacherius, ubi erat *exposuit*. At Cler. a ms. codice non recessit.

[f] An *intrinsecus*?

[g] Editi, *ex illius*. At mss. habent *ex illis*. BB.

quid enim superius vel ingratius cogitare potest humana vecordia, si putaverit cum carne pulchrum faciat Deus hominem, animo castum ab homine fieri? Hoc in libro Christianæ sapientiæ scriptum est: *Cum scirem*, inquit, *quia nemo esse potest continens, nisi Deus det; et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum* (*Sap.* VIII, 21). Polemo ergo, si ex luxurioso continens factus ita sciret cujus esset hoc donum, ut eum abjectis superstitionibus pie coleret; non solum continens, sed etiam veraciter sapiens et salubriter religiosus exsisteret: quod ei non tantum ad præsentis vitæ honestatem, verum et ad futuræ immortalitatem valeret. Quanto minus igitur mihi arrogare debeo conversionem istam vestram vel populi vestri, quam modo nobis nuntiastis; quæ me nec loquente, nec saltem præsente, procul dubio divinitus facta est, in quibus veraciter facta est! Hoc itaque præcipue cognoscite, hoc pie humiliterque cogitate. Deo, fratres, Deo gratias agite; Deum timete, ne deficiatis; amate, ut proficiatis.

III. Si autem adhuc quosdam amor hominis occulte segregat, et timor hominis fallaciter congregat; observent qui tales sunt, quoniam Deum cui nuda est humana conscientia, nec testem fallunt, nec judicem fugiunt. Si quid autem illos de quæstione ipsius unitatis, pro suæ salutis sollicitudine permovet; hoc sibi quantum existimo justissimum extorqueant, ut de catholica Ecclesia, id est toto orbe diffusa, potius id credant quod divinæ Scripturæ dicunt, non quod linguæ humanæ maledicunt. De ipsa vero dissensione quæ inter homines orta est (qui qualeslibet fuerint, non utique præjudicant promissis Dei, qui dixit ad Abraham: *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXVI, 4); quod creditum est cum audiretur prædictum, et negatur cum videtur impletum) hoc tantum interim brevissimum, et nisi fallor invictissimum cogitent, aut actam esse istam causam in ecclesiastico transmarino judicio, aut non esse actam. Si acta ibi non est, innocens est Christi societas per omnes transmarinas gentes, cujus societatis nos communione gaudemus; et ideo ab eis innocentibus utique sacrilega diremptione separantur. Si vero acta est ibi ista causa, quis non intelligat, quis non sentiat, quis non videat, eos in ea victos, quorum inde communio separata est? Eligant ergo utrum malint credere, quod pronuntiaverunt ecclesiastici cognitores, an quod murmurant victi litigatores. Adversus istam complexionem dictu brevissimam, intellectu facillimam, attendite pro vestra prudentia diligenter, quam nihil sobrium responderi possit; et tamen malus Polemo magis ebrietate inveterati erroris evertitur. Date veniam prolixiori fortassis epistolæ quam jucundiori, verumtamen, ut arbitror, utiliori quam blandiori, domini honorabiles et merito suscipiendi, charissimi et desideratissimi fratres. De adventu autem nostro ad vos, utrorumque desiderium Deus impleat. Quanto enim charitatis ardore accendamur ad visendos vos, verbis explicare non possumus, sed vos benigne credere non dubitamus.

ANNO DOMINI CCCCV.

SECUNDINUS MANICHÆUS.

EPISTOLA AD AUGUSTINUM.

(Hanc epistolam vide inter opera S. Augustini tom. VIII, col. 571, ubi eam refellit S. Doctor prolatis argumentis.)

ANNO DOMINI CCCCVII.

SANCTUS CHROMATIUS,

EPISCOPUS AQUILEIENSIS.

(Editio, cura Braida, Utini 1816, excusa.)

PRÆFATIO EDITORIS.

[v] Nihil novi litterariæ reipublicæ afferimus, dum hic SANCTI CHROMATII Aquileiensis episcopi SCRIPTA, quæ supersunt, seu mavis OPUSCULA, exhibemus. Ab anno enim 1528, quo primum Basileæ lucem publicam *Chromatii Scripta* aspexerunt, pluries hæc, tum seorsim aliquando, tum maxime in Collectionibus Patrum, edita fuerunt: ac novissime in *Bibliotheca Patrum Scriptorumque Ecclesiasticorum*

Andreæ Gallandii, quæ Venetiis prodiit, locum obtinuerunt tomo VIII; meliori certe atque aptiori forma, quam umquam antea habuerint. Nihilominus a justis rerum æstimatoribus probatum iri consilium nostrum confidimus, novæ hujus peculiaris instituendæ *Chromatii Scriptorum* seu *Opusculorum* editionis, si eæ, quæ nos ad id impulerunt, tum generales tum singulares rationes animo perpendantur.

Compertum imprimis est, in Collectionibus Patrum, neque veteribus tantum, sed etiam recentioris curæ ac laboris, non pauca desiderari, quæ ad auctorum et operum illustrationem pertinent; seu quia collectores id sibi proposuerunt, ut brevitatis causa multa consulto omitterent, quæ fusiori calamo ab eruditis scripta essent; seu quia nondum reapse aliquid eruditionis emerserat, quod recudi ibidem B mereretur; seu demum, quia collectores ipsi Patrum operibus edendis intenti, et operum ac opusculorum multitudine veluti obruti, satis habuerunt communiora colligere, et textus interim integritati consulere; quod certe præcipuum in laboribus hujuscemodi semper fuit. Præterea opera quædam, ac ea maxime quæ non multis constant paginis, vix umquam edita fuerunt extra Bibliothecas Patrum, seu alias monumentorum veterum Collectiones; aut si quando separatim typis data fuerunt, vix editiones ipsæ perviæ sunt: et interim Bibliothecas easdem, aut cujuscumque nominis plurium voluminum Collectiones sibi comparare, paucorum profecto semper fuit. Multa demum sanctorum Patrum, seu opera, seu opuscula, sunt Bibliothecis aliisque C Collectionibus inserta, et vix aliquando seorsim edita, quæ non parum honoris et gloriæ conferunt tum provinciis, [VI] et regionibus, tum civitatibus, aliisque locis, in quibus auctores, dum viverent, inclaruerunt; quorumque omnium propterea interesset, ut vulgatiora, saltem penes suos, communiorisque forent usus. His addas religionis præsertim causam, in iis maxime sanctis Patribus, qui priscis Ecclesiæ sæculis floruerunt; quorumque cura et opere Christiana res illis in regionibus, provinciis, civitatibus, locisque aliis aut initium sumpsit, aut postea adolevit, prospereque se habuit. Nemo enim qui Christi religionem amore debito prosequatur; nemo non jucundissime suismet oculis pro D libito videat, aut saltem ab aliis qui facile viderint pronus intelligat, quid majores olim sui audierint ab iis sanctissimis viris, eorum in christiana disciplina præpositis, qui primi, aut non ita procul a primis, inter eos locuti sunt Verbum Dei; quorumque proinde institutione atque labore in accepto ab eisdem Fidei deposito ipse quoque adhuc firmus et incolumis, Divina favente gratia, post tot sæcula perseverat. Quis igitur inficias ierit, multis de causis sæpe fieri posse, ut actum reapse minime agat, immo ut laudem quoque mereatur et gratiam, qui sibi, edita etiam in Collectionibus et Bibliothecis sanctorum Patrum *Scripta* quælibet, seu *Opuscula*, nova luce separatim donare proponat?

A Ut vero hæc, quæ scribimus, ad *Chromatii* nostri *Scripta* referamus, nuda hæc propemodum semper, aut satis levibus indumentis amicta in Bibliothecis ac Collectionibus veteribus prodierunt: atque demum clarissimus ipse Gallandius, qui multo certe decore ornata hæc eadem *Chromatii Scripta* dare potuisset (prout tot alia minoris etiam voluminis dedit), contractione quadam delectatus, in qua tamen et viri ingenium et diligentiam admireris, non pauca desiderari permisit, quæ non eruditi solummodo, sed omnes, ut ita dicam, lectores, in unum collecta apteque disposita libenter vidissent. Quin ipse quoque, pro multigena eruditione sua, qua plurimum valuit, multa ex proprio penu eruere potuisset, unde horum *Scriptorum* editio magis magisque nitesceret, et gratior atque utilior fieret. Quid enim dicimus, dum *Chromatium* Aquileiensem episcopum nominamus? Virum nempe suæ ætatis inter Occidentis episcopos præclarissimum; cujus *sanctam mentem* in divinorum eloquiorum studio divus Ambrosius admirabatur; quem divus Hieronymus (cui adulationis nota inuri certe non potest) *episcoporum sanctissimum atque doctissimum* appellavit: quem Rufinus alterum sui *temporis Beselehelem* dixit; cui scribens ipse quoque sanctus Joannes Chrysostomus, [VII] *vehementissimam, atque igne plenam charitatem*, *sinceramque et ingenti libertate ac fiducia perfusam linguam, atque adamantinam contentionem* prædicabat; cuique tandem plurimum sane debemus, quod ipse Hieronymus, in exponendis sacris Scripturis doctor maximus a Deo datus Ecclesiæ suæ, tantopere in eisdem allaboraverit, ut notum est omnibus. Dignus itaque erat *Chromatius*, qui in hac litterarum luce omni cultu ornatus prodiret, licet cæteroquin pauca sint quæ de illo supersunt: quæ tamen pauca, simul ac e tenebris erupere, maximi semper facta fuerunt a viris doctissimis, tum ob orationis nitorem, tum ob rerum gravitatem doctrinæque præstantiam, tum ob ea quæ passim suppeditant ad christianæ institutionis vigorem, et ad catholicorum dogmatum confirmationem.

Nostra vero quod interest, qui Aquileienses sumus, atque de tanto viro, a laudatissimis tum sui tum posterioris ævi tantopere laudato, merito gloriamur; quique eumdem, post sanctum Valerianum, quarto labente quintoque ineunte sæculo, sacrorum præsulem, religionis magistrum, christianæ vitæ ductorem, fideique ab apostolis traditæ assertorem strenuum habere meruimus: nostra, inquam, quod interest, pati profecto ulterius fas non erat, ut ipse in *Bibliothecis Patrum*, aliisque veteribus monumentorum consimilium collectionibus veluti delitesceret; et iidem illi, quibus hujusmodi voluminibus potiri datum esset hinc et illinc petere cogerentur, quæ ad ipsius illustrationem pertinerent. Quid autem, quod ea quæ ad *Chromatii* nostri illustrationem faciunt, etsi ab aliis quoque eruditis viris, ac præcipue Tillemontio atque Ceilliero, tractata sunt, non aliunde

tamen quam a Scriptoribus nostris plenius ac luculentius peti possunt; a viris nimirum clarissimis, omnique eruditione præditis, Fontanino atque De Rubeis, qui ex proposito in suis operibus, multoque rerum omnium apparatu de *Chromatio* scripserunt, eaque omnia enuclearunt summo studio atque labore, quæ ad illius ætatem, patriam, episcopatum, virtutes, merita, et scripta spectant; licet non semper sibi in omnibus consentiant ambo : quod tamen lectoribus non incommodum; quinimmo jucundum quandoque futurum sit, ipsis hoc pacto veluti judicibus constitutis inter tantos viros de eodem argumento in re aliqua discrepantes?

En igitur, benigne lector, quod tibi in hoc volumine exhibemus. Divi *Chromatii* Aquileiensis episcopi *Scripta* seu *Opuscula* damus, quæ supersunt. *Scripta* vero seu *Opuscula* ea diximus, non *Opuscula* absolute. Præter enim primum *Sermonem* [VIII] (sive *Tractatum*, aut *Concionem* dixeris) *de octo Beatitudinibus*; quod vere *Opusculum* integrum atque perfectum est : cætera omnia, neque unum, neque plura *Opuscula* reapse sunt, sed reliquia potius unius justi *Operis*, quod *Commentarium* constituere debuisset in totum Matthæi Evangelium, ut infra dicendum erit; ideoque potius quam *Opuscula* simpliciter, quæ de eodem sancto præsule nunc habemus, ea convenientius, ut putamus, *Scripta* seu *Opuscula* nuncupavimus. Animadverte vero quo ordine, quove cultu ea prodire jubemus.

Post præfationem hanc nostram, in qua nonnulla etiam suo loco ventilamus, quæ eruditorum nostrorum aut diligentiam effugerunt, aut ætatem superarunt, adsunt primo aspectu *de sancto Chromatio episcopo Aquileiensi Veterum Testimonia selecta*; in quibus gratissime præsertim videas quid divus Hieronymus aut de *Chromatio* aut ad *Chromatium* scripserit, quid divus Ambrosius, quid Rufinus Aquileiensis, quid sanctus Joannes Chrysostomus. Quantos porro, quantæque auctoritatis viros! Accipias secundo loco *Lectiones proprias*, a viro clarissimo Francisco Florio comite, sacri Ordinis nostri præposito, conditas, et ab apostolica sede approbatas, quæ in diœcesi Utinensi recitantur ad matutinum officium in *festo sancti Chromatii episcopi Aquileiensis* die 2 Decembris; quæque cum hactenus patuerint dumtaxat in *Libello proprio Sanctorum Diœcesis*, communes nunc fiunt eruditis, qui eas libenter excipient, tum ob dictionis præstantiam, tum ob historiam sancti viri purissimis e fontibus haustam, et brevi sermone contractam. Accedit tertio *titulus primæ editionis Scriptorum* sancti *Chromatii*, Basileæ peractæ anno 1528, ejusque rarissimæ, una cum *Epistola* nuncupatoria Joannis Sichardi, ex qua discimus quanti hæc *Scripta* facta fuerint a primo ipso tempore quo detecta, et luce publica donata fuerunt. Quarto loco Andreas Gallandius venit, qui in *Prolegomenis* ad tomum VIII suæ *Bibliothecæ veterum Patrum*, etc., cui inserta divi *Chromatii* nostri *Scripta* sunt, diligenter de eodem sancto viro et erudite disseruit, ex iis delibans quæ duumviri nostri superius laudati, Fontaninus atque De Rubeis, uberrime scripserunt. Hæc sunt, quæ in hac nostra editione *Scripta* sive *Opuscula* sancti *Chromatii* antecedunt; quæ tum eorum, tum Auctoris meritum prædicant; quæque eorumdem legendorum desiderium magis magisque incendunt.

Sequuntur *Scripta* ipsa, quæ ad nos pervenerunt, quæque non aliunde, quam ex citato tomo VIII *Bibliothecæ* Gallandii [IX] sumenda decrevimus, ubi primum dispertita apparent in tot *Tractatus*, quot sunt numero *Doxologiæ*, seu *Glorificationes*, quæ in eisdem leguntur : nam antea seu in partes duas tantummodo, ut in prima eorumdem editione Basileensi; seu in tres, ut in *Bibliotheca Patrum* Lugdunensi, aliisque fortasse anterioribus, dividebantur. *Tractatus* titulum in singulis libenter retinuimus, quem Gallandius ipsis imposuit, etiamsi existimemus, ut infra palam fit, hos omnes, si unum excipias, a sancto viro non fuisse in usum prædicationis conscriptos. *Tractatus singularis*, qui in nostra hac editione primus est, quem *Sermonem* etiam appellavimus sub titulo *de octo Beatitudinibus*, utpote reapse a sancto episcopo in auditorum frequentia habitum, in editione Basileensi præcitata admodum incongrue, tum quoad materiam, tum quoad dicendi modum, *Declamatio* nuncupatur. Reliqui omnes ibidem continenter editi, minus quidem improprie, sed etiam minus apta indicatione, dicuntur *in* V *et* VI *caput Matthæi Dissertatio*.

Etiamsi vero *tractatus* vocabulum a Gallandio usurpatum retinuerimus, ab ordine nihilominus, quem hi *Tractatus* in sua *Bibliotheca* obtinent, recedere coacti fuimus. Nam præter *Tractatum singularem*, seu *Sermonem de octo Beatitudinibus*, quem primo quidem loco ut Gallandius ipse, sed a cæterorum numero separatum, et extra ordinem omnino posuimus, utpote nihil habentem commune cum ipsis, excepta materia, quæ, ita exigente Evangelii explanatione, in alio quidem *Tractatu* pene eadem est, sed alio modo, alio etiam stylo, alioque nexuum usu prolata : præter hunc *Tractatum* seu *Sermonem*, nos in reliquis initium duximus a *Tractatu*, qui apud Gallandium est 17, eumque *primum* diximus *in caput* III *Evangelii sancti Matthæi*, prout etiam *secundum* diximus *in caput* III *sancti Matthæi*, qui apud eumdem Gallandium est 18 et ultimus; et *tertium* nuncupavimus *in caput* V *sancti Matthæi*, qui ibidem numeratur secundus; et ita etiam reliquos eodem ordine in idem *caput* V *et in caput* VI, usque ad *Tractatum* 17, qui apud nos ultimus est, quique apud Gallandium, qui duos nostros priores ultimo loco posuerat, est 16.

Hujus nostri consilii ratio ipse textus Evangelii est : nam expositiones in caput tertium Matthæi, quæcumque demum eæ sint, seu mutilæ, seu lacuna aliqua a reliquis intercisæ, jure debere antecedere existimavimus quæ sunt in caput quintum et sextum. Gallandius vero qui hoc non animadvertere minime

potuit, [x] nimium fortasse tribuit auctoritati, seu A potius errori præcedentium editionum, et maxime *Bibliothecæ Patrum* Lugdunensis, ubi reapse duo nostri *Tractatus* priores in unum compacti, sub *Fragmenti* nomine, ultimo loco sunt positi. Cæterum Sixtus Senensis, cujus articulus de sancto *Chromatio* in *Bibliotheca* Lugdunensi legitur, hæc illius *Scripta* optime recensuerat, memorans primo loco quæ hujus sancti præsulis habemus in caput tertium Matthæi, secundo vero quæ supersunt in caput quintum et sextum, ac tertio *homiliam*, quam jure *elegantem* etiam appellat, *de octo Beatitudinibus*. Hæc editorem *Bibliothecæ Patrum* Lugdunensis monere debuissent, ut hunc saltem et ipse servaret modum in ordinandis *Chromatii Scriptis* seu *Opusculis*, quæ collectioni suæ inserebat. Nos autem a *Tractatu* seu B *Sermone singulari de octo Beatitudinibus* initium sumere maluimus, tum ut a præstantiori et absoluta Sancti Viri lucubratione inciperemus, tum ut evitaremus exordium ducere a re quodammodo capite truncata, prout est *Tractatus*, qui in hac nostra editione, uti jam diximus, numero *primo* exhibetur.

Curam insuper nostram in hac editione in eo præcipue posuimus, ut quam emendatiora sancti *Chromatii* nostri *Scripta* daremus: quod factum maxime fuit collatione habita eorumdem *Scriptorum* cum prima Basileensi editione superius memorata, quæ nunc, deficientibus manuscriptis codicibus, ad instar præstantissimi codicis est; necnon cum editione Joannis Grynæi inter sua *Monumenta sanctorum Patrum orthodoxographa*, Basileæ 1569, tomo II, C p. 1192. Id vero in hac cura nostra nobis obtigit optatissimum, ut genuinæ rectæque lectioni redderemus textum insignem sancti hujus episcopi, qui est de Trinitatis mysterio, et exstat *tractatu* 2, numero 2 hujus nostræ editionis; quique depravatissimus, erroneæque sententiæ legitur tum in *Bibliotheca Patrum* Lugdunensi, tum similiter in *novissima* ipsius Gallandii; quamvis hic, ut ipse testatur, non parum allaboraverit, ope maxime *Excerptorum Combefisianorum*, ut mendosas etiam lectiones aliorum exemplarium in *Chromatii Scriptis* corrigeret.

Præcitata editio Basileensis prima, sicuti etiam subsequens altera Joannis Grynæi, viam nobis aperuerunt ad textum hunc integritati reddendum: adjutrices dehinc manus nobis obtulit Alcuinus abbas, seu Flaccus Albinus, qui textum eumdem retulerat, una cum aliis plurimorum Sanctorum Patrum, in *libello* suo *adversus Hæresim Felicis episcopi*; nosque usi sumus tum textu [xi] ab eodem relato, qui exstat inter *opera* Alcuini editionis clarissimi abbatis Frobenii tomo I, vol. II, p. 767; tum eo quoque, quem ex manuscripto codice Vaticano ejusdem Alcuini eruit clarissimus Fontaninus, inseruitque *Historiæ* suæ *litterariæ Aquileiensi* lib. III, cap. 4, num. 2, ubi de sancto *Chromatio* apposite disserit, quem infra suo loco videre poterit lector. En autem textum ipsum, tum depravatum, tum integrum, ut facta collatione quisque cognoscat, quid lectum hactenus fuerit in *Bibliotheca Patrum* Lugdunensi, ac in *novissima* quoque Gallandii; quidve legendum potius fuisset, prout in hac nostra *editione* legendum præbemus.

Celebris textus sancti CHROMATII episcopi Aquileiensis de sanctissimo Trinitatis mysterio.

(*Ex Bibliotheca Patrum* Lugdunensi atque ex *novissima* Andreæ Gallandii.)

« Unde igitur quale Patris de Filio testimonium sit, dicentis: *Hic est Filius meus*. Suus utique, non per adoptionem gratiæ, neque per religionem creaturæ, ut hæretici volunt, sed sui proprietate generis et veritate naturæ. Multi enim sanctorum filii Dei dicuntur, et sunt: sed hic sine compassione unus Deo Patri Filius unigenitus, et verus, et proprius, non aliunde quam de Patre natus. Quia tam verus Pater, Pater est, et Deus est: sicuti etiam verus Filius, Filius est Trinitatis ostensus, cum et Pater D Christum Dominum ac Deum nostrum Filium suum esse testatur; et Spiritus, id est Paracletus, in tanto fidei sacramento Patri Filioque conjungitur: ut verum Patrem, verum Filium, verum etiam Spiritum Sanctum crederemus: tres personas, sed unam divinitatem Trinitatis, unamque substantiam. »

(In hac nostra editione suæ integritati restitutus.)

« Vide igitur quale Patris de Filio testimonium sit, dicentis: *Hic est Filius meus*. Suus utique, non per adoptionem gratiæ, neque per religionem creaturæ, ut hæretici volunt, sed sui proprietate generis, et veritate naturæ. Multi enim sanctorum filii Dei dicuntur, et sunt: sed hic sine comparatione unus Deo Patri Filius unigenitus, et verus, et proprius, non aliunde quam de Patre natus. Quia tam verus Pater, Pater est, quam verus et Deus est: sicuti etiam tam verus Filius, Filius est, quam verus et Dominus est. Perfecta ergo fides est Trinitatis ostensa; cum et Pater Christum Dominum ac Deum nostrum Filium suum esse testatur; et Spiritus Sanctus, id est Paracletus, in tanto fidei sacramento Patri Filioque conjungitur: ut verum Patrem, verum Filium, verum etiam Spiritum sanctum crederemus: tres personas, sed unam divinitatem Trinitatis unamque substantiam. »

[XII] Restituto hoc textu sancti *Chromatii*, qui fidei ipsius de sacratissimo Trinitatis mysterio testimonium præbet luculentissimum, aliisque paucis minoris momenti correctionibus hic atque illic factis; notatiunculas præterea omnes ad *Chromatii Tractatus* ex Gallandio accepimus; easque ad imam paginarum partem collocavimus; quibus etiam nos ipsi unam aut alteram addidimus. Atque hæc sunt, quæ de *Scriptis* sive *Opusculis* sancti *Chromatii*, quæ nunc denuo edimus, scire lectorem oportebat, ut instituti nostri ratio illum non lateret.

Post *Scripta* sancti *Chromatii* episcopi Aquileien-

sis, non inutile judicavimus duo ipsius, brevissima quidem, sed magni ponderis *Dicta* exhibere, quæ protulit in Aquileiensi concilio sub sancto Valeriano episcopo habito, anno 381, adversus Palladium et Secundianum episcopos Arianos, dum ipse Aquileiensis ejusdem Ecclesiæ presbyter esset. Magnorum virorum, etiam brevissima quæque, sunt maximi facienda: atque hæc quidem *Chromatium* presbyterum jam tunc tantæ virtutis ac fidei, tantique apostolici roboris ostendebant, qui dignissimus esset Valeriano futurus in episcopatu successor.

Decem et octo annos, aut etiam novemdecim, in episcopatu Aquileiensi, ut communis fert computatio, exegit *Chromatius*. Multa propterea eumdem scripsisse ad gregis sibi crediti informationem, multa ad fidei defensionem adversus maxime Arianorum aliorumque vigentes errores, necnon paganorum late adhuc patentem superstitionem, non incongrue existimamus. Quid vero ipse scripserit, præter ea quæ habemus, absque teste, et absque idonea ratione asserere non licet. Interim et testes adsunt, et idoneæ non desunt rationes quæ illum alia quoque peculiaria, quæ interierunt, scripsisse affirmant et suadent: ideoque brevem elenchum horum saltem *deperditorum*, post edita, subjicimus.

Quod magnis viris, primæ præsertim, eidemque proximæ antiquitatis, non semel contigit, ut nonnulla sub eorum nominibus scripta apparerent, quæ fetus essent hominum obscurorum, et indigna prorsus quæ tanta auctoritate gauderent; id profecto accidit et sancto nostro *Chromatio*, sub cujus nomine, necnon simul et sancti *Heliodori* episcopi Altinatis, amicitia *Chromatio* conjunctissimi, duæ epistolæ prodierunt ad sanctum Hieronymum, una cum duabus ejusdem Hieronymi ad ipsos responsionibus, quæ pluries pluribusque in locis editæ fuerunt, quæ genuinæ etiam aliquando sunt habitæ, quæque nunc, atque jampridem, communi eruditorum suffragio, inter opera tum *Chromatii*, [XIII] tum Hieronymi spuria recensentur. Has epistolas nihilominus, simul cum divi ejusdem Hieronymi fictis responsionibus, operæ pretium duximus hic ultimo loco præbere lectoribus, una cum animadversionibus criticis duorum illustrium virorum; ut nihil *Chromatianæ* huic editioni desit eorum, quæ et desiderari et præberi solent in sanctorum Patrum novissimis editionibus. Atque hæc de *Chromatii Scriptis*, quæ hoc volumine exhibentur, deque apparatu et ordine quo prodeunt.

Sed quid de sancti *Chromatii* vita; de ætate nimirum qua floruit, de rebus ab ipso gestis, de annis seu vitæ seu episcopatus illius: quid de Ecclesiæ Aquileiensis eo tempore statu, aliisque similibus, quæ in quolibet vetusto auctore inquiri solent, atque illustrari debent ab eo, qui ejusdem *Operum* editionis curam suscipiat? Hanc spartam duumviri nostrates eruditissimi, inter scriptores proxime præteritæ ætatis primi subsellii, ornandam susceperunt, Justus Fontaninus archiepiscopus Ancyranus, et Bernardus Maria De Rubeis Ordinis Prædicatorum. Probatum iri propterea confidimus a lectoribus humanissimis consilium quod cepimus: pro iis scilicet quæ dare potuisset super hac re imbecillitas nostra, *Lucubrationes* integras exhibendi clarorum horumce virorum, quæ licet antehac editæ inter opera utriusque, quæ amplioris argumenti sunt, hic tamen veluti suo proprio loco, post *Scripta* videlicet Sancti Præsulis, de quo apposite agunt, recudi quodammodo gaudebunt.

Damus itaque imprimis *Lucubrationem* clarissimi Fontanini quam ipse Romæ degens exarabat anno 1713, ut ibidem ipse testatur, quæque exstat in sua *Historia Litteraria Aquileiensi* libro III; quod tamen Opus nonnisi post ejus obitum lucem vidit Romanis typis, anno 1714. Omnium primus post Tillemontium, multo eruditionis et critices apparatu, hoc sancti *Chromatii* argumentum omni ex parte tractandum ibidem suscepit Fontaninus, eoque rem perduxit, ut, pro eo tempore quo scribebat, absolutius nihil, nihil diligentius desiderari posset, ipso etiam judice Andrea Gallandio in brevi illa scriptione sua de *Chromatio*, quam superius memoravimus, quamque infra subjicimus. Notatiunculas nihilominus nostras non paucas huic *Lucubrationi* Fontaninianæ supponere coacti fuimus, tum ut nonnulla explanaremus, quæ non satis fortasse dilucide a viro clarissimo enuntiata fuerunt, tum ut alia notaremus quæ Eruditis posterioris ætatis non placuerunt: tum demum ut aliqua reapse corrigeremus, vel quæ ipse dum scriberet nosse non poterat, [XIV] vel quæ etiam aliquando aliis certe gravissimisque curis implexus minime animadvertit.

Hoc idem argumentum sancti *Chromatii* post Fontaninum, sed antequam Fontanini *Litteraria Aquileiensis Historia* evulgaretur, pertractavit clarissimus De Rubeis a capite 10 usque ad 13 suorum *Monumentorum Ecclesiæ Aquileiensis*, quæ edita fuerunt Argentinæ (seu Venetiis) anno 1740. Hæc itaque capita Fontaninianæ *Lucubrationi* subjunximus, quasi alteram hujus eruditi viri de eadem re *Lucubrationem*; in qua multa quidem desideres de *Chromatio*, quæ Fontaninus ampliori eruditionis apparatu congessit, sed in qua etiam multa invenias, quæ pressius ille absolvit; ac præsertim quæ ad *Origenianorum operum* vices pertinent, quæque ad personam *Rufini* presbyteri Aquileiensis, horum *operum* causa adeo exagitati; quem nihilominus Sanctus noster *Chromatius*, quoad vixit, semper impense coluit. Capitibus hisce *Monumentorum Aquileiensium* aliquid aliud ex eodem De Rubeis addidimus; quæ nempe ipse scripsit numero 5 et 6 capitis 18 suarum *dissertationum variæ eruditionis*, etc., quæ Venetiis prodierunt anno 1762, postquam scilicet Fontaninianum *opus* perlegerat *Litterariæ Aquileiensis Historiæ*; ubi animadversiones illius intelliges super ea, quæ scripserat Fontaninus tum de *Chromatii* ordinatione in episcopum Aquileiensem, tum de *Romani episcopi* appellatione, qua *Chromatius* donatus fuit in prima ejus *Scriptorum* Basileensi editione. En itaque tibi,

benigne lector, prospectum hujus nostræ *Scriptorum seu Opusculorum* sancti *Chromatii* Aquileiensis episcopi editionis : en simul rationes, quæ fortasse non inutilem operam nostram ostendent in hac editione adornanda; quæque novi aliquid quodammodo a nobis datum fuisse significabunt, etiamsi non nova tulerimus.

Hic exitum habere posset hæc prælocutio nostra : sed ne prorsus a nobis intactum argumentum hoc videatur; et quia, post ea quæ Fontaninus atque De Rubeis ad illustrationem illius contulerunt, nonnulla quoque supersunt, quæ aliquo modo perpendi atque illustrari merentur; non gravate feras, si, quamvis tantis longe impares viris qui nos in hac alea præcesserunt, aliquid nos quoque arripiamus, vel quod eorum effugerit diligentiam, vel quod ab ipsis, pro tempore quo scribebant, aut non satis, aut minime prorsus pertractari potuerit.

Ut a *Chromatii* familia incipiamus, in qua duo tantum fratres, *Chromatius* et *Eusebius*, absque ullo tertio anonymo quem [xv] voluerat Fontaninus; quid censendum de *Eusebio*, quem constat diaconum fuisse Aquileiensem, dum presbyter esset *Chromatius*, ac postea episcopatus honore cumulatum? Id nempe testatur Rufinus *Apologiæ in sanctum Hieronymum* libro I, num. 4, scribens : « Ego.... ante annos fere triginta.... per gratiam baptismi regeneratus, signaculum fidei consecutus sum per sanctos viros Chromatium, Jovinum, et Eusebium, opinatissimos et probatissimos in Ecclesia Dei episcopos, quorum alter tunc presbyter beatæ memoriæ Valeriani, alter archidiaconus, alius diaconus, simulque pater mihi et doctor Symboli ac Fidei fuit. » Hæc scribebat Rufinus anno circiter 400 aut 401, juxta De Rubeis in dissertatione *de Rufino*, capite 3 et 4. Factum idcirco baptismatis sui, quod Aquileiæ locum habuisse scribit *ante annos fere triginta*, quo tempore diaconus erat *Eusebius Chromatii* tunc presbyteri frater, ad annum pertinet, ut recte idem De Rubeis supputavit, 371 vel 372. Post hoc igitur factum, cum episcopus creatus fuerit, juxta Rufinum ipsum, etiam *Eusebius* : cujus sedis, aut cujus loci episcopus censendus ipse est? Sanctum *Eusebium* Bononiensem episcopum interfuisse concilio Aquileiensi habito sub sancto Valeriano episcopo anno 381, adversus Palladium et Secundianum Arianos episcopos, in quo *Chromatius* quoque adhuc presbyter Aquileiensis aderat, constat ex Actis illius concilii, quæ exstant tomo II Operum sancti Ambrosii editionis Parisiensis Maurinorum, et in conciliorum Collectionibus. Fueritne igitur Bononiensis Ecclesiæ episcopus frater *Chromatii* nostri *Eusebius?* Si ratio temporis habeatur, inquit Tillemontius, *Mémoires pour servir à l'Histoire ecclésiastique*, etc., tomo XI, nota 1, ad sanctum *Chromatium*, nihil est quod vetet hoc credi posse : ipse tamen arbitratur *Chromatii* nostri *Eusebium* fratrem, nequaquam fuisse *Eusebium* episcopum Bononiensem, ea ductus ratione, quod *Eusebius* Bononiensis episcopus aliquando fortasse conjugio vacavit, uti eruitur ex sancto Ambrosio; quod dici nequit de *Eusebio Chromatii* nostri fratre, quandoquidem duo hi fratres a divo Hieronymo appellantur, *geminus Samuel nutritus in templo*, Epistola VII, in editione Vallarsii, *ad Chromatium, Jovinum, et Eusebium*, quæ ad annum refertur 373. Duos *Eusebios* Bononienses ejusdem ætatis numerant eruditi Benedictini editores *Operum* sancti Ambrosii Mediolanensis episcopi, alterum nobilem civem uxoratum cum prole, quocum familiaritatem colebat ipse Sanctus doctor, alterum vero Bononiensem episcopum. In hac hypothesi cessaret [xvi] Tillemontii difficultas; et *Eusebius* episcopus Bononiensis posset esse *Eusebius* ipse *Chromatii* nostri frater. Quis tamen hoc unico fundamento asserat eumdem reapse fuisse episcopum Bononiensem?

Clarissimus noster Franciscus comes Florius, quem superius memoravimus, in quadam Notatione ad Bachiarium ab ipso Romæ editum, anno 1748, pag. 57, proclivitatem quamdam ostendit agnoscendi in *Eusebio* episcopo Bononiensi *Eusebium Chromatii* nostri fratrem, scribens : « Chromatius Aquileiensis Ecclesiæ presbyter, et Eusebius illius frater diaconi munere insignitus.... uterque.... episcopalem dignitatem adeptus est : prior nimirum Valeriano nostro successit; alter vero incerti nominis Ecclesiam (nisi Bononiensis fuerit) sanctissime rexit. » Quinimmo ex schedis ipsius, quæ supersunt apud nobilem virum comitem Philippum Florium, ejusdem fratris filium ejusdemque eruditionis hæredem, quem honoris et grati animi causa hic nominamus; ex schedis, inquam, ipsius aperte intelligimus eumdem postea proclivitatem illam suam ita extendisse, ut pene pro certo habuerit, *Eusebium Chromatii* nostri fratrem, fuisse *Eusebium* ipsum episcopum Bononiensem : ita enim manu propria scriptum reliquit : « Mi è venuto in pensiero di render palese un ornamento della Chiesa di Bologna, benchè assai ricca di antichi e nuovi. Ma nel tempo stesso ciascun vedrà, che senza offesa del vero io servo, dirò così, alla mia causa, ed adempio un ufficio di pietà verso quella nobilissima Chiesa che da gran tempo mi fu madre, e che mi nodrì finchè visse. In poche parole io propongo la mia congettura. Santo Eusebio vescovo di Bologna è quell'Eusebio diacono di Aquileja, di cui parlano, come vedremo, con molta lode san Girolamo e Rufino. Nulla vi ha, che si opponga a questa congettura; e molte osservazioni concorrono a renderla assai verisimile. » En itaque opinionem viri clarissimi scripto patefactam, et ita prolatam, ut satis declaraverit, se rem jam tunc funditus perpendisse, nihilque illi reliquum fuisse, quam ea proponere argumenta, quæ illum ad eamdem amplexandam induxerant; quod curis aliis procul dubio impeditus non fecit, nisi potius intercidisse dicamus quod super hac re lucubraverat. Tanti viri opinionem nos quoque libenter amplectimur, ab ea moderatione minime separatam qua auctor usus fuit, *con-*

jecturam illam appellans: et interim *Chromatio* nostro nobisque gratulamur de *Eusebii* hujus, similiter nostri, sanctitate; sicut etiam de cultu quem apud Bononienses [XVII] obtinet sub die 26 Septembris, et de quo admodum erudite (licet nihil omnino de Aquileiensi hujus sancti viri origine) Prosper Lambertinus, postea Benedictus XIV, in suis *Annotazioni sopra gli Atti d'alcuni Santi, de' quali si celebra l'Offizio e la Messa, per lo più senza le Lezioni proprie, nella diocesi di Bologna*, etc. *Bologna* 1740 : quod Opus Latino etiam sermone donatum videas tomo X *Operum* ejusdem *Benedicti papæ XIV*, *Romæ* 1751.

Dissimulare hic tamen, data occasione, non licet sancti hujus *Eusebii* epochas, quas ibidem signat laudatus Lambertinus *juxta accuratiorem*, uti scribit, *Chronologiam*; initi scilicet ab *Eusebio* Bononiensis episcopatus anno Christi 370, decessus vero ipsius anno 400. Nostra quidem documenta Aquileiensia, ut candide fateamur, cum epochis his non apprime conveniunt : diaconus siquidem erat Aquileiensis Ecclesiæ *Eusebius Chromatii* frater, non modo, uti vidimus, anno 371, aut etiam 372, quo eodem administro baptismum Aquileiæ suscepit Rufinus, sed anno etiam 373, quo ad ipsum simul et *Chromatium* et *Jovinum* Aquileiæ positos, et nullo indicatos episcopatus honore, litteras dedit Hieronymus : mortem vero *Eusebius* Aquileiensis, episcopus postea factus ut Rufinus testatur, jam oppetierat anno 396, uti ex alia ad *Heliodorum* episcopum Hieronymi ipsius epistola ejusdem anni; quas omnes semper ex editione et Chronologia Vallarsii hic nominamus. Quomodo ergo cum hac epocharum diversitate conciliari potest episcopatus Bononiensis *Eusebii* nostri Aquileiensis, *Chromatii* fratris; ut unus omnino et idem *Eusebius* sit Aquileiensis, qui episcopus fuit Bononiensis?

Verum enimvero diversitas hæc epocharum, tanta, ut nobis quidem videtur, non est, quæ *conjecturam* clarissimi Florii nostri, quam amplexavimus, valeat labefactare, et nos a concepta pro eadem opinione dejicere. Ubi enim monumenta non adsunt, in incerto semper versamur, dum Christi annos assignare contendimus seu rebus seu hominibus priorum quinque et amplius sæculorum, ut notum est omnibus. Monumenta vero nulla profert Lambertinus in citato opere pro epochis sancto *Eusebio* Bononiensi attributis. Et interim hæc ipsa annorum 370 et 400 absoluta, et, ut ita dicamus, rotunda, a Chronologis etiam *accuratissimis* facta signatio, absque ulla neutrubi alterius numeri additione seu imminutione, præjudicium facile ingerit incertitudinis habitæ a Chronologis ipsis in hisce epochis assignandis. [XVIII] Monumenta autem nostra, quæ habemus firmissima, minime vetant, quominus *Eusebius Chromatii* frater inaugurari potuerit episcopus Bononiensis post annum 473 indicatæ Hieronymi epistolæ ad *Chromatium*, *Jovinum* et *Eusebium*, aut etiam eodem ipso epistolæ illius anno currente : et eadem monumenta nos monent, ut anno 396 vita jam functum *Eusebium Chromatii* fratrem existimemus. Quid igitur conjiciendum post hæc?

Accuratior illa *Chronologia*, quam nominat Lambertinus, monumentis fortasse propriis atque invictissimis destituta, sollicita quidem fuerit in assignando saltem præter propter episcopatus tempore *Eusebii* Bononiensis; quod tempus scilicet decurrerit inter annum Christi 370 et 400; quin strictim ac præcise asserere voluerit, eos ipsos esse vere ac proprie annos, tum initi ab ipso Bononiensis episcopatus, tum morte relicti. Et ecce, ni fallimur, brevi facilique modo, ac prorsus hisce rebus magna ex parte incertis consentaneo; ecce sublatam chronologicam difficultatem, quæ fortasse in hoc negotio potissima est : ut propterea in *Eusebio* Bononiensi propensius agnoscamus *Eusebium* ipsum *Chromatii* nostri fratrem; quod profecto, si nobis Aquileiensibus perjucundum atque decorum, Bononiensibus ipsis gratissimum futurum sit; quibus hæc gloria quoque novissime accesserit, ut non immerito credant episcopum suum, *Eusebium* nomine, quarto Ecclesiæ sæculo sanctitate clarum, e clero prodiisse Aquileiensis Ecclesiæ tantopere a divo Hieronymo laudato, et fratrem habuisse ipsius Ecclesiæ episcopum *Chromatium*, cujus solum nomen pro laude plenissima est.

Interim ipsius *Eusebii* quoque nomen, quod *Chromatii* Aquileiensis episcopi frater gerebat, quidni *Eusebiorum* etiam familiam indicet, et eam quidem Aquileiensem, unde uterque oriundus? Aquileiensem patria *Chromatium* nostrum asseruit firmissime Fontaninus; nec ita procul ab illius sententia abiit De Rubeis, dum Romatinum eumdem aut Concordiensem facile fecit; quæ duo tunc loca Aquileiensis erant episcopatus propria, et ab Aquileia urbe non ita longe posita. Postquam tamen duumviri illi de *Chromatii* patria scripserunt, ex feracissimis Aquileiæ ruderibus monumenta aliquot, eaque præclara, in apricum venere, quæ *Eusebianæ* cujusdam familiæ, et absque dubio Aquileiensis, mentionem nunc primum faciunt, quæque a viro clarissimo Angelo Maria Cortinovio, Utinensis hujus collegii Sancti-Pauli præposito, nuper apud nos vita functo, et illustrata [XIX] et publici etiam juris facta fuerunt. Ipse vero ex his monumentis simul sumptis, sicuti *Eusebiorum* familiam quamdam, et illustrem quidem, Aquileiæ exstitisse quarto et quinto Christi sæculo arguit, ita ad hanc eamdem familiam *Chromatium* nostrum, atque *Eusebium* fratres, aliquo saltem modo pertinuisse, non ægre suspicatur. Ab avis siquidem et patribus in filios et nepotes nomina tunc quoque propagabantur, quæ veluti familiarum cognomina quædam jam tunc constituebant : et *Eusebius* noster etsi post *Chromatium* a divo Hieronymo nominetur epistola 7 et 8 in editione Vallarsii, quia *Chromatius* tunc presbyter Aquileiensis, *Eusebius* vero diaconus tantum erat; *Eusebius* tamen natu major *Chromatio* fuisse videtur, ut ipse propterea *Eusebianæ* familiæ nomen obtinuerit, quia et anno Christi 381 in Aqui-

leiensi concilio ipse jam episcopus erat Bononiensis, uti ex superius dictis conjicimus, dum *Chromatius* adhuc presbyter tantum esset Aquileiensis : et ante *Chromatium* ipse quoque excessit e vita uti ex eodem Hieronymo habemus epistola ibidem 60, num. 19, *ad Heliodorum*, quæ, uti jam diximus, ad annum pertinet 496. Ex *Eusebiana* igitur Aquileiensi familia, et quidem in primis clara, uti eadem monumenta nos docent, *Chromatium* nostrum prodiisse facile credimus : unde non modica eidem laus accedit, quod originis claritatem vitæ sanctimonia, doctrinæ splendore, et virtutibus omnibus episcopo dignis, una cum *Eusebio* fratre, exornavit. Exstant typis edita a Cortinovio *Eusebianæ* Aquileiensis familiæ monumenta in Dissertatione sua Italice scripta, cui titulus : *Sopra una Iscrizione Greca d'Aquileia*, seu potius in prævia ejusdem Epistola nuncupatoria ad eminentissimum cardinalem Borgia, *Bassano* 1792; necnon in dissertatione altera, similiter Italice scripta, cui titulus : *Sopra un Bassorilievo di Costanzo e Giuliano*, quæ locum habet in litterariis fasciculis, inscriptis : *Memorie per servire alla Storia Letteraria e Civile. Venezia, presso Pasquali* 1799. *Marzo e Aprile*, pag. 3 et sequentibus.

Aliud nunc nos urget, quod *Chromatium* ipsum, de quo scribimus, singillatim respicit : suntque *Scripta*, sive *Opuscula* ejus, quæ nova hac editione donamus. Ac primo quidem : suntne genuinus fetus illius, quæ sub ejus nomine edita fuerunt, et nunc denuo eduntur ? Fatendum est cum Tillemontio, Ceilliero, aliisque, altum de *Chromatii* scriptis operibus quibuscumque esse silentium apud veteres, qui nobis data opera notitiam reliquerunt auctorum, seu ætatis suæ, seu etiam præcedentium (xx) sæculorum; quique ipsorum *Scripta* indicarunt, sive omnibus nota, sive deperdita, vel latentia : neque dissimulari quidem potest, tunc tandem primo innotuisse litterariæ reipublicæ *Chromatium* nostrum aliquid scripto exaratum reliquisse, cum ex manuscripto quodam veteri *Scripta* illius Basileæ prodierunt anno 1528 merito et opera Joannis Sichardi; licet *Scriptorum* horumce mentionem quamdam fecerit multo ante beatus Albinus Flaccus, seu Alcuinus abbas, in *libello adversus Hæresim Felicis episcopi*. Et Tillemontius quidem, Opere ac tomo supra citato pag. 539 editionis Venetæ Pitterianæ, necnon *nota* 2, pag. 653, etsi ingenue fateatur *Scripta Chromatio* nostro attributa digna esse celebritate nominis ipsius, neque *Chromatium* alterum notum esse, cui possint dignius assignari ; subdit nihilominus, quod *il serait à souhaiter qu'on eust des preuves plus fortes, qu'elles sont de lui, que n'est le titre des manuscrits qui les attribuent à Chromace evesque romain*. Vim horum Tillemontii verborum intellexit Fontaninus noster; ac propterea totus fuit in *Lucubratione* de *Chromatio*, quam post *Scripta* seu *Opuscula* damus, ut modis omnibus confirmaret ea apprime convenire nomini, quod præferunt, *Chromatii* nostri episcopi Aquileiensis; et ut objecta refelleret, quæ ex silentio veterum, et Hieronymi præsertim, vellet quispiam urgere.

Nihilominus, seu viderit, seu non viderit, Fontanini nostri (satis cæteroquin etiam in Gallia noti scriptoris) momenta Ceillierus, in sua *Histoire générale des auteurs sacrés et ecclésiastiques*, tomo X, cap. 3, parum dissimilis a Tillemontio, ita scribit : *Nous ne trouvons rien des écrits de saint Chromace dans aucun de ceux qui nous ont laissé des catalogues des écrivains ecclésiastiques. Il y a néanmoins quelques manuscrits où l'on trouve le nom de Chromace à la tête de trois discours que l'on a imprimés dans la Bibliothèque des Pères.... Ce qu'on peut dire de mieux, c'est que les écrits qui portent le nom de saint Chromace ne sont point indignes de lui, et que l'on ne connaît point d'évêque de ce nom à qui ils puissent être attribués avec plus de justice*. En igitur a Ceilliero recoctum quod præbuerat Tillemontius; ut adhuc certum exploratumque, etiam juxta illum, non sit, *Scripta* illa, quæ sub *Chromatii* nostri nomine circumferuntur, ipsius esse reapse; et hoc ea præsertim de causa, quod nulla eorum mentio in veterum catalogis habeatur.

Nos itaque Ceilliero quoque reponimus, quod Fontaninus super [xxi] Tillemontii animadversione exaratum reliquit; et silentibus etiam catalogis veterum, qui Scriptorum ecclesiasticorum opera recensuerunt, indubium et certum nihilominus esse tenemus, sanctum *Chromatium* nostrum Aquileiensem episcopum vere auctorem esse *Scriptionum*, quæ sub ejus nomine editæ habentur : quidquid sit de *Romani episcopi* titulo, quo a prima Basileensi editione insignita fuerunt, de quo titulo et Fontaninus ipse et De Rubeis abunde dixerunt, et nos quoque infra nonnihil addere proposuimus. Nihil aliud propterea inquirendum, nihil desiderandum ulterius; quasi silentibus veterum catalogis adhuc de *Chromatii scriptis* sub judice lis esset, et quasi catalogorum veterum defectui nulla alia critices regula ad veritatem agnoscendam suppleri potuerit, prout a Fontanino plene suppletum fuit. Catalogorum veterum auctoritatem in sinceritate Operum judicanda agnoverat acutissimus criticus Joannes Clericus in sua *Arte Critica*, parte III, sectione 2, cap. 3, num. 1, hunc sanciens *aphorismum* : « Scripta quorum nulla mentio in priscis catalogis, quæ nec memorata sunt ab ullo scriptore sequentium proxime sæculorum, ut plurimum aut ficta judicanda sunt, aut minimum suspecta habenda. » Verum ecce quid idem ipse addiderit num. 15 : « Quamvis *aphorismi* nostri auctoritas plerumque illibata maneat, non diffitebimur tamen egregios nobis aliquot superesse scriptores; quorum suppares, qui quidem supersint, nullam mentionem fecere. » Viro igitur critico persuasum fuit, non tanti semper esse ponderis veterum catalogos, ut, ipsis silentibus, aliis critices regulis inveniri veritas non possit in dijudicanda sinceritate operum, quæ alicui auctori in manuscriptis codicibus tribuuntur. Exempla ibidem pro-

tulit Fontaninus auctorum et operum toti Ecclesiæ A notissimorum, de quibus apud criticos dubium nullum; quorum tamen nec Gennadius, nec Isidorus, neque alii nomenclatores exteri meminere. Clericus vero citato nuper loco, inter auctores Ecclesiasticos, addit etiam celebrem Athenagoram; cujus tamen et nomen et opera, ut ipse ait, Eusebio Hieronymoque ignota fuere.

Unum super hac re hic addere liceat, quod auctorum *Ephemeridum litterariarum*, etiam celebriorum, supinitatem quandoque et indiligentiam probet, non sine studiosorum incommodo, nec sine rei litterariæ detrimento, cujus immo juvandæ gratia sunt institutæ. In percelebri Gallicæ litteraturæ diario, cui titulus *Journal des Sçavans*, mense Martio anni 1745 datur synopsis seu compendium tomi de- B cimi superius memorati operis [XXII] Remygii Ceillieri: in quo capite 3 agit ipse de sancto *Chromatio* episcopo Aquileiensi, deque *Scriptis* illius. En vero quid et quomodo scribat hujus diarii, seu potius articuli hujus diarii, auctor, de Ceillieri sui sententia super *Chromatii* nostri *Scriptionibus*. *Dom Remy Ceillier se trouve encore ici en contradiction avec M. Fontanini. Ce sçavant dans l'ouvrage que nous venons de citer, et où il se montre fort jaloux de la gloire des écrivains d'Aquilée, attribue à S. Chromace dix-huit homélies sur S. Matthieu, et s'efforce de prouver que c'est sans fondement que M. de Tillemont, qui les a crues néanmoins d'un ancien, et sçavant auteur, révoque en doute qu'elles soient de saint Chromace. Dom Remy Ceillier au contraire, parmi dix-huit homélies* C *n'en trouve que trois qu'on puisse donner à ce saint: encore montre-t-il qu'il est très incertain qu'il en soit l'Auteur.* Ita diarii hujus Gallici, seu articuli hujus diarii, auctor. Verum quis ita scribere possit, qui accurate legerit et Fontaninum et Ceillierum ipsum; quique præ oculis saltem habuerit *Scripta Chromatii*, qualia exhibentur in *Bibliotheca Patrum* Lugdunensi, ad quam Ceillierus respiciebat? Nequaquam si quidem somniavit Ceillierus ex decem et octo homiliis a Fontanino memoratis tres tantum seligere, quæ genuinus fetus censeri possent sancti Chromatii: sed ne Fontanini quidem mentione facta, quem numquam fortasse novit in iis quæ de Chromatio scripsit, neque *homiliarum* numero quem primus Fontaninus ipse proposuit indicato, omnia Chromatii D scripta quæ supersunt in tres tantummodo partes divisa, qualia nempe exstant in *Bibliotheca Patrum* Lugdunensi, Ceillierus recensuit; deque iis, prout ibidem exstant, quæque totas duodeviginti homilias Fontanini constituunt, judicium suum protulit, quale superius attulimus, nulla prorsus facta alicujus horum scriptorum partis secretione. Sed hæc obiter; et ne Ceillierum quisque, ex hac Gallici diarii infideli et prorsus inepta relatione, veluti in crimen vocare velit iniquioris critices in Chromatii nostri scripta quæ habemus. Scire interim non inutile quoque judicamus, accuratissimos super hac re sane fuisse, et prorsus ad Ceillieri mentem scripsisse mense Novembri præcedentis anni 1744, Trevoltienses alterius notissimi ac præstantissimi operis litterarii conditores: cui titulus, *Mémoires pour l'Histoire des Sciences et des beaux-arts*: quorum synopsim, genuinam ac simplicem, Ceillieriani capitis de Chromatio Aquileiensi si præ oculis habuisset auctor præcitati articuli diarii Gallici, *des Sçavans* nuncupati, numquam fortasse mense Martio [XXIII] anni subsequentis 1745 tam longe et a rei veritate et a Ceillieri sensu abiisset.

Sed jam nunc de *Scriptis* sive *Opusculis* ipsis inquirendum; quid reapse sint, cur, et quo ordine, et qua occasione elucubrata a sancto Chromatio nostro? Vetustior horum scriptorum indicatio ea est, quam habet Beatus Flaccus Albinus, seu Alcuinus abbas, in *libello adversus Hæresim Felicis episcopi*, ubi omnia hæc simul sumpta *Chromatii scripta* vocat *Chromatii Libellum de octo Beatitudinibus*. Hunc fortasse titulum gerebat manuscriptus codex Chromatii, quo Alcuinus abbas utebatur; licet aliud sit quod *De octo Beatitudinibus* apposite Chromatius scripsit, et aliud in quo locus continetur ab Alcuino relatus, inter alia Sanctorum Patrum testimonia, adversus Hæresim Felicis episcopi.

Prima horum scriptorum editio, quæ, uti vidimus, Basileensis est anni 1528, in duas partes ea distribuit, et primam appellavit *Dissertationem in* V *et* VI *caput Matthæi*, licet in fine continenter habeat quod Chromatius scripsit etiam in caput tertium; alteram vero *declamationem* unice dixit *in eodem genere*. Horum titulorum editionis hujusce Basileensis obscuritatem saltem, ne dicamus etiam improprietatem, quis non videat? Quo prodierint ordine, quove titulo indicata fuerint Chromatii nostri scripta in *Micropresbytico veterum quorumdam brevium Theologorum* Martini Lipsii, Lovanii primum edito 1546, dein Basileæ 1550, pag. 412, necnon inter *Orthodoxographa Theologiæ sacrosanctæ* Joannis Heroldi, Basileæ 1555, tomo I, pag. 430, sicut etiam in *Bibliotheca Homiliarum* Laurentii Cumdii, Lugduni 1588, tomo II, pag. 1170 (quas Collectiones in *Lucubratione* sua eruditissima memorat Fontaninus, quasque nobis hodie, post nuperam maxime atque deplorandam et plusquam Vandalicam cladem tot bibliothecarum sacrorum cœtuum regularium hujus civitatis suis sedibus exturbatorum, videre non licuit), asserere omnino non possumus. Vidimus tamen *Monumenta* saltem *Sanctorum Patrum Orthodoxographa* Joannis Grynæi, Basileæ impressa anno 1569: ibique tomo II, pag. 1192, conspeximus *Chromatii* nostri *Scripta*, tributa in partes duas; quarum priorem constituit *Sermo* ille, qui etiam apud nos primum locum obtinet; titulumque satis proprium ibidem gerit, *De octo* nempe *Beatitudinibus concio elegans*, licet in superiori parte paginæ *declamationis* quoque vox appareat, quam hic *sermo* a priori editione Sichardi habuerat; alteram vero constituunt [XXIV] Chromatii reliqua quæ habemus, sub titulo: *In quintum caput Matthæi, et in partem sexti, tractatus aliquot, erudi-*

tione pariter ac pietate insignes, quibus subjungitur, absque peculiari separatione, quod restat in caput tertium, sub simplici indicatione *Fragmenti tractatus alterius, qui nondum totus in lucem prodiit;* quamvis et hic quoque in superiori paginarum parte *dissertationis* vox addatur, a priori scilicet Sichardiana editione sumpta. In *Bibliotheca Patrum* Lugdunensi sancti *Chromatii scripta* exhibentur divisa in partes tres; quarum duæ priores sub uno primum indicationis titulo nuncupantur, *De octo Beatitudinibus conciones duæ*, deinde altera alium proprium gerit titulum, nempe, *In quintum caput Matthæi et in partem sexti concio, eruditione pariter ac pietate insignis;* etsi ambæ in superiori paginarum parte inscribantur semper, *De octo Beatitudinibus*. Tertia vero dicitur, *Tractatus in illud : Ego a te debeo baptizari*, etc., Matth. III, 4, *fragmentum*. In novissima demum *Bibliotheca Veterum Patrum*, etc., Andreæ Gallandii, melius quidem et accuratius quam umquam antea, licet nondum ad rem satis, hæc scripta appellantur, *Tractatus* XVIII *in sancti Matthæi Evangelium*. *Homilias duodeviginti* dixerat pridem Fontaninus in *Lucubratione* sua de sancto Chromatio, quam infra damus.

Post hos varios titulos, quos hic indicare neque prorsus injucundum neque inutile judicavimus, ecce quid nobis reapse videantur esse *Chromatii Scripta*, quæ recudimus. *Tractatus*, quem Gallandius *primum* dixit ex decem et octo quos primus ipse divisit, quemque nos quoque primo loco posuimus, etsi *primum* non dixerimus, est *Tractatus singularis*, seu *Sermo* aut *Concio*, et quidem reapse *elegans*, ut eam dixere Sixtus Senensis et Joannes Grynæus, quæ proprie appellari debet singulari titulo *De octo Beatitudinibus*, quæque partem nullo modo constituit *Tractatuum* cæterorum. Hæc certe habita fuit oretenus a sancto episcopo occasione alicujus *mercatus*, cujus causa adesset frequentia populi, ut ex ipsius lectione satis aperte colligitur. Nihil hoc scripto præclarius inter ea sancti episcopi quæ supersunt, sive orationis scopum intuearis, sive stylum, sive ingressum, progressum et exitum. Inter præclariora quoque ejusdem ævi et ejusdem generis Patrum scripta merito haberi potest. Quid vero de reliquis sentiendum? Cum Tillemontio aliisque censemus, *tractatus* reliquos, qui in hac nostra editione non octodecim, sed septemdecim numerantur, nequicquam esse peculiares *homilias*, seu etiam *tractatus* distinctos, sed reliquia potius videri integri [XXV] *Commentarii*, quem Chromatius scripserit in Matthæum. Censemus quoque *Commentarium* hunc scripsisse Chromatium, non in usum suæ prædicationis ad populum, quemadmodum *Tractatum* seu *Concionem de octo Beatitudinibus*, sed in usum piæ præsertim ac fructuosæ fidelium lectionis. Id vero eruimus ex verbis ipsius, quæ habet tractatu apud nos 5, alias 4, num. 2, ubi ita scribit : « Et multa similia quæ prætermisimus, ne tædium legentibus faceremus. » Hoc, quod sciamus, ab aliis qui de Chromatio scripserunt perpensum non fuit. Quidni clarius mentem suam aperuerit super hac re Sanctus Episcopus in exordio *Commentarii* sui, quod cum aliis ejusdem partibus desideramus?

Si licet vero etiam occasionem divinare, qua fortasse ductus fuit sanctus Chromatius ad hoc lectionis pabulum suo populo accurandum, non aliam fuisse dixerim, quam eam, quæ illum impulit ad cogendum Rufinum quoque Aquileiensem, presbyterum suum, ut Græcam Eusebii Historiam ecclesiasticam Latinis litteris donaret. Alarici nempe irruptio in Italiam per Aquileiensium fines, anno Christi 400, *agros, armenta, viros longe lateque vastavit*, ut Rufinus ipse præfatur ad Chromatium in Eusebii Latinam a se factam Historiam, *populisque a Deo Sancto Episcopo commissis ferale exitium minitabatur*. Ut igitur *remedium aliquod* afflictæ plebi conquireret, *per quod ægræ mentes*, ut idem subdit, *ab ingruentis mali contagione subtractæ, melioribus occupatæ studiis tenerentur*, Rufino presbytero suo injunxit, ut ecclesiasticam Eusebii Historiam e Græco in Latinum sermonem verteret; *cujus lectione animus audientium vinctus, dum notitiam rerum gestarum avidius petit, oblivionem quodammodo malorum quæ gererentur acciperet*. Quidni igitur ad hunc eumdem finem operam quoque suam, pro ea doctrinæ ac sanctitatis laude qua excellebat, conferre voluerit sanctus præsul Chromatius; ideoque opus episcopo dignum susceperit, *Commentarium* nempe *in sancti Matthæi Evangelium*, quem legendum fidelibus eo potissimum tempore traderet : atque ea maxime causa, quod ejusmodi operibus minime tunc Latina saltem Ecclesia abundaret?

Cæterum, etsi anno Christi quadringentesimo Latinis explanationibus Evangelii non abundarent Christi fideles in Occidentis partibus constituti; quorum fortasse plerisque vix notæ tunc forent vel ipsæ Hilarii Pictaviensis *in Matthæum*, et Ambrosii Mediolanensis commentationes *in Lucam :* hic certe meminisse juvat, Aquileiensem quoque Ecclesiam jam tunc habuisse *Commentarios in Evangelia*, opus Fortunatiani, ejusdem Ecclesiæ ante [XXVI] sanctum Valerianum episcopi; quos sibi in Orientem mitti a Paulo Concordiensi postulaverat, *margaritam de Evangelio* eosdem appellans, sanctus Hieronymus Epistola 10, num. 3, in editione Vallarsii, quæ ad annum spectat 373; quorumque meminit ipse sanctus doctor *de Viris illustribus* capite 97, asserens Fortunatianum scripsisse *Commentarios in Evangelia, titulis ordinatis*, sed *brevi et rustico sermone*, seu, ut alias, *breves rustico sermone;* quique jamdiu interierunt. Male quidem vulgo audit Fortunatianus, Ariani dogmatis, et Liberii Romani pontificis fractæ constantiæ accusatus : sed eum ab utriusque impacti criminis labe jam egregie purgatum a clarissimo Fontanino *Historiæ Litterariæ Aquileiensis* libro III capite 2, novissime repurgavit defenditque luculenter eruditissimus Zaccaria in *Dissertatione, de commentitio Liberii lapsu*, quæ est 7 Tomi I suarum *Dissertationum Latina-*

rum de Rebus ad historiam atque antiquitates ecclesiæ pertinentibus, Fulginiæ 1781; necnon eodem etiam tempore diligentissimus æque ac laboriosissimus noster Joannes Petrus a Stua peculiari dissertatione Italice scripta, *Se Fortunaziano vescovo d'Aquileja sia da noverarsi tra gli Ariani, o no*, et typis edita anno 1782 in Calogeriana, seu potius Mandelliana *Nuova Raccolta d' opuscoli scientifici e filologici*, tomo XXXVII. Nihil igitur optatius Aquileiensibus suis præstare tunc temporis potuisset Chromatius, quam Evangelicum *Commentarium* a seipso concinnatum eisdem tradere; ut in eodem ipsi sese utiliter exercerent doctrinæ ac pietatis argumento, quod sibi jam esset quodammodo familiare; et in quo nihilominus ob veteris Scripti brevitatem, indisertamque dicendi rationem, uberiori ac nitida oratione cuperent erudiri.

Id vero nos admonet, ut facile consectare possimus, sanctum Chromatium nostrum *Commentarium* suum non modo inchoasse ab ipso Evangelii Matthæi exordio, et absque ullo hiatu perduxisse usque ad locum capitis sexti, ubi desinit tractatus noster decimus septimus; sed ultra quoque fuisse progressum, et integrum reapse Matthæi Evangelium Commentario suo illustratum dedisse, quod etiam Tillemontius post Sixtum Senensem aliosque sensit. Eadem enim ratio quæ suadet, illum procul dubio Commentarium inchoasse ab ipso Evangelii exordio, et perduxisse usque ad locum ubi nunc desinit prædictus tractatus apud nos decimus septimus; eadem ipsa nos urget, ut censeamus Sanctum Episcopum opus suum minime imperfectum reliquisse; præsertim vero cum necessitas plebis informandæ atque [xxvii] in tot adversis erigendæ instaret, et tempus præterea illi defuisse non videatur ad opus perficiendum quod inchoaverat, etiamsi illum operi manum posuisse dixerimus anno tantum 400, quo Alaricus in Italiam irrupit. Cur vero integer Commentarius ad nos usque non venerit, non est quid dicamus; cum tot alia sanctorum Patrum aliorumque auctorum veterum opera ad nos pervenerint mutila; cumque notiora sint, quam ut hic explicari mereantur, fata durissima quæ post Chromatium subiit Aquileia, totusque Aquileiensis ager, unde fortasse integra evadere Chromatii scripta non potuerunt, sicuti neque tot alia quæ procul dubio reliquerunt cæteri præsules qui eum præcesserunt, quique secuti sunt.

Sed quid de doxologiis, seu glorificationibus, quæ in fine homiliarum sive tractatuum singulorum leguntur? Inde nimirum, Fontaninus præsertim, necnon etiam De Rubeis, eruere conati sunt, veri nominis homilias has esse reapse, seu in unum opus conflatas, seu ex opere jam exstante dissectas, et ad prædicationis usum aptatas. Neutrum nobis arridet, qui jam professi sumus reliquia hæc nobis videri integri in Matthæum Commentarii, quem data opera sanctus Chromatius scripserit, ut a fidelibus legeretur. Nihil vero doxologiæ nos movent frequentius repetitæ in fine cujuscumque tractatus, seu homiliæ: uti exempli gratia: *unigenitus Dei Filius, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen*; aut: *per Christum Dominum nostrum, qui est benedictus in sæcula*; sive simpliciter: *per Christum Dominum nostrum*; aut etiam: *cui laus et gloria, in sæcula sæculorum. Amen*; seu demum productior illa: *cui est honor, laus, et gloria, una cum Spiritu sancto, ante omnia sæcula, et nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen*. Neque enim homiliæ, seu tractatus complementum aut conclusionem doxologias hujusmodi apud Chromatium nostrum esse putamus. In Scripturis namque eruditissimus Sanctus Episcopus noverat procul dubio quam sæpe hujusmodi doxologiis utatur in epistolis suis sanctus apostolus Paulus, necnon etiam Petrus, et uterque sane in epistolarum decursu, veluti ad animæ effusionem erga Deum omnium Creatorem, et erga Dominum Jesum Christum Salvatorem nostrum; quin signum sint ullius complementi, seu Epistolarum, seu etiam non semel peculiaris cujusque rei, de qua tunc in Epistola agere tur. Hinc legimus Rom. I, 25: *Et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen*; quin Apostolus ibidem, non modo epistolam, sed neque sermonem [xxviii] suum claudat de inani veterum philosophorum sapientia, de qua agebat. Similiter Rom. IX, 5, habemus: *Quorum Patres, et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen*; quin pariter aut epistolam, aut sermonem suum concludat de promissionibus Abrahæ factis, de quibus ibidem loquitur. Aliam doxologiam videas Rom. XI, 36, ubi certe, etsi desinat materia de qua ibidem agit, minime desinit Epistola. Aliam similiter II Cor. XI, 31, ubi neque Epistola desinit, neque materia. Alias demum, quas indicasse sufficiat, I Tim. VI, 16; II Tim. IV, 18; Gal. I, 4; I Petr. IV, 11.

Quid aliud igitur videri possunt doxologiæ quoque a Chromatio usurpatæ in Commentario suo, quem pro lectionis usu exaravit, nisi quædam animi sui et ferventissimæ charitatis effusiones inter scribendum prolatæ, ad Dei et Domini nostri Jesu Christi laudem, prout apostoli Petrus et Paulus in suis Epistolis factitarunt? Et alia quidem exempla non desunt hujusmodi doxologiarum, etiam ante finem seu epistolarum, seu tractatuum, seu sermonum, in veterum Patrum operibus; ut eas propterea facile intelligas sanctorum eorumdem virorum animi inter scribendum effusiones, non vero locutionis aut scriptionis simpliciter conclusiones. Adeatur tantummodo epistola I sancti papæ Clementis ad Corinthios; et ibidem doxologiæ frequentes præsto erunt in toto illius prolixæ epistolæ cursu, nimirum num. 20, 22, 38, 43, 50, præter alias duas in exitu epistolæ, num. 58 et 59. Apud *Patres Apostolicos* Cotelerii, ubi volumine I prostat hæc epistola sancti pontificis, videas quoque eruditam notationem quæ rem hanc illustrat, et ibidem exstat sub num. 4, pag. 161, editionis Amstelodamensis 1724.

Sed aliam hujusmodi doxologiarum usus rationem, quam conjectando arguimus, in Chromatio no-

stro afferre præstat, quæ priorem tamen non excludit. Cum pro pia fidelium lectione, ut antea dictum confirmatumque fuit, Commentarium suum in Evangelium sancti Matthæi scripserit Sanctus Episcopus; quidni doxologias hic atque illic posuerit, veluti ad lectorem quoque admonendum, ut ad singulas, aut pausam faceret, aut etiam finem pro ea vice lectioni daret, ne, nimia lectione gravatus, lectionis fructum amitteret? Et sane doxologiæ a Chromatio usurpatæ ita sunt dispositæ, ut unam inter et alteram lectio sufficiens habeatur, et ut earum nulla ordinem sermonis intercipiat, aut materiam scindat. Quinimmo ne materia quodammodo scinderetur, [xxix] duplo et amplius longiores, absque ulla intermedia doxologia, fecit partes duas in reliquiis quæ habemus Commentarii sui; priorem nempe, quæ tertium tractatum nostrum constituit, ubi de octo Beatitudinibus juxta ordinem sacri textus sermo est, quam doxologia profecto clausit, sed nulla interjecta voluit separare; alteram vero, qua tractatus noster decimus quartus constat, qui est præclara expositio Dominicæ Orationis, quique doxologia quidem, sicut et cæteri, terminatur, sed nulla prorsus interjicitur.

Verum doxologiæ ipsæ a Chromatio usurpatæ aliquam nostram animadversionem requirunt. Earum aliæ Deum respiciunt, nulla Personarum facta peculiari mentione, ut illa tractatus 13: *per eniens ad Deum qui orantis precem audire consuevit, qui est benedictus in sæcula. Amen.* Aliæ diriguntur ad Christum Dominum Salvatorem nostrum, velut illa tractatus 12: *ante Dominum ac Salvatorem nostrum, qui est benedictus in sæcula. Amen.* Aliæ demum et Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum distincte nominant: uti ea tractatus 2: *et donis sancti Spiritus munerandi: per quem est Patri, et Filio laus et gloria in sæcula sæculorum. Amen*; et alia quoque tractatus 14: *aperte Dominus* (Jesus Christus) *manifestat: cui est honor laus et gloria, una cum Spiritu sancto, ante omnia sæcula, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.* Quid igitur sibi vult hæc doxologiarum diversitas, in sancto Chromatio, atque in una eademque ipsius scriptione? Fortasse non abs re fuerit conjicere, id consulto factum a sancto Præsule, ut fideles ab eodem discerent varias *glorificationis* formulas, quibus etiam ipsi in communi sermone uterentur, cum maxime de rebus divinis colloquerentur. Id etiam ab eo factum fuisse non immerito arbitramur, ut modo fidem profiteretur unicæ deitatis contra stultitiam paganorum, quibus circumdati adhuc tunc erant Christi fideles; modo Divinitatis Filii adversus hæreticos Arianos, qui tunc fidem Catholicam oppugnare non cessabant; modo trinitatis Personarum adversus Sabellianos, quorum errores nondum eo tempore prorsus obsoleverant: modo demum Divinitatis etiam Spiritus sancti contra ætate sua exortos, atque a Constantinopolitano generali concilio damnatos, anno 381, hæreticos Macedonianos.

Quod autem ad hosce postremos spectat, pergratum est nobis hic meminisse viri omnigena eruditione clarissimi, Stephani Antonii Morcelli; qui in quadam ex eruditissimis notationibus [xxx] suis ad sancti Gregorii Agrigentini *Explanationem super Ecclesiaste* a se G. et L. Venetis typis editam pag. 42, sermonem habens de *clausulis*, seu *doxologiis*, quibus veteres Patres epistolas suas ac cætera scripta concludere solebant, *vix aliter*, inquit, id eos fecisse, *quam una Jesu Christi invocatione; raro facta mentione Patris*, et *rarius Spiritus sancti.* « At ex quo (ita prosequitur) ex quo Macedonius hæresiarches delirare cœpit, et pravam impiamque illam de Spiritu sancto doctrinam spargere instituit; reclamantibus ubique sanctis episcopis, in consuetudinem paulatim venit, ut catholicæ professionis instar libros quisque suos et orationes homiliasque trium divinarum Personarum appellatione concluderet. » In exemplum deinde affert clausulas sanctorum Græcorum Patrum Athanasii, Cyrilli Hierosolymitani, Gregorii Nazianzeni, et Basilii; ac demum concludit: « jam his similes clausulas passim leges apud cæteros Patres, qui hos consecuti sunt. » En igitur, inter hos cæteros, etiam Chromatium Aquileiensem qui fortasse eadem mente, et certe eadem ac illi fide, bis in doxologiis fragmentorum, quæ supersunt, Commentarii sui in Matthæum, Spiritus sancti meminit. Atque hæc de Chromatii scriptis, seu opusculis generatim.

Peculiaria nunc quædam enucleanda veniunt, quæ appendicis loco haberi poterunt, ad ea præsertim quæ Fontaninus atque De Rubeis in suis *Lucubrationibus* exhibuerunt. Atque, ne multis Lectorem moremur, ecce in primis Ceillierum, qui in Chromatio rem animadvertit a Tillemontio prætermissam, sicut etiam a Fontanino aliisque minime indicatam: dignam tamen quæ in auctore tanti ponderis, quarti nimirum sæculi desinentis, Hieronymi amico, et divinarum Scripturarum studiosissimo, recenseatur. *Il cite*, ait Ceillierus, *l'Histoire de Judith, sans marquer aucun doute sur l'authenticité du livre où elle est rapportée.* Ita namque scribit sanctus Chromatius tractatu 15, num. 2: « Nam sanctissima Judith, cum magno mœrore pro populo esset afflicta, post solemnitatem triduani jejunii, capite uncto et lota facie, ita internæ afflictionis tristitiam texit, ut simulato gaudio lætari hostibus videretur, etc. » Porro non unum tantummodo, sed tria hic animadvertenda veniunt in Chromatii verbis, quæ adversus præsertim heterodoxorum placita faciunt; nimirum celeberrimæ illius viduæ sanctitudo prædicata, veritas illius historiæ asserta, et divina auctoritas libri *Judith*, qui ab hæreticis inter apocryphos ponitur, dum in catholica Ecclesia libris canonicis annumeratur. Quidquid disputent theologi atque [xxxi] interpretes, etiam inter Catholicos, de verborum et actuum honestate, quibus herois illa fœmina usa fuit ut conceptum opus perficeret; quidquid insuper de rei gestæ veritate, num scilicet commentum sit at-

que parabola, pie quidem, sed sero etiam excogitata, ad erigendum Judaici populi animum in tribulationibus, puta Antiochi tempore, perferendis, an potius vera ac genuina prodigiosi eventus enarratio (prout communiter a Catholicis habetur), quocumque tandem in loco Judaicæ historiæ collocanda sit: hoc profecto Chromatii nostri testimonium ad asserendam hujus *Judithæ* libri divinitatem merito accenseri poterit tot aliis sanctorum Patrum scriptorumque veterum testimoniis, quibus hactenus hujus libri *deuterocanonici* divinitas adversus hæreticos a catholicis theologis vindicata fuit.

Post Judithæ mentionem, illico etiam *Estherem* Chromatius nominat, dicens: « Similiter Hesther sanctissima, dum lota facie et capite uncto, post triduanum jejunium intelligi a rege potuit, Aman illum B populi sui inimicum nequissimum interemit. » Hunc *Estheris* librum canonicis ascribunt et am heterodoxi; septem tamen exceptis postremis capitibus Vulgatæ nostræ, a versiculo quarto capitis decimi. *Estheris* nihilominus historiam hoc Divino Libro comprehensam Lutheranorum quidam atque Anabaptistæ, ut scribit vir clarissimus Joannes Franciscus Marchinius *De divinitate et canonicitate sacrorum Bibliorum*, parte II, articulo 9, tragœdiam asserunt, et parabolicam commentationem dignitate carentem. En itaque Chromatium Aquileiensem, qui divinitatem simul hujus libri, et veritatem *Estheris* historiæ agnoscit; ut proinde numerum etiam augeat eorum qui, præter libri canonicitatem, veritatem quoque hujus historiæ post Synagogam a primis Ecclesiæ sæculis C agnoverunt. Sed quid de septem postremis capitibus hujus libri, quæ odioso *additamentorum* vocabulo ab hæreticis appellantur, quæque ab eisdem inter *apocrypha* scripta numerantur? Ex allatis Chromatii verbis non immerito deprehendimus, hæc quoque postrema capita, seu *additamenta*, ipsum agnovisse ceu ejusdem *Estheris* libri partem, ac proinde ejusdem Divinæ cum capitibus prioribus auctoritatis. Quod enim ait, *lota facie et capite uncto*, potuisse *Estherem* a rege intelligi, minime eruere poterat ex primis novem aut decem illius libri capitibus, ubi nihil omnino de istius modi faciei et capitis præparatione; sed eruit procul dubio ex *additamentis* ipsis quæ respuunt heterodoxi, nimirum ex capite XIV Vulgatæ nostræ, ubi versu 2 legitur, quod, audito *Esther* Ju- D daicæ [XXXII] nationis periculo, et volens ad Dominum orationes suas fundere pro salute ipsius, *cum deposuisset* humilitatis causa *vestes regias ...., pro unguentis variis, cinere et stercore implevit caput;* unde sponte sequitur, quod cum die tertia, post fusas ad Dominum preces, aditura esset regem, ut eum pro populo deprecaretur, ideoque *regalibus* iterum *induta* esset *vestimentis*, prout in textu, capite V, 1, *faciem* primum *laverit* suam sordibus ex capite decidentibus inquinatam, et *caput* ipsum, excusso cinere et stercore, *unguentis* variis de more delibuerit, prout accedentem ad regis solium reginam decebat.

Quæ de Judithæ atque Estheris libris in Chromatio A animadvertimus, monent nos ut de duobus aliis nonnihil dicamus, qui æque pro Canonicis ab hæreticis non habentur, de Libris nempe *Sapientiæ*, atque *Ecclesiastici*. *Sapientiæ* liber a Chromatio nostro semel tantum, in scriptis quæ de eodem supersunt, citatur, nimirum tractatu 10, num. 2; citatur tamen veluti auctoritatis divinæ et Scripturæ sacræ partem constituens: ait enim: « Perjurium et mendacium, divini judicii pœna damnatur, dicente Scriptura: *Os quod mentitur, occidit animam;* » quod scilicet legitur Sap. I, 11. Liber vero *Ecclesiastici*, non semel tantum aut iterum, sed sæpissime ab eodem Chromatio in scriptis quæ habemus affertur, semperque divinæ auctoritatis censetur; ut verba illius verba *Domini* quandoque dicantur, quandoque etiam *Spiritus sancti*, ut videre est tractatu 3, num. 5, tractatu 6, num. 2, alibique frequenter. Adeo verum est quod Marchinius in opere supra citato parte II, articulo 16, de libro *Ecclesiastici* asserebat; quod inter *deuterocanonicos* « certe nullus est Scripturæ sacræ liber, cujus auctoritati Patres suffragentur magis, tametsi publico decreto Ecclesia universa nondum eam sanxisset. » Verum quidem est Chromatium nostrum existimasse librum *Ecclesiastici* auctorem habuisse Salomonem, ut ipse frequenter scribit dum ejusdem libri loca commemorat. Hujus vero sententiæ alii quoque Sanctorum Patrum fuerunt: nisi potius dicamus, et Chromatium ipsum, et reliquos qui eodem modo scripserunt Patres, ideo *Ecclesiastici* librum Salomonis dixisse, quia Libri illius auctor Salomonem est imitatus, et quia in *Ecclesiastico* nonnulla quoque leguntur, quæ Salomon ipse in suis, *Proverbiorum* præsertim atque *Ecclesiastes* libris, jam pridem docuerat.

Ad alia nunc progrediamur, eodem, qui prius, Ceilliero ductore. De sancto Joanne Baptista loquens sanctus Chromatius [XXXIII] tractatu 1, num. 3, hæc habet: « Et baptizavit quidem Joannes Dominum ac Salvatorem nostrum, sed potius ille baptizatus a Christo est: quia ille aquas sanctificavit, hic aquis sanctificatus est; ille gratiam donavit, hic accepit; hic peccata deposuit, ille remisit .... Joannes baptismo egebat, quia sine peccato esse non poterat. » Duo hic, aut etiam tria in Chromatii verbis notanda veniunt: sanctum Joannem Baptistam a Christo Domino, juxta Chromatium, baptizatum fuisse; eumdemque baptismo reapse indiguisse, quia sine peccato esse non poterat; sive hoc de peccato originis asserere voluerit, sive de peccato aliquo actuali quo Præcursor etiam Domini obstrictus esse potuerit. Singula videamus.

Sanctum Joannem Baptistam a Christo Domino baptizatum fuisse, aperte asserunt inter Patres Græcos sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione 39, pag. 633, edit. Paris. 1609, et inter Latinos sanctus Augustinus Sermone 293, § 12, edit. Maurinorum. Negant tamen, aut saltem dubitant, sanctus Joannes Chrysostomus in Matthæum homilia 12, sanctus Hieronymus in caput II ejusdem Matthæi, sanctus

Maximus Taurinensis homilia 31, quæ est *de Baptismo Christi*, 3, pag. 92, novissimæ editionis Romanæ, aliique. Res est, quæ in utramque partem absque piaculo disputari potest; licet probabilius fortasse videatur, necnon Evangelico textui conformius, ipsum quoque Baptistam a Christo Domino baptizatum fuisse statim ac ipse eumdem baptizaverat; uti maxime ex illis verbis ejusdem Domini ad Baptistam, *sine modo*, Matthæi III, 15, quibus responderat ad Baptistam ipsum dicentem, *Ego a te debeo baptizari;* uti, inquam, ex verbis illis nonnulli Interpretum deprehendunt. Partis interim affirmativæ, de baptismate a Joanne suscepto a Christo Domino, post Nazianzenum atque Augustinum, assertorem habemus etiam Chromatium nostrum: quod dixisse sufficiat.

At quomodo indigebat sanctus Joannes baptismate, *quia sine peccato esse non poterat*, ut ait Chromatius? Aliud namque est baptizatum Joannem fuisse; et aliud baptismo indiguisse. Lex baptismi christiani nondum tunc lata fuerat: quinimmo, antequam lex hujusmodi a Christo diceretur, Baptista jam martyr excesserat. A peccato vero originis omnes tunc Judæi, seu per parentum fidem in Venturum, seu etiam per circumcisionem, mundabantur: unde altero saltem ex his modis mundatum jam diu fuisse Baptistam ab originali labe, quam in conceptione contraxerat, nemo negaverit. Quamquam, quis etiam dixerit his eisdem [xxxiv] indiguisse veteribus modis Joannem Baptistam ut a labe originis mundaretur, cum *Spiritu sancto repletus fuerit adhuc ex utero matris suæ*, uti Angelus Gabriel Zachariæ Patri prænunciavit, Lucæ I, 15?

Nonnulli quidem sanctorum Patrum dubitare visi sunt, num ea sanctificationis gratia qua in utero cumulatus fuit Joannes, regenerationis etiam fuerit; qua nimirum absterso originis vitio renatus in Christo sit, qui in Adam carnalis conceptionis lege mortuus erat. Inter hos est sanctus Augustinus in epistola *ad Dardanum*, 187, al. 57, num. 31 et 32, necnon sanctus Bernardus epistola 174, quæ est *ad canonicos Lugdunenses*, cujus etiam verba referre libet. « Certissime, inquit, Spiritus sanctus, quem replevit, sanctificavit. Cæterum quatenus adversus originale peccatum hæc ipsa sanctificatio valuerit, sive pro isto (sancto Joanne), sive pro Jeremia, sive quis alius simili præventus est gratia, non temere dixerim. Sanctificatos tamen non dubitaverim dicere, quos Deus sanctificavit, et cum eadem sanctificatione prodiisse ex utero', quam acceperunt in utero: nec reatum, quem in conceptione traxerunt, valuisse ullatenus horum natali jam donatam præpedire, seu præripere benedictionem. Attamen quis dicat: Spiritu Sancto repletum manere adhuc filium nihilominus iræ, et si mori in utero contigisset, cum hac plenitudine Spiritus pœnas luiturum damnationis? Durum est. Minime tamen ausim, hinc quidpiam mea sententia definire. » Hæc sanctus Bernardus.

Plurimi nihilominus sanctorum Patrum adeo præclare de Joannis Baptistæ sanctificatione in utero

A matris loquuntur, ut dubium nullum relinquant, quin tali sanctitate tunc idem fuerit perfusus, quæ omni antiquæ prævaricationis labe protinus ipsum mundaverit. « Sancta erat anima Beati Joannis; et adhuc in matris utero clausa, venturaque in mundum, quasi per experientiæ sensum sciebat quæ Israel ignorabat: » ita Origenes, homilia 10 in Lucam: « Joannes.... ille divina gratia adhuc in utero matris impletus: » ita sanctus Cyprianus epistola 73, ad Jubaianum, prope finem. Concinit sanctus Athanasius sermone 4, contra Arianos, sanctus Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 3, sanctus Ambrosius libro II in Lucam, sanctus Maximus Taurinensis sermone 56, in natali sancti Joannis 5, pag. 554, præcitatæ editionis, sanctus Gregorius Magnus Moralium libro III, cap. 5. Omnium vero sanctorum Patrum sen-

B sum de Joannis sanctificatione in utero matris magnificentissime expressit [xxxv] beatus Petrus Damianus sermone 1, de sancto Joanne Baptista, ita loquens: « Neminem umquam mortalium intra materna viscera sanctificatum legimus, præter Joannem Baptistam et Jeremiam. Sed longe minor Jeremiæ sanctificatio, quam Joannis. Ille quidem in utero matris sanctificatus est, hic repletus Spiritu Sancto fuisse cognoscitur. Multo quippe excellentius est Spiritu sancto repleri, quam sanctificari. Ibi enim sanctificatio emundationem, hic repletio inundationem signat. Denique et Apostoli, qui manibus suis tractaverunt de verbo vitæ, cum Spiritum sanctum accepissent de Salvatoris afflatu, vix quinquagesimo

C a Resurrectionis die ad illum gradum potuerunt pervenire, ut diceretur de eis: *Repleti sunt omnes Spiritu sancto*. Et licet Spiritus sanctus largiori tunc munere credentium corda repleverit; hoc tamen Joannes legitur in utero assecutus, quod Apostolica celsitudo tandem longiori permissione potuit obtinere. » Ita sanctus Petrus Damianus. Peccato itaque originis, quo mundabantur Hebræi, seu per fidem parentum in Venturum, seu per circumcisionem (quæ duo Joanni minime defuerunt), per sanctificationem præcipue in utero matris acceptam, infectus ipse esse non poterat cum a Christo Domino esset baptizandus, ut hac de causa eo baptismate indigeret: certissime enim constat, non posse quemquam sanctitate donari, simulque originali peccato teneri:

D Dei per gratiam amicum fieri, simulque per originale peccatum, iræ filium remanere; divinæ naturæ participem fieri, simulque diabolo mancipari. Hæc fusius apud virum clarissimum Jacobum Hyacintum Serry, *Exercitationes*, etc., *de Christo ejusque Virgine Matre*, exercitatione 28, num. 10 et 11, unde nonnulla eorum, quæ diximus, mutuati sumus. Hinc si Chromatius noster Joannem Baptistam aiebat indiguisse baptismate, *quia sine peccato esse non poterat;* hoc illum nequaquam dixisse fatendum est, quia Baptistam originali macula adhuc crederet inquinatum; sed potius quia, ut homo, sine aliqua actualis culpæ labe non erat.

Neque hoc quidem sanctitati tanti viri adversatur,

neque pugnat cum plenitudine illa sancti Spiritus, quam in utero matris accepit. « Excepto quippe baptismatis munere (aiebat sanctus Augustinus in *Enchiridio De Fide, Spe, et Charitate*, cap. 64), quod contra originale peccatum donatum est . . . . hac excepta magna indulgentia, unde incipit hominis renovatio, in qua solvitur omnis reatus et ingeneratus et additus : ipsa etiam vita cæteræ jam ratione utentis ætatis, quantalibet præpolleat [xxxvi] fecunditate justitiæ, sine peccatorum remissione non agitur. Quoniam filii Dei quamdiu mortaliter vivunt, cum morte confligunt. Et quamvis de illis sit veraciter dictum, *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei :* sic tamen Spiritu Dei excitantur, et tamquam filii Dei proficiunt ad Deum, ut etiam spiritu suo, maxime aggravante corruptibili corpore, tamquam filii hominum quibusdam humanis motibus deficiant ad seipsos, et ideo peccent. » *Ego* itaque *a te debeo baptizari*, aiebat vir sanctissimus Joannes ad Jesum venientem ad se, ut ipsius baptisma susciperet: *Ego a te debeo baptizari.* « Ille autem (subdit idem sanctus Augustinus in superius citato sermone 293, num. 12), ille autem quare diceret, *Ego a te debeo baptizari*, mundus ab omni penitus noxa, si non in eo erat quod sanaretur, si non in eo erat quod mundaretur ?.... *Ego a te*, inquit, *debeo baptizari :* opus est mihi, necessarium est mihi. Et hoc illi ibi præstitum est. » Atque hæc eadem verba sancti Præcursoris exponens clarissimus Estius, ita scribebat : « *Ego a te debeo baptizari*, id est ablui, mundari a peccatis. Ex quo bene colligitur, Joannem Baptistam non fuisse sine venialibus peccatis, juxta illud alterius Joannis I, capite I : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Unde et Augustinus Joannem vult comprehendi inter eos justos, qui non vivunt sine peccatis. » En igitur quid sibi velit Chromatius noster, dum asserit sanctum Joannem Baptistam indiguisse baptismate Christi, *quia sine peccato esse non poterat.* Plura qui forte cupiat super hac re, adeat, de sancto Joanne Baptista deque rebus ad eum pertinentibus, scriptores tum catholicos, tum externos, quos indicat bene multos pro amplissima eruditione sua clarissimus Paulus Maria Paciaudius in *præloquio* ad suas *De cultu sancti Joannis Baptistæ Antiquitates Christianas, Romæ* 1755, pag. 2 et 3.

Aliud, et quidem lætissimum, atque ædificationis plenum argumentum, Ceilliero duce, nobis præbet Chromatius in ea Commentarii sui parte, in qua Dominicam Orationem disertissime atque piissime exponit, tractatu videlicet in hac nostra editione 14, num. 5, ubi de *pane nostro quotidiano* disserit. Facta nempe distinctione duplicis modi, quo verba illa Dominicæ Orationis, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, intelligenda sunt, habitoque sermone de pane quotidiano litteraliter accepto, et ad præsentem vitam sustentandam necessario : en quomodo se convertit ad sensum spiritualem illorum verborum, [xxxvii] unde præclaram quoque eruimus disci- A plinam, quæ tunc in Aquileiensi ipsa Ecclesia vigebat, frequentissimæ nimirum, immo etiam *quotidianæ* fidelium *communionis ;* a qua, proh dolor ! tam longe absumus hodie non sine rei christianæ dedecore, et vitæ spiritualis detrimento. « Hoc autem, inquit, spiritaliter nobis præceptum esse debemus advertere, ut panem quotidianum petamus : id est panem illum cœlestem et spiritalem, quem quotidie ad medelam animæ, et spem æternæ salutis accipimus, de quo ait Dominus in Evangelio : *Panis cœlestis, caro mea est, quam ego dabo pro mundi hujus vita.* Et hunc ergo panem quotidie postulare jubemur : id est, ut præstante Domini misericordia, quotidie panem accipere corporis Domini mereamur. Ait enim sanctus Apostolus : *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane* B *Domini manducet, et de calice bibat.* Et iterum : *Qui manducat panem Domini indigne, et calicem bibit, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Unde non immerito semper orare debemus, ut hunc panem cœlestem quotidie mereamur accipere : ne aliquo interveniente peccato, a corpore Domini separemur. » Ita sanctus Chromatius.

Quotidianam, aut certe frequentissimam, corporis Domini sumptionem in more positam novimus apud fideles priorum Ecclesiæ sæculorum. Rerum liturgicarum, et ecclesiasticæ disciplinæ scriptores ex Græcis atque ex Latinis Patribus multa congerunt testimonia, quæ morem hunc præstantissimum tum in Orientali tum in Occidentali Ecclesia vigentem confirmant ; maxime vero, quoad Italiam, in Eccle- C sia Romana, atque in Mediolanensi. Nemo vero unus, quod sciamus, quidquam protulit de Ecclesia Aquileiensi, Mediolanensi proxima, eidemque, ac cæteris omnibus Occidentis, antiquitate atque celebritate minime secunda. Ecce nunc itaque Chromatium nostrum, qui veluti testis novus accedit hujus sanctissimæ veterum sæculorum in Occidente disciplinæ ; quique morem simul Ecclesiæ suæ (hoc est Ecclesiæ Matris nostræ) nobis tradit, quarti nimirum jam labentis, et quinti ineuntis sæculi, dicens : *quem quotidie ad medelam animæ, et spem æternæ salutis accipimus ;* itemque, *ut præstante Domini misericordia quotidie panem accipere corporis Domini mereamur ;* ac iterum, *ut hunc panem cœlestem quotidie mereamur accipere :* quæ verba nonnisi morem D procul dubio eorum designant, ad quos, vel pro quibus scribebat. Similia videas apud Cyprianum *de Oratione Dominica*, pag. 209 ejus operum editionis Parisiensis Baluzii, quæ hic referre non piget, et [xxxviii] ut Chromatium nostrum intelligas in eodem argumento paria cum tanto doctore scripsisse, et ut simul advertas, eamdem, quæ tunc, persecutionibus sævientibus, in Carthaginensi Ecclesia vigebat, disciplinam, in Aquileiensi quoque, tempore pacis, ac duobus pene a Cypriano sæculis, in usu perseverasse. « Hunc panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, et eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti et non com-

municantes a cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur, ipso prædicante et monente: *Ego sum panis vitæ qui de cœlo descendi. Si quis ederit de meo pane, vivet in æternum. Panis autem quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita.* Quando ergo dicit in æternum vivere si quis ederit de ejus pane, ut manifestum est eos vivere qui corpus ejus attingunt, et eucharistiam jure communicationis accipiunt, ita contra timendum est et orandum ne dum quis abstentus separatur a Christi corpore, procul remaneat a salute, comminante ipso et dicente: *Nisi ederitis carnem filii hominis, et biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis.* Et ideo panem nostrum, id est Christum, dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus et vivimus, a sanctificatione ejus et corpore non recedamus: » ita sanctus Cyprianus.

Dum ea tamen, quæ retulimus, scriberet Chromatius noster apud Aquileienses de quotidiana fidelium communione, apud Afros divus etiam Augustinus dabat epistolas illas duas *ad inquisitiones Januarii*, quæ ad annum 400 referuntur a Maurinis illius operum editoribus: ex quarum priore, quæ apud eos 54 est al. 118, cap. 3, deprehendimus, inter ipsos tunc probos piosque Christianæ vitæ cultores, ac præsertim fortasse in Africanis regionibus degentes, varietatem quamdam sententiarum obtinuisse circa quotidianum Eucharistici cibi usum; varietatem tamen a fide ac religione, utraque ex parte, profectam: dum alii scilicet quotidianum tuerentur, veluti necessarium in dies singulos animæ pabulum ac medicamen; alii non quotidianum potius suaderent, *quoniam*, uti aiebant, *eligendi sunt dies, quibus purius homo continentiusque vivat, quo ad tantum sacramentum dignius accedat.* Pulchre atque apposite, de more suo, quæstionem diremit sanctus doctor, partes ambas in concepto proposito commendans, atque hæc scribens, quæ hic referre, pro rei de qua agimus gravitate ac dignitate, non injucundum fore lectoribus neque prorsus inutile arbitramur. « Rectius, inquit, [xxxix] inter eos fortasse quispiam dirimit litem, qui monet ut præcipue in Christi pace permaneant: faciat autem unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus et sanguinem Domini, sed saluberrimum sacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigaverunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præposuit, Zachæus et ille Centurio, cum alter eorum gaudens in domum suam susceperit Dominum, alter dixerit, *Non sum dignus ut intres sub tectum meum:* ambo Salvatorem honorificantes diverso et quasi contrario modo: ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti.... Nam et ille honorando non audet quotidie sumere, et ille honorando non audet ullo die prætermittere. Hæc sanctus Augustinus. Nihil vero apud Aquileienses hujusmodi discrepantiæ obortum fuisse Chromatii tempore, id est eodem circiter quo epistolam hanc Augustinus scribebat, ex Chromatio ipso deprehendimus: hic enim locus fuisset sane opportunissimus Christiani populi edocendi super utroque modo honoris habendi sacratissimo eucharistiæ sacramento, seu quotidiano ejusdem usu, seu potius intermisso. Unde apparet quotidianum prorsus, vel saltem frequentissimum, uti asserebamus, ibidem in more positum, absque ulla opinionum diversitate; ubi nullis tamen Fideles ipsi removerentur labefactatæ conscientiæ stimulis, prout ex ejusdem Chromatii verbis intelligimus.

Sed numquid Fideles illi, qui quotidie, aut saltem pluries in hebdomada, ad sacram mensam accedebant; numquid singulis quoque vicibus confessionem peccatorum apud pœnitentiales presbyteros præmittebant? Ut hoc quoque hic inquiramus Chromatius ipse allatis verbis in causa est, necnon Cyprianus, quocum Chromatius concinit; ubi a mundis tantummodo a peccatis Eucharistiam sumi debere apertissime docent. Respondemus itaque, quod operosissimum illud sane fuisset; et ita quoque, ut præ multitudine Fidelium communicantium, quotidiana illa Eucharistiæ, aut etiam frequentissima perceptio, nullatenus locum habere posset. Quapropter confessionem illam, quam dicimus sacramentalem, Fideles illorum sæculorum, qui quotidie, aut frequentissime eucharistiam percipiebant, minime præmittebant; nisi aliquo peccato se obstrictos aliquando sentirent, quod grave esset, aut saltem grave esse formidarent, quodque idcirco, nonnisi habita confessione sacramentali, et pœnitentia accepta, esset expiandum. Hoc nimirum videntur innuere ipsa Chromatii, quæ [xl] retulimus, verba, ubi aiebat: « Unde non immerito semper orare debemus, ut hunc panem cœlestem quotidie mereamur accipere: ne aliquo interveniente peccato, a corpore Domini separemur. » Debemus scilicet semper orare, ut quotidie munda sit conscientia nostra, et sic quotidie cœlestem panem mereamur accipere; ne aliquo interveniente peccato quod a divina gratia nos separet, a quotidiana illa participatione abstinere debeamus, quoad nempe purgationem Peccati commissi per pœnitentiæ sacramentum consequamur. Conferantur cum his Chromatii nostri etiam Cypriani verba quæ addidimus. Minora igitur peccata, quæ pro naturæ imbecillitate quotidie fere subrepunt, quæque *venialia* appellamus, et a quibus nec justi ipsi spectatæque virtutis viri immunes prorsus evadunt; hæc, inquam, non impediebant, quemadmodum neque hodie impediunt, quominus Eucharistia quotidie, etiam absque præmissa sacramentali confessione, sumeretur: hisque expiandis sat erat, sicuti est etiam hodie, vel privata apud Deum humilisque confessio, quæ maxime eliciebatur ante sacramenti participationem, tum a laicis, tum a clericis et sacerdotibus ipsis in precibus illis, quæ tunc idcirco appellabantur *preces sub silentio*; seu etiam in publica quadam generalis confessionis et pœnitudinis formula, cujus hodie quoque in prece

illa solemni, *Confiteor* dicta, et ante Eucharistiæ sumptionem semper adhibita, viget institutio.

Diximus porro antiquos Fideles, quotidie, aut certe frequentissime communicantes, non consuevisse confessionem sacramentalem præmittere, *nisi aliquo peccato se obstrictos aliquando sentirent, quod grave esset, aut saltem grave esse formidarent.* Hoc vero ut compertius adhuc fiat, alium ejusdem Cypriani superius laudati locum afferimus ex ejus libro *de Lapsis*, pag. 186 præcitatæ editionis. Eos hic objurgans sanctus episcopus, qui nimia quorumdam ministrorum facilitate ac benignitate decepti, Eucharistiam accipere non verebantur absque prævia ac publica pœnitentia, licet recens essent in Deciana persecutione aut *sacrificii* aut *libelli* publico atque immani facinore polluti, quique a *diaboli aris*, ut ipse aiebat, *revertentes, ad Sanctum Domini sordidis et infectis nidore manibus accedunt;* illos e contra pag. 190 mirifice laudat, « qui quamvis (en verba illius digna notatu) qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam [XLI] parvis licet et modicis vulneribus exquirunt. » En igitur graviora, et maxime publica, delicta, quæ a Communione arcebant, donec confessione, et pœnitentia etiam publica, pro eorum gravitate, purgarentur; en leviora, eaque etiam occulta, quæ Communionem quotidianam minime impediebant, sed de quibus nihilominus, ob rei momentum et ob temporum acerbitatem, sibi quandoque Christiani illi anxio animo metuebant, et quorum causa sine exomologesi conscientiæ ad Communionem accedere non audebant.

Sed aliud ad eamdem rem illustrandam præsto est monumentum, quod ad ipsam Chromatii nostri spectat ætatem; ideoque minime prætereundum. Apud divum siquidem Augustinum, loco superius relato epistolæ ipsius *ad inquisitiones Januarii*, pars ea Christianorum, quæ quotidianum eucharistiæ usum commendabat, adversus partem alteram, quæ non quotidianum potius, uti vidimus, suadebat; pars ea, inquam, ex communi procul dubio tunc vigente probataque doctrina, in sententiæ suæ favorem aiebat, quod « peccata si tanta non sint, ut excommunicandus quisque judicetur, non se debet a quotidiana medicina Dominici corporis separare; » quod propterea de gravibus tantum, letalibusque, uti vocant, peccatis intelligi debet, quæ sola confessionem sacramentalem exigebant, et pro reatus modo pœnitentiam, ut quis ad eucharistiam accedere posset; unde fiebat, quod quotidiana illa Communio necessario interdum a Christianis illis intermitti deberet, qui peccatis hujusmodi essent obnoxii. Libere itaque Fideles antiqui ad sacram Communionem, vel quotidie, vel certe frequentissime, accedebant absque sacramentali confessione, *nisi aliquo peccato se obstrictos aliquando sentirent, quod*

A *grave esset, aut saltem grave esse formidarent,* prout superius asserebamus. Atque hæc de insigni Chromatii loco, ubi *quotidianæ* aut certe frequentissimæ Fidelium Communionis, eo tempore in Aquileiensi quoque Ecclesia vigentis, sermo habetur.

Textum nunc alium sancti Chromatii nobis indicat Ceillierus, qui ad matrimonium pertinet; cujusque propterea hoc loci meminisse leges quædam civiles super matrimonii argumento, quæ præteritis hisce annis in Gallia conditæ, atque huc quoque mox allatæ, non sine gravissima religionis injuria et bonorum omnium indignatione obtinuerunt, nos quodammodo impellunt. Textus itaque est hujus modi. « Ipse enim (Dominus) ait: *Quod ergo Deus conjunxit in unum, homo non separet....* aperte [XLII] demonstrans,
B monstrans, cum contra Dei agere voluntatem, qui matrimonium a Deo junctum illicita divortii separatione temerare præsumpserit. Unde non ignorent, quam grave apud Deum damnationis crimen incurrant, qui per effrenatam libidinis voluptatem (absque fornicationis causa) dimissis uxoribus, in alia volunt transire conjugia. Quod idcirco se credunt impune committere, quia humanis et sæculi legibus id videtur permissum, nescientes in hoc se gravius ac magis delinquere, quia humanas leges divinis præferant; ut quod illicitum Deus esse constituit, ideo licitum credant, quia ab homine sit libere permissum. » Ita sanctus Chromatius, tractatu in hac editione 10, num. 1. Duas habet partes hic textus: primam nempe, in qua simpliciter exponit Chromatius
C Servatoris nostri doctrinam Matthæi V, 31, 32: *Ego autem dico vobis: quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari;* alteram vero, in qua eos arguit, qui humanarum legum prætextu, divinam constitutionem de conjugii religione solvebant, quique inde etiam crimen suum augebant, quod leges humanas divinis sanctionibus anteferrent.

De priori hujus textus parte nihil est quod dicamus. Tillemontius enim, atque post eum Fontaninus, et novissime quoque Ceillierus animadverterunt, nequaquam Chromatium ibidem ita locutum fuisse, ac si novum matrimonium, dimissa uxore adultera, contrahi posse existimaret; sed Evangelistæ verbis nihil ipsum addidisse, nihil super hac
D re sententiæ suæ protulisse, hac quæstione, de matrimonio ob adulterium, si lubeat, dissolvendo, nondum fortasse tunc excitata. De altera vero parte nonnihil dicamus oportet, postquam postremis Gallo-Italæ dominationis legibus temerata matrimonii sanctitas fuit. De antiquis, seu romanæ reipublicæ, seu Romani imperii legibus loquebatur sanctus Chromatius, dum scriberet: *Quod idcirco se credunt impune committere, quia humanis et sæculi legibus id videtur permissum.* Hæ porro leges, ut norunt Romani juris periti, matrimonii solutionem permittebant, exempli gratia, ob mortem quoque civilem, seu fictitiam, unius partis, qualis intercedere dicebatur, ubi quis in captivitatem seu servitutem redi-

geretur : permittebant etiam ob deportationem, quasi deportatus effectus fuisset servus pœnæ. Permittebant insuper matrimonii solutionem per mutuum partium consensum ; quæ solutio *bona gratia* fieri dicebatur, ad distinctionem aliarum solutionum quæ dicebantur fieri *ex causa*. Cum leges hujusmodi ab ethnicis dominatoribus [XLIII] conditas, qui Deum non noverant, invenisset christiana religio in universo Romano imperio vigentes, christiani gregis moderatores in eo procul dubio toti fuerunt, ut qui Christo nomen dabant, civiles leges matrimonia respicientes insuper haberent, divinamque indissolubilis matrimonii originem ipsi intuerentur, novo etiam, ea ipsa de causa quia solvi non potest, Sacramenti honore a Christo Domino cumulatum.

Corinthios propterea, qui ex gentilitate ad Ecclesiam venerant, en quomodo super matrimonii vinculo ex Christi Domini doctrina, contra ac civiles ethnicorum leges permitterent, monebat Apostolus I *Cor.* VII, 10, 11 : *Iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere : quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* Hinc ad Polycarpum scribens etiam martyr Ignatius in sua epistola genuina num. 5, apud Coteleriuin *Patres Apostolici* vol. II, pag. 41, supra citatæ editionis Amstelædamensis 1724, ita præcipiebat : « Sororibus meis dicito, ut Dominum ament, et maritis contentæ sint carne ac spiritu. Similiter et fratribus meis manda, in nomine Jesu Christi, diligant conjuges suas, sicut Dominus Ecclesiam .... Decet vero ut sponsi et sponsæ, de sententia episcopi conjugium faciant ; quo nuptiæ sint secundum Dominum, et non secundum cupiditatem. » In hanc posteriorem Ignatii sententiam en quomodo eleganter scripserit etiam Tertullianus libro II ad Uxorem, num. 8 : « Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater ratum habet ? » In *Constitutionibus* autem *Apostolorum*, vulgo *Clementis Romani*, sed veteribus illis quidem, et sua auctoritate præditis, hæc Apostolorum nomine dictata de matrimonii nexu indissolubili habentur libro VI, cap. 14, apud citatum Coteleriuin *Patres Apostolici* vol. I, pag. 346 ejusdem editionis. « Significamus vobis .... matrimonium legitime contrahendum : tale enim culpa vacat ; quia et *a Domino aptatur uxor viro* .... Non ergo post nuptias liceat ejicere inculpatam .... Nam Dominus dicit : *Quæ Deus junxit, homo non separet :* Uxor quippe, consors est vitæ, ex duobus in unum corpus a Deo adunata : qui autem unum rursus in duo dirimit, hostis est creationis Dei, et divinæ providentiæ adversarius. » Hinc et principibus ipsis paganis, christianæ religioni, infensis, Christique fidelium insectatoribus, sanctus Justinus Martyr Apologia I, num. 15, [XLIV] pag. 52 editionis Maurinæ Parisiensis 1742, allata prius Evangelica illa lege Matthæi V, 32, et XIX, 9 : *Qui ducit repudiatam ab altero viro, mœchatur*, seu, ut Vulgata nostra habet, *Qui dimissam duxerit, adulterat*, sive *mœchatur*, aperte scribere non metuebat, quod « etiam ii, qui ex lege humana duplex matrimonium ineunt (id est, qui, prima dimissa uxore, alteram ducunt, prout leges illæ Romanorum permittebant) .... peccatores sunt apud magistrum nostrum. »

Ex his itaque intelligimus priorum sæculorum Christianos, ex gentilitate factos, et jam diu Romanæ legislationi assuetos, apprime edoctos a suis pastoribus fuisse de christiani matrimonii dignitate, ac de præcipuis ejusdem legibus, quæ certe cum legibus aut Romanæ reipublicæ aut imperii stare non poterant. Jam satis igitur apparet, quid sibi voluerit Chromatius noster, dum suæ ætatis admoneret Christianos, *quam grave apud Deum damnationis crimen incurrerent, qui per effrenatam libidinis voluptatem, dimissis uxoribus, in alia volebant transire conjugia ; et hoc idcirco se credebant impune committere, quia humanis et sæculi legibus id videbatur permissum ; nescientes in hoc se gravius ac magis delinquere, quia humanas leges divinis præferebant ; ut quod illicitum Deus esse constituit, ideo licitum crederent, quia ab homine fuerit libere permissum.* Hic autem unum annotare pretium operis existimamus : nimirum paulo ante quam hæc Chromatius pro Aquileiensibus suis scriberet, eadem Mediolani docuisse gregem sibi creditum etiam Chromatii amicum, ejusdemque uti perhibetur ad episcopatus apicem initiatorem, Ambrosium episcopum, quoad easdem Romanas leges ad connubia pertinentes ; quæ, præter ea quæ superius memorabamus, hoc quoque contra divinam legem habebant, ut adulterii judicio non teneretur conjugatus cognoscens solutam, quamvis adulterii crimine damnaretur conjugata solutum admittens. « Vos, inquit, moneo viri, maxime qui ad gratiam Domini tenditis, non commisceri adulterino corpori .... Nemo sibi blandiatur de legibus hominum. Omne stuprum adulterium est, nec viro licet quod mulieri non licet. Eadem a viro, quæ ab uxore, debetur castimonia. Quidquid in eam, quæ non sit legitima uxor, commissum fuerit, adulterii damnatur crimine. Ergo advertistis quid debeatis cavere, ne quis Sacramentis se indignum præbeat. » Ita Sanctus Doctor de Abraham lib. I, cap. 4, num. 25, qui liber, juxta Maurinos editores, exaratus fuit circa annum 387 (*a*).

[Atque hæc quidem ad Chromatii nostri illustrationem sufficiunt, in eo quod de matrimonio Christianorum scripsit, accepta ex lectione Evangelica, quam explanabat, occasione. Plura nihilominus ut hic addamus rei gravitas exigit, necnon timor quo-

(*a*) Hic in editione quam recudimus, secundis curis interclusa sunt, sine notis paginarum, quatuor folia, quorum in primi fronte notula hæc habetur : « Paginæ XLIV præfationis ad sanctum Chromatium, post lineam ultimam quæ desinit in verba, *exaratus fuit circa annum* 387, addenda sunt quæ sequuntur. » Quam superfœtationem uncinis includimus. EDIT.

quo, quod ex memorata, cui obnoxii fuimus, Gallica A legislatione nonnulli adhuc decipiantur, ut principibus christianam religionem colentibus, et fidem catholicam profitentibus, in catholicorum subditorum matrimonia jus asserant, quod sibi Romanorum leges vindicabant. Argumentum igitur ut prosequamur post allata veterum testimonia, quibus curam ostendebamus magistrorum nostrorum in erudiendis fidelibus quæ lex divina doceret contra ac humanæ leges paganorum de re connubiali sanxissent; animadvertere primo juvat, nulla, quod sciamus, trium priorum sæculorum, et quarti quoque adulti, exstare exempla, quæ christianum aliquem ostendant, qui sciens ac volens vigore legum sæcularium quas superius memorabamus, ac proinde captivitatis prætextu, servitutis, deportationis, mutuive consensus, conjugii B semel, ac legitime christiano more initi solutionem fecerit, aut tentaverit, novumque inire præsumpserit.

Fabiolam quidem Romanarum mulierum nobilissimam prodit sanctus Hieronymus epistola in editione Vallarsii 77, ad Oceanum, quæ sub finem sæculi quarti, dimisso criminosissimo viro, alteri, eo superstite, nupserat, earumdem similiter legum mundanarum favore, quæ id permittebant: « quia, inquit, persuaserat sibi, et putabat a se virum jure dimissum, nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi universa causatio, viventibus viris, feminis amputatur. » Sed hic Fabiolæ lapsus, ex ignorantia potius, quam ex animi pravitate ortus, in Ecclesiæ tandem rediit utilitatem, ob publicam hujus feminæ, solemnemque pœnitentiam tota spectante Romana urbe C peractam, de qua tam præclare sanctus doctor in citata epistola post illius decessum scripta, quæ ad annum pertinet 399, ubi etiam de Christianorum connubiis ea occasione verba faciens respectu legum Romanarum, celebre illud protulit, quod nempe super hac re, « Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi; aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit. »

Abusus itaque aliquot in christianorum matrimoniis serius, ut videtur, irrepserunt: et Chromatius noster aut primus, aut certe e primis videri poterit, qui eorum meminerit, eosque objurgaverit, qui illarum legum favore, in casibus fortasse ab eisdem memoratis, impune credebant se posse uxores dimittere et ad nova conjugia convolare. Probabiliter in hanc sententiam aliqui facillime tunc ruebant, quia D vetustas illas leges, ab ethnicis principibus olim dictas, neutiquam abrogatas a Constantino Magno aliisque christianis imperatoribus viderant; minime interim attendentes, nihil posse leges hominum adversus legem Dei, simulque veteres leges ipsas humanas matrimoniorum respicientes, quæ sub christianis imperatoribus adhuc vigebant, eos tunc tantum afficere, qui paganis superstitionibus erant implicati, quique diu post Ecclesiæ pacem in Romano imperio, tum Orientis, tum Occidentis, et auctoritate, et numero valuerunt.

Temporis progressu, et frigescente christianæ institutionis fervore, irruentibus etiam, quinto præsertim Ecclesiæ sæculo, in Romanum imperium barbarorum agminibus, necnon ingruentibus simul ubique terrarum calamitatibus, morum illa castitas, quæ fideles ætatis præteritæ distinguebat, desiderata fuit, et matrimoniorum maxime sanctitas labefactari hac atque illac cœpit, ut propterea episcopi per orbem constituti conquererentur de violatis super hac re Evangelii legibus, et Romani pontifices non semel debuerint apostolico robore pro divina lege de matrimoniorum indissolubili firmitate pugnare. Ecce igitur vel ab initio quinti sæculi Exuperium episcopum Tolosanum requirentem sanctum Innocentium papam Primum, quid de his censeri deberet, qui, interveniente repudio ab humanis legibus permisso, alii se matrimonio copularunt: et ecce Romanum ipsum pontificem eidem ad hoc postulatum in hæc verba respondentem epistola 6, cap. 6, apud Constantium *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 794, 795, quæ epistola refertur ad annum 405. « De his etiam, inquit, requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio, alii se matrimonio copularunt. Quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui vero vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, in tantum; ut etiam hæ personæ, quibus tales conjunctæ sunt, etiam ipsæ adulterium commisisse videantur, secundum illud, quod legimus in Evangelio: Qui dimiserit uxorem suam, et duxerit aliam, mœchatur: Similiter et qui dimissam duxerit, mœchatur; et ideo omnes a communione fidelium abstinendos. De parentibus autem aut de propinquis eorum, nihil tale statui potest, nisi incentores illiciti consortii fuisse detegantur. »

Doctrinam hanc prædicaverat paulo pridem etiam divus Augustinus in libro *de Bono Conjugali*, cap. 7 et 8 (quem librum juxta Maurinos editores scripserat anno circiter 401); et hoc mentione facta quoque jurium gentilium, quæ aliter se habebant ac Evangelica dictata. « Interveniente, aiebat, divortio, non aboletur illa confœderatio nuptialis: ita ut sibi conjuges sint, etiam separati; cum illis autem adulterium committant, quibus fuerint etiam post suum repudium copulati, vel illa viro, vel ille mulieri. Nec tamen nisi in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus, talis est causa cum uxore. Cæterum aliter se habere jura gentilium, quis ignorat, ubi interposito repudio sine reatu aliquo ultionis humanæ, et illa cui voluerit nubit, et ille quam voluerit ducit. » Idem sanctus doctor libro II *de Conjugiis adulterinis*, cap. 8 (quos libros scripsit anno Christi 419, ut iidem adnotant Maurini editores) idem, inquam, sanctus Augustinus eos redarguebat Christianos, qui uti aiebat, « potius eligunt maximeque in hac causa (de qua tunc scilicet disserebat, eratque de repudio uxorum ob adulterium) potius eligunt, maximeque in hac causa, mundi legibus subditi esse quam Christi, quoniam jura forensia non eisdem, quibus feminas, pudicitiæ nexibus viros videntur obstringere. » Et libro I *de Nuptiis, et Concupiscentia*, cap. 10 (qui

liber ad eumdem annum nuper citatum pertinet iisdem auctoribus Maurinis) de repudio loquens ob uxoris sterilitatem, ita docebat. « Hoc custoditur *in Christo et Ecclesia*, ut vivens cum vivente in æternum nullo divortio separatur. Cujus *sacramenti* tanta observatio est in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus, hoc est in Ecclesia Christi, quibusque fidelibus conjugatis, qui sine dubio membra sunt Christi, ut, cum filiorum procreandorum causa vel nubant feminæ, vel ducantur uxores, nec sterilem conjugem fas sit relinquere ut alia fecunda ducatur. Quod si quisplam fecerit, non lege hujus sæculi, ubi interveniente repudio sine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia..... sed lege Evangelii reus erit adulterii; sicut etiam illa, si alteri nupserit. »

Non solum autem repudii abusum, novumque inde conjugium, seu adulterii, seu sterilitatis causa, ex sæculi legibus licitum sibi faciebant interdum infirmi quidam in fide, maleque morati christiani; sed ad novas etiam nuptias earumdem legum subsidio, quandoque convolabant, si altera ex partibus in captivitatem duceretur. Accidit et hujusmodi casus superius citato sancto papæ Innocentio, uti colligimus ex ejus epistola apud Coustantium 36, col. 909, 910, quæ epistola ibidem *incerti temporis* dicitur, licet accuratius fortasse *incerti anni* dici debuerit, ob indicatum ibidem *procellæ barbaricæ tempus*, id est, ut videtur, Italiæ ab Alarico invasionem, et Romanæ urbis direptionem, quæ duæ calamitates anno 409 et 410 contigerunt, et post quas epistola illa verisimiliter data fuit, ob casum ea occasione facile natum. En autem quomodo sanctus Pontifex super hac re scripserit cuidam *Probo*, qui vir in auctoritate sæculari constitutus fuisse videtur, et fortasse hoc super negotio judex a parte noxia invocatus; cujusque certe de ea re cognoscere maxime interesset. « *Innocentius Probo.* Conturbatio procellæ barbaricæ facultati legum intulit casum. Nam bene constituto matrimonio inter Fortunium et Ursam captivitatis incursus fecerat nævum, nisi sancta religionis statuta providerent. Cum enim in captivitate prædicta Ursa mulier teneretur, aliud conjugium cum Restituta Fortunius memoratus inisse cognoscitur. Sed favore Domini reversa Ursa nos adiit, et nullo diffitente, uxorem se memorati perdocuit. Quare, domine fili merito illustris, statuimus, fide catholica suffragante, illud esse conjugium, quod erat primitus gratia divina fundatum; conventumque secundæ mulieris, priore superstite, nec divortio ejecta, nullo pacto posse esse legitimum. » Hæc integra Innocentii papæ Primi super hoc eventu epistola est. Hic porro videas humanas leges (Romani scilicet imperii legislationem) facultatem Fortunio dedisse, uxore Ursa captivitate detenta, aliud ineundi cum Restituta conjugium. Videas prius cum Ursa conjugium dici a sancto Pontifice bene constitutum; et gratia divina fundatum; id est jure divino firmatum, et gratia divina, sacramenti scilicet, roboratum, ut profunde

A nulla posset humana constitutione dissolvi. Videas demum religionis statutis et catholicæ fidei regulis imponi silentium legibus sæculi, et Pontificis auctoritate illegitimam judicari, quod illæ probabant.

Alium *casum* alia *procella barbarica* obtulit postea apostolicæ sedi, sancto Leone Magno Pontifice. Hæc Attilana clades fuit, quam subiit Aquileia, urbs Venetiæ princeps, anno 452, unde Aquileiensium multitudo in captivitatem a Barbaris abducta fuit. Quod fecit supra Fortunius ex *facultate Legum* mundanarum ob *captivitatem* Ursæ uxoris, hoc sibi faciendum putarunt Aquileienses quædam mulieres, quæ viros suos captivos habebant; ut scilicet solitudine cogente, necnon veterum etiam legum suffragante favore, alios sibi maritos loco captivorum copularent; B quorum tamen nonnulli, statu rerum in meliora converso, remearunt, et uxores suas, licet aliis conjunctas viris, repetebant. Novitas procul dubio hujus casus in Aquileiensi Ecclesia, ratione etiam circumstantiarum, effecit, ut sanctus Nicetas, qui tunc Aquileiensium erat episcopus, sedem apostolicam sibi consulendam proponeret. Hoc autem fecit, tum per Adeodatum Romanæ Ecclesiæ diaconum, qui tunc Aquileiæ aderat; tum etiam per epistolas suas, aut aliud scriptionis genus, uti conjectando propugnavimus cum de Nicetæ scriptis ageremus.

Quid vero sanctus Leo papa respondit? « Quia novimus scriptum, inquit sanctus Pontifex, quod *Deo jungitur mulier viro;* et iterum præceptum agnovimus, ut *quod Deus junxit, homo non separet:* necesse C est ut legitimarum fœdera nuptiarum redintegranda credamus, et remotis malis, quæ hostilitas intulit, unicuique hoc, quod legitime habuit, reformetur; omnique studio procurandum est, ut recipiat unusquisque, quod proprium est. » Deinde postquam pro casus singularitate, et pro circumstantiis in supplicatione enarratis, quæ ex responsione apparent, culpabiles tunc, et usque ad id temporis, eos non judicavit, qui personas assumpserunt maritorum, qui jam non esse existimabantur, et in mulieribus quoque eadem ipsa de causa rem excusabilem dixit quod novos sibi maritos comparaverint; hæc de ipsis mulieribus, quibus viri redierant, easque in consortium pristinum revocabant, subjecit : « Si autem aliquæ mulieres ita posteriorum virorum amore sunt captæ, D ut malint his cohærere, quam ad legitimum redire consortium, merito sunt notandæ; ita ut etiam ecclesiastica communione priventur; quæ de re excusabili contaminationem criminis elegerunt, ostendentes sibimet pro sua incontinentia placuisse, quod justa remissio poterat expiare. Redeant ergo in suum statum voluntaria redintegratione conjugia; neque ullo modo ad opprobrium malæ voluntatis trahatur, quod conditio necessitatis extorsit : quia sicut hæ mulieres, quæ reverti ad viros suos nolunt, impiæ habendæ sunt; ita illæ quæ in affectum ex Deo initum redeunt, merito sunt laudandæ. » Hæc sanctus Leo Magnus epistola *ad Nicetam episcopum Aquileiensem*, quæ 159 est in editione fratrum Ballerinio-

rum, et ad annum pertinet 458, qui est annus ab Aquileiæ excidio sextus. Atque hæc quoque ex divinæ legis præscripto, simulque ex evangelica institutione, contra ac Romanæ reipublicæ, Romanique imperii leges, tantopere celebratæ, aliquando sanciverint.

Siluerunt postea Romanæ leges super matrimoniorum dissolvendorum libertate, atque tunc maxime cum christiana religio, idololatria tandem exstincta, in toto orbe Romano sola religio fuit. Imperatores ipsi christiani post Constantinum Magnum, etiam ethnicorum cultu superstite, modum aliquem pro temporum ratione posuerunt antiquæ repudiorum ac divortiorum ex Romana legislatione licentiæ : ac demum eo tandem prostrato, leges ipsæ antiquatæ fuerunt, jurisperitorum deinde eruditioni, ac litteratorum ingenio unice relictæ. Post Romani imperii occasum, cum tot undique dominatus ac regna surrexerint, aliisque vicissim cadentibus emerserint alia, cumque ex Romano præsertim jure veluti ex veteri, ac celeberrimo fonte æquitatis atque justitiæ, in his quæ mere humani sunt juris, leges sibi sanciverint; nulla Christianorum, et maxime Catholicorum, dominatio fuit, quæ contra legem Dei, et Evangelicam doctrinam reviviscere fecerit, quæ Romani legum latores antiqui tradiderant de matrimoniorum solutione per repudium, atque divortium, et causa captivitatis, servitutis, deportationis, aut ex mutuo partium consensu. Id nostræ seræ ætati tandem fuerat reservatum, ut ex dominatione nuperrima, quam rerum vicissitudines, justo Dei judicio permittente, in potestatem amplissimam ex principiis exiguis extulerunt, quæque se ad fallenda hominum studia christianam atque catholicam prædicabat; ut, inquam, ex ea codicem legum haberemus, dominatoris nomine NAPOLEONEM communiter nuncupatum, et toti pene Europæ, qua vi, qua blanditiis, qua negotiatione indictum; in quo posthabito divino jure, neglectisque Evangelicis institutis, revocarentur in usum, quæ tamdiu obsoleverant, Romanorum veterum, qui Deum non noverant, leges matrimonii sanctitatem afficientes. Quis non exhorruit, quis non ingemuit, dum ibidem, exempli gratia, *pœnam infamiæ, mortem civilem appellatam*, intellexit causam dici solutionis vinculi conjugalis, *adulterium* quoque alterutrius partis; immo *mutuum* etiam, atque constantem consensum conjugum? Mittimus cætera super hac re ab eodem codice constituta, et divinis legibus, doctrinæque Ecclesiæ catholicæ repugnantia, quæ addere hic possemus, si singula persequi esset animus, aut instituti nostri ratio pateretur.

Paucos quidem habuit inter Catholicos codex ille anticatholicus qui eo jure uti voluerint ad matrimonii sanctitatem violandam : atque hi vel ex eorum numero fuerunt, qui perditissimi hominum appellari possunt ob profligatos mores, religionemque penitus e corde excussam : vel ex eis, qui pro quadam ingenii mentisque levitate facile decipiuntur, et a recto tramite, non sua quidem sponte, sed impiorum potius vafrorumque perversis consiliis avelluntur. His porro miseris, qui matrimonii sanctitatem non mentis cordisque improbitate, sed deceptione correpti prostituerunt, aptissime Chromatius noster hac etiam ætate dixisset : « Quod idcirco se credunt impune committere, quia humanis, ac sæculi legibus id videtur permissum, nescientes in hoc se gravius ac magis delinquere, quia humanas leges divinis præferunt, ut quod illicitum Deus esse constituit, ideo licitum credant, quia ab homine sit libere permissum. »

Sed gratiæ tandem immortales Deo optimo maximo, sospitatori, ac vindici peragantur; quod proxime præteritis annis 1814 et 1815, accitis in unum, suo divino numine, semel et iterum totius Europæ viribus, mireque compactis omnium principum ac populorum, licet natione, lingua, moribus, religione negotiisque sejunctorum, in eumdem scopum voluntatibus, dominationem illam procacem, quæ se contra Deum, ejusque leges sanctissimas, et contra Ecclesiam catholicam divinarum legum propugnatricem, superbissime erexerat, contrivit demum, prostravit, penitusque delevit; ut exemplo sæculis omnibus esse possit, quam vere scriptum sit, quod *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum*, Prov. XXI, 30; et quod ipse *Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum*, Psal. XXXII, 10. *Et nunc reges* itaque *intelligite : erudimini, qui judicatis terram;* ita rex sanctissimus, divino spiritu afflatus, reges omnes orbis terrarum, qui futuri essent, admonebat, Psal. XI, 10. Sed de hoc jam satis.]

[XLV] Post dicta quædam, quæ expendimus, sancti Chromatii, præterire nunc silentio non licet elogium, quo eumdem sanctum præsulem exornavit Rufinus presbyter in *Prologo* ad Chromatium ipsum, in *Tractatum Origenis super librum Jesu Nave*, quodque inter *Veterum de Chromatio Testimonia* collocavimus. Chromatium nostrum, *sanctum papam, venerabilem papam*, pluries dixerat sanctus Hieronymus; communi tamen illorum temporum dicendi scribendique ratione, cum de episcopis sermo esset : dixerat quoque (quod commune non erat) *episcoporum doctissimum; immo episcoporum sanctissimum atque doctissimum*, uti in eisdem *Veterum testimoniis* videre est. Ipse autem Rufinus *venerandum Patrem* appellaverat Chromatium, necnon una cum Eusebio ejus fratre, atque Jovino, *opinatissimum et probatissimum in Ecclesia Dei episcopum*, prout in citatis *Testimoniis*. Verum multa et magna Chromatii merita ipse simul congerit, atque eodem tempore quæ illius quodammodo merita præcipua fuerint ostendit in citato *Prologo*, dum eum simpliciter *Beseleheli* Israelitæ comparat, et *Beselehelem nostri temporis Chromatium* dicit. *Beselehelem* porro nemo ignorat, Exodi XXXI, a Deo vocatum, et impletum *Spiritu Dei, sapientia, et intelligentia, et scientia in omni opere, ad excogitandum quidquid fabre fieri potest ex auro, et argento, et aere, marmore, et gemmis, et diversitate lignorum*, in ex-

structione Tabernaculi, quam Moysi Deus ipse mandaverat. Spirituali itaque sensu hæc intelligit de Chromatio Rufinus, dum ipsum *Beselehelem* sui *temporis* nominat. Quid igitur ex hoc Rufini elogio in laudem Chromatii eruamus? Quod Rufinus de Chromatio scribebat in *Prologo* in *Tractatum Origenis super librum Jesu Nave*, hoc ipsum sanctus Gregorius Nazianzenus de sancto Basilio Magno *Oratione in laudem* ejusdem pag. 346 editionis Parisiensis Morell anno 1609, eumdem nimirum et ipse Beselehelem spirituali sensu appellans, atque hoc pacto sermonem instituens. « Deinde quoniam æque imperfecta res est, actio sermone destituta, et sermo ab actione remotus, idcirco actionis subsidium sermoni adjungebat (Basilius), alios nimirum adiens, ad alios legationem mittens; alios accersens, *admonens, urgens, increpans*, minis insectans, probris incessens, pro gentibus, pro urbibus, pro singulis etiam hominibus certamen suscipiens, omne salutis genus excogitans, undecumque medicinam morbo adhibens; *Beselehel* ille, ille, inquam, divini fabricator Tabernaculi, materiam omnem et artem ad opificium accommodans, atque omnia contexens, [XLVI] ad eximiam quamdam unius operis pulchritudinem et concinnitatem. » Hæc sub Beselehelis figura de Basilio Nazianzenus.

Hæc eadem itaque voluisse Rufinum de Chromatio prædicare, dum ipsum Beselehelem sui temporis appellavit, merito inferimus. Sunt quidem aliqua Chromatii episcopi satis nota, quæ Fontaninus atque De Rubeis expenderunt, quorumque meminere Tillemontius quoque atque Ceillierus; ex quibus Chromatium nostrum dignissimum intelligimus, qui spirituali sensu *Beseleheli* illi antiquo, divini Tabernaculi fabricatori, compararetur. Ejusmodi nimirum sunt quæ gessit dum presbyter esset sub episcopo Valeriano, maxime vero in concilio Aquileiensi anni 381 contra Arianos episcopos Palladium et Secundianum. Ejusmodi sunt quæ post Valerianum egit episcopus ipse Aquileiensis, et verbo et exemplo; cujus testimonia prostant in Sermone qui superest de octo Beatitudinibus, et in reliquiis Commentarii quem scripserat in Matthæum; ut nihil dicamus de aliis quæ procul dubio elucubravit, quæque injuria temporum perierunt. Addamus operam, quam ipse adhibuit apud Hieronymum, suppeditatis etiam pecuniarum subsidiis, ut studia sua in sacræ Scripturæ libris ad totius Ecclesiæ utilitatem prosequeretur; nec non stimulos quos admovit Rufino, quem ex Oriente reducem presbyterorum suorum Aquileiensium a bo ipse adscriptum voluit, ut Græcam Eusebii Historiam ecclesiasticam Latinis litteris donaret, et ut alia quoque ex Græcorum opibus conferret ad ædificationem divini Tabernaculi, prout sunt Origenis homiliæ, seu Oratiunculæ in librum Josue. Susceptum vero a Chromatio nostro pro Joanne Chrysostomo patrocinium, fervorem pietatis illius et vigorem fidei ostendit, qui nulla locorum distantia coerceretur, nullis difficultatibus atterreretur, nulla quoque temporalis potentiæ acerbitate frangeretur; quominus justitiæ jura defenderet, Ecclesiæ utilitatem, Dei honorem et gloriam in omnibus procuraret. Hæc itaque celebria sunt, et publica Chromatii nostri merita in divini tabernaculi constructione: sed ad hæc sola respexisse Rufinum non arbitror, dum eumdem *Beselehelem nostri temporis* appellavit. Ita scribebat Rufinus Aquileiæ positus apud Chromatium, uti De Rubeis in dissertatione de Rufino; ideoque testis ipse erat totius et publicæ et privatæ vitæ Chromatii: videbat nimirum, præter ea quæ publice nota erant; videbat, inquam, quid ad divini tabernaculi constructionem, veluti in suæ officinæ latebris, etiam absque testibus, operabatur; videbat labores [XLVII] Chromatii diurnos atque nocturnos, instantia illius quotidiana, et sollicitudinem totius amplissimæ diœcesis; quomodo scilicet susciperet in fide infirmos, quomodo debiles adjuvaret, quomodo obsecraret et admoneret, quomodo argueret, increparet, quemadmodum de Basilio Nazianzenus aiebat. Hæc omnia simul sumpta Chromatium nostrum in Aquileiensi Ecclesia Beselehelem sui temporis constituebant in divini tabernaculi ædificatione: atque hæc omnia Chromatii merita procul dubio respiciebat Rufinus, dum Chromatium Beselehelem sui temporis appellavit. Si fides autem habenda est Anonymo et antiquo auctori libelli, cui titulus: *Cantuum et cursuum ecclesiasticorum origo*: cujus textum in testimoniis ultimo loco posuimus, et de quo in lucubratione sua etiam Fontaninus, Chromatium nostrum diximus de ecclesiastica quoque liturgia bene fuisse meritum in Ecclesia Aquileiensi, atque hac etiam de causa *Beselehelem nostri temporis* jure fuisse a Rufino presbytero suo appellatum: quod innuisse sufficiat.

Alia nunc nos manet dicendi materia, quæ plurimorum quidem ursit ingenia, et de qua præcipue scripserunt Fontaninus atque De Rubeis in *Lucubrationibus*, quas Chromatii scriptis subjicimus; cur nimirum Chromatius hic noster Aquileiensis in prima Basileensi ejus scriptorum, quæ supersunt, editione anni 1528 appellatus fuerit *episcopus Romanus;* et cur tamdiu ante editionem illam eumdem appellaverit *sanctæ Romanæ antistitem Ecclesiæ* etiam beatus Flaccus Albinus, seu Alcuinus Abbas in *libello adversus Hæresim Felicis episcopi*, § 26, ubi textum ejusdem Chromatii refert de sanctissimo Trinitatis mysterio. Tota difficultas in nomenclatione Alcuini esse videtur: nam Joannes Sichardus, qui editionem illam Basileensem adornavit, ideo *Romani episcopi* titulum Chromatio posuit, aut certe in suo quoque codice scriptum ipse ratum habuit, quia ita appellatum ab Alcuino abbate Chromatium invenit. Alcuinum vero nequaquam putaverim sponte sua appellasse Chromatium *episcopum Romanum*, seu *Romanæ Ecclesiæ antistitem;* sed id fecisse, quia ita dictum invenit in codice *Scriptorum* sive *Opusculorum Chromatii*, quo utebatur. Quid igitur de hac appellatione censendum?

In varia abierunt super hac re Eruditi, prout videre est in citatis *Scriptionibus* Duumvirorum nostrorum. Ipsi vero quid senserint, paucis accipe. Fon-

taninus in *Romani episcopi* appellatione intellexit A episcopum *Ecclesiæ Latinæ*, ad discrimen episcoporum *Ecclesiæ Græcæ*, seu *Orientalis*. De Rubeis vero in [XLVIII] suis *Monumentis Ecclesiæ Aquileiensis* verisimile putavit *episcopum Romanum* dictum fuisse Chromatium per amanuensium, aut aliorum errorem; ac dici potius et scribi debuisse *episcopum Romatium*, aut *Romatinum*; ex patria nimirum, quam Chromatius habere potuerit in *Portu Romatio* seu *Romatino*, diœcesis tunc Aquileiensis, et ab Aquileia non ita longe dissito. Cum ante editionem Fontaniniani operis posthumi *Monumenta* sua vulgasset clarissimus hic auctor; hinc, cognita eruditi Præsulis opinione, in suis postea *Dissertationibus variæ eruditionis* momenta omnia expendere voluit, quibus Fontaninus suam opinionem fulcierat, eaque ad il- B lam tuendam infirma esse monstravit: addiditque e vestigio, ubi opus esset, hypothesim aliam; ut scilicet *episcopi Romani* appellatione, quæ maxime existimetur Chromatii tempore, aut non ita post illius decessum, *Scriptis* ejus apposita, intelligi debeat *episcopus catholicus*, ad differentiam episcoporum Arianorum, qui tunc plurimi erant, atque etiam in Italia, postquam Gotthorum gens barbara, quæ Arianismum profitebatur, eam invaserat.

Novissimus etiam editor *Operum* Alcuini, clarissimus Abbas Frobenius, in notatione ad Chromatii textum ab Alcuino relatum in *libello adversus Hæresim Felicis episcopi*, et hic inter *Veterum Testimonia* situm, licet *incertum* dixerit *quo sensu Chromatius* Aquileiensis dictus fuerit *episcopus Romanus* in C codicibus manuscriptis illius *Scripta* continentibus, addit nihilominus cogitatum suum, quod et nostro quoque De Rubeis in mentem venerat; nimirum in appellatione *episcopi Romani forte descriptores* inde *deceptos* fuisse, quod sanctus Hieronymus eumdem Chromatium episcopum, *sanctum papam*, et semel et iterum appellaverit. « Sed nemini vetus illa ac passim obvia honoris compellatio fraudi esse potuit. » aiebat clarissimus Vallarsius, idipsum animadvertens in Notationibus suis ad Aquileiensem Rufinum; ubi insuper Chromatium nostrum, non modo *episcopum Romanum*, et *Romanæ antistitem Ecclesiæ*, sed vere et absolute *Pontificem maximum* nuncupatum observat in *Præfatione Rufini ad Chromatium in suam, et Eusebii Cæsariensis Latinam ab eo factam Historiam*, D ex editione Renati Laurentii De la Barre, et absque dubio ex manuscripto exemplari Rufiniano, quo usus hic editor fuit: decepti enim *Antiquarii*, ut Vallarsius scribit, neque assecuti qua ratione quove sensu diceretur Chromatius et *Romanus episcopus*, et *Romanæ antistes Ecclesiæ*, existimarunt hisce dicendi modis denotari proprie episcopum urbis Romæ, et [XLIX] Romanæ Ecclesiæ cathedram obtinentem; ideoque non sunt veriti Exemplaria sua interpolare, ut etiam *Pontificem maximum* eumdem Chromatium dicerent. Videantur Rufini Aquileiensis *Opera* ex editione Vallarsii col. 289 et sequentibus, in subjectis eruditi viri Notationibus. Adeas insuper, si lubeat, animadversiones nostras ad Fontanini *Lucubrationem*, quam Chromatii scriptis subjicimus, ubi de *Pontificis maximi* appellatione Chromatio attributa sermo est. Quid nunc igitur nobis post hæc?

Placuit quidem semper, atque iterum placet, in hac tam incerta ac disceptata re, excogitatus clarissimi prælaudati viri Bernardi Mariæ De Rubeis in *Monumentis*; ut scilicet in *episcopi* seu *antistitis Romani* vocibus amanuensium errorem suspicemur, qui *Romanum* facillime scriptitaverint, ubi *Romatium*, seu *Romatinum* legere ac transcribere debuissent; licet interea non æque arrideat quod ipse subdit, dictum nempe *Romatium* sive *Romatinum episcopum* facile fuisse Chromatium, quia *Portum Romatinum*, seu non longe dissitam Concordiam urbem, habuerit patriam. Cur vero *Romatius* seu *Romatinus* episcopus appellari potuerit Chromatius noster, qui dubio procul episcopus Aquileiensis fuit? Rem late enucleavimus in sancto *Niceta* episcopo Aquileiensi, qui pariter *et Romanæ civitatis episcopus*, ut in aliquo Gennadii codice ms. ibidem indicato, ac in vetustissima quoque, immo *prima editione rarissima* Gennadiani operis (cujus exemplar apud clarissimum Maurum Boni, qui hoc nobis nuper humanissime significavit), et *Romatianæ*, et *Romatitianæ*, et *Romatieiæ civitatis* dictus legitur. Non est hic tamen cur ad *Auxiliariorum* episcoporum morem in Ecclesia tunc temporis obtinentem recurramus, prout in sancto *Niceta* actum fuit: ordinatus namque a divo Ambrosio Mediolanensi Chromatius perhibetur Aquileiensium episcopus statim ab obitu sancti Valeriani antecessoris: et certe Chromatii episcopalis gradus mentio nulla, nullum indicium, immo nulla conjectandi aut occasio aut necessitas, antequam Aquileiensis sedis episcopus esset. Sedisse itaque Chromatium nostrum, in episcopali jam Aquileiensi cathedra constitutum; sedisse, inquam, aliquando autumamus, potius quam Aquileiæ, in *Portu Romatio* seu *Romatino*, qui tunc ad Aquileiensem episcopum pertinebat, quique tunc etiam ad *Romatii* seu *Romatini* fluvii ostium stabat, uti ex Plinio habemus; ideoque facillime appellatum *episcopum Romatium* seu *Romatinum*, potius quam Aquileiensem, a loco nimirum, ubi, circumstantiis ac vicissitudinibus compellentibus, et pluries fortasse [L] adesse, et diutine quoque commorari debuerit. Rem itaque probabilem, ex alibi præsertim dictis de Chromatio ipso apud sanctum Nicetam, quam brevissime ostendamus.

Præmittere juvat, nondum Chromatii tempore ita *residentiæ*, uti aiunt, episcopalis loca ubique fixa atque veluti sancita fuisse, prout sequentibus sæculis; ideoque liberum tunc episcopis, relicto etiam loco principali, intra propriæ diœcesis fines quocumque vellent divertere, ibique quamdiu vellent commorari. Id vero obtinere maxime consueverat, ubi ratio adesset aliqua, quæ eos reapse ad id consilii impelleret. Chromatius noster, post obitum Valeriani, Ecclesiæ Aquileiensis clavum accepit


anno cadente 388, uti conjicit De Rubeis in *Monumentis*, et confirmat in *Dissertationibus variæ eruditionis*. Hic autem ipse annus fuit, quo Aquileiensis urbs obsidionem pertulit ab exercitu Theodosii Magni Augusti, qui tyrannum Maximum insectabatur Aquileiam ingressum cum copiis suis, ibique brevi etiam ab Augusto ipso victore captum et capite damnatum. Chromatii tamen inauguratio Aquileiæ probabiliter locum habuit post Augusti victoriam et Maximi necem, tranquillitate restituta. Cum non ita post Maximi casum tyrannidem arripuisset Eugenius, idem Theodosius in Italiam rediens anno 394, cum magna militum copia, ad Aquileiensem agrum pervenit, ubi commissum prælium fuit, quod exitium et mortem novo tyranno intulit. Anno 400, et ab Eugenii internecione sexto, Alaricus Gothorum dux in Italiam irrupit; et Aquileiensis regio prima omnium patuit cupiditati Barbarorum, qui tunc, non tam dominii acquirendi, quam prædæ abducendæ causa advenerant. Post Alaricum, tunc demum Italia pulsum, eadem qua ille, improba mente, etiam Radagaisius, alter Gotthorum dux, anno 404 aut insequente, Italiam ingressus, Aquileiensem itidem agrum tentavit, multisque locis vastatis, in Thuscia tandem occubuit. Quid porro in illis angustiis Chromatius episcopus Aquileiensis? Nil certe mirum, ab Aquileiensi civitate et agro illum et semel, et iterum atque iterum recessisse, ac duabus præsertim postremis hisce vicibus moram etiam diuturniorem eo loci protraxisse, quem sibi prætulerat incolendum: atque ita id factum, ut ejus loci episcopus, potius quam civitatis Aquileiensis, quodammodo videretur. *Romatium* vero *Portum*, seu *Romatinum*, ad fluvium ejusdem nominis, locum reapse fuisse secessioni Chromatii tunc temporis opportunum, sive illius *Portus* nomine locum intelligamus, qui nunc *Portus-Gruarius* supra Concordiam, [LI] sive alium post Concordiam, a Plinio memoratum, ad fluvii ejusdem ostium, unde in Æstuarium labitur, quod probabilius quoque videtur; locum hunc, inquam, secessioni Chromatii opportunum fuisse, tum ad bellicas Romanorum turbas vitandas, tum ad Barbarorum incursus declinandos, facile quisque, ni fallimur, intellexerit, qui Romanas vias tunc celebres noverit, maxime vero illam, sive *Flaminiam* dixeris, sive *Postumiam*, quæ ab Aquileia per Venetiam atque Æmiliam ad primas Italiæ urbes, ac demum ad ipsam Orbis Metropolim ducebat; et a qua, tum *Romatius* seu *Romatinus Portus*, tum fluvius ejusdem nominis, ad lævam ejusdem viæ ab Aquileia venientibus, quasi ignotus, aut minus certe a Barbaris tunc alio tendentibus expetitus, distabat. Ex hoc igitur *Romatio* seu *Romatino Portu*, ad quem probabiliter Chromatius noster, et bellicas turbas, et Barbarorum incursus devitans, identidem ventitabat, et ubi aliquamdiu fortasse commoratus fuit; ex hoc, inquam, *Romatii* seu *Romatini episcopi* nomen obtinuit, quod amanuensis aliquis minus intelligens, facillime, aut una dempta syllaba, aut altera in unam litteram immutata, in *Romani episcopi* titulum convertit, qui tantæ disceptationis causam eruditis tandem posterioris ætatis præbuisset.

Neque vero singulare hoc exemplum in Chromatio episcopo quispiam crediderit, ut pro nomenclatione *episcopi Aquileiensis*, aliam obtinere potuerit, *Episcopi* nempe *Romatii* aut *Romatini*, ex mora quam in *Romatio* seu *Romatino* veteri *Portu* fortasse fecerit aliquando, ad pacatius et securius domicilium capessendum. Aquileiensis ipsa Ecclesia insigne hujusce rei nobis exhibet argumentum, quod revocari nequit in dubium. Constat Aquileienses antistites, Aquileia ob cœli malignitatem relicta, diu sedem stabilem in civitate Fori Julii habuisse, octavo præsertim sæculo atque nono, prout De Rubeis in *Monumentis* ostendit capite 36. Atqui ex hoc Forojuliensi domicilio Aquileiensium antistitum, et ipsi quoque *episcopi Forojulienses*, eo tempore, etiam in publicis monumentis, potius quam *Aquileienses* dicti fuere; et Aquileiensis ipsa Ecclesia denominationem accepit *Ecclesiæ Forojuliensis*. Videantur hujus rei documenta in sancto Niceta, capite 6, p. 133 et seq. Neque deest aliud vigens exemplum in Aquileiensi olim provincia, quæ nunc provincia Utinensis est, post patriarchalis illius Ecclesiæ partitionem in archiepiscopales sedes duas. Concordiensis civitas episcopalis, utinensi metropolitanæ addicta, quæ cathedralem habet pervetustam, et ædes [LII] etiam episcopales prope eam positas; raro tamen, statisque tantum per annum horis potius quam diebus videt episcopum suum, qui perpetuum ac stabile habet domicilium, et episcopalem sedem fixam in proxima civitate Portus-Gruarii; ubi et alia ædes sacra cathedralis loco, et episcopium, et curia episcopalis, et collegium canonicorum, et seminarium clericorum. Ipse quidem *Episcopus Concordiensis* in publicis actibus semper appellatur: at in communi loquendi et scribendi quoque usu, tum apud incolas, tum apud exteros, veluti antiquata *Concordiensis episcopi* appellatione, *Episcopus* vulgo dicitur *Portus-Gruarii*. Quid igitur mirum, si et Chromatius episcopus Aquileiensis, quarto labente et quinto ineunte sæculo, cum et semel et iterum, atque etiam tertium, gravissimisque urgentibus causis, ab Aquileiensi urbe recesserit, atque in *Romatinum* seu *Romatium Portum*, securitati ac quieti opportunum, atque in diœcesi tunc sua positum, se receperit, ibique aliquandiu moram fecerit; quid, inquam, mirum, si nomen quoque *Romatii* seu *Romatini episcopi* obtinere potuerit, quod *Scriptis* seu *Opusculis* ab eo relictis facile præponeretur?

Quid vero si in hoc *Romatio* seu *Romatino Portu* diem quoque Chromatius ipse clauserit extremum: quod certe majorem huic appellationi communiter causam dedisset? Anno 407 aut 408 mortalem vitam Chromatius cum cœlesti gloria commutavit, uti De Rubeis in *Monumentis* typis editis anno 1740; et *gravi* quidem *conjectura*, ut idem ipse confirmavit

in *Dissertationibus variæ eruditionis*, cap. 9, p. 199, A quæ anno 1762 prodierunt, contra ac dixisset in *Dissertatione de Rufino*, quæ prodierat anno 1764, ubi pag. 144 et 147 annum Chromatii emortualem statuerat 406. Eodem porro ipso anno 407 aut 408, Alaricus Gothorum dux superius memoratus, viribus instauratis, iterum in Italiam descendens, Aquileiensem Agrum iterum terrore concussit; licet et Aquileiam, et cæteras Venetiæ urbes tunc prætererit, ut recto itinere Romam peteret, quam demum anno sequenti 409 aut 410, cepit atque depopulavit. Nil igitur probabilius, quam Chromatium eodem ipso loco se maturrime recepisse, uti consueverat, etiam in hac nova ac terrifica Barbarorum irruptione; ibique morbo, quo antea laborabat (uti ex Chrysostomi, anni 406, epistola novimus), sævius fortasse B correptum, animam reddidisse. Atque hæc de *Romani episcopi* titulo, quem Chromatii Aquileiensis [LIII] *Scripta* seu *Opuscula* apud Alcuinum abbatem, et in Basileensi prima eorumdem editione prætulerunt.

Mentio tamen anni emortualis Chromatii episcopi, quem duumvirorum nostrorum opiniones ultra 408 vulgaris æræ non protendunt, admonet nunc nos, ut aliquid de nupero invento dicamus, quod hactenus lucem publicam non vidit; et ex quo, si nihil obstaret, Chromatii nostri vita ad annum saltem 420 extendi deberet. Inventum hoc est vetus plumbeum sigillum, seu numisma, quod subjicimus; quodque Venetiis inter plura hujuscemodi vetera monumenta cum recens detexisset clarissimus prælaudatus Maurus Boni, nobis etiam illico Chromatium illustranti- C bus humanissime communicavit, ut aliquid super eo quoque data opportunitate scriberemus [a].



Partes ambas hic vides hujus veteris plumbi, anticam atque posticam. Dubium porro nullum, quod *Chromatius episcopus Aquileiensis* in antica scriptus, sit D reapse noster de quo agimus. Quid vero sibi vult annus 420 in postica cum pastorali virga signatus? Numquid inde inferri possit, aut eodem anno, vitam Chromatium cum cœlesti gloria commutasse, aut eodem certe anno in vitæ suæ cursu eumdem adhuc fuisse; quasi demum in utroque significatu ejusdem ipsius anni opus hæc plumbea nota numeralis cum toto numismate censeri possit? Constat autem satis inter eruditos, anno Christi 420 nondum in usu [LIV] fuisse notas temporum Christianorum annis a Christi seu incarnatione seu nativitate ductis signare; immo longe postea usum hunc, in ecclesiasticis etiam rebus, cœpisse; et longius quoque, saltem in Occidente, passim obtinuisse. Abunde super hac re eruditi scriptores temporum, et novissime Maurini auctores operis præstantissimi *L'Art de vérifier les dates*, etc., in dissertatione prævia parte I, § 2 ex editione Parisiensi 1770, sicut etiam Rei Diplomaticæ Magistri, inter quos unum hic clarissimum Tiraboschium nominamus *Storia Nonantolana* tomo II, pag. 16, ubi usum eumdem, apud Italos saltem vix nono labente sæculo cœpisse animadvertit in chartarum signatione. In ipso Eusebii *Chronico* a divo Hieronymo Latine reddito, et ad suam usque ætatem producto, areolæ illæ, ubi *anni Domini* ab ipsius nativitate ad paginarum oram signantur, in vetustioribus codicibus ms. desunt, et eruditorum judicio additionis valde posterioris sunt; eidem proinde Eusebio, atque Hieronymo prorsus ignotæ. Vide *Chronicon* ipsum Eusebianum in editione operum divi Hieronymi a Vallarsio adornata tomo VIII, col. 635, nota *a*; necnon Arnaldi Pontaci *Notas et Castigationes in Eusebii Chronicon*, in fine ejusdem Hieronymiani tomi editas, col. 230, 231. Vel hac igitur anni 420 enuntiatione plumbeum illud numisma Chromatianum procul ab eodem anno rejicimus; ut sit omnino opus ævi posterioris, et ut propterea nihil synchronæ habeat auctoritatis ad evincendum Chromatium nostrum vitam suam perduxisse ad annum saltem vicesimum quinti sæculi, contra ac eruditi illi duumviri nostrates, Fontaninus atque De Rubeis scripserint, qui ex coævis certissimis monumentis rite expensis ultra annum ejusdem sæculi, ut maxime, octavum vitam illius non produxerunt.

Quid vero si suspicari præterea liceat plumbeum illud numisma seu sigillum probabilius post annum etiam Christi millesimum conditum fuisse; ac tum præsertim, cum tot ubique passim per Italiæ urbes Chronica monumenta scriberentur, quæ sicut in suorum temporum annis assignandis plerumque non falluntur, ita in præteritarum ætatum rebus ad Christianam æram referendis multa, ut satis constat, fortuito protulerunt, quæ eruditi postea adhibitis critices regulis emendare non sine tædio ac labore coacti sunt? Ut autem id suspicemur de hoc plumbeo monumento Chromatiano, litteræ ipsæ faciunt, seu litterarum formæ, quæ in eo visuntur: ac maxime litterarum A, E, M et R, quarum similes aut omnino aut propemodum videas [LV] (ut nostra nunc potius quam externa promamus) in nummis

[a] De hoc, aliisque recentioribus antiquitatum inventis, et quidem non Venetis modo sed Aquileiensium quoque Gradensiumque propriis, idem meritissimus Maurus Boni certiorem reddidit pro instituti ratione etiam *Venetum Athenæum*, cujus ipse membrum præclarum est. Exstat vero typis edita, super hoc Boniano suscepto, *Relatio Academica* habita in publica *sessione* ejusdem *Athenæi* die 28 mensis Maii anni præteriti 1815, a viro clarissimo Francisco Aglietti, ipsius similiter insigni membro, ad quam lectorem mittimus.

patriarcharum Aquileiensium, qui omnes post annum millesimum cusi fuerunt, et prostant apud De Rubeis dissertatione prima *de Nummis patriarcharum Aquileiensium*, et apud Lirutum *Della Moneta ch' ebbe corso in Friuli*, etc.

Non diffitemur quidem singulares esse in hoc plumbeo numismate seu sigillo formas litterarum C et O, quarum prior in antica parte uti littera, et in postica uti nota numeralis, duobus rectis angulis constat a tergo sitis; et altera quaternis, qui figuram perfecte quadratam constituunt. Verum hæc ipsa duarum litterarum singularitas antiquitatem quinti ineuntis sæculi ab hoc numismate excludit, ac sequiorem ejusdem ætatem ostendit, quæcumque demum ea censenda sit. Et priorem quidem litteram C, eo modo ductam qui in plumbo nostro apparet, exhibet parvus nummus argenteus Venetus apud citatum Lirutum tab. VI, sub num. 60; quam etiam pertinere ad Langobardorum tempora ipse autumat, ac fortasse ad partem priorem sæculi VIII, uti erudite disserit ibidem pag. 140 et seqq. Eamdem ipsam litteram Romæ viderat eo ipsissimo modo sculptam etiam in fragmento Latini lapidis in pavimento Sanctæ Agathæ Gotthorum ad Suburam celebris Antonius Maria Lupius; quod fragmentum licet omni sensu destitutum, ob singularitatem tamen hujus litteræ exhibere voluit in sua eruditissima dissertatione ad *Epitaphium Severæ martyris*, pag. 104 editionis Panormitanæ 1734. Jam vero *Gotthorum* nomen ædi Agathæ adhærens satis indicare videtur originem illius fracti lapidis absque sensu; ut mirari amplius non subeat litteram quoque C Latinam Romanam formam apud eam gentem quodammodo exuisse, et ut demum colligamus ad quinti sæculi initium eam formam, a prisca ita degenerem, pertinere non posse. Cæterum formam hanc tertiæ hujus Latinæ litteræ valde frequentem asserit in inscriptionibus sæculi XI dominus Vainesius ex Benedictina congregatione Sancti Mauri in suo *Dictionnaire raisonné de Diplomatique*, tomo I, pag. 213, editionis Parisiensis 1774. Quod autem in nummis quoque ipsius sæculi XI eadem hujus tertiæ Latinæ litteræ forma appareret (ut alia hic monumenta coæva prætereamus) satis ostendunt nummi *Henrici imperatoris* nomine signati, qui novissime Venitiis inventi sunt in Arca, ubi anno 1094 reconditæ fuerunt sacræ exuviæ divi Marci evangelistæ; quique idcirco ad Henricum Augustum hujus nominis quartum, qui adhuc eo tempore imperabat, probabiliter pertinent, [LVI] ac eodem certe posteriores esse non possunt: quorum nummorum typos accurate ære incisos videas in egregia lucubratione nobilis viri Leonardi Manini comitis, Patricii Veneti, cui titulus: *Memorie storico-critiche intorno la vita, traslazione, ed invenzioni di san Marco evangelista, principale protettore di Venezia. Venezia* 1815.

Quod vero spectat ad litteram O, in eo plumbo ita formatam, ut schema perfecte quadratum constituat; etsi in Græcis aliquot vetustissimis nummis appareant ita efformatæ Græcæ litteræ *omicron* et *omega*, ut admonet clarissimus Franciscus Neumanus, *Populorum et regum Numi veteres inediti*, parte I, pag. 221, Vindobonæ 1779; fatendum tamen nihil nobis hujusmodi occurrisse in Latinis veteribus monumentis typis editis, quæ consulere potuimus. Nihilominus horum loco abunde est quod videre licuit in paginis seu tabulis plumbeis, nuper Venetiis inventis a prælaudato viro clarissimo Moro Boni, ex vetusta et hucusque scriptoribus omnibus ignota, Corrariana societate litteraria, quæ jam a sæculo XI, uti a fide dignis omnique eruditione clarissimis viris accepimus, ibidem exstabat; cuique, inter alia, curæ potissimum fuit in plumbeas illas laminas transferre, seu Latino, seu vulgari eorum temporum Venetorum sermone, vigentique tunc charactere, quidquid memoriarum ac documentorum veterum habere et inquirere potuit in pergamenis exaratum, ut his etiam decursu temporis fragilitate sua fatiscentibus, aut omnino quoque pereuntibus, solidior plumbi materia posteritati ea omnia conservaret (a). In his porro tabulis (quæ luce etiam publica, uti speramus, aliquando gaudebunt), quotiescumque [LVII] littera O, seu in Latino seu in vernaculo tunc Venetorum sermone occurrit, hæc perpetuo perfecte quadrangula est, prout in numismate seu sigillo Chromatiano apparet; siculi angulatæ etiam, modis tamen diversis, reliquæ omnes ibidem litteræ sunt, ex quadam, ut videtur, angulatim scribendi proprietate, quæ tunc ibidem, cujusdam fortasse elegantiæ causa, in usu fuisse videtur. Hujus Latini alphabeti litteræ O quadratam formam, in inscriptionibus usurpatam, exhibet laudatus quoque Vainesius in citato Dictionario suo Diplomatico, tomo II, pag. 141; quam tamen, una cum quibusdam aliis peculiaribus ejusdem elementi formis, nequaquam ad priora seu ante seu post Christum sæcula, sed ad late patens

(a) Inventi hujus auspicatissimi primam nobis notitiam præbuit clarissimus, nostrique amantissimus, abbas Camaldulensis in sancti Michaelis de Muriano Venetiarum, Placidus Zurla, datis ad nos litteris suis sub die 27 Julii 1814; in quibus specimen quoque nobis fidelissimum transmittens, non modo characteris plumbearum illarum laminarum, sed rerum etiam quarumdam quæ in illis habentur, ita scribebat.

« Ella troverà varie cose in diversi linguaggi, il tutto fedelmente, e con indicibile pazienza trascritto da certe laminette di piombo, già di proprietà di una patrizia famiglia Correr, la quale aveva in sua casa fino dal secolo XI un' Accademia di Letterati, la qual Accademia, come da varj argomenti apparisce, ebbe cura di far incidere in piombo le vetuste memorie che in carte pellicee esistevano ab antico, e andavano a perire; delle quali carte pellicee originali riuscì pure al Boni trovarne alcune, e grandissimo è il numero di codesti piombi, che riportano fatti patrii dalla fondazion di Venezia fino al 1300 circa. Largo rumore destò la scoperta di cotesti piombi, resa pubblica in un ragguaglio recitato in questo Ateneo dal predetto Boni nello scorso Maggio; e alcuni si opposero vivamente negandone l' autenticità sulla gran ragione, che nè il Foscarini, nè altri li conobbero, e perchè contengono alcune frasi che si dicono usitate soltanto da poi, etc. »

medii ævi spatium absolute et indistincte pertinere A existimat.

Nihil itaque probabilius, quam numisma plumbeum Chromatianum post annum etiam Christi millesimum conditum fuisse; ideoque numeralem notam illius partis posticæ 420 nihilo pluris faciendam, quam eæ habeantur, quas rebus factisque priorum post Christum sæculorum apposuerunt scriptores historici sequioris ætatis, cum ad Christianam æram ea referre voluerunt, quæ Christi annis tunc minime signabantur: adeo ut potior fides in his annorum computationibus habenda sit criticis et chronologis nostris, qui res singulas summo studio expenderunt, ac consultis præsertim tot synchronis monumentis quæ ætas in apricum protulit, et ars typographica communia omnibus fecit, quæque B priscis illis, cæteroquin benemeritis scriptoribus, obvia esse non poterant.

Sit igitur pro nihilo habenda super Chromatii nostri vita aut obitu numeralis illa nota hujus Chromatiani numismatis plumbei seu sigilli; ut eas potius amplectamur, parum inter se discrepantes, quas statuere Fontaninus atque De Rubeis. Quid interim [LVIII] sentiendum de numismate ipso seu sigillo, post annum millesimum proculdubio, uti conjiciebamus, confecto? Qua nimirum de causa aut cusum, aut potius cælatum putamus; vel cui usui dedicatum? rem mere conjecturalem aggredimur: longe tamen sumus ut suspicemur, hujus numismatis sive sigilli conditores voluisse fucum facere posteritati. Sigillum suum episcopale habuisse Chromatium mi- C nime dubitamus, quo scripta sua, ubi opus esset, epistolasque signaret: id enim in usu positum apud episcopos illius ac superioris quoque ætatis, vetera monumenta nos docent; et Ducangius in *Glossario mediæ et infimæ Latinitatis*, necnon Mabillonius *De re Diplomatica*, libro II, cap. 15, num. 1, erudite ostendunt. Sigilla hujusmodi varia fuisse constat ex eodem Mabillonio; ac unumquodque præsertim sæpe nomen habuisse episcopi cujus erat. Facile quoque credimus Crucis vivificæ signum ab episcopis, ut plurimum, sigillis impositum cum proprio nomine: hoc enim signum proprio nomini anteponebant olim, cum actis aut chartis subscriberent, ut idem Mabillonius ibidem capite 22, num. 12. Quidni igitur hujus utique formæ, quam plumbeum nostrum numisma D in antica præfert, fuisse existimemus Chromatii Aquileiensis sigillum; cruce nimirum in medio posita, et proprio ac propriæ civitatis nomine circum scripto?

Verum numisma nostrum, etsi sigilli formam habeat, sigillum tamen verum ac proprium, quo Chromatius usus fuerit, esse non potest; tum ob ea omnia quæ superius diximus ut illud censeremus opus post millesimum annum confectum; tum etiam quia in parte postica caret ansula, seu adminiculo, quo instructa sigilla erant, ut eorum facilis esset usus. Quid igitur conjiciendum post hæc? Viderint nimirum post annum Christi millesimum Chromatiani sigilli impressionem aliquam adhuc superstitem, eamque aut cera aut gypso aut creta formatam; viderint, inquam, qui rei litterariæ et antiquitatum studiosi tunc erant, et fortasse Corrarianæ ipsius apud Venetos societatis alumni. Fragilitatem proinde materiæ perpenderint, ac periculum, quod, temporis lapsu, tum impressio superstes, tum sigilli memoria interiret: ideoque statuerint plumbo commissam relinquere posteritati illius formam sigilli, quod præ oculis habebant; inducta scilicet in medio areolæ Cruce, et circum appositis verbis CHROMATII-EPISCO-AQUIL-, adhibita tamen ea litterarum forma, quæ propria suæ esset ætatis: et ecce naturalem et obviam, quemadmodum autumamus, originem anticæ partis hujus plumbei Chromatiani numismatis, seu verius sigilli.

[LIX] Quod ad posticam autem, in qua pedum episcopale cum Romana numeratione CCCCXX; hanc nulla dubitatione censemus merum ac totum esse arbitrium eorum, qui rem ipsam eo tempore, nimirum post annum millesimum, curaverunt; quique partem vacuam operire modo aliquo cupientes plumbeæ illius laminæ, rem gratam bona fide posteris se facturos putarunt, si notam ibidem temporis signarent aliquam juxta vigentem æram christianam, in quo *Chromatius Aquileiensis episcopus* ex propria sententia vixisset; et si, pro inducto tunc more, insigne quoque pastoralis ejus regiminis pedum adderent episcopale. Episcopale porro pedum (ut aliquid de hoc etiam, data occasione, attingamus) quis umquam vidit, aut memoratum apud synchronos auctores legit, in episcoporum sigillis quarti, aut quinti ineuntis sæculi? Formam autem hujus pedi in plumbea nostra lamina expressam, non primitivam utique, neque quarti aut quinti sæculi, sed potius qualem obtinuisse novimus post annum Christi millesimum, qualemque in nummis præsertim pa-

Clarissimus vero Boni cum hæc objecta, et alia quoque audisset, atque interim plura alia varii generis monumenta Veneta, fortuna favente, detexisset, plumbea nimirum, membranacea, lapidea, necnon sigilla, nummos, et nigellata opera, quibus et res hactenus Venetarum rerum scriptoribus ignotæ prodebantur, et plumbearum præcipue illarum laminarum sinceritas fulciebatur, ob miram quamdam harum cum illis consensionem in epochis, factis, atque nominibus ipsis; hæc omnia protulit insequenti anno 1815 in eodem Regio *Veneto Athenæo*; eaque simul sumpta, quæ antiquitatum hujusmodi immensam prope collectionem constituunt, *Neographiam Venetam* confidenter appellavit.

Ejusdem *Veneti Athenæi* hortatu, eruditus vir illustrare hæc omnia scripto typis edendo constituerat; sed cum ipse paulo post Societati Jesu nuper restitutæ, et jam olim suæ, voti memor et compos, iterum nomen dederit; utinam alius, inter tot illustres Venetarum rerum cultores, hanc spartam exornare aggrediatur.

Adeat interim Lector typis editam *Relationem Academicam*, quam habuit super hac re in *Veneto Athenæo*, die 12 Junii 1814, laudatus Franciscus Aglietti, necnon aliam ejusdem superius memoratam diei 28 Maii anni subsequentis 1815.

triarcharum Aquileiensium intuemur, facile unusquisque cognoscet. Atque hæc de nuper invento plumbeo Chromatiano Numismate seu sigillo satis.

Alia nunc inquisitio sese nobis offert, quæ in vetustatis indagatione nonnihil et ipsa exhibet novitatis; estque via, qua Aquileienses ad Portum Romatium seu Romatinum, veluti recto ac breviore itinere, se conferebant: neque enim prorsus inutile aut injucundum existimamus investigare quam teneret probabiliter Chromatius viam, ut ab Aquileia ad Romatium seu Romatinum Portum diverteret. Occasionem huic inquisitioni dat lapis Aquileiensis, sane pulcherrimus, qui nuper, anno scilicet 1806, prope Aquileiam in loco silvoso, cui apud incolas nomen *Roncato* atque etiam *Tombola*, repertus fuit; qui ignotus proinde exstitit omnibus Aquileiensium antiquitatum illustratoribus, quique propterea ab aliquo primi subsellii antiquitatum professore expendi, enucleari, suaque vera luce donari mereretur. En tibi igitur lapidem, optime lector, qualem publici juris primus fecit Joannes Labus, doctor Brixiensis, in erudita sua epistola Italice scripta, cui titulus: *Sopra una colonna letterata di Maguzzano*: Brixiæ 1812, pag. 10; qualem nobis quoque postea datis litteris auctor humanissimus, cum notis omnibus atque mensuris, diligentissime communicavit; qualemque demum nos ipsi accepimus ab eisdem et probis et scientibus viris, qui primæ inventioni (LX) studiose adfuerunt (a): de quo tamen lapide hic non multa, sed ad rem quam agimus tantum; et quæ simul valeant aliorum studia ad argumentum uberius illustrandum excitare.

IIIIIIIIIIIIIIIIIIIIIIIIIIIIIIIIIIIIIIIIIII
IIIIIIIIIIIIIIIIIIIIIII PIVS FELIX
INVICTVS AVGVSTVS
VIAM ANNIAM LONGA INCVRIA
NEGLECTAM IN FLVENTIBVS
PALVSTRIB. AQVIS EVERVERATAM
SIC. ET COMMEANTIB. INVIAM
INTER PLVRIMA INDVLGENTIAR
SVAR.INAQVILEIENS.PROVIDENTISSIM
PRINCEPS RESTITVIT

Hujus lapidis dimensiones habeto: — altitudo, pedes 4, unc. 9; — latitudo, pedes 2, unc. 5; — crassitudo, unc. 9.

[LXI] Acephalus hic lapis est, ob deletam scalpro seu malleo integram primam lineam et priorem majoremque partem secundæ, ubi nomen principis, cujus memoriæ fuerat dedicatus ob *Viam Anniam* de qua ibidem mentio, ab eo restitutam.

Alium profero Aquileiensem lapidem jamdiu notum, et ipsum quoque post duo priora verba acephalum; qui tamen lumen aliquod præcedenti afferre potest, quoniam ad illum, ut videtur, refertur; quique integer habetur, nimirum cum lacuna sua lineolis expressa, apud Bertolum *Le Antichità d'Aquileja*, pag. 284, et apud Basilium Asquinum *Ragguaglio, etc., di Monfalcone*, pag. 9; quæ lacuna pridem deerat apud Gruterum, aliosque, qui eumdem lapidem typis ediderant, unde inscriptio ex primis ipsius verbis *Cæsari Augusto* falso attributa. Refertur igitur apud ambos citatos scriptores nostrates, qui lapidem ipsum Aquileiæ suismet oculis usurparunt, inscriptio hoc modo; adhibita hic tamen a nobis accuratiori ea forma, qua eamdem post iteratas cum ipso lapide collationes expressit in schedis suis diligentissimus æque ac eruditissimus Angelus Maria Cortinovius, quem superius memoravimus; quam-

(a) Ex his Leopoldum et Sanctem fratres Zucculos nominamus, optimos cives nostros, pictoriæ artis cultores, atque Aquileiensium antiquitatum, quas sæpe suismet oculis lustrarunt, amantissimos. Ipsi quoque nos semel et iterum pro certo habere jusserunt, inscriptionem hujus lapidis a clarissimo Labus typis primum datam, genuinam esse in omnibus, nihilque eidem adscitum, nihil demptum fuisse, et nihil in ea vitiatum irrepsisse, seu exceptoris culpa, seu typographi.

Id vero hoc loci annotare ad lectoris normam pretium operis existimavimus, quoniam in Diario, hoc est, *Giornale dell'Italiana letteratura*, Patavii impresso, tomo XXXII *della serie intera*, et tomo II *della serie nuova*, num. 4. *Luglio ed Agosto* 1812, pag. 249, 250, ita de hac inscriptione minus favorabiliter sermo habetur: « *Sembra che tale, quale l'Autore* (Sig. Labus) *la indica, non possa correre; e certo, per errore o del copista o dello stampatore, qualche parola vi fu aggiunta, o alterata.* » Nobis e contra, excepto principis nomine antiquitus deleto, nihil omnino in Inscriptione hac obesse videtur, quominus integra atque perfecta quoad sensum judicari possit.

Quid interim de inscriptionis lapide post inventionem factum fuerit, ubinam exstet nunc, aut quod subierit fatum, ignoramus. Frustra quidem (ut verum fateamur) frustra eumdem Aquileiæ nuper con

que veram ac genuinam esse nosmetipsi Aquileiæ A visu tactuque cognovimus (a).

[LXII]

IMP. CAES
III IIIIIII IIIII
III IIIIIIII III
IIIIIIIIIIIIIIIIIII
INVICTUS. AVG.
AQVILEIENSIVM
RESTITVTOR
ET. CONDITOR
VIAM. QVOQVE
GEMINAM
A. PORTA. VSQVE
AD. PONTEM
PER. TIRONES
IVVENTVT. NOVAE
ITALICAE. SVAE
DILECTVS. POSTERIOR
LONGI. TEMPORIS
LABE. CORRVPTAM
MVNIVIT. AC
RESTITUIT.

Hujus alterius lapidis accipe dimensiones : — altitudo est pedum 5, unc. 4, — latitudo est pedum 2, unc. 1 et semis. — Crassitudinem celat paries, cui insertus lapis est. C

Uni eidemque principi videntur hi duo lapides positi, ob duo ejusdem generis opera in Aquileiensium utilitatem facta ; *viam* nempe *Anniam restitutam*, ut in priori; et *Viam quoque Geminam munitum ac restitutam*, ut in secundo. Hactenus ignotus fuit lapis primus, ad quem secundus referebatur per vocem copulativam *quoque;* quia scilicet, præter *Geminam*, viam aliam proculdubio indicabat ab eodem principe *restitutam*, quam nunc *Anniam* fuisse cognoscimus. Præter quam quod, elogio prioris lapidis, quo *plurima indulgentiarum suarum princeps ille providentissimus in Aquileienses* contulisse dicitur, optime concinit lapis alter, quo idem princeps, ob ea profecto D *plurima*, et *viam Anniam*, et *viam quoque Geminam*, de qua ibidem, merito *Aquileiensium restitutor* nuncupatur, ac etiam quodammodo [LXIII] *conditor*, juxta illorum temporum non infrequentes populorum erga principes assentationes.

Quis hic princeps fuerit, cujus nomen utrobique deletum, dicam absolute, *Diocletianum* visum fuisse Bertolo supracitato qui secundum lapidem illustrabat; sed probabilius *Hadrianum* autumasse Asquinum, qui de eodem hoc lapide, supracitato itidem loco, immediate post Bertolum sermonem habuit; quidquid deinde scripserit adversus hanc opinionem Bertolus ipse in *Opusculo*, quod contra Asquinum edidit in *Collectione* prima Calogeriana *Di Opuscoli scientifici e filologici*, tomo XXVI, pag. 501. In Asquini autem sententiam ivit etiam vir clarissimus nuper laudatus, et antiquitatum omnium, maxime vero nostrarum Aquileiensium peritissimus, Cortinovius; cujus super hac eadem Inscriptione secunda eruditam *Memoriam* ms. teneo ; et in qua illam trium versuum lacunam a se Aquileiæ ex ipso lapide accurate desumptam, neque continua lineolarum successione signatam ut apud Bertolum et Asquinum, B sed spatiolis vacuis interjectis distinctam prout hic dedimus, ita ex aliis pluribus *Hadriani* Augusti Inscriptionibus, quæ integræ supersunt, ingeniose supplevit in margine, ratione habita absque dubio etiam capacitatis loci verbis omnibus siglisque admittendis.

Imp. Caes.
DIVI. TRAIANI. PARTHICI
F. DIVI. NERVAE. N
TRAIANVS. HADRIANVS
Invictus. Aug.
etc.

Clarissimo Cortinovio in hac *Hadriani* potius quam *Diocletiani* sententiæ subscripsit nuper etiam eruditissimus Filiasius *Memorie storiche dei Veneti Primi e Secondi* tomo II, cap. 25, pag. 224, Venetiis 1796; ubi tamen Aquileiensem Inscriptionem hujus *viæ Geminæ* refert ad modum prorsus Bertoli atque Asquini, indicata nempe trium versuum lacuna per continuam punctorum seriem, absque ullo intermediarum vacuitatum indicio : unde constat, Cortinovii quidem (quam amplexus erat) opinionem illi notam probatamque fuisse, minime vero perspectam lacunæ emendationem, quam idcirco nunc nos primum ex schedis ipsius, periculo dein nostro firmatis, proferimus.

[LXIV] Romanum principem hunc deleti nominis autumari posse Trajanum Augustum Hadriani patrem existimaveram ipse aliquando, tum ob Italicam patriam suam in lapide memoratam, tum ob plurima atque praclara opera, quæ tam Romæ quam in præcipuis imperii urbibus et ipse idem fecit; maxime autem ob vias Italiæ pene omnes ab eo instauratas, uti acceperam ex fortuita Galeni medici lectione, qui *Methodi medendi* libro IX, capite 8, ita scripsit : « Itaque cum sic se haberent (in deteriore scilicet

quisivimus, ut inscriptionem originalem nos quoque cum edita conferremus. Cæterum post auctoritatem Doctoris Labus quam attulimus, postque assertionem oculatorum testium quam indicavimus, nullus certe superest prudenti dubio locus, aut super lapidis inventione, aut super inscriptionis sinceritate.

(a) Hic lapis, qui tempore quo Bertolus noster scribebat, visebatur in pavimento ædis sacræ monialium tunc Aquileiensium O. S. B., exstat nunc paulo procul ab eodem loco in ædibus comitum de Cassis Pharaonum; ibique in Pinacotheca Aquileiensium veterum monumentorum principem habet locum.

statu essent) omnes in Italia viæ, eas Trajanus ille refecit: quæ quidem earum humidæ ac lutosæ partes erant, lapidibus sternens, aut editis aggestionibus exaltans: quæ senticosæ et asperæ erant, eas expurgans: ac flumina, quæ transiri non possent, pontibus jungens: ubi longior, quam opus erat, via videbatur, aliam breviorem excindens: sicubi vero propter arduum collem difficilis erat, per mitiora loca deflectens: jam si obsessa feris, vel deserta erat, ab illa transferens, ac per habitata ducens: tum asperas complanans. » Ita Galenus, altero circiter ab imperio Trajani sæculo, de Italiæ viis ab eodem principe restitutis.

Verum quis interim dixerit, Trajani nomen deletum in lapidibus, qui memoriam viarum ab ipso instauratarum perennarent; cum principis *optimi* appellationem ex S. C. acceperit, et ita omnibus cara illius memoria, etiam post mortem, habita sit, ut populus Romanus novis post eum principibus acclamare consueverit: *Sis felicior Augusto, melior Trajano:* quasi nempe ad Trajani bonitatem nullus ante et post eum Romanorum principum pervenisset, sicuti nemo proculdubio ad Augusti felicitatem pervenerat? Acquiescere igitur Asquino et Cortinovio, hac maxime de causa, coactus fui, et *Hadrianum* potius cum ipsis in hoc secundo lapide intueri; ac propterea etiam in primo, qui frater major secundi ex superius dictis appellari potest.

Ac profecto Italicus patria, seu origine, etiam *Hadrianus* fuit, et Trajani consobrinus, ac postea filius adoptivus habitus, illiusque in imperio successor; in quo etiam constitutus, plurima ubique munificentiæ ac indulgentiæ suæ monumenta reliquit. Quin etiam, et Aquileiæ magnæ molis admirandæque structuræ *Hadrianus* ædificium condidit, *Hadrianæum* propterea dictum: quod profano tunc numinum cultui proculdubio dicatum, quarto demum Ecclesiæ sæculo adulto Christianorum sacris aptatum addictumque fuit; cujusque tandem fundamenta atque insignia rudera non multis ab hinc annis detecta fuerunt, [LXV] cum domunculæ erigerentur novis e Græciæ partibus, haud faustis quidem auspiciis, adscitis illuc colonis, qui brevem idcirco ibidem moram fecerunt; uti ex Filiasio superius laudato, atque eodem citato tomo II, cap. 22, pag. 212, et cap. 24, pag. 225. Atque hoc sane *Hadriani* Principis præclarum opus in Aquileiensium gratiam atque in Aquileiæ urbis decorem molitum, cujus memoria ad nos usque pervenit; hoc, inquam, unum fuit ex iis *plurimis indulgentiarum suarum in Aquileienses* monumentis, de quibus primus lapis loquitur, et quorum causa in lapide altero *Aquileiensium restitutor et conditor* dictus fuit; quorumque alia fortasse sub terra adhuc latentia in apricum proferet ætas.

Præterea *invicti* elogium in utrisque inscriptionibus intuemur: quod olim diis tantummodo attributum, nec Trajano ipsi delatum, *Hadriano* primum inter principes in lapidibus dari cœpit, ut ipse Bertolus noster, causam suam agens pro *Diocletiano* pag. 286 citati operis *Le Antichità d'Aquileja*, animadvertit. Quid vero, quod Trajani nomen et *Hadrianus* assumpsit, illud proprio anteponens, prout in lapidibus ac numismatibus videmus, IMP. CÆSAR . TRAIANUS . HADRIANUS . AUG.; quemadmodum ante eum Trajanus ipse Nervæ antecessoris nomen suo præposuerat, IMP . CÆSAR . NERVA . TRAIANUS . AUG .? Fortasse igitur etiam Galenus medicus *Trajanum* simpliciter scribens, *Trajanum-Hadrianum* significare voluit; licet constet *Trajanum* quoque operibus huc illuc construendis, uti aiebam, incubuisse. In vetustis rebus, atque incertis, hariolari etiam quandoque quis vetet?

Sint itaque *Hadriano* principi hi duo nostrates lapides nuncupati. Sed cur deletum in utrisque apud Aquileienses hujus Augusti nomen? Post tot laudes, quibus ibidem extollitur, *principis providentissimi*, *plurimarum indulgentiarum in Aquileienses* largitoris, et *Aquileiensium restitutoris ac conditoris;* in quo postea de Aquileiensibus male meritus fuit *Hadrianus*, ut nomen illius e lapidibus excideretur? At *Hadrianus* quidem, non magis de Aquileiensibus, quam de omnibus, ut ita dicam, Romani orbis regionibus ac civitatibus optime meritus fuit, ob beneficia quæ ubique præstitit, Romanum imperium continuis itineribus perlustrans magno stipatus veluti exercitu architectorum, atque fabrorum omnis generis, uti tradit Aurelius Victor in *Epitome*, et Spartianus in *Hadriano*. « Immensi laboris (Hadrianus), [LXVI] quippe qui provincias omnes pedibus circumierit, agmen comitantium prævertens, cum oppida universa restitueret, augeret ordinibus. Namque ad specimen legionum militarium, fabros, perpendiculatores, architectos, genusque cunctum exstruendorum mœnium, seu decorandorum, in cohortes centuriaverat: » ita Aurelius Victor. « In omnibus pene urbibus et aliquid ædificavit, et ludos edidit: » ita Spartianus.

Verum hæc omnia benefacta *Hadrianus* imperator nigredine veluti fœda conspersit, immo potius abolevit, tum licentiori vitæ suæ ratione, qua exosus omnibus erat; tum effreni quadam audacia quemque superandi in quacumque litterarum et bonarum artium disciplina, ita ut nullum sibi umquam impune præferri sustineret; sicut etiam vehementi animi feritate, qua et insontes, et doctos præsertim complures qui sibi in ingenii laude invidiam facerent, non sine bonorum omnium indignatione, et severissime habuit, et crudeliter sustulit, uti ex citato Spartiano, atque ex Dione Cassio libro LXIX habemus. Quid vero, quod in extremo vitæ suæ, vi etiam morbi, quo dire afflictabatur, crudelior effectus, in senatum ipsum præcipue desæviit, magna parte illius ordinis splendidissimi necari jussa, uti refert citatus Aurelius Victor ibidem, ac *de Cæsaribus;* ita ut senatus ipse illius acta post mortem irrita fieri vellet, illumque recusaret *divum* appellare, prout consuetudo ferebat, nisi Antoninus filius summis precibus intervenisset, qui hac etiam de causa Pii

agnomen adeptus est, uti discimus ex eodem Spartiano, atque ex Julio Capitolino in *Antonino Pio?* En igitur *Hadriani* principis male merita, ob quæ procul dubio deletum, etsi non publica auctoritate, privata tamen animadversione eorum quorum maxime interesset, nec Aquileiæ duntaxat, sed fortasse etiam alibi, in lapidibus nomen illius post mortem; quemadmodum moris erat apud Romanos erga principes, qui exosi ob crudelia præsertim facta fuissent, uti ex Dione, Suetonio, aliisque Romanarum rerum scriptoribus habemus, annotatque eruditus idem Bertolus noster in citato opere *Le Antichità d'Aquileja*, pag. 285, ubi *Diocletiano*, sævissimo Christianorum inimico, lacunam secundi lapidis pertinere existimat.

Quid nunc vero de *Annia via* Aquileiensi, quam in primo ex his lapidibus intuemur, et cujus potissimum causa hæc scribimus? Romanam *Anniam viam* novimus quidem: licet de ea nihil in scriptoribus antiquis, et aliquid tantummodo in paucis [LXVII] inscriptionibus habeamus. Quater nimirum duntaxat de hac *Annia via* mentio fit apud Gruterum in *Thesauro Inscriptionum.* Hujus meminit Pitiscus, sed leviter ac jejune, in *Lexico Antiquitatum Romanarum*, tomo III, pag. 704, editionis Hagæ-Comitum 1737, duas commemorans ex Gruterianis inscriptionibus, ubi *viæ Anniæ* mentio. Meminit quoque Nicolaus Bergierius *De publicis et militaribus Romani imperii Viis* apud Grævium in *Thesauro*, etc., vol. X: meminit autem primum libro I, sect. 4, num. 7, ubi Gruterianam inscriptionem exhibet, in qua *curator* habetur plurium simul viarum cum *Annia*, nimirum Clodiæ quoque, Cassiæ, Ciminæ, Trium Trajanarum, et Amerinæ; unde propinquitatem harum omnium viarum uni eidemque *curatori* commissarum intelligimus, simulque harum omnium cum *Annia* ipsa, de qua ibi, ab Aquileiæ partibus distantiam: meminit vero iterum libro III, sect. 22, num. 9; ubi tamen etiam *Anniam* inter eas Italiæ *vias* publicas commemorat, quæ citra Padum non porrigebantur, quæque propterea ad Aquileiam nullatenus pertinebant. « Sequuntur, inquit, hinc viæ *Annia*, Augusta, Cimina, Amerina, Sempronia et Posthumia, quæ diversis locis Flaminiæ inseruntur et cohærent, atque ab ea hinc inde, seu rami, per Italiæ regiones, quæ inter Romam et Eridanum sive Padum sunt, porriguntur. »

Nullus itaque, quod sciamus, de hac *Annia via*, de qua inscriptio nostra Aquileiensis; quæ *via* scilicet Aquileiam respiceret, quæ proxima Aquileiæ esset, et cujus propterea instauratio beneficium dici posset Aquileiensibus indulgentia principis impertitum. Ipse Aquileiensium antiquitatum illustrator solertissimus Bertolus nullius *Anniæ viæ* meminit, quæ ad Aquileienses pertineret: et solummodo pag. 291 sæpe citati sui operis eruditissimi indicat duarum *viarum* veterum Romanarum vestigia quædam in Aquileiensi agro adhuc apparere; quarum alteram in veteribus quibusdam chartis, trium, ut ipse asserit, aut quatuor retro sæculorum, Aquileiensis olim capituli, in quo canonicus ipse erat, *viam Appiam* nuncupatam fuisse asserit; nisi potius *Annia* legenda fuisset (quandoquidem *Appiæ* apud nos alibi mentio nulla), facem nunc præbente, incorruptis litteris suis, hoc lapide recens invento apicibus chartarum veterum, oculos etiam antiquariorum et eruditorum præ vetustate non raro fallentibus. Interim inquirant alii de hac *Annia* Aquileiensium *via*, quis eam straverit, et quo tempore; unde nomen acceperit; num ad notam *Anniam* Romanam *viam* ultra [LXVIII] Padum aliquatenus pertinuerit, an alia prorsus ab ea diversa censenda sit, et Aquileiensium ita propria judicanda, quemadmodum *Gemina* illa, de qua inscriptio secunda. Antiquariorum nempe hæc sint; a quorum messe in hac eruditionis parte nunc prorsus abstinemus, ab iis potius exspectantes quid sentire super his debeamus.

Nos tantummodo animadvertimus, in hoc lapide nostro recens invento, *eververatam* dici hanc *Anniam viam influentibus palustribus aquis*, adeo ut *commeantibus invia* facta esset; ideoque in *Aquileiensium* gratiam *indulgentia principis providentissimi restitutam:* unde comperimus *viam* eam fuisse, quæ *aquis* immineret *palustribus*, ac *viam* propterea ab aliis viis terrestribus separatam; *viam* quoque Aquileiæ proximam, immo Aquileiensium veluti propriam, ipsisque quam maxime utilem; *viam* denique, quasi aggerem paludibus impositum, ut Aquileiensibus facilior per eam breviorque transitus ad loca littoralia æstuarii esset, evitatis nempe superioribus necnon longioribus aliis terrestribus viis ab aquis paludibusque distantibus. Ac quamdam certe *viam* etiam hodie incolæ Aquileienses ostendunt, ad meridiem illius, amplissimæ olim atque opulentissimæ, nunc destitutæ miserrimæque urbis positam, Concordiam versus, et *palustribus aquis* contectam; quibus quandoque decrescentibus, saxa ac rudera in imo earum apparent, viæ cujusdam veteris vestigia, necnon ferreus annulus prægrandis lapidi adhuc infixus, qui proculdubio ad ejusdem viæ crepidinem positus, alligandis prope eam naviculis inserviebat.

Quid igitur, si hac ipsa *Annia via* ab *Hadriano* principe Aquileiensibus *restituta*, Chromatius noster uteretur, ut Aquileia ad *Portum Romatium* seu *Romatinum* confestim migraret, ac deinde ab eodem portu Aquileiam quoque rediret, prout illorum temporum ratio et rerum vicissitudines exigebant? Hæc quoque ultimo loco de Chromatio investigasse, occasione hujus lapidis Aquileiensis recens in lucem positi, ab instituto prorsus alienum; aut lectoribus injucundum, minime judicavimus.

Atque hæc tandem sunt, quæ præfari libuit in aditu *Scriptorum* seu *Opusculorum*, quæ supersunt, quæque hac nostra nova editione donamus, sancti Chromatii episcopi Aquileiensis. Hæc vero, tum ut rationem lectoribus redderemus hujus consilii nostri, habitæque industriæ, ut *Scripta* ipsa et correctiora, et ordine aptiori disposita, sicut etiam me-

liori sane cultu [LXIX] quam antea ornata prodirent; tum ut aliquid etiam nosmetipsi, post virorum clarissimorum labores, conferre videremur, quod ad argumenti illustrationem quomodocumque serviret. Hæc itaque, optime lector, æqui bonique facias; A satis semper superque facturus, si in his voluntatem saltem conatumque probaveris, si errata quoque benigne donaveris; meliora interim, uberiora, accuratioraque, post hoc periculum nostrum, exspectans ab aliis.

DE S. CHROMATIO VETERUM TESTIMONIA SELECTA.

[LXXI] S HIERONYMUS, *epist.* 7, *ad* CHROMATIUM, *Jovinum, et Eusebium, num.* 1 *et* 6, *an.* 373; *quæ exst. Opp. tomo* I, *col.* 17 *et seq. editionis Veronensis Dominici Vallarsii.*

Non debet charta dividere quos amor mutuus copulavit: nec per singulos officia mei sunt partienda sermonis, cum sic invicem vos ametis, ut non minus tres charitas jungat, quam duos natura sociavit; quin potius si rei conditio pateretur, sub uno litterulæ apice nomina indivisa concluderem, vestris quoque ita me litteris provocantibus, ut et in uno tres, et in tribus unum putarem.....

Matrem communem (quæ cum vobis sanctitate societur, in eo vos prævenit, quia tales genuit, cujus vere venter aureus potest dici) eo salutamus honore, quo nostis: una quoque suscipiendas cunctas sorores, quæ sexum vicere cum sæculo, quæ, oleo ad lampades largiter præparato, Sponsi opperiuntur adventum. O beata domus, in qua morantur Anna vidua, virgines prophetissæ, geminus Samuel nutritus in templo! O tecta felicia, in quibus cernimus Machabæorum martyrum coronis cinctam martyrem matrem! Nam licet quotidie Christum confiteamini, dum ejus præcepta servatis: tamen ad privatam gloriam publica hæc accessit vobis et aperta confessio, quod per vos ab urbe vestra Ariani quondam dogmatis virus exclusum est.

IDEM, *epist.* 8, *ad Niceam Hypodiaconum Aquileiæ an.* 373; *quæ exst. eodem Opp. tomo* I *citatæ editionis Vallarsii, col.* 21.

Ecce beatus CHROMATIUS cum sancto Eusebio non plus natura quam morum æqualitate germano, litterario me provocavit officio.

IDEM, *epist.* 60, *ad Heliodorum num.* 19, *an.* 396; *quæ exst. eodem Opp. tomo* I *citatæ editionis, col.* 345.

Jungamur spiritu, stringamur affectu, et fortitudinem mentis, quam beatus papa CHROMATIUS ostendit in dormitione germani, nos imitemur in filio.

[LXXII] IDEM, *epist.* 81, *ad Rufinum, num.* 2, *an.* 399; *quæ exst. eodem Opp. t. I citatæ editionis, col.* 508.

Frater meus Paulinianus necdum de patria reversus est, et puto quod eum Aquileiæ apud sanctum papam CHROMATIUM videris.

IDEM, *lib.* II, *contra Rufinum, num.* 22, *Opp. cit. edit. tomo* II, *col.* 515.

Qui sunt isti, qui in Ecclesia disputare latius solent? qui libros scribere? qui totum de Origene loquuntur et scribunt? qui dum sua nolunt furta cognosci, et ingrati sunt in magistrum, idcirco simplices ab illius lectione deterrent? Nominatim debes dicere, et ipsos homines denotare. Ergo beati Episcopi Anastasius, et Theophilus, et Venerius, et B CHROMATIUS, et omnis tam Orientis quam Occidentis Catholicorum synodus, qui pari sententia, quia pari et spiritu, illum hæreticum denuntiant populis, fures librorum illius judicandi sunt: et quando in Ecclesiis prædicant, non Scripturarum mysteria, sed Origenis furta commemorant?

IDEM, *eodem libro* II *contra Rufinum, num.* 27, *Opp. cit. edit. tomo* II, *col.* 521.

Ponam et aliud testimonium, ne nunc me rerum necessitate compulsum dicas mutasse sententiam. In libro Temporum, id est *Paralipomenon*, qui Hebraice dicitur *Dabre Jamin*, hac ad sanctum papam CHROMATIUM Præfatiuncula usus sum. « Si septuaginta interpretum, etc. » *Reliqua vide infra.*

IDEM, *eodem libro* II *contra Rufinum, num.* 31, *Opp. cit. edit. tomo* II, *col.* 526.

C Salomonis etiam libros, quos olim juxta Septuaginta additis obelis et asteriscis in latinum verteram, ex Hebraico transferens, et dedicans sanctis episcopis CHROMATIO et Heliodoro, hæc in Præfatiunculæ meæ fine subjeci: « Si cui Septuaginta interpretum magis editio placet, habet eam a nobis olim emendatam. Neque enim sic nova cudimus, ut vetera destruamus. »

[LXXIII] IDEM, *libro* III *contra Rufinum, num.* 2, *Opp. cit. edit. tomo* II, *col.* 533.

TESTEM invoco Jesum conscientiæ meæ, qui et has litteras, et tuam epistolam judicaturus est, me ad commonitionem sancti papæ CHROMATII voluisse reticere, et finem facere simultatum, et vincere in D bono malum; sed quia minaris interitum, nisi tacuero, respondere compellor, ne videar tacendo crimen agnoscere, et lenitatem meam, malæ conscientiæ signum interpreteris.

IDEM, *in Prologo ad librum* I *Commentariorum in Abacuc prophetam: Opp. cit. edit. tomo* VI, *col.* 587.

Primum, CHROMATI, episcoporum doctissime, scire nos convenit, corrupte apud Græcos et Latinos nomen *Ambacum* prophetæ legi, qui apud Hebræos dicitur *Abacuc*, et interpretatur *amplexus*, etc.

IDEM *in Prologo ad librum* II *Commentariorum in Abacuc prophetam, Opp. cit. edit. tomo* VI, *col.* 631.

Alterum, mi CHROMATI, papa venerabilis, in Aba-

nunc librum scribimus, proprium cantico ejus opusculum dedicantes, sermonemque epicum et psalterii, id est, lyrico more compositum, totis viribus aggredientes. Sibilet igitur excetra, et Sardanapalus insultet, turpior vitiis quam nomine: nos cœptum carpamus iter; et orationibus tuis, qui carnem virtute superasti, manifestissimam de Christo prophetiam in octavo propheta, id est, in resurrectionis Dominicæ numero disseramus.

IDEM, *Præfatione in libros Salomonis, Opp. cit. edit. tomo* IX, *col.* 1293.

CHROMATIO et Heliodoro episcopis, Hieronymus.

Jungat epistola, quos jungit sacerdotium: immo charta non dividat, quos Christi nectit amor. Commentarios in Osee, Amos, Zachariam, Malachiam, quos poscitis, scripsissem, si licuisset præ valetudine. Mittitis solatia sumptuum: notarios nostros et librarios sustentatis, ut vobis potissimum nostrum desudet ingenium. Et ecce ex latere frequens turba, diversa poscentium: quasi aut æquum sit, me, vobis esurientibus, aliis laborare: aut in ratione dati et accepti, cuiquam, præter vos, obnoxius sim. Itaque longa ægrotatione [LXXIV] fractus, ne penitus hoc anno reticerem, et apud vos mutus essem, tridui opus nomini vestro consecravi, interpretationem videlicet trium Salomonis voluminum, *Masloth*, quas Hebræi *Parabolas*, vulgata autem editio *Proverbia* vocat: *Coeleth*, quem Græce *Ecclesiasten*, latine *Concionatorem* possumus dicere: *Sir Assirim*, quod in nostra lingua vertitur *Canticum Canticorum*, etc.

IDEM, *Præfatione in libros Paralipomenon, Opp. cit. edit. tom.* IX, *col.* 1405.

Si Septuaginta interpretum pura, et ut ab eis in Græcum versa est, editio permaneret, superflue me, mi CHROMATI episcoporum sanctissime atque doctissime, impelleres, ut Hebræa volumina Latino sermone transferrem. Quod enim semel aures hominum occupaverat, et nascentis Ecclesiæ roboraverat fidem, justum erat etiam nostro silentio comprobari. Nunc vero cum pro varietate regionum diversa ferantur exemplaria, et germana illa antiquaque translatio corrupta sit, atque violata: nostri arbitrii putas, aut e pluribus judicare quid verum sit, aut novum opus in veteri opere cudere, illudentibusque Judæis, cornicum, ut dicitur, oculos configere, etc.

IDEM, *Præfatione in librum Tobiæ, Opp. cit. edit. tom.* X, *col.* 1 *et* 2.

CHROMATIO et Heliodoro episcopis, Hieronymus presbyter in Domino salutem.

Mirari non desino exactionis vestræ instantiam: exigitis enim, ut librum Chaldæo sermone conscriptum, ad Latinum stylum traham, librum utique Tobiæ, quem Hebræi de Catalogo divinarum Scripturarum secantes, his, quæ apocrypha memorant, manciparunt. Feci satis desiderio vestro, non tamen meo studio. Arguunt enim nos Hebræorum studia, et imputant nobis, contra suum Canonem Latinis auribus ista transferre. Sed melius esse judicans Pharisæorum displicere judicio, et episcoporum jussionibus deservire, institi ut potui. Et quia vicina est Chaldæorum lingua sermoni Hebraico, utriusque linguæ peritissimum loquacem reperiens, unius diei laborem arripui: et quidquid ille mihi Hebraicis verbis expressit, hoc ego accito notario, sermonibus Latinis exposui. Orationibus vestris mercedem hujus operis compensabo, cum gratum vobis didicero, me, quod jubere estis dignati, complesse.

[LXXV] *S. Ambrosius, epistola* 50, *ad* CHROMATIUM *Aquileiensem episcopum, de prophetia Balaam, num.* 16, *an.* 390, *quæ exst. Opp. tomo* II, *col.* 996, *editionis Paris. BB. S. Mauri* 1686-1690.

Hoc munusculum sanctæ menti tuæ transmisi; quia vis me aliquid de veterum scriptorum interpretationibus paginare. Ego autem assumpsi epistolas familiari sermone attexere, redolentes aliquid de patrum moribus; quarum gustum si probaveris, post hæc hujusmodi mittere non verecundabor. Malo enim senilibus verbis de supernis rebus hallucinari tecum, quod græce dicunt ἀδολεσχῆσαι: .... malo, inquam, hallucinari tecum verbis senilibus, ne videar artem deseruisse, quam concitatioribus deflare aliquid jam nec studiis nostris aptum nec viribus. Vale, et nos dilige; quin ego te diligo.

RUFINUS *presbyter Aquileiensis, Præfatione ad* CHROMATIUM *episcopum Aquileiæ in suam, et Eusebii Cæsariensis latinam ab eo factam Historiam; quæ exst. Opp. col.* 209 *editionis Veronensis Dominici Vallarsii.*

Peritorum dicunt esse medicorum, ubi imminere urbibus, vel regionibus, generales viderint morbos, providere aliquid medicamenti, vel poculi genus, quo præmuniti homines ab imminenti defendantur exitio. Quod tu quoque, venerande pater CHROMATI, medicinæ exequens genus, tempore quo, diruptis Italiæ claustris ab Alarico duce Gothorum, se pestifer morbus infudit, et agros, armenta, viros longe lateque vastavit, populis tibi a Deo commissis feralis exitii aliquod remedium quærens, per quod ægræ mentes ab ingruentis mali contagione subtractæ, melioribus occupatæ studiis tenerentur: injungis mihi ut Ecclesiasticam historiam, quam vir eruditissimus Eusebius Cæsariensis Græco sermone conscripsit, in Latinum vertam: cujus lectione animus audientium vinctus, dum notitiam rerum gestarum avidius petit, oblivionem quodammodo malorum, quæ gererentur, acciperet.

IDEM, *Apologiæ in S. Hieronymum libro* I, *num.* 4; *qui exst. Opp. cit. edit., col.* 310.

Ego, sicut et ipse et omnes norunt, ante annos fere triginta in monasterio jam positus, per gratiam Baptismi regeneratus, signaculum, fidei consecutus sum per sanctos viros CHROMATIUM, Jovinum, [LXXVI] et Eusebium, opinatissimos et probatissimos in Ecclesia Dei episcopos, quorum alter tunc presbyter beatæ memoriæ Valeriani, alter archidiaconus,

alius diaconus simulque pater mihi et doctor Symboli ac fidei fuit.

Idem, *Prologo ad* Chromatium *episcopum in Tractatum Origenis super librum Jesu Nave*, *ex tomo* II, *pag.* 396, *Opp. Origenis G. et L. edit. Paris. Caroli Delarue O. S. B. e Congregatione S. Mauri* 1733.

In divinis voluminibus refertur, quod ad constructionem templi (*al.* ad constructionem tabernaculi) unusquisque pro viribus obtulerit : potentes quidem, et principes populi aurum, argentum, lapides pretiosos, æra, et alii ligna, sed imputribilia : quidam etiam coccum, purpuram, et byssum, et linum alii, vestibus hæc quoque sacerdotum et stolæ pontificis profutura. Pauperiores autem, quique etiam pelles rubras offerentes et pilos caprarum, non respuuntur. Idcirco namque Beselehel ille repletus esse dicitur omni sapientia a Deo, ut intelligens singula hæc quibus usibus apta sint, nihil ex offerentium devotione repudiet. Quia ergo et tu, o mihi semper venerabilis pater Chromati, injungis, et præcipis nobis, ut aliquid ad ædificationem et constructionem divini tabernaculi ex Græcorum opibus et copiis conferamus, Oratiunculas XXVI in Jesum Nave, quas ex tempore in Ecclesia peroravit Adamantius senex, ex græco latine tibi pro virium mearum parvitate disseruimus. Tui sane nostri temporis Beselehelis judicii sit, in his quæ offerimus, etiamsi nihil invenitur auri puri quod ad altare proficiat, nec argenti quod columnarum Ecclesiæ bases efficiat aut capita decoret, si nullus ex his in illis lapidibus inveniri potest qui logio insertus pontificale vestrum et divinorum conscium pectus exornet, at certe perspicere si vel purpuræ aliquis in his, et regii decoris, aut cocci, et mystici cruoris color intexitur : si quid puritatem byssi imitetur, et fortitudinem lini, et dignum aliquid habeat sacerdotalibus indumentis : postremo si vel rubras apud nos pelles, verecundiam frontis invenias : ad ultimum si vel caprarum certe reperias pilos, quibus vel penuriam nostram tegamus, aut si quas incurrimus culpas pœnitendo purgemus. Totum ergo hoc, de tuo judicio pendeat. Si quid sane est quod placere potest, hoc sit auctoris : neque enim quæ aliis labore parta sunt diripere, et nostræ laudi applicare justum putamus. Si vero vim sensuum, oratio inculti sermonis exasperat, hoc vel mihi, vel (ut cum tua venia dixerim) tibi ipsi reputato, qui opus quod eruditis deberet injungi, expetis ab indoctis.

[LXXVII] S. Joannes Chrysostomus *in epistola ad S. Innocentium papam an.* 404; *ex Dialogo Palladii Helenopolitani G. et L.*, *de Vita*, etc., *B. Joannis Chrysostomi cap.* 2, *in Bibliotheca Veterum Patrum*, etc., *Andreæ Gallandii tomo* VIII, *pag.* 262; *et ex Epistolis Romanorum pontificum Petri Coustantii edit. Parisiensis*, *col.* 771 *et seqq.*

Pietatem vestram, etiam antequam litteras nostras acciperet, audivisse opinor quid hic ausa sit iniquitas. Ea enim rerum est magnitudo et gravitas, ut nulla ferme orbis pars relicta sit, quæ tristem hanc tragœdiam non audierit, etc. *In fine vero ita claudit.* Hæc ipsa (Epistola) etiam scripta est ad Venerium episcopum Mediolani, et ad Chromatium Aquileiæ episcopum. Vale in Domino (*a*).

Idem *in epistola ad* Chromatium *Aquileiæ episcopum an.* 406; *quæ* 155 *est inter Opera Sancti Doctoris G. et L. editionis BB. S. Mauri*, *tomo* III, *pag.* 689 *et seq.*

Clarissima ferventis tuæ ac sinceræ charitatis tuba ad nos usque sonum suum diffudit, magnum quiddam ac diutissime durans ex tanto itineris intervallo spirans, atque ad extremos usque terræ fines pertingens. Nec nos, licet alioqui tam longe disjuncti, minus quam ii qui adsunt, vehementissimam atque igne plenam charitatem, sinceramque et ingenti libertate ac fiducia perfusam linguam, atque adamantinam contentionem exploratam habemus. Ideo vestro etiam conspectu atque congressu frui magnopere nobis in votis esset. Quoniam autem id quoque nobis ea solitudo, qua nunc tamquam compedibus restricti sumus, eripuit; idcirco dominum meum reverendissimum ac religiosissimum presbyterum nacti, cupiditatem nostram, ut licet, explemus, scribentes et salutantes, vobisque pro eo studio, quod toto hoc tam diuturno tempore magna cum animi contentione præstitistis, amplissimas gratias agentes. Ac vos rogamus et obsecramus, ut cum ipse revertetur, insuperque etiam, si tabellarii occurrant qui ad hanc solitudinem veniant, de vestra valetudine ad nos scribatis. Scis enim quantam hinc voluptatem percepturi simus, cum de hominum tam ardenter nos amantium prospera valetudine crebrius ad nos aliquid afferetur.

[LXXVIII] Honorius *Augustus in Epistola ad Arcadium Augustum fratrem an.* 406; *ex Palladio Helenopolitano in Dialogo de Vita*, etc., *B. Joannis Chrysostomi G. et L. cap.* 3, *qui exst. tomo* VIII *Bibliothecæ Veterum Patrum*, etc., *Andreæ Gallandii; atque ex Epistolis Romanorum Pontificum Petri Coustantii editionis Paris.*, *col.* 806.

Tertio jam scribo ad mansuetudinem tuam, rogans ut quæ ex compacto contra Joannem Constantinopolitanum episcopum gesta sunt, emendentur : et, ut videtur, nondum est perfectum. Quare denuo scripsi per hosce episcopos et presbyteros, de pace ecclesiastica, per quam et nostrum imperium pacem obtinet, valde sollicitus, ut jubere digneris Orientis episcopos Thessalonicæ convenire, etc... Quænam

(*a*) In editione Benedictina Operum S. Joannis Chrysostomi G. et L. tomo III, pag. 515, exst. hæc epistola; sed pag. 520, ubi desinit, nulla facta mentione aut *Venerii* Mediolanensis aut *Chromatii* Aquileiensis, ita clauditur : *Semper vale, et ora pro me, domine reverendissime et sanctissime.* Præferenda nihilominus videtur prior clausula quam exhibet Palladius, quamque retinuit Coustantius : qua de re vide Coustantium ipsum in *Notatione*, quam subjicit ad hunc locum col. 787 citatæ editionis.

enim sit Occidentalium de Joanne episcopo sententia (ut compertum habeas), ex omnibus epistolis, quæ ad me scriptæ sunt, duas subjeci id quod cæteræ continentes, unam Romani, alteram AQUILEIENSIS episcopi, etc.

PALLADIUS *Helenopolitanus in Dialogo G. et L., de Vita*, etc., *beati Joannis Chrysostomi, cap.* 4, *ex tomo* VIII *Bibliothecæ Veterum Patrum, antiquorumque Scriptorum Ecclesiasticorum Andreæ Gallandii, pag.* 268.

Cum igitur sanctus Æmilius, Beneventi episcopus, et Cythegius et Gaudentius, una cum Valentiniano et Bonifacio presbyteris, accepissent litteras imperatoris Honorii, Innocentii, et Italorum episcoporum, CHROMATII Aquileiensis, et Venerii Mediolanensis, atque aliorum, necnon commonitorium Synodi totius B Occidentis, publica evectione Constantinopolim profecti sunt cum Cyriaco, Demetrio, Palladio et Eulysio episcopis.

CASSIODORIUS *de Institutione divinarum Litterarum*, *cap.* 32 : *ex illius Opp. editione Rotomagensi* 1679, *studio J. Garetii O. S. B. e Congr. S. Mauri tomo* II, *pag.* 556.

Quapropter desideranter introite mysteria Domini, ut sequentibus iter indicare possitis : quia magnæ verecundiæ pondus est habere quod legas, et ignorare quod doceas. Et ideo futuræ beatitudinis memores, vitas Patrum, confessiones fidelium, passiones martyrum [LXXIX] legite constanter (quas inter alia in (*a*) epistola sancti Hieronymi ad CHROMATIUM et Heliodorum destinata, procul dubio (*b*) reperitis) qui per totum orbem terrarum floruere; ut sancta imitatio vos provocans, ad cœlestia regna perducat.

B. FLACCUS ALBINUS, *seu* ALCUINUS *abbas in libello adversus Hæresin Felicis episcopi* § 26, *ex Opp. tomo* I, *vol.* II, *pag.* 767, *editionis abbatis Frobenii, Ratisbonæ* 1777.

CHROMATIUS quoque sanctæ Romanæ antistes Ecclesiæ, in libello, quem *de octo Beatitudinibus* scripsit, ita dicit (*c*) : « In mysterio enim Baptismi et Filius (*d*) videtur in corpore; et Spiritus sanctus in specie columbæ descendit; et vox Patris de cœlo auditur, ut Trinitatis unitas declaretur, quia nec Pater sine Filio intelligi potest, nec Filius sine Spiritu sancto cognosci. Vide (*e*) igitur quale Patris de Filio testimonium sit dicentis : *Hic est Filius meus*. Suus utique non per adoptionem gratiæ, neque per religionem creaturæ, ut hæretici volunt; sed sui proprietate generis, et veritate naturæ. Multi enim sanctorum filii Dei dicuntur, et sunt; sed hic sine comparatione (*f*) unus Deo Patri Filius Unigenitus, et verus et proprius, non aliunde quam de Patre natus; quia tam verus Pater Pater est, quam verus et Deus est; sicuti etiam (*g*) verus Filius (Filius) est, quam verus et Dominus. Perfecta ergo fides est Trinitatis ostensa, cum et Pater Christum Dominum ac Deum nostrum Filium suum esse testatur; et Spiritus sanctus, id est, Paracletus, in tanto fidei sacramento Patri Filioque conjungitur, ut verum Patrem, verum Filium, verum etiam Spiritum sanctum credere tres personas, sed unam divinitatem Trinitatis, unamque substantiam non dubitemus. »

[LXXX] *Anonymus auctor libelli, cui titulus : Cantuum et cursuum Ecclesiasticorum origo : quem ex codice ms. vetustissimo edidit Henricus Spelmannus in Conciliis Britanniæ tomo* I, *pag.* 177; *quique exstat etiam apud David Wilkins Concilia Magnæ Britanniæ, etc., Londini* 1737, *tomo* IV, *in Appendice, pag.* 741 *et* 742; *cujusque meminit Mabillonius De Cursu Gallicano* § 1, *in opere De Liturgia Gallicana, pag.* 380, *necnon Fontaninus noster infra cap.* 4, *num.* 7, *libri* III *suæ Historiæ litterariæ Aquileiensis*.

Est alius Cursus Orientalis a sancto CHROMATIO et Heliodoro, et beato Paulino, seu et Athanasio episcopo editus, qui in Gallorum consuetudine non habetur : quem sanctus Macarius decantavit; hoc est, per duodenas horas, hoc est, unaquaque hora.

(*a*) « Baronius Præfat. in Martyrolog. Rom. cap. 7, dubitat an sit Hieronymi. » Ita Garetius. Sed Fontaninus arbitratur hic sermonem esse de alia, et quidem sincera ac longiori, Hieronymi epistola, quæ nunc non exstat. Vide infra illius *Historiæ litterariæ Aquileiensis* caput 4, numerum 7, libri III.

Cæterum Baronius nequaquam *dubitat an sit Hieronymi* epistola illa de qua ipse *in Martyrologium Romanum, cap.* 7 ; verum eamdem Hieronymo absolute abjudicat, et imposturam asserit.

(*b*) Apud eumdem Fontaninum loco citato, *reperietis*.

(*c*) Exstat hic locus non in libello *De octo Beatitudinibus*, sed in quodam *Chromatii* fragmento in cap. III, vers. 4, Matth. tom. V Biblioth. PP. edition. Lugdun. pag. 990. Fuit vero hic *Chromatius* Episcopus Aquileiensis, non Romanus : quamvis Romanus, incertum quo sensu, Episcopus etiam appelletur in codd. mss. illius scripta continentibus. Forte descriptores inde decepti fuerunt, quod *S. Hieronymus* eumdem *sanctum papam* appellaverit epist. 81, *ad Rufinum* tom. I, et libr. II *contra Rufinum*, tom. II edit. Veron., pag. 521. Vide tom. XI *des Mémoires de D. Tillemont*, pag. 534, et D. Ceillier *Hist. gén. des auteurs ecclésiastiques*, tom. X, pag. 82. Ita abbas Frobenius.

(*d*) *Alii addunt* manens.

(*e*) *Al.* Unde.

(*f*) *Al.* compassione.

(*g*) *Al.* tam.

[LXXXI] LECTIONES PROPRIÆ,

pro secundo Nocturno, ad Officium Sancti CHROMATII episcopi Aquileiensis :

EX LIBELLO, CUI TITULUS :

Officia Propria Sanctorum, ex Apostolicæ Sedis Indulto, ab utroque Diœcesis Utinensis Clero recitanda.

DIE II DECEMBRIS.

In Festo Sancti CHROMATII *episcopi Aquileiensis.*

LECTIO IV. — CHROMATIUS una cum Eusebio non tam natura quam morum æqualitate germano, a teneris annis Aquileiensi clero ascriptus est. Egregiis ornatus moribus, totum se Deo atque ecclesiasticis studiis consecravit, in quibus ita profecit, ut inter Aquileienses clericos doctrina et sanctitate emineret : ad quorum privatam gloriam, ut scribit sanctus Hieronymus, publica hæc accessit et aperta confessio, quod per eos ab urbe Aquileiensi Ariani dogmatis virus exclusum fuit. Presbyter a sancto Valeriano ordinatus, in ejus locum suffectus est, atque a sancto Ambrosio consecratus fuisse perhibetur.

LECTIO V. — Factus episcopus, Nicænam fidem, et disciplinam ecclesiasticam acerrime defendit. Origenianos errores ab omni tam Orientis, quam Occidentis Catholicorum synodo proscriptos, pari et ipse sententia cum sancto Anastasio Romano Pontifice damnavit : exortisque inde simultatibus inter eumdem doctorem maximum, et Rufinum presbyterum, ut finis silentio imponeretur, diligentissime curavit. Sed piam sanctissimi Præsulis sollicitudinem in primis agnovit sanctus Joannes Chrysostomus, cujus causam apud Honorium Imperatorem tanta fide ac religione defendendam suscepit, ut sinceram illius ac ferventem erga se charitatem demiratus Chrysostomus, datis ad eum litteris, vehementer gratulatus sit.

LECTIO VI. — Sacrarum Litterarum studium cæteris, quæ pastore digna sunt, muneribus adjunxit semper ; vir, Beati Hieronymi sententia, episcoporum (LXXXII) sanctissimus, atque doctissimus. Ejus potissimum hortatu idem Sanctus Doctor Hebræa volumina latino sermone transtulit, ac Prophetarum libros commentariis illustravit, quorum aliquot CHROMATII nomine inscripsit. Tractatus et ipse edidit in Evangelium Matthæi, eruditione ac pietate insignes. Denique cum Aquileiensem Ecclesiam annos duodeviginti sanctissime rexisset, ad cœlestem vitam quarto Nonas Decembris migravit.

[LXXXIII] TITULUS

Primæ editionis *Scriptorum* sancti CHROMATII Episcopi Aquileiensis, una cum Epistola nuncupatoria Joannis Sichardi.

CHROMATII,

doctissimi Episcopi Romani,

IN V ET VI. CAPUT MATTHÆI DISSERTATIO, ATQUE IN EODEM GENERE DECLAMATIO.

Quæ nunc primum sunt et eruta,
Et in lucem edita, Basileæ per
Adamum Petrum, Mense Martio,

Anno

M. D. XXVIII.

Cum gratia et privilegio.

EPISTOLA NUNCUPATORIA.

SIGISMUNDO ILSUNGO, *Patricio, et Decano Ecclesiæ divi Mauritii apud August. Vindelic.*, JOANNES SICHARDUS.

Non sum ex eorum numero, humanissime Ilsunge, qui ex litterarum officio amicitiam magnopere metiatur, alioqui jam pridem à me tibi esset remissus nuntius, qui post arctissimam familiaritatem inter nos suavissime summo animorum, consiliorumque omnium consensu actam, non potueris tandem imperare tibi, ut vel de florentissima me fortunarum tuarum accessione redderes certiorem ; id quod solent alias qui vel leviter amant, scilicet eum non vulgarem arbitrantes lautioris fortunæ fructum, ea si quamplurimis innotescat. Quantulo enim ab ipsis sordibus ignoratæ distant divi-

tiæ? Tu vero postquam hinc Patavium concessisti una cum Servatio a Scibolsdorf, ornatissimo adolescente, ne quidem interim ad me de communibus rebus verbum. Quod ut non [LXXXIV] *libet gravius interpretari, ita partes mihi videntur tuæ, non committere ut amicitia, quæ magnis ultro citroque beneficiis coaluit, pertinaci illo silentio dissiliat. Ego sane ad me quod pertinet, ita etiam nunc dulcissimos absentis tui mores, ingeniumque exosculor, ut ad solidam felicitatem vix æque quidquam deesse mihi persuadeam, ac tui similis alicujus contubernalitatem. Cujus rei argumento erit* CHROMATIUS *hic noster, non meo tantum, sed et divi Hieronymi judicio episcoporum doctissimus, quem nuncupatim tibi inscribimus, cum ut expugnemus diutini illud silentii tui consilium: tum ut ex parte saltem aliqua tibi vitæ meæ ratio constet, dum nullam nobis curam potiorem ducimus ea, quæ eruendis veterum scriptis tota desudat. Quo in genere, dicum magnifice, vere tamen interim, dispeream si non* CHROMATIUS *hic sit dignus, qui non solum legatur ab eruditis, sed et ediscatur: tanta est sermonis elegantia, et tractandi hujus argumenti dignitas. Divine enim exequitur ea fere omnia, quæ hodie sunt de Baptismo ac Juramento vocata in controversiam. Qua in re debebis sane plurimum Mathiæ a Saræcastro, Treverorum Officiali, viro eruditione et pietate singulari, qui per me ut ederetur superioribus mensibus ex vetustissimo codice hunc descriptum submisit, et ut maturarem insuper institit. Tum si quid putas ad nos etiam gratiæ pervenire debere, non repugno; nec enim is sum cui cornea sit fibra: tamen persuadeas tibi velim, hanc abs te mihi referri affatim, si libellum nunc recens editum sub nominis tui auspicio, et legendum et defendendum tibi desumpseris: quem ob id maxime calumniis quorumdam vitiligatorum obnoxium fore credimus, quod Romanus is fuerit Antistes, quæ vel unica ansa nonnullis hodie videtur commodissima, qua reprehendi possit quidquid sit umquam ab hoc hominum genere vel cogitatum etiam. Diu vero substitimus, dum non satis liquet, ille ne fuerit* CHROMATIUS, *ad quem Hieronymus tam multa honorifice. Sed eum nobis scrupulum Albinus in libello contra Hæresim Felicis exemit, ubi nominatim magnam hujus libelli partem percenset cum perhonorifica* CHROMATII *antistitis Romani præfatione. Vale, humanissime, idemque charissime Ilsunge. Basileæ ex ædibus nostris, mense Martio, An. M. D. XXVIII.*

[LXXXV] DE S. CHROMATIO ANDREAS GALLANDIUS

In *Prolegomenis* ad tomum VIII *Bibliothecæ Veterum Patrum Antiquorumque Scriptorum Ecclesiasticorum*, capite XV, pag. XXVIII.

I. Chromatius, inter Occidentis episcopos sanctitate ac doctrina insignis, in sede Aquileiensi Valeriano successit, qui e vivis excesserat anno 388 (*a*). Ejus ordinationem peractam fuisse a sancto Ambrosio episcopo Mediolanensi, quem eo tempore *Aquileiæ constitutum* tradit Paulinus (*b*), conjecit magnus Baronius (*c*). Cujus quidem sententiam Fontanino haud probatam (*d*), viro docto assertam comperimus (*e*). Inter novi Præsulis laudes illud præcipue attendendum, quod ipsi amicitiæ necessitudines cum summis illius tempestatis viris intercesserint, Ambrosio, Hieronymo, Joanne Chrysostomo, Heliodoro, atque Rufino. Et ab Ambrosio quidem Chromatius, cum maximo sacrarum litterarum studio flagraret, primum petiit, ut sibi aliquid e divinis codicibus excerptum explanatumque dirigeret; cui morem gerens Mediolanensis antistes, prophetiam Balaam enarratam epistolari schediasmate perferendam curavit (*f*) anno circiter 390. Quid porro Hieronymus? Is videlicet eodem anno, Chromatii et Heliodori Altinatis episcopi, qui cum Aquileiensi sacris litteris excolendis operam dabat, precibus exoratus, libri Tobiæ latinam versionem e Chaldæo sermone adornavit (*g*): tum utroque præsule hortante, insequente anno 391 interpretationem Proverbiorum, Ecclesiastæ, et Cantici Canticorum ad eos transmisit; Commentariorum scilicet loco in Osee, Amos, Zachariam, et Malachiam, quos ab iisdem postulatos *scripsisset, si licuisset præ valetudine*, ut ipsemet testatur (*h*). Ad hæc anno 392 libros duos Commentariorum in prophetam Habacuc uni Chromatio nuncupavit, qui hujus prophetæ historicum et litteralem sensum ab eo expetierat (*i*). Denique ab ipso Aquileiensi episcopo *impulsus* Hieronymus, *ut Hebræa volumina* [LXXXVI] *Latino sermone transferret* (*j*), ad eum anno 397 τῶν Paralipomenων versionem direxit. « Hæc sunt nimirum, ut viri clarissimi verbis utar (*k*), doctrinæ qua florebat *Chromatius* præclara testimonia: ipsumque discimus præcipuum auctorem Hieronymo fuisse, ut eximium Latinæ versionis

(*a*) Bernard. M. de Rubeis, Monum. Eccles. Aquil. capp. 7 et 10, pag. 64, 89.
(*b*) Paulin. Vita Ambrosii, § 21.
(*c*) Baronius, ad an. 388, § 84.
(*d*) Fontanin., Hist. litterar. Aquil. lib. III, cap. 3, § 2, pag. 123.
(*e*) Bernard M. de Rubeis, Monum. Eccles. Aquil. cap. 10, § 1, pag. 90.
(*f*) Ambrosius, epist. 50, Opp. tom. II, pag. 993 et seq.
(*g*) Hieronymus, Præfat. ad Vers. Tobiæ.
(*h*) Idem, Præfat. ad Vers. Proverb., etc.
(*i*) Idem, Prologo ad lib. I Commentar. in Habacuc.
(*j*) Idem, Præfat. ad Paralip.
(*k*) Bernard. M. de Rubeis, Monum. Eccles. Aquil. cap. 1, § 3, pag. 92.

voluminum Hebræorum aggrederetur opus, eidemque jam cœpto manum ultimam imponeret. »

II. Jam vero, ut reliqua præcipua Chromatii gesta prosequamur, anno 404 sede Constantinopolitana depulso et in exsilium detruso Joanne Chrysostomo, inter Occidentis episcopos qui pro ejus restitutione maxime allaborarunt, eminuit noster præsul Aquileiensis, qui et literas dedit ad ipsum Chrysostomum, ut refert Palladius Helenopolitanus (*a*), et ab eodem Constantinopolitano episcopo epistolam vicissim recepit (*b*) anno 406, in qua pro sua causa et contra suos adversarios tuba clarius ipsum declamasse profitetur, simulque gratias agens pro sedulo sibi impenso officio, illius, conspectu frui se peroptare declarat. Neque illud hic in primis omittendum, Honorium scilicet imperatorem Arcadio fratri Occidentalium præsulum sententiam hac de re significaturum, duas præ cæteris sibi scriptas epistolas ad eum direxisse, alteram Innocentii Romani Pontificis, alteram Chromatii episcopi Aquileiensis. Honorianam epistolam recitat laudatus Palladius his verbis (*c*): « Tertio jam scribo ad mansuetudinem tuam, rogans ut quæ ex compacto contra Joannem episcopum gesta sunt, emendentur.... Quænam enim sit Occidentalium de Joanne episcopo sententia ex omnibus epistolis quæ ad me scriptæ sunt, duas subjunxi, ejusdem cum cæteris sententiæ, unam Romani, alteram Aquileiensis episcopi. » Τίνα γάρ ἐστιν ἃ φρονοῦσι περὶ τοῦ ἐπισκόπου Ἰωάννου οἱ δυτικοί, ἐκ πασῶν τῶν ἐπιστολῶν πρός μὲ γραφεισῶν ὑπέταξα δύο, ἰσοδυναμούσας ταῖς πάσαις, τὴν ἐπιστολὴν τοῦ Ῥώμης καὶ τοῦ Ἀκυληΐας Hæc scribebat Augustus anno 405. Quod quidem summum Chromatii studium pro sua defensione intelligens vir ille sanctissimus, ex suo exsilio insequente anno 406 epistolam ad eum misit, cujus modo meminimus.

III. Præterea Rufinum habuit coluitque Chromatius inter charos Aquileiensis Ecclesiæ presbyteros, ut pluribus ostendit adversus Norisium [LXXXVI.] vir eruditissimus subinde laudatus (*d*). Eapropter orto dissidio inter ipsum Rufinum et sanctum Hieronymum, tantos viros amicitia tot annis antea conjunctos in Christianam concordiam pro virili redigere studuit; eoque consilio Rufini mentem et calamum alio convertere satagens, eidem injunxit ut Eusebii Græcam Historiam Latinis auribus redderet. Quam quidem ille duobus libris proprio marte compositis auctam Chromatio inscripsit anno 400, eique postmodum quoque Origenis Homilias XXVI in librum Josue, quas ipsius hortatu latinitate donaverat, nuncupavit. His aliisque præclare gestis sanctus noster Antistes, postquam Aquileiensem Ecclesiam annis XVIII provide strenueque rexisset, anno circiter 408 supremum diem obiisse existimatur. Quæ est viri clarissimi pluribus enucleata sententia (*e*): qui tamen deinceps mutata mente (*f*), annum Chromatii emortualem statuit 406. Neque aliter Fontaninus (*g*). Medius autem inter utramque sententiam incedens Tillemontius, annum 407 definivit (*h*). Porro sancti Chromatii memoria tum in Tabulis ecclesiasticis, tum in Fastis Aquileiensibus die 2 Decembris recolitur.

IV. Chromatius, quem sacrarum litterarum studio maxime delectatum, viros doctissimos propterea consuluisse, Ambrosium, inquam, et Hieronymum, atque ab eis sive enarrationes sive interpretationes Divinorum eloquiorum expetiisse, superius vidimus: ipse quoque iisdem sanctis Scripturis sedulo excolendis explanandisque operam impendisse comperitur. Exstant ejus nomine inscriptæ Homiliæ XVIII, quæ Commentarii, sive Commentariorum fragmenta videntur esse *in Evangelium Sancti Matthæi*. Eas primus edidit *ex vetustissimo codice* Joannes Sichardus Basileæ anno 1528, quæ deinceps a Martino Lipsio ad alia vetera exemplaria mss. exactæ, variisque in locis repetitæ, Patrum demum Bibliothecis fuere intextæ. Constat autem librariorum seu exscriptorum ignavia junctim compactas tot homilias, in tria tantum Opuscula fuisse hactenus discretas: facile namque distinguendæ fuerant ex frequenter repetita δοξολογία, verbis istis, aut his similibus conclusa, *per Christum Dominum nostrum qui est benedictus in sæcula;* cujus proinde ductu octodecim esse agnoscuntur. Hæc autem animadversio Tillemontio debetur (*i*). Et hunc quidem numerum in exemplari nostro hisce homiliis restituendum esse duximus, ordine insuper habito qui hucusque in [LXXXVIII] præcedentibus editis invaluit, præpostero scilicet atque ab auctoris mente prorsus alieno. Ad hæc *tractatus* nomen iisdem *homiliis* præfiximus: « Ea enim appellatio, ut cum viris eruditis loquar (*j*), antiquæ ecclesiasticæ locutionis propria, ac frequentius usurpata invenitur. Etsi enim *tractatus* olim vocarentur episcoporum collocutiones de aliquo Ecclesiæ negotio, ut liquet ex Cypriano (*k*): tamen sicuti *tractare* (*quod est episcoporum*, ut Optatus testatur (*l*)) a Cypriano primum (*m*), ac dein ab aliis frequenter accipitur pro concionem habere in publicis Ecclesiæ cœtibus; ita *tractatus* vox pro Episcopali concione ad popu-

(*a*) Palladius, Dial. de Vita Jo. Chrysostomi cap. 2.
(*b*) Joan. Chrysost., epist. 155; Opp. to. III, pag. 689, edit. BB.
(*c*) Palladius, loc. cit., cap. 3.
(*d*) Bernard. M. De Rubeis. Monum. Eccles. Aquil. cap. 12, § 2, pag. 106.
(*e*) Idem, ibid. cap. 13, §§ 1, 3, pag. 111 et 115.
(*f*) Idem, Dissert. de Rufino, cap. 19, § 3, pag. 144, 147.
(*g*) Fontanin., Hist. Litterar. Aquil. lib. III, cap. 3, § 9, pag. 132.
(*h*) Tillem., Mem. Eccl. to. XI, pag. 538.
(*i*) Idem, ibid. pag. 653, not. 2, sur S. Chromace.
(*j*) Ballerin., Præfat. ad S. Zenon. Serm. § 16, pag XVIII.
(*k*) Cyprian., Epist. 51 et 52.
(*l*) Optatus., lib. VII in Parmen.
(*m*) Cyprian., Epist. 56.

lum solemni formula invaluit : eodemque sensu passim quamplurium antiquorum Patrum concionibus præfigitur, ut ex sanctorum Gaudentii, Augustini, Leonis Magni, etc., codicibus, et nonnullis etiam exactis ad fidem codicum editionibus discimus. » Neque aliter inscribendas *Chromatii homilias* antea existimarat Fontaninus (*a*). Eas porro non solum pro instituti nostri ratione in varias sectiones distinximus, sed et contulimus cum excerptis Combefisianis (*b*) ; qua ex collatione cum mendosas aliorum exemplarium lectiones correximus, tum unum alterumve hiatum complevimus, subjectis interim alicubi notulis, quibus aliquot dubia loca restituenda conjecimus.

V. Neque illud hic prætereundum, has *homilias*, seu si mavis *tractatus*, in prima Sichardi editione A unde reliquæ manarunt, hujusmodi titulo inscribi, *Chromatii Romani episcopi*. Quam ob rem isthæc Opuscula eruditorum plerique Chromatio Aquileiensi abjudicanda censuere. Verum quo demum sensu titulus ille, Sancto Patri nostro tributus, sit accipiendus, duumviri docti accurate satis demonstrarunt (*c*). Cæterum easdem homilias sincerum integrumque fetum esse Chromatii, pluribus astruit quem subinde laudavimus eruditus Fontaninus (*d*) : qui præterea et illarum pretium ostendit, et eas a Magdeburgensium calumniis vindicat, et auctoris stylum ac scopum illustrat ; neque scripta Chromatio supposita indicare omittit : dignus proinde quem lector adeat : hanc enim spartam qui eo melius adornarit, novimus neminem. B

(*a*) Fontanin., Hist. litterar. Aquil. lib. III, cap. 4, § 1; pag. 133.
(*b*) Combefis., Biblioth. Conc. to. II, pag. 22, 94; to. V, pag. 202, 424; to. VIII, pag. 344, 346, et al.

(*c*) Fontanin., loc. cit. § 2, pag. 134 et 138; Bernard. M. De Rubeis, Monum. Eccles. Aquil. cap. 10, § 2, pag. 90 et seq.
(*d*) Fontanin., loc. cit. §§ 3 et 8, pag. 138 et seqq.

SANCTI CHROMATII

AQUILEIENSIS EPISCOPI

TRACTATUS SINGULARIS[a]

SEU

SERMO,

DE OCTO BEATITUDINIBUS.

3 I. Dat nobis, fratres, conventus hic populi et C mercatus frequentia occasionem proponendi sermonis Evangelici. Solent enim sæcularia esse spiritualibus exempla, et terrestria imaginem præbere cœlestibus. Nam Dominus ac Salvator frequenter admonet nos per terrestria de cœlestibus, cum dicit: *Simile est regnum cœlorum reti misso in mare* (*Matth.* XIII, 47). Vel certe : *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas* (*Ibid.*, 45). Si ergo mercatus hanc ipse continet rationem, ut unusquisque pro utilitate sua aut vendat quæ sibi superflua sunt, aut emat quæ desunt ; non incondite et ego proponam mercem, quam mihi commisit Dominus, prædicationem utique cœlestem : siquidem me minimum quoque, etsi indignum, tamen de servis illis, quibus Dominus talenta distribuit ad negotiandum lucrumque faciendum, elegit. Nec sane deerunt mercatores, ubi per gratiam Dei tales ac tanti auditores. Magis autem necesse est lucrum cœleste captari, ubi terrestre commodum non negligitur. Cupio, fratres charissimi, proponere vobis illas 4 beatitudinum margaritas pretiosas ex sancto Evangelio : aperite itaque cordis vestri thesauros, emite, percipite avide, feliciter possidete. Dominus ac Deus noster unigenitus summi Patris, qui de Deo homo, de Domino magister dignatus est fieri, cum turbæ multæ ex diversis confluerent regionibus, assumptis discipulis suis, id est, apostolis suis : *Ascendit in montem, et aperto ore suo docebat eos, dicens : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, etc. (*Matth.* V, 1-3). Gradus quosdam firmissimos ex lapidibus pretiosis sternit quodammodo Dominus D Salvator ; per quos sanctæ animæ et fideles repere possint et ascendere ad summum illud bonum, id est, regnum cœlorum. Breviter igitur, fra-

[a] Apud Galland. : TRACTATUS I, *in S. Matthæi Evangelium*.

tres charissimi, qualitates graduum cupio demonstrare, vestra modo mens tota et anima sit intenta, quia non sunt parva quæ Dei sunt.

II. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Mirum principium, fratres, doctrinæ cœlestis! non a terrore incipit, sed a beatitudine; non terrorem faciens, sed potius desiderium. Vice enim agonothetæ vel munerarii, certatoribus in hoc stadio spiritali præmium grande proponit; ut dum aspiciunt præmium, nec labores timeant, nec pericula perhorrescant. *Beati* ergo *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Non simpliciter, neque confuse beatos pauperes dixit, sed addidit, **5** *pauperes spiritu.* Nec enim omnis paupertas felix est: quia fit sæpe ex necessitate, fit nonnunquam per pessimos mores, fit etiam ex indignatione divina. Beata ergo paupertas, est spiritualis: eorum scilicet hominum, qui spiritu et voluntate pauperes se faciunt propter Deum, renuntiando sæculi bonis, substantiam suam ultro erogando: quos merito *beatos* appellat, quia *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum:* per voluntariam enim paupertatem cœlestis regni divitias assequuntur. Deinde ait: *Beati mites, quia ipsi possidebunt terram,* (*Ibid.*, 4). Mire, post primum gradum, secundus ostenditur: *Beati*, inquit, *mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Sed sicut impossibile est, extra ordinem secundo sistere gradu, nisi ascenderis primum; sic homo mitis esse non poterit, nisi prius pauper spiritu fuerit factus. Quomodo ergo inter divitias positus animus, inter curas, et sollicitudines sæculares, ex quibus negotia, lites, provocationes, iræ, exacerbationes sine intermissione nascuntur: quomodo, inquam, inter hæc animus poterit esse mitis et lenis, nisi prius a se omnes causas iracundiæ, occasionesque rixarum abrenuntiando præciderit? Non fit mare tranquillum, nisi cessaverint venti; non extinguitur ignis, nisi materiam incendii spinarumque sarmenta detraxeris: sic nec animus erit mitis et quietus, nisi ea quæ exsuscitant, et inflammant, fuerint abdicata. Bene ergo gradus **6** jungitur gradui, quia pauperes spiritu ipsi incipiunt jam esse mites.

III. Accedit et tertius: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Ibid.*, 5). Quis nobis iste luctus intelligendus est salutaris? Utique non ille, qui ex rerum nascitur detrimentis, non qui ex amissione charorum, nec qui ex jactura sæcularium dignitatum: quæ utique omnia jam pauper factus spiritu non dolebit. Hic est luctus salutaris, qui agitur pro peccatis, pro recordatione divini judicii. Nam quia prius inter innumeras sæculi occupationes et asperitates animus constitutus, de se ipso cogitare non poterat; jam securus et mitis effectus, incipit se ipsum propius intueri, examinare actus suos diurnos atque nocturnos: et sic præteritorum criminum vulnera incipiunt apparere, et tunc luctus ac lacrymæ subsequuntur salutares, et adeo salubres, ut mox cœlestis consolatio occurrat: verus enim qui dixit: *Beati qui lugent, quia ipsi consolabuntur.*

IV. Accedamus, fratres, ad quartum. *Beati*, inquit, *qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Ibid.*, 6). Vere enim post pœnitentiam, post luctus et lacrymas peccatorum, quæ alia nascitur esuries et quæ sitis, nisi justitiæ? Sicut enim qui caliginem noctis emensus est, jam gestit proximam lucem; et qui choleram amaram digessit, escam concupiscit et potum: sic et mens hominis christiani, **7** postquam per luctus et lacrymas sua peccata digesserit, jam solam Dei justitiam esurit atque sitit: et merito, ejus quam desiderat, satietate gaudebit.

V. Occurrat et quintus gradus: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Ibid.*, 7). Nemo alteri præstare poterit, nisi prius ipse sibi præstiterit. Postquam sibi ergo misericordiam impetravit, satietatemque justitiæ, incipit jam dolere de miseris, incipit jam pro aliis peccatoribus exorare: factus misericors in ipsos etiam inimicos, majorem sibi cumulum misericordiæ per hujusmodi pietatem in adventu Domini præparabit: ideo dicitur: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

VI. Adest ecce gradus sextus: *Beati*, inquit, *mundo corde, quia ipsi Deum videbunt* (*Ibid.*, 8). Plane jam mundo sunt corde, plane jam Deum videre poterunt, qui pauperes spiritu, qui mites, qui lamentati peccata, qui justitia refecti, qui misericordes, in adversariis quoque tam sincerum oculum cordis, et lucidum gerunt, ut sine aliqua malitiæ lippitudine inaccessibilem Dei claritatem sine impedimento conspiciant. Munditia enim cordis, et conscientiæ puritas nullam nubem ad intuendum Dominum patietur.

VII. Sequitur, fratres: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Ibid.*, 9). Magna dignitas paci studentium, cum filiorum Dei appellatione censetur. **8** Bona quidem et hæc pacificatio quæ fit inter fratres, propter substantiam sæculi litigantes, aut propter vanam gloriam, aut simultates: sed parva hæc merces; quia dixerat Dominus in exemplum nostri: *Quis me constituit judicem aut divisorem super vos* (*Luc.* XII, 14)? Jam enim præmiserat: *ablata tua ne repetas* (*Luc.* VI, 30). Et alio loco: *Quomodo potestis credere, gloriam ab invicem accipientes* (*Joan.* V, 44)? Potior ergo et sublimior pacificatio intelligenda est a nobis; illam dicam, qua homines gentiles, qui inimici sunt Dei, per instantiam doctrinæ adducuntur ad pacem: qua peccatores emendantur, et Deo per pœnitentiam reconciliantur; qua rebelles hæretici corriguntur; qua Ecclesiæ discordantes ad unitatem pacemque formantur. Vere enim qui tales sunt pacifici, non solum beati sunt, sed digni merito filii Dei vocabuntur: ipsum enim Dei Filium Christum imitantes, qui *pax nostra* (*Ephes.* II, 14) et reconciliatio ab Apostolo prædicatus est, societatem nominis ejus sortiuntur.

VIII. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.*

v, 10). Non est dubium, fratres, quia bono facto comes est semper invidia. Nam salva persecutorum crudelitate, ubi cœperis rigidam tenere justitiam, insolentiam repercutere, incredulos ad pacem Domini convocare; ubi cœperis denique a mundanis hominibus et erroneis discrepare, statim persecutiones oriuntur : necesse est **9** surgant odia, æmulatio laceret. Sic denique ad illum summum gradum, ad ipsum caput atque fastigium, suos auditores adducit Christus, non tantum ut sustineant patiendo, sed etiam ut moriendo congaudeant.

IX. *Beati*, inquit, *cum vos persequuntur, et exprobrant, et dicunt omne malum adversum vos, propter justitiam, mentientes : Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis : Sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante vos* (*Ibid.*, 11). Perfecta virtus est, fratres, post totius justitiæ ministrationes, propter veritatem opprobria ab hominibus sustinere, affligi cruciatibus, morte denique affici, nec terreri, proposito nobis exemplo Prophetarum, qui diversis modis propter justitiam lacerati, passionum Christi conformes et præmii esse meruerunt. Hic gradus celsior est, in quo Christum Paulus aspiciens dicebat : *Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea quæ in primo sunt me extendens, sector ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu* (*Philipp.* III, 13, 14). Et adhuc apertius ad Timotheum : *Certamen*, inquit, *bonum certavi, cursum consummavi* (II *Tim.* IV, 7). Quasi qui omnes gradus ascenderat, addidit : *Fidem servavi : In reliquo reposita est mihi corona justitiæ* (*Ibid.*, 8). Vere enim universo cursu completo hoc supererat, ut per tribulationes et passiones gaudens Paulus, ad gradum sublimiorem martyrii perveniret. Digne ergo Dominus servis suis suadet : *Gaudete*, inquiens, **10** *et exsultate, quia merces vestra copiosa est in cœlis* (*Matth.* v, 12); et crescere per incrementa persecutionum evidenter ostendit. Ostensi sunt, fratres, octo gradus Evangelici, exstructi ex lapidibus, ut dixeram, pretiosis. Ostensa est illa scala Jacobi (*Gen.* XXVI, 12), cujus cacumen de terra pertingebat ad cœlum, per quam qui ascendit, portam invenit cœli, ac per eam ingressus, sine fine in conspectu Domini lætus astabit, laudaturus Dominum cum sanctis angelis in æternum.

X. Hic noster mercatus, hæc nundina spiritualis. Demus, benedicti, quæ habemus : offeramus spiritus paupertatem, ut accipiamus secundum promissionem regni cœlestis ubertatem; offeramus mansuetudinem, ut terram possideamus et paradisum : defleamus peccata, et nostra et aliena, ut consolationem de Domini bonitate mereamur : esuriamus et sitiamus justitiam, ut copiosius saginemur : demus misericordiam, ut veram misericordiam consequamur : vivamus pacifici, ut filii Dei vocemur : mundum cor et castum corpus offeramus, ut lucido sensu Deum videre possimus : persecutiones propter justitiam minime timeamus ut cœlestis Regni efficiamur hæredes : opprobria, cruciatus, mortem denique si eveniat, propter Dei veritatem gaudentes amplectamur et læti, ut merces nobis cum Prophetis et Apostolis copiosa præstetur in cœlo. Ut autem verbis finis cum præfatione concordet : si est gaudium mercatoribus propter lucra præsentia et caduca, magis **11** gaudeamus omnes pariter et lætemur, quia tales Domini hodie invenimus margaritas, quibus nulla possint bona sæculi comparari. Quas ut acquirere, obtinere, possidere mereamur, auxilium nobis et gratia cum virtute, ab ipso Domino postulanda est, cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SANCTI CHROMATII
AQUILEIENSIS EPISCOPI
TRACTATUS,
QUI SUPERSUNT,
IN EVANGELIUM S. MATTHÆI.

13 TRACTATUS I [a],
In caput III *Evangelii S. Matthæi.*

(Deest initium.)

I.... Quapropter respondens Dominus Jesus dixit ei : *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam* (*Matth.* III, 15). Jesus igitur ad consummanda legis omnia sacramenta, ut baptizaretur a Joanne, a Galilæa in Jordanem descendit. Sed Joannes Deum suum per Spiritum sanctum recognoscens, cujusne calceamenta quidem dignum se fuisse portare professus fuerat, implere quod jubebatur excusat : quia non credebat ei necessarium baptismum esse, quem sciret ad hoc venisse, ut baptismo suo mundi peccata deleret; et idcirco baptizari se ab eo potius oportere testatur, dicendo : *Ego a te debeo baptizari ;*

[a] Apud Galland. : *Tractatus* XVII, *in S. Matthæi Evangelium*.

et tu venis ad me (*Ibid.*, 14)? Tamquam si diceret: Ego homo sum; tu Deus: Ego peccator, quia homo; tu sine peccato, quia Deus. Quid vis a me baptizari? Non recuso obsequium, sed ignoro mysterium. Ego peccatores baptizo in pœnitentiam. Tu quid **14** vis baptizari, qui non habes causam peccati? Immo potius, quid vis baptizari ut peccator, qui venisti peccata tollere? Quid est ergo quod ait Joannes: *A te debeo ego baptizari, et tu venis ad me?* [a] Quidnam famuli sui fidele servitutis, sed dispensationis suæ mysterium, dicendo: *Sine modo; sic enim oportet nos implere omnem justitiam*: ostendens hoc esse omnem justitiam, ut ipse Dominus et magister salutis nostræ sacramentum compleret. Non ergo sui causa baptizari Dominus venit, sed causa nostri, ut impleret omnem justitiam. Justum est enim, ut quod quis docet alterum facere, prior incipiat. Quia igitur magister et Dominus humani generis venerat, exemplo suo docere voluit quid esset faciendum, ut discipuli Magistrum, servi Dominum sequerentur. Quia ergo novum baptisma daturus erat, ad generis humani salutem et remissionem peccati; prior ipse baptizari dignatus est, non ut peccata deponeret, qui peccatum solus non fecerat; sed ut aquas baptismi sanctificaret ad diluenda peccata credentium. Numquam enim aquæ baptismi purgare peccata credentium potuissent, nisi tactu dominici corporis sanctificatæ fuissent. Ille ergo baptizatus est, ut nos lavaremur a peccatis. Ille tinctus est in aqua, ut nos a delictorum sordibus purgaremur. Ille lavacrum regenerationibus accepit, ut nos ex aqua et Spiritu sancto renasceremur, sicut ipse alio **15** in loco ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum* (*Joan.* III, 5).

II. Baptismum ergo Christi ablutio est delictorum nostrorum, et renovatio est vitæ salutaris. Audi hoc ipsum Apostolum demonstrantem, cum dicit: *Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* III, 27). Et addidit: *Consepulti ergo illi estis per baptismum in mortem: ut quemadmodum Christus surrexit a mortuis, sic et vos in novitate vitæ ambuletis* (*Rom.* VI, 4). Per baptismum itaque peccato morimur, sed Christo convivimus: vitæ pristinæ sepelimur, sed novæ vitæ resurgimus: vetusti hominis errore exuimur, sed novi hominis indumenta suscipimus. Implevit ergo Dominus etiam in baptismo omnem justitiam, quia ad hoc baptizari voluit, ut baptizaremur; ad hoc lavacrum regenerationis accepit, ut renasceremur in vita.

III. Et baptizavit quidem Joannes Dominum ac Salvatorem nostrum, sed potius ille baptizatus a Christo est: quia ille aquas sanctificavit, hic aquis sanctificatus est; ille gratiam donavit, hic accepit; hic peccata deposuit, ille remisit; quia hic homo, ille Deus: Dei enim est peccata dimittere, ut scriptum est: *Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus* (*Luc.* V, 21)? Et ideo ait Joannes ad Christum: *Ego a te debeo baptizari; et tu venis ad me?* Joannes enim baptismo egebat, quia sine peccato esse non poterat: **16** verum Christus baptismo egere non poterat, quia peccata non fecerat. Unde in baptismo illo Dominus ac Salvator noster, primum Joannis, dehinc totius mundi peccata purgavit. Et ideo ait: *Sine modo; sic enim oportet nos implere omnem justitiam.* Cujus baptismi gratia dudum mystice præostensa est, cum populus per fluvium Jordanis in terram promissionis inductus est. Sicut ergo tunc populo, ad terram promissionis eunti, per Jordanem via fuit, Domino præcedente: ita nunc, per easdem aquas fluvii Jordanis, primum iter viæ cœlestis apertum est, per quod ad beatam illam terram promissionis, id est, promissionem regni cœlestis deducimur. Illis Jesus filius Nave in Jordane dux fuit: nobis vero Jesus Christus Dominus per baptismum dux exstitit salutis æternæ; unigenitus Dei Filius, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

TRACTATUS II [b].

In caput III *Evangelii S. Matthæi.*

I. Dehinc sequitur: *Et baptizatus Jesus, confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei cœli: et vidit Spiritum Dei descendentem quasi columbam. Et ecce vox de cœlo dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Matth.* III, 16, 17). Ut in Domini corporea nativitate, ita quoque in baptismo ejus, omni admiratione digna et majestati ejus congrua paruerunt. Cœli igitur, de aquis ascendente Domino post baptismum, patuerunt: **17** sanctus Spiritus in habitu columbæ, specie corporali descendit, testimonium Patris supra Filium deferens: vox etiam Patris statim de cœlis auditur, dicentis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Cujus sacræ vocis auditum super aquas, David quoque ante prænuntiaverat, dicendo: *Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit* (*Psal.* XXVIII, 3). In hoc utique, in quo vox paternæ majestatis, testimonium Filio perhibens, quasi quoddam tonitru sonuit.

II. Quis igitur hic contra fidem hæreticis locus est? Quæ in hac Patris professione blasphemandi occasio relicta est, cum etiam expressa proprietate verborum sacramentum sit perfectæ Trinitatis ostensum? In mysterio enim baptismi, et Filius manens videtur in corpore, et Spiritus sanctus in specie columbæ descendit, et vox Patris de cœlis auditur, ut Trinitatis unitas declaretur; quia nec Pater sine Filio intelligi potest, nec Filius sine Spiritu sancto cognosci. [c] Vide igitur quale Patris de

[a] *Quidnam.* Al. *quidem*; al. *quidam*; sed utcumque, locus hiulcus, videtur. Et idem est in editione prima Basileensi, utque in altera Grynæi.

[b] Apud Galland.: *Tractatus* XVIII, *in S. Matthæi Evangelium.*

[c] *Unde* pro *Vide* legitur hoc loci in Bibliotheca Patrum Lugdunensi, tomo V, pag. 990, sicuti etiam apud Gallandium, tomo VIII, pag. 352; qui tantummodo in subjecta annotatione dubitanter scripsit: *An legendum. Vide?*

At *Vide* pro *Unde* nos hic posuimus confidenter, orationis sensu compellente, et auctoritate nixi Al-

Filio **18** testimonium sit, dicentis : *Hic est Filius meus.* Suus utique, non per adoptionem gratiæ, neque per religionem creaturæ, ut hæretici volunt, sed sui proprietate generis et veritate naturæ. Multi enim sanctorum filii Dei dicuntur, et sunt : sed hic sine comparatione unus Deo Patri Filius unigenitus, et verus, et proprius, non aliunde, quam de Patre natus. Quia tam verus Pater, Pater est, quam verus et Deus est : sicuti etiam tam verus Filius, Filius est, quam verus et Dominus est. Perfecta ergo fides est Trinitatis ostensa; cum et Pater Christum Dominum ac Deum nostrum Filium suum esse testatur; et Spiritus sanctus, id est Paracletus, in tanto fidei sacramento Patri Filioque conjungitur : ut verum Patrem, verum Filium, verum etiam Spiritum sanctum crederemus : tres personas, sed unam divinitatem Trinitatis, unamque substantiam. Hæc transitorie de Trinitatis mysterio dicta sunt.

19 III. Verum quia omnia quæ pro nobis Dominus egit, in sacramentum salutis nostræ ostensa cognoscimus : in eo quod baptizato Domino cœli aperti sunt, idem monstratur, quia renatis in baptismo cœlorum regna paterent, quæ nobis Filius Dei, in corpore ad cœlum ascendens, primus aperuit. Unde et statim in eo, quod sanctus Spiritus in specie columbæ descendit, et vox Patris de cœlis auditur, dicentis : *Hic est Filius meus;* in hoc cœleste mysterium, et salutis nostræ ordo revelatur; quia per salutare baptismum aquæ, essemus et filii Dei futuri, et donis sancti Spiritus munerandi : per quem est Patri, et Filio laus et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

TRACTATUS III [a].

In caput v Evangelii S. Matthæi.

I. *Videns autem*, inquit, *turbas Jesus, ascendit in montem : et, sedente eo, accesserunt ad eum discipuli ejus, et aperiens os suum, docebat eos dicens : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v, 1, 2), et cætera quæ sequuntur. De terrenis et humilibus ad alta et excelsa discipulos suos Dominus ducturus, montem conscendit : et quidem Oliveti, ut per ipsius vocabuli significationem, divinæ misericordiæ suæ munus ostenderet. Ascendit igitur Dominus in montem, ut discipulis

A suis terrena jam relinquentibus et superna petentibus, velut **20** in alto jam positis, præcepta traderet cœlestium mandatorum : et provisas olim benedictiones divino munere largiretur, secundum quod David ante testatus fuerat, dicendo : *Etenim benedictionem dabit qui legem dedit* (*Psal.* LXXXIII, 8). Et ut apertius et gratiam apostolorum, et auctorem tantæ hujus benedictionis ostenderet, addidit dicens : *Ambulabunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion;* Filius scilicet Dei, qui in Sion apostolis benedictiones donavit. Idem enim in hoc monte benedictiones apostolis dedit, qui jamdudum in monte Sina Moysi legem tradiderat, probans se esse utriusque legis auctorem, secundum quod per Jeremiam ipse Dominus manifestat dicens : *Et dabo illis testamentum no-*
B *vum : non tale quale jamdudum dedi patribus eorum, cum educerem eos de terra Ægypti; sed hoc est testamentum quod dabo illis : scribam leges meas in cordibus eorum, et in sensu eorum scribam illas* (*Jerem.* XXXI, 31, 32). Et jamdudum quidem cum lex daretur (*Exod.* XIX, 21), juxta montem populus prohibebatur accedere : nunc autem Domino dicente in monte nemo prohibetur; immo potius omnes invitantur ut audiant : quia in lege severitas est, in Evangelio gratia : illic terror incredulis incutitur, hic credentibus benedictionum munus infunditur. Si vis ergo et tu benedictionem a Domino accipere, relinque terrenam conversationem, pete vitam supernam; ascende in altitudinem fidei tamquam montem, ut benedici jure a Domino **21** merearis. Sed quæ jam
C ipsa verba benedictionum sint, videamus.

II. *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Plures quidem novimus pauperes : sed non quia tantum pauperes, idcirco beatos : quia unumquemque nostrum non necessitas paupertatis facit esse beatum, sed fides devotæ paupertatis. Nam multos scimus egere quidem sæculi facultate, nihilominus tamen a peccatis non desinere, atque a fide Dei esse alienos; quos utique manifestum est beatos dici non posse. Et ideo debemus requirere qui isti beati sint, de quibus ait Dominus : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Hos utique pauperes significat esse beatos, qui contemptis mundi divitiis, spretaque sæculi facultate, ut Deo fierent divites, mundo

cuini abbatis, qui totum hunc *Chromatii* textum retulit in *libello suo adversus Hæresim Felicis episcopi*, quem videas superius inter *Veterum Testimonia de sancto Chromatio episcopo;* necnon auctoritate Editionis primæ *Chromatii*, quæ Basileæ prodiit anno 1528, quamque præ manibus habemus; sicut etiam auctoritate vetusti codicis Palatini bibliothecæ Vaticanæ, unde integrum hunc *Chromatii* textum eduxit ex præcitato Alcuini *libello* clarissimus Fontaninus, qui etiam totum inseruit in sua *Historia litteraria Aquileiensi* libro III, cap. 4, num. 2.

Cæterum (quod sane mireris) totus hic *Chromatii* textus qui de Mysterio Trinitatis est, in citata bibliotheca Patrum Lugdunensi fœde corruptus apparet, ita ut erroneum etiam sensum involvat, quod summi viri, Fontaninus præcitatus atque De Rubeis, non animadverterunt : iidemque prorsus

D mendis inquinatus lucem vidit in novissima quoque bibliotheca Gallandii.

Nos propterea totum hunc *Chromatii* textum in hac nostra editione, non minus quam sex locis emendatum, suæ integritati restituimus, collatione facta cum textu eodem prout exstat apud Alcuinum in editione novissima Frobenii, unde textum ipsum in *Testimoniis Veterum* inseruimus; sicuti etiam ratione habita citatæ editionis Primæ Basileensis Scriptorum seu Opusculorum *Chromatii* 1528, alteriusque itidem Basileensis 1569 inter *Monumenta Sanctorum Patrum Ortodoxographa* Joannis Grynæi, necnon vetusti codicis Alcuiniani bibliothecæ Vaticanæ, prout in *Præfatione* suo loco admonuimus.

[a] Apud Galland. : TRACTATUS II, *in S. Matthæi Evangelium.*

esse pauperes voluerunt. Hi tales, pauperes quidem A sæculo videntur, sed Deo divites sunt, egentes sæculo, sed Christo locupletes. Cujus beatæ paupertatis exemplum nobis primi in se Apostoli præbuerunt: qui contempta omni facultate, statim sequi Domini vocem, ipsius esse discipuli meruerunt. Hos tales pauperes etiam Apostolorum temporibus invenimus, qui primi credentes, universis rebus suis possessionibusque distractis, sub hac devota paupertate Domini divitias quæsierunt. Unde et Apostolus in tali paupertate divitias inesse cœlestes ostendit, dicens: *Tamquam nihil habentes, et* **22** *omnia possidentes* (I *Cor.* VI, 10). Inde denique Petrus, cum ascendens in templum a claudo eleemosynam peteretur, ait: *Argentum et aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Domini nostri Jesu Christi surge et ambula* (*Act.* III, 6). O vere beata paupertas, quæ cum nihil de mundi facultate habeat, tantum de cœlo largitur! Non dat quidem argentum vel aurum, sed quod plus est divitiis omnibus, reddit corporis sanitatem. Imaginem Cæsaris in nummo, quam daret, non habuit; sed Christi imaginem in homine reformavit. De hujusmodi pauperibus in præsenti loco Dominus loquitur, de quibus et David multis locis testatur dicendo: *Edent pauperes, et saturabuntur, et vivet cor eorum in sæculum sæculi* (*Psal.* XXI, 7). Et iterum: *Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum* (*Psal.* LXXI, 4). *Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum* (*Psal.* XXXIII, 7). Talium ergo pauperum Dominus docet esse regnum cœlorum, C qui se causa religionis ac fidei sæculo pauperaverunt, ut locupletem sanctum Spiritum possiderent. Vel certe beatos pauperes dicit, qui nulla superbia diaboli inflantur, nulla ambitione sæculi extolluntur, sed humilitatem spiritus cum fidei devotione custodiunt. Unde dicitur a David in Psalmo: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non spernit* (*Psal.* L, 19). Tales ergo pauperes spiritu beati sunt apud Deum.

III. Deinde ait: *Beati qui lugent, quoniam ipsi* **23** *consolabuntur.* Sicut de pauperibus superius, ita et hic de lugentibus loquitur: non eos beatos appellans, qui aut dilectæ alicujus conjugis orbitatem, aut amissionem charorum pignorum filiorumque graviter lugent; sed eos potius beatos esse significat, qui D aut propria commissa peccata jugi lacrymarum fletu expiare contendunt, aut qui pro legis affectu iniquitatem sæculi ac peccantium delicta lugere non desinunt. His ergo tam sancte lugentibus non immerito a Domino consolatio exsultationis æternæ promittitur. Eam denique David sanctus exspectans, etiam stratum suum jugi lacrymarum fletu rigavit dicendo: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI, 7). Et iterum: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus* (*Psal.* XLI, 4)? Et iterum: *Quia cinerem sicut panem manducabam, et potum meum cum fletu temperabam* (*Psal.* CI, 10). Et iterum: *Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis in lacrymis in mensura* (*Psal.* LXXIX, 6). Vis autem scire pium luctum sanctorum? Audi dictum de Samuele propheta, quia usque ad diem mortis ejus luxerit regem Saulem (I *Reg.* XV, 35). Hieremias quoque cum populi peccata defleret, ita ait: *Ut flumina aquarum transierunt oculi mei, super contritione plebis meæ* (*Thren.* III, 48). Et iterum: *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo hanc plebem die ac nocte* (*Jerem.* IX, 1)? Daniel etiam gravi luctu pro populi peccatis afficitur, secundum quod ipse testatur dicens: *Et eram*, inquit, **24** *lugens tribus hebdomadis dierum, panem non manducans, et vinum non bibens* (*Dan.* X, 3). Sanctus quoque Apostolus quosdam Corinthiorum B luctu simili deflet, dicendo: *Et veniam ad vos, ut lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam in immunditia quam gesserunt, et fornicatione* (II *Cor.* XII, 21). Hujusmodi ergo luctum Dominus perpetui gaudii consolatione compensat, secundum quod Isaias retulit, dicens: *Date his qui lugent Sion, gloriam pro cinere: unctionem lætitiæ lugentibus: pro spiritu mæstitiæ amictum gloriæ* (*Isai.* LXI, 3). David ait: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi, disrupisti saccum meum, et præcinxisti me lætitia* (*Psal.* XXIX, 12).

IV. Deinde ait: *Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram.* Diversæ sunt gratiæ promissionum divinarum, quia diversi gradus meritorum. Ait ergo: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Mites sunt homines mansueti, humiles et modesti, in fide simplices, et ad omnem injuriam patientes, qui præceptis evangelicis instituti, Dominicæ mansuetudinis imitantur exemplum, qui ait in Evangelio: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 19). Denique Moyses jam dudum idcirco maximam gratiam apud Deum habuit, quia mitis erat. Hoc enim de eo scriptum est: *Et erat Moyses mansuetus præ omnibus qui erant super terram* (*Num.* XII, 3). Unde David in Psalmo ait: *Memento, Domine, David et omnis mansuetudinis ejus* (*Psal.* CXXXI, 2). Hujusmodi ergo mites beatos ostendit, **25** quibus non in præsenti vita, sed in futura possessionem terræ illius felicis repromisit, de qua dictum legimus in Psalmo: *Mansueti autem possidebunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis* (*Psal.* XXXVIII, 11). Et iterum: *Qui exspectant Dominum, ipsi hæreditate possidebunt terram* (*Psal.* LXVIII, 38). De qua et per Salomonem Spiritus sanctus testatur dicens: *Quoniam recti habitabunt in terra, et sancti habitabunt in ea* (*Prov.* XI, 21). Hos ergo mites Dominus beatos ostendit, qui lenitatem mansuetudinis Dominicæ sequentes, beatæ illius terræ hæreditate perpetua possessione fruentur. Maxime tamen de terra nostri corporis loquitur, in qua sancti transfigurati in gloriam, secundum Apostolum, æterna felicitate regnabunt.

V. Deinde ait: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Non facili desiderio,

nec levi cupiditatis ardore expetendam a nobis esse A justitiam docuit. Siquidem hos beatos esse significat, qui ad eam consequendam, esuriendi ac sitiendi modo, interni desiderii cupiditatibus inardescunt: quia si eam unusquisque nostrum esuriens ac sitiens desiderio concupiscat, non potest aliud semper, quam justitiam cogitare, justitiam quærere: quia esuriens ac sitiens, necesse est, id quod sitit atque esurit, concupiscat. Merito igitur his taliter esurientibus ac sitientibus eum, qui panis cœlestis ac fons aquæ vivæ est, satietatem refectionis illius perpetuæ repromittit, dicendo: **26** *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Illam utique justitiam fidei, quæ Dei et Christi est, de qua et Apostolus retulit: *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi, in omnes et super omnes qui credunt in* B *eum* (*Rom.* III, 20). Vel certe ipsum Dominum ac Salvatorem nostrum, qui nobis secundum Apostolum: *Et justitia, et sanctificatio, et redemptio factus est* (I *Cor.* I, 30); cujus desiderio, velut cibi ac potus modo, beati semper exæstuant, secundum quod ipse Dominus per Salomonem testatur, dicens ex persona Sapientiæ: *Qui me manducant, adhuc esurient: et qui me bibunt, adhuc sitient* (*Eccli.* XXIV, 29). Hanc ergo justitiam etiam nos semper esurire ac sitire debemus, ut saturari cibo refectionis perpetuæ mereamur. Bene autem cum additamento dictum est in loco præsenti: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam,* quoniam ipsi saturabuntur: quia qui non justitiam, sed injustitiam esuriunt, scilicet qui aurum, et argentum desiderant, qui divitias vel ho- C nores sæculi concupiscunt, et qui numquam terrenis opibus vel carnis desideriis satiantur; ii tales, non beati, sed infelices sunt; quia eis, non spes promissæ gloriæ, sed damnationis pœna debetur.

VI. Deinde ait: *Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus.* Plurimis quidem testimoniis, tam in veteri Testamento quam etiam in novo, ad faciendam misericordiam a Domino provocamur: sed ad compendium fidei arbitramur **27** satis superque sufficere id, quod in præsenti loco ipse Dominus propria voce depromit, dicendo: *Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus.* Dominus misericordiarum misericordes dicit esse beatos, ostendens unumquemque misericordiam Dei promereri non posse nisi et ipse misericors fuerit. Unde et alio D loco ait: *Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester qui est in cœlis, misericors est* (*Luc.* VI, 36). Deinde ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Hos mundo corde esse significat, qui, deposita sorde peccati, ab omni se carnis inquinamento purgaverint, et per opera fidei atque justitiæ Deo placuerint, secundum quod David in Psalmo testatur dicens: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam* (*Psal.* XXIII, 3, 4). Merito et David sciens Deum nonnisi mundo corde posse videri, ita in Psalmo precatur dicens: *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis* (*Psal.* L, 12). Hujusmodi ergo mundo corde Dominus beatos esse ostendit, qui pura mente et integra conscientia sub fide Domini viventes, Deum gloriæ in futuro cœlesti Regno conspicere merebuntur: *Non jam per speculum et in ænigmate, sed facie ad faciem*, ut Apostolus retulit (I *Cor.* XIII, 12). Modo enim licet oculis fidei Deum contemplemur, claritatem tamen ejus præ infirmitate carnis videre non possumus: tunc autem videbimus eum, accepta **28** immortalitate in cœlestem gloriam transformati, cum immortalem Deum immortalibus oculis conspicere cœperimus: et tunc vere implebitur in nobis illud, quod scriptum est: *Sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Domini virtutum* (*Psal.* XLVII, 9). Non immerito idem David cum futuri temporis gloriam ostenderet in qua sancti cum Deo habitabunt, ita retulit: *Attamen justi confitebuntur tibi, et habitabunt recti cum facie tua* (*Psal.* CXXXIX, 14).

VII. Deinde ait: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Pacifici sunt, qui a dissensionis et discordiæ scandalo separati, dilectionem charitatis fraternæ, et pacem Ecclesiæ sub catholicæ fidei unitate custodiunt: quam pacem tuendam discipulis suis Dominus in Evangelio peculiariter commendat, dicendo: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV, 27). Quam pacem Dominum Ecclesiæ suæ daturum David ante testatus est, dicens: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad ipsum* (*Psal.* LXXXIV, 9). De qua pace custodienda et Apostolus commonet, dicens: *In omnibus servantes unitatem spiritus cum vinculo pacis* (*Ephes.* IV, 3). Et iterum: *Pax Dei quæ superat omnem intellectum, custodiat corda vestra et corpora vestra a malo* (*Philipp.* IV, 7). Nihil enim tam necessarium servis Dei, tam salutare Ecclesiæ, quam charitatem servare, quam pacem diligere, sine qua Deum videri non posse, ad Hebræos Apostolus **29** docet, dicendo: *Ante omnia diligite pacem, sine qua nullus nostrum Deum videre poterit* (*Hebr.* XII, 14). Unde omni studio ac devotione pacem Ecclesiæ servare nos convenit, et eos qui a pace dissentiunt, ad Ecclesiæ charitatem, quantum in nobis est, pacis ac fidei studio revocare, exemplo Prophetæ qui ait: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus; cum loquebar illis, impugnabant me gratis* (*Psal.* CXIX, 7). Merito et in Evangelio in exsultatione angelorum nativitatem Domini nuntiantium, hæc vox sancta reperitur: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14). De qua pace et David retulit: *Pax*, inquit, *multa est diligentibus te, et non est illis scandalum* (*Psal.* CXVIII, 165). Et Isaias similiter: *Et ponam in multa pace filios tuos, et in æquitate ædificaberis* (*Isai.* LIV, 13). Si enim ad hoc Filius Dei carnem suscipere et pati dignatus est, ut pacificaret nos Deo per sanguinem crucis suæ (*Coloss.* I, 20); utique, secundum quod Apostolus retulit, per omnia pacifici esse debemus,

ut vere ipsum Deum pacis in nobis habere mereamur A (*Rom.* xv, 33) : hoc enim scriptum est : *Factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion* (*Psal.* LXXV, 3). Et sic vere non solum filii Dei erimus, sed et *hæredes Dei, cohæredes autem Christi*. Hoc enim Apostolus retulit : *Si filii*, inquit, *Dei, et hæredes Dei, cohæredes autem Christi* (*Rom.* VIII, 17).

VIII. Deinde ait : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Non immerito esuriendam ac sitiendam **30** justitiam Dominus superius memoravit : cujus desiderio in tantum sitire nos decet, ut propter eam et persecutionem mundi, et pœnas corporis, et ipsam mortem contemnere debeamus. In qua significatione martyres maxime declarantur, qui propter justitiam, fidem et nomen Christi persecutiones in sæculo B sustinent, quibus spes magna promittitur, id est possessio regni cœlorum. Cujus beatitudinis Apostoli principes exstiterunt, et omnes justi qui propter justitiam legis diversis persecutionibus afflicti, merito fidei suæ ad regna cœlestia pervenerunt.

IX. Deinde ait : *Beati eritis cum vos persecuti fuerint homines, et exprobrabunt, et dicent omne malum contra vos. Gaudete in illa die et exsultate : dico enim vobis, quia merces vestra multa est in cœlis : sic enim faciebant et Prophetis patres eorum.* Omnia quæ tempore persecutionis propter nomen Christi adversus justos persecutorum excogitare potest infanda perfidia, vel diversa opprobria ingerere, vel corpori pœnas inferre; non solum patienter ferre debemus, sed etiam cum gaudio exsultationis accipere, C propter futuram gloriam. Hoc enim ait : *Gaudete in illa die et exsultate : dico vobis, quia merces vestra multa est in cœlis.* Quam gloriosa est persecutionis hujus tolerantia, cujus mercedem Dominus repositam esse dicit in cœlis! Et idcirco propositæ gloriæ præmium considerantes, ad omnem tolerantiam **31** passionis devota fide parati esse debemus : ut consortes gloriæ Prophetarum atque Apostolorum effici mereamur, per Christum Dominum nostrum, qui est benedictus in sæcula.

TRACTATUS IV [a].

In caput v Evangelii S. Matthæi.

I. Deinde ait : *Vos estis sal terræ; sed si sal terræ infatuatum fuerit, ad nihilum valet, nisi ut projiciatur foras, et conculcetur ab hominibus* (*Matth.* v, 13). Dominus Apostolos suos sal terræ cognominat. Et videamus quid sub hujus vocabuli comparatione de Apostolis suis Dominus velit intelligi. Quod ut plenius possimus advertere, primum sollicite requirendum est, quid hoc sal sit, et cujus terræ, et in quam deinde rem utilitatemque proficiat. Jam etiam salis ipsius naturam usumque tractare debemus, ut his cognitis, dominici dicti virtutem spiritali intelligentia facilius assequamur. Natura igitur salis per aquam, per calorem solis, per flatum venti constat; et ex eo quod fuit, in aliam speciem generatur. Sic et Apostoli atque omnes credentes, per aquam baptismi, per fidem Christi (qui in comparatione sol justitiæ dictus est) et per inspirationem sancti Spiritus Deo renati, ex terrena in cœlestem nativitatem transierunt. Unde non immerito sancti Apostoli sal terræ a Domino nuncupantur. Et cujus terræ? promptum est noscere : id est terræ corporis **32** nostri, quam dudum insipientem ac sensu vanitatis insulsam, evangelicæ prædicationis sapientia salierunt. Ipsi enim sal terræ nostræ facti sunt, quia per ipsos et verba sapientiæ accepimus, et per cœlestem nativitatem in spiritalem sumus demutati naturam. Sicut igitur sal hoc, id est sal terræ, indiscrete omnibus opus est, id est regibus ac potentibus, divitibus et pauperibus, servis ac dominis; sic et cœlestis sapientiæ verbum, quod per Apostolos prædicatum est, necessarium est cunctis ad vitam : *Omnes enim*, secundum Apostolum, *egent gratia Dei* (*Rom.* III, 23). Quia sicut præsentem hanc vitam non sine salis usu habemus : ita quoque illam vitam æternam, sine dono sapientiæ divinæ adipisci non possumus.

II. Sed quia de natura vel gratia salis secundum intelligentiam spiritualem jam superius dictum est, nunc quoque de ipsa salis virtute tractemus. *Vos* ergo, inquit, *estis sal terræ.* Itaque sicut sal, cum operatur in carne qualibet, corruptelam non admittit, fœtores aufert, sordes expurgat, vermes non sinit generari : ita et cœlestis gratia ac fides quæ per Apostolos data est, simili exemplo in nobis operatur. Aufert enim carnalis concupiscentiæ corruptelam, peccatorum sordes expurgat, odorem malæ conversationis excludit, vermes delictorum non sinit generari, id est de corpore libidinosas et mortiferas voluptates exsurgere : conservans corpora nostra etiam ab illo immortali verme, **33** qui indefessa pœna peccatores excruciat, de quo scriptum est : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* (*Marc.* IX, 43, 45, 47, *ex Isai.* LXVI, 24). Et sicuti sales a foris quidem apponuntur, intrinsecus vero operantur per virtutem naturæ suæ, ita et cœlestis gratia exteriora hominis atque interiora perpenetrat, et totum hominem integrum a peccato incorruptumque conservat. Hos autem Deo dignos esse, qui sale cœlestis sapientiæ condiuntur D (*Levit.* II, 13), etiam dudum præcedente figura legis ostensum est, quia omne sacrificium offerendum Deo sale saliebatur. Quod ipsum Evangelista commemoravit dicendo : *Omne*, inquit, *sacrificium sale salietur* (*Marc.* IX, 48) : ostendens eum hominem dignum vere sacrificium Deo fieri, qui cœlestis sapientiæ virtute esset infusus. Unde non immerito cum per Ezechielem prophetam Dominus Jerusalem, immo potius Synagogam, increparet, inter cætera ait : *Aqua non est lota, neque sale salita* (*Ezech.* XVI, 4); prænuntians, quia neque gratiam baptismi salutaris ad abluenda peccata sua acceptura erat, neque fidem

[a] Apud Galland. : *Tractatus* III, *in S. Matthæi Evangelium.*

cœlestis sapientiæ susceptura. Si quis itaque hoc cœlesti sale usus fuerit, condietur; qui autem noluerit, infatuabitur. Non immerito et Apostolus (*Coloss.* IV, 6), sermonem nostrum semper gratiæ sale conditum esse debere commonuit.

III. Adhuc hujus salis gratiam ac virtutem etiam in libris Regnorum invenimus præostensam (IV *Reg.* II). Cum in Jericho essent aquæ malignæ quæ steriles faciebant, petitus est sanctus Elisæus **34** propheta, ut iisdem aquis remedium salutare præberet. Tunc sanctus Elisæus, cœlestis mysterii non ignarus, dixit afferri sibi vas fictile, et mitti in eo salem. Et venit, et misit salem ad exitus aquarum; et sic sanata sterilis natura aquarum, in fecunditatem mutata est: quod in sacramentum futuræ veritatis gestum, manifesta ratione cognoscimus. Nam per aquas gentes significari evidenter Apocalypsis retulit dicendo: *Aquæ quas vidisti, populi, et gentes, et turbæ, et nationes sunt* (*Apoc.* XVII, 15). Quæ aliter sanari, vel remedium salutare accipere non poterant: nisi sal in vas fictile mitteretur, id est Dei sapientia humanum corpus acciperet. Quæ postquam ad exitus aquarum, id est ad exitum mortis humanæ, salutis nostræ causa pervenit: tunc omnium credentium natura quæ a fructu seminis sterilis erat, in fidei ac justitiæ fecunditatem mutata est. Unde non immerito Dominus Apostolos suos sal terræ appellat, quos divina ex se, et cœlesti sapientia replevit. Sic autem eos sal terræ esse testatus est, sicut et lucem mundi (*Joan.* VIII, 12). Nam cum ipse lucem mundi se esse professus sit, tamen etiam discipulos suos hoc nomine voluit nuncupare, non auferens sibi quod suum est lumen, sed largiens: quia lumen verum et æternum quod suum est, sine aliquo detrimento propriæ naturæ largitur. Scimus sane nonnullos sales de terra generari: sed et hæc similitudo congruit Apostolorum personæ. Quia quamvis nati de terra humani corporis viderentur; aliud **35** tamen per fidem Christi esse jam cœperant: ut non jam terra, sed sal terræ haberentur; quia de carnalibus facti sunt spiritales, idonei qui fide possent condire insulsa corda credentium.

IV. *Vos ergo*, inquit, *estis sal terræ: si autem sal infatuatum fuerit, in quo condietur? ad nihilum valet, nisi ut projiciatur foras, et conculcetur ab hominibus.* Infatuari autem eos ostendit, qui cum semel per fidem et sapientiam cœlestem eruditi, fideles ac stabiles debeant permanere; relicta fide et sapientia divina, aut in hæresim ruunt, aut ad stultitiam gentilium redeunt. Et idcirco ait: *Si autem sal infatuatum fuerit, in quo condietur?* Quia infatuati fraude diaboli hujusmodi homines, amissa fidei gratia, evanescunt. Qui cum potuissent etiam alios non credentes, adhuc a fide alienos, divinæ prædicationis verbo condire, etiam sibi inutiles exstiterunt. Denique Judas Iscariotes de hujusmodi salibus fuerat: sed postea quam divinam sapientiam reprobavit, et de Apostolo apostata factus est: non solum aliis prodesse non potuit, sed et sibi miser et inutilis factus est. Et ideo addidit Dominus dicens: *Ad nihilum valet, nisi ut projiciatur foras, et conculcetur ab hominibus:* quia hujusmodi, jam non fideles ac domestici; sed projecti ab Ecclesia, ut extranei et fidei hostes habendi sunt. Unde et Judas de domestico fidei, inimicus factus est veritatis. **36** Projecti itaque hujusmodi extra Ecclesiam, necesse est ut diversis vitiis carnis et variis voluptatibus sæculi conculcentur: et hoc est quod ait: *ad nihilum valet, nisi ut projiciatur foras, et conculcetur ab hominibus.* Quid sit autem conculcari ab hominibus, etiam Salomon in libro suo retulit, cum de muliere meretrice loqueretur: *Mulier*, inquit, *fornicaria, quasi stercus in via ab hominibus prætereuntibus conculcatur* (*Eccli.* IX, 10). Quia igitur conditi jam sale apostolico sumus, in tali ac tanto condimento gratiæ spiritualis permanere debemus, ut ipsi quoque sal terræ nuncupari a Christo Domino nostro mereamur, qui est benedictus in sæcula. Amen.

TRACTATUS V [a].

In caput V *Evangelii S. Matthæi.*

I. DEINDE ait: *Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi super montem posita, neque accendunt lucernam ut ponant eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt* (*Matth.* V, 14, 15). Sal terræ Dominus discipulos suos appellavit: quia infatuata a diabolo corda humani generis, per cœlestem sapientiam condierunt. Nunc quoque lumen mundi eos nuncupat, quia a se ipso qui verum et æternum lumen est, illuminati; ipsi quoque lumen facti sunt tenebrarum. Nam quia ipse sol justitiæ est; non immerito etiam **37** discipulos suos lumen mundi cognominat; quia per ipsos, quasi per quosdam micantes radios, universo orbi cognitionis suæ lumen infudit: fugaverunt enim a cordibus hominum tenebras erroris, luce veritatis ostensa. Per ipsos namque illuminati etiam nos, ex tenebris lumen sumus effecti, dicente Apostolo: *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: sicut filii lucis ambulate* (*Ephes.* V, 8, 9). Et iterum: *Non estis filii noctis neque tenebrarum, sed estis filii luminis et filii diei* (I *Thess.* V, 5). Merito et sanctus Joannes in Epistola sua testatus est, dicens: *Deus lux est* (I *Joan.* I, 5), et qui manet in Deo, in lumine est, sicut et ipse est in lumine. Unde quia tenebris erroris liberatos nos esse gaudemus, semper quasi filii lucis in lumine ambulare debemus.

II. Et addidit: *Non potest*, inquit, *civitas abscondi supra montem posita* (*Matth.* V, 14). Civitatem hic Ecclesiam significat, de qua multis locis divinæ Scripturæ testantur, et de qua David maxime loquitur, dicens: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (*Psal.* LXXXVI, 3). Et iterum: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* (*Psal.* XLV, 5). Et iterum: *Sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Domini virtutum,*

[a] Apud Galland.: TRACTATUS IV, *in S. Matthæi Evangelium*.

in civitate Dei nostri : Deus fundavit eam in æternum A (*Psal.* XLVII, 9). Et ut manifeste se de hac civitate loqui Spiritus sanctus ostenderet, etiam montis ipsius fecit mentionem, dicendo : *In civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.* De qua per Isaiam Dominus loquitur, dicens : **38** *Ecce ego præparabo tibi carbunculum lapidem, et fundamenta tua sapphyrum, et propugnacula tua jaspidem, et portas tuas lapidem crystallum, et circuitum tuum lapides electos, et omnes filios tuos docibiles Dei* (*Isai.* LIV, 11, 12; *sec.* LXX). Et multa similia quæ prætermisimus, ne tædium legentibus faceremus; maxime cum hæc quæ dicta sunt, ad probationem civitatis hujus satis abundeque sufficiant. Civitatem ergo supra montem positam, Ecclesiam ostendit, supra fidem Domini ac Salvatoris nostri in cœlesti gloria constitutam; quæ B actu spiritali omnem [a] humiditatem terrenæ infirmitatis excedens, universo mundo conspicua facta est gloriosa; quæ jam non per annuntiationem legis obumbratur, sed per evangelicam doctrinam aperta prædicatione conspicitur.

III. Et addidit : *Neque enim accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed supra candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt* (*Matth.* V, 15). Videamus itaque et hujus dicti Dominici rationem. Scimus lucernam ad hoc accendi, ut non modio aut aliquo operimento tegatur; quod si fiat, usus ejus nulli rei proderit : sed ideo accenditur in candelabro, ut in edito loco posita cæcitatem obscuræ noctis abjiciat, et lucis suæ usum in domo constitutis impertiat. Quod ideo Dominus commemorat, quo sci- C remus, et nos idcirco gratia fidei accensos, et **39** luce spiritus illuminatos, ut et ipsi per opera fidei atque justitiæ velut lucerna spiritualiter luceremus; et hos qui in tenebris erroris sunt positi, ignorantiæ nocte depulsa, veritatis ipsius lumine illustraremus. Unde Apostolus ait : *Inter quos lucetis sicut luminaria in hoc mundo, verba vitæ continentes* (*Philipp.* II, 15, 16). Quod si non faciamus, videbimur tam necessarii luminis utilitatem, ad damnum tam nostrum quam aliorum, infidelitate nostra velut quodam velamine obtegere et obumbrare. Quapropter et illum qui talentum ad lucrum cœlestis negotiationis acceptum abscondere magis voluit quam ad mensam nummulariis dare, debitam pœnam incurrisse scimus et legimus (*Matth.* XXV, D 28, 30).

IV. Et idcirco lucerna illa spiritualis, quæ ad usum salutis nostræ accensa est, semper lucere debet in nobis. Habemus enim lucernam cœlestis mandati, et gratiæ spiritalis, de qua David retulit : *Mandatum tuum lucerna pedibus meis, et lux semitis meis* (*Psal.* CXVIII, 105). De qua et Salomon ait : *Quoniam lucerna est præceptum legis* (*Prov.* VI, 23). De qua per Sophoniam quoque prophetam Dominus testatur : *Et scrutabor Jerusalem cum lucerna* (*Soph.* I, 12). In hac enim lucerna inextinguibile legis ac gratiæ suæ lumen ostendit, quod non aliquo cæcæ mentis velamine operiendum est vel obscurandum, ut Judæi vel hæretici faciunt, qui perspicuam lucem prædicationis divinæ pravis interpretationibus obtegere et occultare nituntur, pro fide perfidiam **40** prædicando, et lumen veritatis erroris tenebris obvelando. Unde lucerna hæc legis ac fidei non occultanda nobis est, sed ad salutem multorum semper in Ecclesia, velut in candelabro, constituenda; ut veritatis ipsius luce et nos fruamur, et omnes credentes illuminentur. Ad cujus luminis contemplationem etiam, per Isaiam nos sanctus Spiritus adhortatur dicendo : *Venite, ambulemus in luce Domini. Dimisit enim populum suum domus Israel* (*Isai.* II, 5, 6, *sec.* LXX). De qua luce et beatus Petrus in Epistola sua testatus est, dicens : *Qui eripuit nos de tenebris, et advocavit nos in admirabilem lucem* (I *Petr.* II, 9). Unde et Zacharias propheta, ut spiritalis hujus luminis et cœlestis candelabri quod in figura Ecclesiæ ostensum est, manifestaret mysteria, inter cætera quæ ei pro merito prophetiæ monstrata sunt, etiam candelabrum aureum cum lampadibus suis se vidisse testatus est (*Zach.* IV, 2). Nam et in tabernaculo testimonii ad futuræ veritatis exemplum candelabrum cum lucernis indefesso lumine populo lucebat (*Exod.* XL). Cujus rei ratio Judæis quidem occulta est, sicuti et omnia sacramenta legis, sed nobis jam manifesta. Scimus enim in candelabro illo typum veri et æterni luminis ostensum : id est Spiritus sancti, qui per multiformem gratiam omne Ecclesiæ corpus semper illuminat. Unde et Dominus in Evangelio, inter cætera, discipulos suos ut lucernas in manibus ardentes habeant adhortatur, dicendo : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes* (*Luc.* XII, 35). Quod utique **41** Dominum præcepisse, non corporali sensu, sed ratione spiritali, intelligendum est. Nam quia in lucerna mandatum Dei, sive lumen legis significatur; idcirco lucernam in manibus portare jubemur, ut illuminati gratia Spiritus sancti, operibus justitiæ ac fidei luceamus, secundum quod Salomon retulit : *Viæ*, inquit, *justorum, similiter ut lux fulgebunt; procedunt enim et illuminant, donec*[b] *corrigat dies* (*Prov.* IV, 18; *sec.* LXX).

V. Merito ergo, cum in præsenti loco Dominus lucernæ mentionem fecisset, dicendo : *Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt*, addidit dicens : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et magnificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V, 16). Magnificatur enim Deus in nobis apud incredulos et infideles, si secundum præcepta divina vivamus, si bonis operibus luceamus. Unde et sanctus Apostolus ait : *Magnificate et portate Deum in corpore vestro* (I *Cor.* VI, 20). Et beatus Petrus in Epistola sua similiter com-

[a] *Humiditatem*. An *humilitatem*, prout editio prima Basileensis?

[b] *Corrigat*. LXX, Prov. IV, 18, κατορθώσῃ, *dirigat*. Legit tamen *corrigat* etiam Lucifer Calaritanus, ut ad eum locum annotat Nobilius. Editio prima Basileensis habet *decurrat*.

monet : *Ut cum detrectaverint de vobis, opera justitiæ magnificent Deum nostrum* (I *Petr.* III, 16). Potest autem et aliter intelligi, quia multiplex intelligentia spiritalis est, ut in lucerna ipsum Dominum significare noscamus, propter assumpti corporis humilitatem. Hic quidem, non solum **42** secundum gloriam divinitatis, Sol justitiæ nuncupatur, sed secundum assumpti corporis sacramentum etiam lucerna ostenditur ; quia cum Deus esset gloriæ et majestatis æternæ, humilis in hoc mundo tamquam lucerna apparuit. Et non sine causa tamquam lucerna : quia lucerna per noctem lucere consuevit. Idcirco itaque in hoc mundo humilis tamquam lucerna apparuit : ut tenebras erroris de cordibus nostris et ignorantiæ noctem depelleret; qui in hoc mundo velut in nocte positi degimus. Hujusmodi ergo lucerna, id est incarnatio Christi ostensa a Lege et prophetis, jam non obscura prædicatione legis tamquam modio tegitur, nec infidelitate Scribarum ac Pharisæorum velut quodam vase perfidiæ operitur : sed in cruce, velut in candelabro, constituta, omnem Ecclesiæ domum illuminat. Secundum mysterium itaque incarnationis, lucerna est; secundum gloriam vero Divinitatis, Sol justitiæ est. Denique in ipso crucis candelabro, tamquam Sol resplenduit, cum per Apostolorum prædicationem, quasi per quosdam radios, universo orbi clarissimum suæ cognitionis lumen invexit Dominus et Salvator noster, qui est benedictus in sæcula.

43 TRACTATUS VI [a].

In caput V *Evangelii S. Matthæi.*

I. Deinde ait : *Nolite putare, quia veni solvere Legem aut prophetas : non veni solvere, sed adimplere* (*Matth.* V, 17). Non ad dissolvendam Legem vel Prophetas Filius Dei venit, qui auctor est Legis et Prophetarum ; quia ipse Moysen ad tradendam Legem populo dedit, et Prophetas ad prædicationem futurorum sancto Spiritu mundavit : *Non* ergo, inquit, *veni solvere Legem aut Prophetas, sed adimplere*. Implevit autem Legem et Prophetas hoc modo; dum ea quæ scripta erant in Lege et Prophetis, ipse consummavit. Unde cum acetum in cruce oblatum sibi bibisset, ait : *Adimpletum est* (*Joan.* XIX, 30) : ut evidenter ostenderet, omnia quæ de se in Lege et Prophetis scripta erant, etiam usque ad aceti potum esse completa. Adimplet Legem omni modo, dum mysterium paschæ vel agni, olim in figura monstratum, passionis suæ sacramento complevit. Unde ait Apostolus : *Nam et pascha nostrum immolatus est Christus* (I *Cor.* V, 7). Adimplet Legem, dum sacrificia Legis, omniaque exempla in se præfigurata, accipiendo corpus, veritatis ratione complevit. Vel certe adimplet Legem, dum præcepta Legis quæ dederat, evangelicæ gratiæ suæ supplemento confirmat. Quam autem Legem venit adimplere, in sequenti demonstrat dicendo : *Donec* **44** *cælum et terra transeant, iota unum vel unus apex a Lege non cadent, donec omnia fiant* (*Matth.* V, 18). Quam vera igitur ac divina sit prædicatio Legis, ex hoc ipso cognoscimus, de qua ne iota quidem vel unum apicem posse cadere Dominus manifestat. Quamquam in hoc iota vel apice Legis, etiam sacramentum crucis possit intelligi, quia iota et apex quamdam in se imaginem crucis ostendunt, quæ a Lege ac Prophetis prædicata nulla ratione poterat præteriri.

II. Deinde ait : *Qui solverit*, inquiens, *unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum* (*Ibid.*, 29). Cum mandata minima solvere impium sit, multo magis magna et maxima. Unde per Salomonem id ipsum Spiritus sanctus contestatur, dicens : *Qui modica spernit, paulatim decidet* (*Eccli.* XIX, 20). Et idcirco nihil est de præceptis divinis solvendum, nihil mutilandum, sed totum fideli ac devota mente servandum atque docendum, ne regni cœlestis gloria amittatur : quia, quæ judicio infidelium vel hominum sæculi minima putantur et parva, hæc apud Deum non sunt parva, sed necessaria. *Qui autem docuerit et fecerit*, hunc magnum futurum Dominus ostendit in regno cœlorum. Quapropter non solum verbis operandum est, sed et factis; nec ut doceas tantum, sed ut quod docueris, facias. Et audiamus ipsum Dominum hujusmodi doctores, qui dicunt et non faciunt, **45** in Evangelio increpantem : *Væ*, inquit, *vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia oneratis homines oneribus, quæ portari non possunt, ipsi autem non tangitis digito vestro sarcinas ipsas* (*Matth.* XXIII, 4). Unde et Apostolus ait : *Non*, inquit, *auditores Legis justi sunt apud Deum, sed factores Legis justificabuntur* (*Rom.* II, 13). Si hoc etiam de audientibus dicit, quid de doctoribus intelligendum est? Inde et Salomon ait : *Noli esse citatus in lingua tua, et segnis ac remissus in operibus tuis* (*Eccli.* IV, 34). Et ideo oportet eum qui docet, exemplum ex se præbere puræ fidei per honestatem conversationis suæ, ut Apostolus Timotheo scribit : *Forma*, inquit, *esto fidelium* (I *Tim.* IV, 12). Et iterum : *Exemplum te ipsum præbens operum bonorum, in justitia, in castitate, in sobrietate, per doctrinam sanam* (*Tit.* II, 7, 8). Unde et ipse Filius Dei, qui magister et dominus legis est, ad exemplum nostrum, cuncta quæ docuit, voluit rebus ipsis implere.

III. Et addidit : *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum* (*Matth.* V, 20). Reprehenditur justitia Scribarum et Pharisæorum, quia non fidem promissionis divinæ, sed humanam laudem et sæculi gloriam quærebant, sicuti habemus exemplum de illo Pharisæo superbo et elato; qui ut sibi videbatur, justitiæ suæ merita præferens, impudenter se, elato animo ac superbis vocibus, in conspectu Dei jactabat (*Luc.* XVIII, 11). Retinebant ergo speciem justitiæ

[a] Apud Galland. : TRACTATUS V, *in S. Matthæi Evangelium.*

Scribæ et Pharisæi, **46** non ut Deo placerent, sed ut famam humanæ gloriæ quærerent, ut lucra terrena et temporalia commoda mercarentur. Et ideo hortatur Dominus, ut hanc [a] famosam justitiam laudis humanæ, operibus justitiæ cœlestis ac fidei meritis præcedamus, per Christum Dominum nostrum.

TRACTATUS VII [b].

In caput v Evangelii S. Matthæi.

I. Dehinc sequitur : *Audistis quia dictum est antiquis : Non occides : Qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis : Si quis irascitur fratri suo, reus erit judicio* (*Matth.* v, 21, 22). Hoc est quod dixit Dominus, *non veni solvere Legem, sed adimplere.* Hoc est, quod minus erat, addere : præcepta scilicet Legis in melius reformare. Unde et sanctus Apostolus ait : *Legem ergo destruimus per fidem? Absit : sed Legem constituimus* (*Rom.* III, 31). Rudi et duro populo Legis tradita sunt mandata justitiæ; perfecto autem et fideli populo evangelica traduntur præcepta consummatæ fidei et cœlestis justitiæ. Lex præcepit non occidendum, Evangelium vero nec irascendum : ut omnem radicem peccati auferret de cordibus nostris; quia per iracundiam potest etiam usque ad homicidium perveniri. **47** Unde non immerito beatus Job in libro suo ita testatus est dicens : *Stultum interficit iracundia, seductum autem occidit æmulatio* (*Job.* v, 2). David quoque ita ait : *Irascimini, et nolite peccare; dicite in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini* (*Psal.* IV, 5). Quod testimonium sanctus Apostolus interpretatus est dicens : *Sol non occidat super iracundiam vestram, neque detis locum diabolo* (*Ephes.* IV, 26, 27). Cum ergo irasci non liceat, multo minus homicidii crimen admittere. Et cum iracundia teneatur in futuro judicio; quam putamus pœnam habiturum ipsius sceleris factorem?

II. *Qui autem dixerit*, inquit, *fratri suo, raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis* (*Matth.* v, 22). Ita docet nos Dominus per omnia esse perfectos, ut ne levibus quidem vel vanis sermonibus futuro judicio rei teneamur. Vetat namque dici fratri, *raca*, id est vacue et inanis : non enim debet dici vacuus et inanis, qui fide et Spiritu sancto plenus est. Neque enim debet fatuus appellari, qui credendo in Christo, divinæ sapientiæ gratiam consecutus est. Unde et cum per Salomonem Spiritus sanctus de viro evangelico loqueretur, ita testatus est, dicens : *Beatus qui non est lapsus verbo oris sui, et non est stimulatus tristitia delicti* (*Eccli.* XIV, 1). Et idcirco alio loco idem Salomon ait : *Fac ori tuo seras, et linguæ tuæ et verbis tuis fac stateram* (*Eccli.* XXVIII, 18). Et iterum : *Circumcide a te pravum os, et iniqua* **48** *labia longe expelle a te* (*Prov.* IV, 24). Et iterum : *Indisciplinatæ loquelæ non assuescat os tuum; est enim in illa tristitia delicti* (*Eccli.* XXIII, 17). Unde et David ait : *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis* (*Psal.* CXL, 3). Et iterum in alio psalmo dixit : *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea* (*Psal.* XXXVIII, 1). Quia, ut Salomon ait : *Labia imprudentum stulta narrabunt; et statera appenditur verbum prudentis* (*Eccli.* XXI, 28). Et ideo Dominus in Evangelio (*Matth.* XII, 36), etiam pro otioso sermone rationem nos reddituros esse testatus est. Hinc et Apostolus ita hortatur, dicens : *Omnis sermo malus ex ore vestro non exeat, nisi qui bonus est ad ædificationem fidei* (*Ephes.* IV, 29). Et iterum : *Sermo vester sit semper in gratia sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere* (*Coloss.* IV, 6). Ob quam rem in omnibus cautos nos esse convenit, ne per familiaritatem inutilium verborum, damnum saluti acquiramus.

III. Dehinc ait : *Si offers munus tuum ante altare, et ibi rememoratus fueris quia habet aliquid frater tuus adversum te; relinque illic munus tuum, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc offer munus tuum* (*Matth.* v, 23, 24). Quanti habeat Dominus fraternam dilectionem, ex hoc ipso cognoscimus; cum oblatum Deo munus ostendit accepte non offerri, nisi prius oblator muneris fratri suo, iracundia seposita, reconcilietur. Invenimus denique offerentis Cain munera idcirco a Deo repudiata (*Gen.* IV, 5), quia charitatis **49** jura non servans, adversus fratrem iram animo retinebat. Unde non immerito Dominus in Evangelio multis locis, charitatis fraternæ dilectionem præcipue custodiendam esse insinuat, dicendo : *Mandatum novum do vobis, ut dilectionem habeatis ad alterutrum* (*Joan.* XIII, 34). Et iterum : *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si charitatem ad alterutrum habueritis* (*Ibid.*, 35). Non immerito etiam per Zachariam prophetam ita Dominus loquitur : *Judicium justum et pacificum judicate, et nolite retinere malitiam fratris vestri in cordibus vestris* (*Zach.* VIII, 16). Per David quoque similiter testatur : *Desine ab ira, et derelinque indignationem* (*Psal.* XXXVI, 8). Pari modo etiam per Salomonem Spiritus sanctus loquitur, dicens : *Homo homini reservas iram, et a Deo quæris medelam? Ipse in hominem similem tibi non habes misericordiam, et Deum exoras pro peccatis? Et ipse cum sis caro retines iram, et propitiationem petis a Deo? Et quis orabit pro delictis tuis* (*Eccli.* XXVIII, 3-5). Et superaddidit dicens : *Memento novissima, et desine inimicari* (*Ibid.*, 6). Unde et sanctus David evangelici præcepti per Spiritum sanctum non ignarus, de se ita testatus est, dicens : *Si iniquitatem*, inquit, *conspexi in corde meo, non exaudiet Dominus* (*Psal.* LXV, 18). Quid enim tam gratum Deo, tam necessarium nostræ saluti, quam quod Dominus præcipit, iram non retinere, pacifico animo ac simplici conscientia Deo munus offerre, sicut obtulit primus Abel? Et ideo munera ipsius suscepta sunt a Deo, Cain reprobata : quia Abel pura ac simplici **50** mente munera Domino offerebat; Cain vero iram adversus fratrem tenebat in corde. Quapropter si volumus

[a] *Famosam.* An *Fumosam*, prout in margine Gryнæus?

[b] Apud Galland. : TRACTATUS V, *in S. Matthæi Evangelium.*

munera nostra Deo placere, excludere iracundiam de A cordo debemus, interficere malitiam contra fratrem susceptam, tenere vero pacem fraternam, servare charitatem, diligere unanimitatem, custodire concordiam, ut placare Dominum mereamur, qui est benedictus in sæcula.

TRACTATUS VIII [a].

In caput v Evangelii S. Matthæi.

I. Post hinc sequitur: *Esto*, inquit, *consentiens adversario tuo, dum es cum illo in via, ne forte adversarius tradat te judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris: Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem* (*Matth.* v, 25, 26). De hoc Domini dicto quidam ita existimant intelligendum, asserentes hujusmodi adversarium qui B culpa sua vel aliena inimicus exstiterit, cito ad pacem et amicitias esse revocandum, dum cum illo sumus in via; id est in cursu vitæ præsentis: ne cum de sæculo fuerit recessum, unusquisque, ut charitatis immemor et inimicitiarum reus, incipiat Deo judici offerri, et tradi a judice ministro; id est præposito tormentorum; ut missus in carcerem gehennæ debitas peccati pœnas exsolvat. Sed assertio ista non plenam videtur habere rationem. Quid enim? si aliquis **51** e fratribus ob causam fidei adversarius exsistat, numquid perfidiæ ipsius consensus commodandus est, ne cum tali religiosa discordia maneat? Habemus adversarios et gentiles qui fidei nostræ adversantur, qui nos interdum tempore persecutionis ad nefanda sacrificia cogunt: numquid et propter hu- C jusmodi adversarios hoc agendum est, quemadmodum voluntati ipsorum consensum sacrilegum commodemus, ne inimici permaneant? quorum sacrilegæ persuasioni non modo consentiendum non est, verum etiam invicta fide resistendum.

II. Quidam etiam aperte adversarium hic diabolum intelligendum existimant; quod qua ratione adstruant, non animadverto. In quo enim debet consensus diabolo commodari; cujus hoc opus est, ut totum contra fidem, contra salutem, contra divinam religionem suadeat, hortetur, extorqueat? Nisi forsitan hoc sensu intelligi debeat, ut si forte persecutor aliquis inimicus exsistens, vel diabolus (quia auctor persecutionis est) voluerit causa nominis Christi Christiano mortem inferre, libenter consensum ac- D commodet, ut morti pro Christo tradatur, ne idem diabolus, qui *accusator noster* est, reos nos apud Deum constituat de fidei prævaricatione, et pœnæ obnoxios faciat: quia diabolus, quamvis omnis criminis auctor sit, ipse tamen et accusator est. Hoc enim dictum de eo in Apocalysi legimus: *Et præcipitatus est*, inquit, *Draco accusator fratrum nostrorum*, **52** *qui accusabat eos in conspectu Dei die ac nocte* (*Apoc.* XII, 10). Ipse suasor, ipse accusator suadet, ut decipiat; accusat, ut damnet.

III. Alii vero, quorum assertio planior [b] mihi videtur, adversarium hic Spiritum sanctum existimant intelligendum; qui adversatur vitiis et desideriis carnis, secundum quod Apostolus manifestat, dicendo: *Caro*, inquit, *concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis* (*Gal.* v, 17). Spiritus enim cœlestia desiderat, caro terrena concupiscit: Spiritus donis spiritalibus gaudet, caro vitiis corporalibus oblectatur. Unde et Apostolus ait: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis* (*Ephes.* IV, 30). Huic, credo, adversario peccati et erroris humani, suadenti quæ justa et sancta sunt, in omnibus obedire nos Dominus præcepit, dum cum illo sumus in via, id est in comitatu vitæ præsentis, ut æternam pacem, et perpetuam societatem cum eo habere possimus. Verum si quis voluntati Spiritus sancti dicto non audiens et contrarius exstiterit, non dubium est, hujusmodi hominem, post excessum vitæ, Dei Filio, qui judex vivorum ac mortuorum est, offerendum, a quo tradetur ministro, id est, Angelo tormentorum mittendus in carcere gehennæ; unde non dimittetur, nisi etiam **53** novissimum quadrantem reddat, id est, omnem pœnam debiti etiam usque ad novissimum peccatum exsolvat. De hoc igitur adversario Dominus in præsenti loco loqui intelligitur, qui adversans peccatis nostris salutem nostram desiderat, qui nos idcirco cupit sibi esse consentaneos, ut et pœnas inferni evadere, et regna cœlestia consequi mereamur. De quo et Salomon in libro suo testari videtur, cum dicit: *Est unus, et non est secundus, et quidem nec filius, nec frater est ei, et non est finis omni labori suo* (*Eccle.* IV, 8). Et: *Optimi sunt duo quam unus, quibus est merces bona labor ipsorum; quia si ceciderit unus, alter erigit socium suum. Væ illi uni cum ceciderit, quia non habet qui erigat illum* (*Ibid.*, 9, 10): ostendens quia caro quæ concordiam et societatem sancti Spiritus habere meruerit, cum in mortem ceciderit, ab eodem Spiritu erigatur in vitam et gloriam sempiternam. Et ideo, væ uni illi dixit; quia cum ceciderit, non habet qui erigat eum: id est, quia caro quæ consortium Spiritus per infidelitatem suam non meruerit habere, non in vitam æternam erigitur, sed in pœnam perpetuam suscitatur ab eo qui judex vivorum et mortuorum est: cui est laus et gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

54 TRACTATUS IX [c].

In caput v Evangelii S. Matthæi.

I. Deinde ait: *Audistis, quia dictum est antiquis: Non mæchaberis. Ego autem dico vobis: Si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est in corde suo* (*Matth.* v, 27, 28). Non immerito sanctus David ait, dicendo: *Tu mandasti mandata*

[a] Apud Galland.: TRACTATUS VII *in S. Matthæi Evangelium*.

[b] Al. *plenior*

[c] Apud Galland.: TRACTATUS VIII *in S. Matthæi Evangelium*.

tua custodiri nimis (*Ps*. CXVIII, 4). Adeo *nimis*, quia non solum adulterium, sed etiam concupiscentia reus teneatur ad crimen. Lex adulterium damnat, Evangelium vero etiam concupiscentiam punit, quæ radix est adulterii. Unde per Salomonem, multis locis id ipsum Spiritus sanctus contestatur, dicendo : *Post concupiscentias tuas non eas, et a voluptate tua vetare ; quia si dederis animæ tuæ concupiscentiam, tradet te in gaudium inimicis tuis et invidis tuis* (*Eccl*. XVIII, 30, 31). Et iterum : *Ne des fornicariis animam tuam in ullo, ne perdas te et hæreditatem tuam. Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius. Averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspexeris speciem alienam* (*Eccli*. IX, 6, 8). Et postea addidit : *Speciem alienæ mulieris multi admirantes reprobati sunt : colloquium enim illius quasi ignis ardescit* (*Ibid*., 11). Bene dixit, *quasi ignis ardescit :* quia in hujusmodi mulieris colloquio desiderium libidinis quasi ignis accenditur. Unde vitare debes talem mulierem, ne te flamma cupiditatis **55** exurat. Ideo et Salomon ait : *Non te vincat formæ desiderium, neque capiaris oculis tuis, neque rapiaris palpebris tuis* (*Prov*. VI, 25 *sec*. LXX). Et iterum ait : *Aufer a me ventris concubitus* [a] *concupiscentiam, et concubitus concupiscentiæ non apprehendat me, et animæ irreverenti et* [b] *infrenatæ ne tradideris me* (*Eccli*. XXIII, 6). Audiamus et beatum Job, qui se in omnibus virum evangelicum præbuit, et mandatum Domini, antequam audiret, implevit, id ipsum de se contestari, cum dicit : *Si deflexit pes meus de via, et secutum est cor meum oculum meum, si manibus meis tetigi munera, alii fructus meos edant : si secutum est cor meum uxorem alienam, aut si assiduus fui ad illam, placeat et uxor mea alteri Ira enim furoris est et immundi spiritus, commaculare mulierem viri : ignis est ardens* (*Job*. XXXI, 7, 12). Unde, quia grave peccatum est adulterium, ad exstirpandam radicem peccati ipsius, ne conscientia nostra maculetur, etiam concupiscentiam interdixit, quæ est adulterii origo, secundum quod beatus Jacobus in Epistola sua refert : *Concupiscentia*, inquit, *parit peccatum, peccati autem concupiscentia acquirit mortem* (*Jac*. I, 15). Idcirco et per David Spiritus sanctus de hoc ipso ita loquitur : *Beatus*, inquit, *qui tenebit, et allidet parvulos suos ad petram* (*Ps*. CXXXVI, 9). Hunc beatum et vere evangelicum virum ostendens, qui desideria et concupiscentias carnis per infirmitatem **56** humanam nascentes, statim antequam crescant, in ipso nativitatis exordio, per fidem Christi qui *petra* dictus est, enecaverit (I *Cor*. X, 4).

II. Deinde ait : *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus eat in gehennam. Et si manus tua*, inquit, *scandalizat te, abscinde eam, et projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum* A *membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam* (*Matth*. XXIX, 29, 30). Non oculum mihi vel manum corporis humani significat, sed oculum vel manum cordis : id est, sensum malæ concupiscentiæ et carnalis desiderii abscindi de cordibus præcipit, unde omnia mala procedere ipse Dominus in Evangelio manifestat, dicendo : *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidium, adulterium, blasphemiæ, falsa testimonia, et cætera quæ coinquinant hominem* (*Matth*. XV, 19, 20). Verum, corpus detruncare nihil proficit ad malæ mentis emendationem, in qua totus gurges est vitiorum. Denique videmus multos orbatos oculis vel corpore debilitatos, a vitiis tamen non cessare. Unde hæc magis membra vitiorum, malæ mentis, et pravæ cogitationis exscindere B nos Dominus præcipit, propter Regnum cœlorum : ne dominantibus vitiis, et corpus et anima, id est, totus homo reus efficiatur ignis æterni. Quidam autem hoc de filiis vel proximis intelligendum esse existimant, qui nobis velut oculi capitis chari sunt ac dilecti ; **57** ut si forte aliqui de hujusmodi fidei ac spei nostræ contrarii existentes scandalum generaverint, abjiciantur a nobis, et ut inimici salutis habeantur : ne cum ejusmodi hominibus perfidis et blasphemis unusquisque nostrum sociatus, pari pœna damnetur.

III. Sed quia corporis mentio facta est, rectius id magis de corpore Ecclesiæ potest intelligi : in quo oculus, velut pretiosum membrum, episcopus significatus agnoscitur, qui lumine mandati divini totum C corpus illuminat. De hoc ergo dictum recte intelligitur : *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam* : ut si forte hujusmodi oculus, id est episcopus, per pravam fidem et turpem conversationem Ecclesiæ scandalum fuerit, eruendum eum esse, id est abjiciendum a corpore Ecclesiæ præcipit, ne peccato ipsius reus populus teneatur. Scriptum est enim quia *modicum fermentum totam massam corrumpit* (I *Cor*. V, 6). Et iterum : *Auferte malum de vobis ipsis* (*Ibid*., 13). In manu vero presbyter significatus intelligitur : qui si et ipse pravam fidem tenens aut non recte vivens, scandalum populo fecerit, abscindi eum Dominus jubet ; id est abjici, ne pec- D cato ipsius Ecclesia maculetur, cum Ecclesia juxta Apostolum *sancta et immaculata* esse debeat (*Ephes*. V, 27), per Christum Dominum nostrum qui est benedictus in sæcula. Amen.

58 TRACTATUS X [c].

In caput V Evangelii S. Matthæi.

I. Dehinc sequitur : *Audistis, quia dictum est antiquis : Qui dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii. Ego autem dico vobis : Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam*

[a] In Basileen. prima, et altera Grynæi, *ventris concupiscentiam*.

[b] *Infrenatæ*. Vulg. *animo..... infrunito*. Paulo ante apud LXX. Prov. VI, 25, μηδὲ συναρπασθῇς ἀπὸ τῶν αὐτῆς βλεφάρων. *Neque abripiaris ab* EJUS *palpebris*. Sic et Vulg.

[c] Apud Galland.: TRACTATUS IX *in S. Matthæi Evangelium*.

A *mœchari* (*Matth.* v, 31, 32). In omnibus Dominus ac Salvator noster legis antiquæ jura reformat in melius. Jamdudum quidem populo Judaico illicite viventi ac suis voluptatibus servienti, per Moysen repudii dandi quacumque de causa indulta videbatur licentia; non quod ita legis ratio postularet, sed quia populi carnalis effrenata voluptas secundum rigorem disciplinæ justitiam legis tenere non posset. Idcirco hæc permissa facultas est, secundum quod alio in loco ipse Dominus responso suo, adhuc eis requirentibus, manifestat. Nam cum dicerent, cur Moyses permisisset dari libellum repudii, respondit Dominus dicens: *Ad duritiam cordis vestri scripsit hoc Moyses, dari libellum repudii; ab initio autem non fuit sic* (*Matth.* xix, 8). Unde nunc non immerito Dominus ac Salvator noster, sublata illa B licentia, antiquæ constitutionis suæ præcepta restaurat. Jubet namque matrimonii castum conjugium indissolubili lege servari, ostendens conjugii legem a se esse primitus institutam. Ipse enim ait: *Quod ergo Deus conjunxit in unum, homo non* **59** *separet.* Quo dicto et [a] passivam Judæorum licentiam, et stultam ac miserabilem Manichæorum præsumptionem, qui negant a Deo esse conjugia, hujus sententiæ pronuntiatione damnavit, dicens, *excepta causa fornicationis* uxorem non licere dimitti: aperte demonstrans, eum contra Dei agere voluntatem, qui matrimonium a Deo junctum illicita divortii separatione temerare præsumpserit. Unde non ignoreut, quam grave apud Deum damnationis crimen incurrant, qui per effrenatam libidinis voluptatem C (absque fornicationis causa) dimissis uxoribus, in alia volunt transire conjugia. Quod idcirco se credunt impune committere, quia humanis et sæculi legibus id videtur permissum, nescientes, in hoc se gravius ac magis delinquere, quia humanas leges divinis præferant; ut quod illicitum Deus esse constituit, ideo licitum credant quia ab homine sit libere permissum. Sed sicuti uxorem caste ac pure viventem dimittere fas non est; ita quoque adulteram dimittere permissum est, quia ipsa mariti consortio fecit se indignam, quæ in corpus suum peccando, Dei templum ausa est violare.

II. Dehinc ait: *Audistis, quia dictum est antiquis: Non pejerabis: reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino: neque per* D *cœlum, quia thronus Dei est:* **60** *neque per terram, quia scabellum est pedum ejus: neque per Hierosolymam, quia civitas est Regis magni: neque per caput tuum jurabis, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester: est, est; non, non: quod autem abundantius est, a malo est* (*Matth.* v, 33-37). Per gratiam doctrinæ evangelicæ lex per Moysen data profectum accepit. In lege præceptum est, non esse pejerandum: in Evangelio vero nec jurandum. Quod ipsum olim per Salomonem præcipere Spiritus sanctus præmeditabatur, dicendo: *Jurationi non assuescat os tuum* (*Eccli.* xxxiii, 9). Et iterum: *Sicut autem servus flagellatus assidue, a livore non minuitur; sic omnis jurans et* [b] *negotians, a peccato non purgabitur* (*Ibid.*, 11). Unde jurare nos prorsus non convenit. Quid enim unicuique nostrum jurare necesse est, cum nobis mentiri omnino non liceat; quorum verba ita vera semper, ita debent esse fidelissima, ut pro juramento habeantur? Et idcirco Dominus non solum pejerare, sed etiam jurare nos prohibet; ne tunc tantum videamur verum dicere, cum juramus; ne quos veraces in omni sermone esse constituit, putaremus sine juramento licitum esse mentiri. Juramenti enim hæc causa est, quia omnis qui jurat, ad hoc jurat, ut quod verum est eloquatur. Et ideo Dominus inter juramentum et loquelam nostram nullam vult **61** esse distantiam: quia sicut in juramento nullam convenit esse perfidiam, ita quoque in verbis nostris nullum debet esse mendacium, quia utrumque, et perjurium et mendacium, divini judicii pœna damnatur, dicente Scriptura: *Os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* i, 11). Quisquis ergo verum loquitur, jurat; quia scriptum est: *Testis fidelis non mentitur* (*Prov.* xiv, 5). Unde non immerito Deum nostrum jurare sæpe Scriptura divina commemorat, quia a Deo, qui verax est et mentiri nescit, quidquid dicitur, pro juramento habetur, quia verum est omne quod loquitur. Invenimus quidem aliquoties Deum jurantem, sed propter Judaicæ infidelitatis perfidiam, qui putant omne verum non nisi in fide juramenti consistere. Idcirco ergo etiam Deus jurare voluit, ut qui loquenti Deo non credebant, crederent vel juranti.

III. Ait ergo Dominus: *Audistis, quia dictum est antiquis: Non pejerabis. Ego autem dico vobis, non jurare omnino: neque per cœlum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum ejus: neque per Hierosolymam, quia civitas est magni Regis.* In his Domini dictis, quibus per hujusmodi elementa jurare nos prohibet, duplex intelligentia est. Primum enim voluit a nobis et usum jurationis, et consuetudinem humani erroris auferre; ne unusquisque nostrum per hæc elementa jurando, creaturam in honore divinæ venerationis haberet; aut idcirco impunitatem perjurii **62** habere se crederet, si per mundi elementa juraret, cum scriptum sit: *Nec juravit proximo suo in dolum* (*Psal.* xxiii, 4). In quo etiam errorem tam Judaicæ infidelitatis, quam etiam generis humani condemnat, qui relicto creatore, creaturam sub divina veneratione habuerunt, secundum quod Apostolus retulit: *Et coluerunt, et servierunt creaturæ, potius quam creatori* (*Rom.* i, 25). Deinde etiam hoc modo potest intelligi; quia cum juratur per cœlum et terram, juratur per eum qui cœlum et terram constituit, secundum quod ipse Dominus alio loco manifestavit, dicendo: *Qui jurat in altari, jurat in eo et in omnibus quæ super illud*

[a] *Passivam* Mendosæ. Leg. *pessimam* aut *pravam*.

[b] *Negotians*. Gr. ὀνομάζων, *nominans*. Paulo ante pro *flagellatus*, ibid. ἐξεταζόμενος, *interrogatus*. Neque aliter Vulg.

sunt : et qui jurat [a] *in throno Dei, jurat in eo, et in* A *omnibus quæ super illud sunt : et qui jurat in throno Dei, jurat in eo, et in eo qui habitat in ipso* (*Matth.* XXIII, 20). *Neque*, inquit, *per Hierosolymam, quia civitas est magni Regis :* id est typus corporis Christi, quod est spiritalis illa et cœlestis Ecclesia. *Neque*, inquit, *per caput tuum jurabis*, quia secundum Apostolum : *Caput viri Christus est* (I *Cor.* XI, 3). Unde qui per hæc jurat, per eum qui omnium horum auctor est, jurat. *Sit ergo*, inquit, *sermo vester : est, est; non, non : quod autem abundantius est, a malo est :* docens, quod omnis sermo a nobis prolatus nihil aliud quam quod verum est debeat continere; cum omne mendacium (id est, quod amplius est), ad auctorem diabolum revocetur, qui semper *ab initio mendax est*, **63** *sicut et pater ejus* (*Joan.* VIII, 44). Unde semper, quod verum est, loqui et meditari debemus, ut discipulos nos esse ejus qui veritas est ostendamus, qui est benedictus in sæcula.

[b] TRACTATUS XI.

In caput V *Evangelii S. Matthæi.*

I. Dehinc sequitur : *Audistis, quia dictum est antiquis : Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis : Non resistere malo : sed si quis te percusserit in maxillam dexteram, præbe illi et sinistram : et ei qui vult tecum judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium* (*Matth.* V, 38, 40). Ad omne nos exemplum patientiæ et humilitatis Dominus per evangelica præcepta conformat. Jam dudum jussum fuerat in lege, si quis iracundiæ furore commotus, vel oculum vel dentem alterius eruisset; ipse quoque simili pœnæ atque eidem damno subjaceret. In quo præcepto, et justitia legis ostensa est, et insolentis populi sub hoc terrore temeritas refrenata est : ut quia metum futuri judicii non habebant, saltem vel præsentis vindictæ pœna eos a scelere prohiberet. Hi vero qui secundum fidem evangelicam vivunt, retributionem vindictæ istius non requirunt, quibus omnis spes retributionis et vindictæ in futuro servatur. Et idcirco Dominus in Evangelio non solum vicem nos injuriæ reddere non jubet, sed percussos in dexteram maxillam, **64** etiam aliam præcipit præbere, si hoc ira percutientis exegerit. Hoc enim ait : *Qui te percutit in dexteram maxillam, præbe ei et sinistram.* Hoc est enim [c] vere fide vivere, non præsentem ultionem, sed futuram vindictam expetere ab eo qui ait : *Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus* (*Deut.* XXXII, 35; *Rom.* XII, 19). Hunc talem evangelicum virum, qui percussus in maxillam libenter alteram præbet, Hieremias evidenter ostendit cum dicit : *Bonum est viro cum portaverit jugum grave in juventute sua. Sedebit singulariter et tacebit, quia portavit jugum grave. Dabit percutiendam maxillam suam, et satiabitur in opprobrio* (*Thren.* III, 27-29). In quo manifeste eum utique ostendit beatum virum, qui sub hoc jugo evangelicæ legis vivens, ab omni persequentis injuria se non avertit. Hujusmodi enim meditatio tolerantiæ, ducit ad passionem martyrii. Facile enim etiam persecutionis tempore pœnas corporis poterit sustinere, si in pace ante exercitatus, hujusmodi injurias æquanimiter ac libenter suscipiat. Nec sane convenit Christiano vicem injuriæ reddere, ne similis ei, cui vicem restituit, judicetur. Si enim malum est injuriam facere, non est alienus a culpa qui vicem malam rependit, ac per hoc non potest bonus haberi qui malum imitatur.

II. Non solum autem maxillam præbendam percutienti Dominus præcipit, sed et damna subiri. **65**
Hoc enim addidit : *Et qui vult tecum judicio contendere et tunicam tuam tollere, remitte ei et pallium.* B Post corporalis enim injuriæ tolerantiam, vult nos Dominus etiam rerum sæcularium habere contemptum : et usque adeo ab omni lite vel contentione judicii esse summotos, ut si forte calumniator vel tentator existens, ad probandam fidem nostram litem moveat volens auferre quæ nostra sunt, non solum hæc quæ injuste expetit, sed etiam illa quæ non postulat, sponte nos Dominus jubet offerre. Quia si unusquisque propter calumniam litigantis hæc quæ sunt parva contempserit, per ejusmodi exercitationem eruditus, facile poterit etiam in persecutione universa quæ sunt [d] hujusmodi contemnere. Perfecta enim fides ista et perfecta victoria est contra injuriam facientem, si etiam ea quæ non postulat offerantur.

C III. Deinde ait : *Quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo adhuc alia duo* (*Matth.* V, 41). Ad omne devotionis opus impigros nos esse præcipit Dominus, ac paratos. Bonum enim nostrum vult non tam necessitatis esse, quam [e] propriæ voluntatis; ut dum amplius ex nobis facimus quam ab aliis postulamur, majoris mercedis gloriam consequamur. Integræ enim charitatis ac perfectæ devotionis officium est, plus **66** sponte præstare quam petieris. Hunc sensum quidam etiam spiritaliter intelligendum crediderunt, ut qui angariatus fuerit mille passus, vadat cum eo adhuc alia duo : id est, ut quicumque infidelis, vel nec dum cognitionem veritatis consecutus, de uno Deo Patre rerum omnium conditore, velut per iter legis ingressus, fecerit mentionem, D vadas cum illo adhuc alia duo; id est, ut post Patris professionem, per viam veritatis hunc eumdem usque ad cognitionem Filii et Spiritus sancti perducas, ostendens illi, non solum Patrem, sed et Filium et Spiritum sanctum esse credendum.

IV. Denique sequitur : *Et, qui petit a te, da ei* (*Ibid.*, 42). Id est, ut post cognitionem Trinitatis, donum gratiæ cœlestis prompto animo tribuamus. Vel certe misericordiam postulantibus, tribuamus secundum quod possumus; ut ipsi quod a Deo peti-

[a] *In throno Dei... in throno Dei.* Aliter textus et Vulgata versio.

[b] Apud Galland. : TRACTATUS X *in S. Matthæi Evangelium.*

[c] *Vere.* An *vera?* Sed nihil mutamus.

[d] *Hujusmodi.* Legendum videtur, *hujusmundi.*

[e] *Propriæ.* An *promptæ?*

mus, præcedente merito, facilius impetrare possimus ab eo qui ait: *Petite, et dabitur vobis* (*Matth.* VII, 7). Verum si eos qui nos petunt despiciamus, qua fiducia Deum nobis, quod petimus, præstare credimus? dicente Scriptura: *Vide, ne avertas faciem tuam ab ullo paupere; ita fiet, ut nec a te avertatur facies Dei* (*Tob.* IV, 7). *Et omni*, inquit, *volenti mutuari a te, ne avertaris* (*Matth.* V, 42). Jubemur per omnia religionem pietatis ac fidei custodire, ut necessitatem tribulationis alterius quasi propriam computemus, nec pluris facultatem quam fratrem faciamus. Et ideo vel petentibus fratribus, vel mutuo in necessitate **67** postulantibus, religioso animo et pio affectu communicare debemus, exspectantes mercedem retributionis æternæ, secundum quod David ait: *Jucundus vir qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio* (*Psal.* CXI, 5). Et iterum: *Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi* (*Ibid.*, 9). Unde et sanctus Job, cujus exemplum sequi nos convenit, hæc ipsa evangelica præcepta implevisse se ita commemorat, dicendo: *Quod si missum feci inopem, exire januam meam nudo sinu: quod si cautionem cujusquam habui, et non disrupi; et si credidi, nihil accepi a debitore meo; aut si mei causa umquam terra gemuit, aut sulci ejus ploraverunt simul: aut si fructus ejus manducavi solus sine pretio: aut si animam Domini terræ decipiens contristavi* (*Job.* XXXI, 34-40, *sec.* LXX). Quæ omnia Job idcirco fideliter implevit, quia mercedem ab eo exspectabat, qui retributor est æternorum bonorum: cui laus et gloria in sæcula. Amen.

TRACTATUS XII *.

In caput V *et* VI *Evangelii S. Matthæi.*

I. Dehinc sequitur: *Audistis, quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, et odies inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui vos oderunt, et orate pro calumniantibus et persequentibus vos: ut sitis filii Patris vestri, qui solem suum oriri jubet supra bonos et malos*, **68** *et pluit super justos et injustos* (*Matth.* V, 43-45). Per omnia vult nos Dominus in præceptis suis esse perfectos. Jam dudum quidem in Lege præceptum est: *Diliges amicos, et odies inimicos* (*Levit.* XIX, 18): sed populo terreno et carnali secundum tempus data sunt ista præcepta, sicuti et illud; *Oculum pro oculo, dentem pro dente* (*Exod.* XXI, 23; *Levit.* XXIV, 20; *Deut.* XIX, 20). Nunc autem evangelico populo traduntur præcepta cœlestis ac perfectæ justitiæ, ut inimicos diligamus, odientes amemus, pro calumniantibus ac persequentibus nos oremus, ut vere filii Dei esse mereamur, qui pro misericordia sua indiscrete super bonos ac malos, justos ac injustos, vitæ præsentis beneficia cœlestia ac dona largitur. Ad hujusmodi præcepta evangelica custodienda etiam per Isaiam hortatur nos Spiritus sanctus: *Audite verbum Domini, qui timetis nomen ejus: dicite, Fra-*

A *tres nostri estis, his qui vos oderunt et abominantur; nomen Domini magnificetur, et appareat illis in jucunditate eorum, et illi confundantur* (*Isai.* LXVI, 5). Unde non immerito David in Psalmo ita testatur, dicens: *Domine Deus meus, si feci hæc: si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis* (*Psal.* VII, 4). Beatus quoque Job id ipsum ita commemorat, dicens: *Quod si gavisus sum in delicto inimici mei: si dixi in corde meo, bene factum est: audiat auris mea maledictionem* (*Job.* XXXI, 29, 30, *sec.* LXX). Hæc autem evangelicæ gratiæ præcepta, quæ nunc ad salutem hominum data sunt, invenimus per mandata Legis in animalibus formata, cum dicitur: *Si*, inquit, *videris* **69** *boves inimici tui sub onere ruisse, non transies, sed elevabis*
B *cum eo* (*Exod.* XXIII, 5; *Deut.* XXII, 4): ut jam nunc in lege Moysis unusquisque in animalibus disceret, quod quandoque secundum Evangelium facturus esset in homine.

II. Et merito sequitur: *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum: quid amplius facitis? nonne et ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester, qui in cœlis est, perfectus est* (*Matth.* V, 46, 48). Ostendit Dominus meritum nos perfectæ dilectionis habere non posse, si eos tantum diligamus a quibus vicem nobis rependi dilectionis mutuæ noverimus, cum hujusmodi dilectionem etiam gentibus ac peccatoribus sciamus esse communem. Unde vult nos Domi-
C nus communem legem dilectionis humanæ lege dilectionis evangelicæ superare; ut non solum circa eos qui nos diligunt, sed etiam circa inimicos et odientes amoris nostri ostendamus affectum, ut veræ pietatis ac bonitatis paternæ in hoc imitemur exemplum.

III. Et addidit: *Attendite ne justitiam vestram coram hominibus faciatis, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis a Patre vestro, qui in cœlis est* (*Matth.* VI, 1). Ab omni jactantia inanis gloriæ atque humanæ cupiditatis vult nos esse Dominus alienos, ut opus justitiæ nostræ non hoc studio faciamus quo hominibus placere velimus, **70** sed soli Deo a quo exspectamus meriti nostri mercedem. Amittit enim meritum justitiæ apud Deum, qui idcirco juste vult
D vivere ut gloriam humanæ laudis acquirat. Unde Apostolus ait: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem* (*Coloss.* I, 10).

IV. Dehinc ait: *Cum autem facis eleemosynam, noli tuba canere ante te sicut hypocritæ faciunt, qui amant stare in synagogis et in plateis ut honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua; ut sit eleemosyna tua in abscondo; et Pater tuus, qui videt in absconso, reddet tibi* (*Matth.* VI, 2-4). In omnibus nos Dominus ad perfectæ fidei gloriam doctrina cœlesti conformat.

* Apud Galland.: TRACTATUS XI, *in S. Matthæi Evangelium.*

Superius docuit, opus justitiæ, non propter homines, A sed propter Deum esse faciendum. Nunc quoque jubemur, eleemosynam facientes, tuba canere non debere : id est, non promulgare quod facimus; quia non est devotæ mentis, idcirco in Dei rebus aliquid operari, ut gloriam humanæ laudis exspectet. Plerique enim ideo aliquid in usus pauperum largiuntur, ut inanem laudem hominum et famam sæculi de facultate mereantur : quos operis sui mercedem in hoc sæculo recepisse Dominus manifestat; quia dum hanc gloriam sæculi quærunt, mercedem futuræ promissionis amittunt.

71 V. Et ideo addidit Dominus : *Ut sit eleemosyna tua in abscondo; et Pater tuus qui videt in abscondo, reddet tibi* : volens opus misericordiæ non esse publicum, sed occultum; id est, ut non propter homi- B num laudem, sed propter Deum tantum operemur, a quo exspectamus gloriam et futuræ benedictionis mercedem. Hujus autem fidelis operis eleemosynam sub religiosæ taciturnitatis silentio Salomon, Ecclesiam collaudans, olim protestatus est, dicens : *Speciosæ sunt genæ tuæ, præter taciturnitatem* (*Cant.* vi, 6). Hanc scilicet taciturnitatem, de qua ait Dominus : *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua* (*Matth.* vi, 3). Sed non hic Dominus de humani corporis manibus loquitur, quibus nec videndi, nec loquendi ullus est sensus : sed in manu dextera vel sinistra, aut opus aut homines significantur. Denique scriptum legimus in libris Regnorum, manu homines significari, cum dicitur : *Nonne decem mihi manus sunt in Israel?* id est, decem tribus Israel. Unde C non dubium est, in dextera manu justos significari; in sinistra vero peccatores intelligi, secundum quod Salomon retulit : *Partes dexteriores novit Dominus; perversæ autem sunt, quæ sunt a sinistris* (*Prov.* iv, 27). Hujus autem dexteræ ac sinistræ intelligentiam Dominus in Evangelio apertissime manifestat, cum justos a dextris, peccatores vero a sinistris collocandos esse declarat. Hæc ergo dextera justorum, si quid secundum præceptum Domini operatur, jubetur sinistra nescire : id est, ut quod religiose ac fideliter **72** operamur, in conspectu peccatorum et infidelium hominum non jactemus. Verum si quid non humanæ laudis studio, etiam coram religiosis fratribus fideliter faceremus, non potest opus devotionis ac fidei a fratribus jactantia judicari ante Do- D minum ac Salvatorem nostrum, qui est benedictus in sæcula. Amen.

TRACTATUS XIII *.

In caput vi *Evangelii* S. *Matthæi*.

I. Deinde ait : *Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ qui amant stare in synagogis, et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus : Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum, et Pater tuus qui videt in abscondo, reddet tibi* (*Matth.* vi, 5, 6). Ad omnem nos justitiæ cœlestis ac fidei perfectionem Dominus instruit. Vult enim nos sine hypocrisi, et sine aliquo studio laudis humanæ, omne opus divinæ religionis implere. Prohibemur namque hypocritarum more orationes nostras omnibus jactanter ostendere, ne meritum gratiæ amittamus. Dominus enim, non simulatam ac jactantem, sed simplicem ac fidelem orationem requirit. Et ideo clauso ostio, id est, intra cordis ac conscientiæ ipsius secretum a Domino jubemur orare, ut ab eo qui secretorum et occultorum est cognitor, recipiamus orationis occultæ mercedem. **73** Religiosæ enim mentis est, Deum non clamore vel sono vocis, sed devotione animi ac fide cordis orare, secundum quod David in Psalmo testatur, dicens : *Dicite in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini* (*Psal.* iv, 5). Invenimus denique in libris Regnorum Annam illam sanctissimam (I *Reg.* i, 13), hujus evangelicæ doctrinæ præcepta complentem. Nam cum sine aliquo vocis sono, in cordis sui secreto, in conspectu Domini fideliter orans, desiderii sui preces effunderet, statim exaudiri a Domino meruit. Sic et Danieli, cum tribus pueris occulte semper orantibus, interpretationes somnii et revelationum secreta Dominus scire concessit (*Dan.* i, 17). Cornelius quoque nec dum præceptis evangelicis eruditus, dum in cubiculo suo secreta ac fideliter orat, meruit vocem sancti angeli loquentis audire (*Act.* x, 2, 3). Quid de Jona dicemus, qui non modo non cubiculo, sed utero belluæ clausus, in tantum orans meruit exaudiri, ut de profunda maris et de ventre tam immanis belluæ incolumis ac vivus evaderet (*Jon.* ii)? Exauditus autem a Deo est, non quia voce, sed quia fide clamabat. Et ideo clamore vocis non est opus in oratione ad Deum, quem scimus secreta cordis intueri; sed clamore fidei, ac religiosæ mentis devotione.

II. Unde non immerito in sequentibus Dominus ait: *Orantes autem, nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt : putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo similari eis :* **74** *scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis ab eo* (*Matth.* vi, 7, 8). Ethnici enim homines putant multiloquentia verborum facilius se a Domino impetrare posse quod postulant : sed hoc a nobis Dominus non exspectat. Vult potius ut orationem nostram non verbositate sermonis, sed fide cordis, ac justitiæ meritis commendemus; ei utique, qui melius novit omnia quæ nobis necessaria sunt, et universa quæ postulaturi sumus, antequam loquamur, agnoscit. Quantum denique distet inter multiloquacem, et humilem ac simplicem orationem, in Pharisæo illo et Publicano habemus exemplum. Nam Pharisæi jactantis se in multiloquentia verborum reprobatur oratio : Publicanus vero humilis ac submissus pro peccatis suis veniam postulans, justificatior jactante se Pharisæo descendit (*Luc.* xviii, 10). In quo completum invenimus id quod scriptum est : *Oratio hu-*

* Apud Galland. : TRACTATUS XII *in* S. *Matthæi Evangelium*.

mini dictum intelligimus. Primum, ut non aliud quam quotidianum victum postulemus: non enim jubemur divitias petere aut affluentiam sæcularium rerum, sed panem quotidianum, quod Christianis fide viventibus ad præsentem vitam solummodo necessarium est, dicente Apostolo: *Habentes victum et tegumentum, his contenti sumus* (I *Tim.* VI, 8). Id ipsum quoque et Salomon evidenter ostendit: *Usus*, inquit, *hominis, panis, aqua,* **79** *et vestimentum* (*Eccli.* XXIX, 28). Sed cum dicimus *hodie*, docemur, de præsenti tantum die, non de omni vitæ tempore cogitare, ne mens nostra sæculari sollicitudine occupetur: secundum quod ipse Dominus alio loco aperte demonstrat, dicendo: *Nolite cogitare de crastino, crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi* (*Matth.* VI, 34). Hoc autem spiritaliter nobis præceptum esse debemus advertere, ut panem quotidianum petamus: id est, panem illum cœlestem et spiritalem, quem quotidie ad medelam animæ et spem æternæ salutis accipimus, de quo ait Dominus in Evangelio: *Panis cœlestis, caro mea est, quam ego dabo pro mundi hujus vita* (*Joan.* VI, 52). Et hunc ergo panem quotidie postulare jubemur: id est, ut, præstante Domini misericordia, quotidie panem accipere corporis Domini mereamur. Ait enim sanctus Apostolus: *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane Domini manducet, et de calice bibat* (I *Cor.* XI, 28). Et iterum: *Qui manducat panem Domini indigne, et calicem bibit, reus erit corporis et sanguinis Domini* (*Ibid.*, 29). Unde non immerito semper orare debemus, ut hunc panem cœlestem quotidie mereamur accipere: ne, aliquo interveniente peccato, a corpore Domini separemur.

VI. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12). Justa plane ac necessaria omnibus hæc vox est. Primum, ut peccatores nos esse confiteamur: dehinc, ut sic a Deo nobis oremus dimitti peccata, quemadmodum **80** peccantibus in nos ipsi dimittimus. Quod si minime faciamus, ipsi nos apud Deum reos verbis nostris efficimus, dicente Scriptura: *Laqueus fortis est viro, propria labia* (*Prov.* VI, 2, *sec.* LXX). Unde non immerito et Salomon, dominicæ hujus orationis formam per Spiritum sanctum non ignorans, ante præmonuit, dicendo: *Non mentieris verbum in tua oratione* (*Eccli.* VII, 15). Quis enim audeat, aut quomodo potest Deo in oratione mentiri? Nisi forte is qui secundum dominicam orationem a Deo peccatorum veniam postulans, ipse in se peccantibus non dimittit, non retinens dictum divinum: *Homo homini reservas iram, et a Deo quæris propitiationem? et ipse in hominem similem tibi non habes misericordiam, et Deum pro peccatis exoras* (*Eccli.* XXVIII, 3, 4)? Hoc autem alio in loco ipse Dominus apertissime manifestat, proferens servi illius debitoris exemplum, cui plurimum debenti rogatus dominus debitum omne concesserat; qui cum post indultum de-

A bitum conservo suo debenti sibi nollet ipse dimittere, in carcerem traditus, et damnatus in pœna est (*Matth.* XVIII, 23 *et seqq.*).

VII. Dehinc ait: *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo* (*Matth.* VI, 13). Tentationis hujus duplex ratio, et causa diversa est: quia aliis per peccatum tentatio infertur ad emendationem, aliis ad fidei probationem, aliis infertur ad gloriam, secundum quod beatus Jacobus in Epistola sua testatus est, dicens: *Beatus qui sustinuerit tentationem, quoniam beatus* **81** *factus accipiet coronam vitæ, quam promisit Deus iis qui eum diligunt* (*Jac.* I, 12). Non enim sic oramus, ut tentationem, quam scimus esse utilem, penitus recusemus, dicente sancto David: *Proba me, Domine, et tenta me, ure renes meos et cor* B *meum* (*Psal.* XXV, 2). Cum etiam sanctum Abraham sciamus per tentationem perfectæ fidei gloriam consecutum: beatum quoque Apostolum ad profectum fidei suæ traditum tentationibus legerimus. Qui cum repelli a se tentationis auctorem a Domino postularet, responsum est illi: *Sufficit gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII, 9). Non ergo, ne in toto tentemur, oramus; sed ne, supra quam virtus fidei patitur, tentationi tradamur: quod ipsum in alio libro Evangelii evidenter ostensum est: sic enim scriptum est: *Et ne nos inferas in tentationem* (*Luc.* XI, 4), quam sufferre non possumus. Apostolus quoque, ut id ipsum ostenderet, ita testatus est, dicendo: *Fidelis autem Deus, qui non patitur tentari super id quod potestis, sed facit cum tenta-* C *tione etiam transgressum, ut possitis tolerare* (I *Cor.* X, 13). Et ideo non illam tentationem a nobis auferri, quæ esse potest utilis, deprecamur; sed illam, quæ ad fidei nostræ eversionem modum infirmitatis excedit. Et idcirco congrue ac necessario in fine orationis etiam *liberari* nos postulamus *a malo* (*Matth.* VI, 13), qui fidem nostram diversis tentationibus [a] quotidie expugnare non desinit, a qua nos non immerito quotidiana oratione deprecamur, ne immissionibus ipsius impediti, præcepta divina minime possimus **82** implere. Universa igitur, quæ fidei ac saluti nostræ sunt necessaria, in hac brevitate orationis dominicæ continentur, dum professionem nominis paterni confitemur, dum significationem inesse in nobis ipsius nominis postulamus, dum advenire D regnum Dei petimus, dum voluntatem ejus in nobis fieri deprecamur; dum panem vel terrenum vel cœlestem ad spem salutis nostræ quotidie exoramus, dum peccatorum veniam imploramus, dum gravem tentationem auferri a nobis oramus; postremo dum nos liberari a malo, qui est auctor omnis peccati, indesinenter a Domino postulamus. Quod ipsum futurum olim per Isaiam Spiritus sanctus prænuntiaverat, dicendo: *Quoniam verbum breviatum faciet Dominus per universum orbem terræ* (*Isai.* X, 23). Unde non immerito sequitur: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, remittet vobis Pater vester qui est in cœlis de-*

[a] Ex margine editionis Grynæi, ita, si placet, corrigas: *quotidie oppugnare non desinit, a quo nos*, etc.

licta vestra : si autem non remiseritis hominibus, nec Pater vester remittet vobis peccata vestra (*Matth.* VI, 14, 15). In hoc quod oramus : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris :* sequitur Domini justa sententia, qua ait : *Si non remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester remittet vobis, qui est in cœlis.* Et idcirco ut de remittendis nobis peccatis Dominum confidenter orare possimus, ipsis prius in nos peccantibus remittamus. Unde et Salomon ait : *Remitte proximo tuo peccata, et tibi peccata solventur* (*Eccli.* XXVIII, 5, *sec.* LXX). Quod si infideli animo ac perdurata mente **83** delinquentium in nos peccata teneamus; nos quoque peccatorum veniam accipere non mereri, aperte Dominus manifestat : cui est honor, laus et gloria, una cum Spiritu sancto, ante omnia sæcula, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

TRACTATUS XV [a].

In caput VI Evangelii S. Matthæi.

I. Deinde ait : *Cum jejunatis*, inquit, *nolite fieri, sicut hypocritæ, tristes : exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Vos autem cum jejunatis, ungite caput vestrum, et faciem vestram lavate, ne appareatis hominibus jejunantes, sed Patri vestro qui est in absconso : et Pater vester, qui est in absconso, reddet vobis* (*Matth.* VI, 16, 18). Sicuti in superioribus præceptis, ita quoque circa jejunii observationem, ad perfectæ nos fidei meritum Dominus doctrinæ suæ mandatis instituit; ut non propter humanam gloriam (sicut hypocritæ faciunt), sed propter futuram spem, soli Domino jejunemus, a quo exspectamus humilitatis hujus devotæ mercedem. Verum qui ita jejunant, ut magis hominibus quam Deo placeant; habent quidem laborem de corporis afflictione, sed per inanem gloriam mercedem laboris apud Deum habere non possunt : quia cum solummodo id causa religionis ac fidei agere debeant, humanæ **84** potius laudis gloriam quærere malunt; et ideo ait Dominus : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Et unum quidem propositum videtur esse jejunii; tam ejus qui Deo tantum devota mente jejunat, quam etiam illius qui jejunans hominibus placere desiderat : sed distat gratia jejunantium; quia quamvis utriusque simile propositum videatur atque idem jejunii labor, non tamen idem fructus est nec eadem retributio meritorum. Longe enim differt ille qui propter Deum jejunat, ab eo qui propter homines jejunare proponit : quia huic pro mercede laboris compensatio fit laudis humanæ; illi pro devotione humilitatis, meritum gloriæ in futuro servatur. Sic quoque et orantium habitus, secundum propositum quidem non differre videtur; sed secundum animi fidem et mentis affectum, magna distantia meritorum est [b]. Aliud est enim (ut superius dictum est) sub exspectatione humanæ laudis orare : aliud ad hoc tantum orare, ut orationis suæ a Deo retributore exspectet mercedem. Similis causa est et circa omnem observantiam divinæ religionis.

II. Unde non immerito Dominus omne studium laudis atque humanæ jactantiæ volens a nobis abesse, docet nos quemadmodum ipsi religioso animo ac devota mente placeamus, dicendo : **85** *Vos autem, cum jejunatis, ungite caput vestrum, et faciem vestram lavate, ne appareatis hominibus jejunantes, sed Patri vestro qui est in absconso :* ut, si fieri potest, opus jejunii, et ipsius corporis atque animæ afflictionem vultus hilaritate velemus. Cujus rei exempla, etiam secundum historiam, in Sanctis præterito tempore legimus præostensa. Nam sanctissima Judith, cum magno mœrore pro populo esset afflicta, post solemnitatem triduani jejunii, capite uncto et lota facie, ita internæ afflictionis tristitiam texit, ut simulato gaudio lætari hostibus videretur : ac sic dum per lætitiam vultus jejunium texit, de hoste triumphum victoriæ reportavit [c] (*Judith* XII, 6-10). Similiter Esther sanctissima, dum lota facie et capite uncto, post triduanum jejunium intelligi a rege potuit, Aman illum populi sui inimicum nequissimum interemit (*Esther* IV, 16). Quid de Daniele ac tribus pueris dicemus, qui in tanta abstinentia, inter tot adolescentes qui cibis regalibus pascebantur, soli vultu cæteris gratiores inventi sunt (*Dan.* I, 12 *et* 15)?

III. Sed quia id secundum litteram diximus; quid etiam secundum spiritualem intelligentiam sentiendum sit, debemus advertere. In unctione capitis misericordiam significari cognoscimus. Unde ungere caput, est proximo misericordiam facere : quæ misericordia in pauperem facta, **86** refertur ad Dominum, qui caput viri secundum Apostolum intelligitur, ipso Domino dicente : *Quamdiu uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis* (I *Cor.* XI, 3; *Matth.* XXV, 40). In cujus misericordiæ vice, divina retributione, velut quodam oleo cœlesti perfundimur, ab eo qui ait : *Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus* (*Matth.* V, 7). Novit hanc cœlestis olei in capite unctionem etiam sanctus David, cum dicit : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam* (*Psal.* CXXXII, 2). In facie vero lavanda, emundatio corporis ac sinceræ conscientiæ puritas, significata cognoscitur. Unde lavare faciem, hoc est, ab omni sorde peccatorum et squalore delicti, et faciem cordis nostri et ipsam conscientiam mundam referre, ut vere lætitiam cœlestis gaudii et hilaritatem sancti Spiritus in nobis habere possimus. Ac sic fit, ut dum sub hac fidei devotione Deo potius quam hominibus jejunamus, a Deo, qui occultorum est cognitor, accipiamus retributionis mercedem. Hoc enim ait Do-

[a] Apud Galland. : TRACTATUS XIV, *in S. Matth. Evangelium.*

[b] Hic quoque ex editione prima Basileensi, atque ex altera Grynæi, integra inserta linea, textum justæ lectioni restituimus.

[c] Ex editione prima Basileensi, necnon ex altera Grynæi, textum hunc ad veriorem lectionem redegimus.

minus : *Ne appareatis hominibus jejunantes, sed Patri* A *vestro qui est in absconso : et Pater vester qui est in absconso, reddet vobis.* Si ergo vis caput semper unctum gerere, et mundam faciem cordis habere, juxta Domini dictum, insiste fideliter operibus misericordiæ, insiste devotioni jejunii; ut placere Domino mereari-, cui est gloria in sæcula sæculorum, Amen.

87 TRACTATUS XVI [a].

In caput VI *Evangelii S. Matthæi.*

I. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea exterminant, ubi fures effodiunt et involant. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea exterminant, et ubi fures non effodiunt nec furantur : ubi enim erit thesaurus tuus, illic erit et cor tuum* (*Matth.* VI, 19-21). Prohibet B nos Dominus in terra thesaurizare, ubi omnia infirma sunt et caduca. Contrarium est enim fidei ac saluti hos terrenos thesauros expetere, divitias sæculi quærere, facultates mundi sectari, quas possunt et tineæ corrumpere, et ærugo absumere, et fures rapere. Quia quicumque magis in terra thesaurizare voluerint, quam in cœlo, thesauros illos æternæ et cœlestis vitæ habere non possunt, dicente ipso Domino : *Quoniam dives difficile intrabit in Regnum cœlorum* (*Matth.* XIX, 23). Similiter et Apostolus : *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et muscipulam diaboli* (I *Tim.* VI, 9). Recordemur illius divitis, qui omnem gloriam suam in sæculi thesauris atque in redituum suorum ubertate constituit : qui cum propter affluentiam frugum de ampliandis hor- C reis cogitaret, atque animæ suæ delicias opum, et securitatem longæ vitæ promitteret; non dicam subripiente fure hæc quæ congregaverat perdidit; sed ipsam animam sub **88** eadem nocte, cui thesaurizabat, amisit (*Luc.* XII, 16-20). Unde non immerito David ipse testatus est, dicens : *Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea* (*Psal.* XXXVIII, 7). Cogitemus et illum adolescentem; qui cum prope omnia præcepta legis implesset; quia thesauros magis terrenos habuit quam cœlestes, vitæ æternæ thesauros obtinere non potuit (*Matth.* XIX, 21). Et idcirco bene David ait : *Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere : divitiæ si affluant, nolite cor apponere* (*Psal.* LXI, 11).

II. Quapropter vult nos Dominus thesauros no- D stros, non in terra ubi perire possunt, sed in cœlo recondere, ubi nulla adversa dominantur, ubi fures non effodiunt, id est, diabolus et angeli ejus, nec ærugo exterminat, id est, peccata dominantur. Quemadmodum autem hunc thesaurum in cœlo reponere debeamus ipse Dominus in Evangelio manifestat, dicendo ad illum adolescentem : *Vade, vende omnia quæ habes, da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo* (*Matth.* XIX, 21). Hujusmodi ergo thesauros, qui æterni sunt et incorrupti, qui perire non possunt, per opera justitiæ, per pietatis ac misericordiæ merita, jubemur in cœlo recondere. In cœlo enim reconditur, quidquid (secundum fidem Scripturæ) in usum pauperum fideliter erogatur, dicente Scriptura : *Qui dat pauperi, Deo fenerat* (*Prov.* XIX, 17). Unde et sub Apostolis credentes, memores hujus dominici præcepti, thesaurizasse sibi invenimus in cœlo; quia, venditis universis rebus suis, terrenos thesauros ad regna cœlestia transtulerunt (*Act.* IV, 34).

89 III. Et ideo addidit Dominus, dicens : *Ubi fuerit thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum* (*Matth.* VI, 21). Qui in cœlo semper bonis operibus thesaurizamus, ubi omnis spes et salus est nostra, ubi nobis vita æterna reposita est, in terra licet positi, cor tamen in cœlo semper habemus. Verum, non potest cor in cœlis habere qui, cupiditate sæculi captus, thesaurizare sibi magis in terra maluerit. Merito et sanctus Apostolus etiam divites sæculi, quemadmodum hunc thesaurum cœlestem consequi possint, hortatur, dicens : *Divitibus hujus sæculi præcipe, non superbe sapere, neque ponere in incertum divitiarum spem suam, sed in Deum vivum, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum : bene faciant, divites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent, thesaurizent sibi in futurum, ut apprehendant veram vitam* (I *Tim.* VI, 17-19), ab eo qui auctor est vitæ et immortalitatis æternæ : cui est laus et gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

TRACTATUS XVII. [b]

In caput VI *Evangelii S. Matthæi.*

I. Deinde ait : *Lucerna*, inquit, *corporis tui est oculus tuus : si oculus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum est; si autem oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum est. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt; tenebræ ipsæ quantæ sunt* (*Matth.* VI, 22, 24)? Lucerna corporis, **90** sensus mentis, et fides cordis intelligitur : quæ si in nobis pura et lucida fuerit, sine dubio omne corpus nostrum illuminat. Idcirco autem lucerna in comparatione fidei ponitur, quia sicut lucerna incedentium in nocte gressus illuminat, ne aut in foveas, aut in offendicula quæque ambulantes incurrant : ita in hac sæculi nocte splendor fidei omnes vitæ nostræ gressus, præeunte lumine veritatis, illuminat; ne aut in foveas peccatorum, aut in offendicula diaboli incidamus. Hoc est ergo quod ait Dominus : *Lucerna corporis tui est oculus tuus : si oculus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum est ; si autem oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum est :* ostendens, quia si hæc fides nostra, quæ lucerna corporis vel oculo significatur, in nobis aut peccatorum tenebris, aut perfidiæ obscuritate cæcetur; sine dubio, omne corpus nostrum obscurum tenebrosumque redditur. Quod ipsum S. Joannes ostendit, dicens : *Deus lux est :* Et : *Qui charum habet fratrem suum, ipse est in lumine; qui autem odit fra-*

[a] Apud Galland. : TRACTATUS XV, *in S. Matth. Evangelium.*

[b] Apud Galland. : TRACTATUS XVI, *in S. Matth. Evangelium.*

trem suum, in tenebris ambulat, et nescit ubi ambulat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus (I *Joan.* I, 5; II, 10, 11). Etsi hoc de eo qui fratrem suum odit, secundum dictum Joannis, intelligitur; in quibus tenebris hæreticus demoretur qui, amisso lumine catholicæ veritatis, perfidus ac blasphemus existit, debemus advertere. Et ideo ait Dominus: *Si lumen,* inquit, *quod in te est, tenebræ sunt; tenebræ ipsæ quantæ sunt?* In **91** eo scilicet, qui veritatem in mendacium, fidem in perfidiam demutaverit.

II. Alio autem sensu oculum corporis, qui est membris omnibus pulchrior ac pretiosior, episcopum advertimus significatum, qui clara fidei suæ ac doctrinæ prædicatione, velut oculus quidam, Ecclesiæ corpus illuminat. Qui, si per simplicem fidem ac sanctam conversationem, catholicus et fidelis doctor exstiterit, potest populus cui præest, doctrinæ ac formæ ipsius exemplo, in lumine semper veritatis manere. Verum si is, qui lumen cæteris præbere videtur, per pravam fidem aut per turpem conversationem, nequam et perfidus doctor exstiterit; sine dubio, vitæ ac perfidiæ suæ exemplo, totum corpus potest tenebrosum efficere. Unde non immerito de tali oculo Dominus dicit: *Si lumen quod in te est, tenebræ sunt; tenebræ ipsæ quantæ sunt!* Hoc est, si hujusmodi doctor qui lumen fidei ex se præbere cæteris debet, per hæresim obcæcatus, tenebrosus exstiterit; quantæ in populo illo possint esse tenebræ peccatorum, debemus advertere!

III. Et addidit: *Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odiet, et alterum diliget: aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ* (*Matth.* VI, 24). Non posse unumquemque nostrum duobus dominis servire, id est, Deo et diabolo, Dominus manifeste **92** declarat. Et Deus quidem, quamvis dominus omnium sit, quia omnia ab ipso creata sunt et in omnibus ipse dominatur, potestate, virtute, natura; horum tamen præcipue Dominus esse dignatur, qui Dominum ac Deum suum, conditorem universitatis cognoscentes, præcepta ejus fideli servitute custodiunt. Diabolus vero, horum tamen dominus intelligitur, quos a vero Domino ac parente seducens per peccatum, nequissimæ suæ subjugat servituti, et quibus per iniquitatis suæ opera illicito jure dominatur. Hac ergo de causa et ipse suo loco dominus appellatur, quia hujusmodi stultis hominibus per peccatum dominatur. Et idcirco scriptum est: *Qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII, 34). Sed quia jam per Dei misericordiam visitati, liberati de diaboli dominatione, verum Dominum recognovimus, a quo creati et redempti sumus; priori domino, id est, diabolo, qui nobis more tyrannico dominabatur, servire prohibemur: vel potius avaritiæ et cupiditati, quam mammonam nuncupat, quæ interdum etiam religiosas mentes captivare consuevit. Unde fugere ac vitare debemus cupiditatem pecuniæ, avaritiam sæculi, ne nos indignæ servituti ejus, vel diabolo qui auctor est avaritiæ, subjugemus.

IV. Et hoc est quod ait Dominus: *Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odiet, et alterum amabit, aut unum patietur, et alterum* **93** *contemnet:* quia quicumque ex toto corde Dominum ac Deum suum diligit, necesse est diabolum cum suis actibus oderit; quia in dilectione Dei manifestum est diabolum semper in execrationem haberi. Verum qui, per iniqua opera peccatorum, mammonam vel diabolum diligit, faciendo ipsius voluntatem, Deum amare non potest, cujus præcepta contemnit. Et ideo qui Deum diligit, servus diaboli non potest nuncupari; cui jam ipse per fidem cœlestis gratiæ dominatur. [a] Similiter et qui peccatis deserviens, dominationi se diabolicæ subdit; hujusmodi Deum habere Dominum non meretur. Et ideo ait Dominus: *Non potestis Deo servire et mammonæ:* ostendens nos non posse et Deo servire et diabolo, id est, Deo misericordiæ auctori, et diabolo mammonæ et avaritiæ dominatori. Hoc et Apostolus ostendit, cum dicit: *Quæ societas lucis ad tenebras* (II *Cor.* VI, 14)? Mammona, id est, diabolus, qui auctor est mammonæ. Ille nos ad misericordiam provocat, hic ad avaritiam; ille ad vitam, hic ad mortem; ille ad salutem, hic ad perditionem. Cui de duobus obtemperare debemus? Ei utique qui nos ad vitam invitat, non ei qui nos tradit ad mortem....

Reliqua desiderantur.

[a] Clariorem lectionem hic prætulimus Basileensis primæ, atque Grynæi.

95 DICTA A SANCTO CHROMATIO,

Dum Presbyter esset Aquileiensis Ecclesiæ,

In Concilio Aquileiæ habito, anno 381, sub sancto Valeriano episcopo Aquileiensi, contra Palladium et Secundianum Hæreticos Arianos:

(Ex Gestis ejusdem concilii Aquileiensis, inter Opera sancti Ambrosii editionis Parisiensis BB. S. Mauri 1686, 1690, tomo II, col. 798, § 45, et col. 800, § 51.)

Palladius dixit: Modo vultis tractatum plenum haberi, an non?

CHROMATIUS *presbyter dixit:* Creaturam non negasti, potentem negasti. Omnia negasti, quæ fides catholica profitetur.

Palladius dixit: Auditores veniant.

CHROMATIUS *presbyter dixit:* Salva condemnatione sacerdotali; quin et qui Palladii sunt, [a] etiam nunc in pleno legantur.

[a] Rom. Edit: *etiam nunc audiantur.* Aliæ ac Tell. ut in textu.

97 APPENDIX.

SCRIPTA DEPERDITA SANCTI CHROMATII.

Tractatus procul dubio seu *Commentarios* scripsit sanctus *Chromatius* Aquileiensis episcopus *in Evangelium sancti Matthæi*, ab ipso illius sacri Textus exordio usque saltem ad ejusdem cap. VI, vers. 24, ubi desinit *Tractatus* ultimus, qui superest, in idem Evangelium. Cum *Tractatus* hujusmodi sive *Commentarios* scripserit sanctus noster episcopus, ut privatim legendos traderet ad piam fidelium exercitationem, prout conjecimus in *Præfatione* ex verbis ipsis sancti Præsulis, quæ habentur *Tractatu* 5, num. 2; hinc jure inferimus, eumdem *Tractatus* seu *Commentarios* suos inchoasse ab exordio illius Evangelii, et integros perduxisse, absque ullo hiatu, ad minus usque ad *Tractatum* ultimum quem habemus, qui in hac nostra editione est 17; licet non invite conjectare possimus, eumdem ulterius quoque produxisse opus, et fortasse ad extremum usque versiculum totius Evangelicæ Matthæi historiæ, uti latius in *Præfatione*.

Deperdita itaque merito censentur primo, quæ A scripsit sanctus *Chromatius* ab initio Evangelii sancti Matthæi, usque ad vers. 15 capitis III, ubi incipit *Tractatus* qui in hac nostra editione primus est, quique apud Gallandium, inverso prorsus ordine, 17 numeratur.

Deperdita secundo haberi debent, quæ scripsit sanctus *Chromatius* a versu 17 capitis III ejusdem Evangelii, usque ad initium capitis V, ubi incipit *Tractatus*, qui in nostra editione 3 est, quique perperam apud Gallandium 2 inscribitur.

Atque hæc saltem sunt quæ jure optimo desiderantur ex sancti *Chromatii* Opere *in Evangelium sancti Matthæi*.

Deperditæ tertio sunt epistolæ complures, quas scimus sanctum Præsulem dedisse ad sanctum Ambro- B sium, ad sanctum Hieronymum, ad sanctum Joannem Chrysostomum, necnon ad Honorium et Arcadium Augustos; uti patet ex *Lucubrationibus*, quas subjicimus, clarissimorum virorum Fontanini atque de Rubeis.

99 SCRIPTA S. CHROMATIO FALSO ATTRIBUTA.

MONITUM DE SEQUENTIBUS EPISTOLIS,

Ex Bibliotheca Sancta Sixti Senensis libro II, *pag.* 138 *tomi* I *editionis Neapolitanæ Fr. Pii-Thomæ Milante* 1742.

Matthæus evangelista fingitur esse auctor duorum librorum, quorum alter, *De ortu, sive stirpe Mariæ*, alter *De infantia Salvatoris* inscribitur; qui Valentinianorum et Gnosticorum commenta sunt. His libris inepti quidam auctoritatem asserere cupientes, præfationes addiderunt sub nomine *Chromatii* et Heliodori episcoporum ad Hieronymum, et Hieronymi ad ipsos confictas; quæ utrumque opus testarentur a Hieronymo in gratiam eorumdem episcoporum ex Hebraico Matthæi volumine translatum, et ab Hæreticorum falsationibus expurgatum. Sed cum in his libris, eædem nunc exstent aniles fabulæ, quas Irenæus in primo adversus Valentinianorum hæreses, et Epiphanius primo Panarii, sectione tertia, ex iisdem voluminibus refellunt, palam apparet impostorum deceptio. Gelasius distinct. 15 inter libros ab Ecclesia damnatos utrumque abjicit.

EPISTOLA I.

Sub sanctorum Chromatii *et Heliodori nomine*, *ad sanctum Hieronymum, de duobus apocryphis libris; videlicet*, De ortu Mariæ Reginæ Virginis, et de infantia Salvatoris: *cui accedit Pseudo-Hieronymi gemina responsio*: .

(Ex *Codice Apocrypho Novi Testamenti* Joannis Alberti Fabricii, tomo I, pag. 7 et seqq. editionis secundæ, Hamburgi 1719; atque ex tomo XI *Operum Sancti Hieronymi*, editionis Veronensis Dominici Vallarsii, col. 279 et seq.).

Dilectissimo fratri HIERONYMO presbytero, CHROMATIUS et HELIODORUS episcopi salutem in Domino.

100 Ortum Mariæ reginæ virginis, simul et nativitatem atque infantiam Domini nostri Jesu Christi in apocryphis invenimus libris, in quibus multa con- C traria nostræ fidei considerantes scripta, recusanda credimus universa: ne per occasionem Christi, lætitiam Antichristo traderemus. Ista igitur nobis considerantibus, exstiterunt viri Dei, Armenius et Virinus, qui dicerent sanctitatem tuam beatissimi Matthæi Evangelistæ manu scriptum volumen Hebraicum invenisse, in quo et Virginis matris, et Salvatoris infantia esset scripta: et idcirco tuam charitatem per ipsum Dominum nostrum Jesum Christum expetimus; quatenus et illud ex Hebræo Latinis auribus tradas: non tantum ad percipiendum quæ sunt Christi insignia, quantum ad hæreticorum astutiam exclu- D dendam, qui ut doctrinam malam instituerent, bonam Christi nativitatem suo mendacio miscuerunt, ut post dulcedinem vitæ, mortis amaritudinem oc-

cultarent. Erit ergo purissimæ pietatis, vel ut rogantes fratres exaudias, vel episcopos exigentes charitatis debitum, quod idoneum credideris, recipere facias. Vale in Domino, et ora pro nobis.

A

EPISTOLA II.

HIERONYMI, CHROMATIO ET HELIODORO EPISCOPIS.

Dominis sanctis et beatissimis, CHROMATIO et HELIODORO episcopis, HIERONYMUS exiguus Christi servus in Domino salutem.

Qui terram auri consciam fodit, non illico arripit quidquid fossa profuderit lacerata, sed priusquam fulgens pondus vibrantis jactus ferri suspendat, interim vertendis suspendendisque cespitibus immoratur, et specialiter qui nondum lucris augetur. Arduum opus injungitur, cum hoc fuerit mihi a vestra

B

beatitudine imperatum, quod nec ipse sanctus Matthæus Apostolus et Evangelista voluit in aperto conscribi. Si enim hoc secretum non esset, Evangelio utique ipsius, quod edidit, addidisset: sed fecit hunc libellum Hebraicis litteris obsignatum; **101** quem usque adeo edidit, ut et manu ipsius liber scriptus Hebraicis litteris a viris religiosissimis habeatur, qui etiam a suis prioribus per successus temporum susceperunt. Hunc autem ipsum librum numquam alicui transferendum tradiderunt: textum ejus aliter atque aliter narraverunt.

Sed factum est, ut a Manichæi discipulo, nomine Seleuco, qui etiam Apostolorum gesta falso sermone conscripsit, hic liber editus, non ædificationi, sed destructioni materiam exhibuerit; et quod talis pro-

C

baretur in synodo, cui merito aures Ecclesiæ non paterent. Cessent nunc oblatrantium morsus: non istum libellum canonicis nos superaddidimus Scripturis, sed ad detegendum hæreseos fallaciam, apostoli, atque Evangelistæ scripta transferimus: in quo opere non tam piis jubentibus episcopis obtemperamus, quam impiis hæreticis obviamus. Amor igitur est Christi, cui satisfacimus, credentes quod nos suis orationibus adjuvent, qui ad Salvatoris nostri infantiam sanctam per nostram potuerint obedientiam pervenire.

EPISTOLA III.

EJUSDEM PSEUDO-HIERONYMI AD EOSDEM.

In alia epistola, versioni libri de Nativitate Mariæ *præmissa.*

Petitis a me, ut vobis rescribam, quid mihi de quodam libello videatur, qui de nativitate sanctæ Mariæ a nonnullis habetur. Et ideo scire vos volo, multa in eo falsa inveniri. Quidam namque Seleucus, qui passiones apostolorum conscripsit, hunc libellum composuit. Sed sicut de virtutibus eorum et miraculis per eos factis vera dixit, de doctrina vero eorum plura mentitus est; ita et hic multa non vera de corde suo confinxit. Proinde ut in Hebræo [a] habetur, verbum ex verbo transferre curabo. Si quidem sanctum Evangelistam Matthæum eumdem libellum liquet [b] composuisse, et in capite Evangelii sui Hebraicis litteris obsignatum apposuisse: quod an verum sit, auctori præfationis, et fidei scriptoris committo. Ipse enim, ut hæc dubia esse pronuntio, **102** ita liquido falsa non affirmo. Illud autem libere dico, quod fidelium neminem negaturum puto, sive hæc vera sint, sive ab aliquo conficta, sacrosanctam sanctæ Mariæ nativitatem magna miracula præcessisse, maxima consecuta fuisse: et idcirco salva fide ab his qui Deum ista facere posse credunt sine periculo animæ suæ credi et legi posse. Denique in quantum recordari possum, sensum non verba scriptoris sequens, et nunc eadem semita non eisdem vestigiis incedens, nunc quibusdam diverticulis ad eamdem viam recurrens, sic narrationis stylum tentabo [c]; et non alia dicam, quam quæ aut scripta sunt ibi, aut consequenter scribi potuerunt.

[a] Seleuchi librum videtur affirmare se ex Hebraico translaturum; sed rectius duo hæc distinguit, et Seleuchi librum rejici tamquam impiis additamentis refertum, et alterum Hebraicum tamquam nihil exitiosi habentem probari, licet non ut canonicum, et Matthæi genuinum. *Ex edit. Hieronymiana Vallarsii.*

[b] Si præfationi nempe, ut mox additur, fidem habere velis. *Ibid.*

[c] Fort., *temperabo.* Ibid.

MONITUM DE SEQUENTIBUS EPISTOLIS,

Ex *Tractatione* cardinalis Baronii *De Martyrologio Romano*, cap. VII.

Quod pertinet ad epistolam, Chromatii et Heliodori episcoporum nomine, ad Hieronymum scriptam, in primis ex ejusdem inscriptione imposturam facile deteges, si illorum temporum loquendi generis habueris rationem: dum in ea prædicti episcopi, immo ipsa synodus (synodi enim, quam prætexunt, nomine scribere profitentur) ipsum Hieronymum presbyterum appellant Patrem; cujus nomenclaturæ nullum prorsus penes illorum temporum scriptores exemplum invenies, ut in scriptione litterarum episcopi, vel ipsa synodus presbyterum cujusvis meriti dicant Patrem, cum alioqui et amplissimarum sedium episcopos et patriarchas, nonnisi fratres **103** consueverunt appellare. Habetur mentio in eadem epistola de quodam concilio ex totius Italiæ episcopis Mediolani, Theodosio imperatore præsente, coacto. Verum istud commentum esse non dubites: qui enim fieri potuit, ut tam celebris synodus sic e scriptorum monumentis exciderit, sic silentio fuerit obvoluta, ut nullus illorum temporum scriptorum quorum sane haud exiguus fuit numerus, nec nomine tenus ejus meminerit? Sed hæc manifestiora reddentur, si lucubrationum Hieronymi temporis exacta ratio habeatur. Quando, rogo, volunt illam synodum coram Theodosio Mediolani congregatam? Num cum primum, adversus Maximum tyrannum pugnaturus, Constantinopoli anno decimo sui imperii in Italiam venit? Certe id dici non posse, quæ sanctus Hieronymus scribit, vehementer repugnant: dum enim in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ad calcem, cunctas quas hactenus usque ad annum decimum

quartum ejusdem Theodosii imperatoris elaborasset lucubrationes, recenset, nec verbum quidem de conscripto, vel a se translato libro de Martyribus habet, quem statim post illam synodum scriptum esse, illæ ipsæ recitatæ epistolæ indicant : ex quibus satis apparet, dictam synodum commentitiam ad primum Theodosii Mediolanum adventum non posse referri. Quod si ad secundum adventum ejus (bis tantum post adeptum imperium in Italiam venisse, certum est), quando iterum ad expugnandum Eugenium tyrannum ex Oriente in Italiam descendit, eamdem synodum Mediolani celebratam esse dixerint : certe ratio temporum contradicit. Descendit Theodosius in Italiam cum exercitu anno decimosexto, ac demque ultimo sui imperii, decernensque cum Eugenio, sexta die septembris illum obtinuit, inde Mediolanum se contulit : quæ autem tunc ab eo illic sunt facta usque ad diem 17 Januarii, qua ex hac vita migravit, Ambrosius ea Oratione quam habuit in ejus funere, et alii illorum temporum scriptores exacte describunt ; adeo ut nullum ejusmodi cogendi concilii reliquum esse tempus appareat. Ex his itaque totum illud commentum de litteris ex prædicta synodo datis, aliisque rebus quæ iisdem continentur epistolis, plane clara luce detegitur : ut quod in illis habetur de Gregorio episcopo Cordubensi matutinas ac vespertinas Missas agente : Augustinus etenim qui iisdem temporibus vixit, id tantum quinta feria majoris hebdomadæ in Cœna Domini in Ecclesia catholica fieri **104** consuevisse, testari videtur, scribens ad Januarium epistola 118, cap. 5. Licet sciamus olim temporibus Cypriani, matutinum ac vespertinum sacrificium in Africa offerri, in usu fuisse, ut idem Cyprianus testatur ad Cæcilium scribens epistola 63 editionis Pamelii, quem morem apud Ægyptios tantum perseverasse, auctor est Sozomenus Historiæ libro VII, cap. 19. Quamvis etiam sciamus in concilio Agathensi secundum recentiorum lectionem haberi mentionem de Missis matutinis et vespertinis, et ex eo c. 13, dist. 15. Sed in hæc non obnitimur, cum sciamus ecclesiasticorum rituum diversam fuisse diversorum consuetudinem. Deprehenditur et in eo de Gregorio impostura, dum dicitur ipsum etiam jejunii tempore celebrasse natalitia Martyrum : diversam quippe ab his fuisse Ecclesiæ consuetudinem, testantur antiqui canones, ut concil. Laodic. c. 51, apud Mart. collect. c. 48, et 33, q. 1, Non licet in Quadrag. Quod insuper tam in dicta episcoporum epistola, quam in ea quæ ad eosdem Hieronymi nomine reddita habetur, Eusebius episcopus Cæsareæ sanctitatis elogio commendatur, pro monstro quidem habetur. Etenim etsi olim sanctitatis titulus communior esse videretur, ut non solum (ut hodie) illis tribueretur christianis, qui vita functi in cœlo regnant cum Christo, sed in quibuscumque laudabilioris vitæ fidelibus : datum tamen aliquando homini hæretico, nemo dicere jure poterit. At vero quibus titulis idem Hieronymus Eusebium ipsum nominare consueverit, ab ipso audiamus : qui ad Pammachium scribens epist. 65 hæc de eo : Impietatis Arii apertissimus propugnator est, etc. In fine etiam plura habet in eamdem sententiam. In Apologia adversus Rufinum lib. I hæc de eodem : Eusebius episcopus Cæsariensis, Arianæ quondam signifer factionis. Et lib. II eumdem principem Arianorum appellat. Idem ad Ctesiphontem, agens de scriptis ipsius : Eum, inquit, fuisse Arianum, nemo est qui nesciat. Et ad Minerium epist. 152 ipsum errasse in dogmatum veritate, aperte testatur. Ecce tibi quibus titulis, et quam diversis a præconio sanctitatis Eusebius a Hieronymo nuncupetur : ut ex his saltem liquido cognoscas, alium longe diversum a Hieronymo fuisse epistolæ illius auctorem : quem (etsi aliud non esset, ac cætera de eodem consentirent) ab eo esse longe diversum, ex dicendi stylo, non est qui eam epistolam legens, facillime non cognoscat. Hæc de verbis. Quod si res ipsas in ea conscriptas **105** disquiras, magis magisque imposturam intelliges. Si enim vera sunt, quæ inter Constantinum Augustum et Eusebium acta idem auctor enarrat; quæ tanta modestia in Eusebio, qui suarum laudum egregius prædicator semper est visus, ut illa silentio prætererit, cum eadem sæpius repetendi, quoties agit de libro a se de Martyribus scripto, opportuna se daret occasio ? Consuevit enim ipse res a se cum Constantino gestas narrare, extollere, easdemque sæpius inculcare, ut de Vita Constantini libro II, cap. 44 et 45; libro III, cap. 57, 58, 59 et 60, et libro IV, c. 33, 34, 35. Quod demum auctor (quisquis ille fuerit) in eadem epistola excipit de kalendis Januarii, quasi ea die nullus passus sit martyr ; quam mendax ac frivola ea sit de kalendis exceptio, consule quæ inferius notantur die 1 Januarii B. Hæc jam satis (etsi alia quoque superessent) ad coarguendam prædictarum epistolarum falsitatem sufficere existimamus.

EPISTOLA IV.

Itidem sub sanctorum Chromatii et Heliodori nomine, ad eumdem sanctum Hieronymum, de Natalitiis sanctorum, seu de opere Martyrologii colligendo : cui pariter accedit Pseudo-Hieronymi responsio :

(Ex *Tractatione* cardinalis Baronii *De Martyrologio Romano* ; atque ex tomo XI *Operum Sancti Hieronymi*, editionis Veronensis Dominici Vallarsii, col. 473 et seq.)

EPISTOLA V.

CHROMATII et HELIODORI

EPISCOPORUM AD BEATUM HIERONYMUM,

De opere Martyrologii colligendo.

Domino sancto Patri HIERONYMO, CHROMATIUS et HELIODORUS episcopi, in Domino salutem.

Cum religiosissimus Augustus Theodosius Mediolani urbem esset ingressus, universosque Italiæ episcopos ad se invitasset, et ob causam aliquantulorum episcoporum, qui ex Ariana fæce suas animas inquinassent, inquireret : contigit et nostram parvitatem in eodem adesse concilio. In quo cum dicenda dicta essent, et definienda definita, cœpit

A christianissimus Princeps S. Gregorium Cordubensis Ecclesiæ in eo præferre antistitem, quod omni die, sive non jejunans, matutinas; sive jejunans, vespertinas explicans Missas, eorum martyrum, quorum natalitia essent, plurimorum nomina memoraret. Factumque est, ut omnes statueremus ad tuam scribere charitatem, ut famosissimos feriales de archivio S. Eusebii Cæsareæ Palæstinæ episcopi inquirens, martyrum ad nos dirigas festa : ut possimus hoc officium per tuam sanctam industriam melius perfectiusque ad honorem Dei martyribus exhibere.

106 EPISTOLA VI.

BEATI HIERONYMI AD EOSDEM,

Super eo ipso Responsio.

B CHROMATIO et HELIODORO sanctis episcopis, HIERONYMUS presbyter.

Constat, Dominum nostrum Jesum Christum omni die martyrum suorum triumphos excipere, quorum passiones a sancto Eusebio Cæsariensi episcopo scriptas reperimus. Nam Constantinus Augustus cum Cæsaream fuisset ingressus, et diceret

memorato antistiti, ut peteret aliqua beneficia Cæsariensi Ecclesiæ profutura, legitur, respondisse Eusebium : Opibus suis Ecclesiam ditatam, nulla petendi beneficia necessitate compelli : sibi tamen desiderium immobile exstitisse, ut quidquid in republica Romana gestum sit erga sanctos Dei judices judicibus succedentes in universo orbe Romano, sollicita perscrutatione, monumenta publica discutiendo, perquirerent; et qui martyrum, a quo judice, in qua provincia vel civitate, qua die, quave perseverantia passionis suæ obtinuerunt palmam, de ipsis archivis sublata, ipsi Eusebio, regio jussu, dirigerent. Unde factum est, ut idoneus relator existens, et ecclesiasticam historiam retexeret, et omnium pene martyrum, provinciarum omnium Romanarum tropæa diligens historiographus declararet : quatenus omni die sacrificium Deo offerentes, eorum nomina meminissent : studentes, qui die ipso, quo sacrificium offeretur, victores diaboli exstitissent, et martyrii sui triumpho pollentes, atque ovantes ad Regem suum pervenissent Christum. Hac de

A causa singulorum mensium, singulorumque dierum festa conscripsimus, ut jubere dignabamini, perennem nostræ parvitatis memoriam fore credentes cum diebus omnibus per tot annorum spatia sancta Sanctorum nomina fuerint festive celebrata. Et quoniam per singulos dies, diversarum provinciarum, diversarumque urbium plusquam octingentorum, et nongentorum martyrum sunt nomina nominata : ut nullus dies sit, qui non intra quingentorum numerum reperiri possit ascriptus, exempto die kalendarum Januariarum; considerans inter innumerabiles turbas lectoris animum intra unum mensem posse lassescere : ne id eveniat, breviter et succincte eorum, qui sunt in amplissima festivitate in suis locis tantum præ omnibus memoratus sum,

B ut, amputato fastidio, unus de omnibus sufficiat libellus ascriptus. Sane in prima parte libelli, omnium beatorum Apostolorum festa conscripsimus, ut dies varii non videantur dividere, quos una dignitas apostolatus in cœlesti gloria fecit esse sublimes.

EX HISTORIA LITTERARIA AQUILEIENSI
JUSTI FONTANINI
ARCHIEPISCOPI ANCYRANI,
Romæ edita, an. 1742.

---

109 LIBRI III CAPUT III.

1. Chromatius patria Aquileiensis. II. Valeriano suffectus. III. A magnis viris laudatus. IV. Ejus rogatu Hieronymus varios Bibliorum libros in Latinum sermonem convertit. V. Rufinum et Hieronymum in concordiam redigere studet. VI. Joannis Chrysostomi causam juvat. VII. Chrysostomi ad Chromatium epistola. VIII. Blondelli commenta. IX. Chromatius obit, et Sanctorum fastis ascribitur.

I. Ad eos pervenimus, qui partæ salutis sæculum v attigerunt. Horum agmen ducit Chromatius, Aquileiensis antistes, quem Dandulus in Chronico lib. I, cap. 14, parte I, natione *Hispanum*, Marianus Victorius in argumento epistolæ 43 Hieronymianæ *Dalmatam*, Sixtus Senensis in Bibliotheca lib. IV *Romanum* fecerunt. Sed omnes in errore versari; civemque *Aquileiensem* fuisse, posito etiam pignore contenderim. Nam Aquileiæ semper vixit, ubi ei *matrem*, *sorores*, et *fratres* fuisse prodit illius necessarius et rerum Aquileiensium peritissimus sanctus Hieronymus epist. 7, alias 43, ad ipsum *Chromatium* adhuc presbyterum, pariterque ad Jovinum, et Eusebium, *Chromatii* germanum conscripta, in qua se ad tres simul unam tantum epistolam mittere affirmat, propterea quod invicem ita se ament, *ut non*

C *minus tres charitas jungat, quam duos natura sociavit.* Hi duo sunt *Chromatius* et *Eusebius*; quos *natura germanos* iterum vocat in epistola 8, alias 42, ad Nicetam Aquileiensem subdiaconum scripta : *Ecce*, inquit, *beatus Chromatius cum sancto Eusebio, non plus natura, quam morum æqualitate, germano, litterario me provocavit officio.* Non ergo *Jovini*, ut ad diem 22 Junii scripsit Baronius, sed *Eusebii* germanus erat *Chromatius* : cui tamen noster Henricus Palladius, lib. IX, pag. 158, unum *Jovinum* conjunxit. Alium fratrem, adhuc anonymum, habuit *Chromatius*, cujus fortitudinem in illius dormitione, impense laudat Hieronymus epist. 35, alias 3, ad *Heliodorum* (*a*). Hæc cum scripta fuerit A. D. 396, ut postea constabit, hinc Tillemontium tomo XI,

D pag. 536, Martianæum in Notis, et Hadrianum Bailletum in Vitis Sanctorum die 2 Decembris errasse oportet, dum *Chromatii* fratrem, de quo mortuo Hieronymus loquitur, *Eusebium* dicunt, qui tamen *Eusebius* **110** quadriennio serius adhuc erat in vivis, episcopali dignitate insignis, perinde ac *Jovinus* et *Chromatius*, teste Rufino in priori Apologia A. D. 400 exarata (*b*). Matrem viduam et sorores vir-

(*a*) Hunc *alium Chromatii fratrem adhuc anonymum* solus clarissimus Fontaninus intrusit; cui non assentitur Bernardus Maria de Rubeis, qui unicum *Eusebium Chromatii* fratrem agnovit. Videatur ejus *Dissertatio De Rufino*, cap. 2, pag. 13 et 14.

(*b*) *In* hac *priori Apologia*, quam hic citat Fontaninus, et ad annum pertinet 400 aut 401, uti etiam De Rubeis consentit, memorat Rufinus *Chromatium*, *Jovinum* et *Eusebium*, qui cum *ante annos*, ut ipse ait, *fere triginta*, essent sub Valeriano episcopo Aquileiensi *alter presbyter*, *alter archidiaconus*, *alius diaconus*, episcopatus deinde honore ipsi quoque aucti

gines *Chromatio* ibidem fuisse, nos docet eadem epistola 43, in qua Hieronymus salvere eas jubet, his verbis, sororis suæ curam, iisdem commendans: *Matrem communem, quæ cum vobis sanctitate societur, in eo vos prævenit, quia tales genuit, cujus vere venter aureus potest dici, eo salutamus honore, quo nostis: una quoque suscipiendas cunctis sorores, quæ sexum vicere cum sæculo: quæ oleo ad lampades largiter præparato, sponsi opperiuntur adventum. O beata domus, in qua moratur Anna vidua, virgines prophetissæ, geminus Samuel nutritus in templo!* Hic *geminus Samuel* sunt *Chromatius* et *Eusebius*. Ne ullus de patria dubitandi locus supersit, Hieronymus *Aquileiam*, illorum urbem patriam appellat: *per vos ab urbe vestra Ariani quondam dogmatis virus exclusum est.* Hæc docent, cur Hieronymus in Chronico Eusebiano ab se aucto, Olympiade 280, A. D. 376, qui respondet anno vulgari 374, hoc insigni et memorando præconio nostræ Ecclesiæ alumnos ornaverit: *Aquileienses clerici quasi chorus beatorum habentur. Chromatius*, qui, ut supra in Fortunatiano dictum est, et iterum dicam, A. D. 371 adhuc Diaconus (*a*), *Rufinum* tunc recens per gratiam baptismi regeneratum, doctrina catholica instruxerat, postmodum *Valeriani* episcopi presbyter A. D. 381 in concilio ibidem causam Filii Dei contra Palladium Arianum strenue peroravit; cumque omnia negasse ostendit, *quæ Fides Catholica profitetur*. Cumque Palladius *auditores laicos* appellasset, *Chromatius* hominis confidentiam paucis retudit: *salva*, inquit, *condemnatione sacerdotali*. Vide acta concilii apud Ambrosium tomo II, pag. 798, § 45 et pag. 800, § 51. His refutantur sarcinatores Magdeburgenses, qui *Chromatium* A. D. 335 floruisse scripserunt, et *Valerianum* Aquileiensem cum ejusdem nominis Calagurritano antistite, quem laudat Prudentius conflarunt Centuria IV, cap. 10. Ad *Chromatii* nomen quod attinet, apud Latinos et Græcos occurrit. Libanius ad *Chromatium* quemdam scribit epistolam, nondum editam, a me olim Latine **111** conversam. *Chromatius*, præfectus Urbi, memoratur in Actis Sancti Sebastiani die xx Januarii apud Bollandum tomo II, pag. 271. Inter XIV episcopos provinciæ Palestinæ, qui A. D. 415 in concilio Diospolitano Pelagium Catholicum pronuntiaverunt, unus fuit incertæ sedis *Chromatius* apud Baluzium, pag. 361.

II. Quoto Christi anno cathedram Aquileiensem, a *Valeriano* vacuam, *Chromatius* noster implere cœperit, jam nobis quærendum est; inde enim recentium historicorum lapsus castigabuntur, Joannis Candidi lib. II, fol. 9, Panvinii in Chronico pag. 35, Wolffgangi Lazii Commentariorum Lib. XII, sect. 5, cap. 8, pag. 1014, Leandri Alberti in Descriptione Italiæ fol. 439, 2 edit. I, anni 1550, Henrici Palladii lib. VIII, pag. 129, Philippi Ferrarii in Catalogo Sanctorum pag. 733, et Godefridi Hermanni in Vita Ambrosii lib. V, cap. 12. Hi enim omnes dum *Chromatii* successorem stabilire conantur, in immanes errores abeunt, alius duos *Fortunatianos*, totidemque *Valerianos* confingens, alius inter *Valerianum* et *Chromatium*, Benedicto, alius *Januario*, locum assignans. Porro *Valerianum* in sede Aquileiensi A. D. 366, uti jam dixi, *Fortunatiano* suffectum, Anonymus Trivisanus et Dandulus libri primi capite 13 ex veteribus tabulis, annos XIX sedisse testantur. Obiit ergo sub finem A. D. 386, eique ineunte A. D. 387 successit *Chromatius*. Antiqui Martyrologiorum codices, qui *Valeriani* emortualem diem proferunt VI *kalendas Decembris*, hi sunt.

1. *Atrebatensis* tomo II Martii Bollandiani pag. 39.

2. 3. *Aquisgranensis*, et *Augiensis*.

4. *Baluzianus* in Spicilegio Dacheriano tomo XIII, pag. 13, § 6.

5. *Barberinus* tomo II Martii Bollandiani, pag. 39.

6. *Blumanius* ibidem.

7. *Sancti Cyriaci* tomo III Februarii Bollandiani, pag. 282, col. 2.

8. *Gellonensis* in Spicilegio tomo XIII, pag. 418.

9. *Hieronymianus* ibidem tomo IV, pag. 684, et tomo III Februarii Bollandiani, pag. 282, col. 2, ubi *Valentinus* pro *Valerianus* legitur.

10. *Lætiensis* tomo II Martii Bollandiani, pag. 39.

11. *Lucensis* apud Florentinium, pag. 999.

12. *Sancti Maximini* tomo III Februarii Bollandiani, pag. 282, col. 2.

13. *Rabani Mauri* apud Canisium tomo VI, pag. 594, ubi tamen, ut alibi, errore Librarii *Valentinus* pro *Valeriano* legitur.

14. *Sangermanensis* in Spicilegio tomo XIII, pag. 13, § 6.

15. *Sanremigianus* ibidem.

16. *Tornacensis* tomo II Martii Bollandiani, pag. 59.

fuere: eosque propterea hic honorifice appellat *opinatissimos et probatissimos in Ecclesia Dei episcopos.* Ex hac autem appellatione minime sequitur, uti Fontaninus arbitratur, quod anno 400 aut 401, quo ita de iis scribebat Rufinus, eorum singuli, ideoque etiam *Eusebius*, adhuc essent in vivis; cum æque hæc scribere potuisset, etiamsi omnes jam fuissent eo tempore vita functi: et ideo nihil inde contra Tillemontium, Martianæum, et Bailletum, qui *Chromatii* fratrem, de cujus *dormitione* Hieronymus loquitur in epistola quæ ad annum pertinet 396, rectissime *Eusebium* asserunt. Vide Articulum *Apologiæ* Rufini, ad quem respicit Fontaninus, inter *Veterum Testimonia*, quæ post *Præfationem* attulimus.

Hac autem posita opinione, vitæ scilicet *Eusebii* usque ad annum saltem 400, productæ, necesse habuit Fontaninus excogitare, ac veluti scripto gignere tertium aliquem *Chromatii* fratrem prorsus ignotum, et hunc propterea *adhuc anonymum* dicere; de cujus *dormitione*, potius quam *Eusebii*, scripserit Hieronymus anno 396. Sed hæc gratis omnino vir cæteroquin eruditissimus, deque hoc sancti *Chromatii* Aquileiensis episcopi argumento meritissimus, uti citato superius loco fusius De Rubeis.

(*a*) Hic quoque Fontanino contradicit De Rubeis; qui sanctum *Chromatium* jam presbyterum asserit, dum Rufinus anno 371 aut 372 baptismum Aquileiæ suscepit; qui etiam a sancto *Chromatio* baptismum accepisse Rufinum contendit. Videatur eadem *Dissertatio* ibidem, pag. 11 et 12.

17. *Vaticanus* ibidem.

18. *Usuardus* Rosweydi apud Sollerium, pag. 702.

Tot veterum tabularum consensus erroris arguit Usuardi codicem Bruxellensem apud Sollerium, pag. 711, ubi *pridie kal. Decembris* hæc leguntur: *in Aquileia depositio sancti Valeriani episcopi et confessoris.* An tot diebus **112** post obitum deponi non potuerit al i quærent. Dies depositionis fortasse rectius apud Baronium signatur v *kalendas Decembris*, ex Martyrologio sancti Cyriaci. Idem Baronius A. D. 388, § 84, cum Ambrosium, Maximo per Theodosium prostrato, Aquileiæ constitutum legisset, illuc profectum putavit *ex more, ad novi creationem antistitis, cum, defuncto sancto Valeriano, ejus civitatis episcopo, in locum illius est subrogatus sanctus Chromatius.* Ita Baronius. Verba Paulini diaconi, eam profectionem narrantis in Vita Ambrosii, cap. 22, hæc sunt: *Exstincto Maximo, posito Theodosio imperatore Mediolani, Ambrosio vero episcopo Aquileiæ, in partibus Orientis in quodam castello, a christianis viris Synagoga Judæorum, et lucus Valentinianorum, incendio concremata sunt, propterea quod Judæi, vel Valentiniani insultarent monachis christianis.* Sed Candidus lib. II, fol. IX, 2, et Palladius lib. IX, pag. 156, ut Ambrosiano itineri causam prætexerent, ejusmodi incendium Aquileiæ contigisse commenti sunt, quanquam Paulinus disertis verbis *in partibus Orientis* id evenisse tradiderat, nempe ad castrum *Callinicum*, quod non in *Venetia*, sed in *Mesopotamia* stetit ad ripam Euphratis, ex Ammiano lib. XXIII, cap. 3, et ex Procopio de Bello Persico lib. I, cap. 18, lib. II, cap. 11 et 21, et in Historia arcana, cap. 3 in fine. Hoc nostrates Historici discere etiam potuissent ex Ambrosii epist. 40 *Aquileiæ* scripta, in qua vir sanctus cum Theodosio expostulat, propterea quod Synagogam ab episcopo Callinici instaurandam, et a monachis pœnas dandas, edicto sanxisset. Maximum tyrannum ad tertium ab Aquileia lapidem A. D. 388, v kal. Augustas devictum testatur Idacius in Fastis Labbeanis tomo II Bibliothecæ mss., quibus potius, quam Socrati, extero scriptori, credendum est, qui lib. v, cap. 14, eam cladem rejicit in VI kal. Septembres. Fuso hoste, *quem prius ignominia servitutis, quam hostili mucrone confossum*, ait Hieronymus in epitaphio Nepotiani, Theodosius Aquileiæ substitit aliquandiu, Maximi acta abrogaturus. Nam Lex 6 tit. 14 lib. XV Codicis Theodosiani, ibidem data VI kal. Octobres, agit *de honoribus a Maximo collatis, abrogandis.* Mox post sexdecim dies ei similem sanxit Mediolani VI idus Octobres ejusdem anni 388, in qua urbe III nonas Maias, et VI kal. Decembres anni insequentis 389 adhuc degebat, quando leges 17 et 19 de *Hæreticis* tit. 15 lib. VI vulgavit. Ergo Theodosium die 26 Septembris Aquileiæ, et die 10 Octobris A. D. 388 Mediolani morantem habemus: eoque spatio temporis interjecto Ambrosius, *exstincto Maximo, posito Theodosio imperatore*

A *Mediolani*, ut ait Paulinus, *Aquileiam* properavit; alias in alterutra urbe, non litteris, sed coram, de rescripto, in Christianos Mediolani vulgato, apud Augustum expostulasset. Consulantur auctores *Admonitionis* pro ordine Epistolarum sancti Ambrosii § 40, et Pagius A. D. 388, § 12; cum autem, ut vidimus, *Valerianus* obierit die 26 Novembris, hinc constaret, Ambrosium *ante*, non *post* obitum *Valeriani* Aquileiam profectum, ideoque aliam ob causam quam ob *Chromatium* Valeriano subrogandum; qui nondum ex hac vita migraverat. At quanto magis in Ambrosiani itineris causa vir maximus falli dicendus est, si biennio citius, *Valerianus* **113** diem extremum obierat, quemadmodum Venetorum monumentis proditum est? Recte ergo auctores novæ B editionis Operum sancti Ambrosii, in ejus Vita, cap. 98, causam ejusmodi itineris ignorari, neque ullum testimonium astruendæ Baronianæ sententiæ proferri, dixerunt. Si Ambrosius in Pannoniam iter habuit, Anemium Sirmiensem episcopum ordinaturus, teste Paulino cap. 11, non video cur idem accuratus Ambrosii notarius causam Aquileiensis itineris reticere debuisset, si hoc *Chromatii* ordinationem spectasset (*a*).

III. Fuit *Chromatius* inter Occidentales episcopos sanctitate et doctrina celeberrimus, ut laudes a laudatis viris in ipsum collatæ palam testantur; magnis enim amicitiis floruit: *Joannis Chrysostomi*, *Hieronymi*, *Ambrosii*, *Heliodori*, *Rufini*. Ambrosius quidem A. D. 389 a *Chromatio* rogatus, ut aliquid e C sacris codicibus epistolari familiaritate disputatum cum eo communicaret, historiam Balaam pseudoprophetæ ex libro Numerorum interpretatus est epistola 50, alias quoque se additurum pollicitus, quas nobis injuria temporum abstulit. Adi *Admonitionem* pro ordine Epistolarum Ambrosii, § 5, et Vitam cap. 108. Subinde *Chromatium*, fratre orbatum, cujus nomen ignoratur, magnum christianæ fortitudinis exemplum, adversa invicto animo subeundi, dedisse comperimus; nam *Hieronymus* Epitaphium *Nepotiani*, quod est epistola 35, alias 3, tunc ex Syria ad *Heliodorum* Altinatem episcopum scripta, clausit his verbis: *Jungamur spiritu, stringamur affectu, et fortitudinem mentis, quam beatus papa Chromatius ostendit in dormitione Germani, nos imitemur* D *in filio.* Hanc epistolam A. D. 396 datam ex subsequentibus verbis docet Petrus Franciscus Chiffletius in Paulino illustrato parte II, cap. 10: *Ecce tibi anno præterito ex ultimis Caucasi rupibus immissi in nos non jam Arabiæ, sed Septentrionis lupi, tantas brevi provincias percurrerunt.* Hæc fuit Alarici regis Gothorum in Orientale imperium irruptio, proditione Rufini Patricii, Olybrio et Probino consulibus A. D. 395. Quæ modo adductis Hieronymi verbis præcedunt, epocham magis confirmant: *Viginti, et eo amplius anni sunt, quod inter Constantinopolim et Alpes Julias quotidie Romanus sanguis ef-*

(a) Baronii conjecturam, quam hic non approbat clarissimus Fontaninus, defendit Bernardus Maria De Rubeis num. 5 capitis 18 *Dissertationum Variæ Eruditionis*, etc., quem infra damus.

funditur. Innuit primos *Quadorum*, et *Marcomannorum* incursus in nostram Venetiam, *perruptis Alpibus Juliis; unde tunc Aquileia obsessa, et Opitergium excisum est*, teste Ammiano lib. XXIX, cap. 6. Hæc Gratiano Augusto III et Equitio consulibus A. D. 374 contigisse animadvertit Henricus Valesius: eodemque excidio Italiæ imminente, Valentinianus senior *Liquentiæ* pontem in agro Opitergino reparandum curaverat A. D. 370, lege 2, tit. 10, lib. XI Codicis Theodosiani.

IV. Hieronymus, *Chromatio* et *Heliodoro*, episcopis, librum Chaldaicum Tobiæ Latine reddi, ab se flagitantibus, unius diei labore paruit, homine ejus linguæ perito sibi Librum hebraice dictante, ut epist. 110 A. D. 390 scripta nos docet: *Mirari*, inquit, *non desino exactionis vestræ instantiam. Exigitis enim, ut Librum Chaldæo sermone conscriptum ad Latinum stylum traham.* Et post pauca: **114** *Feci satis desiderio vestro, non tamen meo studio. Arguunt enim nos Hebræorum studia, et imputant nobis, contra suum canonem Latinis auribus ista transferre. Sed melius esse judicans Pharisæorum displicere judicio, et episcoporum jussionibus deservire, institi ut potui.* Tandem his verbis epistolæ finem imponit: *Orationibus vestris mercedem hujus operis compensabo, cum gratum vobis didicero, me, quod jubere estis dignati, complesse.* Ad hæc Hieronymus, utroque præsule hortante, et pecunias librariis erogandas, ut nonnullos prophetas commentariis illustraret, liberaliter suppeditante, valetudinem causatus, Proverbia, Ecclesiasten, et Cantica, triduo ab se Latine explicata, ad eosdem transmisit: *Jungat epistola*, inquit in præfatione, *quos jungit sacerdotium; immo charta non dividat quos Christi nectit amor. Commentarios in Osee, Amos, Zachariam, Malachiam, quos poscitis, scripsissem, si licuisset præ valetudine. Mittitis solatia sumptuum: notarios nostros et librarios sustentatis, ut vobis potissimum nostrum desudet ingenium. Et ecce ex latere frequens turba diversa poscentium; quasi aut æquum sit, me, vobis esurientibus, aliis laborare; aut in ratione dati et accepti, cuiquam, præter vos, obnoxius sim. Itaque longa ægrotatione fractus, ne penitus hoc anno reticerem, et apud vos mutus essem, tridui opus nomini vestro consecravi, interpretationem videlicet trium Salomonis voluminum.* His vixdum peractis A. D. 392 commentarium in Abacuc, duobus libris distinctum *Chromatio* donavit, quem in prologo lib. I *episcoporum doctissimum* vocat. In prologo autem lib. II *papæ venerabilis* præconio commendat, eumdemque *carnem virtute superasse* testatur. Subinde rogatus, ut cæteros Scripturæ libros ex Hebræo

A sermone transferret, Paralipomena *Chromatio* direxit A. D. 397, in cujus libri vestibulo elogio magnifico illum extollens, vocat *episcoporum sanctissimum atque doctissimum*. Sixtus Senensis huic elogio ab se recitato in libro IV Bibliothecæ, de suo addit hæc verba: *quod raro invenitur*: ævo tamen Sixti fortasse, non *Chromatii*. Hieronymus in libro II Apologiæ 1, quam A. D. 400 scriptam docebimus, easdem sacrorum voluminum ab se factas interpretationes ita commemorat: *In libro Temporum, id est Paralipomenon, ad sanctum Chromatium præfatiuncula usus sum.* Et paulo post: *Salomonis etiam libros, quos olim additis obelis et asteriscis in Latinum verteram, ex Hebraico transferens, et dedicans sanctis episcopis Chromatio et Heliodoro.* Hæ singulæ præfationes,

B iisdem libris præfixæ, similiter exstant cum Hieronymianis epistolis secundum ordinem Mariani Victorii 107, 110, 115. Denique Sixtus V pontifex maximus in præfatione Bibliorum, Romæ editorum typis Vaticanis A. D. 1590, *Chromatium* ponit inter *sanctissimos episcopos*, qui Hieronymum de Scripturarum locis consuluerunt.

V. Doctor maximus in epist. 42, alias 66, ad *Rufinum* scripta A. D. 399 sic loquitur de Pauliniano fratre suo, quem in Dalmatiam transfretare præceperat: *Frater meus Paulinianus necdum de patria reversus est: et puto quod eum Aquileiæ apud sanctum papam Chromatium videris.* Rufinus biennio citius cum Melania ex Oriente reversus, Aquileiæ apud *Chromatium* morari intellexerat, postquam Origenis libros *de*

C **115** *Principiis* Romana civitate donasset; unde ipsum inter et Hieronymum graves simultates coortæ sunt. Testatur Hieronymus in Apologia contra Rufinum libro II *Chromatium*, quem post Anastasium Romanum pontificem, magnis Orientis et Occidentis metropolitis, Theophilo Alexandrino, et Venerio Mediolanensi conjungit, in suæ metropoleos conventu populis sibi subjectis Origenis errores denuntiasse: *Ergo*, inquit, *beati episcopi Anastasius, Theophilus, et Venerius, et Chromatius, et omnis tam Orientis, quam Occidentis Catholicorum synodus, qui pari sententia, quia pari spiritu, illum hæreticum denuntiant populis, fures librorum illius judicandi sunt?* Anastasius pontifex in epistola ad Joannem Hierosolymitanum apud Baronium A. D. 405, § 26 et seqq. ait,

D se Origenianæ *damnationis epistolam fratribus suis Venerio et Chromatio scripsisse* (*a*). De hac Epistola, deque illo Chromatii conventu accuratius agam lib. v, cap. 19. Nunquam tamen *Chromatius* a Rufini communione et amore discessit, ipsique Hieronymo sic adhæsit, ut semper utriusque amantissimus,

(*a*) Nequaquam in Anastasii epistola apud Baronium loco citato hæc verba leguntur. Animadvertere potius debuisset cl. præsul, prout diserte facit in hac eadem sua *Hist. Litterar. Aquil.* lib. v, cap. 19, num. 2, interpolatam fuisse hoc loci a Joanne Garnerio, licet absque ulla decipiendi voluntate, sancti Papæ Epistolam ad Joannem Hierosolymitanum; unde nonnulli perperam prædicta verba, quæ supplementi gratia Garnerius inseruit, pro genuinis sancti pontificis acceperunt. Cæterum nulla hujus transmissæ *Damnationis Origenis*, nulla *Chromatii* mentio in hac epistola, neque apud Coustantium *Epistolæ Romanorum Pontificum* col. 728 edit. Paris., neque inter Opera S. Hieronymi edit. Veronensis Dominici Vallarsii tomo II, col. 580, neque inter Opera Rufini Aquileiensis ab eodem Vallarsio edita col. 411. Videantur utrobique Editorum eruditæ *Annotationes* ad hunc eumdem locum.

17. *Vaticanus* ibidem.

18. *Usuardus* Rosweydi apud Sollerium, pag. 702.

Tot veterum tabularum consensus erroris arguit Usuardi codicem Bruxellensem apud Sollerium, pag. 711, ubi *pridie kal. Decembris* hæc leguntur: *in Aquileia depositio sancti Valeriani episcopi et confessoris.* An tot diebus **112** post obitum deponi non potuerit alii quærent. Dies depositionis fortasse rectius apud Baronium signatur v *kalendas Decembris*, ex Martyrologio sancti Cyriaci. Idem Baronius A. D. 388, § 81, cum Ambrosium, Maximo per Theodosium prostrato, Aquileiæ constitutum legisset, illuc profectum putavit *ex more, ad novi creationem antistitis, cum, defuncto sancto Valeriano, ejus civitatis episcopo, in locum illius est subrogatus sanctus Chromatius.* Ita Baronius. Verba Paulini diaconi, eam profectionem narrantis in Vita Ambrosii, cap. 22, hæc sunt: *Exstincto Maximo, posito Theodosio imperatore Mediolani, Ambrosio vero episcopo Aquileiæ, in partibus Orientis in quodam castello, a christianis viris Synagoga Judæorum, et lucus Valentinianorum, incendio concremata sunt, propterea quod Judæi, vel Valentiniani insultarent monachis christianis.* Sed Candidus lib. II, fol. IX, 2, et Palladius lib. IX, pag. 156, ut Ambrosiano itineri causam prætexerent, ejusmodi incendium Aquileiæ contigisse commenti sunt, quanquam Paulinus disertis verbis *in partibus Orientis* id evenisse tradiderat, nempe ad castrum *Callinicum*, quod non in *Venetia*, sed in *Mesopotamia* stetit ad ripam Euphratis, ex Ammiano lib. XXIII, cap. 3, et ex Procopio de Bello Persico lib. I, cap. 18, lib. II, cap. 11 et 21, et in Historia arcana, cap. 5 in fine. Hoc nostrates Historici discere etiam potuissent ex Ambrosii epist. 40 *Aquileiæ* scripta, in qua vir sanctus cum Theodosio expostulat, propterea quod Synagogam ab episcopo Callinici instaurandam, et a monachis pœnas dandas, edicto sanxisset. Maximum tyrannum ad tertium ab Aquileia lapidem A. D. 388, v kal. Augustas devictum testatur Idacius in Fastis Labbeanis tomo II Bibliothecæ mss., quibus potius, quam Socrati, extero scriptori, credendum est, qui lib. V, cap. 14, eam cladem rejicit in VI kal. Septembres. Fuso hoste, *quem prius ignominia servitutis, quam hostili mucrone confossum,* ait Hieronymus in epitaphio Nepotiani, Theodosius Aquileiæ substitit aliquandiu, Maximi acta abrogaturus. Nam Lex 6 tit. 14 lib. XV Codicis Theodosiani, ibidem data VI kal. Octobres, agit *de honoribus a Maximo collatis, abrogandis.* Mox post sexdecim dies ei similem sanxit Mediolani VI idus Octobres ejusdem anni 388, in qua urbe III nonas Maias, et VI kal. Decembres anni insequentis 389 adhuc degebat, quando leges 17 et 19 de *Hæreticis* tit. 15 lib. VI vulgavit. Ergo Theodosium die 26 Septembris Aquileiæ, et die 10 Octobris A. D. 388 Mediolani morantem habemus: eoque spatio temporis interjecto Ambrosius, *exstincto Maximo, posito Theodosio imperatore*

A *Mediolani*, ut ait Paulinus, *Aquileiam* properavit; alias in alterutra urbe, non litteris, sed coram, de rescripto, in Christianos Mediolani vulgato, apud Augustum expostulasset. Consulantur auctores *Admonitionis* pro ordine Epistolarum sancti Ambrosii § 40, et Pagius A. D. 388, § 12; cum autem, ut vidimus, *Valerianus* obierit die 26 Novembris, hinc constaret, Ambrosium *ante*, non *post* obitum *Valeriani* Aquileiam profectum, ideoque aliam ob causam quam ob *Chromatium* Valeriano subrogandum; qui nondum ex hac vita migraverat. At quanto magis in Ambrosiani itineris causa vir maximus falli dicendus est, si biennio citius, *Valerianus* **113** diem extremum obierat, quemadmodum Venetorum monumentis proditum est? Recte ergo auctores novæ

B editionis Operum sancti Ambrosii, in ejus Vita, cap. 98, causam ejusmodi itineris ignorari, neque ullum testimonium astruendæ Baronianæ sententiæ proferri, dixerunt. Si Ambrosius in Pannoniam iter habuit, Anemium Sirmiensem episcopum ordinaturus, teste Paulino cap. 11, non video cur idem accuratus Ambrosii notarius causam Aquileiensis itineris reticere debuisset, si hoc *Chromatii* ordinationem spectasset (*a*).

III. Fuit *Chromatius* inter Occidentales episcopos sanctitate et doctrina celeberrimus, ut laudes a laudatis viris in ipsum collatæ palam testantur; magnis enim amicitiis floruit: *Joannis Chrysostomi*, *Hieronymi*, *Ambrosii*, *Heliodori*, *Rufini*. Ambrosius quidem A. D. 389 a *Chromatio* rogatus, ut aliquid e

C sacris codicibus epistolari familiaritate disputatum cum eo communicaret, historiam Balaam pseudoprophetæ ex libro Numerorum interpretatus est epistola 50, alias quoque se additurum pollicitus, quas nobis injuria temporum abstulit. Adi *Admonitionem* pro ordine Epistolarum Ambrosii, § 5, et Vitam cap. 108. Subinde *Chromatium*, fratre orbatum, cujus nomen ignoratur, magnum christianæ fortitudinis exemplum, adversa invicto animo subeundi, dedisse comperimus; nam *Hieronymus* Epitaphium *Nepotiani*, quod est epistola 35, alias 3, tunc ex Syria ad *Heliodorum* Altinatem episcopum scripta, clausit his verbis: *Jungamur spiritu, stringamur affectu, et fortitudinem mentis, quam beatus papa Chromatius ostendit in dormitione Germani, nos imitemur*

D *in filio.* Hanc epistolam A. D. 396 datam ex subsequentibus verbis docet Petrus Franciscus Chiffletius in Paulino illustrato parte II, cap. 10: *Ecce tibi anno præterito ex ultimis Caucasi rupibus immissi in nos non jam Arabiæ, sed Septentrionis lupi, tantas brevi provincias percurrerunt.* Hæc fuit Alarici regis Gothorum in Orientale imperium irruptio, proditione Rufini Patricii, Olybrio et Probino consulibus A. D. 395. Quæ modo adductis Hieronymi verbis præcedunt, epocham magis confirmant: *Viginti, et eo amplius anni sunt, quod inter Constantinopolim et Alpes Julias quotidie Romanus sanguis ef-*

(a) Baronii conjecturam, quam hic non approbat clarissimus Fontaninus, defendit Bernardus Maria De Rubeis num. 5 capitis 18 *Dissertationum Variæ Eruditionis*, etc., quem infra damus.

funditur. Innuit primos *Quadorum*, et *Marcomannorum* incursus in nostram Venetiam, *perruptis Alpibus Juliis; unde tunc Aquileia obsessa, et Opitergium excisum est*, teste Ammiano lib. XXIX, cap. 6. Hæc Gratiano Augusto III et Equitio consulibus A. D. 374 contigisse animadvertit Henricus Valesius: eodemque excidio Italiæ imminente, Valentinianus senior *Liquentiæ* pontem in agro Opitergino reparandum curaverat A. D. 370, lege 2, tit. 10, lib. XI Codicis Theodosiani.

IV. Hieronymus, *Chromatio* et *Heliodoro*, episcopis, librum Chaldaicum Tobiæ Latine reddi, ab se flagitantibus, unius diei labore paruit, homine ejus linguæ perito sibi Librum hebraice dictante, ut epist. 110 A. D. 390 scripta nos docet: *Mirari*, inquit, *non desino exactionis vestræ instantiam. Exigitis enim, ut Librum Chaldæo sermone conscriptum ad Latinum stylum traham*. Et post pauca: **114** *Feci satis desiderio vestro, non tamen meo studio. Arguunt enim nos Hebræorum studia, et imputant nobis, contra suum canonem Latinis auribus ista transferre. Sed melius esse judicans Pharisæorum displicere judicio, et episcoporum jussionibus deservire, institi ut potui*. Tandem his verbis epistolæ finem imponit: *Orationibus vestris mercedem hujus operis compensabo, cum gratum vobis didicero, me, quod jubere estis dignati, complesse*. Ad hæc Hieronymus, utroque præsule hortante, et pecunias librariis erogandas, ut nonnullos prophetas commentariis illustraret, liberaliter suppeditante, valetudinem causatus, Proverbia, Ecclesiasten, et Cantica, triduo ab se Latine explicata, ad eosdem transmisit: *Jungat epistola*, inquit in præfatione, *quos jungit sacerdotium; immo charta non dividat quos Christi nectit amor. Commentarios in Osee, Amos, Zachariam, Malachiam, quos poscitis, scripsissem, si licuisset præ valetudine. Mittitis solatia sumptuum: notarios nostros et librarios sustentatis, ut vobis potissimum nostrum desudet ingenium. Et ecce ex latere frequens turba diversa poscentium; quasi aut æquum sit, me, vobis esurientibus, aliis laborare; aut in ratione dati et accepti, cuiquam, præter vos, obnoxius sim. Itaque longa ægrotatione fractus, ne penitus hoc anno reticerem, et apud vos mutus essem, tridui opus nomini vestro consecravi, interpretationem videlicet trium Salomonis voluminum*. His vixdum peractis A. D. 392 commentarium in Abacuc, duobus libris distinctum *Chromatio* donavit, quem in prologo lib. I *episcoporum doctissimum* vocat. In prologo autem lib. II *papæ venerabilis* præconio commendat, eumdemque *carnem virtute superasse* testatur. Subinde rogatus, ut cæteros Scripturæ libros ex Hebræo ser-

A mone transferret, Paralipomena *Chromatio* direxit A. D. 397, in cujus libri vestibulo elogio magnifico illum extollens, vocat *episcoporum sanctissimum atque doctissimum*. Sixtus Senensis huic elogio ab se recitato in libro IV Bibliothecæ, de suo addit hæc verba: *quod raro invenitur*: ævo tamen Sixti fortasse, non *Chromatii*. Hieronymus in libro II Apologiæ 1, quam A. D. 400 scriptam docebimus, easdem sacrorum voluminum ab se factas interpretationes ita commemorat: *In libro Temporum, id est Paralipomenon, ad sanctum Chromatium præfatiuncula usus sum*. Et paulo post: *Salomonis etiam libros, quos olim additis obelis et asteriscis in Latinum verteram, ex Hebraico transferens, et dedicans sanctis episcopis Chromatio et Heliodoro*. Hæ singulæ præfationes,
B iisdem libris præfixæ, similiter exstant cum Hieronymianis epistolis secundum ordinem Mariani Victorii 107, 110, 115. Denique Sixtus V pontifex maximus in præfatione Bibliorum, Romæ editorum typis Vaticanis A. D. 1590, *Chromatium* ponit inter *sanctissimos episcopos*, qui Hieronymum de Scripturarum locis consuluerunt.

V. Doctor maximus in epist. 42, alias 66, ad *Rufinum* scripta A. D. 399 sic loquitur de Pauliniano fratre suo, quem in Dalmatiam transfretare præceperat; *Frater meus Paulinianus necdum de patria reversus est: et puto quod eum Aquileiæ apud sanctum papam Chromatium videris*. Rufinus biennio citius cum Melania ex Oriente reversus, Aquileiæ apud *Chromatium* morari intellexerat, postquam Origenis libros *de*
C **115** *Principiis* Romana civitate donasset; unde ipsum inter et Hieronymum graves simultates coortæ sunt. Testatur Hieronymus in Apologia contra Rufinum libro II *Chromatium*, quem post Anastasium Romanum pontificem, magnis Orientis et Occidentis metropolitis, Theophilo Alexandrino, et Venerio Mediolanensi conjungit, in suæ metropoleos conventu populis sibi subjectis Origenis errores denuntiasse: *Ergo*, inquit, *beati episcopi Anastasius, Theophilus, et Venerius, et Chromatius, et omnis tam Orientis, quam Occidentis Catholicorum synodus, qui pari sententia, quia pari spiritu, illum hæreticum denuntiant populis, fures librorum illius judicandi sunt?* Anastasius pontifex in epistola ad Joannem Hierosolymitanum apud Baronium A. D. 403, § 26 et seqq. ait,
D se Origenianæ *damnationis epistolam fratribus suis Venerio et Chromatio scripsisse* (a). De hac Epistola, deque illo Chromatii conventu accuratius agam lib. V, cap. 19. Nunquam tamen *Chromatius* a Rufini communione et amore discessit, ipsique Hieronymo sic adhæsit, ut semper utriusque amantissimus,

(a) Nequaquam in Anastasii epistola apud Baronium loco citato hæc verba leguntur. Animadvertere potius debuisset cl. præsul, prout diserte facit in hac eadem sua *Hist. Litterar. Aquil.* lib. V, cap. 19, num. 2, interpolatam fuisse hoc loci a Joanne Garnerio, licet absque ulla decipiendi voluntate, sancti Papæ Epistolam ad Joannem Hierosolymitanum; unde nonnulli perperam prædicta verba, quæ supplementi gratia Garnerius inseruit, pro genuinis sancti pontificis acceperunt. Cæterum nulla hujus transmissæ *Damnationis Origenis*, nulla *Chromatii* mentio in hac epistola, neque apud Constantium *Epistolæ Romanorum Pontificum* col. 728 edit. Paris., neque inter Opera S. Hieronymi edit. Veronensis Dominici Vallarsii tomo II, col. 580, neque inter Opera Rufini Aquileiensis ab eodem Vallarsio edita col. 411. Videantur utrobique Editorum eruditæ *Annotationes* ad hunc eumdem locum.

utrique carus, tantos viros in christianam concordiam redigere pro virili studuerit; nam et commonuit Hieronymum, ut acerbæ contentioni finem imponeret, Rufinumque Aquileiæ, ut dixi, apud se diversantem, ad alia traduxit, jussum Historiam Ecclesiasticam Eusebii Cæsareensis Latinis verbis accommodare. Primum illud de se fatetur Hieronymus in Apologia 2, libri III, ubi ait : *Testem invoco Jesum conscientiæ meæ, qui et has litteras, et tuam epistolam judicaturus est, me ad commonitionem sancti papæ Chromatii voluisse reticere, et finem facere simultatum.* Rufinus in præfatione Eusebianæ Historiæ ab se Latinis redditæ, librisque duobus auctæ, *Chromatium Pontificem maximum*, uti eum honoris causa nominat (*a*), sic alloquitur : *Peritorum* **116** *dicunt esse medicorum, ubi imminere urbibus vel regionibus generales viderint morbos, providere aliquid medicamenti vel poculi genus, quo præmuniti homines ab imminenti defendantur exitio. Quod tu quoque, venerande pater Chromati, medicinæ exequens genus, tempore, quo diruptis Italiæ claustris ab Alarico duce Gothorum, se pestifer morbus infudit, agros, armenta, viros longe lateque vastavit, populis tibi a Deo commis-*

A *sis feralis exitii remedium quærens, per quod ægræ mentes ab ingruentis mali contagione subtractæ, melioribus occupatæ studiis tenerentur, injungis mihi ut Ecclesiasticam Historiam, quam Vir eruditissimus Eusebius Cæsareensis Græco sermone conscripsit, in Latinum vertam.* Gothos, duce Alarico et Radagaiso, per nostras Alpes Julias, quas Rufinus *claustra Italiæ*, et Nicephorus Gallistus lib. XII, cap. 39, *Italiæ portas* appellant, A. D. 400 primum irrupisse, viri docti consentiunt, Norisius in Historia Pelagiana lib. I, cap. 2, Pagius A. D. 400, § 25, et Tillemontius in Historia Imperatorum tomo V, pag. 524, 803. Tunc *Aquileia*, totius Venetiæ caput, obsidionem barbaricam subiit : nam Hieronymus Apologia III in Rufinum, ibidem tunc morantem, *et tantum*,
B inquit, *Romanæ urbis judicium fugis, ut magis obsidionem barbaricam, quam pacatæ urbis velis sententiam sustinere.* Pestiferum morbum, tunc a Gothis in Venetiam nostram invectum, qui primo *armenta*, et postea *viros*, teste Rufino, *longe lateque vastavit*, hic noster annus infaustus 1713 graphice repræsentat (*b*), dum boum lues ex Pannonia in Italiam cladibus obrutam, se infudit, eadem calamitate in ho-

(*a*) Hæc appellatio *Pontificis maximi*, *Chromatio* episcopo Aquileiensi tributa, proculdubio a Rufini calamo non prodivit, ideoque non ita eum Rufinus *honoris causa nominavit*, uti asserit Fontaninus. Videatur clarissimi Vallarsii ad hunc locum *Annotatio*, col. 209, Rufini *Operum* ab ipso editorum, necnon subsequens alia col. 211.

Ad ea vero quæ Vallarsius adnotat citatis hic locis, addere quoque juvat, in Tabulario insignis collegiatæ ecclesiæ Civitatensis, hujus Utinensis diœcesis ex Aquileiensi exortæ, exstare codicem membranaceum Vallarsio ipsi dum Rufinianæ editioni incumberet ignotum, et sæculi, ut videtur, XII, *Ecclesiasticæ Eusebii Historiæ a Rufino presbytero in Latinum sermonem versæ ;* quem libentissime nuper vidimus, favore et opere egregii canonici Tabulario præpositi Michaelis a Turre e Comitibus Vallis-Saxinæ, quem honoris causa hic nominatum volumus, quique codex eductus eo sæculo non inverisimiliter diceretur ex alio vetustissimo ejusdem Aquileiensis olim regionis, in qua certe sub *Chromatio* episcopo annos aliquot vixit Rufinus, et in qua, et pro qua, ejusdem *Chromatii* jussu, versionem illam adornavit : nisi potius hac ipsa de causa eductus fortasse censeatur ex eodem etiam Rufini autographo codice, qui adhuc superstes tunc fuerit, aut certe ex uno e primis illius Apographis, qui a Rufino ipso, atque a *Chromatio* per universam amplissimam diœcesim, pro suscepti laboris instituto, diffusi tunc fuerunt. In hoc porro codice, qui multæ propterea auctoritatis, utcumque se res habeat, esse potest ac debet, ita simpliciter Rufini *Præfatio* ad *Chromatium* enuntiatur : *Incipit Prologus Rufini presbyteri in Historia Ecclesiastica ad Chromatium episcopum.* Longe igitur abest, quod Rufinus reapse, in *Præfatione Eusebianæ Historiæ*, *Chromatium* dixerit *Pontificem maximum ;* et hoc *honoris causa*, quemadmodum credidit Fontaninus.

Præter quam quod animadvertere insuper placet, Rufini Aquileiensis ætate, ac præsertim anno Christi 400 seu primo aut secundo supra 400, quo tempore hæc ad *Chromatium* Rufinus scribebat, *Pontificis maximi* absolutam ac litteralem appellationem, qua Romana vetus gentilitas utebatur ad summum Sacrorum suorum hierarcham indicandum, quam Ethnici postea Imperatores sibi, veluti supremæ co-

rum dignitati debitam, adsciverunt, quaque nonnulli christiani quoque principes successores non infrequenter, paganismo vigente, licet vel ipsis facile invitis, a paganis præsertim subditis donati fuere ad annum circiter 382, uti ex Baronio ad annum 312, Pagio ibidem; De la Bastie tomo XV, *Mémoires de Littérature de l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres*, etc., atque ex aliis quoque intelligimus;
C hanc inquam, *Pontificis maximi* puram putam appellationem nondum tunc ad Christianum usum traductam fuisse, veluti nimium fortasse idololatricum cultum adhuc olentem, ideoque nec ipsi Romano episcopo attributum, etsi jam inde non paucis honorificentissimis titulis, ac prorsus eidem appellationi similibus, sibique tantum peculiaribus, idem apostolicæ primæ sedis episcopus gauderet.

Neque porro quidquam moratur *Pontificis maximi* titulus, quo sancti Zephyrini papæ edictum seu decretum quoddam insignitum exhibuit Tertullianus *De Pudicitia*, cap. 1, anno 216, ut Baronius habet. Hunc enim titulum (venia a Baronio petita, qui ibidem num. 8 vellet verum et genuinum esse titulum illius decreti, eidem a decreti auctore præpositum ; necnon venia quoque summorum post Baronium virorum, qui usum ejusdem tituli jam inductum eo tempore in Ecclesia ex hac Tertulliani appellatione autumant) : hunc, inquam, titulum Tertullianus ipse data opera a gentilitate desumpsit, et ibidem pro
D animi sui malignitate, non utique honoris, sed contumeliæ atque irrisionis, immo invidiæ ex eo Pontifici faciendæ causa adhibuit; homo nempe jam Montani sectæ addictus, Romanoque episcopo infensus, uti Rigaltius aliique ad hunc locum, et uti cuilibet quoque contextum perpendenti facile patere potest : ita ut ex hoc unico super hac re totius antiquitatis ad integrum saltem quartum sæculum loco nihil erui possit pro *Pontificis maximi* appellatione in christianismum ea jam tempestate traducta.

Hac itaque inspecta quoque ratione, eo minus probabile videtur Rufinum presbyterum nuncupasse *Chromatium* episcopum Aquileiensem *Pontificem maximum*, et hoc *honoris causa*, ut Fontaninus autumavit.

(*b*) Anno igitur 1713 hanc de *sancto Chromatio* lucubrationem exarabat Fontaninus noster : ideo-

mines per Austriam **117** reliquamque Germaniam ingruente, et procul nos minitante; utinam non prope! Nec solum Eusebianam historiam, sed Origenis homilias 26, in Josuem, seu Jesum filium Nave, latinitate donatas, *Chromatio*, qui id laboris ab eo flagitaverat, Rufinus prologo nuncupavit, qui falso Hieronymum auctorem præfert inter opera Origenis editionis Erasmi, Basileæ apud Frobenium 1557, tomo I, pag. 318. Rufinus his verbis *Chromatium* ibidem alloquitur: *Quia ergo et tu, o mi semper venerabilis pater Chromati, injungis et præcipis nobis, ut aliquid ad ædificationem et constructionem divini tabernaculi ex Græcorum opibus et copiis conferamus, oratiunculas 26 in Jesum Nave, quas ex tempore in Ecclesia peroravit Adamantius senex, ex Græco Latine tibi pro virium mearum parvitate disserui.* Jam ad alia procedamus.

VI. Joannes Chrysostomus A. D. 404 e sede Constantinopolitana impie detrusus, et exulare coactus, ab Innocentio Romano pontifice, præcipuisque Occidentis metropolitis opem implorans, præter Venerium Mediolanensem, *Chromatium* etiam Aquileiensem episcopum de suis ærumnis certiorem fecit, singulis unam eamdemque epistolam scribens, quam Palladius Helenopolitanus recitat in Vita Chrysostomi, cap. 2, pag. 10, 22; quippe antiquitus in more positum fuit, ut post summum pontificem præcipui ejus metropolitæ de magnis Ecclesiæ negotiis edocerentur, quemadmodum ex hoc facto Chrysostomi ostendit Hieronymus Aleander junior de Regionibus suburbicariis dissert. 2, cap. 3, pag. 130. Hoc etiam firmatur exemplo Theodoriti, qui episcopatu depositus, ad sanctum Leonem Magnum appellavit epist. 113, litterasque ea de re illum scripsisse ad episcopos Mediolani, *Aquileiæ*, et Ravennæ, tamquam ad præcipuos Occidentis metropolitas, docet epistola 112, ad domnum Antiochenum. Quantum apud Augustos Chrysostomi causam *Chromatii* auctoritas juverit, Honorius imperator testatus est in litteris ad Arcadium fratrem, cui Occidentalium episcoporum sententiam significaturus, duas præ cæteris sibi scriptas direxit epistolas, nimirum Innocentii et *Chromatii* apud Palladium, cap. 3, pag. 30, ubi ait: *Quænam sit Occidentalium de Joanne episcopo sententia, ex omnibus epistolis, quæ ad me scriptæ sunt, duas subjunxi ejusdem cum cæteris sententiæ, unam Romani, alteram Aquileiensis episcopi.* Sicut vero Sabinus Mediolanensis diaconus, et sub Damaso legatus concilii Romani in gravissimo negotio confirmationis fidei Nicænæ, et Divinitatis Spiritus Sancti, præter synodicas, aliorum litteras quoque, et potissimum sancti Valeriani Aquileiensis metropolitæ, *Chromatii* decessoris, tulit ad sanctum Basilium Magnum, ut hujus epistola 324, ad eumdem Valerianum scripta testatur, ita Æmilius Beneventi episcopus, Cythegius et Gaudentius legati, una cum Valentiniano et Bonifacio presbyteris, præter synodi Occidentalis commonitorium, tulerunt Constantinopolim ad Arcadium Augustum A. D. 406, et *litteras imperatoris Honorii, Innocentii et Italorum episcoporum, Chromatii Aquileiensis, et Venerii Mediolanensis*, atque aliorum, teste eodem Palladio, cap. 4, pag. 31. Ex his colligimus *Chromatium*, non solum ad Honorium, sed ad Arcadium quoque litteras dedisse in causa Chrysostomi; **118** atque hinc patet quanti habitus fuerit, tum ut vir sanctitate et doctrina conspicuus, tum ut Aquileiensis metropolita.

VII. Baronius A. D. 405, § 17, ex Chrysostomi ad *Chromatium*, Venerium, et Gaudentium Brixianum, litteris, quæ supersunt, observat, eosdem episcopos, non *pacificis* tantum, sed etiam *formatis* cum viro magno communicasse. Hæ tamen interierunt. Epistolam Chrysostomi ad *Chromatium*, quæ est 105, integram huc ex tomo IV, Opusculorum pag. 784, editionis Frontonis Ducæi lubet transferre, propterea quod virum sanctissimum mirifice exornet. *Clarissima ferventis tuæ ac sinceræ charitatis tuba ad nos usque sonum suum diffudit, magnum quiddam ac diutissime durans ex tanto itineris intervallo spirans, atque ad extremos usque terræ fines pertingens. Nec nos, licet alioqui tam longe disjuncti, minus quam ii qui adsunt. vehementissimam atque igne plenam charitatem, sinceramque et ingenti libertate et fiducia perfusam linguam, atque adamantinam contentionem exploratam habemus: eoque nomine, vestro etiam conspectu, atque congressu frui magnopere nobis in votis esset. Quoniam autem id quoque nobis ea solitudo, qua nunc, tamquam compedibus, restricti sumus, eripuit; idcirco dominum meum reverendissimum presbyterum nacti, cupiditatem nostram, ut licet, explemus, scribentes et salutantes, vobis quoque pro eo studio, quod toto hoc tam diuturno tempore magna cum animi contentione præstitistis, amplissimas gratias agentes. Ac vos etiam rogamus, ut cum ipse revertetur, insuperque etiam, si tabellarii occurrant, qui ad hanc solitudinem veniant, de vestra valetudine ad nos scribatis. Scis enim quantam hinc voluptatem percepturi sumus, cum de hominum tam ardenter nos amantium valetudine crebrius ad nos aliquid afferetur.* Huc usque Chrysostomus.

VIII. Hic locus postulat ut ea refutemus quæ David Blondellus in Tractatu Historico de Primatu, pag. 262, 266, 283, 1265 ex hactenus dictis in sectæ suæ rem derivare studuit. Cum Chrysostomus præter Innocentium I, Romanum pontificem, Venerium Mediolanensem, et *Chromatium Aquileiensem* de iniqua sua dejectione docuerit, hinc Blondellus ad omnes eum æque appellasse, neque sedem Romanam, ut summum Ecclesiæ tribunal agnovisse

que mirum non sit, si hic ab eodem eruditissimo viro, et rei Bibliographicæ peritissimo, non recenseantur tum opera, tum operum editiones amplissimæ, quæ postea prodierunt usque ad annum 1736, quo diem clausit supremum XV kal. Maias, et usque ad annum 1742, quo demum publicam lucem aspexit posthuma illius *Historia Litteraria Aquileiensis*. Hac de causa neque videre potuit Fontaninus Vallarsianam Rufini editionem anni 1745, in qua citato superius loco exploditur illa imperitorum Amanuensium additio *Pontificis maximi* ad nomen *Chromatii* in *Prologo* Eusebianæ Historiæ.

false contendit. Addit, Chrysostomum non historice A dumtaxat narrantem, ut in iterato responso ad Jacobum I, regem Britanniæ, pag. 118, magnus cardinalis Perronius scripserat; sed ut appellantem ad singulos æque scripsisse. Erras, Blondelle, erras. Bonifacius I, in Epistola ad Rufum, cæterosque episcopos Macedoniæ, quam ex sacræ antiquitatis thesauris eruit Lucas Holstenius in Collectione Romana parte I, pag. 77, ait, Innocentium I, decessorem suum (non *Chromatium* nec *Venerium*) in causa Chrysostomi, ab Orientalium communione discessisse, qui postmodum per legatos a sede apostolica (non ab Aquileiensi, neque a Mediolanensi) pacem poposcerunt: *Ante breve tempus*, inquit Bonifacius, *id est sub prædecessore meo beatæ recordationis Innocentio, Orientalium Ecclesiarum pontifices, dolen-* B *tes, se a beati Petri communione sejunctos, per legatos pacem, sicut charitas vestra retinet, poposcerunt: quo tempore apostolica sedes omnia non difficulter indulsit.* **119** Nicephorus Calistus lib. XIII, cap. 33, litteras recitat, quibus Innocentius I diris devovit clerum Constantinopolitanum, Arcadium, Atticum, et Theophilum Alexandrinum, non quidem ut unus ex episcopis Occidentalibus, sed ut pontifex cæterorum maximus, et caput Ecclesiæ universalis: quod nemo ex reliquis fecisse legitur. Idem Innocentius in epistola 19 ad Acacium Berocensem, apud Labbeum tomo II, pag. 1270, tamquam summus Ecclesiæ custos, sibi sollicitudinem inhærere ait, *ne quid obliquum, aut succisivum in quoquam residere cognoscat.* Arcadius Innocentio rescribens apud Michaelem Gly- C cam Annal. parte IV, pag. 260 edit. Regiæ, postquam acta sua in Chrysostomum excusare studuisset, Romanum pontificem ejus causæ unicum et summum judicem agnoscens, ita concludit: *Igitur quod superest, enixe te obsecro, ut nos a segregatione liberes, nec multipliciter punias* Hoc amplius confirmat facundus Hermianensis, qui Constantinopoli diu vixit: nam in Defensione trium Capitulorum libro IV, cap. 1, testatur *Chrysostomum sine judicio sedis apostolicæ* fuisse damnatum; et lib. VI, cap. 5 de Cyrillo Alexandrino, Theophili decessoris sententiam secuto, hæc prodit: *Contra judicium sedis apostolicæ, quæ per beatissimum papam Innocentium, prædicti sancti Joannis in exilio constituti, damnationem solverat, nomen ejus post mortem inter Dei sacerdotes in sacrificio re-* D *citari prohibuit.* Denique Gelasius I in epistola 13 ad episcopos Dardaniæ de sententia Innocentii contra iniquam damnationem Chrysostomi loquens, *quem*, inquit, *sedes apostolica, etiam sola, quia non consensit, absolvit.* Viden, Blondelle, unam et *solam* apostolicam sedem, numquam *Aquileiensem* aut *Mediolanensem*, in hoc judicio memorari! Perinde abludit a vero, Innocentium ubi Chrysostomi nomine sacris Diptychis nondum reddito, Alexandrum et Atticum in communionem recipere detrectavit, suæ tantum separationis rationem dedisse, citra ullam auctoritatem in aliarum diœcesium ecclesias; idemque a pari, *Venerium* et *Chromatium* exigere potuisse. Sed cur ergo non exegerunt? Cur una sedes Romana exegit, inque causa Chrysostomi condemnationis et absolutionis sententiam *sola* pronuntiavit? Hæc pro re nata contra Blondellum.

IX. De anno, quo diem obiit *Chromatius* meritis plenus, nondum hactenus constitit: nam Panvinium in Chronico pag. 39, Sixtum Senensem in Bibliotheca lib. IV, Antonium Possevinium in Apparatu tomo I, et Henricum Palladium lib. X, pag. 178, quorum alii A. D. 410, alii serius eum obiisse putarunt, a vero aberrasse deprehendimus. Philippus Labbeus in notis ad Bellarmini Catalogum to. I, pag. 223, Franciscus Combefisius in Recensione auctorum bibliothecæ concionatoriæ tomo I, pag. 8, et Natalis Alexander sæculo IV, cap. 3, artic. 34, ut scopulos declinarent, larga et ancipiti formula usi, *exeunte Christi sæculo quarto, et ineunte quinto*, vixisse, annumque mortis ignorati tradiderunt. Sed Chrysostomus, qui obiit A. D. 407, die 14 Decembris, de beneficiis in se collatis gratias agens *Chromatio* A. D. 406, ejusdem se *valetudinis* anxium in epistola superius adducta, semel atque iterum prodit, quia *Chromatius* se ægrotare ad Chrysostomum scripserat. Certe ultra A. D. 406, nulla omnino *Chromatii*, tamquam **120** adhuc vivi, memoria reperitur. Quare hoc eodem anno, postquam sedisset annos 18, menses 9 ex Andrea Dandulo in Chronico lib. I, cap. 14 eum die II Decembris senio confectum hanc mortalem vitam cum æterna commutasse non dubito, sede Aquileiensi, non *Nicetæ*, quod habet Baronius, Ughellus, aliique, sed *Augustino* relicta. Nam Dandulus, omnium plane historicorum, qui de rebus nostris scripserint, accuratissimus, libro II, cap. 1, A. D. 407, *Chromatio* Augustinum successorem datum affirmat. *Chromatii* sanctimoniam commendat, quod in parœcia Aquileiensi eadem die 2 Decembris colatur sub ritu duplici, ut vocant: quo die in martyrologio Romano describitur, in Catalogo etiam Petri Equilini lib. VII, cap. 48, et apud Philippum Ferrarium pariter in Catalogo pag. 746. Hi duo postremi dum *Heliodorum* Altinatem episcopum a *Chromatio* ordinatum tradunt, omnino falluntur; nam in concilio Aquileiensi A. D. 381, Heliodorus *episcopus*, Chromatius *presbyter*, non episcopus, interfuerunt. Quin ergo Heliodorus a *Chromatii* decessore *Valeriano* ordinatus fuerit, dubitari nequit. Hieronymus epistolas utrique inscribens, *Chromatium* Heliodoro, non ut juniori, sed ut ejus metropoli contributo, præposuit: quod fortasse non intellectum, memoratos auctores in errorem traxit. Quamquam in antiquioribus Martyrologiis *Chromatii* nomen non vidi, ejus tamen cultum, contra Baillettum, antiquissimum esse comperio; etenim invocatur in litaniis majoribus, quæ ex libro Hieronymi de sanctorum Natalitiis collectæ dicuntur in operibus Alcuini, pag. 281. Has litanias puto laudari a Walafrido Strabone cap. 28 de Rebus Ecclesiasticis. Invocatur etiam in fusioribus litaniis mss. post Psalterium in Codice sæculi XII Bibliothecæ Passionex. Clau-

dius Castellanus canonicus Parisiensis, vir de sanctis A egregie meritus, quorum nominibus ex antiquitate eruendis, restituendisque, immortuus est, in Martyrologio universali die 2 Decembris pag. 612, *Chromatium* recenset, ratus ante Gregorium XIII in nullo Martyrologio repertum; tunc enim Baronius, inquit, Romano illum inseruit. Sed longe antea non solum in Catalogo sanctorum, quem Episcopus Equilinus confecit A. D. 1370, sed ante Baronium Joannes Cabilonensis episcopus in Topographia sanctorum post martyrologium Maurolyci, immo et Maurolycus martyrologio suo eum inseruerat die 11 Augusti. Ante Maurolycum Petrus Natalis in Catalogo sanctorum etiam meminit. In Martyrologio Usuardi, quod Hermannus Grever Cartusianus vulgavit Coloniæ typis Joannis Rœlhoff Lubecensis A. D. 1490, recensetur B *Chromatius* noster die 17 Augusti apud Sollerium pag. 461, alia utique ex causa, quam propter obitum.

121 LIBRI III CAPUT IV.

I. Homiliæ 18 sancti Chromatii in unum opus conflatæ. II. Cur et a quo dictus episcopus Romanus. III. Homiliarum earumdem omnino est auctor. IV. Viri docti eas laudant. V. A Magdeburgensium calumniis vindicatæ. VI. Illarum stylus, et scopus. VII. Scripta Chromatio supposita.

1. Ex scriptis, quæ CHROMATIO pietatis et doctrinæ laudem pepererunt, *Homiliæ* seu *Sermones* duodeviginti in *Evangelium* sancti Matthæi adhuc supersunt; in quibus voluntariam paupertatem, puriorem doctrinam, et christianam perfectionem, *vir pietate et eruditione clarissimus*, uti eum vocat Sixtus Senen- C sis, fidelium animis inserere studet. Hæc Opuscula Joannes Sichardus una cum Symmachi papæ Apologetico *ex vetustissimo codice* Matthæi a Saræcastro Trevirensis, ut testatur in præfatione, sub hoc titulo primus omnium vulgavit : *Chromatii doctissimi episcopi Romani in* V *et* VI *caput Matthæi dissertatio, atque in eodem genere declamatio : quæ nunc primum sunt eruta, et in lucem edita. Basileæ apud Adamum Petrum, mense martio* 1528 in-8°. Primam hanc editionem *Sichardi* correctam et suppletam ex codice antiquo Bibliothecæ sancti Trudonis, et ex altero a Laurentianis prope Leodium impetrato, Martinus Lipsius comparere jussit *in Micropresbytico veterum quorumdam brevium Theologorum*, Lovanii primum A. D. 1546, et postea Basileæ edito apud Henricum D Petri anno 1550, pag. 412. Subinde Joannes *Heroldus* hæc omnia inseruit *Orthodoxographis theologiæ sacrosanctæ*, Basileæ vulgatis apud Henricum Petri anno 1555, tomo I, pag. 430, et etiam Joannes Grynæus suis *Monumentis Sanctorum Patrum Orthodoxographis*, ibidem impressis anno 1569, tomo II, pag. 1192. Non ergo *Lipsius primus* omnium *Chromatii* homilias *luce donavit*, quod credidisse videtur Aubertus Miræus in Elogiis illustrium Belgii scriptorum pag. 73 editionis I (*a*). Hæc tam minuta non adderem, nisi ab historiæ litterariæ scriptoribus præteriri conspicerem, atque ita quodammodo iis inventi gloriam perire, qui primi *Chromatium* e membranis et latebris in lucem protulerunt. Mirari subit, a nemine criticorum hactenus visum, hanc eamdem *Chromatii Dissertationem*, ut vocavit *Sichardus*, sive *Opusculum*, vel *Declamationem*, aut *Commentariorum fragmentum*, ut cum Bellarmino et Labbeo tomo I, pag. 225, alii dicere maluerunt, nihil aliud esse, quam *duodeviginti homilias* in unum conflatas, quæ commode etiam *Tractatus* appellari possunt, ea phrasi, qua antiquos scriptores ecclesiasticos, ad denotandas *homilias* et *conciones*, usos animadvertit Franciscus Bernardinus Ferrarius Lib. I, cap. 2 *de Ritu Sacrarum Concionum*. Enimvero ubicumque apud *Chromatium* occurrunt hæc verba, vel 122 his similia : *qui est benedictus in sæcula :* ibi unaquæque homilia singulatim absolvitur. Hujusmodi formula, homiliis familiari, quæ semper exeunt in δοξολογίαν, sacras conciones terminari consuevisse, post *Erasmum* in præfatiuncula tomo II operum Origenis, observat idem Ferrarius libro I, cap. 31. *Chromatii homilias* in *tres tantum divisas* Laurentius Cumdius inseruit *Bibliothecæ Homiliarum*, per Gerardum Mesanum editæ Lugduni apud Junctas A. D. 1588, tomo II, pag. 1170. In *sex* vero dissectas Franciscus Combefisius transtulit in suam *Bibliothecam Concionatoriam*, Parisiis vulgatam apud Antonium Bertien A. D. 1662, tomo II, pag. 22, 94 ; tomo V, pag. 202, 224; tomo VIII, pag. 344, 346. Omnes junctim compactæ exstant in *Bibliotheca Patrum* Margarini Bignei editionis II Parisiensis A. D. 1589; tomo II, pag. 792, et Tomo item II, pag. 151 editionis IV Parisiensis A. D. 1624, et demum tomo V, pag. 976 editionis Lugdunensis Anissonianæ anni 1677. Facile autem fuit tot homilias ignavia exscriptorum in unum coalescere, cum omnes et singulæ in explanando *Evangelio sancti Matthæi* versarentur. Ergo vulgatam divisionem et nos sequamur. In Opusculo I est una tantum *homilia*. In Opusculo 2 sunt 15 *homiliæ*, quarum postremæ aliqua desunt in fine; quæ in codicibus mss. Sichardi et Lipsii etiam deerant. In Opusculo 3, quod est acephalum, sunt *Homiliæ* 2. Ex his omnibus *prima* tantum et *secunda* sunt *de octo Beatitudinibus* (*b*);

(*a*) Aliam separatam editionem Lovaniensem anni 1615 horum Opusculorum sancti *Chromatii* memorat D. Remigius Ceillierus *Hist. Génér. des Auteurs Sacrés et Ecclésiastiq.* to. X, cap. 3, num. 7.

(*b*) Vere ac proprie una tantummodo ex *homiliis* seu *tractatibus* sancti Chromatii appellari potest *De Octo Beatitudinibus*; atque huic primum locum nos quoque tribuimus in hac nostra editione, extra ordinem cæterorum *tractatuum*. *Tractatus* alter, qui tertius est in nostra editione, etsi de *Beatitudinibus* agat, non est tamen suapte natura *Tractatus* proprius *De Octo Beatitudinibus*, sed continuatio quædam Commentarii in Matthæum, quæ et ipsa desinit cum consueta *doxologia*, sicut et partes aliæ quæ eamdem præcedunt ac subsequuntur; quin tamen ullum habeat exordium, ullam conclusionem seu epilogum, quæ illam constituant *Tractatum* vere ac proprie *De Octo Beatitudinibus*, prout *Tractatus* prior de quo diximus. Eadem ratio esset de *Homilia* seu *Tractatu* in hac nostra editione 14, qui totus est in exponenda Oratione Dominica; quem tamen nullus *Tractatum* seu *Homiliam* nuncupavit *De Oratione Dominica*, quia

quo nomine etiam reliquæ vulgo inscribuntur, perperam tamen.

II. In prima editione *Sichardi*, unde reliquæ manarunt, *Chromatius* dicitur *episcopus Romanus* (a). Hæc *Romani* appellatio hactenus ingenia criticorum mirifice torsit. Etenim Sixtus Senensis in libro IV *Bibliothecæ*, ab urbe *Roma*, Chromatii patria, ut ipse quidem putat, illam appellationem arcessit. Sed Baronius ad dies 22 Junii, et 2 Decembris, cumque eo Henricus Palladius lib. V, pag. 74, et lib. IX, pag. 157, aliique eosdem secuti, ex *Romæ secundæ*, seu *Romanæ*, vel *Romatianæ* civitatis elogio, quod *Aquileiæ* adhæsisse non ambigunt, cognomenti originem trahunt. De hoc mihi postmodum in *Nicæta* quærendum erit (b).

123 Ab his longe discedens Paschasius Quesnellus ad epistolam 129 sancti Leonis Magni § 4, postquam audacter in dubium vocasset utrumne ejusmodi inscriptio *Chromatium* nostrum vere spectaret, subinde Gradensis Ecclesiæ Patriarchatum ex Aquileiensi ortum memoria repetens, Gradensem antistitem, ut ab Aquileiensi Longobardis subjecto distingueretur, aliquando *Romanum* vocitatum affirmat. Suam in rem profert verba Pauli Diaconi sic scribentis in libro IV, cap. 34, de Gestis Longobardorum : *In Grados quoque ordinatus est Romanis Candidianus antistes :* eoque defuncto, ait, ordinatum patriarcham Epiphanium *ab episcopis, qui erant sub Romanis.* Baronius A. D. 605, § 4 hos ipsos *Romanos*, perinde ac pro *catholicis* accipiendos, existimavit. At Quesnellus, et ex eo Pagius A. D. 396, § 6, Tillemontius etiam tomo 11, pag. 647, *veros Romanos Ausonios* intelligunt; sive Aquileiæ veteris incolas, Gradum profectos, qui parerent *Romanis* Ausoniis, tum etiam, quia episcopi illi *erant sub Romanis.* Quominus hæc omnia verissima sint Quesnellus neutiquam dubitat. Hinc ipse *Romani* nomenclaturam *post sæculum* 7 *Chromatio* nostro Aquileiensi, per anachronismum, a scribis agglutinatam facile credit; scilicet, si eum audimus, tamquam *nomen, quod* (scribæ illi) *communiter Aquileiensibus sui ævi episcopis tribui noverant.* Ita Quesnellus, ex frivolis conjecturis, ne dicam meris commentis, res certas proferre studens; cum tamen Aquileienses, aut Gradenses metropolitas, neque ante, neque *post sæculum* 7 ullus umquam mortalium *Romanos* dixerit; illique episcopi, a quibus Gradensem patriarcham Gradi ordinatum narrat Diaconus, æque essent sub *Romanis* ac *Gradus* ipsa, teste eodem Diacono. *Romanus* ergo ex hoc capite non magis patriarcha Gradensis, quam cæteri episcopi qui eum ordinaverant. Hæc satis superque nos monent, ut in recessu vocabuli quidpiam aliud latens investigare debeamus. Gradus, Istriæque provinciæ civitates, tunc ecclesiasticæ huic Gradensi metropoli contributæ, non veris *Romanis* nostris, ut ex rerum Italicarum ignoratione putavit *Quesnellus*, sed *Græco Imperio* suberant, cui paulo ante finem sæculi 8 *Istriam* etiamnum paruisse, habemus ex epistola 57 codicis Carolini. Libros enim typis vulgatos, potius quam non editos, ut sunt Annales *Andreæ Danduli*, Leonino critico opponam. *Istriam* denique Carolus Magnus sibi subegit, teste Eginardo in Vita cap. 15 quod Cointius A. D. 789 illigandum censet. Si autem Ravennates imperiali exarcho suberant, ut patet ex *Paulo*, utique Græcorum imperio, non *Romanis* Ausoniis suberant. Idipsum de Istris et Gradensibus dicendum est. Ergo *Romani* isti sunt *Græci*. Hoc non solum discimus ex *Paulo Diacono*, qui etiam in Historia Miscella idem vocabulum frequenter usurpat, sed luculentius ex Liutprando in legatione ad Nicephorum Phocam, pag. 139 editionis Plantinianæ, juxta quem, *Romanorum* nomen Græcos Byzantinos sibi proprium fecisse in comperto est. Hoc ex aliis etiam auctoribus liquet apud Cangium in utroque Glossario, qui tamen in Græco tomo II, pag. 1312, ex Novella 21 Justiniani observat, hujus Augusti ætate qui Imperium capessivit A. D. 527, nondum omnino invaluisse, ut Græci Byzantini, recepta appellatione, **124** *Romani* dicerentur. Post Justinianum id passim invaluit adeo, ut tandem apud Occidentales nomen *Romani* esset opprobrio, inquit Liutprandus. Jornandes tum in libello de Rebus Geticis, tum in alio de Regnorum successione, et Isidorus in Chronico æra 446 Imperio subjectos, ipsumque Imperium, generatim *Romanos* et *Romaniam* vocitarunt. Hoc idem ex Græcorum scriptis alii docuerunt, et dudum Joannes Baptista Cotelerius in Monumentis Ecclesiæ Græcæ tomo I, pag. 752. Quare Græci Imperii sedem Constantinopolim, et *novam Romam*, et caput *Romaniæ* dixerunt. Immo et regio Italica, ubi aulæ Byzantinæ exarchi, post Gothos per Narsetem Patricium Justiniani Augusti ducem omnino exactos, dominabantur, inde *Romaniæ*, vulgo *Romagna*, appellationem obtinuit; contra quam Blondus aliique posteriores nugantur. David Blondellus in libro de Primatu, pag. 539, Pauli Diaconi *episcopos qui erant sub Romanis*, eos qui *Græco Imperio parebant*, secus ac Quesnellus, egregie explicavit. Sed postmodum pag. 612, cum Blondo errans, Ravennati exarchatui *Romaniæ* nomen inditum tradidit, quod in jus Eccle-

continuatio et ipse est Commentarii in Matthæum absque ullo seu exordio seu conclusione, quæ eumdem constituerent peculiarem quemdam *Tractatum* singulari appellatione donandum.

(a) Vide titulum hujus editionis una cum epistola nuncupatoria Joannis Sichardi, absoluta præfatione, post *Veterum Testimonia et Lectiones Proprias*, etc.

(b) Quod hic sibi cl. Fontaninus quærere proposuerat, postea aliis eruditis laboribus impeditus, ac morte demum præventus, perficere nequivit; quia ad *Nicetam* episcopum Aquileiensem sua *Litteraria Historia Aquileiensis* non pervenit. Nihilominus ex schedis ipsius, quas vidimus in Bibliotheca Oppidi Sancti Danielis ubi non pauca mss. cl. præsulis asservantur, quæque ad opus *Litterariæ Historiæ* perficiendum pertinuisse noscuntur, satis conjicimus, ipsum adhæsisse communiori litteratorum sententiæ, quæ Baronio in hac parte minime favet. Vide, si lubet, quæ de hac re late disseruimus cap. 5 et 6 *Dissertationis* nostræ, quam edidimus cum *Opusculis quæ supersunt sancti Nicetæ Aquileiensis episcopi, anno* 1810.

siæ Romanæ, Pippino et Carlo Magno auctoribus, transiisset. Hoc idem scripserat pag. 125, semel atque iterum lapsus; nam locus ex Paulo adductus, aliique mox adducendi, tempora Pippino et Carlo ipso antiquiora manifeste respiciunt. In codicibus mss. Palatinis Pauli Diaconi libro IV, cap. 47, Ravennates *Romanos* dici, absque copula, annotavit Janus Gruterus ad historiæ augustæ scriptores latinos tomo II, pag. 170, in fine, ubi tamen in vulgatis *Pauli* editionibus legitur *cum Ravennatibus et Romanis*, perperam interjecta copula. Idem *Paulus* libro VI, cap. 46, *Faroaldus*, inquit, *Spoletanorum ductor Classem, Ravennatium Civitatem, invasit. Sed jussu regis Liutprandi eadem Romanis reddita est*; nempe *Ravennatibus* proxime nominatis. Gradenses pariter non magis *Romani* fuerunt, quam Ravennates, quorum exarchis obtemperabant. Hæc non ideo a me scripta sunt, quod *Chromatium* hoc sensu *Romanum* dictum fuisse arbitrer, sed quo sententiam Quesnelli nullo modo ferri posse convincam. Enimvero palam est, *Chromatium* sæculi 4 scriptorem, præ aliis hoc significatu *Romanum* dici non debuisse qua ætate non uni Græci, sed perinde omnes Romano imperio subjecti pro Romanis reputabantur, unaque Ecclesia Romana, *Romaniæ* metropolis audiebat, ex Athanasio in Historia Arianorum pag. 364 *totiusque orbis Romani caput* ex consilio Aquileiensi in appendice Theodosiana apud Sirmondum tomo I Operum, pag. 743. Sic Epiphanius lib. I, hæresi 69 § II, Arium ait, prava doctrina sua πᾶσαν τὴν Ῥωμανίαν, *totam Romaniam* occupasse. Similiter Possidius in Vita Augustini, cap. 30, Vandalos Africam depopulantes, *Romaniæ eversores* appellat. Ex his constat, *Romani* cognomentum, *Chromatio* affixum, aliunde explicandum. *Sichardus* in epistola nuncupatoria ad Sigismundum Islungum testatur, *Chromatium* perhonorifice laudari, et ejus operis magnam partem percenseri ab Albino in *Libello contra hæresim Felicis*. Folio deinde 59, pag. 2, ad hunc locum de Divinitate Filii Dei, *non per adoptionem gratiæ, neque per religionem creaturæ, sed sui proprietate generis, et veritate naturæ*, hæc **125** in libri margine adnotavit: *citatur hic locus ab Albino contra Felicem ex Chromatii Libello de Octo Beatitudinibus*. Hanc notam suæ postea editioni Mar-

A *tinus Lipsius* etiam apposuit. Cum frustra hæc inter opera *Albini*, cognomento *Alcuini*, typis expressa quæsivissem, tandem reperi in codice 290 numquam edito, inter Palatinos bibliothecæ Vaticanæ, qui inscribitur : *Albinus contra hæresim Felicis;* et septingentis ab hinc annis exaratus videtur. Ibi inter alia Patrum latinorum testimonia, fol. 12, hæc recitantur (*a*) : *Chromatius quoque sanctæ Romanæ antistes Ecclesiæ, in Libello, quem de Octo Beatitudinibus scripsit, ita dicit : in mysterio enim baptismi et Filius videtur in corpore, et Spiritus Sanctus in specie columbæ descendit, et vox Patris de cœlis auditur, ut Trinitatis unitas declaretur, quia nec Pater sine Filio intelligi potest, nec Filius sine Spiritu Sancto cognosci. Vide igitur quale Patris de Filio testimonium sit dicentis : hic est Filius meus. Suus utique, non per adoptionem gratiæ, neque per religionem creaturæ, ut hæretici volunt, sed sui proprietate generis, et veritate naturæ. Multi enim sanctorum Filii Dei dicuntur, et sunt. Sed hic sine comparatione unus Deo Patri Filius unigenitus, et verus et proprius, non aliunde quam de Patre natus; quia tam verus Pater est, quam verus et Deus est, sicuti etiam verus Filius est, quam verus est Dominus. Perfecta ergo fides est Trinitatis ostensa, cum et Pater Christum Dominum, ac Deum nostrum, Filium suum esse testatur, et Spiritus Sanctus, id est Paracletus, in tanto Fidei sacramento Patri Filioque conjungitur, ut verum Patrem, verum Filium, verum etiam Spiritum Sanctum, credere tres Personas, sed unam Divinitatem Trinitatis, unamque substantiam* C *non dubitemus*. Illustrem hunc locum eo lubentius attuli, quod totidem (*b*) verbis legatur in homilia ultima *Sancti Chromatii*, quæ est de Baptismo Christi, pag. 990 editionis Anissonianæ, qua utor. Alcuinus ergo, qui, more suo, poetice loqui solet, postquam laudasset Alexandri Constantinopolitani episcopi litteras ad Alexandrum Alexandrinum antistitem pro fide catholica scriptas, statim præ aliis *Romanæ*, id est *Latinæ*, Ecclesiæ Patribus, Augustino, Isidoro, et Leone, **126** *Chromatii Aquileiensis* episcopi doctrinam Felici Urgelitano opponens, non *patriæ*, aut *Sedis*, sed Occidentalis seu *Latinæ* Ecclesiæ nomen indicare voluit, *Romanæ Antistitem Ecclesiæ* appellando. Hinc *Sichardus* eumdem *Chromatium* eo *Ro-*

(*a*) Exstat nunc typis editum Albini seu Alcuini opus *contra hæresim Felicis* tomo I, Vol. II operum ejusdem Albini seu Alcuini, editionis Abbatis Frobenii, Ratisbonæ 1777, in folio, sub hoc titulo : *Libellus adversus Hæresin Felicis Episcopi*. Locum autem ex hoc eodem *Libello* hic a Fontanino relatum, vide etiam, si lubet, post *præfationem* nostram inter *Veterum Testimonia*. Eumdem locum ab Albino ex *Chromatio* desumptum, vide suo loco in hac nostra editione *Tractatu* 2, num. 2, qui pridem apud Gallandium erat *Tractatu* 18.

(*b*) Illustris hic *Chromatii* locus ab Alcuino relatus nequaquam legitur *totidem* prorsus *verbis*, prout asserit Fontaninus, in *Homilia ultima* Sancti *Chromatii* *Editionis Anissonianæ*, id est in Bibliotheca Patrum Lugdunensi; sicuti neque in Bibliotheca novissima Andreæ Gallandii, quæ hunc locum fideliter ex Lugdunensi descripsit. Adeo enim utrobique hic locus corruptus habetur, in re nimirum magni momenti D uti mysterium Trinitatis est; ut etiam vexare theologorum ingenia facile possit, etsi non pro catholica fide asserenda tanti mysterii (quæ jam infinitis propemodum fulcitur Patrum testimoniis), certe pro recta mente cognoscenda sancti *Chromatii*, quæ nonnihil hic aberrare a recta fide videtur, si verbis stemus, quæ nobis in utraque bibliotheca exhibentur.

Nos itaque locum hunc in hac nostra editione proferimus suæ integritati restitutum *Tractatu* 2, num 2, prout ex *Chromatii* calamo procul dubio prodivit; ope præsertim (ut ibidem in annotatione dictum fuit) hujus ejusdem loci a Fontanino relati ex Codice Vaticano, necnon adhibita etiam Editione prima Basileensi *Chromatii* 1528, atque altera 1569, inter *Monumenta SS. Patrum Orthodoxographa* Joannis Grynæi, et accersito quoque eodem ipso loco quem inter *Testimonia Veterum* attulimus ex Frobeniana Alcuini editione.

mani cognomento donavit. Non enim Alcuinum, sua ætate doctissimum, veterum formularum et historiæ pontificalis adeo ignarum fuisse putaverim, ut *Chromatium* ex elogio *Sancti ac venerabilis Papæ*, quo Hieronymus eumdem ornavit in præfatione libri Paralipomenon, et initio Commentarii in Habacuc, ideo summum pontificem fuisse crediderit. Eodem plane Alcuini intellectu Hieronymus, qui fuit Dalmata, in epist. 58 ad Damasum, de tribus tunc Antiochenis episcopis trium hypostaseon confessionem ab eo exigentibus loquens, *novellum*, inquit, *a me homine Romano, nomen exigitur*. Pro *Romano* Latinum intellige. Pari pacto Gelasius Cyzicenus in lib. I de Actis Nicænæ synodi, cap. 1, concilium Nicænum II, actione 1, et Photius codice 89, *Rufinum* presbyterum Ecclesiæ Aquileiensis, *Romanum* dixerunt. Anne hinc *Rufinum* nostratem *Romanum*, id est *Romanis* subjectum cum Quesnello, vel stricto sensu, et vere *Romanum* intelligemus? Non certe. Sed neque inter *Latinos* episcopos ullus *Chromatius* reperitur, doctrina et sanctitate conspicuus, cui laudata opuscula jure tribui possint, præterquam huic nostro; quem Hieronymus, vir tantus, in præfatione ad libros jam dictos *episcoporum doctissimum*, iterumque *episcoporum sanctissimum atque doctissimum* honoris causa appellavit. Petrus Castellanus in Lexico Hagiologico ante Origines Gallicas Ægidii Menagii memorat quidem *Sanctum Chromatium* Metensem episcopum, sed quem sæculo sexto floruisse testatur. Mallem Bollandiani scriptores de *Chromatio* siluissent tomo IV Junii, pag. 216, § 10. Quid enim levius, quam dicere, titulum *Episcopi* ei vere *Romano*, allini potuisse? vel ex *Comano* a librariis *Romanum* factum? *Comana*, civitas episcopalis, duplex fuit, una in Armenia minori, altera in Ponto, utraque in Cappadocia. *Comaniam* etiam ad Istrum obtrudunt. Hæc tamen *Comania*, vel *Cumania*, seu *Commania*, de qua Cangius ad Villharduinum pag. 336, est regio, Valachiæ partem constituens, non urbs episcopalis. *Comanos* Hungariæ populos dicit Pius in notis ad Antonium Panormitam de Dictis et Factis Alphonsi regis lib. IV, cap. 32. Atqui *Chromatius*, si vera hæc essent, non latine, sed *græce* scribere debuisset. Apage frigidas hujusmodi conjecturas, tantis viris indignas! Ni fallor, hæc satis produnt, ea non raro Criticis primæ notæ negotium facessere, quæ, si interius spectes, vulgaria omnino et plana esse noscuntur.

III. Hæc scripta, quæ *Chromatii* nostri esse contendimus, quin sint antiqua et probatissimi auctoris, dubitari nequit, judice Tillemontio, tomo XI, p. 539,

A qui et *Chromatii* nomini illa undequaque respondere arbitratur, et Sixto Senensi assentitur, ab eruditionis et pietatis copia eadem commendanti. Illorum antiquitatem multa confirmant.

1. Testimonia Sacræ Scripturæ, ibi, ex more veterum Patrum, frequentissime recitata, non quidem ex versione vulgata Hieronymiana, sed ex prisca Itala; inque veteri Testamento auctor sequitur LXX Interpretes, **127** quod Martino Lipsio pariter observatum pag. 412.

2. De Gentilibus, tamquam de adversariis adhuc exstantibus, auctor disserit : nam Opusculo I, pag. 977, illud (*a*) : *Beati pacifici*, de pace intelligi ait, qua *homines gentiles, qui inimici sunt Dei, per instantiam doctrinæ adducuntur ad pacem, qua peccatores emendantur, et Deo per pœnitentiam reconci-*
B *liantur* : Opusculo II, pag. 982 (*b*) : *Habemus*, inquit, *adversarios et gentiles, qui fidei nostræ adversantur; qui nos interdum tempore persecutionis ad nefanda sacrificia cogunt*. Item pag. 985 (*c*), ad illud Matthæi v, 41 : *Quicumque angariaverit te mille passus, vade cum illo adhuc alia duo*, ita disserit : id est, *ut quicumque Infidelis, vel necdum cognitionem veritatis consecutus, de uno Deo Patre, rerum omnium conditore, veluti per iter legis ingressus, non fecerit mentionem, vadas cum illo adhuc alia duo*. Porro Noricos regioni Aquileiensi conterminos, adhuc *Infideles*, seu *Gentiles*, quinquaginta circiter annis post *Chromatium* ad Christianam fidem convertit Severinus, propterea *Noricorum Apostoli* elogio honestatus in Fastis Ecclesiæ Romanæ
C die 8 Januarii. *Chromatio* æqualis *Rufinus*, qui suam eidem Historiam dicavit, de Gentilibus seu Paganis, tamquam de hostibus religionis Christianæ tunc adhuc exstantibus, loquitur in Expositione Symboli : *sed Pagani solent irridere nos*. Ad hæc, *Chromatio* superstite, Sisinnius et socii, a Gentilibus oppressi, martyrium subierunt in provincia ecclesiastica Aquileiensi prope Tridentum A. D. 397. Vide Acta Ruinarti pag. 608. Ejusdem ætatis *Nicetas* subdiaconus Aquileiensis, et postea *Romatianæ* civitatis in Dacia episcopus, librum edidit *de Gentilitatis erroribus* apud Gennadium in Catalogo cap. 22 (*d*).

3. In fine postremæ homiliæ pag. 990 (*e*) contra ejus temporis hæreticos Arianos, verbis ex Alcuino superius adductis, Divinitas Filii Dei strenue defen-
D ditur. Hæc nulli *Chromatio* congruunt, præterquam nostro, quem in concilio Aquileiensi A. D. 381 contra *Palladium Arianum* disputasse observavimus, quemque *Ariani dogmatis virus ab urbe* Aquileia exclusisse scribit Hieronymus epist. 7, alias 43.

(*a*) Citat hic semper Clarissimus Fontaninus *Chromatii* Loca ex tomo V *Bibliothecæ Patrum* Lugdunensis; quæ nos in his Notationibus, pro legentium commodo, ad hanc nostram editionem redigimus. Vide itaque citatum locum in *Tractatu*, seu *Sermone*, *De Octo Beatitudinibus*, quem primum exhibemus, num. 7.

(*b*) Id est in hac nostra editione *Tract*. 8, num. 1.

(*c*) Id est in hac nostra editione *Tract*. 11, num. 3.

(*d*) *Nicetas* quidem Aquileiensis episcopus librum edidit *De Gentilitatis erroribus*, ut apud Gennadium loco citato : sed hic non est ille *Nicetas*, seu potius *Niceas*, qui fuit subdiaconus Aquileiensis, et de quo S. Hieronymus in epistola ad eumdem; neque confundi debet cum alio *Niceta* qui fuit in Dacia episcopus, et cujus laudes cecinit S. Paulinus Nolanus. Vide *Dissertationem* nostram superius citatam, ubi hæc latius explicantur.

(*e*) Id est in hac nostra editione *Tract*. 2, num. 2.

4. Initium primæ homiliæ (a), in populi frequentia recitatæ, tale est : *Dat nobis, fratres, conventus hic populi et mercatus frequentia occasionem proponendi sermonis Evangelici.* Hæc nimirum quantum *Aquileiæ* conveniunt, ubi frequentes nundinas haberi solitas ob finitimos populos, illuc mercimoniorum causa confluentes, inde colligitur, quod *Aquileia* tunc esset *Venetiæ* metropolis, **128** teste Jornande de rebus Gothicis cap. 42, et Paulo diacono de Gestis Langobardorum lib. II, cap. 14. Quare a Juliano imperatore Orat. 1, *Italorum Emporium opulentum*, a Liutprando Hist. lib. III, cap. 2, *prædives* vocatur. Mela lib. II, cap. 4, tanto ante, ut *ditem*, et Ammianus lib. XXI, cap. 11, *ab opibus* celebraverant. Porro levissimum est, quod ex silentio Hieronymi ad abjudicandas *Chromatio* homilias affert Labbeus : nam præterquam quod Hieronymus Catalogum suum non condidit post *Chromatium*, sed illo adhuc superstite A. D. 392 (b), qui fuit Theodosii XIV, ut contra Scaligerum et Valesium evincit Pearsonius in Vindiciis Epistolarum Sancti Ignatii parte I, cap. 6, Viro maximo, brevem Catalogum scribenti omnia omnium Opera præsto nequaquam fuerunt, quod ipse ait in procemio : *Si qui autem de iis, qui usque hodie scriptitant, a me in hoc volumine prætermissi sunt, sibi magis quam mihi imputare debebunt. Neque enim celantes scripta sua, de his, quæ non legi, nosse potui : et quod aliis forsitan sit notum, mihi in hoc terrarum angulo fuerit ignotum. Certe quum scriptis suis claruerint, non magnopere nostri silentii dispendio suspirabunt.* Hæc Hieronymus scribebat, ubi *Chromatii*, licet amici, Homilias, necdum forte editas aut scriptas, omnino ignorabat. Idem est judicium de Gennadio, Isidoro, aliisque nomenclatoribus exteris, qui nec de Mario Mercatore sancti Augustini amico, nec de sancto Gaudentio Brixiæ episcopo et *Chromatii* æquali, nec de Petro Chrysologo meminerunt. Eorum tamen opera genuina ad nos pervenisse, quis nescit? Jam vero illustrium virorum sententias de *Chromatii* lucubrationibus perpendamus.

IV. Sichardus in Epistola ad Islungum, *dispeream*, inquit, *si non Chromatius hic sit dignus, qui non solum legatur ab eruditis; sed et ediscatur : tanta est sermonis elegantia, et tractandi hujus argumenti dignitas! Divine exsequitur ea fere omnia, quæ hodie sunt de Baptismo ac Juramento vocata in controversiam.* Sichardo his plane verbis concinit Martinus Lipsius in Micropresbytico pag. 412 : *Chromatium nunc quasi de novo redditum orbi, suscipe, qui, ut præteream interim alia, de Octo illis apud Matthæum Beatitudinibus ita scribit diserte et sancte, ut non legi solum ab eruditæ pietatis cultoribus, sed etiam edisci ad verbum re vera dignus sit; tanta est in tractando dexteritas et acrimonia.* Heroldus in enarratione auctorum, quibus constant ejus *Orthodoxographa Theologiæ Sacrosanctæ*, num. 27, *Chromatius*, inquit, *sive is papa (quod vocabulum ea ætate senioribus et Ecclesiæ præfectis dabatur) sive Episcopus fuerit, certe de Octo Beatitudinibus et in Dominicam Orationem scripsit, et eruditione, et pietate insignia commentaria.* Iterum pag. 433, ejus Homilias, ut *eruditione pariter et pietate insignes* commendat. Joannes Jacobus Grinæus in Præfatione ad *Monumenta sanctorum Patrum orthodoxographa*, ait *Chromatium* eleganti δημηγορίᾳ (id est *oratione ad populum*) *Octo Beatitudines exposuisse.* Nicolaus Serarius in Notis ad epistolam 1 sancti Bonifacii martyris pag. 292, **129** inter veteres Patres, qui libri *Ecclesiastici* auctorem non Jesum filium Sirach, sed Salomonem faciunt, *Chromatium* ponit ad caput V et VI Matthæi. Caspar Barthius Chromatiana hæc Scripta tanti fecit, ut in eorum locis nonnullis illustrandis ingenium occupaverit. Nam in Adversariis lib. XXXII, cap. 4, versiculos, qui auctoribus exciderunt improvisi, neque studio eo contendentibus, detegens, hos reperit in Opusculo I, pag. 977 (c).

Hic
Noster mercatus, hæc nundina spiritualis.

Libro XXXV, cap. 13, observat, *Chromatium* Opusculo II, pag. 978, col. 20 (d), *misereri* cum dandi casu usurpasse : quod alii etiam Christiani scriptores non illibentes fecerunt, ut sanctus Cyprianus ad Demetrianum ex Propheta : *Nolite misereri senioribus atque juvenibus.* Sic Corippus et Petrus Pictavensis ibidem apud Barthium. Nec silentio prætereundum, quod Barthius lib. LIV, cap. 4, de voce *Mammona* apud Matthæum VI, 24, in medium profert. Nam post variorum sententias, qui *Mammonam* opes interpretantur, hæc subjungit : *mihi autem non videtur quispiam Evangelistæ locum exposuisse melius Chromatio, cujus hæc verba sunt : Ait Dominus : non potestis Deo servire et Mammonæ ; ostendens, nos non posse et Deo servire, et Diabolo; id est Deo misericordiæ auctori, et Diabolo Mammonæ. Mammona, id est Diabolus, qui auctor est Mammonæ.* Hæc prostant apud *Chromatium* Opusculo II, pag. 989 (e). Ad hæc Barthius animadvertit, a Gennadio Constantinopolitano *Mammonam* haberi pro *Diabolo* in his verbis Epistolæ Synodalis : *non enim fieri potest, ut quæ coire non possunt, committantur, aut Deus consonet cum Satana, aut huic servientes servire et Deo. Est enim et hæc Dominica, citraque controversiam, sententia : non potestis Deo servire et Mammonæ.* Idem porro Barthius in Notis ad Phœbadii Aginnensis episcopi Sermonem contra Arianos pag. 51, eodem modo Chromatii *Sermonem de Octo Beatitudinibus* pro *Libro* dici, et vulgo perperam *Declamationem*, a Sichardo nimirum, inscribi observavit. A Barthio ad Sixtum

(a) Hoc est initium in hac nostra editione, *Tractatus*, seu *Sermonis*, *De Octo Beatitudinibus*, quem primo loco posuimus.

(b) Ejusdem sententiæ est etiam Vallars. in *Admonitione* prævia ad librum S. Doctoris *De Viris illustribus.*

(c) Id est in hac nostra editione *Tract.* seu *Serm. De Octo Beatitudinibus*, num. 10.

(d) Id est in hac nostra editione *Tract.* 3, num. 6.

(e) Id est in hac nostra editione *Tractatu* 17, numero 4.

Senensem gradum faciamus. Is in Bibliotheca Sancta *Chromatii* nonnulla loca cum veterum Patrum sententiis conferens, quæ perceptu difficilia videbantur, luculenter explanat. Tale est Opusculo II, pag. 984 (*a*), de lege conjugii, ubi postquam dixisset, non licere dimittere uxorem *absque fornicationis causa*, ita subjungit : *Sed sicut uxorem caste ac pure viventem dimittere fas non est ; ita quoque adulteram dimittere permissum est, quia ipsa mariti consortio fecit se indignam , quæ in corpus suum peccando, Dei templum ausa est violare.* Dupinius tomo tertio Bibliothecæ sæculo V putat *Chromatium* hic de divortio ita loqui, ac si novum matrimonium, dimissa uxore adultera, contrahi posse existimaret. Tillemontius tamen tomo XI, nota 2, ad Chrom. pag. 647, verbis Evangelistæ Chromatium nihil addere observat, hac quæstione nondum fortasse tunc excitata. Rei propius **130** accedit Sixtus lib. VI, annot. 81, *Chromatio* plerosque veterum Patrum concinere animadvertens, Hilarium, Chrysostomum Augustinum, Euthymium, et Theophylactum : qui maritis quidem concedunt et aliquando præcipiunt, ut uxores adulteras, præcipue correctionem aspernantes, procul ejiciant ac repudient; sed novam ducere conjugem nec suadent, nec permittunt. *Chromatius* paulo infra videtur Jusjurandum non approbare (*b*) : *unde*, inquit, *jurare nos prorsus non convenit. Quid enim unicuique nostrum jurare necesse est, cum nobis mentiri omnino non liceat, quorum verba ita vera semper, ita debent esse fidelissima, ut pro juramento habeantur? Et idcirco Dominus non solum pejerare, sed etiam jurare nos prohibet, ne tunc tantum videamur verum dicere quum juramus ; ne, quos veraces in omni sermone esse constituit, putaremus sine juramento licitum esse mentiri. Juramenti enim hæc causa est, quia omnis qui jurat, ad hoc jurat, ut quod verum est loquatur : et ideo Dominus inter juramentum et loquelam nostram nullam vult esse distantiam, quia sicut in juramento nullam convenit esse perfidiam, ita quoque in verbis nullum debet esse mendacium, quia utrumque, et perjurium, et mendacium, divini judicii pœna damnatur.* Ita *Chromatius :* cujus verba expendit Sixtus lib. VI, annotat. 26, cum aliis his similibus sanctorum Patrum sententiis, arbitrantium non licere absque necessitate jurare, sive etiam jurijurando assuescere, idemque contemnere (*c*). Apposite Ambrosius in Exhortatione Virginitatis cap. 11, *non jurandum facile ; quia plerumque multi casus accidunt, ut non possimus implere quod juraverimus. Qui autem non jurat, utique non pejerat. Qui autem jurat, aliquando necesse est ut incidat in perjurium, quia*

A *omnis homo mendax. Noli ergo jurare, ne incipias pejerare.*

V. Hucusque dicta me monent, ne ab hæreticorum Magdeburgensium calumniis sanctum *Chromatium* vindicare obliviscar. Ejus enim antiquam et vere Christianam doctrinam, utpote suorum dogmatum novitati adversantem, traducere non sunt veriti duce Illyrico, de quo proditum est, nihil umquam boni fecisse, nisi quum ex hac vita migravit ad inferos. Itaque Centuria IV, cap. 10, *de quibusdam doctrinæ partibus incommode et periculose* eum loqui blaterant, *quod in operibus mereri homines justitiam affirmat.* Hæc tamen abunde discussit Robertus Bellarminus in tomo IV Controversiarum, lib. V de Justificatione cap. 2. Quare ne actum agam, B illuc mitto lectorem. Ægre etiam ferunt, *Chromatium nimium extollere et urgere voluntariam paupertatem, quasi per eam divitias cœlestis regni consequamur, ubi et pauperes spiritu eos interpretatur, qui ultro bonis sæculi renunciant, et substantias suas erogant.* Sed Christus Dominus hoc ipsum **131** commendat apud Matthæum cap. XIX : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo.* Ibidem aiunt Apostoli : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.* Verum quidem est, locum cap. V : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, a sanctis Patribus in alium sensum etiam trahi, nempe in humilitates spiritus, ut a sancto Augustino in psal. LXXII cap. 24, et Serm. 53 cap. C 1 in Matthæum. Sed frequentius de voluntaria paupertate id secundum litteram cæteri exponunt, ut sanctus Hieronymus, *beati*, inquit, *pauperes*, *qui propter Spiritum sanctum, voluntate sunt pauperes.* Gregorius Nyssenus de Beatitudinibus loquens Orat. 1, tomo I Operum pag. 771 editionis Parisiensis 1638 : *Vis*, ait, *intelligere quis pauper spiritu sit? Qui corporalem opulentiam animæ divitiis permutat ; qui propter spiritum egenus est ; qui terrenas divitias veluti quoddam onus excussit, et abjecit.* Basilius Magnus in Regula ad Monachos, Interrogatione 125, ex versione Rufini, eodem modo Matthæum declarat : *Hi sunt pauperes spiritu, qui non alia aliqua causa pauperes sunt, nisi propter doctrinam Domini, dicentis : Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus.* Augustinus D quoque contra Petilianum lib. II, cap. 104, docet voluntariam paupertatem ad perfectionem Christianam pertinere, eamdemque extollit lib. V cap. 18 de Civitate Dei. Alios Patres in eamdem sententiam coeuntes, præter hos, congerit Bellarminus tomo IV Controversiarum, libro II de Monachis cap. 20, inter

(*a*) Id est in hac nostra editione *Tract.* 10, num. 1.
(*b*) Ibid., num. 2.
(*c*) Vices hic rependere juvat viro clarissimo Francisco Florio metropolitanæ Utinensis præposito, qui hoc *Chromatii* nostri textu usus fuit ad illustrandum similem dicendi modum de Juramenti usu, seu potius de Juramenti abstinentia, in Bachiario suo Romæ edito anno 1748, pag. 94, annotat. 1. Accipe igitur Bachiarii verba in libro ad Januarium *De Reparatione Lapsi* num. 17, ibidem ; quæ etiam additamenti loco esse poterunt ad ea Sanctorum Patrum similia *Dicta*, quæ Sixtus Senensis affert in sua *Bibliotheca Sancta* hic a Fontanino citata. « Ecce, frater, quia nobis jurandi licentia prohibetur, si quid infelicitati meæ credis, spondeo secundum misericordiam Domini, hujus me laboris quem suadeo, velle esse participem. »

quos et *Chromatium* appellat. Quamobrem Nicolaus A Zegerus explicationem de *voluntaria paupertate* jure præ cæteris approbat, tum quia Lucas VI, 20, *Spiritus* vocabulum non adjecit, tum quia est utrobique πτωχοὶ, quod proprie *mendicos* designat. Itaque temere *Erasmus* Bedam aliosque de voluntaria paupertate, non *coactius et alienius* ut ipse ait, sed proprie illud interpretantes, redarguit, et de *humilitate* seu modestia tantum intelligendum affirmat. Proinde *Chromatii* doctrina Evangelicæ omnino respondet, neque alia ab ea est, quam semper Ecclesiæ doctores ex ore Domini nostri Jesu Christi una voce tradiderunt. Ejusdem sunt furfuris, quæ subinde in *Chromatium* hæretici Magdeburgenses effutiunt, quia *gradus Beatitudinum, quos Evangelicos vocat, comparat scalæ Jacob, per quam qui ascendat, portam inve-* B *niat cœli.* Hac censura nihil ineptius et absurdius dari ex subjectis *Chromatii* verbis Opusc. I, pag. 976, col. 1 (*a*) patebit: *Gradus*, inquit, *quosdam firmissimos ex lapidibus pretiosis sternit quodammodo Dominus Salvator, per quos sanctæ animæ et fideles repere possint, et ascendere ad summum illud bonum, id est regnum cœlorum. Breviter igitur, fratres charissimi, qualitates graduum cupio demonstrare.* Singulis deinde Beatitudinibus enarratis, ita concludit pag. 977, col. 1 (*b*): *Ostensi sunt, fratres, octo gradus Evangelici exstructi ex lapidibus, ut dixeram, pretiosis: ostensa est illa scala Jacobi, cujus cacumen de terra pertingebat ad cœlum, per quam qui ascendit,* **132** *portam invenit cœli, ac per eam ingressus sine fine in conspectu Domini lætus astabit.* Quis non agnoscit C sapientissimum Episcopum lingua vere Evangelica hic loqui? Verum Sectarii iterum *Chromatio* succensent, quia in dicto illo: *recti inhabitabunt terram, et Sancti habitabunt in ea*, intelligit *terram, Corpus Sanctorum transfiguratum.* Nam Opusculo II, pag. 978, col. 2 (*c*), declarans qui sint *mites* apud Matthæum, ita disserit: *Hujusmodi ergo mites, beatos ostendit, quibus non in præsenti vita, sed in futura possessionem terræ illius felicis repromisit, de qua dictum legimus in psalmo: Mansueti autem possidebunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis. Et iterum: Qui exspectant Dominum, ipsi hæreditate possidebunt terram: de qua et per Salvatorem Spiritus sanctus testatur dicens: Quoniam recti habitabunt in terra, et sancti habitabunt in ea. Hos ergo mites Dominus beatos ostendit,* D *qui lenitatem mansuetudinis Dominicæ sequentes, beatæ illius terræ hæreditate perpetua fruitione fruentur. Maxime tamen de terra nostri corporis loquitur, in qua Sancti transfigurati in gloriam, secundum Apostolum, æterna felicitate regnabunt.* In hac enarratione, quid a vera fide et religione alienum occurrit? Sed Magdeburgenses *Chromatio* nondum parcunt. Hæc enim addunt: *In expositione dicti: Esto consentiens adversario tuo cito: ait, se accedere opinioni eorum, qui adversarium Spiritum sanctum esse docuerunt.* Sublestæ fidei censura, non prius tamen excipienda, quam perpensis ipsis verbis *Chromatii* ex Opusc. II, pag. 982, col. 2 (*d*). Explicaturus ille dictum Matthæi v, 25: *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris:* varias profert auctorum sententias de voce *adversarius*, quem alii pro inimico ad pacem revocando, alii pro diabolo accipiunt. Quibus recitatis, hæc statim subjungit: *alii vero, quorum assertio plenior mihi videtur, adversarium hic Spiritum sanctum existimant intelligendum; qui adversatur vitiis et desideriis carnis, secundum quod manifestat Apostolus dicendo: caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis illa faciatis; spiritus enim cœlestia desiderat, caro terrena concupiscit; spiritus donis spiritualibus gaudet, caro vitiis corporalibus oblectatur; unde et Apostolus ait: Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis. Huic, credo, adversario peccati et erroris humani suadenti quæ justa et sancta sunt, obedire nos Dominus præcepit, dum cum illo sumus in via, id est in comitatu vitæ præsentis, ut æternam pacem et perpetuam societatem cum eo habere possimus.* Ita *Chromatius*, aliorum interpretum in hujusmodi explicatione sententiam amplexus; in qua profecto nihil non catholicum reperitur. Sanctus Paulinus Nolanus epist. 36, alias 20 ad Amandum, pari modo ac *Chromatius*, locum Matthæi se intellexisse demonstrat his verbis: *Neque septem dies luctus noster excedat, si consentiamus* **133** *in hujus vitæ via Adversario nostro, id est Spiritui, ac Verbo Dei, quod nobis peccantibus adversatur.*

VI Hæc quæ dixi, planum faciunt, ad regulas integerrimæ fidei, et spiritu vere Apostolico, Homilias *Chromatii* fuisse conscriptas. De earumdem stylo aliqua etiam dicamus. Non utitur charactere sublimi, sed plano, proprio, æquali, concinno, minimeque vulgari; qui nimirum convenit episcopo, ad populum suum verba facienti. Dictio est selecta et nitida; ratiocinatio, rei de qua agitur, maxime accommodata, ita ut jure et merito Natalis Alexander in sæculo IV, cap. 3, articulo 33, scripta *Chromatii elegantissima* dixerit. Considerationes perutiles sunt; explicationes ad mores præcipue directæ, et litterales, quibus, præ allegoricis, studuisse videtur. Orationem Dominicam explanat; voluntariam paupertatem, amorem erga proximum, eleemosynam, jejunium cæterasque virtutes commendat, de quibus Salvator in monte disseruit. In ultimo Opusculo, seu Homilia 18 (*e*) loquitur de efficacia baptismi Jesu Christi. Primi Opusculi Homiliæ (*f*), perspicuitate

(*a*) Id est in hac nostra edit. *Tract. de Octo Beatitud. num.* 1.
(*b*) Ibid. num. 9.
(*c*) In hac edit. *Tract.* 3, num. 4.
(*d*) In hac edit. *Tract.* 8, num. 3.
(*e*) Hæc in nostra edit. est *Tract.* 2.
(*f*) Unica est primi Opusculi *Homilia* in *Biblioth. PP.* Lugdun.. quæ hic *Tractatum* seu *Sermonem* constituit *De Octo Beatitudinibus.*

et doctrina morum cæteris præstant. Ita ferme Dupinus in Bibliotheca tomo III, et Tillemontius tomo XI, pag. 539, 647. Franciscus Lucas, inter Patres Latinos, eo sæpe utitur in suo commentario in Matthæum cap. V, pag. 62, 63, 65, 66, 79. Hadrianus Bailletus, in Vitis Sanctorum, die 2 Decembris, stylum *Chromatii* instruendo magis quam movendo aptum fuisse arbitratur ; sed utrumque ex ejus Homiliis apparere nemo non videt.

VII. Cave *Chromatium* metiaris a litteris ad Hieronymum de Natalitiis Sanctorum, quæ sub ejus et Heliodori nominibus, una cum Hieronymi ad eosdem responso, circumferuntur a tempore usque Walafridi Strabonis, ut ipse his verbis innuit cap. 28 de Rebus Ecclesiasticis : *Litania autem Sanctorum nominum, postea creditur in usum assumpta, quam Hieronymus Martyrologium, secutus Eusebium Cæsareensem, per anni circulum conscripsit, ea occasione ab Episcopis Chromatio et Heliodoro illud opus rogatus componere, quia Theodosius religiosus imperator in concilio episcoporum laudavit Gregorium Cordubensem episcopum, quod omni die Missas explicans, eorum martyrum, quorum natalitia essent, nomina plura commemoraret.* Walafridus hæc hausisse videtur ex epistolis, quæ *Chromatii*, Heliodori, et Hieronymi nomina in vetustis codicibus Usuardi mentiuntur. Harum falsitas olim suboluit *Erasmo*, qui in fine Indicis *pseudepigraphorum indoctorum* ut vocat, Hieronymi *comperimus*, inquit, *Martyrologium, præfixa Hieronymi præfatione, Langobardicis scriptum litteris; sed alia quadam lingua quam Latina, Hispana opinor ; plerisque vocibus in aliam formam deflexis ac depravatis.* Utramque Epistolam explosit Joannes Molanus in cap. 2 de Martyrologiis, et Baronius etiam cap. 6 et 7 de Martyrologio Romano. Sed Franciscus Maria Florentinus, in Admonitionibus prævijs ad Vetustius Martyrologium ab se editum, earumdem epistolarum patrocinium suscepit. Quia vero Baronius pro fabuloso habet concilium **134** illud Mediolanense in Chromatii epistola memoratum, ad quod *Theodosius universos Italiæ episcopos* invitasse dicitur *ob causam aliquantorum episcoporum, qui Ariana fæce suas animas* inquinaverant, ideo Florentinius in eo est pag. 60, ut illud esse persuadeat, quod Baronius A. D. 390, § 7, celebratum refert Mediolani. At vir doctus observare neglexit, in eodem concilio non de *Arianis*, sed de *Priscillianistis*, deque episcopis olim per hæreticos suis e sedibus pulsis, actum fuisse, ut notat Pagius A. D. 390, § 10. Nec sane de *aliquantis episcopis Ariana fæce inquinatis* in eo agi potuit, si sanctus Ambrosius Italiæ partem hujusmodi peste contaminatam jam pridem purgaverat, teste Hieronymo in Chronico olympiade 388, A.D. 376, secundum Eusebium, ubi post mortem Auxentii Ariani, Ambrosio Mediolani episcopo constituto, hæc scribit : *omnis ad rectam Fidem Italia convertitur.* Ambrosius epist. 14, A.D. 382 scripta ad Theodosium, idipsum his verbis confirmat tomo II Operum pag. 818 : *Laborem quin etiam nobis indicendum putavimus, non pro Italia, quæ jamdudum ab Arianis quieta atque secura est, nec ulla hæreticorum perturbatione vexata.* Idem in Lucam lib. IX, cap. 32, tomo I, pag. 1501, quod opus scripsit A. D. 386, ex Pagio A. D. 376, § 3 : *Æstus omnes,* inquit, *quibus Italiæ populus per Judaicæ olim et Arianæ proxime sævitatis incendia coquebatur, sereno jam spiramine temperantur.* Dum ait : *Italiæ populum incendiis Arianæ sævitatis* olim coctum, tunc *sereno spiramine* temperari, luculenter ostendit, eodem A.D.386 illa incendia prorsus exstincta, non solum in universa *Italia*, quæ erat Parœcia Medionalensis, sed in toto etiam Occidente, in quo præter Auxentium, paucos admodum ejus impietatis sectatores fuisse colligit Arnaldus Pontacus in Notis ad Chronicon Eusebii pag. 742, 745. Hinc sanctus Basilius epist. 70, ad episcopos Italiæ et Galliæ, *hoc enim,* inquit, *hæreseos malum cuncta depascitur, et periculum est, ne vastatis Ecclesiis nostris, et ad sanam incolatus vestri partem serpat.* Non recte ergo Florentinius pag. 59 incertum existimat, an *Italia reliqua ab hisce sordibus fuerit purgata*, quamvis sanctus *Valerianus Aquileiensis* ab Ecclesiæ suæ finibus Arianismum expellere laboraverit. Easdem etiam epistolas solœca, et in paucis verbis densa stribiligo, *Chromatio* prorsus abjudicant ; ut *feriales* pro *Kalendariis*, item *perquirere causam*, pro *in crimen inquirere* ; et *ex fæce inquinare*, cum aliis omnino barbaris : miror que Florentinium, ut has sordes *Chromatio* affingat, scribere non vereri, *Sanctum Episcopum ad Latini sermonis candorem minus accurate incubuisse*, propterea quod *mercatum* pro *nundinis* usurpaverit : cum tamen ea voce nihil latinius afferri possit, si latine profecto sapiunt Serenus et Varro apud Nonium verbo *Mercatus*, Plautus in Pænulo I, II, 126, et in Asinaria II, III, 17. Reliqua non moror, cum ipsemet Florentinius pag. 69 fateri tandem cogatur, epistolas nequaquam esse sinceras ; quanquam rursus erret, *omnia* eis contenta vera esse pronuntians : cujus sententiæ falsitas ex jam dictis apparet. Fraudis originem puto haustam ex Cassidodoro cap. 32 de Institutione divinarum litterarum, ubi laudat epistolam Hieronymi ad *Chromatium* et Heliodorum, in qua passiones **135** martyrum legebantur. Huic deperditæ nugator quispiam epistolas ab se confectas supposuit. Verba Cassiodori hæc sunt : *et ideo futuræ beatitudinis memores, vitas patrum, confessiones fidelium, passiones martyrum legite constanter* (*quas, inter alia, in epistola sancti Hieronymi, ad Chromatium et Heliodorum destinata, procul dubio reperietis*) *qui per totum orbem terrarum floruere ; ut sancta imitatio vos provocans, ad cœlestia perducat.* Viden, in Hieronymi epistola ipsa martyres recensitos ? Ergo alia fuit a Martyrologio, eoque longiusculo, et brevissimæ epistolæ subjuncto, ut hodie contingit. Quare unicam Hieronymi epistolam, a Cassiodoro laudatam, *Chromatii*, Heliodori, et Hieronymi *litteras* esse non puto, quæ nunc exstant : quod tamen cum Henrico Valesio putavit Tillemontius tomo XII, pag. 354, 355 ; Beda in Marcum lib. II,

cap. 26, et cap. 6 Retractationis in Actus Apostolorum, laudat Martyrologium sancti Hieronymi. Sed Joanni Mabillonio in Præfatione ad Acta sanctorum Benedictina sæculo IV, parte II, pag. LXXXV, incertum videtur, an Hieronymus *Martyrologium* aliquod scripserit. Cassiodori quidem et Bedæ sententiæ adstipulari tamen videntur, et *Litaniæ, collectæ ex libro, quem beatus Hieronymus de sanctorum per anni circulum natalitiis conscripsit*, inter Opera Alcuini pag. 280, licet Sancti nonnulli, Hieronymo recentiores, ibidem ab exscriptoribus, de more, fortasse additi reperiuntur. Valesius in Dissertatione de Martyrologio Rosweydi, Hieronymianum memorari putat apud Gregorium Magnum lib. VII, epist. 21. Jacobus Usserius in Chronologia sacra cap. 2 in fine non ambigit, quin Hieronymus, ut Chronicon, ita et Martyrologium B Eusebii in Latinam linguam transtulerit, quod ab Usuardo, Adone, aliisque deinde auctum, retinuerit semper die 25 Decembris, ab Orbe condito usque ad Natalem Christi, annorum numerum ab ipso Eusebio positum. Inde in universam Occidentalem Ecclesiam Chronologiæ Eusebianæ usus est propagatus, absque ulla tamen veritatis Hebraicæ jactura; nam et in ipso Chronico Eusebius codicum Hebraicorum calculum simul cum suo diligenter annotaverat, seriemque annorum Mundi ab Hebræis per quinquaginta Jubilæos dimensam proposuerat. Sic ferme Usserius. Tres autem Martyrologii Hieronymiani codices superesse viri docti observarunt; sed tamen post ipsum Hieronymum aucti. *Primum* laudat Bollandus tomo I Januarii pag. 46. *Secundum* C octingentis ab hinc annis scriptum judice Mabillonio in itinere Italico pag. 188, edidit Florentinius Lucæ A. D. 1666. *Tertium* ex codice Corbeiensi vulgavit Lucas Dacherius in Spicilegio tomo IV, pag. 617. Hoc loco non est silendum, ab Anonymo de *Cursibus* ecclesiasticis (quo nomine statas Ecclesiæ preces, quæ sub Breviarii nomine per singulos dies decurri ac recitari debent, majores nostri significarunt) apud Henricum Spelmannum in Conciliis Britanniæ tomo I, pag. 177, *Chromatio* et *Heliodoro Cursus Orientalis* originem tribui. *Holstenius*, ad oram *Spelmanni* in Bibliotheca Angelica, ejusdem Anonymi codicem nongentorum annorum esse ex Usserio annotavit. Mabillonius, in disquisitione de *Cursu Gallicano* pag. 380 auctorem ex stylo subodo- D ratus, Britonem aut Scotum facit, Cursumque cum liturgia confundere arbitratur. **136** De hoc nostri Chromatii Cursu nusquam alibi quidquam legitur.

VIII. In eumdem locum falsarum mercium referri debent aliæ epistolæ *Chromatii* et *Heliodori* ad Hieronymum, et Hieronymi ad eosdem, quarum auctoritate otiosi homines pretium conciliare studuerunt Opusculis *De ortu sive stirpe Mariæ, et de Infantia Salvatoris*, olim a Gelasio I Pontifice inter apocrypha relatis. Decretum enim de libris recipiendis nos Gelasio alibi vindicavimus, et sincerum edidimus. A Joannes Albertus Fabricius in Codice Apocryphorum, Hamburgi impresso A. D. 1703, tomo primo inseruit easdem epistolas, notis criticis confixas, exstantque inter opera sancti Hieronymi editionis Romanæ A. D. 1572, tomo IX, pag. 398, et tomo V, pag. 444, editionis Parisiensis Joannis Martianæi anni 1706 apud Claudium Rigaud. Vossius etiam illas explodit in libro II de Historicis Latinis cap. 11. Gravissimi viri Melchioris Cani Judicium præstat audire ex libro XI de Locis Theologicis cap. 6: *Hujus generis fabula etiam illa est insulsa æque ac barbara De Nativitate S. Mariæ ad Chromatium et Heliodorum episcopos.* Sixtus Senensis libro II Bibliothecæ de Matthæo agens, totum scriptum Hieronymo abjudicat, et Baronius etiam in Apparatu § 44. Denique consulantur Christophorus a Castro in Historia Deiparæ Virginis pag. 704 editionis Moguntinæ anni 1610; et Rosweydus in Lege Talionis pro Baronio pag. 106 contra Casaubonum Exercit. I, cap. 15, opus ipsum inter fabulosa recenset quidem, diversum tamen ab eo putans, quod de eodem argumento hæretici antiquitus confixerunt: quod parum refert, dummodo Hieronymo non tribuatur; cui nemo sane judicio præditus tribuit. Petrus Wastelius in Vindiciis Joannis Hierosolymitani tomo II, libro II, pag. 419, 423, *nonaginta* Chromatii homilias inter opera Joannis Chrysostomi editionum Latinarum, Basileensis Erasmicæ, et Parisiensis Chevallonianæ, latere contendit. Nullam interim probationem Wastelius adducit ea fortiorem, quam vox contracta *Chr.* eidem suppeditat. Hanc enim oræ codicum prius adpictam, postmodum exscriptores ab Chromatio homine Latino ad Chrysostomum Græcum, eoque celebriorem, designandum applicuerunt. Hinc Chromatianas homilias imperiti Chrysostomo tribuerunt. Hæc Wastelianæ sententiæ prora et puppis. Sed vir bonus non olfecit, hasce homilias in Matthæum revera esse *Chrysostomi*, quas Latine reddidit Annianus Diaconus Celedensis Pelagianus, addita epistola ad Orontium episcopum, ob eamdem hæresim ex Italia ejectum, et deinde in concilio Ephesino damnatum. Eas ab se interpolatas postea edidit Georgius Trapezuntius. Annianus vertit etiam Chrysostomi epistolam ad Neophytos, et homilias VII de laudibus Pauli; quas Evangelo presbytero Pelagiano dicavit. Vide Fabricium in Bibliotheca Græca tomo VII, pag. 645.

137 OPERA SANCTI CHROMATII.

I. — *Quæ supersunt.*

Homiliæ XIX in Matthæum.

II.—*Deperdita.*

Epistolæ ad sanctos Ambrosium, Hieronymum, et Joannem Chrysostomum, Honorium et Arcadium Augustos (*a*).

III. — *Spuria.*

Epistolæ II ad sanctum Hieronymum.

(*Hactenus Fontaninus.*)

(*a*) Hæc tantummodo inter *Deperdita* sancti Chromatii memorat Fontaninus. Nos vero in nostro *Deperditorum* elencho, non levibus sane conjecturis, alia quoque superius memoravimus pag. 97.

139 EX MONUMENTIS ECCLESIÆ AQUILEIENSIS

COMMENTARIO ILLUSTRATIS

a Fr. Bernardo Maria de Rubeis Ordinis Prædicatorum. Argentinæ (seu Venetiis) 1740.

CAPUT X.

Mortem obit Valerianus, eligitur Chromatius : an ordinatus a Divo Ambrosio? Ejus patria inquiritur. Interpretationem Prophetiæ Balaam obtinet ab Ambrosio : eique, et Heliodoro Altinensi nuncupat Hieronymus plurium S. Scripturæ librorum latinam versionem, et commentarios. Rufinus ex Orientali peregrinatione Romam venit, ubi libros Origenis de Principiis latine vertit. Dissidium incipit cum Hieronymo; petitque Rufinus Aquileiam. Ipsum *Chromatius* ad latinam Eusebianæ historiæ versionem inducit. Prima Alarici Gothorum Regis in Italiam irruptio.

I. Tempus assecuti sumus, quo Valerianus, pro Aquileiensi et universa Ecclesia quamplurimis laboribus perfunctus fractusque, mortalem vitam cum æterna commutavit. Sanctissimi præsulis memoria celebratur die 27 mensis novembris in Fastis Ecclesiæ. Annum ejus emortualem designat *trecentesimum octogesimum octavum* Dandulus in Chronico : quo B etiam *Chromatium* suffectum narrat his verbis : *Chromatius Aquilegiæ episcopus consecratur anno Domini* 388. *Hic Hispanus genere, a Valeriano prædecessore diaconus, postea presbyter ordinatus, catholicisque disciplinis eruditus, collaudatione cleri et populi hanc sedem obtinuit.*

Vetusta desiderantur monumenta, quibus hæc certo confirmari queat chronologia. Sed hoc anno cadente, vel etiam ineunte anno 389, diversatum esse Ambrosium Aquileiæ novimus; unde conjectura sumi potest, eam in urbem profectum esse sanctissimum antistitem ad novi episcopi creationem. Primum nos docet Paulinus in Ambrosii Vita num. 21 : *Exstincto Maximo*, inquiens, *posito Theodosio imperatore Mediolani, Ambrosio vero episcopo constituto Aquileiæ;* C dedit ipse Ambrosius ad imperatorem epistolam (in editione Nourriana XL) ut ipsum a sententia revocaret de Synagoga quadam Judæorum ab episcopo Castri Callinici reædificanda; deque Monachis, qui fanum Valentinianorum hæreticorum, ab iis contumelia provocati, incenderant, supplicio afficiendis. Atqui certo colligimus ex codice Theodosiano, ipsum Augustum Theodosium nondum die 12 kal. octobris anni 388 discessisse Aquileia : ipsumque 6 idus ejusdem mensis jam Mediolanum venisse; qua in urbe usque ad maium insequentis anni commoratus est. Itaque Ambrosius anno cadente 388, vel ineunte ac incepto 389, manebat Aquileiæ : ibique allegatam dedit ad imperatorem Theodosium epistolam. Hæc animo perpendens Baronius ad an- D num 388, **140** num. 84, sic ait : « Quod autem detineretur Ambrosius Aquileiæ, cum nullum hoc « tempore memoria sit, ibi celebratum fuisse conci- A « lium; equidem existimo, illuc esse profectum ex « more ad novi creationem Antistitis, cum de- « functo Valeriano ejus civitatis episcopo, in locum « ejus est subrogatus S. Chromatius. » Non inanem puto conjecturam.

Morem vetustum servari consuetum in ordinatione episcopi tum Aquileiensis, cum Mediolanensis, exhibet Pelagius papa I, in fragmento I epistolæ anno 557 aut insequente ad Narsetem datæ, quod Lucas Holstenius edidit, his verbis : *Is mos antiquus fuit, ut quia pro longinquitate vel difficultate itineris ab Apostolico onerosum illis fuerat ordinari, ipsi se invicem Mediolanensis et Aquileiensis ordinare episcopi debuissent : ut et ordinandi electio a præsenti ordinatore ex consensu universalis cui præficiendus erat Ecclesiæ, melius et facilius potuisset agnosci; et in sua qui ad episcopatum provehendus erat, nec tamen ordinatori suo subdendus fuerat, ordinaretur Ecclesia.* Annon vero mos iste, quem Pelagius I integro post sæculo, ac dimidio, *antiquum* vocat, hac ætate inceperit? Aquileiam profectum Ambrosium scimus : neque profectionis alia causa occurrit, nisi novi Episcopi electio, et ordinatio.

II. Novum antistitem Aquileiæ Chromatium, *genere Hispanum* appellat Dandulus. D. Hieronymus in epistola ad ipsum Chromatium, Jovinum, et Eusebium data, sic eos alloquitur : *Per vos ab urbe vestra Ariani quondam dogmatis virus exclusum est.* Urbs intelligitur Aquileia, ubi Valeriani episcopi tunc *Presbyter* erat Chromatius, *archidiaconus* Jovinus, et *diaconus* Eusebius. Urbem vero, eos alloquens, *vestram* vocat : quod sacris muneribus in ejusdem urbis Ecclesia defungebantur. Quidni etiam significet locum originis? In eadem epistola commendat Hieronymus domum, familiam, matrem, sorores Chromatii. Eas igitur bene noverat ille, neque alibi nosse potuisse videtur, earumque uti consuetudine, nisi Aquileiæ, aut proximis in locis.

Chromatii patriam Marianus Victorius locum putat haud longe dissitum Stridone Hieronymi patria. Aliam profero conjecturam ex titulo, qui Chromatii operibus infra recensendis præfigitur in aliquibus editionibus : inscribuntur nempe opuscula *Chromatii Romani Episcopi*. Legendum putant alii, *Cumani Episcopi* : quæruntque locum in variis orbis provinciis eo nomine appellatum, ubi Chromatius ille, quem ab Aquileiensi diversum putant, sedem teneret. Baronio perinde est *Romanus* et *Aquileiensis* episcopus; censet enim in notis ad diem 22 Junii, et 2 decembris in

Martyrologio, dictam aliquando Aquileiam civitatem *Romanam*, aut *Romacianam*, aut *Romànicianam* : quam infra sententiam rejiciemus. Occurrit demum *Portus-Romatius*, de quo Plinius libro III, capite 18 in Venetia, decima regione Italiæ, sic habet : *Colonia Concordia, Flumen et Portus Romatium.* Dictum etiam legimus *Portum Romatinum*, qui oppidum est (hodie incolis *Porto-gruaro*) ad Romatium fluvium (vulgo *Limino*) apud Concordiam urbem excisam. Quidni Chromatius dictus fuerit *Romanus*, vel potius dici debuerit *Romatius* et *Romatinus* patria, episcopus Aquileiensis?

141 III. Sacrarum Scripturarum studio maxime oblectabatur Chromatius, quas ipse commentariis illustravit : aliosque doctissimos viros Ambrosium et Hieronymum consuluit, adduxitque ut commentarios, novamque latinam versionem adornarent. Ambrosium postulat, ut sibi aliquid e sacris codicibus epistolari familiaritate disputatum mitteret : gessitque morem Mediolanensis episcopus, delecto e prophetia Balaam argumento. Dedit itaque eidem Chromatio epistolam L in editione Nourriana, ubi num. 16, hæc ejus verba habentur : *Hoc munusculum sanctæ menti tuæ transmisi, qui vis me aliquid de veterum scriptorum interpretationibus paginare.* Suæ provectæ ætatis meminit Ambrosius : *Malo*, inquiens, *senilibus verbis de supernis rebus hallucinari tecum ;* id est levia ac longe inferiora loqui et scribere. Hanc datam epistolam a sene Ambrosio anno circiter 390 putat Nourrius.

In eodem studio consortem Chromatius habuit Heliodorum Altini episcopum. Ambo fuerunt Hieronymo auctores eodem circiter anno, ut novam Tobiæ versionem latinam elucubraret. Utriusque preces, instigationesque patefacit Hieronymus in ejusdem versionis præfatione : *Mirari non desino*, inquiens, *exactionis vestræ instantiam. Exigitis enim, ut librum Chaldæo sermone conscriptum ad latinum stylum traham, librum utique Tobiæ.... Feci satis desiderio vestro.*

Non multo post tempore, anno circiter 391 (calculos Tillemontii sequor) postularunt iidem episcopi commentarios in prophetias Osee, Amosii, Zachariæ, et Malachiæ, suppeditatis pecuniis ad sumptus necessariis : quorum loco misit eisdem Hieronymus, eorumque nominibus nuncupavit latinam versionem Proverbiorum, Ecclesiastis, et Cantici Canticorum. Verba sanctissimi doctoris hæc sunt : *Commentarios in Osee, Amos, et Zachariam, Malachiam quoque poscitis. Scripsissem, si licuisset præ valetudine. Mittitis solatia sumptuum.... Itaque longa ægrotatione fractus, ne penitus hoc anno reticerem, et apud vos mutus essem, tridui opus nomini vestro consecravi : interpretationem videlicet trium Salomonis voluminum, Proverbiorum, Ecclesiastis, et Cantici.*

Nuncupatos quoque Chromatio legimus libros duos Commentariorum in Prophetam Habacuc. Prologum libri primi his verbis exorditur Hieronymus : *Primum, Chromati episcoporum doctissime, scire nos convenit*, etc. Alterius initium est : *Alterum, mi Chromati papa venerabilis, in Habacuc librum scribimus.* Ipse Chromatius historicum et litteralem petierat hujus prophetiæ sensum, ut in libri primi Prologo testatur Hieronymus : *A me violenter*, inquiens, *exigis, ut.... historiam tibi interpreter.* Hos ille suos recenset libros capite ultimo de Viris Illustribus, ubi opera memorat quæ *scripserat usque in præsentem annum, id est Theodosii principis decimum quartum.* Incidit decimus quartus Theodosii annus in æræ vulgaris annum 392, ac incipit die 14 kal. februarias, ut Pagio placet : unde conscripti in prophetam Habacuc Commentarii tempus patet.

Latinam demum τῶν Paralipomenon, postulante Chromatio, versionem adornavit Hieronymus, eidemque nuncupavit Aquileiensi episcopo. Sic ipsum alloquitur in præfatione ; *Si septuaginta Interpretum pura, ut ab eis in græcum versa* **142** *est, editio permaneret, superflue me, Chromati episcoporum sanctissime atque doctissime, impelleres ut hebræa volumina latino sermone transferrem.* Ait ibidem S. Pater, se *nuper scripsisse librum de Optimo genere interpretandi :* quod Opusculum epistolare, Pammachio nuncupatum, ad annum 396, judice Tillemontio, spectat. Hunc ergo librum, qui *nuper* scriptus dicitur, eodem anno vel insequente, versio τῶν Paralipomenon consecuta est.

Hæc sunt doctrinæ, qua florebat Chromatius, præclara testimonia : ipsumque discimus præcipuum auctorem Hieronymo fuisse, ut eximium latinæ versionis voluminum Hebræorum aggrederetur opus, eidemque jam cœpto manum ultimam imponeret. Virum excelsæ mentis ipse Hieronymus celebrat in epitaphio Nepotiani ad Heliodorum anno circiter 396 scripto; ubi legimus, Eusebium, Chromatii fratrem, diem ultimum clausisse : in ejusque dormitione *Fortitudinem mentis*, quam Heliodoro imitandam proponit, *ostendisse* Chromatium.

IV. Oriente relicto, Romam venit Rufinus. Romæ cum degeret, Macarii, viri litteris addictissimi, monitis precibusque impulsus, Origenis Apologiam ex græco vertit in latinum sermonem, edidítque sub Pamphyli Martyris nomine. Quod opus Hieronymus in libris postea scriptis contra Rufinum, aperte revocans quod antea scripserat in Catalogo virorum illustrium, Eusebio Cæsareensi adjudicandum contendit, vel alteri ex Origenis sectatoribus; quin hæc persuaderi opinio potuerit criticis hominibus, qui majorem ejus Apologiæ partem pro certissimo Pamphyli martyris fetu habent. Id factum vero anno 397.

Insequente anno, libros περὶ ἀρχῶν, laudato Macario consulente, latio reddidit idem Rufinus cum præfatione, in qua miris laudibus Hieronymum exornat : monetque lectorem, in sua latina versione quod in illis libris adulteratum alienumque putaverat, omnino prætermissum ; aut secundum eam regulam prolatum esse, quam ab ipso Origene frequenter in cæteris operibus inveneral constitutam ; ac alia demum non pauca, quæ obscurius dicta ab auctore fue-

rant, clariore sensu exposita. Hinc jactum discordiæ pomum est, quæ viros amicissimos, Hieronymum, et Rufinum, nimium concitavit : excitavitque Chromatium, utrique addictissimum, ut ambos refecto amicitiæ fœdere conciliaret.

V. Initium ego dissidii narro, quo commoti laudatissimi viri in jurgia prolapsi sunt, seque vulgatis epistolis ac libellis mutuo prosciderunt. Jam eorum tepuerat mutuus amor in Oriente; cum dogmata Origenis, quæ magno videbantur in pretio habere Joannes Hierosolymitanus et Rufinus, aversari cœperat Hieronymus veluti fidei Christianæ inimica. Aterbius quidam insequebatur eo nomine Rufinum Hierosolymis : ipseque Sanctus Pater, qui veluti hæreticus ex amicitia Rufini judicabatur, suam coram palamque profiteri orthodoxiam voluit, dogmata Origenis, B cujus eruditionem ac studium Scripturarum, antequam hæresim plenius nosset, in juvenili ætate laudibus ornaverat, aperte damnando. Simul etiam Epiphanius, qui Hierosolymam venerat, Joannem ejus urbis episcopum redarguerat, propterea quod Origenianæ doctrinæ patrocinium largiebatur, fovebatque amicitiam cum Rufino. Ea data occasione, cum utroque jurgium **143** habuit Hieronymus; verum non cepit incrementa dissidium. Pristinam cum Rufino instauravit amicitiam, ac ambo junxerunt dexteras. Hæc ipse narrat omnia Hieronymus libro III contra Rufinum.

Dissidii sopitos ignes latina excussit librorum *de Principiis* versio, quam Romæ adornaverat Rufinus. Opus ipsum plerique exsecrabantur, quod aliis in C offendiculum fore timebant : arguebantque latinum Interpretem. Tunc enim Hieronymus ait in Epitaphio Marcellæ ad Principiam, *Navem plenam blasphemiarum* Rufinum *Romano intulisse portui*. Adversariorum, inter quos memoro Eusebium Cremonensem, Pammachium et Marcellam, querelas ut declinaret ille, Aquileiam pergere constituit : impetravitque a Siricio papa litteras ecclesiasticas, quibus de orthodoxa in longinqua peregrinantium fide pro more illius ævi testimonium reddebatur. Siricii nempe *simplicitati illusisse* Rufinum, Hieronymo placet.

Obiit Siricius anno 398, die 26 novembris, ut Pagius aliique probant : adeoque paulo antea Roma secesserat Rufinus. Mediolano pertransit, ubi regebat Ecclesiam Simplicianus : ibique de quadam li- D brorum περὶ ἀρχῶν sententia quæstionem se habuisse cum Eusebio superius laudato, ipse testatur Rufinus libro I Invectivarum in Hieronymum. Aquileiam denique pervenit aut eodem anno cadente 398, aut ineunte cœptoque 399. De his omnibus certior ab amicis factus Hieronymus, epistolam reddidit Pammachio et Oceano : in eaque luculenter exponit, quo legerit animo laudaveritque Origenem, æmulorum refellit calumnias, diluitque suspiciones hominum, plurimosque Origenis errores prodit. Dedit aliam Rufino, quem gravi serioque admonet stylo, nolle se Origenis causa laudari, cujus mala dogmata exsecrabatur : *atque satius esse, si jura* velit instauratæ A amicitiæ custodire. Novam denique sanctus Pater librorum *de Principiis* molitus est latinam versionem, ut quos auctor docuerat errores, diligens ac fida nova detegeret interpretatio. In furorem Rufinus agitur : duosque Invectivarum libros hoc eodem anno in Hieronymum elucubrare cœpit, quibus non modo epistolam ad Pammachium et Oceanum datam, cujus exemplum ab amico Aproniano acceperat, acriore calamo refutare conatur; verum etiam eximii doctoris Commentarios in sacram Scripturam aculeatis censuris perstringit.

VI. Dolebat Chromatius Aquileiæ episcopus, viros sibi amicissimos, rupto fœdere, quod ambo tot annis amore conjunctos tenuerat, ira permotos in dissidia ruere. Rufini mentem et calamum alio convertere studuit : imposuitque provinciam eidem, ut Eusebii græcam historiam in latinum sermonem transferret.

Paruit Rufinus. Digna sunt animadversione, quæ disserit in præfatione : *Peritorum*, inquiens, *dicunt esse medicorum, ubi imminere urbibus vel regionibus generales viderint morbos, providere aliquod medicamenti, vel poculi genus, quo præmuniti homines ab imminenti defendantur exitio. Quod tu quoque, venerande pater Chromati, medicinæ exsequens genus, tempore quo, diruptis Italiæ claustris ab Alarico duce Gothorum, se pestifer morbus infudit, et agros, armenta, viros longe lateque vastavit, populis a Deo tibi commissis feralis exitii aliquod remedium quærens, per quod ægræ mentes ab ingruentis mali* **144** *contagione subtractæ melioribus occupatæ studiis tenerentur, injungis mihi, ut ecclesiasticam historiam, quam vir eruditissimus Eusebius Cæsareensis græco sermone conscripsit, in latinum vertam : cujus lectione animus audientium vinctus, dum notitiam rerum gestarum avidius petit, oblivionem quodammodo malorum quæ gererentur, acciperet.* Provinciam impositam explevit Rufinus, additis Eusebianæ historiæ duobus libris, proprio marte elucubratis. Neque tamen, dum hanc spartam adornabat, mitior erga Hieronymum effectus est : cœptis Invectivarum libris insimul conscribendis insudabat, quos anno 401 vulgavit.

VII. Rufini allata verba primam exhibent Alarici Gothorum regis irruptionem in Italiam, ac tempus et annum patefaciunt, quo ipse in Eusebianæ historiæ versionem incumbebat. Prosper in chronico sub *consulibus Stilicone et Aureliano*, qui annum æræ christianæ 400 aperuerunt, hæc habet verba : Gothi *Italiam, Alarico et Radagaiso ducibus, ingressi*; itemque sub consulatu *Arcadii* V *et Honorii* V anno Christi 402 *Adversus Gothos vehementer, utriusque partis clade, Pollentiæ* (quæ Liguriæ oppidum erat) *pugnatum est;* migravitque in Pannonias Alaricus. Irruptionem Radagaisi simul cum Alarico non pauci inficiantur. Putant alii, Alaricum anno 401 provecto in Pannonias regressum, iterum insequente anno irrupisse in Italiam. Pugnam quoque ad Pollentiam ad annum 403 differunt : et anno sequenti illigant Radagaisi ingressum, ut et ipse regiones Italiæ pertentaret,

Sed unanimi contra Baronium consensu prima Alarici irruptio ad annum Christi 400 jam referri solet. Hanc Jornandes de Rebus Geticis cap. 29 his verbis describit : *Mox ut ergo antefatus Alaricus creatus est rex, cum suis deliberans, suasit suo labore quærere regnum, quam alienis per otium subjacere : et sumpto exercitu, per Pannonias, Stilicone et Aureliano consulibus, et per Sirmium dextro latere quasi viris vacuam intravit Italiam.* Prima furorem ejus passa est Venetia inferior, quam postea provinciam Forojuliensem dixerunt : ibique rex Gothus *agros, armenta, viros, longe lateque vastavit, populisque a Deo commissis* Chromatio *ferale exitium* minitabatur. Itaque anno 400 latinam historiæ ecclesiasticæ ab Eusebio conscriptæ adornandam, injungente Chromatio, versionem suscepit Rufinus, complevitque.

145 CAPUT XI.

De Origenis damnatione : ipseque Rufinus in crimen vocatus, apologiam scribit. Origeniana dogmata damnat Theophilus Alexandriæ, Anastasius Romæ, Venerius Mediolani, *Chromatius* Aquileiæ. Origenis causam distinguit pontifex a causa Rufini, quem divino reservat judicio. Hieronymi dicta exponuntur. Ab eodem Rufino abjudicatur libellus palinodiæ sub ejus nomine vulgatus. De auctore ejusdem conjecturæ.

I. Jamdiu mota in Oriente adversum Origenis doctrinam quæstione, damnationem ejus urgebat Theophilus Alexandrinus : eademque Romæ agitabatur causa, cui latina versio librorum *de Principiis*, quam Rufinus confecerat, ansam dederat. Ipse Rufinus vocabatur in crimen. Tunc *adducti testes* (Hieronymi verbis utor in Epitaphio Marcellæ) *qui prius a* Rufino et asseclis *eruditi, et postea ab hæretico fuerant errore correpti : ostensa multitudo deceptorum*, qui latine versos libros parum cauti legebant : *impia quoque περὶ ἀρχῶν ingesta volumina, quæ emendata manu scorpii* (id est Rufini) *monstrabantur.* Ne crimen, si quod esset, inultum maneret, *acciti* sunt Romam *frequentibus litteris hæretici* (hoc appellantur nomine Rufinus, et asseclæ) : *neque venire ausi.* Imo *tantum romanæ urbis* (ejusdem Hieronymi verba sunt libro III contra Rufinum num. 21) *judicium fugit ipse Rufinus ; ut magis obsidionem barbaricam, quam pacatæ urbis voluerit sententiam sustinere.* Alarici irruptionem intelligit, qui agros Aquileienses, Italiam ingressus, occupavit, vastabatque.

Fidei suæ, quam denigrari ægre sentiebat, prolixam apologiam, cum Romam accitus proficisci non potuerit, aut noluerit, attuleritque excusationem, ad Anastasium romanum pontificem misit Rufinus : *Audivi*, inquit, *quosdam, cum apud Beatitudinem tuam controversias sive fide, sive de aliis nescio quibus quæstionibus commoverent, etiam mei nominis fecisse mentionem. Et tua quidem Sanctitas, velut ab ipsis incunabulis per ecclesiasticæ traditionis regulas instituta, de absente, sibique bene et in fide et in charitate Dei cognito, calumniantibus non accommodavit auditum. Ad me tamen quoniam appetitæ existimationis meæ fama pervenit, æquum putavi ut quoniam ipse post triginta fere annos parentibus redditus sum ; et durum satis atque inhumanum erat, si tam cito desererem eos, quos tam tarde reviseram ; simul et quia tam longi itineris labor fragiliorem me reddit ad iterandos labores, litteris meis satisfacerem Beatitudini tuæ : non ut de sancta mente tua, quæ velut quoddam Dei sacrarium aliquid iniquum non recipit, maculam suspicionis abstergerem ; sed ut æmulis adversum me oblatrantibus, baculum quemdam tibi confessionis meæ, quo abigerentur, offerrem.* Edit ergo fidei suæ expositionem, quidve sentiat verbis disertissimis declarat de Trinitate, de Verbi Dei Incarnatione, de Resurrectione, de Judicio diaboli, de Animarum origine : seque demum Origenis, **146** cujus opera quædam latine reddiderat, interpretem profitetur, non defensorem.

II. Interim Theophilus Alexandrinus libros Origenis interdixerat fidelibus, idemque Romæ præstiterat Anastasius. Utrumque discimus ex ejusdem pontificis epistola *ad Simplicianum*, utique Mediolanensem episcopum, quam Dominicus Vallarsius in sua divi Hieronymi operum Veronensi editione antea ineditam primus vulgavit. Hæc legimus : *Theophilus frater et coepiscopus noster circa salutis commoda non desinit vigilare, ne Dei populus, per diversas ecclesias Origenem legendo, in magnas incurrat blasphemias... Nos* (etiam) *in urbe Roma positi... ne quis contra præceptum legat hæc quæ diximus, damnavimus... Hoc præceptum tenentes, illud quidquid est fidei nostræ contrarium, ab Origene quondam scriptum, judicavimus a nobis alienum, atque punitum.* Simpliciani obitum Mediolanensia monumenta *die* 18 kalendas *septembris anni* 400 consignant : unde datæ epistolæ tempus definiri jam potest.

Eodem anno in synodo Alexandrina a Theophilo convocata solemnior prodiit Origenis damnatio, quam Encyclicæ *Palæstinis et Cypriis episcopis* inscriptæ complectuntur. Vulgavit eas laudatus Vallarsius ex antiquissimo codice ms. Mediolanensi bibliothecæ Ambrosianæ, olim S. Columbani Bobiensis : vocatisque ad examen nonnullis difficultatibus, contradicentes ut videntur chronologiæ calculos conciliat. Pari ardore in Origenem commotus Anastasius, Origeniana proscripsit dogmata, damnationis sententia missa ad Venerium, qui Simpliciano in sedem Mediolanensem suffectus fuerat. Id ipse testatur in epistola, quam anno 401 ad Joannem Hierosolymitanum dedit : *Qua re moti*, inquiens, *qualem epistolam* (utimur editione Petri Coustantii) *ad Fratrem et coepiscopum nostrum Venerium diligentiori cura perscriptam parvitas nostra transmiserit, ex subditis poteris comprobare.* Periit illa, aut latet adhuc in bibliothecarum forulis.

Hanc in Origenem latam sententiam damnationis eodem cum Anastasio et Venerio comprobasse Chromatium Aquileiensem spiritu, luculentissime testatur Hieronymus libro II contra Rufinum, num. 22. *Beati Episcopi*, inquiens, *Anastasius, et Theophilus, et Venerius, et Chromatius, et omnis tam Orientis, quam Occidentis Catholicorum Synodus..... pari sententia, quia pari et spiritu, illum* (Origenem) *hæreticum denuntiant populis,*

III. Hæc Joannes Hierosolymitanus cum accepisset, Anastasium consulit per epistolam, num Rufinus ob versos e græco in latinum sermonem sæpe dictos libros *de Principiis*, damnandus esset? Reddit Joanni epistolam anno 401 Anastasius, qui Origenis causam distinguit a causa Rufini, et hanc divino reservat judicio. Pontificis mentem ex ejusdem epistola colligo, quam severo inito examine Petrus Constantius tomo I Epistolarum romanorum pontificum illustrat, Joannis Garnerii editione ac sententia rejectis. Sic habet vero num. 2 et 3 : *Rufinus, de quo me consulere dignatus es, conscientiæ suæ divinam habet arbitram Majestatem, apud quam se integro devotionis officio ipse viderit, qualiter debeat approbare. Origenes autem, cujus in nostram linguam composita derivavit, antea et quis fuerit, et in quæ processerit verba,* B *nostrum propositum nescit. Quod vero sit animi mei studium,* **147** *cum tua paulisper super hoc conferam Sanctitate. Hoc igitur mente concepi, quod urbis nostræ populis de translatis Origenis lectio patefecit : quadam puris mentibus velut nebula cæcitatis injecta, fidem Apostolorum et Majorum traditione firmatam, velut deviis anfractibus, illum voluisse dissolvere.* Hoc est : aliam Origenis causam esse docet, aliam Rufini. Hujus conscientiæ apud arbitram divinam Majestatem notissimæ relinquendum consilium censet, quo latinam Origenis interpretationem exsecutus fuerit; unde judicium de Rufino sustinet Anastasius. Quæ sequuntur de Origene, hunc sensum efferunt : Cum scopus noster sit de nomine Rufini, de quo uno a te consultus sum; nostri hujus idcirco propositi non est C indagare, quis Origenes fuerit. Quod tamen mei animi studium, quis affectus erga eum, quæ de illo sententia sit, paucis aperiam. Patefecit namque de libris ejus translatis lectio, ipsum voluisse, injecta puris mentibus cæcitatis nebula, fidem dissolvere, quam firmat Apostolorum ac Majorum traditio. Hinc *ille*, quem Anastasius docet voluisse fidem christianam dissolvere, Origenes est, non Rufinus; hoc enim loco veluti raptim, et extra propositum, Joanni Hierosolymitano significat, quid ipse de Origene sentiat.

Intermissam de Rufino repetit orationem num. 4, *Discere*, inquiens, *hoc loco libet, quid agat in Romanam linguam ista* (Origenis librorum a Rufino adornata) *translatio?* Pontificis judicium accipe : *Approbo,* D *si accusat Auctorem, et exsecrandum factum populis prodit, ut justis tandem odiis teneatur, quem jamdudum fama constrinxerat. Si vero Interpres tantorum malorum consensum præstat, et legenda prodit in populis : nihil aliud sui opera laboris exstruxit, nisi ut propriæ veluti mentis arbitrio hæc, quæ sola, quæ prima, quæ apud catholicos Christianos vera fide jam exinde ab Apostolis in hoc usque tempus tenetur, inopinatæ titulo assertionis* (seu titulo novæ per Origenem invectæ doctrinæ) *everteret.* Ubi Origenis dogmata, quæ in latina Rufini versione prodebantur, absque ulla ambage iterum damnat Anastasius. Rufini vero nulla apparet absoluta condemnatio. Hypothetico loquitur

A Romanus pontifex. Approbat, si Rufinus interpres damnet Auctorem, ejusque iniqua dogmata exsecretur : anathema fert, si dogmatibus Origenianis latine redditis consensum præstet.

Eadem utitur Anastasius œconomia num. 5, ubi primum multiplicis erroris damnat Origenem : deque Rufini conscientia, consilioque se minus sollicitum præbet : *Absit*, inquit, *hoc ab Ecclesiæ Romanæ catholica disciplina. Numquam profecto eveniet, aliqua ut hæc* (Origenis dogmata) *admittamus ratione, quæ jure meritoque damnamus. Quapropter illa toto orbe Christi Dei nostri diffusa providentia probare dignabitur, accipere nos omnino non posse quæ Ecclesiam maculent, probatos mores evertant, aures circumstantium vulnerent, jurgia, iras, dissensionesque disponant :* B quæ sunt exsecranda Origenis dogmatum veluti genera. *Qua re moti, qualem epistolam ad Fratrem et Coepiscopum nostrum Venerium diligentiori cura perscriptam parvitas nostra transmiserit, ex subditis poteris comprobare.* Ad Venerium missa epistola dicitur diligentiore studio perscripta, ut appareat discrimen a breviore altera, quam ad Simplicianum dederat. **148** In utraque vero damnatum Origenem, ejusque lectionem fidelibus interdictam, scimus.

Ad Rufinum redit : *Unde igitur*, inquiens, *habeat secum ille qui transtulit, servetque sibi hanc conscientiam, non superflua laboro formidine, neque inani timore sollicitor.* At sollicitudinem suam contra Origeniana commenta pergit Pontifex declarare : *Mihi certe*, inquiens, *cura non deerit, Evangelii fidem circa* C *meos custodire populos : partesque corporis mei per spatia diversa terrarum, quantum possum, litteris convenire, ne qua profanæ interpretationis origo subrepat, quæ devotas mentes, immissa sui caligine, labefactare conetur.* Pastorali officio functus ille fuerat, tum Origenis lectionem interdicendo, tum Origeniana dogmata condemnando : simulque invigilabat, ne caligo per latinam versionem immissa devotas simplicesque mentes labefactaret : Hinc *illud quoque*, inquit, *quod evenisse gaudeo tacere non potui, beatissimorum principum nostrorum manasse responsa, quibus unusquisque Deo serviens ab Origenis lectione revocetur : damnatumque sententia principum, quem lectio rerum profana prodiderit.* Priorem, quam tulerant Theophilus Alexandrinus, et Anastasius papa inhibitionem, secuta D sunt Honorii et Arcadii responsa, quæ tamen exciderunt, aut nondum edita latent. Probabile censet Constantius, Origene a Theophilo ejusque synodo Alexandrina damnato, interdictaque Operum illius lectione, ut fortius Origenistæ absterrerentur, imperialia edicta, quæ postulaverant orthodoxi Patres, lata fuisse.

Sequitur Anastasius : *Hactenus sententiæ meæ forma processit.* Ac si diceret; hactenus quid sentiam exposui. Ait demum num. 6 : *Quod te vero vulgi de Rufino querela sollicitat, ut quosdam magis suspicionibus persequaris, hanc tuam opinionem constringam divinæ lectionis exemplo, sicut scriptum est : Non sic homo ut Deus, nam Deus videt in corde, homo videt*

in facie. Joannem scilicet monet Anastasius, ne tam facile livoris et invidiæ velit eos suspectos habere, qui Rufini latinam translationem vocabant in crimen, cum livor internum sit malum solius Dei oculis compertum : *Itaque, Frater charissime, omni suspicione seposita, Rufinum propria mente perpende, si Origenis dicta in latinum translulit, et probavit : nec* (enim) *dissimilis a reo est, qui alienis vitiis præ tat assensum.* Quemadmodum enim num. 4, conscientiæ Rufini negotium omne reliquit : ac priusquam de illo quidpiam definiat, discere cupit, auctoremne accuset cujus interpres fuit, an errores ejus complectatur assensu : ita et nunc hortatur Joannem, ut ab omni suspicione liber, ad explorandum Rufini consilium enitatur : *Illud tamen tenere te cupio, ita haberi a nostris partibus* (a nostra regione, et urbe Roma) *alienum* (ac dissitum, Aquileiæ namque commorabatur), *ut quid agat, et ubi sit, nec scire cupiamus.* Nec enim se velle de mente et consilio ejus anxium et sollicitum esse, superius dixerat : *Ipse denique viderit; ubi possit absolvi :* non a lata sententia, cujus nullum tota in epistola vestigium ; sed a suspicionibus, quæ de illo ferebantur.

IV. Nihil igitur jure et merito designari potest, quod Rufini damnationem sonet in epistola Anastasiana. Neque pro anathemate in ipsum lato allegari eadem epistola debet **149** juxta Garnerii editionem ; cum ipsum admoneat Coustantius, plures arbitratu suo mutationes induxisse, lectionesque varias ad præconceptam opinionem accommodasse. Hinc vero, si damnatum Rufinum in æstu disputationis dixerit Hieronymus, mitiore sensu exponendus est ad mentem Anastasii, qui judicium omne in hocce negotio suspensum voluit.

Ait ille libro III contra Rufinum num. 15 : *Quomodo susceperit Italia* (ut Rufinus jactabat) *quod Roma contempsit? Episcopi susceperint, quod sedes apostolica condemnavit?* Hæc profert S. Pater de Apologia quam Anastasio obtulerat Rufinus. At enim damnata dicitur Apologia, quia contempta : eamque papa Anastasius idcirco contempsit, quia in epistola ad Joannem Hierosolymitanum nullam ejus mentionem ingerit, nec ullam ejusdem rationem habere voluit.

Illa quoque Hieronymi verba objiciuntur, quæ libro II contra Rufinum legimus num. 13 : *Si non vis audire Fratrem monentem, audias Episcopum condemnantem ;* itemque alia in Epitaphio Marcellæ Viduæ num. 10 : *Acciti frequentibus litteris hæretici* (Rufinum et asseclas intelligit) *ut se defenderent, venire non sunt ausi : tantaque vis conscientiæ fuit, ut magis absentes damnari, quam præsentes coargui maluerint.* Quæ omnia, et si qua paria sunt, id unum significant : Origene per Anastasium damnato, eos omnes pariter anathemate perculsos haberi, qui erroribus ejus implicati essent ; quod suspicabatur de Rufino et asseclis Hieronymus. Hanc ejus mentem aperiunt verba, quæ libro II citato contra Rufinum eodem num. 13 leguntur : *Cur translaturus hæretica, in defensionem eorum præmittis quasi Martyris* (Pamphyli) *librum ? Et id Romanis auribus ingeris, quod translatum totus orbis expavit? Aut certe si ideo interpretaris, ut eum hæreticum arguas, nihil de græco mutes, et hoc ipsum testare : quod prudentissime Papa Anastasius in epistola, quam contra te scribit ad Episcopum Joannem, suo sermone complexus est : me liberans, qui id feci; et te arguens, qui facere noluisti.* Condemnationem innuit, quæ legitur in Epistola Anastasii, non absolutam, sed hypotheticam. Sed in eo ab Anastasio differt Hieronymus ; quod ille judicium suspendit, factamque a Rufino in ejus conscientiæ consilium interpretationem transfert : hanc vertit Hieronymus in malam partem, ac pronus est in judicium malæ conscientiæ.

V. Libellum palinodiæ profert ex bibliotheca Vaticana depromptum Henricus Norisius libro I Historiæ Pelagianæ, capite 3, quo Rufinus errores partim abs se assertos, partim sibi imputatos ejurat. Hanc ipsum cecinisse palinodiam putat ille, Romæ post obitum Anastasii coram Innocentio I, qui in ejus locum sedemque anno 401 suffectus est.

Libelli titulum accipe, *Inc. propter fidem.* Priora verba sunt : *Propter venerationem sanctorum locorum, Hierosolymarum, et Bethleem, venimus : et intelleximus plures fratres in nobis scandalizari, eo quod audierint, nos multa hæretica, et quæ contra fidem Ecclesiæ veniunt, profiteri. Itaque Deo præsente testamur, quæ infra scripta sunt nos ex parte sensisse per errorem, et præsenti tempore condemnare : alia autem, in quibus falso infamamur, nec dixisse nec dicere ; et contraria, quæ in aliis suspicamur, posuisse atque damnasse.* **150** Sequuntur anathematismi duodecim quibus Origeniana doctrina repudiatur, et ortæ ex eo fonte damnantur hæreses Pauli Samosateni, Arii, Apollinaris et Photini. Idemque desinit libellus his verbis : *Finis de fide de nomine Rufini.*

Libellum eumdem vulgavit Joannes Garnerius inter opera Marii Mercatoris, epistolæ ab Anastasio ad Joannem Hierosolymitanum datæ subjunctum. Priora verba sic efferuntur : *Propter venerationem sanctorum locorum, Hierosolymam et Bethleem venimus, et intelleximus plures fratres in nobis scandalizari.* Hæc sine dubio sana lectio est : neque convenientem aliquem sensum reddere potest superior lectio Norisiana. Verum etiam eodem hæc verba legi modo in ipso codice Vaticano, quem Norisius adhibuit, testatur Dominicus Vallarsius apud Ballerinos Fratres : quibus postulantibus, codicem eumdem, dum Romæ diversaretur, diligentissime inspexit. Quomodo ergo hunc libellum scripserit Rufinus Romæ coram Innocentio pontifice, ut in gratiam sedis apostolicæ rediret? Libelli auctor dicitur, *propter venerationem sanctorum locorum* venisse *Hierosolymam et Bethleem :* ibique errores partim assertos, partim imputatos condemnasse, ut satis fratribus faceret qui scandalum patiebantur. Hæc Rufino Aquileiensi nullo modo conveniunt.

Alii duo Rufini occurrunt in Epistolis divi Hieronymi. Alter est, de quo S. Pater in epistola ad Ru-

finum Aquileiensem anno 399 data sic habet : *Frater meus Paulinianus necdum de patria reversus est, et puto quod eum Aquileiæ apud S. Papam Chromatium videris. Sanctum quoque presbyterum Rufinum ob quamdam causam per Romam Mediolanum misimus, et oravimus ut nostro animo et obsequio vos videret.* Hic erat Hieronymi discipulus, ex Bethleemitico secessu in Italiam negotii alicujus peragendi gratia missus.

Ad Rufinum alterum ejusdem Hieronymi habetur epistola, quam anno præcedente 398 datam pluribus evincit Dominicus Vallarsius. In codicibus mss. bene multis inscriptio legitur ad *Rufinum presbyterum Romanum* : ipsumque recens Hieronymo amicum factum, quæ num. 6 leguntur verba, satis evincunt. Ait enim Hieronymus : *Hæc ipsa in lectulo decumbentes, longaque ægrotatione confecti, vix Notario celeriter scribenda dictavimus, non ut impleremus materiam, sed ne tibi in principio amicitiarum aliquid imperanti* (Expositionem postulaverat de Judicio Salomonis) *videremur negare.* Si quispiam vero Rufinus libellum palinodiæ, de quo agimus, ediderit, non alter, sed primus fortasse fuerit, quem in Occidentem ab Hieronymo missum vidimus. Fateri tamen debemus, priora ejusdem libelli verba haud ipsi bene et apte convenire, quæ hominem exhibent, *Hierosolymam et Bethleem* proficiscentem *propter venerationem sanctorum locorum.* An is dici queat Rufinus Hieronymi discipulus, qui ex eremo Bethleemitica, quam dudum cum Hieronymo incolebat, negotii peragendi causa in Occidentem missus fuit, ad eamdem eremum reversurus?

VI. Libellum eumdem, repertum in bibliotheca Monasterii Bobiensis, testatur Joannes Mabillonius in Itinere Italico, hoc modo inscriptum legi : *Abbreviatio Fidei catholicæ exposita a S. Hieronymo, ut quidam in hæresim lapsi corrigerentur.* Hieronymo **151** tribuendum Opusculum, nemo dixerit : verum ex diversa inscriptione quæ in mss. codicibus habetur, facile conjicerem, neque ab aliquo Rufino vere illud editum esse, sed ab alio potius confictum suppositumque, cui per otium placuerit Hieronymi doctrinam Origenianis dogmatibus adversam colligere.

Attentiore mente si perpendas libelli anathematismos, adoptatam noveris doctrinam, quæ Hieronymo placebat, tametsi ab aliis Ecclesiæ Patribus ævo illo pro certa non habebatur. In duodecimo anathematismo hæc habentur : *Qui dicunt animas prius fuisse quam natæ sunt, et non cum corpore secundum exemplum primi hominis a Deo quotidie fieri, anathema sit.* In hanc sententiam abiit semper Hieronymus, quæ singulas rationales animas, nascentibus hominibus, creari novas tenet. Rufinus Aquileiensis in Apologia ad Anastasium variantes hocce de argumento opiniones refert : *Audio,* inquiens, et *de anima quæstiones fieri .... Legi quosdam dicentes, quod pariter cum corpore per humani seminis traducem etiam anima diffundatur..... Alii asserunt, quod formatis in utero corporibus, Deus quotidie faciat animas, et infundat. Alii quod factas jam olim, id est* A *tunc cum omnia Deus creavit ex nihilo, nunc eas judicio suo dispenset in corpore.* Dubium se hærere, atque perplexum, testatur ille : *Ego vero cum hæc singula legerim, Deo teste, dico quia hucusque ad præsens certi et definiti aliquid de hac quæstione non teneo.* Augustini nescit nemo perplexitatem, imo satis propensam mentem in propagationem animarum ex traduce. Revocatam hanc a S. Doctore in epistola ad Optatum opinionem, putat Bellarminus : immerito sane, cum fateatur num. 2 numquam *fuisse ausum, de hac quæstione definitam proferre sententiam.* Eos quidem num. 18 *inconsideratæ temeritatis* arguit, qui *propaginem animarum defendunt* ; non quia existimaret, erroneam et Scripturis adversam ab illis defendi sententiam : verum quod eamdem pervica- B cius, quam par esset, tutarentur. Interim Hieronymus constantissime sentiebat in libro contra Joannem Jerosolymitanum num. 22 : *Quotidie Deum fabricari animas* : quod etiam libro III contra Rufinum num. 28 dogma vocat *Ecclesiasticum.* Hanc Hieronymi doctrinam tuebatur, qui prædictum efformavit anathematismum, dicendumque anathema proposuit iis, qui contrarium sentirent.

Dignus quoque animadversione est primus anathematismus, quo hæc efferuntur : *Qui dicunt Diabolo, et Dæmonibus et impiis, hoc est Gentilibus, Judæis, Samaritanis, omnibusque hæreticis* (*exceptis christianis, qui rectam fidem sequuntur, et peccatores sunt*), *aliquando parcendum et pœnas eorum non esse perpetuas, anathema sit.* Exceptio de Christianis in- C tellecta, qui rectam fidem sequuntur, et nihilominus cum lethali culpa decedunt, christianæ doctrinæ repugnat. Satis est hoc loco animadvertere : prædictum anathematismum, sive doctrinam species, sive solummodo verba, ex Hieronymi operibus decerptum esse. Ait enim postremo capite Commentarii in Isaiam : *Sicut Diaboli, et omnium negatorum, atque impiorum, qui dixerunt in corde suo, Non est Deus, credimus æterna tormenta : sic peccatorum atque impiorum, et tamen Christianorum, quorum opera igne probanda atque purganda sunt, moderatam* **152** *arbitramur et mixtam clementiæ sententiam judicis.* Paria scribit in Dialogo I contra Pelagianos num. 28 : *Si autem Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, et Diabolo tribuit pœnitentiam,* D *quid ad nos? qui et Diabolum, et satellites ejus, omnesque impios, et prævaricatores dicimus perire perpetuo : et Christianos, si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas.* Nolim de mente Hieronymi disputare : ejusque verba catholico sensu exponantur de purgatoriis pœnis, si placeat, per me licet, ac lubens consentio. Habeo tamen, ex ipsius Sancti Patris doctrina et verbis depromptum esse anathematismum, quo de agimus.

Quidni ergo conjici potest, quempiam fuisse, qui cum animadverteret in libro III Hieronymi contra Rufinum num. 23, tum ipsum S. Patrem veluti *hæreticum* ex ejusdem Rufini *amicitiis* ab Aterbio *judicatum* aliquando fuisse, tum Aterbio satis ipsum *fe-*

cisse damnatione dogmatum Origenis; inde sumpserit ansam libellum scribendi, in quo Hieronymi doctrina proponeretur, atque contraria dogmata anathemate percellerentur? Fortasse namque censuit otiosus Auctor, non aliter Hieronymum *satis fecisse* Aterbio, quam per libellum palinodiæ, in quo *damnatio dogmatum Origenis* contineretur. Hinc vero proclive fuit, libellum eumdem tum Hieronymo adscribi, ut in Codice Bobiensi; tum Rufino, sive Aquileiensi, sive discipulo Hieronymi, ut in aliis codicibus.

CAPUT XII.

Ruptam dolet inter Hieronymum et Rufinum amicitiam Augustinus. Hieronymum ad silentium hortatur *Chromatius*. Rufino in Aquileiensium presbyterorum album ascripto favet. Cum eodem Rufino colit amicitiam Paulinus Nolanus. *Chromatio*, Gaudentio Brixiano, aliisque nuncupat Rufinus opera sua. Joannis Chrysostomi, sede Constantinopolitana deturbati, causam in Occidente strenue tutatur *Chromatius*.

I. Interim scriptis libellis Rufinus et Hieronymus pugnabant. Duos ille Invectivarum libros, quos anno 399 inceperat, vulgavit anno 401, contra Hieronymum. Hisce nondum lectis, sed ex ore tantum amicorum ex parte auditis edita respondet S. Pater anno insequente Apologia, in duos pariter tributa libros. Epistolam reposuit Rufinus : simulque invectivarum libros misit, quibus tertium opposuit Apologiæ librum Hieronymus.

Ruptam inter illos dolebat amicitiam Augustinus. Aculeatos Rufini libros perstringit, simulque suaves animi sui sensus Hieronymo exponit in epistola 73, alias 15, anno circiter 404 scripta. Inquit enim num. 6 : *Nescio quæ scripta maledica* (Rufini Invectivarum libri) *super tuo nomine ad Africam pervenerunt. Accepimus tamen, quod dignatus es mittere, illis respondens maledictis. Quo perlecto, fateor, multum dolui : inter tam charas familiaresque personas, cunctis pene Ecclesiis notissimo amicitiæ vinculo copulatas, tantum malum exstitisse discordiæ..... Quis* **153** *amicus non formidetur, quasi futurus inimicus, si potuit inter Hieronymum et Rufinum hoc quod plangimus exoriri?* Et num. 10 : *Hoc magnum et triste miraculum est, ex amicitiis talibus ad has inimicitias pervenisse : lætum erit, et multo majus, ex inimicitiis talibus ad pristinam concordiam revertisse.*

II. Mitiores animos Hieronymo ingerere studebat Chromatius Aquileiensis : idque admonitione sua obtinuit, ut ambo novis abstinerent scriptis, quibus invicem lacesserentur. Rufinum præsentem auctoritate sua urgebat, ut jurgio finem imponeret : neque sane responsum dedit ad tertium Apologiæ librum, quem Hieronymus vulgaverat. Litteris etiam ad Hieronymum datis, finem obtinuit simultatum, quem vehementissime optabat.

Rem ipsam testatam reliquit Sanctissimus Vir libro III contra Rufinum num. 2, ubi causam profert, propterea quod, commonitione Chromatii neglecta, librum eumdem conscripserit : *Testem*, inquiens, *invoco Jesum, me ad commonitionem S. Papæ Chromatii voluisse reticere, et finem facere simultatum, et* A *vincere in bono malum : sed quia minaris interitum nisi tacuero, respondere compellor, ne videar tacendo crimen agnoscere, et lenitatem meam malæ conscientiæ signum interpreteris.* Abstinuit deinceps jurgio, scriptoque Hieronymus : quamquam data occasione non sine contemptu de Rufino scribit, sive adhuc vitam agente, sive denato.

III. Suam Rufino communionem, et amicitiam negavit nunquam Chromatius, ipsumque habuit coluitque inter charos Aquileiensis Ecclesiæ presbyteros. Rem hanc paulo fusius declaro, quam Henricus Norisius inficiatur. Monastico addictus instituto Rufinus, simulque laicus, post baptisma susceptum discessit Aquileia anno 371 aut sequente. Nondum presbyter initiatus fuerat juxta calculos Tillemontii B anno 386, quo ipsum, et Hieronymum, atque Melaniam invisit Hierosolymis et Bethleem Palladius, Lausiacæ historiæ Auctor. Sic enim ait capite 5 : *Cum Melania seniore vixit etiam nobilissimus, et moribus simillimus, et fortissimus Rufinus, ex Aquileia civitate Italiæ*, πρεσβυτερίου εἰς ὕστερον καταξιωθείς, *qui postea dignus est habitus presbyteratu; quo non est inventus inter homines nec doctior, nec mitior.*

In epistola S. Epiphanii ad Joannem Hierosolymitanum data, et a Hieronymo latine reddita, quæ ad annum 394 spectat, *presbyterum Rufinum* appellatum legimus. Ipsum fortasse Joannes, a quo magno in pretio habebatur, presbyterum initiavit. Ordinatum vero titulo Monasterii, nullus dubito : qua ratione laudatus Epiphanius in eadem epistola scribit, C Paulinianum Monachum S. Hieronymi fratrem a se presbyterum consecratum ad divina in Cœnobio Bethleemitico mysteria celebranda; eo quod *sancti presbyteri Hieronymus et Vincentius, propter verecundiam et humilitatem nollent debita nomini suo exercere sacrificia.* De variis Ordinationum titulis late ac præclare agit Christianus Lupus in notis ad canonem 6 concilii Chalcedonensis.

Post annum 398 reducem Rufinum in patriam et urbem Aquileiam, Aquileiensi clero extra septa Monasterii aggregatum a Chromatio, colligere possumus ex Gennadio vetusto scriptore, qui capite 17 de Viris **154** illustribus Rufinum *Aquileiensem presbyterum* vocat. Id inficiatur Norisius, cujus hæc verba sunt libro I Historiæ Pelagianæ, capite 2 : D *Neque post reditum a Chromatio antistite in suum clerum ascriptus videtur : etenim paulo post inde discessit, Orientem repetiturus.* Falli puto Virum doctissimum. Aquileia ante annum 407 discessisse Rufinum, probari non potest, ut infra dicendum. Verum etiam ascribi clericos ævo illo potuisse alicujus Ecclesiæ albo, quin ibidem permanentem sedem haberent, ostendit Tillemontius exemplo Paulini Nolani, qui in epistola 3, alias 45, ad Alypium, num. 4, refert : Ambrosium Mediolani Antistitem *suo se clero vindicare voluisse, ut etsi diversis locis degeret, ipsius presbyter censeretur.*

IV. Neque solum Chromatius, verum etiam plerique sanctissimi viri, qui hac ætate florebant,

communionem Rufino Ecclesiasticam largiebantur, ab Anastasio damnatum minime putabant, fovebantque cum ipso amicitiam. Habentur Paulini Nolani epistolæ plures ad ipsum. Hoc loco eam liceat expendere, quæ apud Lebrunum 28, alias 9, ad *Sulpicium Severum* data est, ex qua discimus : tum Severum Paulino quoddam misisse commonitorium plurium difficultatum, quas in Historia Sacra texenda offenderat, sibique expediri optabat : tum ab eodem Paulino commonitorium idem transmissum ad Rufinum, ut ipse pro ea, qua pollebat, eruditione Severi difficultates explanaret. Ita vero amplissimo celebrat Rufinum elogio : *Præterea autem jussisti, nimium opulenter tibi de paupere tuo blandiens, ut quæ de annalibus non unius gentis, sed generis humani fugerent, ego videlicet quasi peritior edocerem... Attamen quod de meo non habui, de fratris unanimi opulentiore thesauro petivi; et ipsam annotationem, quam Commonitorii vice miseras, litteris meis inditam, direxi ad Rufinum presbyterum, sanctæ Melaniæ spiritali in vita comitem, vere sanctum et pie doctum, et ob hoc intima mihi affectione conjunctum. Si ille has, quæ merito te permovent de annorum sive regnorum non congruente calculo, hiantis historiæ causas non ediderit, qui et scholasticis et salutaribus litteris* (sacris et humanioribus) *græce juxta ac latine dives est, vereor ne apud alium in his regionibus* (Italiæ) *frustra requiramus.*

Mentio Melaniæ senioris, cum qua spiritalem vitam in Ægypto et Hierosolymis plures annos transegerat Rufinus, reditum ejusdem pientissimæ viduæ in Italiam indicare videtur. In sequente sane epistola ad eumdem *Severum* data, laudes ejus amplissime persequitur Paulinus : ipsamque narrat ex *Hierusalem post quinque lustra remeantem* se hospicio *excepisse*. Ubi annos viginti quinque commorationis Hierosolymitanæ numerat ille, septem autem supra viginti Palladius in Historia Lausiaca.

Reditum Melaniæ anno 402 illigant editores Benedictini Operum S. Augustini tomo II in præfatione, Lebrunus in nova Operum S. Paulini Nolani editione, et Tillemontius nota 2 in Vitam S. Melaniæ. Pagium adversantem novimus, cujus sententia est : Rufinum simul cum Melania, tum iter in Orientem suscepisse, tum in Italiam remigrasse. Prioris Chronographiæ calculis acquiescimus, quos egregie pluribus argumentis vindicant ac asserunt Petrus et Hieronymus Fratres Ballerini, presbyteri **155** Veronenses libro I Observationum in opera Henrici Norisii capite 2, num. 5. Hinc Paulinus prædicto Rufinum exornat elogio post magnos in ipsum Romæ tumultus concitatos. Accedit confirmatio ex epocha conscriptæ a Sulpicio Severo Historiæ Sacræ, quam ducere animo conceperat *usque in Stiliconem consulem*, ut ait libro secundo, annum scilicet Christi 400. Hoc igitur anno historiam suam adornabat Severus, eamque uno vel altero post anno absolvit : eodemque circiter tempore difficultatum, quas offendebat Severus, commonitorium acceptum misit ad Rufinum

A Paulinus, ut dubia solveret, quæ communis amici mentem animumque vexabant.

V. Operam ille suam, vitamque insumebat in homiliis Origenis in Sacram Scripturam latio reddendis, aliisque proprio marte concinnandis elucubrationibus, quas viris eximiis, quorum fruebatur amicitia et consuetudine, nuncupabat. Chromatio Aquileiensi homilias in librum Josue latine redditas obtulit, ipsumque in epistola nuncapatoria quæ falso in vulgatis Hieronymo adjudicatur, his verbis alloquitur : *Quia ergo et tu, o mi semper venerabilis pater Chromati, injungis et præcipis nobis, ut aliquid ad ædificationem et constructionem divi tabernaculi ex Græcorum opibus et copiis conferamus ; oratiunculas 26 in Jesum Nave, quas ex tempore in Ecclesia perorávit Adamantius senex, ex græco latine tibi pro virium*
B *mearum parvitate disserui.* Ipsum Chromatium comparat Beseleeli, quem Divina Scriptura Exodi capite XXXI narrat, impletum fuisse *Spiritu Dei sapientia, et intelligentia, et scientia in omni opere* ad exstructionem tabernaculi.

Heraclio, quem *fratrem* appellat, nuncupatos ab eodem Rufino habemus Commentarios ejusdem Origenis in Epistolam ad Romanos latine translatos. In peroratione, quam perperam Hieronymo tributam in vulgatis editionibus evincit Cotelerius ex mss. codicibus, opus aliud memorat, quod postulante Gaudentio episcopo Brixiano aggressus fuerat : *Post hoc,* inquiens, *sane vocat nos opus, quod olim quidem injunctum est, sed nunc a B. Gaudentio episcopo vehe-*
C *mentius perurgetur, Clementis scilicet romani episcopi, apostolorum comitis et successoris, de Recognitione libri, ut in latinum vertantur..... Quod si me Dominus implere permiserit, redibimus ad illos* (Adamantii libros versione latina vulgandos) *et ad tua desideria, ut in Numerorum et in Deuteronomii libros, Deo permittente, aliqua dicamus.* Morem gessit Gaudentio, fidem suam postea Heraclio liberaturus. Ait vero in prologo Recognitionum : *Tibi quidem, Gaudenti, nostrorum decus insigne doctorum..... opus, quod olim venerandæ memoriæ virgo Silvia injunxerat, ut Clementem nostræ linguæ redderemus, et tu deinceps jure hæreditario poscebas, licet multas post moras, tandem aliquando restituimus.* In citata peroratione post commentarios in epistolam ad Romanos, Origenis
D volumina recenset, quæ latino sermone interpretatus jam fuerat : *Homilias sive Oratiunculas in Genesim, et in Exodum..... et in librum Levitici.... et in Jesum Nave, et in Judicum librum, et in trigesimum sextum, et in trigesimum septimum, et trigesimum octavum psalmum.* Alia ejus opera Paulino Nolano, Urseio abbati, et Donato nuncupata, capite sequente memorabimus.

156 VI. Ad Chromatium nostrum redit oratio, cujus sollicitudo per hæc tempora maxime emicuit in gravi causa Joannis Chrysostomi, sede Constantinopolitana per vim ac injuriam deturbati. Eudoxiæ superbæ imperatricis instigatione, ac Theophili Alexandrini et conjuratorum episcoporum malis ar-

tibus, damnatum sanctissimum virum anno 403 in A pseudo-synodo habita in suburbio Chalcedonis ad Quercum, decreto suo Arcadius Augustus exsulare jussit. Ingenti terræ motu facto, ac plebe ad seditionem vergente, ab exsilio revocatus est. Impotentem haud remisit iram Eudoxia, donec iterum in synodo Constantinopoli anno 404 celebrata ab adversariis oppressus in exsilium Chrysostomus deportatur: quo perdurante, sanctissimum vitæ cursum consummavit die 14 septembris anni 407. Sedem porro eximii præsulis in exsilium acti occupavit primum Arsacius, tum Atticus.

Sede sua cum injuste depulsus exsilium patiebatur Chrysostomus, litteras dedit ad Innocentium I, romanum pontificem, qui Anastasio anno 401 suffectus fuerat die 4 decembris, aut anno insequente 402, B die 27 aprilis, ut aliis placet. Litteras easdem refert Palladius in dialogo de Vita ejusdem Chrysostomi: similesque testatur (a) scriptas ab eo fuisse *ad Venerium episcopum Mediolani, et ad Chromatium Aquileiæ episcopum.*

Opem Chrysostomo pro sua auctoritate ac dignitate collaturus Innocentius, litteras ad Honorium imperatorem misit. His Augusti *pietas mota* (verba sunt Palladii) *jubet Occidentalium synodum cogi: et cum unam simul sententiam tulissent, eam ad suam pietatem referri.* Congregatos narrat idem Palladius *Italiæ* episcopos. Romæ synodus habita est. Orant vero Patres supplicibus ad imperatorem oblatis libellis, velit ipse fratri suo et imperii consorti, Arcadio rescribere, ut jubeat synodum fieri Thessalo- C nicæ; quo facilius utraque pars Orientis et Occidentis certum ac indubitatum de Joannis Chrysostomi causa judicium ferat. Sanctissimi viri causam strenue tutabatur Chromatius, cujus epistolam una cum litteris romani pontificis delegit Honorius, ut eas ad Arcadium mitteret. Hæc ad annum 405 pertinent. Ait vero Honorius in epistola ad Arcadium: *Quænam enim sit Occidentalium de Joanne episcopo sententia, ex omnibus epistolis, quæ ad me scriptæ sunt, duas subjunxi, unam Romani, alteram Aquileiensis episcopi.*

Romanæ Ecclesiæ legati, *litteris acceptis imperatoris Honorii, Innocentii, et Italorum episcoporum, Chromatii Aquileiensis, et Venerii Mediolanensis, atque aliorum, necnon commonitorio synodi totius Oc-* D *cidentis*, publica evectione Constantinopolim profecti sunt. Has Chromatii epistolas puto ab illis diversas, quas memorat Honorius, una cum suis ad Arcadium **157** transmittendas. Fuerint fortasse ad ipsum Chrysostomum datæ (b).

Operam ille rescivit in exsilio, quam pro sua causa diligentissime navaverat Aquileiensis episcopus, qui amplum idcirco ab eodem Chrysostomo elogium, et multas grates anno 406 consecutus est. Ait enim in litteris ad ipsum datis: *Clarissima ferventis tuæ ac sinceræ charitatis tuba ad nos usque sonum suum diffudit.... Nec nos, licet alioqui tam longe disjuncti, minus quam ii qui adsunt vehementissimam atque igne plenam charitatem, sincerumque et ingenti libertate ac fiducia perfusam linguam, atque adamantinam contentionem exploratam habemus.* Gratias agit amplissimas pro diligentiore studio, quod magna animi contentione in ejus præstabat causa: ipsumque rogat, ut si tabellarii occurrant, qui ad ejus solitudinem aut exsilii locum venerint, de sua valetudine scribat. *Scis enim*, inquit, *quantum hinc voluptatis percepturi simus, cum de hominum tam ardenter nos amantium prospera valetudine crebrius ad nos afferatur.* Infecta re, legati redierunt; impediente Theophilo, ne synodus celebraretur, in qua, detectis dolis ejus, liquido patuisset innocentia Chrysostomi. Misero et iniquo sanctissimi viri exsilio mors finem imposuit: egregiæ vero Chromatii nostri erga ipsum charitatis et sollicitudinis numquam excidet memoria.

CAPUT XIII.

Mortem obit *Chromatius*, cujus opera recensentur. Sedem Aquileiensem Augustinus conscendit. Aquileia discedit Rufinus. (*Reliqua hujus capitis omittuntur, quæ ad Chromatium non pertinent.*)

I. Sanctissimam denique vitam, laboresque multos præclarosque pro Ecclesia universa et Aquileiensi Chromatius consummavit, cujus memoria die 2 decembris colitur in Ecclesiæ fastis. Vitæ ejus terminum figit Dandulus anno Christi 407. Hanc epocham indicari a Paulino Nolano in epistola ad Rufinum data, infra dicendum est. Tenuisse Chromatium addit Dandulus Ecclesiam Aquileiæ, *annis* 18 *jam ex invasionibus Barbarorum plurimum Italia perturbata.* Prima scilicet vice Alaricus anno 400, irrupit in Italiam, longe lateque vastatis agris Aquileiensibus: neque recessit in Pannoniam, nisi post pugnam ad Pollentiam, Liguriæ oppidum. Eamdem postea regionem anno 404, aut insequente tentavit Radagaisus, alter Gothorum rex, qui multis vastatis locis occubuit in Thuscia. De secunda Alarici irruptione mox agendum.

Nonnulla vulgata feruntur opuscula, quæ Chromatio tribui solent. Plures ab eo datas ad Innocentium

(a) Haudquaquam *testatur* Palladius *scriptas* ab Joanne Chrysostomo *similes* epistolas *ad Venerium* Mediolanensem, et *ad Chromatium* Aquileiensem: sed Chrysostomus ipse est, qui ita scribit, epistolam suam claudens; uti non uno ex capite recte conjicit ac persuadet Constantius in *Notatione* quam subjicit ad hunc locum, inter *Epistolas Romanorum pontificum*, col. 787 editionis Paris. Vide integram illius epistolæ Chrysostomi clausulam inter *Veterum Testimonia*, quæ congessimus in fronte hujus voluminis post *præfationem*.

(b) Ex his Palladii verbis, unde conjicit De Rubeis *datas fortasse* a *Chromatio ad ipsum Chrysostomum* litteras, *colligebat* superius Fontaninus, cap. 3, num. 6, *non ad Honorium solummodo, sed ad Arcadium quoque* Augustum *litteras dedisse Chromatium in causa Chrysostomi.* Id ipsum cum Fontanino sentit etiam Ceillierus, *Hist. Génér. des Auteurs Sacrés*, etc., tom. X, chap. 3, § V. Quidni ad utrumque, ad Arcadium nempe et ad Chrysostomum, ea occasione scripserit *Chromatius?*

pontificem, Ambrosium, Hieronymum, **158** Joannem Chrysostomum, memoravimus, epistolas, quæ perierunt. Ejusdem, et *Heliodori* nomine epistolam ad Hieronymum scriptam recitat Baronius in præfatione ad martyrologium romanum capite 5, in qua postulare perhibentur probatissimi præsules : ut *famosissimos feriales de Archivio S. Eusebii, Cæsureæ Palæstinæ episcopi, inquirens, Martyrum dirigat festa.* Hanc cum Hieronymi responsione inter spurias merces jure meritoque rejicit annalium parens. Prodierunt etiam inter opera Hieronymi sub eorumdem *Chromatii et Heliodori* nomine ad eumdem epistola, ejusdemque ad illos responsio de Libris *apocryphis*, videlicet *De ortu Mariæ Reginæ Virginis, simul et Nativitate atque infantia Domini nostri Jesu Christi :* quæ criticorum omnium calculis supposititiæ habentur ac spuriæ. Denique Petrus Wastelius carmelita in vindiciis Joannis Hierosolymitani, Chromatio *homilias nonaginta* adjudicat, quæ inter opera Chrysostomi editæ sunt : cui tamen calculos nostros adjicere non licet. Ejus etiam *Expositionem Orationis Dominicæ* sistit Henichius parte II Historiæ Ecclesiasticæ, ut refert Gottfridus Olearius in Bibliotheca scriptorum : quo de opere mentio infra recurret.

Alia feruntur opera, vel potius operum fragmenta, sub ejus nomine sæpius vulgata, quæ tomo V Bibliothecæ Patrum Lugdunensis hoc ordine recensentur : I. *De octo Beatitudinibus, seu in caput quintum Matthæi.* II. *In caput quintum integrum ejusdem Matthæi, ac partem capitis sexti.* III. *In caput tertium Matthæi.* Primum opusculum est homilia, occasione nundinarum habita. Incipit : *Dat nobis, fratres, conventus hic populi, et mercatus frequentia occasionem proponendi sermonis Evangelici.* Seligitur sermo Christi apud Matthæum de octo Beatitudinibus. Desinit : *Ut autem verbis finis cum præfatione concordet, si est gaudium mercatoribus propter lucra præsentia et caduca, magis gaudeamus omnes et lætemur: quia tales Domini hodie invenimus margaritas, quibus nulla possint bona sæculi comparari. Quas ut acquirere, obtinere, possidere mereamur, auxilium nobis et gratia cum virtute ab ipso Domino postulanda est, cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Doxologiam animadverte.

Quæ duo sequuntur, fragmenta sunt commentarii in Evangelium Matthæi. Doxologia superius memorata, qua finis imponitur homiliæ *de octo Beatitudinibus*, frequentius legitur in duobus reliquis fragmentis, aut eisdem aut consimilibus verbis concepta : nempe, *Cui laus et gloria in sæcula sæculorum. Amen;* vel *Cui est honor, laus, et gloria una cum Spiritu Sancto ante omnia sæcula, et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen;* vel *Qui est benedictus in sæcula;* vel *Qui est benedictus in sæcula sæculorum, Amen.* Itemque demum illa verba habentur : *Per Christum Dominum nostrum.* Hinc duo colliguntur. Primo videntur Commentarii in *homilias* tributi : quæ juxta numerum repetitæ Doxologiæ, decem et septem vel etiam octodecim distinguuntur. Hanc debemus Tillemontio animadversionem. Deinde videntur ejusdem auctoris esse prædictæ omnes homiliæ, cum in eisdem pari modo doxologiæ formulæ adhibeantur.

Inter homilias in caput quintum et sextum Matthæi Expositio Dominicæ Orationis habetur; quænam eadem sit, ac illa quam Henichius **159** proponit, consulere poterit qui Ecclesiastica potitur ejusdem Historia. Hæc eadem opera in aliquibus editionibus inscribuntur titulo *Chromatii romani episcopi.* Hinc plerique viri docti eadem Chromatio nostro abjudicanda censent. Titulum eumdem exposuimus capite X, num. 2.

II. Chromatio succedit Augustinus. Initæ Sedis tempora, præsulis patriam, morumque ac litterarum præstantiam declarat Dandulus in Chronico : *Augustinus*, inquiens, *episcopus Aquileiensis intronizatus est anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi 407, quia plebs catholica ex Barbarorum invasione plurimum agitata, una cum Clero ad fidei suæ robur, hunc origine Beneventanum, virum orthodoxum, et Divinis Scripturis satis eruditum, sibi in Pontificem elegerunt.* Brevissimum est elogium, quod in Chronico Aquileiensi legitur : *Chromatio successit Augustinus patriarcha, qui post annos 19 ab ordinatione sua, aucto populo Dei, cum Sanctis in pace quievit.*

Sedis initium pendet ex anno emortuali Chromatii inferius designando. Tum vero imperium Orientis adhuc tenebat Arcadius, cui anno 408 post calendas maias junior Theodosius successit : regebatque Honorius Occiduas partes, quas Barbarorum turbæ populationibus et incendiis vastabant. Patria *Beneventanum* vocat Augustinum Dandulus ; cujus rei certa, ac vetusta desunt monumenta. Novemdecim sedis annos numerat Chronicon Aquileiense ; novem alios addit chronista Venetus : *Augustinus*, inquiens, *Episcopus Aquileiæ, suæ inthronizationis anno 28 defunctus est.*

Chromatio non Augustinum, sed Nicetam numerat immediate suffectum Ughellus in Italia Sacra. Errasse virum, bene et optime de Ecclesiis Italiæ meritum, evincunt allegata chronica, quibus consonat catalogus Forojuliensis, quem juxta formam diptychorum confectum memoravimus, ac primo loco damus in appendice. Alia nobis erunt certissima erroris argumenta proferenda, cum de Niceta agendum fuerit.

III. De obitu Chromatii nimium dolens Rufinus, anceps hærebat, an Aquileiæ moram trahere deberet, an alibi quærenda sedes foret : Romamque petere cum cogitasset, hæc illi tamen certa non insidebat animo sententia. Hoc intelligenda sensu putamus Paulini Nolani verba, quæ in ejus epistola 46, alias 47, ad Rufinum data, legimus : *Nunc vos in æstu sollicitudinis, et incerto morarum, Romam peti judicastis.* Quænam alia fuerit causa, ut æstu sollicitudinis laboraret, ac incertus et anceps fluctuaret Rufinus ubi diversaretur, nisi Chromatii obitus?

Aquileiæ commorari solebat post mortem sanctissimi episcopi, quem patrem amantissimum expertus fuerat. Romam proficisci constituerat: neque tamen hæc illius firma erat sententia. Unde pergit Paulinus : *Det nobis Dominus, a Domino lætificari quam primum de actu nostro . . . . Et incipiamus tamen sperare fructum præsentiæ vestræ, si vos certi esse de vestra sententia, vel Domini circa vos placito cœperitis.* Nondum ergo, quam sibi deligeret sedem, decreverat Rufinus.

Quo anno prædicta Paulini epistola scripta fuerit, inquirendum est. Temporis nota in eadem subindicari videtur, ubi hæc habentur : *Nobis autem etsi pro tua charitate præsumptio sit, quia remeaturus ad Orientem non feres, invisitatis nobis, abire;* **160** *tamen de peccatis nostris metus est, ne etiamsi tam nobis vicina filia Babylonis avertat.* Discimus, Rufinum jam tum animo statuisse regressum in Orientem. Non alia ibidem intelligitur *Filia Babylonis*, nisi Roma. Sensum declarat ipso Paulinus in epistola 29, alias 10, ubi loquens de Melania seniore, quæ Hierosolymis relictis, in Italiam ac Romam remigraverat, sic ait : *Hanc ergo filia Sion* (Jerusalem) *hactenus habuit, et desiderat : nunc filia Babylonis* (Roma) *habet, et admiratur.* Rogat ergo Rufinum Paulinus, ut profecturus ipse in Orientem, se inviso, non abeat : simulque tamen veretur, ne Roma, etiamsi vicina ipsi Paulino Nolæ degenti, ipsum avertat.

Causam scilicet *metus*, quam profert Paulinus, pronum est intelligere novam Alarici Gothorum regis irruptionem, quæ Rufino impedimento foret, quominus romanum iter aggrederetur, ac inde Nolam pergeret. Atqui Stilicone, qui Gothos in Italiam acciverat, decimo calendas septembris anni 408, interfecto, occupavit Alaricus Portum urbis : eodemque anno ad finem vergente Romam prima cinxit obsidione, ut ex Zosimo colligunt viri rei chronologicæ peritissimi. Iterum anno insequente 409, ad obsidium Romæ contendit rex Gothus : quam denique tertia vice anno 410 obsedit, cepit ac miserrime depopulatus est. Hoc anno captam urbem, plurimi tenent ac probant doctissimi viri, quorum sententiam amplectimur, licet superiore id anno factum censeat Pagius. Itaque data fuerit Paulini Epistola ad Rufinum anno 408 cadente vel ineunte 409.

Hanc epocham calculo suo approbant Tillemontius, et Lebrunus, qui divi Paulini operum novam editionem curavit uberrimis notis exornatam : simulque arbitrantur, eodem anno 409 incepto adultoque nondum fuisse Paulinum ad insulas Nolanas evectum; siquidem Rufinus in epistola nuncupatoria libri II de Benedictionibus, quem post allegatam epistolam elucubratum dicemus, non alio nisi confidenti *fratris* titulo ipsum appellat, neque verbum habet quod ejus indicet pastoralem sollicitudinem ac dignitatem. Objecta proferunt illi, quæ adversari videntur, et expediunt. Paucis expendere liceat, quod habet Pagius ad annum 403, num. 10, ab eisdem prætermissum. Verba refert Pelagii anno 417 ad Innocentium papam, cujus obitum ignorabat, scribentis : nempe, *Legant illam epistolam, quam ad sanctum virum Paulinum episcopum ante duodecim fere annos scripsimus.* Hoc epistolæ fragmentum profert Augustinus in libro de Gratia Christi, capite 35. Duodecim illi anni si retro numerentur, annus colligitur Christi 405, quo ad Paulinum *episcopum* scribebat Pelagius. Ita sane : de tempore annoque datæ epistolæ dubium nullum. At cum anno 417 testatur ille, se *ad sanctum virum Paulinum episcopum scripsisse*, dignitatem significat, qua potiebatur ille anno, quo ad Innocentium scribebat, non anno quo ad Paulinum scripsit.

Quæ cum obiter admonere pretium operæ fuerit, jam postremo loco colligere liceat, anno circiter 408 vel etiam superiore, ut habet Dandulus, Chromatium e vita migrasse : ipsumque idcirco Rufinum *in æstu sollicitudinis, et incerto morarum Romam petere judicasse :* neque tamen de concepta *sententia certum* fuisse.

(*Quæ sequuntur, ad* Chromatium *non pertinent; et ideo hic finem huic capiti imponimus.*)

EX DISSERTATIONIBUS VARIÆ ERUDITIONIS

FR. BERNARDI MARIÆ DE RUBEIS

ORDINIS PRÆDICATORUM.

Venetiis 1762.

---

161 CAPITIS XVIII. NUM. V ET VI.

v. Obiit sanctissimus vir Valerianus, Aquileiensi Ecclesia sordibus hæreseos purgata, quas Fortunatianus Prædecessor (*a*), ac finitimi Ariani intulerant, eademque jure Metropolitico aucta. Memoria ejus recolitur *die* 27 *Novembris* in Martyrologio Romano, aliisque duobus mss. sancti Cyriaci, et sancti Maximini, apud Bollandum, et Henschenium. *Diem* habent *præcedentem* 26 vetustum Martyrologium quod vulgavit Florentinius, et Corbeiense apud ipsum, in Præfatione dicta sunt.

(*a*) Fortasse vir clariss. aliter hodie de Fortunatiano Aquileiensi sentiret : qua de re recolantur quæ

Hieronymianum et Gellonense apud Dacherium, A Labbeanum et Auctarium Usuardi, et Bedæ apud laudati Bollandi Continuatores. *Valentinum*, corrupto scilicet *Valeriani* nomine exhibent Martyrologia Antuerpiense, et Rabani, a Florentinio citata, et Richenoviense II ab eisdem Bollandianis vulgatum.

Ad annum obitus quod attinet, ac successionem *Chromatii* in Sedem Aquileiensem, ita disserebam in Monumentis capite 10, num. 1. « Hoc *anno cadente* 588, vel etiam *ineunte anno* 389, diversatum esse *Ambrosium Aquileiæ* novimus: unde conjectura sumi potest, eam in Urbem profectum esse sanctissimum antistitem *ad novi episcopi consecrationem*. Primum nos docet Paulinus in Ambrosii Vita, num. 21, *Extincto Maximo*, inquiens, *posito Theodosio Imperatore Mediolani, Ambrosio vero episcopo constituto Aquileiæ*; B dedit ipse Ambrosius ad imperatorem epistolam, in editione Nourriana 40, ut ipsum a sententia revocaret *de synagoga quadam Judæorum* ab episcopo Castri Callinici reædificanda, deque Monachis qui *fanum Valentinianorum Hæreticorum*, ab iis contumelia provocati incenderant, supplicio afficiendis. Atqui certo colligimus ex Codice Theodosiano, ipsum Augustum Theodosium nondum *die* XII (seu X) *Kal. Octobris* (hoc est die 20 aut 22 Septembris) anni 388 discessisse Aquileia: ipsumque VI *Idus ejusdem mensis* jam Mediolanum venisse, qua in urbe usque ad Maium insequentis anni commoratus est. Itaque Ambrosius *anno cadente* 388, vel *ineunte*, *ac incœpto* 389, manebat Aquileiæ: ibique allegatam dedit ad imperatorem Theodosium epistolam. Hæc C animo perpendens Baronius ad annum 388, num. 84 sic ait: *Quod autem detineretur Ambrosius Aquileiæ, cum nullum hoc tempore memoria sit ibi celebratum fuisse concilium: equidem existimo, illuc esse profectum ex more ad novi creationem antistitis, cum defuncto Valeriano ejus civitatis episcopo, in* **162** *locum ejus est subrogatus sanctus Chromatius*. Non inanem puto conjecturam. »

Hanc rejicit *archiepiscopus Ancyranus*, *Justus Fontaninus;* ejusque vestigia premit *Joan. Josephus Liruti* in Opere citato (*Notizie delle Vite ed Opere scritte da' Letterati del Friuli*) in Vita Chromatii. Hæc vero tradit ille in *Historia Litteraria Aquileiensi* Libro III, capite 3, num. 2, scilicet: 1° Vita migrasse sanctum Valerianum 6 *Kal. Decembris*, seu die 26 D Novembris; 2° Maximum Tyrannum ad tertium ab Aquileia lapidem *anno* 388 devictum fuisse 5 *Kal. Augustas*, seu die 27 Julii, juxta Idacium in Fastis Labbeanis: secus vero 6 *Kal. Septembris*, seu die 27 Augusti, ut habet Socrates; 3° Hoste fuso, Aquileiæ Theodosium aliquandiu substitisse: nam lex X *de infirmandis iis quæ sub Tyrannis acta fuerant*, ibidem data est 6 *Kal Octobris*, seu die 26 Septembris; 4° Post *sexdecim* mox *dies*, Legem similem, VII in Codice Theodosiano, *Mediolani* latam fuisse 6 *Idus Octobris*, seu decima die ejusdem mensis; 5° Eadem in urbe Mediolanensi ab ipso Theodosio datam Legem XVII *De Hæreticis*, 6 Nonas Maias, seu *die* 5 *Maii anni insequentis* 389, ac etiam Legem XIX *De Hæreticis*, 6 Kal. Decembris, seu *die* 26 *Novembris*. Hinc vero colligit Fontaninus, Theodosium anno 388 Aquileiæ substitisse die 26 Septembris, eodemque anno versatum esse Mediolani die 10 Octobris.

« Quo spatio temporis interjecto Ambrosius (Viri docti verba sunt), *exstincto Maximo, posito Theodosio Imperatore Mediolani*, ut ait Paulinus, *Aquileiam* properavit: alias in alterutra urbe, non litteris, sed coram *de Rescripto in Christianos Mediolani vulgato* apud Augustum expostulasset. » Tum consulendos admonet Sammauræos Auctores *Admonitionis* pro ordine epistolarum sancti Ambrosii § 11, sicque demum ait: « Cum autem (ut vidimus) *Valerianus obierit die* 260 *Novembris*; hinc constare, Ambrosium *ante*, non post obitum Valeriani *Aquileiam profectum*; ideoque *aliam ob causam*, quam ob *Chromatium Valeriano subrogandum*, qui *nondum* ex hac vita migraverat. »

Minime puto, *spatium temporis*, quo Aquileiam properavit Ambrosius, illud intelligi quod inter *diem* 26 *Septembris* fluxit, ac *diem* 10 *Octobris*: adeoque tota corruere videtur Fontanini ratiocinatio. Sammauræi Editores Operum sancti Ambrosii, quos hac de re consulendos jubet, quantum eorum ex verbis intelligo, non adversantur. « Statuendum itaque, (inquiunt) *hanc epistolam* (XL, supra memoratam) *tunc temporis* fuisse scriptam, cum profligato Maximo, *Mediolanum rediit* imperator. Atqui ex Codice Theodosiano intelligitur, eumdem 12 *Kal. Octobris* (die 22 Septembris) *anno* 388 nondum recessisse Aquileia: 6 *vero Idus* ejusdem mensis Octobris (*die* 10) jam venisse Mediolanum: qua in urbe *usque ad Maium sequentis anni* commoratus est. Ex quibus liquet, *hoc ipso intervallo* sanctum præsulem, qui negotiorum suorum causa *Aquileiam se contulerat*, super memorati edicti revocatione scripsisse ad Theodosium. »

Ubi *intervallum illud* computasse intelligo doctissimos viros *a die* 10 *Octobris anni* 388 postquam Mediolanum rediit imperator, *ad Maium anni insequentis*. Interpretationi **163** nostræ favent Paulini verba in Vita sancti Ambrosii. Ait ille, num. 22: *Exstincto Maximo*, *posito Theodosio Mediolani*, *Ambrosio vero episcopo constituto Aquileiæ* (animadverte Ambrosium dici constitutum Aquileiæ postquam Mediolani positus erat Theodosius), in partibus Orientis in quodam castello a Christianis viris *synagoga Judæorum* et *lucus Valentinianorum* concremata sunt... Sed de hujusmodi facto comes Orientis ad imperatorem relationem direxit, qua accepta imperator præceperat, ut synagoga ab episcopo loci reædificaretur... Sed hujus præcepti tenor cum ad aures pervenisset venerabilis viri *Ambrosii episcopi*, direxit *ad imperatorem epistolam*, quia ipse *in tempore excurrere non poterat:* qua illum convenit, ut id quod ab eodem statutum fuerat, revocaretur. » Quo ex loco perspicue addiscimus, Theodosio, post Aquileiam

relictam jam posito Mediolani, de Synagogæ incendio certiorem factum fuisse a comite Orientis: atque tunc Ambrosium Aquileiæ constitutum litteras ad imperatorem dedisse de revocatione edicti. Locus ergo relinquitur Baronii conjecturæ, ut etiam *post diem* 26 *Novembris* Valeriani emortualem, in eam urbem Ambrosius perrexerit, Chromatium ordinaturus episcopum. Cæterum Legem superius citatam vi *de infirmandis his*, etc., datam Aquileiæ, exhibet Codex Theodosianus, non 12 *Kal. Octobris*, ut Editores Sammaræi habent; neque 6 *Kal. Octobris*, ut Fontaninus affert: sed 10 *Kal. Octobris*, *Theodosio II et Cynegio Coss.*, anno 388.

VI. Chromatii nostri Opuscula primus vulgavit Joan. *Sichardus* una cum Symmachi papæ Apologetico, *ex vetustissimo codice* sub hoc titulo: *Chromatii doctissimi episcopi Romani*, etc., Basileæ, apud Adamum Petrum, mense Martio 1528, in-8°. Difficultatem ingerit appellatio *Romani*. Patriam ejus putabat significari Sixtus Senensis. Chromatium vocat *Hispanum* Dandulus: at ullo sine probato vade asseritur si ve *Romanus patria*, sive *natione Hispanus*. Baronius, in Martyrologio, ad diem 22 Junii, et 2 Decembris, in notis, observat, *Aquileiam* dictam aliquando civitatem *Romanam*: adeoque Chromatium vocari *episcopum Romanum*, perinde esse ac *Episcopum Aquileiensem*. Quesnellus, ad epistolam cxxix sancti Leonis, § 4; Pagius, ad annum 396, num. 7; Tillemontius, in Monumentis Histor. Eccles., tomo XI, dictum *Romanum* docent, hoc est *catholicum*, vel etiam *episcopum Ecclesiæ Romano in imperio positæ*. Tot inter conjecturas mihi etiam quæ menti meæ inciderat, proferre licuit in *Monumentis Ecclesiæ Aquileiensis*, capite 10, num. 2, ut nempe eo vocabulo patria Chromatii indicaretur, eaque fuerit *Concordia*, de qua sic habet Plinius *Libro* iii, capite 18: *Colonia Concordia, Flumen et Portus Romatium*; adeoque Chromatius dici potius debuerit *Romatius*, seu *Romatinus* patria, ac deinde *episcopus* Aquileiensis.

Justi Fontanini *posthuma Historia Litteraria Aquileiensis* lucem vidit typis Romanis anno 1742. Injectam difficultatem expendit libro iii, capite 4, num. 2, quam ita solvi debere putat, ut *Romanus* dictus fuerit Chromatius, hoc est *Latinæ seu Occidentalis Ecclesiæ pater*, *et episcopus*. Interpretationem amplectitur *Joannes Josephus Liruti*. In argumenta quæ **164** proferuntur, animadversiones addo. Testis vocatur sanctus Hieronymus, qui in epistola ad Damasum (xv in editione Veronensi) ait: *Novellum a me, homine Romano, nomen exigitur*: in ea scilicet, quæ tunc de una, vel tribus in Deo Hypostasibus mota fuerat in Oriente controversia. Minus aptum videri potest exemplum. Se quippe *Romanum* appellat *hominem* Hieronymus, non ea solum ratione quia *natus in Occidente*, ac *latinæ linguæ* homo erat: verum quia maxime Romanæ cathedræ addictus erat, ac fidei professor quam in ea quæstione Romana sedes tradebat. Unde præmiserat, sibi in eo dissi-

A dio consulendam esse *cathedram Petri, et fidem apostolico ore laudatam*: se rursum ait, *cathedræ Petri communione consociari*; ac demum subdit: *Absit hoc a Romana fide*. Non ergo se Hieronymus *hominem Romanum* vocavit ea solum ratione, quia *Latinæ seu Occidentalis Ecclesiæ homo esset*.

Testes addit *Gelasium Cyzicenum*, libro i concilii Nicæni, in Præfatione, *Patres Nicænæ synodi* ii, Actione i, et *Photium*, Codice lxxxix, qui *Romanum* dixere *Rufinum*. An vero conveniens fuerit eorum testimonium? In Græco textu Cyziceni, Nicænorumque Patrum lego Rufinum πρεσβύτερον Ῥώμης *presbyterum Romæ*: quæ voces indicant, Rufinum ab illis creditum *Romanum*: non *Latinum*, *et Occidentalis Ecclesiæ* presbyterum duntaxat; sed Romanum *patria et ortu*. Quo etiam errore fortasse captus
B Photius, Rufinum vocat τοῦ Ῥωμαίου. At mirum non esset, Græcos Scriptores vocasse Rufinum *Romanum*, hoc est *latinum*, et *Occidentalis Ecclesiæ scriptorem*: subit attamen miratio, apud ipsos Occidentales vocari Chromatium *Romanum*, id est Latinum et Occidentalis Ecclesiæ episcopum.

Testimonium denique, veluti locupletissimum, affertur Albini cognomento Alcuini, qui in *Libello contra hæresim Felicis* nondum edito, asservatoque inter Palatinos Bibliothecæ Vaticanæ Codices, inter Patrum Latinorum dicta, *Augustini*, *Isidori*, et *Leonis*, affert etiam *Chromatii* sententiam his verbis: *Chromatius quoque sanctæ Romanæ Ecclesiæ antistes in Libello, quem de octo Beatitudinibus inscripsit*, etc.
C Animadvertere præstat Chromatii verba quæ ab Albino seu Alcuino citantur, in prædicto exstare Libello, quem edidit Sichardus: ad eademque hanc appingi a Sichardo notam in Libri margine: *Citatur hic locus ab Albino contra Felicem ex Chromatii Libello de Octo Beatitudinibus*. Hinc vero colligendum est, ex hoc Alcuini loco, non alio ex Codice Chromatium in Operum ejus editione a Sichardo appellatum *episcopum Romanum*.

Sed hocce vocabulo, aut verbis illis *sanctæ Romanæ Ecclesiæ antistes* id unum significare Alcuinum voluisse, quod Chromatius fuerit *Occidentalis*, *et Latinæ Ecclesiæ antistes quidam*, minus verisimile videtur. Cur pari titulo *Augustinum*, et *Isidorum*, sine dubio Latinos et Occidentales episcopos, quo-
D rum testimonia decerpit, non insigniverit? Alcuino synchroni Galliarum, et Germaniæ episcopi in Synodica *ad Præsules Hispaniæ contra Felicem et Elipandum*, quæ exstat in concilio Francofordiensi, cum Patres Ecclesiæ Latinæ et Occidentalis *Hieronymum* et *Augustinum*, et *Cassiodorum* allegent, eos non appellant *Romanos*, aut *Ecclesiæ Romanæ episcopos, et Patres*: quo postea titulo Paschasium **165** diaconum, et Gregorium Magnum insigniunt: *Paschasius sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus* (inquientes), *et Gregorius papa Romanus*. Quid est rursum quod titulum *sanctæ Romanæ Ecclesiæ antistitis* minus obvio sensu adhibuerit, ad lectores decipiendos aptissimo?

Nolim ego suspicari, ejusdem tituli auctorem fuisse Alcuinum. Is legerit in Codicibus aut *sanctæ Romanæ Ecclesiæ antistitem*, aut *episcopum Romanum*. Quo hæc verba intellexerit sensu, non dixerim. Equidem septem illi episcopi, qui in Ecclesia Lateranensi, sua quisque per vices redeunte hebdomada, mysteria celebrabant, appellari apud scriptores consueverunt *episcopi Romani*, *pontifices Romani*, *Romanæ Ecclesiæ episcopi*, *episcopi cardinales Romanæ Ecclesiæ*. Hujusmodi episcoporum mentio prima reperitur apud Baronium ad annum 769. An ergo ex istis unus existimatus fuerit Chromatius? An imperitus ignarusque librarius, cum animadverteret Chromatium abs Hieronymo vocari *papam venerabilem* in prologo libri II Commentariorum in prophetam Habacuc, et *episcoporum sanctissimum* in Præfatione ad Latinam τῶν Paralipomenon versionem, crediderit ipsum summum pontificem, ejusque Opera exscribens, titulo insigniverit *episcopi Romani*, aut *sanctæ Romanæ Ecclesiæ antistitis?*

At idem titulus nullo vitio laboret. An alia præsto fuerit verisimilior interpretatio? *Theodericus Ruinart*, in nota 49 ad Historiam persecutionis Vandalicæ observat : *Romanorum nomine Catholicos fuisse designatos tam ab hæreticis ipsis, ut in hoc loco, tum etiam a catholicis auctoribus*. Locus est libro I, num. 14, ubi *Jocundi presbyteri Ariani* verba sunt ad Theodericum regis filium : *Si gladio peremeris* (Armogastem), *incipient eum Romani martyrem prædicare*. Mabillonium citat hac de re disserentem in Præfatione ad Liturgiam Gallicanam, num. 11. Ejus accipe verba : « Catholici apud Gregorium Turonensem episcopum, *Romani* non semel dicti. Unus locus est in libro I. *de Gloria Martyrum*, capite 25, ubi Gregorius agens de violatis per hæreticos Lusitaniæ fontibus, et de cœlesti vindicta in violatores, hæc subdit : *Denique Theodegisilus hujus rex regionis, cum vidisset hoc miraculum quod in his sacratis Deo fontibus gerebatur, cogitavit intra se dicens, quia ingenium est Romanorum* (*Romanos enim vocitant homines nostræ religionis*), *ut ita accidat, et non est Dei virtus*. Idem in ejusdem libri capite 80, refert miraculum in fidei christianæ approbationem factum in presbytero catholico adversus presbyterum Arianum : qui catholicus presbyter *nostræ religionis* a Gregorio, *Romanorum* vero ab hæreticis appellatur. Imo etiam a catholicis ipsis *Romana fides* pro *catholica* ante id tempus sumebatur. Sic Hieronymus in prima Apologia adversus Rufinum : *Fidem suam quam vocat? Eamne, qua Romana pollet Ecclesia? an illam, quæ in Origenis Voluminibus continetur? Si Romanam responderit, ergo catholici sumus.* » His Ruinartus adjecit Theodosium Juniorem Augustum in epistola ad Acacium, aliosque episcopos, et anachoretas, quæ in concilio Ephesino refertur : ubi eos adhortatur, ut sese *probatos Romanæ religionis sacerdotes* exhibeant. Addo ego ex Ducangio **166** in Glossario, antiquiorem Luciferum Calaritanum in Libro ad Constantium Imperatorem de non parcendo in Deum delinquentibus : *Itaque cum non esse illum Filium Dei dicitis.... Nos vero Romani dicimus unius substantiæ cum Patre illum esse*. Dignissimam accipe demum laudati Ruinartii animadversionem ibidem : *Is autem mos* (Catholicos vocandi Romanos) *potissimum invaluit, cum Barbari Arianæ sectæ addicti provincias Romani imperii devastarunt*. Vocis ergo *Romanorum pro Catholicis* usum a remota habemus ætate. Ætas hæc convenit cum tempore, quo Chromatius Aquileiensem regebat Ecclesiam, ut ex Lucifero Calaritano patet : ac rursum sub ipso Chromatio irruptiones Gothorum, qui Ariana lue infecti erant, in Venetiam ac Italiam incepisse, notum est. Quidni ergo Chromatius in rectæ fidei protestationem Operi suo inscribere se voluerit *episcopum Romanum*, id est *catholicum*, vel *Ecclesiæ Romanæ*, id est catholicæ *episcopum?* Quidni potius qui sequiore ætate Opera ejusdem exscribebat, in ejus fidei præconium appellaverit ipsum *episcopum Romanum*, et hanc appellationem veluti ejus propriam retinuerint sequioris ætatis notarii, aut exscriptores?

Apud Paulum Diaconum libro IV, capite 34, ubi duorum patriarcharum Aquileiensium, schismatici unius, ac alterius catholici synodi quintæ œcumenicæ veneratoris, electio narratur, sic legimus : « His diebus (anno circiter 607), defuncto Severo patriarcha, ordinatur *Joannes Abbas* patriarcha in *Aquileia vetere* cum consensu regis (Langobardorum) et Gisulfi Ducis : in *Grados* quoque ordinatus est *Romanis* Candidianus antistes .... *Candidiano* quoque defuncto, apud *Grados* ordinatur patriarcha Epiphanius .... ab episcopis qui erant *sub Romanis*. » Hujusce vim vocis exposuimus in nostris Monumentis, capite 33, num. 5. Ruinartus loco citato, nota 199, ad hunc locum in Historia persecutionis Vandalicæ, libro V, num. 18 : « *Quos* (Barbaros) quantiscumque muneribus foveris .... illi aliud nesciunt, nisi invidere *Romanis :* et quantum ad eorum attinet voluntatem, semper cupiunt splendorem et genus *Romani nominis* obnubilare, nec ullum *Romanorum* omnino desiderant vivere : » sic disserit : *Post varias Barbarorum irruptiones, cum in plerisque imperii, potissimum Occidentalis provinciis, Barbari simul et antiqui populi, quos alias Romani subjugaverant, permixti essent; mos invaluit ut isti Romani, alii Barbari appellarentur .... Theodoricus Ostrogothorum in Italia rex leges pro Barbaris, id est suæ gentis hominibus, et pro Romanis, antiquis scilicet Italiæ incolis, tulit. Plura ea de re exempla vide, si vacat, apud Hadrianum Valesium, libro* VI *Rerum Francicarum, circa medium*. Vocis ejusdem significata plura patent. Tillemontius, tomo XI Monum. Hist. Eccl. nota 2 in sanctum Chromatium, hoc sensu *Romanorum* vocem intelligit in loco Pauli Diaconi : eodemque fortasse sensu Chromatium dictum *Romanum* indicat. Eadem est Quesnelli sententia in notis ad sancti Leonis epistolam 129, num. 4. « *Romanis* ordinatus dicitur Candidianus : iis scilicet *Aquileiæ Veteris incolis*, qui *Gradum* transmearant, parebantque *Romanis*. » Vanam conjecturam optime refellit Fontaninus loco citato.

ANNO DOMINI CCCCVIII.

SANCTUS VICTRICIUS

EPISCOPUS RHOTHOMAGENSIS

PROLEGOMENA.

Natum Victricium in nonullis imperii finibus innuere videtur sanctus Paulinus, dum ait (*Epist.* 18, n. 4), ipsum fuisse a Domino in lucem populi sui *de extimo orbis* eductum : ex quibus verbis conjicit vir eruditus (*Lebeuf*), eum forte fuisse gente Britannum. Ætate impar beato Martino, qui ortum duxit anno 316 aut 317, militiæ primum sæculari nomen dedit, atque in ipsa militia Christianam fidem fuit complexus. Cum vero postmodum se ipse sacramento militari solvisset, ut Christo totum sese addiceret; *concitato in furias tribuno, districtus in verbera et vastis fustibus fractus*, capite demum damnatus. Sed lictor sancti confessoris caput jamjam amputaturus, *excussis illico oculis, cæcitate percussus est.* Ipse vero vinculis solutus liber evasit : quem propterea idem Paulinus *martyrem vivum* appellat.

Quo autem exinde sese receperit, haud plane compertum. Illud certius, Morinorum ac Nerviorum gentes indomitas Christi jugo eum subjecisse : quo proinde nomine cum ejus fidei ac religionis zelus longe lateque pervulgatus esset, ad Ecclesiam Rothomagensem regendam fuit evocatus. Id vero contigerit ante annum 390, quo ipsum Viennæ Allobrogum Paulinus, adhuc sæculi hujus curis implicitus, apud sanctum Martinum vidit. Neque porro illud prætermittendum quod narrat Sulpicius Severus, Victricium nempe tanta fuisse sanctitatis fama præstantem, ut cum Carnoti muta ex utero puella beato Martino fuisset oblata, ut linguam ligatam meritis suis absolveret; ille curandæ infirmitatis honorem Victricio detulerit vel Valentiniano, qui tum forte latus ipsius ambiebant. Illum præterea laudat Paulinus ab instituto apud Rothomagenses per frequentes Ecclesias et monasteria quotidiano psallentium concentu; *ubi quondam* scilicet *deserta sylvarum ac littorum pariter intuta advenæ barbari aut latrones incolæ frequentabant.*

Anno 394 aut 395 in Angliam perrexit, ab illius regni antistitibus evocatus, pacis conciliandæ causa, quam nova Pelagianorum hæresis turbabat, ut ipsemet testatur. Porro exeunte anno 403 Romam contendit : cujus peregrinationis mentionem injicit laudatus Paulinus. Cur vero iter hujusmodi susceperit, illud unum in promptu habetur, ipsum videlicet fuisse accusatum apud Romanum pontificem, quod de fide non recte admodum senserit. Sub anni porro insequentis initium, dum adhuc Romæ consisteret Victricius, ut erudite demonstrat cl. Coutantius, insignem illam epistolam ab Innocentio I papa recepit quæ *Regularum liber* dicta est, ob eam scilicet causam quod in ea, pauca præfatus beatissimus pontifex, plura deinceps ecclesiasticæ disciplinæ capita exponit.

Mox vero, Roma redux Rothomagum Victricius, eodem anno per Candidianum ex suis alumnis unum in Italiam missum breves litteras dedit ad Paulinum Nolanum; qui propterea secundam ipsi *Rothomagensi episcopo* inscripsit epistolam, estque num. 36. De qua quidem Pauliniana epistola sic edisserunt Galliæ Christianiæ scriptores : « Postremæ illæ Paulini litteræ videntur eruditis Bollandistis non esse scriptæ, nisi postquam episcopatum ille Nolanum adeptus esset. Et enim, inquiunt, priores ejus litteræ anni 399, inscriptæ sunt *Beatissimo* PATRI *Victricio :* posteriores autem anni 404, *Unanimo* FRATRI *Victricio.* Sed vox illa *frater* levis est momenti apud Paulinum. Scribebat ille annis 394 et 395, longe ante quam episcopus esset, epistolas 4 et 6, utramque Augustino *fratri.* Certe ad episcopos non est evectus Paulinus, nisi anno 409, quo quidem anno ad sanctum Augustinum scribens, præstantissimos Ecclesiæ Gallicanæ episcopos tunc viventes recenset, Exsuperium videlicet Tolosanum, Simplicium Viennensem, Amandum Burdigalensem, Diogenianum Albigensem, Dynamium Engolismensem, Venerandum Arvernensem, Alithium Cadurcensem, Pegasium denique Petracoriensem : de Victricio autem silet. Unde videtur sanctus antistes Rothomagensis tunc vivere desiisse. »

(*Ampliora documenta in subjecta Joannis Lebeuf Præfatione reperies.*)

PRÆFATIO JOANNIS LEBEUF

AD SUBSEQUENTEM LIBRUM DE LAUDE SANCTORUM.

Operi quod in lucem a me profertur, occasionem præbuit Reliquiarum Sanctorum Apostolorum et Martyrum receptio. Illud quisquis perpenderit, alicujus Rothomagensis episcopi industriæ facile ascribet.

Hæc verba quæ paragrapho tertio leguntur : *Bis ad Rothomagensem Sancti veniunt civitatem*, statim indicant Reliquias in urbe Rothomagensi exceptas. Quod vero circa finem paragraphi sexti scribitur : *Sed quid ego pauper Victricius cultor vester de loci qualitate formido* clare ostendit auctorem fuisse hujus opusculi S. Victricium, qui illius urbis episcopatum tenuit versus finem quarti sæculi et initium quinti.

Stylus hujus operis cum stylo sancti Paulini, quem inter et sanctum Victricium arctissima fuit necessitas, maximam habet similitudinem. Quæ ex Scriptura sacra, ea ex Latina versione tunc temporis usitata excerpta sunt. D. *Martianay* ex manuscripto sancti Germani a Pratis codice, nonnulla retulit, in quibus similis reperitur S. Matthæi translatio, ex cujus fide Patres Scripturæ testimonia afferebant ante S. Hieronymi ætatem.

Hic in quæstionem venire posset an opus illud sit concio quam coram populo Rothomagensi recitaverit Victricius vel libellus quem populi edocendi gratia composuerit? Ex duobus operis locis libellum credam potius esse quam concionem. *Sed nos*, inquit, paragrapho 9, *in tanta gratulatione librum tumultu quæstionum refercimus :* et versus finem paragraphi 9, *Si nostra cui sordebit oratio, studium certe neutiquam displicebit, siquidem nos videbit librum simplici fide exarasse, non verbis.* Enim vero fidei confessio quam nuncupat paragrapho 4, et repetitæ advocationes SS. Apostolorum et Martyrum quorum Reliquiæ in urbem recens venerant, in libro convenientiorem quam in oratione sedem obtinent.

Si de tempore constaret in quo mortui sunt episcopi Mediolanensis provinciæ Theodulus et Eustachius de quibus paragrapho 2, sicuti constat, de tempore quo obiit S. Ambrosius, facilius annum quo Reliquiæ illæ Rothomagum advectæ fuerint, possemus assignare. Id solum pro certo haberi potest (quandoquidem S. Ambrosius ex numero fuit eorum qui in S. Victricii gratiam Ecclesias suas spoliaverint, et quando inter Sanctos morborum curatores appellat Victricius S. Nazarium Mediolanensem) scilicet illam translationem ad illud tempus esse referendam, quod est medium inter Inventionem corporum sanctorum Nazarii et Celsi, ac sancti Ambrosii mortem. Cum igitur non detexerit Ambrosius eorum Sanctorum corpora ante Theodosii mortem quæ contigit die decima septima Januarii anno Christi 395, ipseque Ambrosius obierit anno 397 die Aprilis quarta, sequitur hanc Exceptionem Reliquiarum apud Rothomagenses, circa annum 396 factam fuisse.

De episcopis Eustachio et Theodulo (si tamen de episcopis agat Victricius) constat quod in Epistola Concilii Mediolanensis anni 390 nomina subscripserint, saltem juxta editionem Labbei tomo II Concil. col. 1027 : nam apud alios legitur *Theodorus* non *Theodulus*. Verum non parva oritur difficultas circa ipsum Theodulum, an scilicet ille sit amanuensis beati Ambrosii de quo scribebat Paulinus presbyter in vita ejusdem Ambrosii anno 417, ea quæ sequuntur : *Cum ad palatium pergeret Ambrosius, eumque pro loco officii nostri sequeremur, Theodulo tunc Notario qui postea summa cum gratia Mutinensem rexit Ecclesiam*, etc. Si enim Victricius de episcopo, mentionem faciat, hinc liquet alium esse a Theodulo Mutinensi episcopo, quod nempe Mutinensem cathedram nondum ascenderat, cum Reliquiæ Sanctorum ipsi assignatæ fuerunt; siquidem ex loco Paulini superius allegato certum est eum anno 395, post Theodosii mortem Notarii munia sub sancto Ambrosio adhuc egisse. Scribit Ughellus memoriam hujusce episcopi quem Theodorum male vocat, exstare in monumentis Mutinensibus ad annum 397, quo forte tempore obierat Ambrosius et opusculum Victricius jamjam exaraverat.

Cum igitur alium Theodulum assignet Epistola concilii Mediolanensis ad Siricium papam anni 390, istum forte Theodulum indicat potius Victricius. Cujus autem sedis exstiterit episcopus, infertur ex subscriptionibus concilii Aquileiensis anni 381, quæ repetuntur in exemplari Romano subscriptionum ejusdem concilii Mediolanensis. In iis Theodulo (male Theodorus dicto) assignatur sedes Octodurensis. At cum in ejus territorio quiescerent corpora Martyrum Agaunensium, si quidpiam de Sanctorum Reliquiis Victricio missurus erat Theodulus, de horum profecto Martyrum sanguine intinctam humum quæ tunc etiam religiosissime asservabatur, in capsulam episcopo Rothomagensi destinatam deposuisset. Altum ergo de sancti Mauritii Reliquiis silentium postulat ut intelligatur de Theodulo alio ab episcopo Octodurensi ea quæ in tractatu sancti Victricii referuntur.

De qualicumque episcopo vel Ecclesiæ ministro scripta fuerint, aliqua libellus iste quem lectori offero dignus est veneratione, tum ex parte antiquitatis, quæ plusquam mille quadringentorum annorum est, tum ex parte auctoris cujus nomine insignitur, quippe qui deinde amissis litteris quas ad S. Paulinum Nolanum scripserat sanctus Victricius, hoc damnum reparat, et aliqua Epistolarum Paulini ad Victricium loca illustrat. Cæterum si ægre ferant nonnulli qui auctores Gallos et Francos illustrant, quod Honorium vulgo Augustodunensem, e numero scriptorum nostrorum sustulerim Dissertatione superius edita, observent me in locum Honorii virum suffecisse et dignitate celeberrimum et antiquitate longe commendandum.

Digressiones plurimæ quibus hoc scriptum refertum est, sententiam videntur recentis auctoris Vitæ S. Victricii [a] confirmare, de calumniis quibus petitus fuit, quasi in aliquibus fidei articulis erravisset. Credunt illum in Italiam antea se purgatum ivisse,

[a] *Le Brun des Marettes.*

unde Reliquias deferre potuerat, quibus illas junxit quas postea excepit; nisi tamen alii prius obtinuerant. Exstat in suburbio Rothomagensi Ecclesia sub titulo S. Gervasii. Hanc non absurde crediderim locum occupare in quo S. Victricius templum posuerat de quo in hujus operis fine loquitur. Tanta est ejus antiquitatis opinio, ut fama sit S. Mellonis primi Rothomagensis episcopi corpus in ea sepultum fuisse. Illam suspicor fuisse ædificatam extra civitatem Romanam ubi juxta leges corpora terræ mandare licitum erat, primamque Rothomagi Cœmeterii jus habuisse, quam potissimum frequentabant fideles propter Sanctorum Reliquias et sepulcra.

In notulis infra paginas in hac editione insertis plurima alia legentur quæ de hoc manuscripto sese offerunt exquirenda. Cætera omisi Scholia quæ Monachus quidam Sancti Galli noni fortasse sæculi vel decimi observavit, quia sane in confesso est illum Monachum (Notkerus fuerit vel Ekkeardus) paulisper fuisse rudem, qui verbi gratia dixerit Rothomagensem civitatem, civitatem fuisse Britanniæ, et loco Victricii quem non noverat, forte *Vicarium* esse legendum, idque, quia fuerat a scriptore deceptus qui hujus operis auctorem S. Ambrosium fuisse putabat, eo quod in manuscripto codice quem manu tenebat, aliqua sancti Doctoris scripta exciperet.

Hic opportune S. Victricii vitæ narratio veniret, si quis forte illam ignoraret. Optime conscripta fuit a Joanne Baptista *Le Brun* Rothomagensi acolytho juxta ea quæ de Victricio in Epistolis S. Paulini narrantur. Illam Bollandistæ iterum ediderunt in secundo Augusti tomo. Ibi legitur Victricium ab adolescentia militasse: Tum colendi Dei cupiditas eo illum adduxit, ut ad Tribuni pedes arma deponeret missionemque peteret. Hunc Tribunus virgis cædi et in carcerem conjici jussit. Rei militaris Comes ad quem adductus fuit Victricium capite damnavit. Lictor caput jamjam erat amputaturus, cum subito oculis captus est, soluta vincula: quæ cum vidisset Comes, illum ad Imperatorem remisit, a quo dimissus est. In quem locum sese receperit, incertum est, sed eum Rothomagensis populus post Petri mortem episcopum elegit circa annum 385, Victricium postea circa annum 389 Paulinus vidit Viennæ cum S. Martino Turonensi. Ejus autem tanta fuit fama sanctitatis, ut cum Carnuti oblata fuisset beato Martino adolescentula muta, curandæ infirmitatis honorem illi detulerit Martinus, vel episcopo Valentiniano: quod uterque recusavit: populum suum cum simplicitate edocebat Victricius, et exemplum semper præceptis præmittebat. Monasteria in urbe Rothomagensi ac Diœcesi ædificavit. Multi ejus monitis in matrimonio continentiam observabant; plures illi bona sua afferebant, ut eleemosynas erogaret. Apud A Morinos et Nervios evangelizavit. Hæc omnia narrantem audivit apud Nolam Paulinus Paschasinm diaconum quem cum Urso catechumeno in Italiam miserat Victricius, quique Paulini Epistolam ad Victricium retulit. Ex Morinis redux, zizania in agro suo invenit disseminata. Contra adversarios, pro doctrinæ suæ puritate dimicavit, et ea forsan causa est, cur Romam peteret circa annum 403. Unde cum rediisset, Paulino scripsit litteras, quibus veniam precabatur eo quod ad illum iter non direxisset. Candidianum ad eum misit ex suis alumnis unum, qui cum Pontifice Romano de aliquo negotio ageret. A Candidiano didicit Paulinus quæcumque Victricium spectabant, eique secundam ad episcopum Rothomagensem dedit Epistolam. In chartis quas B ad Papam mittebat Victricius, significabat se aliquibus teneri scrupulis propter regulas quas observat Ecclesia Romana circa mores, ad coercendos Canonum violatores. Innocentius librum *Regularem* illi dedit, id est librum in quo Canones Ecclesiæ Romanæ continebantur. Hæc tantum de S. Victricii vita tenentur, quibus adjungendæ sunt circumstantiæ quas hoc opus suppeditat.

Corpus ejus sequentibus sæculis ad Castrum Branam pagi Suessionensis delatum fuit. Existimarunt Socii Bollandiani a Calvinistis in favillas redactum fuisse cum pagum illum deprædati sunt. At rumor iste, qui et de reliquiis aliquorum sanctorum Galliæ circumfertur, falso nititur fundamento quoad S. Victricii corpus integrum. Quinque nimirum inter C grandiora ossa corporis sancti Præsulis apud Branam sub altari ecclesiæ parochialis S. Nicolai etiam a bellorum istorum temporibus asservata sunt in sarcophago ligneo, scilicet os femoris, os tibiæ, os illud quod *peroné* vocant, item *omoplate* et coxis. Quædam etiam de eodem sacro corpore in ecclesia abbatiali S. Evodii ipsius oppidi conservabantur; non vero totum corpus ut putaverat Balletius. His adde brachium quod jam ab initio duodecimi sæculi ad Monasterium Charitatis supra Ligerim delatum fuerat. Ossa quinque superius dicta solemniter illata sunt die quinta Maii anni 1733 in novam capsam manibus Rev. in Christo Patris D. Francisci *Le Febvre de Laubrière* episcopi Suessionensis, qui, ut didici ex processu verbali, statuit in posterum hanc D translationem ritu semiduplici in jam dicta ecclesia S. Nicolai singulis annis recolendam.

Cæterum in edendo hoc Victricii opusculo ipsam numerorum divisionem quæ in codice S. Galli habetur, servare propono, ne quidquam de tantæ antiquitatis manuscripto pereat, possitque lectori certum esse, omnia ad fidem venerandi codicis religiose fuisse collata.

Scribebam Parisiis mense Sextili anni 1737.

SANCTI VICTRICII
ROTHOMAGENSIS EPISCOPI
LIBER DE LAUDE SANCTORUM.

Ex ms. Codice S. Galli annorum plus mille.

I. Pertinere nos, dilectissimi fratres, ad misericordiam Dei et omnipotentiam Salvatoris etiam præsentibus spiritualium bonorum cumulis admonemur. Nullum vidimus percussorem, gladium vacuum vagina nescimus, et altaria divinarum adimus potestatum, nullus est hodie cruentus inimicus, et Sanctorum passione ditamur, nullus nunc tortor incumbit, et Martyrum tropæa portamus: nullus effusus sanguinis ad præsens, nec persecutor insequitur, et replemur gaudio triumphorum. Immergendum est igitur [a] lacrymis, et grandia sunt in uberem fletum gaudia resolvenda. Ecce maxima pars cœlestis militiæ nostram dignatur visere civitatem, ut jam nobis habitandum sit inter turbas Sanctorum, et inclytas cœlestium potestates. Haud mediocre levamen est delictorum tecum habere quos instruis, tecum habere quos mitiges. Equidem ex gaudio præsenti metior quantum huc usque perdiderim. Rogo, date veniam impatientiæ: immodica lætitia verba pensare non novit. Doleo et quodam modo humana ratione contristor quod tam sero venerunt habitatores pectoris nostri: minus delictorum repererant si ante venissent. Unde, charissimi, hæc nostra sit apud sanctos prima petitio, ut peccata nostra pia miseratione advocationis excusent, non animo judicantis inquirant. Et meæ quidem, sancti venerandique Martyres, quantum reor, apud vos veniabilis excusatio tarditatis est. Nam quod ad Britannias profectus sum, quod ibi moratus sum, vestrorum fecit exsecutio præceptorum. Pacis [b] me faciendæ consacerdotes mei salutares antistites evocarunt. Hoc negare non poteram qui vobis militabam. Non est deesse obsequiis obedire præceptis. Merito virtutis ubique vos esse novi: nullo enim terrarum spatio cœlestis claritudo fraudatur. Ignoscere ergo debetis, quod in quadragesimo tantum lapide pene tardus occurri. Vobis intra Britannias [c] obsequebar, et oceani circumfluo separatus vestro tamen detinebar officio. Dilatio [d] ista desiderium meum læsit, non prætermisit obsequium. Ego tamen totum vestræ tribuo [e] majestati, quia vos estis corpus Christi, et spiritus divinus est qui habitat in vobis; vestrum est quod abfui, vestrum est quod redivi. Superest ergo ut excusationis meæ ratio digeratur. Pacis Domini estis auctores, cujus me sententiæ velut interpretem delegistis. Hoc ego Domini Jesu et vestrum salutare præceptum intra Britannias exercui, si non ut debui, tamen ut potui. Sapientibus amorem pacis infudi docilibus legi, nescientibus inculcavi, ingessi nolentibus, secundum Apostolum, *instans opportune, importune*; atque in eorum animas doctrina et palpatione perveni. Ubi me tamen locus et fragilitas humana tentavit, vestri spiritus præsidium flagitavi. Feci quod in maxima vi tempestatis faciunt illi qui navigant: Non gubernatoris peritiam, sed misericordiam supernæ majestatis implorant. Fluctus enim consternere et ventis modum adhibere, Jesus qui in vobis est valet, ars terrena non novit. Nec sane mihi jam circa eos laborandum est qui absolute disciplinæ copula exciderunt. Habeo vestrarum præsentiam majestatum: in quibus apparitor religionis excusat, compleat vestræ potestatis auctoritas.

II. Qua te nunc, benedicte [f] Ambrosi, veneratione complexer? qua te, Theodule, deosculer charitate? quibus te interioribus brachiis Eustachi sensui meo glutinem? quo te cultu novæ mentis, Cario [g], qua admiratione suspiciam? nescio profecto, nescio præ tantis meritis quid rependam. Unum solum est quod potest vostris beneficiis respondere, si a sanctis Apostolis et Martyribus debita nostra poscatis, ut vobis non desint quos nobiscum esse voluistis. Tuæ quoque, dilectissime frater Æliane [h], consedulitati,

[a] Præ gaudio.

[b] Querela Ecclesiæ seu fidei, querela est Martyrum totius Ecclesiæ ac præcipue Apostolorum. Hoc sensu Victricius potuit dicere se in Britannias obsequendo præceptis eorum quorum sibi Reliquiæ afferebantur transmigrasse, cum in eorum numero essent Reliquiæ S. Joannis Baptistæ, S. Andreæ, S. Thomæ, quas infra nominat.

[c] Forte Victricius Britannus fuit nativitate, eoque sensu accipiendum quod ad eum scripsit Paulinus Ep. 18: *Te in lucem populi sui de extimo* (seu *extremo*) *orbis eduxit Dominus*.

[d] Quadragesimo lapide videtur indicare, se nonnisi, quindecim leucas ante urbem Rothomagensem Sanctorum Reliquiis obviam ivisse e Britanniis revertentem. Leuca enim nostra hodierna fere tria milliaria antiquorum continet.

[e] Titulus majestatis qui apud veteres non semel occurrit, non Deo solum, sed et Sanctis ac imperatoribus et regibus, quibusdam episcopis et aliis in dignitate constitutis tribuebatur olim, ut videre est in Glossario Cangii.

[f] Hic loquendi modus *Benedicte Ambrosi*, frequens hoc ævo. Sic in ep. S. Paulini 18, ad Victricium, *Benedictum diaconem fratrem nostrum Paschasium* et num. 2, *Benedicti Paschasii*.

[g] Jam notavi nomina Theoduli et Eustachii legi in subscriptionibus Concilii Mediolanensis anni 390. Alibi non legitur nomen Carionis.

[h] Ælianus forsitan erat unus ex æditiuis Ecclesiæ Mediolanensis, lator Reliquiarum.

tum etiam exspectationi gratias ago. Sed labori tuo et officio mercedem jam Apostoli ac Martyres exsolverunt, diu tecum fuerunt. Da igitur, da, quid moraris? Sanctorum templa porrigite. Operari libet, non libet loqui. Nam si curavit attacta leviter fimbria Salvatoris, procul dubio curabunt amplexata, domicilia passionum. Huc accedit quod fatigationem labor iste non sentit. Apostolos ac Martyres nostros fide ante portavimus. Bis ad Rothomagensem Sancti veniunt civitatem [a]: dudum nostrum pectus intrarunt; modo celebrant Ecclesiam Civitatis. Ecce omnis ætas in vestrum funditur famulatum, alter alterum vincere studio religionis insistit. Hinc presbyteri et diacones et omnis vobis quotidiano famulatu cognitus minister occurrit. Notorum sunt obsequia gratiora: non enim amari incipit [*Subaud.* notus], sed amoris acquirit augmentum.

III. Huc accedit, quod plus Dominum meretur cognita et inveterata militia. Stipendiorum additamentum timoris est incrementum. Magis enim formidat qui habet quod in offensione deperdat. Talis igitur, talis circa officium vestrum tempore exploratus, vitiis exantlatus, labore et vigiliis approbatus miles occurrit [b]. Talis, inquam, ministrare festinat, qui laborem in desiderium vertit, qui fortunæ nomen ignorat, qui hanc vitam non ex præsenti brevitate, sed ex æternitatis felicitate metitur. Cui denique hic habitus mentis est, ut ingenti se ditatum fenore arbitretur, quoties manus habuerit Sanctorum reliquiis onustatas. Hinc Monachorum limata jejuniis caterva densatur, hinc innocentium puerorum perstrepit sonora lætitia. Hinc devotarum, inlibatarumque virginum chorus crucis portat insigne [c]. Hinc continentium, et viduarum tali prorsus digna multitudo stipatur officio. Quarum tantum splendidior vita est, quanto durior exstitit humanæ sortis conditio. Gravis enim pugna est notæ resistere voluptati. Si nescias, ipsa te inscientiæ natura defendit. Si scias ipsa te scientia cupiditatis oppugnat. Hujus incendium defuncti mariti frigus exstinxit, et omne desiderium monumentum triste complectitur. Hujus amores superstes maritus servat, et æternitatis promissione palpatus. In disparili sorte parilis palma virtutis est. Hæc coitum manente conjugio horrore et pudore damnavit, hæc mortuo commendavit. Nec immerito tantum religionis est studium. Ubi enim nulla est cogitatio voluptatum, ibi est domicilium castitatis. Bona conscientia sanctis libenter obsequitur. Nihil enim differt quod aut rumor laceret, aut tacita cogitationis vexet injuria. Ostentatio pudoris, et abstinentia est assiduitas obsequentis. Nullus hic indumentum tyrium vomit ardorem, nec crepantis serici undæ ambulantis arte crispantur, nulla bacca, nullus auri circulus scitur. Sordent enim humana, ubi divina pensantur. Docente Apostolo: *Hæc omnia tamquam stercora arbitratus sum, ut Christum lucrifacerem.* Incedunt nitidæ flagrantes crapulam castitatis. Incedunt divinis ornamentorum redimitæ muneribus. Pectora sunt Psalmorum referta divitiis. Nulla nox vigiliarum est, in qua talis gemma non micet. Nullus religionis est locus in quo non splendeat tale segmentum; gaudium sanctorum est turba castorum. Irritatio potestatum est viduarum, et continentium multitudo. Hinc senum lacrymæ, et gaudia mixta funduntur, hinc vota matrum, infantum quoque animos gaudia ista pertentent, hinc denique totius populi circa majestatem vestram unus affectus.

IV. Misereminі igitur, miseremini; habetis, quod ignoscatis, confitemur [d] Deum Patrem; confitemur Deum Filium, confitemur sanctum Spiritum Deum. Confitemur quia tres unum sunt. Unum dixi; quia ex uno sicut Filius de Patre, ita Pater in Filio; sanctus Spiritus vero de Patre et Filio. Ita et Pater et Filius in Spiritu sancto. Una Deitas, una substantia, quia unum principium, et una perpetuitas, sive ante omnia, sive per quem omnia, verus Deus de Deo vero; quia ut alius de alio, ita alius in alio, vivus a vivo, perfectus a perfecto, lumen de lumine, et lumen in lumine. Ita hujus Trinitatis Deitas ex uno et in uno permanens. Pater pater est, Filius filius est, Spiritus spiritus est. Tres nominibus, tres uno principio, tres una perfectione, tres una Deitate, tres uno lumine, tres una virtute, tres una operatione, tres una substantia, tres una perpetuitate, quia ut tres ex uno, ita unitas in tribus. Sic confitemur quia sic credimus individuam Trinitatem, ante quam nihil potest affingi, nec mente concipi: per quam omnia visibilia, et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive principatus, sive potestates. *Omnia per ipsum, et sine illo factum est nihil*, qui pro salute generis humani de sublimi descendens, de Maria Virgine incarnatus hominem induit, passus est, crucifixus, sepultus, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Dei Patris, inde venturus est judicare vivos et mortuos. Et in Spiritu sancto, quia hoc sacramentum in Apostolis ipse firmavit dicens: *Cum ascendero ad patrem meum, et ad patrem vestrum, rogabo Patrem, et alium advocatum dabit vobis, ut vobiscum sit in æternum, spiritum veritatis; quem hic mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec*

[a] Ex hoc loco patet latorem non invento apud Rothomagum sancto Præsule Victricio, suum jam iter ad Britanniam direxisse cum Reliquiis; et cum occurrisset Victricius, una simul Rothomagum repetiisse. Inde etiam liquet capsam seu cistellam Reliquiarum non magnæ fuisse molis, et huic forsan similem quam S. Germanus Autissiodorensis collo gerebat.

[b] Alludit ad ea quæ olim pro Christo passus fuerat.

[c] Plura dicit de statu Viduarum et Virginum ad refellendos Joviniani discipulos recens a sanctis episcopis damnatos in concilio Mediolanensi et ut unanimitatem doctrinæ manifestet.

[d] Fidei confessionem edit Victricius ut mos erat tunc temporis propter Arianos nondum omnino eliminatos. Sic aliquando apud Paulinum.

cognoscit eum. Vos autem nostis illum, quia apud vos manet, et vobiscum est (*Joan.* XIV, 16, 17). Et alibi : *Cum vos statuerint ante potestates hujus mundi, nolite solliciti esse quid loquamini, Spiritus Patris vestri loquetur in vobis* (*Matth.* X, 19). In hac unitate venerabilium passionum vestrarum lumina confitemur. In Evangelio legimus, quia *vos estis lumina mundi* (*Matth.* V, 14). Hoc in periculis, hoc in lætitia prædicamus. Prosit peccatoribus ista confessio, quia hoc obtinuit ille, qui petivit, sicut Dominus in Evangelio loquitur: Nam cum latro in patibulo pendens ab eo peteret ut sui meminisset, ait Salvator : *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Delicta nemo discutiat, veniam postulamus.

V. Age nunc, fratres dilectissimi, sacrosanctis reliquiis melle, lacte subacta psalmorum verba libemus. Vigiliis et jejuniis inebriata sobrietas ablutionem postulet peccatorum. Inclinemus ad nos sanctorum favorem, dum calet adventus. Horum quidem domicilia superna sunt, sed nos ut hospites precemur. Prodest nonnumquam dissimulare, quod scias. Secretum suum ipsi noverint. Facilius impetrant qui sacramenta custodiunt, et secreta non quærunt. Vos quoque, sacræ, inviolatæque virgines, psallite, psallite, et choreis tramites quibus ad cœlum ascenditur et pede pulsate [a]. Illos, inquam, qui Paradisi vere gaudent clara luce, nullis nubibus turbidi; illos plantis terite, illos assultibus fatigate.

VI. Ne quis autem de errore queratur; addidit nobis alios duces misericordia Salvatoris. Quid est enim aliud, charissimi, Martyr, nisi Christi imitator? domitor rabidæ voluptatis? calcator ambitionis, et mortis ambitor, contemptor divitiarum, compressor lasciviæ, intemperantiæ persecutor? Cui numquam sceptrum prudentiæ avaritia præripuit, aut cupiditas vindicari. Per hos virtutum gradus unde descenderat Salvator ascendit, docente Apostolo : *Qui descendit, ipse est, qui ascendit super omnes cœlos.* Per hos denique secum, quos prædestinavit, evexit dicens : *Pater, quos mihi dedisti, volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum.* Prudentia, justitia, fortitudo, temperantia via cœlestis est. Hanc Salvator aperuit dicens : *Ego sum via et veritas.* Hanc margaritarum cœlestium, et æternitatis mercator attrivit : hanc viatoribus christianis prophetæ demonstrant : hanc Apostoli frequentarunt : hanc numquam aut frigus astringit, aut calor incendit. In psalmis cautum est, *per diem sol non uret te nec luna per noctem.* Qua de re oremus, charissimi, oremus, ut si ascendere nos cumulus prohibet peccatorum, vel ascendentum vestigia osculis arctioribus vaporemus. Isti sunt venerandi, [isti] sunt sancti, qui morti mortem intulere. Sicut legimus : *Qui credit in me, licet moriatur vivit.* O quam pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus quibus minax plus præstitit persecutor; tortor horruit, risit subditus quæstioni, percussor tremuit, et trementis dexteram moriturus adjuvit; fera noluit, irritavit objectus, non quia pœnam corpoream natura perdiderat, sed quia Salvator tanti præsul certaminis, palmam vibrans, immortalitatis victoriam prætendebat. Hæc quamquam ita sint, tamen in illa passione membrorum vobiscum certamen corpora pertulerunt. Strati ergo humi, et solum lacrymis irrigantes una voce clamemus, ut qui semper sacratas reliquias possidetis, corpora purgetis. Nec vobis, venerandi, nostra sordebit oblatio. Dignum domicilium est quod tot victoribus habitetur. Hic invenietis Joannem Baptistam, illum, inquam, qui stadio [b] communi cruentus stetit, sed ad cœlum coronatus ascendit, quem Dominus ipse inter natos mulierum autumat potiorem. Hic Andream, hic Thomam, hic Gervasium, hic Protasium, hic Agricolam, hic Eufemiam, quæ quondam ustulato animo sub percussore virgo non palluit. Denique tanta hic est cœlestium civium multitudo, ut ad adventum vestræ majestatis locus nobis esset alius inquirendus, nisi vos jungeret secretum vestrum, et unitas potestatis.

Vestra sunt hæc præcepta, charitatem non æmulari, non quærere illa, quæ sua sunt [c]. Unde non ambigo quod secundum hominem vilioris loci vos tangat injuria. Angusta nimis, homines ista perpendunt. Divinitas gradum respuit, nec loco nec tempore definitur. Unitatis nulla subjectio est. Nec mirum, si nihil est vobis in substantia terrena difficile, quibus totum est in spiritus luce commune. Major tamen erit vestrarum gloria potestatum, si defendatis laboriosos, si tuemini hostibus subjacentes. Tegant arma, quos volunt, nos vestræ acies, vestra signa custodient. Nullus est hostis, si tribuatis indulgentiam peccatorum. Ex vestris manibus nostræ vitæ retinacula detinentur. Remittite delicta, et nulla nos bella turbabunt. Sed quid ego pauper Victricius cultor vester de loci qualitate formido? A vobis ad vos venistis, hic reperietis, quos circa Domini Jesu Christi altaria ministrantes reliquistis, porrectis brachiis vos Baptista Joannes exspectat. Vos Thomas, vos Andreas, Lucas et cætera multitudo cœlestis parilii vos desiderio in suum gremium vocat. Nullus vos novus hospes excipiet. Hi sunt cum quibus militatis in cœlo. Peculiaris tamen erit gratulatio, si jungantur reliquiis, qui juncti claritudine spiritali.

VII. Siquidem unam corporulentiæ massam Scriptura insinuante colligimus. Quotus enim quis aut natura tam brutus, aut rationis expers inveniri queat, qui neget feminam ex viri lateribus sumpsisse principium? Ex quo illud emergit, ut intelligamus primordia carnis ex carne esse suscepta. Ipsamque sibi fuisse naturam, ut si animum naviter quispiam intendat, et velut generis genus inquirat, reperiat Adam ex specie genus effectum. Non enim potest

[a] Metaphorice loquitur.
[b] In ms. legitur *studio*, sed male.

[c] Videtur indicare quod jam aliquas Reliquias possidebat Ecclesia Rothomagensis.

genus non esse, ex cujus materia figmentoque diffusa per omnes humani corporis fetura succrevit. Ergo, sanctissimi fratres, primum id scire debemus, homines inter se non natura, sed loco et tempore, et opere, et cogitatione distare. Diversitas enim unitati extranea est. Unitas late sine sui diffunditur detrimento. Quod si omnium hominum unum corpus esse rationis oculi perviderunt, sequitur, ut in Christo, et in Ecclesia viventibus pari argumento unam beneficio adoptionis et carnis, et sanguinis, et spiritus credamus esse substantiam. Initium novæ legis est præteritorum ablutio delictorum. Salvator autem, quamvis esset prioris, tamen melioris testamenti sponsor accessit. Necesse est ergo ut sit in his una virtus, in quibus est sacramentorum una perfectio. Ait enim Apostolus : *Vos estis corpus Christi, et membra, et Spiritus Dei habitat in vobis.* Cum igitur Scriptura docente firmemur Baptismatis sacramento divino nos spiritui posse conjungi, eademque ratione dicamus etiam corpora nostra cum membris filii glutino perseverantis confessionis astringi, nihilque unitati perire per gratiam, quæ dubitatio est, etiam Apostolos Martyresque nostros perfectam absolutamque meruisse concordiam? Cum enim spiritus Dei sit, et Deus filius Christus, qui æquabili potestate opinionem injuriosæ subjectionis explodit, qui venerabili triumpho membrorum, morti spatium non reliquit, qui singularitatis abnuit nomen, qui nec finem aut initium ullis sui partibus sentit, Apostoli autem, sanctique et per spiritalis mysterii sanctionem, et per corporis victimam, et per sanguinis censum ac sacrificium passionis ascendere solium Redemptoris, ipso in Evangelio dicente : *Cum sederit filius in throno gloriæ suæ,* [a] *sedebitis et vos super duodecim tribunalia judicantes* XII *tribus filiorum Israel.* Et iterum : *Cui remiseritis remissa erunt, et quem ligaveritis, ligatus habebitur.* Relinquitur ergo, ut toti cum toto sint Salvatore. Nam quibus nihil est in professione dissimile, his totum est in Deitatis veritate commune. Per justitiam etiam fiunt comites Salvatoris, per prudentiam æmuli, per usum artuum concorporei, per sanguinem consanguinei, per hostiæ consummationem fiunt crucis æternitate consortes. Scriptum est enim : *Ascendo ad Patrem meum et ad Patrem vestrum.* Si igitur communis pater, communes et filii, si communes filii, communis hæreditas, si communis hæreditas, communis æternitas. Sancti autem sunt per victoriam immortalitate donati, superest, ut non divisa, sed una sit auctoritas voluntatum. Ipso hoc apud patrem Domino prosequente : *Pater, sanctifica illos in veritate, verbum tuum veritas est. Sicut tu me misisti in sæculo, et ego misi eos in sæculo. Et pro eis sanctifico me, ut sint et ipsi sanctificati in veritate; non solum pro his te rogo, sed etiam pro eis qui credituri sunt in me, per verbum ipsorum. Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi sint in nobis, ut hoc sæculum credat, quia tu me misisti, et ego mitto eos. Claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum sicut nos unum sumus. Ego in illis, et tu in me, ut sint consummati in unum, ut cognoscat sæculum, quia tu me misisti et dilexisti illos, sicut me dilexisti.* Rapitur enim a dignis imperium salutare, quisquis extulerit sacræ confessionis insigne.

VIII. Alia est, dilectissimi, immortalitas, quæ sine conceptione fragilitatis, est sempiterna. Alia, quæ largitate conceditur. Nos autem Apostolis, et Martyribus donatam immortalitatem negare non possumus. Sed illud assumimus post indeptam divinitatem, nihil esse, quod Trinitatem a sanctorum oblatione secernat; quoniam ipsa eos veritas edidit Trinitatis. Plenam enim perfectamque esse Dei naturam necesse est confiteri. Alioquin fit injuria, si negemus, dicente Domino : *Qui me negaverit, et meos sermones, coram hominibus, et ego eum negabo coram Patre meo et Angelis ejus.* Huc accedit, quod ultra nihil recipit plenitudo. Sanguis autem post Martyrium præmio divinitatis ignescit. Facessat ergo distinctionis injuria, cum sit eadem copula claritatis. *Vado,* ait, *ad Patrem meum, et ad Patrem vestrum.* Videtis itaque, amantissimi, hoc esse Patris, et Filii per naturæ proprietatem, quod est Sanctis per suscepti muneris unitatem. Deus longe lateque diffunditur, et suum lumen sine sui feneratur detrimento. Quacumque in parte totus est, sensus totus, visus totus, animi totus sui. Non potest ergo non esse perfectus in Apostolis qui est perfectus in toto. Forsitan hoc loco quispiam exclamet, et dicat, Ergo hoc martyr, quod prima virtus, et absoluta, inenarrabilisque substantia Deitatis? dico idem esse per beneficium, non per proprietatem; per adoptionem, non per naturam. Eoque fieri ut cum dies magnus advenerit, nec acquisisse videatur ille qui acceperit imperium, nec minuisse ille, qui dedit. Clementis bonique disceptatoris est, prædicare ante, quid caveas. Ecce nobis velut prælato reliquiarum suarum lumine tramitem veritatis ostendunt. Docent reverentiam, fidem, prudentiam, justitiam, fortitudinem, concordiam, continentiam, castitatem, dum in obsessis corporibus, his quæ sunt contraria puniunt, et vitiorum amovent labes. Sed hanc misericordiam, et hunc docendi affectum, has denique reliquiarum divitias, et hos ignitos luminis radios in se habent; etiam cum nostra cœperint delicta pensare. Boni regis est absque gratia judicare. Ibi mera veritas invenitur, ubi nulla est in unam partem declinatio cognitoris. Nos autem ab ipsis, quibus nunc utimur beneficiis adjuvamur. Ergo in unum velut acervum omnis quæ nunc diffusa est Sanctorum bonitas colligetur, ut sine gratia, sine appellationis injuria sceptrum teneant judicantis. Peccata sunt tenebræ, lux innocentia. Necesse est ergo ut carcer appareat

[a] *Matth.* XIX, 28. In codice ms. S. Germani a Pratis num. 1200 legitur etiam Matthæi XIX, *Cum sedens filius in throno gloriæ suæ.* Hæc est antiqua et prima versio Latina de qua *Martianay.*

tenebrarum, cum cœperit de se in se redire quod lucis est.

IX. Solis lata sunt beneficia; omnia terrarum spatia, omnium domiciliorum oculos replet, et illuminat, et a se sui copia non recedit. Munus suum effundit et recipit tantumque possidet quantum fuerat ante largitus; donat, et donatarum rerum dominus invenitur. Haut aliter, charissimi, ante diem judicii in cunctas Basilicas, in omnes ecclesias, in omnium denique fidelium pectus justorum splendor infunditur, in se scilicet rediturus cum personam sumpserit judicantis. Si cui vilis ista comparatio videbitur, in hoc accipiat majestatis esse, non erroris, quod divinis corruptibilia, quod magnis parva collidimus. Primordia quæ generis sunt expertia, nesciunt definiri. Inclinata substantia Deitatis in se suæ similitudinis retinet dignitatem. Nec qualitas, nec quantitas reperitur, cui Trinitas possit æquari. Cœlestis ratio docetur, non comparatur; insinuatur, non ornatur. Docuit ergo nos divinitatem solis exemplum. Non tamen se miscuit unitati. Jam illud omnibus liquet, ex nihilo Deum fecisse, quod non erat, unde sæpe dialecticorum virus [a] eliditur.

Si enim ex inani rerum auctor Deus vas hoc spiritale, et membra composuit, cur non potuit animatum corpus, et velut sanguinis fermento globatum ad sui luminis transferre substantiam? Sed nos in tanta gratulatione librum tumultu quæstionum refercimus. Nec immerito, indagatio enim veritatis, voluptas est inquirentis. Sic Deus, sic Salvator agnoscitur, sic triumphus porrectus salutaribus brachiis invenitur, sic corporibus æternus splendor acquiritur. Angelos ignitæ majestatis spiritum continere cœlesti oratione percipimus : sic enim legimus : *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros ignem urentem.* Ergo si in corpore cruor est, cruor autem ipse superno miscetur ardori, nihil superest quæstionis, quin unam eamdemque beatorum colligamus esse cum universitate concordiam. Illa nunc est, charissimi, ex animis nostris abstergenda, abolendaque suspicio, ne quis forte vulgari errore deceptus in minutiis justorum, et in hac apostolica consecratione, non putet totius corporeæ passionis consistere veritatem. Nos autem id tota fide, et auctoritate clamamus, in reliquiis nihil esse non plenum. Nam integri artus sunt, ubi est integra medicina. Carnem dicimus glutino sanguinis contineri, spiritum quoque madentem sanguinis rore, flammeum Verbi affirmamus duxisse ardorem. Quod cum ita sit, certissimum est Apostolos, Martyresque nostros integris ad nos venisse virtutibus. Id ita esse, etiam præsentibus beneficiis admonemur. Nam cum jus translationis ipsis volentibus agnoscamus, illud intelligimus, non ipsos sibi inferre propria disseminatione jacturam, sed spargere beneficia

A unitate ditatos. Flamma claritudinem suam effundit, et donat, nec tamen patitur dispendium largitatis. Sic Sancti sunt sine damno munifici, sine additamento pleni, sic ad nos sine peregrinationis fastidio pervenerunt. In reliquiis ergo admonitio perfectionis est, non divisionis injuria. Quidquid ex dispari conceptione formatur, et non primi fontis liquore perfunditur, id caducum esse necesse est. Sol et sidera, tellus, et residua nomina vanitatum recipiunt corruptibilitatem, quia non habent exordium spiritale. Sanctorum autem passio, imitatio Christi est, et Christus est Deus. Ergo non est in plenitudine inserenda divisio, sed in ipsa divisione, quæ oculis subjacet, plenitudinis est veritas adoranda.

B X. Cur igitur reliquias appellamus? quia rerum imagines, et signa sunt verba, subjicitur oculis cruor et limus. Id nos reliquiarum nomine, quia aliter non possumus, velut vividi sermonis impressione signamus. Sed nos nunc totum in parte dicendo, non corporalium luminum obices, sed cordis oculos aperimus. Non enim res verbis, sed verba serviunt rebus. Unde amotis sermonum insidiis, res cum re, ratio cum ratione confligat. Omnis pars, quæ dicitur species, necesse est, ut generis in se vim definitionemque suscipiat. Nam cum animal esse substantiam animatam, substantiamque sensibilem dixero, simul dixi et homines, et boves, et cæterorum animantium definitionem, quomodo est homo qui non percipit quæ Dei sunt. Quod si in

C generis definitione etiam specierum momenta pensantur, qui fieri potest, ut in reliquiis non sit plenitudo carnalis, [b] cum sit eadem ratio spiritalis? Ostendimus itaque in parte totum esse posse. Unde queri jam de exiguitate non possumus; nam cum dixerimus ad instar generis, nihil sacrosanctis perire corporibus, certe illud assignavimus, non posse minui, quod divinum est, quia totum in toto est. Et ubi est aliquid, ibi totum est. Corpus autem infectione spiritus æternari, divina colligimus lectione. Concluditur ergo, ut nihil amplius desideretur ubi plenitudo sentitur. Docendi gratia in facili illo, pervulgatoque persistamus exemplo. Ignis jubar dicimus, colorem dicimus, et tamen idem imperante natura nec aliud ab alio, nisi sola nominis dis-

D tinctione dividitur. Lux splendorem parturit, nec tamen lucis et splendoris fit ulla discretio. Homo ipse in eo, quod homo est, unum tenet cum omnibus nascendi communione collegium. Æs, aurum, et reliqua genera metallorum, quamvis in diversum hamatis avaritiæ unguibus rapiantur, tamen habent individuæ substantiæ qualitatem. Claret igitur species ad naturam referri. Claret igitur in reliquiis perfectionem membrorum esse, quia insit in spiritali sacratione consortium. Qualis enim cœlestis,

[a] Monachus Sangallensis annotavit forte legendum *virtus*, et quidem recte. Hæc contra Atheos.

[b] Cum particulas sanguinis concreti duntaxat e *pluribus Sanctis* acceperit, significat tamen modicas hasce Reliquias nihilominus magni habendas esse. Plura hic et supra congerit de intercessione Sanctorum, et plura proponit circa sanguinis prærogativam, quem vocat *Minutias Sanctorum*.

tales et cœlestes. Si divisas esse reliquias diceremus a spiritu, merito omnis viscerum nexus et soliditas quæreretur. At vero cum unitam advertamus esse substantiam, ab re est, totum in toto perquirere. Injuria unitatis est, majoris inquisitio potestatis. Oculorum est ista deceptio. Clariora sunt lumina rationum. Cernimus parvas reliquias, nonnihil sanguinis. Sed has minutias clariores esse, quam sol est, veritas intuetur, Domino in Evangelio dicente: *Sancti mei fulgebunt sicut sol, in regno Patris;* et tunc sol amplius quam nunc, clariusque lucebit.

XI. Huc accedit quod non minus in partibus, quam in soliditate curatio est. An aliter in Oriente, Constantinopoli, Antiochiæ, Thessalonicæ, Naiso [a], Romæ, in Italia miseris porrigunt medicinam? An aliter laborantia corpora defæcantur? Curat Ephesi B Joannes Evangelista, præterea et in locis plurimis; quem Christi a pectore nec ante consecrationem accepimus recessisse, et apud nos ipsa ejus est medicina. Curat Bononiæ Proculus, Agricola, et hic quoque horum cernimus majestatem. Curat Placentiæ Antoninus. Curat Saturninus, Trajanus in Macedonia. Curat Nazarius Mediolano: Mutius [b] Alexander, Datysus [c], Chindeus [d] larga virtute gratiam salutis infundunt. Curat Rogata [e], Leonida, Anastasia, Anatoclia, ut ait Apostolus Paulus: *In virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, uno, atque eodem spiritu, qui omnia in omnibus operatur.* Rogo, an alia est apud nos, alia apud alios memoratorum medela sanctorum? Quod si quidquid ubique sanctorum est, parili pietate cultores suos de- C fendunt, purgant, tuentur, adjiciendus cultus est, non discutienda majestas. Quod si in reliquiis non esset plenum pondus virtutis, tamen non erat bonæ mentis derogare tali aliquid dignitati. Non enim scire prodest, sed timere. Quia cautum est: *Timor Domini expellit peccatum. Nam qui sine timore est, nusquam poterit justificari.* Innumerabilia sunt, quæ occurrunt, sed nos puri liquoris meatus, et tramites aucupamur. Non me hypothetici et categorici syllogismorum modi intricant, non inania philosophorum sophismata decipiunt: ipsa faciem suam veritas aperit, fides despuit argumenta, crimen latebras, innocentia publicum quærit. Manu igitur ostendo, quod quæritur, tango reduvias, affirmo in istis reliquiis perfectam esse gratiam perfectamque virtutem. Hoc loco D si res esset sermonum collisione pandenda, dicerem et genere, et specie, et numero idem esse; de quo ambigit infida calumnia dubitantis, nec dubitantis fortasse, sed non amantis. At vero cum totam fide teneam, supervacaneis supersedendum interim reor, sed videnda, non quærenda. Ecce incumbit immundi pollutique spiritus tortor, nec venit sub aspectu ille, A qui torquet. Nulla sunt vincula, et ligatur ille qui patitur. Equuleum aeris habet ira cœlestis.

Nulla ungula est, et tanta sunt crimina confitentium; nullum vulnus apparet, et dentium stridor auditur, nulla interrogatio disceptantis, et sequitur permissio recedentis.

Nemo profecto, nemo tam inops mentis est ut dicat deesse plenitudini, cum examini nihil deesse videat. Deus enim proculdubio, Deus est, quisquis est invisibilium tortor et judex. Imperfecta natura nescit spiritum vulnerare. Interiora non judicat, nisi qui sanat. Non imperat elementis, nisi qui calcat sceptrum. Non tenet Trinitatem, nisi qui est in partibus integer, et totus in toto; sensus primus nullius adjectionis est indigus. Apostoli autem sanctique non solum additamenta non quærunt, sed etiam sanitatis, et salutis beneficia largiuntur.

Ergo unus sensus, unus spiritus, una est his cum veritate permixtio. Qui curat, et vivit; qui vivit in reliquiis est. Apostoli autem Martyresque medentur, et diluunt. In reliquiis igitur sunt totius vinculo æternitatis astricti. Omnem sectionem nubilum mortis infuscat. Nos satis superque Sanctos declaravimus partis damna non nosse. Residet ergo ut intelligamus, misericordiæ esse, non quæstionis, quod se justi omnibus largiuntur; qui amat, credit; qui credit, fidem in disputatore, et sacerdote, non verba rimatur. Unde si nostra cui sordebit oratio, studium certe neutiquam displicebit. Si quidem nos videbit, librum simplici fide exarasse, non verbis; cultu, non argumentis; veneratione, non curiositate. Amator veritatis est quisquis reverentiam detulerit; osor est, quisquis moverit quæstionem.

XII. Qua de re, Amantissimi, dum recens est turba sanctorum, incumbamus, et ex imis corporum venis suspiria proferamus. Adsunt advocati, delictorum nostrorum gesta oratione pandamus. Favent judices, possunt mitigare sententiam, quibus dictum est: *Sedebitis super duodecim tribunalia, judicabitis duodecim Tribus filiorum Israel* (*Matth.* XIX, 28). Semper judices, quia semper Apostoli. Sed me longius non tam dicendi studium, quam fidei traxit officium; immodica gratulatio tacere non novit. Lætitiæ detrimentum est, si desit auditor. Ergo si tacere in tanta exsultantium celebritate potuissem, crimen mœroris incurreram: Apostoli ac Martyres veniunt, Antistitem tacere non convenit. Eriguntur altaria, de gaudio Sacerdotis populus sumat exordium. Quis rogo, tam brutus? Quis tam profanus? quis tam legis et religionis ignarus, ut gaudia ista non sentiat? Si quis sæcularium principum nostram nunc viseret civitatem, protinus sertis spatia omnia redimita riderent, matres tecta complerent, portæ undam po-

[a] Naisus hic reponitur inter præcipuas civitates. Sita era in Thracia, diciturque patria fuisse Constantini M. Inter Epistolas papæ Innocentii I, una inscribitur ad Martianum Naisetanum episcopum.

[b] Mutius forte e Byzantio anno 211.

[c] Datysus, forte Dathus episcopus Ravennæ qui obiit 3 Julii c. an. 190.

[d] Chindeus, forsan presbyter Martyr in Pamphilia sub Diocletiano 11 Julii. De aliis superest inquirendum.

[e] In mss. legitur *Regota*, quod errore amanuensis videtur factum.

tenebrarum, cum cœperit de se in se redire quod lucis est.

IX. Solis lata sunt beneficia; omnia terrarum spatia, omnium domiciliorum oculos replet, et illuminat, et a se sui copia non recedit. Munus suum effundit et recipit tantumque possidet quantum fuerat ante largitus; donat, et donatarum rerum dominus invenitur. Haut aliter, charissimi, ante diem judicii in cunctas Basilicas, in omnes ecclesias, in omnium denique fidelium pectus justorum splendor infunditur, in se scilicet rediturus cum personam sumpserit judicantis. Si cui vilis ista comparatio videbitur, in hoc accipiat majestatis esse, non erroris, quod divinis corruptibilia, quod magnis parva collidimus. Primordia quæ generis sunt expertia, nesciunt definiri. Inclinata substantia Deitatis in se suæ similitudinis retinet dignitatem. Nec qualitas, nec quantitas reperitur, cui Trinitas possit æquari. Cœlestis ratio docetur, non comparatur; insinuatur, non ornatur. Docuit ergo nos divinitatem solis exemplum. Non tamen se miscuit unitati. Jam illud omnibus liquet, ex nihilo Deum fecisse, quod non erat, unde sæpe dialecticorum virus [a] eliditur.

Si enim ex inani rerum auctor Deus vas hoc spiritale, et membra composuit, cur non potuit animatum corpus, et velut sanguinis fermento globatum ad sui luminis transferre substantiam? Sed nos in tanta gratulatione librum tumultu quæstionum refercimus. Nec immerito, indagatio enim veritatis, voluptas est inquirentis. Sic Deus, sic Salvator agnoscitur, sic triumphus porrectus salutaribus brachiis invenitur, sic corporibus æternus splendor acquiritur. Angelos ignitæ majestatis spiritum continere cœlesti oratione percipimus: sic enim legimus: *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros ignem urentem*. Ergo si in corpore cruor est, cruor autem ipse superno miscetur ardori, nihil superest quæstionis, quin unam eamdemque beatorum colligamus esse cum universitate concordiam. Illa nunc est, charissimi, ex animis nostris abstergenda, abolendaque suspicio, ne quis forte vulgari errore deceptus in minutiis justorum, et in hac apostolica consecratione, non putet totius corporeæ passionis consistere veritatem. Nos autem id tota fide, et auctoritate clamamus, in reliquiis nihil esse non plenum. Nam integri artus sunt, ubi est integra medicina. Carnem dicimus glutine sanguinis contineri, spiritum quoque madentem sanguinis rore, flammeum Verbi affirmamus duxisse ardorem. Quod cum ita sit, certissimum est Apostolos, Martyresque nostros integris ad nos venisse virtutibus. Id ita esse, etiam præsentibus beneficiis admonemur. Nam cum jus translationis ipsis volentibus agnoscamus, illud intelligimus, non ipsos sibi inferre propria disseminatione jacturam, sed spargere beneficia unitate ditatos. Flamma claritudinem suam effundit, et donat, nec tamen patitur dispendium largitatis. Sic Sancti sunt sine damno munifici, sine additamento pleni, sic ad nos sine peregrinationis fastidio pervenerunt. In reliquiis ergo admonitio perfectionis est, non divisionis injuria. Quidquid ex dispari conceptione formatur, et non primi fontis liquore perfunditur, id caducum esse necesse est. Sol et sidera, tellus, et residua nomina vanitatum recipiunt corruptibilitatem, quia non habent exordium spiritale. Sanctorum autem passio, imitatio Christi est, et Christus est Deus. Ergo non est in plenitudine inserenda divisio, sed in ipsa divisione, quæ oculis subjacet, plenitudinis est veritas adoranda.

X. Cur igitur reliquias appellamus? quia rerum imagines, et signa sunt verba, subjicitur oculis cruor et limus. Id nos reliquiarum nomine, quia aliter non possumus, velut vividi sermonis impressione signamus. Sed nos nunc totum in parte dicendo, non corporalium luminum obices, sed cordis oculos aperimus. Non enim res verbis, sed verba serviunt rebus. Unde amotis sermonum insidiis, res cum re, ratio cum ratione confligat. Omnis pars, quæ dicitur species, necesse est, ut generis in se vim definitionemque suscipiat. Nam cum animal esse substantiam animatam, substantiamque sensibilem dixero, simul dixi et homines, et boves, et cæterorum animantium definitionem, quomodo est homo qui non percipit quæ Dei sunt. Quod si in generis definitione etiam specierum momenta pensantur, qui fieri potest, ut in reliquiis non sit plenitudo carnalis, [b] cum sit eadem ratio spiritalis? Ostendimus itaque in parte totum esse posse. Unde queri jam de exiguitate non possumus; nam cum dixerimus ad instar generis, nihil sacrosanctis perire corporibus, certe illud assignavimus, non posse minui, quod divinum est, quia totum in toto est. Et ubi est aliquid, ibi totum est. Corpus autem infectione spiritus æternari, divina colligimus lectione. Concluditur ergo, ut nihil amplius desideretur ubi plenitudo sentitur. Docendi gratia in facili illo, pervulgatoque persistamus exemplo. Ignis jubar dicimus, colorem dicimus, et tamen idem imperante natura nec aliud ab alio, nisi sola nominis distinctione dividitur. Lux splendorem parturit, nec tamen lucis et splendoris fit ulla discretio. Homo ipse in eo, quod homo est, unum tenet cum omnibus nascendi communione collegium. Æs, aurum, et reliqua genera metallorum, quamvis in diversum hamatis avaritiæ unguibus rapiantur, tamen habent individuæ substantiæ qualitatem. Claret igitur species ad naturam referri. Claret igitur in reliquiis perfectionem membrorum esse, quia inest in spiritali sacratione consortium. Qualis enim cœlestis,

[a] Monachus Sangallensis annotavit forte legendum *virtus*, et quidem recte. Hæc contra Atheos.

[b] Cum particulas sanguinis concreti duntaxat e pluribus Sanctis acceperit, significat tamen modicas hasce Reliquias nihilominus magni habendas esse. Plura hic et supra congerit de intercessione Sanctorum, et plura proponit circa sanguinis prærogativam, quem vocat *Minutias Sanctorum*.

tales et cœlestes. Si divisas esse reliquias diceremus a spiritu, merito omnis viscerum nexus et soliditas quæreretur. At vero cum unitam adverlamus esse substantiam, ab re est, totum in toto perquirere. Injuria unitatis est, majoris inquisitio potestatis. Oculorum est ista deceptio. Clariora sunt lumina rationum. Cernimus parvas reliquias, nonnihil sanguinis. Sed has minutias clariores esse, quam sol est, veritas intuetur, Domino in Evangelio dicente: *Sancti mei fulgebunt sicut sol, in regno Patris;* et tunc sol amplius quam nunc, clariusque lucebit.

XI. Huc accedit quod non minus in partibus, quam in soliditate curatio est. An aliter in Oriente, Constantinopoli, Antiochiæ, Thessalonicæ, Naiso [a], Romæ, in Italia miseris porrigunt medicinam? An aliter laborantia corpora defæcantur? Curat Ephesi Joannes Evangelista, prætereá et in locis plurimis; quem Christi a pectore nec ante consecrationem accepimus recessisse, et apud nos ipsa ejus est medicina. Curat Bononiæ Proculus, Agricola, et hic quoque horum cernimus majestatem. Curat Placentiæ Antoninus. Curat Saturninus, Trajanus in Macedonia. Curat Nazarius Mediolano: Mutius [b] Alexander, Datysus [c], Chindeus [d] larga virtute gratiam salutis infundunt. Curat Rogata [e], Leonida, Anastasia, Anatoclia, ut ait Apostolus Paulus: *In virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, uno, atque eodem spiritu, qui omnia in omnibus operatur.* Rogo, an alia est apud nos, alia apud alios memoratorum medela sanctorum? Quod si quidquid ubique sanctorum est, parili pietate cultores suos defendunt, purgant, tuentur, adjiciendus cultus est, non discutienda majestas. Quod si in reliquiis non esset plenum pondus virtutis, tamen non erat bonæ mentis derogare tali aliquid dignitati. Non enim scire prodest, sed timere. Quia cautum est: *Timor Domini expellit peccatum. Nam qui sine timore est, nusquam poterit justificari.* Innumerabilia sunt, quæ occurrunt, sed nos puri liquoris meatus, et tramites aucupamur. Non me hypothetici et categorici syllogismorum modi intricant, non inania philosophorum sophismata decipiunt: ipsa faciem suam veritas aperit, fides despuit argumenta, crimen latebras, innocentia publicum quærit. Manu igitur ostendo, quod quæritur, tango reduvias, affirmo in istis reliquiis perfectam esse gratiam perfectamque virtutem. Hoc loco si res esset sermonum collisione pandenda, dicerem et genere, et specie, et numero idem esse; de quo ambigit infida calumnia dubitantis, nec dubitantis fortasse, sed non amantis. At vero cum totam fide teneam, supervacaneis supersedendum interim reor, sed videnda, non quærenda. Ecce incumbit immundi pollutique spiritus tortor, nec venit sub aspectu ille, qui torquet. Nulla sunt vincula, et ligatur ille qui patitur. Equuleum aeris habet ira cœlestis.

Nulla ungula est, et tanta sunt crimina confitentium; nullum vulnus apparet, et dentium stridor auditur, nulla interrogatio disceptantis, et sequitur permissio recedentis.

Nemo profecto, nemo tam inops mentis est ut dicat deesse plenitudini, cum examini nihil deesse videat. Deus enim proculdubio, Deus est, quisquis est invisibilium tortor et judex. Imperfecta natura nescit spiritum vulnerare. Interiora non judicat, nisi qui sanat. Non imperat elementis, nisi qui calcat sceptrum. Non tenet Trinitatem, nisi qui est in partibus integer, et totus in toto; sensus primus nullius adjectionis est indigus. Apostoli autem sanctique non solum additamenta non quærunt, sed etiam sanitatis, et salutis beneficia largiuntur.

Ergo unus sensus, unus spiritus, una est his cum veritate permixtio. Qui curat, et vivit; qui vivit in reliquiis est. Apostoli autem Martyresque medentur, et diluunt. In reliquiis igitur sunt totius vinculo æternitatis astricti. Omnem sectionem nubilum mortis infuscat. Nos satis superque Sanctos declaravimus partis damna non nosse. Residet ergo ut intelligamus, misericordiæ esse, non quæstionis, quod se justi omnibus largiuntur; qui amat, credit; qui credit, fidem in disputatore, et sacerdote, non verba rimatur. Unde si nostra cui sordebit oratio, studium certe neutiquam displicebit. Si quidem nos videbit, librum simplici fide exarasse, non verbis; cultu, non argumentis; veneratione, non curiositate. Amator veritatis est quisquis reverentiam detulerit; osor est, quisquis moverit quæstionem.

XII. Qua de re, Amantissimi, dum recens est turba sanctorum, incumbamus, et ex imis corporum venis suspiria proferamus. Adsunt advocati, delictorum nostrorum gesta oratione pandamus. Favent judices, possunt mitigare sententiam, quibus dictum est: *Sedebitis super duodecim tribunalia, judicabitis duodecim Tribus filiorum Israel* (*Matth.* XIX, 28). Semper judices, quia semper Apostoli. Sed me longius non tam dicendi studium, quam fidei traxit officium; immodica gratulatio tacere non novit. Lætitiæ detrimentum est, si desit auditor. Ergo si tacere in tanta exsultantium celebritate potuissem, crimen mœroris incurreram: Apostoli ac Martyres veniunt, Antistitem tacere non convenit. Eriguntur altaria, de gaudio Sacerdotis populus sumat exordium. Quis rogo, tam brutus? Quis tam profanus? quis tam legis et religionis ignarus, ut gaudia ista non sentiat? Si quis sæcularium principum nostram nunc viseret civitatem, protinus sertis spatia omnia redimita riderent, matres tecta complerent, portæ undam po-

[a] Naisus hic reponitur inter præcipuas civitates. Sita era in Thracia, diciturque patria fuisse Constantini M. Inter Epistolas papæ Innocentii I, una inscribitur ad Martianum Naisetanum episcopum.
[b] Mutius forte e Byzantio anno 211.
[c] Datysus, forte Dathus episcopus Ravennæ qui obiit 3 Julii c. an. 190.
[d] Chindeus, forsan presbyter Martyr in Pamphilia sub Diocletiano 11 Julii. De aliis superest inquirendum.
[e] In mss. legitur *Ragota*, quod errore amanuensis videtur factum.

puli moverent, omnis ætas in studium divisa, adoreas [*Id est* laudes], et bellica facta cantaret, paludamenti flammas ac Tyrium muricem miraretur, stuperet, Rubri pretium maris, et gelatas lacrymas belluarum: et quidem miranda si videas, contemnenda si cogites; denique lapides appellantur; hæc inquam, hiantem populum detinerent. At vero beatissimi, cum Martyrum triumphus, et pompa virtutum nostra tecta succedunt, cur non solvamur in gaudia? Nec deest quod miremur: pro regali amictu præsto est æterni luminis indumentum. Hic purpura, hic togæ liberæ sanctorum sunt, hic diademata variis gemmarum distincta luminibus, sapientiæ, intellectus, scientiæ, veritatis, consilii, fortitudinis, tolerantiæ, temperantiæ, justitiæ, prudentiæ, patientiæ, castitatis, istæ in lapidibus singulis sunt expressæ, scriptæque virtutes. Hic spiritalibus gemmis coronas Martyrum artifex Salvator ornavit. Ad has gemmas animarum vela tendamus, nihil in his fragile, nihil quod majus minuat, nihil quod sentiat detrimentum. Magis ac magis in specie florescunt; æternitatis insignia edita esse, etiam sanguis ostendit, qui ignem Spiritus sancti adhuc signat in ipsis corporibus reliquiisque membrorum. Gratulamur, carissimi, quoties videmus tenebras luce discussas. Cur non effusius in gaudia proruamus, cum cernamus salutarium, æternorumque luminum jubar allatum? Dies mihi videtur clarioris serenitatis sumpsisse lætitiam. Nec immerito, septuplo enim, ut dixi, Martyres sole sunt clariores. Sed nunc nobis, amantissimi, orandum est, non perorandum [*Hic deest in ms.* orandum], inquam, ut a nobis omnis diaboli impetus repellatur, qui clandestino lapsu nostrum pectus ingreditur. Firmate igitur, Sancti, vestros firmate cultores, ac petra angulari nostrum pectus instruite. Periculosus ac fortis est hostis, omnes aditus, omnes explorat ingressus. Sed nihil est verendum, grandis est occurrentium multitudo Sanctorum. Cum igitur nobis e cœlitum castris tantus militum et regum numerus advenerit, arripiamus arma justitiæ, prudentiæ, nos et fidei clypeo protegamus, non loricæ squamis, sed temperantiæ, et pudicitiæ laminis pectora muniamus. Dextris nostris fidei semper ac patientiæ tela vibremus. Mox feriamus, si quispiam pulsaverit inimicus. Talia dudum, talia Apostoli arma portarunt. His instructi, intemperantiæ, lasciviæ, cupiditatis, ambitionis, iræ quoque et superbiæ colla fregerunt.

Nihil itaque nobis misericordia Salvatoris, non arma, non præsidia denegavit. Unde etiam atque etiam providendum est ne nos velut oscitantes vitiorum torpor invadat, ne aut incredulitas fidei inimica subripiat, aut ira differat, aut cupiditas vexet, aut luctet ambitio. Libenter nobiscum nostri Martyres versabuntur, si ad eorum famulatum puram conscientiam deferamus. Si cui forte dura et ineluctabilis videtur ista militia, non abjiciat hastam, antequam classicum crepet, nec eum ante pugnam frigus mortis invadat. Nemo signa deserat

A Salvatoris. Dedit exemplum, mittit auxilia. Certa victoria est cum talibus commilitonibus, et cum Christo imperatore pugnare; tunc profecto in me splendebit galea Sacerdotis, si me in acie charitas vestra perspexerit; incendium gloriæ est, vobis spectantibus, vobis sequentibus dimicare. Tuta statio, et salutis munitissimus portus est fides inconcussa et constantia spiritalis. Bona vita nihil prodest, si nescias cui vivas. In altum rapiet turbo ventorum levem et incredulam mentem. Fides est quæ Sanctos vexit ad cœlum; fides est quæ flammas vertit in rorem, et in incendii globos salutare frigus immisit; fides est quæ fluctuantium undarum liquores sub ambulantum vestigiis solidavit; fides est quæ Martyres in exemplum mortis exhibet consecratos; fides est B quæ Confessorum animas munivit in certamine passionis; fides est quæ jejunas, et seras, et aridas escas in humilitate depascit; fides est quæ virginitatem, viduitatem, continentiam modesta integritate custodit; fides est quæ sustulit concupiscentiam corporalem et amorem imperii cœlestis ingessit; fides est quæ Domino per mortem crucis immortalitatem conjungit. Hæc per odia sæculi exhibet Domino coodibiles; hæc in carceribus confovet Confessores, teterrimo tenebrarum horrore conclusos, dumque in squalore sordibusque jactantur, ipsisque terrarum cubilibus transpunguntur, non somno liberi, quietem vel modici temporis capiunt. Dum ita per singulos dies omni tormentorum genere laniuntur; dum denique suppliciis multimodis urgentur, virtus proficit C ad coronam. Fides est quæ in his tot conflictationibus caram unitatem exhibet Deo, reddit vicem Christo, moriendo pro ipso. Sicut caput corporis mortuum est pro membris, ita pro capite membra moriuntur, ut sicut caput vivit, ita cum capite vivificentur membra. Hæc confirmat beatissimus Paulus: *Si commorimur Christo, et convivimus; si toleramus, et conregnamus.* Superest, amantissimi, ut et peccatorum nostrorum confessio subsequatur. Non quod divinæ potestates secessus animorum, et secreta non norint; sed facile elicit misericordiam judicantis non extorta confessio. Nullus sit, charissimi fratres, dies, quo non his fabulis moremur, ille Martyr sub tortore non impalluit, ille percussoris moras festinatione præcessit, ille flammas avidus bibit; ille sec- D tus est, sed integer stetit, ille felicem se dixit, cui contigit cruciari; ille inter manus carnificum, ne qua mora fieret properanti jussit redire fluminibus. Illa patris lacrymas doluit, ut filia, contempsit ut Martyr; illa irritatione iram leonis mortis avida concitavit; illa jejunante filio feris ubera plena porrexit: illa virgo monilia æternitatis ornamenta percussori colla subjecit. Millia sunt, charissimi fratres, exempla virtutum, quæ pagina sancta commemorat. Sed nos hortandi magis, quam docendi gratia carpsimus pauca de multis. Fidelibus enim pauca sufficiunt, infidelibus multa non prosunt. Non sunt sanctorum desideria differenda. Cur moramur? Divinis,

pateat aula Martyribus [a], jungantur reliquiæ; jungantur et gratiæ, in unum conveniant, primæ resurrectionis exordia. Interea confessio nostra subripiat. Indulgentia criminum est gratulatio potestatum. Haud immerito, charissimi fratres, basilicæ spatium cupidus ædificator arripui. Appetentiam meam sanctorum excusat adventus. Ipsi sibi aulam parari occulta desiderii mei ratione jusserunt. Sic est profecto, sic est. Nam fundamenta jecimus, pa- A rietes in longum duximus, et hodie discimus, quibus operis nostri crescebat intentio. Qua de re omnes sunt moræ castigatione pulsatæ, nihil me pigrum tardumque delectat. Juvat manibus volvere, et grandia humeris saxa portare. Sudorem meum bibat terra; atque utinam sanguinem biberet pro nomine Salvatoris! Sudorem interim bibat terra altaria susceptura. Si nos fideles Apostoli et Martyres nostri perspexerint, alios invitabunt.

[a] Inde liquet tractatum istum antequam reliquiæ in Ecclesia collocarentur fuisse prolatum; et ædificium nondum fuisse absolutum cum auctor illum consummavit.

De hoc opusculo vide quæ leguntur in Præf. T. II Op. S. Ambrosii; et in Mercur. Gallic. 1737, Martio pag. 546 et Septemb. p. 916.

ANNO DOMINI CCCCXVII.

PAMMACHIUS ET OCEANUS.

ALIQUOT EPISTOLÆ.

(Has adisis Epistolas inter Hieronymianas, tomo XXII nostræ Patrol., sub numeris XLVIII, XLIX, LVII, LXVI, LXIX, LXXXIII, LXXXIV, XCVII.)

ANNO DOMINI CCCCXVII.

INNOCENTIUS I PAPA.

PROLEGOMENA.

NOTITIÆ BIOGRAPHICÆ.

I.

(Ex libro pontificali, apud Labb. coll. Concil. t. II.)

Innocentius, natione Albanensis, ex patre Innocentio, sedit annis quindecim, mensibus duobus, diebus viginti uno. Hic constitutum fecit de omni Ecclesia, et de regulis monasteriorum, et de Judæis, et de paganis. Et multos Cataphrygas invenit, quos in exsilio monasterii relegavit. Hic invenit Pelagium et Cœlestium hæreticos, et damnavit eos. Et hoc constituit, ut qui natus fuerit de Christiana, denuo nasci debeat per baptismum, hoc est, baptizari, quod Pelagius damnabat. Eodem tempore dedicavit basilicam sanctorum Gervasii et Protasii ex devotione testamenti cujusdam illustris feminæ Vestinæ, laborantibus presbyteris Ursicino et Lopardo, ac diacono C Libyano. Quæ femina suprascripta testamenti paginam sic ordinavit, ut basilica sanctorum martyrum, ex ornamentis et margaritis, venditis justis existimationibus, construeretur. Et constructa est usque ad perfectum. In quo loco beatissimus Innocentius ex delegatione illustris feminæ Vestinæ titulum Romanum constituit. Et in eadem domo obtulit patenas argenteas duas, pensantes singulas libras 20; B amas argenteas duas, pensantes singulas libras 20; coronas argenteas 12, pensantes singulas libras 14; pharum cantharum unum, pensans libras 22; cerostrota argentea 4, pensantia singula libras 25; turrim argenteam cum patena, et columbam deauratam, pensantem libras 30. Ad ornatum baptisterii, cervum argenteum, fundentem aquam, pensantem libras 15; vas ad oleum chrismatis argenteum, pensans libras quinque; vas aliud ad oleum exorcizatum, pensans libras quinque; patenas duas ad chrisma, pensantes singulas libras tres; scyphum argenteum anaglyphum, pensantem libras decem; scyphum alium argenteum, pensantem libras decem; calices argenteos quinque, pensantes libras tres; calices argenteos baptismi numero tres, pensantes singulos l. 2; aquamaniles argenteos, pensantes libras 16; phara canthara ærea 16, pensantia singula libras decem; phara canthara ærea cerostrota in gremio basilicæ numero 20, pensantia singula libras 40; domos juxta basilicam Libyanam, præstantes solidos octoginta quinque et tremissem; balneum in eodem juxta templum Mamuri, præstans solidos 32; domos in clivum salutis balneatæ, præstantes solidos septem et tremissem: possessionem Sarras in Clusino territorio,

præstantem solidos 71 et tremissem; possessionem Corbianam in territorio Clusino, præstantem solidos 79; possessionem Fundanensem in territorio Fundano cum adjacentibus attiguis 15, præstantem solidos 181 et tremissem; possessionem Figlinam in territorio Casinate, præstantem solidos 58 et tremissem; possessionem Amandini, quam donavit illustris femina Vestina consobrinæ suæ in territorio Veientano, præstantem solidos 46 et tremissem; possessionem Antonianam in territorio Clodiano, præstantem solidos 62; domos Emeriti in clivo Mamuri, inter urbem Romam juxta basilicam, præstantes solidos 62; domos in clivum Patricii arbitrata. Domos juxta basilicam in vico longo, qui cognominatur ad lacum, præstantes solidos 82; domos ad cathedram lapideam Florianam, præstantes solidos 58; pistrinum in vico longo, qui cognominatur Castoriani, præstans solidos 61. Balneum in vico longo, qui cognominatur Templum, præstans solidos 40.... siliquas... 3.... uncias... portæ Nomentanæ, præstans solidos 22 et tremissem. Hic constituit sabbato jejunium celebrari, quia sabbato Dominus in sepulcro positus est, et discipuli jejunarunt. Hic constituit basilicam sanctæ Agnetis martyris, a presbyteris Leopardo et Paulino, sollicite ac digne gubernari et tegi et ornari. Et ex dispositione Vestinæ, tituli supradicti presbyteris est concessa potestas. Hic fecit ordinationes quatuor in urbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros triginta, diacones quindecim, episcopos per diversa loca 54. Qui etiam sepultus est in cœmeterio Priscillæ, ad ursum pileatum, v Kalendas Augusti. Et cessavit episcopatus die 22.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Innocentius. Cum post obitum Anastasii sedes pontificia dies viginti et unum vacasset, Innocentius Albanus creatus est Romanus pontifex xv kalend. Junii, anno Christi 402, Arcadii et Honorii 8. Cujus initio Martinus Turonensium episcopus ex hac vita migravit in cœlum: Chrysostomus a conciliabulo apud Quercum habito, opera et conatu Theophili relegatus, ab imperatore Arcadio vix revocatus, secundo exsulare jubetur, ideo quod contra ludos sæculares permissu Honorii imperatoris editos, ritusque gentilitios in dedicatione statuæ argenteæ Eudoxiæ imperatricis declamasset. Hanc enim ob rem Eudoxia, rursum acerrime irritata, per Theophilum Alexandrinum procurat, ut restitutus sedi, per imperatorem Arcadium denuo deponatur et relegetur; ut pote qui a synodo depositus, synodali dumtaxat sententia, juxta canonem Antiocheni conciliabuli duodecimum, restitui debuisset. Tertio anno exsilii jussu Arcadii ad votum adversariorum longius ablegatus, febri correptus, migravit ad Dominum anno 407, qui est Innocentii 6, Arcadius imperator, et Eudoxia imperatrix, aliive Chrysostomi persecutores, indignationem offensi numinis experti, paucis mensibus post obitum Chrysostomi præmature e vita tolluntur. Quando contigit magna illa urbis irruptio, indignatione Dei per Alaricum facta, pontifex, tamquam justus Lot e Sodomis subtractus, occulta Dei providentia Ravennæ detinebatur, *ne vir beatissimus*, inquit Orosius lib. vii, c. 39, *peccatoris populi excidium videret.* Hujus tempore in Africa celebrata est famosissima illa collatio inter catholicos et Donatistas diu expetita, sæpe tentata, numquam autem, resilientibus illis, effectu consummata, quam ad longum describit sanctus Augustinus in Brevi. Pelagius et Vigilantius hæresiarchæ sub hoc pontifice exorti, ejusdem judicio justam damnationis sententiam retulerunt. Filios parentibus fidelibus prognatos, non minore salutis necessitate baptizandos esse, quam ii qui infidelibus parentibus procreati sunt, contra dictum Pelagium recte quidem sustinuit, verum illud argumento eucharistiæ ab infantibus omnibus pari salutis necessitate sumendæ, non satis bene probavit. Vide notas epist. 25, infra.

Sedit annis quindecim, mensibus duobus. Annis quindecim, mense uno et diebus decem pontificatum tenuisse, initium et finis ejusdem demonstrant. Anno 417, qui est Honorii 23, et Theodosii 10, eum ex hac vita migrasse, ex vigesima sexta Innocentii, et quibusdam Zosimi epistolis, consulatu Honorii xi et Constantii ii consignatis, evidenter colligitur. Cum ergo præfati anno Christi 417 consules fuerint, natalis autem dies Innocentii v kalend. Augusti notatus esse reperiatur, ab exordio sedis hucusque computatione facta, prædictorum annorum mensium et dierum tempora inveniuntur. Baron. an. 417, num. 4.

Hic constitutum de omni Ecclesia. Id est decretum ad universalem Ecclesiam pertinens: illudque esse puto, quod Gennadius de Viris illustribus, cap. 43, describit his verbis: *Innocentius urbis Romanæ episcopus, scripsit decretum occidentalium ecclesiarum et orientalium adversus Pelagianos datum: quod postea successor ejus papa Zosimus Latinis promulgavit.* Cetera ejus decreta, de regulis monachorum, Judæis atque paganis, desiderantur. Baronius numero 5.

Pelagium et Cœlestium, etc. De qua condemnatione S. Prosper adversus Collatorem, ex verbis Zosimi papæ, hæc refert: *Constituimus in Pelagium et Cœlestium per venerabilem Innocentium de beatissimi apostoli sede prolatam manere sententiam, donec apertissima confessione fateantur gratiam Dei*, etc.

Baptizari, quod Pelagius damnabat. Pelagius epistola sua ad Innocentium scripta, ut habet August. de Peccato orig., cap. 17, conquestus est se calumniose hac in re infamari: *Dicit*, inquit Augustinus prædicto loco, *se ab hominibus infamari, quod negaret parvulis baptismi sacramentum, et absque redemptione Christi aliquibus regna cœlorum promittat.* Unde quod hic dicitur, Pelagium baptismum infantulorum negasse, sic accipiendum est, quod si non verbis, reipsa tamen damnasse videri poterat, dum peccatum originale, cujus gratia baptismus necessarius est infantibus, negaret. Hoc est quod ibidem subdit S. Augustinus: *Sed non sic illis hæc objiciuntur, ut posuit; nam neque parvulis negant baptismi sacramentum, neque absque redemptione Christi aliquibus regna cœlorum promittunt. Itaque unde se queritur infamari, eo modo proposuit, ut facile possit crimini objecto, salvo suo dogmate, respondere. Objicitur autem illis, quod non baptizatos parvulos nolunt damnationi primi hominis obnoxios confiteri, et in eos transisse originale peccatum regeneratione purgandum.* Baron. an. 417, num. 5.

Constituit sabbato jejunium celebrari. Hæc sic intellige, non quod Innocentius auctoritate hujus decreti primus jejunium sabbati instituerit, sed quod de his ad Decentium episcopum Eugubinum rescripserit, qui datis ad eum litteris causam hujus jejunii edoceri expetierat. Baron. ann. 417, num. 6. Vide notas can. apost. 65.

II.

(Ex Coustant. Epist. Rom. Pont. tom. I.)

Statim post Anastasii obitum, in ejus locum unanimi episcoporum, cleri, populique consensu suffectus est Innocentius. Istud anno 401, mensis Decembris 21 die, contigisse Anton. Pagius censet. Tam Græcorum quam Latinorum elogiis jure is papa exornatus fuit. Hunc primum persequi Novatianos cœ-

pisse, ac multas eis ecclesias ademisse Socrates, lib. VII, c. 9, auctor est. Singularem autem gloriam adeptus est constanti Joannis Chrysostomi defensione. Hanc deinde Antiochenæ aliarumque Orientalium ecclesiarum reconciliatione et pace non mediocriter auxit; ac postremo solemni Pelagianorum damnatione cumulavit. Quod cum anno 417, Januario exeunte, præstitisse cum litterarum ipsius auctoritate constet, cumque Zozimum ante mensem Aprilem ejusdem anni 417 Romanam Ecclesiam administrasse ex hujus papæ litteris non minus indubitatum sit; restat ut Innocentii mors anno 417 consignanda sit, et eo quidem intervallo, quod Januarium inter et Aprilem mensem interjicitur. Neque igitur hæc vel cum Julii 28 die, ut Baronius priscos pontificales libros secutus existimavit, vel cum die 21 Decembris, ut Bollando ex nonnullorum martyrologiorum fide placuit, componi potest. Illam in Martii 12 diem convenire erudite Norisius cardinalis] Hist. Pelag. pag. 71 approbavit, atque confirmavit Anton. Pagius ad annum 417, n. 5 et 6. Perspicua est ea de re martyrologiorum Bedæ, Adonis, Usuardi aliorumque auctoritas. Sed nihil adversus Baronii ac Bollandi opiniones desiderari evidentius aut certius potest testimonio Paschasini Lilibæi in Sicilia episcopi, qui quidem ad Leonem papam epist. 3 scribens, Zosimum anno 417, dum Pascha celebraretur, Romanæ ecclesiæ pontificatum gessisse diserte docet.

III.

(Ex Galland. Biblioth. Vet. Patr. tom. VIII.)

1. Anno 401 exeunte, Anastasio suffectus est Innocentius, *apostolicæ cathedræ et ejusdem Anastasii successor et filius*, inquit sanctus Hieronymus (*a*). Prospero dicitur *Petri sede dignissimus* (*b*) : ac Theodorito jure appellatur (*c*) ἀνὴρ ἀγχινοίᾳ καὶ συνέσει κοσμούμενος, *vir insigni solertia ac prudentia præditus :* mira sunt enim quæ in Ecclesiæ universalis regimine, sive pro fidei catholicæ defensione, sive pro ecclesiastica disciplina restituenda, sive pro Ecclesiarum unitate servanda, strenue ac viriliter gessit. Præclara ejus gesta præ cæteris solerti studio pro more contexuit Tillemontius (*d*). Ea vero summatim sic refert Coutantius(*e*): Innocentium persequi Novatianos primum cœpisse, ac multas eis Ecclesias ademisse, Socrates auctor est (*f*). Singularem autem gloriam adeptus est constanti Joannis Chrysostomi defensione. Hanc deinde Antiochenæ aliarumque orientalium Ecclesiarum reconciliatione et pace non mediocriter auxit; ac postremo solemni Pelagianorum damnatione cumulavit : quem propterea, ut cum Pagio concludamus (*g*), paulo post adeo egregium facinus, ex quo tantam nominis celebritatem consecutus est ut nulla ei accessio in posterum fieri posse videretur, Deus cœlo vindicavit, *ne quid post illud divinum immortale factum mortale faceret* : quæ sunt verba Plinii (*h*) ab eodem Pagio usurpata. Cæterum ipsius Innocentii elogium de sancti Augustini doctrina in Pelagianos a sinistris recentiorum interpretationibus vindicat doctissimus Norisius (*i*).

2. Neque illud prætereundum memoria dignum, quod Innocentio contigisse tradit Orosius (*j*) : anno videlicet 409 a Romanis ad Honorium imperatorem missum fuisse legatum summum antistitem, quo pacem cum Alarico sanciret : sed cum legatio in irritum cesserit, dum adhuc Ravennæ ageret sanctus pontifex, illum Gothorum regem insequente anno 410 Romam obsedisse eamque fuisse depopulatum. Qua de re ita laudatus Orosius : *Accidit quoque*, ait, *quo magis illa Urbis irruptio indignatione Dei acta, quam hostis fortitudine, probaretur, ut beatus Innocentius Romanæ Ecclesiæ episcopus, tamquam justus Lot subtractus a Sodomis, occulta providentia Dei apud Ravennam tunc positus, peccatoris populi non videret excidium.* Porro de eadem Urbis obsidione agens Zosimus Christianorum hostis infensissimus, narrat (*k*) permisisse Innocentium ut gentiles, imminente jam Romæ Alarico, per nuncupata diis suis vota barbarum hostem abigerent. Verum in Romanum pontificem a Zosimo illatam calumniam, ex Sozomeno (*l*) refellit magnus Baronius (*m*). De tempore autem hujus Innocentianæ legationis plura erudite observata videas apud Ballerinios (*n*).

3. Quod superest, Innocentius pontifex damnatis Pelagianis anno 417 exeunte Januario, ut ex ipsius epistolarum auctoritate comprobatur, mox eodem anno IV Idus Martii ad superos evocatur. Dies emortualis ex martyrologiorum Bedæ, Adonis, Usuardi aliorumque fide statuitur : mensis vero et ann s extra controversiam ponitur testimonio Paschasini Lilibæi in Sicilia episcopi, Zosimi papæ qui successit Innocentio, quondam clientis. Is enim hunc ipsum pontificem sedisse anno 417 tempore paschatis, diserte docet in epistola quam scripsit ad Sanctum Leonem, sic inquiens (*o*) : *Tempore beatæ recordationis domini mei, prædecessoris apostolatus vestri Zosimi, anno consulatus Honorii augusti* XI *et Constantii* II, *tunc enim, cum declinaretur, ne decimo Kalendas Maii dies paschæ teneretur, celebratum est octavo die Kalendas Aprilis.* Hujuscemodi autem notationem chronicam,

(*a*) Hieron., epist. 130 ad Demetr., § 16.
(*b*) Prosp., contr. Collat. cap. 5, § 3.
(*c*) Theod., Hist. eccl. lib. V, cap. 24.
(*d*) Tillem. Mem. eccl. tom. X, pag. 627, seqq.
(*e*) Coutant., Epist. Rom. Pontiff. pag. 737.
(*f*) Socrat., Hist. eccl. lib. VII, cap. 9.
(*g*) Pagi., ad ann. 417, § 4.
(*h*) Plin., Panegyr. Trajan. cap. 10.
(*i*) Noris., Vindic. August. cap. 6, opp. tom. I, p. 1157.
(*j*) Oros., Histor. lib. VII, cap. 39.
(*k*) Zosim., Hist. nov. lib. V, pag. 556, edit. Oxon. 1679.
(*l*) Sozom., Hist. eccl. lib. IX, cap. 6.
(*m*) Baron., ad ann. 409. § 7.
(*n*) Baller., ad opp. Noris. tom. IV, pagg. 851, seqq.
(*o*) Paschas., epist. inter Leonin. 3, § 2, pag. 610, edit. Baller.

primus observavit illustravitque vir sive dignitate, sive doctrina eminentissimus (*a*), quem alii deinceps sunt secuti. Illud demum singulare haud est prætermittendum, quod in Fastis *veteris marmorei ecclesiæ Neapolitanæ Kalendarii*, sancti Innocentii memoria recolitur cum martyris elogio, et præter morem consignatur die 24 Aprilis, cum in aliis liturgicis libris sive 12 Martii, sive 28 Julii, sive 21 Decembris inscribatur. Utramque vero difficultatem erudite, ut assolet, discutit cl. Mazochius (*b*), ad quem lectores remittimus.

4. Porro tanti pontificis epistolas 42 quibus intexuntur aliæ 7 ad ipsum scriptæ sive ad ipsius gesta pertinentes, studiose recensuit eruditisque notis edisseruit Coutantius v. c., cujus proinde exemplar, ut sæpe alias, typis expressimus. Quandoquidem vero de Innocentii scriptis mentio recurrit, præstat in medium adducere quod refert Gennadius his verbis (*c*) : *Innocentius, urbis Romæ episcopus, scripsit decretum occidentalium Ecclesiarum et orientalium adversus Pelagianos datum, quod postea successor ejus papa Zosimus latius, promulgavit.* Ad quem locum hæc observat Norisius (*d*) : « Nescio, inquit, quid orientalis Ecclesia ante Innocentii decretum statuerit contra Pelagianos. In sola synodo Diospolitana eorum causa agitata est : in quo judicio Pelagius absolutus fuit, licet reapse coactus fuerit ad errores objectos anathematizandos : quod sexcenties Pelagianis Augustinus exprobrat. Sane Innocentius noluit approbare acta synodi Palæstinæ: *Unde*, inquit (*e*), *non possumus illorum nec culpare, nec approbare judicium ; cum nesciamus, utrum vera sint gesta, aut, si vera sunt, illum* (Pelagium scilicet) *constet magis subterfugisse, quam se tota veritate purgasse.* Photius scribit (*f*), Pelagianos in Oriente ab Alexandrina ecclesia fuisse damnatos : *Ejecti sunt*, inquit, *qui ita senserunt ex ecclesia velut hæretici temporibus Theophili Alexandrini et Innocentii Romani episcopi.* Errat Photius : nam Theophilus *lethargo correptus obiit consulatu Honorii* IX *et Theodosii* V, *die 15 Octobris* ex Socrate (*g*) anno scilicet 441. At eo anno adhuc Pelagiana hæresis latebat, neque usquam præterquam Carthagine, insonuerat. Præterea cum Valerianus servus Pelagianus Alexandriam se recepisset, Eusebius Cyrillum Theophili nepotem monuit, ne hæretico locum daret, cum a cæteris orientalibus Pelagiani expellerentur : *Quomodo nunc*, inquit, *cum beatæ memoriæ Innocentius Pelagium Cœlestiumque cum suis capitibus condemnarit, cunctis eos abjicientibus orientalibus Alexandrina Ecclesia in communionem receperit; quæ sola et prima inter comprovinciales suos tales refutare debuerat.* Nihil hic de lata a Theophilo in Pelagianos sententia dicit : quod tamen nepoti avunculi decretorum ad reprehensionem usque in causa Chrysostomi tenacissimo inculcandum fuerat. Hinc patet, ecclesiam Orientalem tempore Theophili nihil statuisse contra Pelagianos : unde deceptus est Vossius (*h*) qui Theophilum inter Pelagii damnatores numerat. Photii testimonio deceptus. » Hæc aliaque plura in locum Gennadianum vir doctissimus. Verum in ea quæ hic tradit Norisius de Photii testimonio deque Eusebii epistola ad Cyrillum Alexandrinum, consulendi eruditissimi Ballerinii (*i*) ; qui haud errasse Photium demonstrant, atque post Tillemontium illius Eusebii epistolæ sinceritatem in dubitationem adducunt.

(*a*) Noris., Hist. Pelag. lib. I, cap. 11, opp. tom. I, pag. 3.
(*b*) Mazoch., Comment. in vet. marm. eccl. Neapol. Kalend. tom. I, pagg. 229, seqq.
(*c*) Gennad., lib. de Vir. illust., cap. 43.
(*d*) Noris., l. c. pag. 114.
(*e*) Innoc. epist. 31, § 4, infra, pag. 605, b.
(*f*) Phot., Bibl. cod. LIV.
(*g*) Socrat., Hist. eccl. lib. VII, cap. 7.
(*h*) Voss. Hist. Pelag. lib. I, cap. 39.
(*i*) Baller., ad tom. IV opp. Noris. Observ., lib. I, cap. 5, §§ 4 et 5, pag. 866.

S. INNOCENTII I PAPÆ
EPISTOLÆ ET DECRETA.

[a] EPISTOLA I,

INNOCENTII PAPÆ I AD ANYSIUM THESSALONICENSEM EPISCOPUM.

Anysio Innocentius eam in Illyrici Ecclesias potestatem confirmat, quam Anastasius ejusque decessores ipsi concesserant.

Dilectissimo fratri ANYSIO INNOCENTIUS.

Cum Deus noster Christus sanctæ memoriæ virum Anastasium episcopum, licet celeriter, ad se vocare dignatus sit; computans ejus merita tanta esse ac talia, ut jam excederent conversationis humanæ consortium, sæculumque illud, præ vitæ puritate et abundantia doctrinæ, qua populum Dei toto ecclesiasticæ auctoritatis rigore regebat : ne ejus Ecclesia aliquantulum sine rectoris gubernaculo remaneret, statim pro sua misericordia, consentientibus sanctis sacerdotibus omnique clero ac populo cum pace, quam Deus Ecclesiæ suæ rediens ad cœlum

[a] Ex iis est, quas synodi Romanæ sub Bonifacio II gestis insertas Holstenius in prima parte Collectionis Romanæ vulgavit. Cum Innocentius litteras istas episcopatus sui, quem *statim* ab Anastasii obitu iniit, *primitias* vocet ; eas circa mensem Maium anni 402 scriptas fuisse non immerito colligamus.

donare dignatus est, ordinatum me in ejus locum, frater charissime, par fuit recognoscere (*f.* te cognoscere); primitiasque meas nonnisi viro [a] optimo atque in Deo semper fideliter laboranti celeriter nuntiare (*V. epist.* 2 *Nicolai* I). Cui etiam anteriores tanti ac tales viri prædecessores mei episcopi, id est, sanctæ memoriæ Damasus, Siricius atque supra memoratus vir ita detulerunt, ut omnia, quæ in illis partibus gererentur, sanctitati tuæ, quæ plena justitiæ est, traderent cognoscenda; meam quoque parvitatem hoc tenere judicium, eamdemque habere voluntatem, te decet recognoscere. Neque enim fas erat, ut aut ego contra tantorum bonorum virorum judicium venire tentarem, quorum in locum successisse dignoscor, aut tuo merito, cui præclari viri tantam gratiam auctoritatis hujusce contulisse videntur, aliquid derogari videretur. Præ me itaque fero, ut hoc ipsum etiam meæ parvitati reservatum recognoscam, ut pari judicio similique forma et bonis adæque et tuæ charitati id tribuam quod mereris.

MONITUM IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

1. *Veritatem ejus dubiam non faciunt, quæ in ea ex Siricio descripta sunt.* — Ex epistola 4 Siricii multa in hac describuntur. Verum, ut observavit Tillemontius, id minime mirum videri debet, cum Innocentius a Victricio rogatus ut regulas in Ecclesia Romana servari solitas sibi traderet, id felicius præstare, quam decessorum decreta exscribendo, nequiverit. Hinc itaque nulla habetur idonea ratio, cur aut prædicta epistola Siricio, aut hæc Innocentio abrogetur. Neque leviora sunt momenta, quæ hanc Innocentio, quam fuerunt quæ illam Siricio adjudicant. A concilio Turonensi II, c. 20, a Cresconio in breviar. can. passim, a Zacharia papa apud Sirm. to. I Concil. Gall. epist. 9, c. 14 et 20, sub illius nomine laudatur. Præterea e veteribus collectionibus, quas bene multas recognovimus, in nulla desideratur, in nulla non exhibetur Innocentio inscripta. Hanc ipsi adscribunt exemplar Corbeiense Vigilii papæ temporibus descriptum, Colbertinum majusculis litteris Langobardicis exaratum, vetus canonum Codex a Quesnello vulgatus, Dionysianæ collectionis Hadrianæque exemplaria, necnon collectio Hispana, Isidoriana, et aliæ plures.

2. *In annum* 405 *rejiciendam non esse.* — In his omnibus collectionibus (si Dionysianam excipias, in qua omittitur nota consularis) idem omnino est epistolæ finis ac summo consensu consignatur *Honorio aug.* VI *et Aristeneto conss.* Hinc nullus relinquitur locus eruditi viri conjecturæ, qua huic Innocentii epistolæ notam illam consularem ab alio adjectam esse, aut certe *post consulatum Honorii*, etc., legendum esse suspicatur. Ut enim ei largiamur voces *post consulatum*, quæ primis litteris *P. C.* ab antiquariis exprimi solent, excidere facile potuisse; eo sane casu in aliquo saltem vetere codice *Honorii et Aristeneti*, non *Honorio et Aristeneto*, fuisset retentum, nec in ullo vocabulum *conss.* addi debuisset. Neque magis conjecturæ illius concedere cogemur, si quid causæ sit cur epistolam hanc anno 405, potius quam 404 scriptam putet, expendamus. Nempe unis movetur num. 5 verbis, quibus commemorat Innocentius quæ curialium causa, imperatore præsente, et Victricio, secum posito pertulerit. Unde et sequi existimat, ut non modo postquam in urbem venisset imperator, sed et postquam Victricius Roma Rotomagum rediisset, hæc epistola scripta sit. Atqui, inquit, Honorius imperator anno dumtaxat 403, mense Decembri Romam venit, nec eo antea, ut ex Claudiani poemate colligitur, venerat: Victricius autem tam exiguo intervallo, quod ab imperatoris in urbem adventu ad 15 Februarii diem anni 404 excurrit, Roma Rotomagum redire, atque inde litteras ad Innocentium mittere, ita ut ei ante redderentur, non valuit. Ex quo litteras illas non Honorio augusto consule, sed post consulatum Honorii augusti, hoc est anno 405, non 404, datas esse concludit. Sed si ob factum, cujus nulla habetur notitia certa, tot et tam diversis tamque antiquis titulis fidem negare liceat, quid in historia erit certi? Esto igitur, Honorius exeunte anno 403 Romam venerit, atque in urbe tunc temporis exstiterit Victricius: ut eumdem episcopum prius, quam has Innocentii litteras acciperet, Rotomagum rediisse simul assentiamus, quid cogit? Nullum Innocentius Victricii nomine ad se missum, nullas illius litteras sibi redditas memorat. Verum, inquit vir eruditus, verbum *misi*, quo in exordio utitur Innocentius, absentem innuit. At si absentem, non certe Rotomagum reversum, non Roma egressum sonat. Quid enim prohibet quominus Victricius Roma abscessurus, dum vale Innocentio diceret, regularum ecclesiasticarum librum ab eo postularit, atque is ad manum tum non habens librum, illum quam primum concinnari, et Victricio ante illius ex urbe discessum tradi curarit. Neque vero opus est ut procul a nobis sint, ad quos aliquid mittere dicimur. Quotidie sibi mutuo mittunt amici, etiam ejusdem urbis mœnibus contenti, munuscula, libros, litteras, etc. Cujus rei exemplo sint Damasus et Hieronymus, supra p. 579 et seqq.

. *Regularum liber appellatur. Capitulorum divisio.* — Porro memoratus regularum liber non alius existimandus videtur ab hac ipsa epistola, utpote in qua Innocentius pauca præfatus, plura disciplinæ capitula, quibus Ecclesiæ regendæ sint, explicat. Hæc autem capitula plerisque in mss. tametsi non in omnibus, præmissis titulis sigillatim exhibentur. Sed neque in illis hæc capitulorum divisio seu summa una et eadem est, verum pro eorum, qui pontificias epistolas collegerunt, ingenio et arbitrio diversa. Cæteris autem amplior est ea, quam Codicis a Quesnello vulgati exhibent exemplaria. Quocirca unam illam hic repræsentare satis haberemus, nisi ei alteram ex Dionysii Exigui collectione, cui et Hispana, unde descripta est Isidoriana, pene in omnibus concinit, adjicere operæ pretium esset. Cum enim Cresconius aliique canonum collectores Romanorum pontificum decreta secundum titulorum divisionem a Dionysio concinnatam citare soleant, ut eorum comperiantur citationes, prænosse necesse est quæ illa sit divisio. Atqui Dionysius Exiguus novem ac viginti titulis comprehendit omnia quæ ex Innocentio collegit decreta, inter quæ primum locum obtinet hujus papæ ad Decentium epistola titulis octo distincta. Tum hanc excipit ista ad Victricium, quam in duodecim titulos partitur. Quocirca primum epistolæ hujus decretum apud Dionysium titulus 9 et ultimum titulus 20 appellatur, ut infra videre est.

4. *Leges, quæ curiales a curia migrare prohibebant.* — In illis autem decretis id maxime, quod cap. 11 de curialibus dicitur, quia et in aliis aliorum pontificum epistolis ejusdem rei identidem incidet mentio, paulo hic latius, quam in annotationibus licet, opus est explicare. Curiales seu decuriones dicebantur, qui magistratibus atque officiis fungebantur municipalibus. De illis Majorianus imp., novellæ 1 initio, ita loquitur: « Curiales nervos esse

[a] Idem Anysius a Palladio in dialogo de Vita Chrysostomi, cap. 3, *optimi senis* τοῦ καλογήρου encomio donatur. Ibi et memoratur Eulysio Apameæ Bithyniæ episcopo, qui quindecim episcoporum litteras in gratiam Chrysostomi Romam deferebat, suas etiam tradidisse.

reipublicæ ac viscera civitatum nullus ignorat: quorum cœtum recte appellavit antiquitas minorem Senatum. » Sed, ut idem imperator observat, judices seu rectores provinciarum iniquis exactionibus suis multos eo redigebant, ut patriam desererent. Ad curiales pertinebat tributorum, ædificiorum, munerum seu ludorum publicorum, etc., cura. Quapropter severæ erant Imperatorum leges, quibus nemo a curia, nisi omnibus curiæ suæ officiis esset functus, liberari permittebatur. Constantinus imperator sanxit (*Cod. Th. lib.* XII, *tit.* 1, *leg.* 11): « Nemo judex civilium munerum vacationem cuiquam præstare curiali conetur, vel aliquem suo arbitrio de curia liberet: » Ex iis etiam, qui relictis curiis ad militiæ præsidia confugiunt, « omnes qui nondum primipilo inveniuntur obnoxii, solutos militia ad curiam reverti » præcipit (*Leg.* 1). Item constituit (*Leg.* 12), ut interpres Anianus loquitur, « quicumque curialis de ea, in qua natus est, civitate ad aliam transire voluerit, conditionem curiæ debitam nullatenus... nec ullo argumento necessitatis, aut servitia civitatis suæ, pro eo quod civitatem mutare voluit, possit evadere. » Alia quoque lege (*Leg.* 20) jubet, « nullum curialem, nisi omnibus curiæ officiis per ordinem actis (addit Anianus, *quæ patriæ* debentur), curatoris aut defensoris officium debere suscipere. » Neque major erat Imperatorum erga eos, qui ad clerum a curia migrabant, indulgentia. Ambrosius, epist. 41, ad Theodosium imp., n. 29, hac de re cum illo sibi expostulandum duxit in hunc modum: « Quomodo excusabo apud episcopos, qui nunc, quia per triginta et innumeros annos presbyteri quidam gradu functi vel ministri Ecclesiæ retrahuntur a munere sacro, et curiæ deputantur, graviter gemunt? » Et eo quidem æquior erat illa expostulatio, quod antea (*Leg.* 13) Constantinus curias admoneri voluisset, ut eos tantum deinceps « ad curiam retrahant, quos intra viginti stipendia in officiis deprehenderint vel originem defugisse, vel spreta nominatione militiæ se inseruisse. » Immo Julianus postea edixerat (*Leg.* 56): Qui nati origine curiali militare munus adamaverunt, ubi decem annorum stipendia confecta sunt, jussionum nostrarum auctoritate erunt curia immunes.

5. *Qua conditione curiales clero nomen dare permittebantur.* — Curiales non ita removebantur a clero, ut omnis ad eum aditus ipsis intercluderetur. Illis Valentinianus ac Valens clero nomen dare quadam conditione permittunt, quam lege anno 364, Septembris 10 die, data, sic explicant (*Leg.* 59): « Qui partes eligit Ecclesiæ, aut in propinquum bona propria conferendo, eum pro se faciat curialem, aut facultatibus curiæ cedat quam reliquit, ex necessitate revocando eo, qui neutrum fecit: » hoc est, ita ut omnino ad curiam revocandus sit, qui bona sua vel propinquo vel curiæ suæ non cessit. Eadem de re exstat et hæc Theodosii anno 383, Novembris 7 die, consignata constitutio (*Leg.* 104): « Curiales, qui ecclesiis malunt servire quam curiis, si volunt esse quod simulant, contemnant illa quæ subtrahunt. Nec enim eos aliter, nisi contemptis patrimoniis, liberamus. » Quo respexit Ambrosius, cum epist. 18, ad Valentinianum, n. 13, scripsit: « Si privilegium quærat sacerdos, ut onus curiale declinet; patriæ atque avita et omnium facultatum possessione cedendum est. » Paulo indulgentior fuerat Constantius: siquidem anno 361, Augusti 29 die, primum in episcoporum gratiam decrevit (*Leg.* 49): « Episcopum solum facultates suas curiæ, sicut ante fuerat constitutum, nullus adigat mancipare. » Deinde illos eodem privilegio gaudere vult, « qui ad presbyterorum gradus, diaconum etiam seu subdiaconum cæterorumque pervenerint assistente curia, atque sub obtutu judicis promente consensum... maxime si totius populi vocibus expetantur. » Alioquin illos substantiæ suæ portiones vel propinquis suis ad curialia obsequia subrogatis, vel curiæ ab iis tradi

A præcipit; sed tertiam ipsis reservat. De iis autem, qui præmissis conditionibus defuissent, videtur dictum quod in ejusdem constitutionis fine adjicitur: « Si præpositi horreorum, iique qui suscepturi sunt magistratum, præpositi etiam pacis seu susceptores diversarum specierum ad Ecclesiam (hoc est ad Ecclesiæ ministerium) crediderint aspirandum, postquam officia impositæ sollicitudinis aut honoris aggressi sunt; ipsos primum antistites supernæ legis conveniet reluctari, ipsisque primum adnitentibus ad eadem munia revocari: aut si hoc neglexerint, a curialibus, judicio officii suffragante, retrahendi. » Immo Arcadius de patris lege derogans, constitutionem edidit anno 398, 27 Julii die, consignatam, et Cod. Justin., lib. I, tit. 3, leg. 12, relatam, qua curialem, si clericus fuerit ordinatus, conventione præmissa statim reddi jubet: « Clericis enim, inquit, ulterius legem prodesse non patimur, quæ cessione patrimonii subsecuta, decuriones clericos esse non vetabat. » B Hoc tamen de solis minoribus clericis dictum esse probat quod idem imperator anno 399 exeunte constituit (*Leg.* 163): « Si qui ex secundo patris nostri consulatu curiam relinquentes, clericorum se consortio manciparunt, si jam episcopi, vel presbyteri, diaconive esse meruerunt, in sacris quidem et secretioribus mysteriis perseverent; sed aut substitutos curiæ offerre cogantur, aut juxta legem dudum latam tradant curiæ facultates. Residui omnes, lectores, subdiaconi, vel clerici quibus clericorum privilegia non debentur, debitis mox patriæ muneribus præsententur. » Tot igitur tamque diversis legibus non deerat judicibus occasio, qua curiales in clerum adscitos importune repeterent, indeque præsulibus ecclesiarum molestiam crearent.

EPISTOLA II.

E veteri exemplari Colbertino, not. 932.

C I. *Ut extra conscientiam metropolitani episcopi nullus episcoporum audeat ordinare.* — II. *Ut post remissionem peccatorum non admittatur ad clerum qui cingulum militiæ habere elegerit.* — III. *Ut omnes contentiones vel causæ inter clericos cujuslibet ordinis exortæ, coram provincialibus, id est suis episcopis, terminentur. Ut majores causæ ad sedem apostolicam post episcopale judicium referantur.* — IV. *Ut clericus virginem uxorem accipiat.* — V. *Ut laicus sive ante baptismum, sive post baptismum, si viduam uxorem acceperit, non admittatur ad clerum.* — VI. *Ut qui secundam duxerit uxorem, clericus ordinari non debeat, etsi ante baptismum (tale) fuerit sortitus connubium.* — VII. *Ut de aliena ecclesia clericum ordinare nullus usurpet.* — VIII. *Ut venientes a Novatianis vel Montensibus baptizati per* D *manus tantum impositionem suscipiantur.* — IX. *Ut sacerdotes et levitæ cum uxoribus suis non coeant.* — X. *Ut monachus si ad clericatus ordinem niti voluerit, a priori proposito, quod monachus gessit, non debeat deviare.* — XI. *Ut qui corruptus ad clericatum venire voluerit, spondeat se secundum veterum regulam uxorem non ducere.* — XII. *Ut curiales vel quibuslibet functionibus occupati, clerici non fiant.* — XIII. *Ut ancillæ Dei velatæ, si publice nubendo vel occulte se corruptioni tradiderint, non admittantur ad pænitentiam, nisi cui se junxerant de sæculo recesserit.* — XIV. *Ut ancillæ Dei, necdum sacratæ, si post nubere voluerint, ad pænitentiam recipiantur.*

E veteribus collectionis Dionysii Exigui codicibus. IX. *Quod extra conscientiam metropolitani non ordinetur episcopus.*—X. [a] *Qui ad clerum suscipi non possint. Et ut clericorum causæ a propriis terminentur episcopis.* —XI [b] *Ut viduam clericus non ducat uxorem.*—XII. *Ut si laicus viduam duxerit, clericus non fiat.* — XIII. *Qui secundam habuerit uxorem, clericus non sit.* — XIV. *Ut alterius clericum nullus usurpet episcopus ordinare.* — XV. *Ut non rebaptizentur qui ad Ecclesiam a Novatianis vel Montensibus veniunt.* — XVI. *Quod sacerdotes et levitæ cum mulieribus coire non debeant.* — XVII. *Quod monachus, si clericus factus fuerit,* [c] *uxorem non ducat.* — XVIII. *Ut ex curialibus clericus non fiat propter voluptates quas a diabolo inventas exhibere compellitur.* — XIX. *De virginibus* [d] *velatis, si deviaverint.* — XX. *De virginibus non velatis, si deviaverint.*

INNOCENTIUS [e] VICTRICIO episcopo Rotomagensi, salutem.

1. Etsi tibi, frater charissime, pro merito et honore sacerdotii quo plurimum polles, vivendi et docendi [f] ecclesiasticæ regulæ nota sunt omnia, neque est aliquid, quod de sacris lectionibus tibi minus collectum esse videatur; tamen quia Romanæ Ecclesiæ normam [g] atque auctoritatem magnopere postulasti, voluntati tuæ morem admodum gerens, digestas vitæ et morum probabilium disciplinas annexas litteris meis misi, per quas advertant Ecclesiarum regionis vestræ populi, quibus [h] rebus et regulis Christianorum vita in sua cujusque professione debeat contineri, qualisque servetur in urbis Romæ ecclesiis disciplina. Erit dilectionis tuæ, per plebes finitimas, et consacerdotes nostros qui in illis

A regionibus propriis ecclesiis præsident, regularum hunc librum quasi didascalicum atque monitorem sedulo insinuare; ut et nostros cognoscere, et ad fidem confluentium mores valeant docendi sedulitate formare. Aut enim propositum suum ex hac nostra congruenti lectione cognoscent, aut si quid adhuc desideratur, facile poterunt ex bona imitatione supplere.

2. *Apostolatus et episcopatus exordium a Petro.* — Incipiamus igitur, adjuvante [i] sancto apostolo Petro, per quem et apostolatus et episcopatus in Christo cœpit exordium, ut quoniam sæpe plures emerserunt causæ, quæ in aliquantis non erant causæ, sed crimina, ut de cætero sollicitudo sit unicuique sacerdoti in sua Ecclesia curam hujusmodi habere, B sicut apostolus prædicat Paulus (*Ephes.* v, 27), talem Ecclesiam Deo exhibendam, non habentem maculam aut rugam, ne alicujus morbidæ ovis afflatu conscientia nostra contaminata violetur. Propter eos igitur, qui vel ignorantia vel desidia non tenent ecclesiasticam disciplinam, et multa non præsumenda præsumunt, recte postulasti, ut in illis partibus istiusmodi, quam tenet ecclesia Romana, forma servetur. Non quo nova præcepta aliqua imperentur, sed ea, quæ per desidiam aliquorum neglecta sunt, ab omnibus observari cupiamus, quæ tamen apostolica et patrum traditione sunt constituta. Scriptum est namque [j] ad Thessalonicenses, Paulo monente (II *Thess.* II, 14): *State, et tenete traditiones nostras, quas tradidi vobis sive per verbum, sive per epistolam.* C Illud certe tuam debet mentem vehementius excitare, ut ab omni labe sæculi istius immunis, ante Dei conspectum securus inveniaris. Cui multum enim creditur, plus ab eo exigitur (*Luc.* XII, 48), [k] usura pœnarum. Ergo quoniam non pro nobis tan-

[a] In Hispana collectione et apud Isidorum, II: *De his qui post baptismum cingulum militiæ secularis acceperunt, non debere ad clericatus ordinem admitti.* III: *De causis clericorum quæ in provincia juste non finiuntur, ut ab apostolica sede terminentur.* In pervetusto exemplari Corb., IV: *De his qui post remissionem peccatorum cingulum militiæ sæcularis habuerint.* V: *Ne ulli liceat ad aliam convocare Ecclesiam.*

[b] Isid. cum Hispana coll., IV: *De uxoribus clericorum, ut virginibus socientur, et secundam non ducant uxorem.* Corb. ms., VI: *De clericis, ut non ducant mulieres uxores.* VII: *De his qui mulieres ducent uxores: ea mulieris* nomine intellecta, quæ non virgo sit. Quo intellectu vocabulum idem a Siricio epist. 1 usurpatum vidimus.

[c] Ita purum Dionysii exemplar Regium. Alia vero subinde aucta, quibus Isid. et Hisp. coll. concinunt, *propositum suum servare debeat.*

[d] In Hisp. col. et Isid., *De virginibus sacratis, si lapsæ fuerint.* In vetust mo ms. Corb., *De puellis sanctimonialibus, qualiter debeant velari.*

[e] Nonnullis in mss., *Victorio*; in quibusdam, ut apud Merlin., *Victorico*; in aliis, *Victoricio*; in Regio, *Victoritio*; in cæteris, *Victricio*. Is Victricius quanti meriti fuerit, Paulinus Nolanus episcopus duabus litteris ad ipsum scriptis memoriæ commendavit.

[f] Unus codex Colb. et alter Fossat. cum edit. Rom. et Quesn., ut in margine Crab., *secundum ecclesiasticas regulas*, refragantibus aliis plus viginti mss. Hoc autem sibi vult: Etsi tibi nota sunt omnia docendi ac vivendi præcepta, quæ regula ecclesiastica continentur.

[g] In pervetusto ms. Corb., et ex eo Sirm. et Lab., *normam ad auctoritatem*; lectio non spernenda, eo fere intellectu, quo concilium Carthaginense infra, epist. 26, n. 1, ad ipsum Innocentium de statutis suis ad eum referre se scribit, ut iis *etiam apostolicæ sedis adhibeatur auctoritas.*

[h] Codex Corb. cum Fossat., *quibus et regulis*; unus Colb., *quibus regulis*, omisso *rebus*.

D [i] Merlin., Crab. et edit. Rom. cum solis coll. Hispan. et Isid. mss., *adjuvante Deo et sancto Dei apostolo.* Quod Innocentius hic docet, pro certo habens Cæsarius Arelatensis, Symmacho papæ epist. 14, n. 2, ita scribit: *Sicut a persona beati Petri apostoli episcopatus sumpsit initium, ita necesse est ut disciplinis competentibus sanctitas vestra singulis ecclesiis quid observare debeant, evidenter ostendat.*

[j] Antiquiores mss. Colb., Fossat. et Corb., *ad Timotheum*; sed in hoc secundis curis restitutum est *ad Thessalonicenses.* In priscis edit. Concil., ut in mss. coll. Hadr. et Hispan., legitur *ad Thessalonicenses II, et ad Timotheum.* Mox veteres edit. Concil. cum Rom., *tradidimus*, pro *tradidi*, renitentibus mss.

[k] Verba hæc, *usura pœnarum*, in mss. Colb., Dion., Hadr., Hispan., Isid., nec non in plerisque edit., ut et apud Siricium, desiderantur. Exstant autem apud Sirm., Lab. et Quesn., ut in vetustioribus mss. duobus Colb., uno Corb. et Fossat., necnon secundis curis in Coislin. coll. Hispan.

tum, sed pro populo Christi [a] cogimur præstare rationem, [b] disciplinam deificam populum erudire debemus. [c] Exstiterunt enim nonnulli qui, statuta majorum non tenentes, castitatem Ecclesiæ sua præsumptione violarent, populi favorem sequentes, et Dei judicium non timentes. Ergo ne silentio nostro existimemur his præbere consensum, dicente Domino [d] (*Psal.* XLIX, 18) : *Videbas furem et currebas cum eo;* hæc sunt quæ deinceps, intuitu divini judicii, omnem catholicum episcopum expedit custodire.

CAP. I. — 3. Primum, ut extra conscientiam metropolitani episcopi nullus audeat ordinare [e] (*Dist.* LXIV, *c.* 5); integrum enim est judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur : [f] nec unus episcopus ordinare præsumat; ne furtivum beneficium præstitum videatur. Hoc enim et in synodo Nicæna constitutum est, atque definitum.

CAP. II. — 4. Item (*Dist.* LVI, *c.* 61) si quis post remissionem peccatorum [g] cingulum militiæ sæcularis habuerit, ad clericatum omnino admitti non debet.

CAP. III.— 5. Si quæ autem causæ vel contentiones inter clericos [h] tam superioris ordinis, quam etiam inferioris, fuerint exortæ (3, *q.* 6, *c.* 14), ut, secundum synodum Nicænam, congregatis ejusdem provinciæ episcopis jurgium terminetur, nec alicui liceat (sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, [i] cui in omnibus causis debet reverentia custodiri), relictis his sacerdotibus qui in eadem provincia Dei

[a] Apud Siric., *populo credito*, quod in edit. Rom. post Crab. prælatum est, refragantibus aliis libris.

[b] Ita vetus codex Corb. cum Fossat. In duobus autem Corb., *disciplinam dominicam*. Alius item Colb. cum Reg. cod. Dion. et edit Rom., *disciplina deifica*. Apud Crab., *idcirco disciplinam Dei deificam*. In mss. coll. Hadr., *disciplina sanctifica*, corrupte. Unde in Corb. secundis curis substitutum est *disciplina sanctificare*, quod et in mss. coll. Hispan. et Isid. obtinuit. Hinc manifestum est sinceram non esse istam Merlini lectionem, quam et Quesn. arripuit : *Idcirco disciplina Dei sanctificare populum et erudire debemus*.

[c] Sic Sirm. et Lab. secundum Dion., Hadr. ac potiores mss. At veteres edit. Concil. necnon Rom. et Quesn. cum mss. coll. Hisp. et Isid., *Quosdam enim asseris exstitisse;* quæ lectio, etiamsi rejicienda non esset, quomodo firmet quod vult vir eruditus, scil. Innocentium non ad ea quæ Victricius Romæ præsens sibi dixisset, sed ad ea quæ post discessum ex Urbe scripsisset, respondere, prorsus nos fugit. Cum enim *asseris*, non *scribis*, præferat, per se non scripta procul missa, sed quæ potius coram dicta sint sonat. Verum cum vetustiorum mss. careat auctoritate, Innocentio adscititia jure credatur.

[d] In ms. Corb. coll. Hadr. ab antiqua manu additum est *per prophetam*, quod deinde in coll. Hispan. et Isid. necnon apud Merlin., Crab. et Quesn. obtinuit.

[e] In edit. Rom. necnon Concil. et Quesn., post mss. coll. Hispan. et Isid., hic additur *episcopum*, quæ vox a coll. Dion. et Hadr. aliisque antiquioribus ut apud Siricium abest. Tantum in uno e vetustis illis mss., *metropolitani episcopum* loco *metropolitani episcopi*, legimus. Jam observavimus Innocentium Siricii verba ita mutuari, ut ea ad disciplinam in Galliis servandam accommodet; nec quod ille Italis præscripserat, *ut extra conscientiam sedis apostolicæ nemo audeat ordinare*, hoc item Gallis injungat.

[f] Sirm. Quesn. et aliquot mss., *Ne unus*. Deinde alii etiam editi, *episcopus ordinare præsumat episcopum*. Quæ postrema vox abest a pluribus ac potioribus mss. Sed hic, uti proxime, subauditur. Decreti hujus gemina pars ad normam Nicæni canonis 4 exigitur.

[g] In codice Colb. Langobardicis litteris exarato e regione hujus decreti ad marginem adscribitur, *De pœnitentibus*. Quod qui apposuit, non de remissione peccatorum quæ per baptismum percipitur, sed de ea quæ pœnitentia exacta indulgetur, sermonem hic esse existimans, decretum istud non de baptizatis, sed de expœnitentibus interpretatus est. Aliter tamen intelligendum esse supra in epistolam 5 Siricii, pag. 651, not. *d* (nostræ Patrol. tom. XIII, col. 1158, not. *d*) observatum est. Rectius itaque in Hispana collectione decretum hoc summatim ita redditur : *De his qui post baptismum cingulum militiæ sæcularis acceperunt*.

[h] Veteres editiones Concil. ac soli mss. coll. Hisp. et Isid. hic subjiciunt *vel inter laicos*. De unis tamen clericis hic sermonem esse quæ proxime subsequuntur indicant. Additamento huic Nicæni concilii canon 5 occasionem dedit. Et vero hunc quintum canonem ac sextum toto hoc loco explicari Petrus de Marca, lib. I de Concord., c. 6, n. 10, existimat. Cui Hincmarus, Opusc. 47, seu epist. ad Joannem VIII, c. 12, pag. 773, ita suffragatur, ut hac exceptione, *sine præjudicio tamen Rom. ecclesiæ*, etc., Sardicensis concilii decretum 7 commemorari censeat. Paschasius vero Quesnellus, notis in Leonis epistolam 5, n. 4, ad unius Sardicensis concilii canones hic respici arbitratur. In his tamen canonibus de causis clericorum inferioris ordinis nihil constituitur, nisi can. 16, ubi *finitimos episcopos interpellare* permittuntur. Neque obscurum est eum hic ab Innocentio commemorari canonem, quem Afri, quibus ignota erat Sardicensis synodus, in epistola 3 ad Cœlestinum notant his verbis : *Decreta Nicœna sive inferioris gradus clericos, sive ipsos episcopos suis metropolitanis apertissime commiserunt*. Quocirca e tribus illis sententiis verior ea videtur, quam Hincmarus loco laudato exponit; quatenus docet, Innocentium *in eo, quod dicit, ut secundum Nicœnam synodum congregatis ejusdem provinciæ episcopis de exortis causis judicium terminetur, capitulum* (5) *Nicœni concilii explanare : et in eo, quod ad alias quemcumque de ecclesiastico ordine prohibet convolare provincias, aliud capitulum* (scil. 6) *Nicœni concilii explicare, quod jubet ut per singulas provincias suis privilegia serventur Ecclesiis*. Sane verba illa, *secundum Nicœnam synodum*, quæ in ms. Colb. Langob. omittuntur, non ad eam exceptionem quæ clauditur parenthesi, sed ad antecedentia tantum referuntur.

[i] Verba ista, *cui in omnibus causis debet* (sive ut in mss. *debetur*) *reverentia custodiri*, Nicolaus I, epist. al. 40, non legit. Desiderantur quoque in mss. coll. Dion. et Hadr. aliisque pluribus veteribus codicibus : quorum auctoritate motus Quesnellus ea expunxit, quamvis id Oxoniensi Codicis a se vulgati exemplari non deessent. Eadem vir doctus *a Romani Codicis* (hoc est ejus quem vulgavit) *editoribus addita* esse, Dissert. 12, c. 4, n. 5, suadere conatur. Sed quominus hoc ipse sibi persuaderet, vetare debuerant ejusdem Codicis, quem Romanum vocat, duo exemplaria Oxoniensi antiquiora. Pithœanum scilicet atque Colbertinum, in quibus non exstant. Habentur autem in ms. Colb., Langob. et in altero Colb., not. 5368, antiquam canonum collectionem complectente, necnon in mss. coll. Hispan. et Isid., ut et apud Hincmarum. opusc. 45, c. 12, et lib. LV capitum, c. 28. Taceo Gratianum et alios. Demum in pervetusto exemplari Corbeiensi ab antiqua manu, ac prorsus eadem quæ omissa verba supplere solet, adjecta sunt. Sive autem ea Innocentii, sive alterius esse existimentur, persuasum cuique esse debet, papæ

Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Quod si quis forte præsumpserit, et ab officio clericatus submotus, et injuriarum reus ab omnibus judicetur.

6. Si majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad sedem apostolicam, [a] sicut synodus statuit, et beata consuetudo exigit, post judicium episcopale referantur.

Cap. IV.— 7. Ut [b] mulierem clericus non ducat uxorem; quia scriptum est (*Levit.* XXI, 13, 14; *Ezech.* XLIV, 22), *Sacerdos uxorem virginem accipiat, non viduam*, [c] *non ejectam*. Utique qui ad sacerdotium labore suo et vitæ probitate contendit, cavere debet, ne hoc præjudicio impeditus, pervenire non possit.

Cap. V.— 8. Ut is qui [d] mulierem licet laicus duxerit uxorem sive ante baptismum, sive post baptismum, non admittatur ad clerum (*Dist.* 34, *c.* 13); quia eodem videtur vitio exclusus. In baptismo enim crimina dimittuntur, non acceptæ uxoris consortium relaxatur.

Cap. VI.— 9. Ne is, qui secundam duxit uxorem, clericus fiat: quia scriptum est (I *Tim.* III, 2), *Unius uxoris virum* [e]. Et iterum: *Sacerdotes mei semel nubant*. Et alibi (*Tit.* I, 6): *Sacerdotes mei non nubent amplius*. [f] Ac ne ab aliquibus existimetur, ante baptismum si forte quis accepit uxorem, et, ea de sæculo recedente, alteram duxerit, in baptismo esse dimissum, satis errat a regula, [g] qui in baptismo

hujus mentem non temere iis explicari, utpote quæ verbis nitantur Osii Sardicensi in synodo, can. 4, dicentis: *Si vobis placet, sancti apostoli Petri memoriam honoremus*, etc.; necnon iis quæ Gaudentius, ibid., can. 5, subnectit de episcopo qui vicinorum *episcoporum judicio depositus proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma*.

[a] Ita edit. Rom. ac veteres concil. cum ms. Oxon. aliisque coll. Hisp. et Isid. necnon Hincmaro, opusc. 45, c. 12. In Dionysianis autem codicibus ac prope omnibus aliis mss. nostris, quos Sirm., Lab. et Quesn. secuti sunt, desideratur *beata consuetudo exigit*. Contra in ms. Colb., Langob. et altero, not. 3368, exstat *sicut vetus consuetudo exigit*, et omittuntur verba antecedentia, *synodus statuit*, etc. Cui lectioni favet quod Innocentius scribit sive epist. 29, ad concilium Carthaginense, n. 1: *Antiquæ traditionis exempla servantes, et ecclesiasticæ memores disciplinæ, nostræ religionis vigorem non minus nunc in consulendo, quam antea, cum pronuntiaretis, vera ratione firmastis, qui ad nostrum referendum approbatis esse judicium*; sive epist. 30, ad Milevitanum, n. 2: *Diligenter et congrue apostolici consulitis honoris arcana... super anxiis rebus quæ sit tenenda sententia, antiquam scilicet regulam secuti, quam toto semper orbe mecum nostis esse servatam*. Eidem suffragantur cum Cyrillus ad Cœlestinum, epist. 8, n. 1, sic loquens: *Vetus Ecclesiarum consuetudo suadet, ut ejusmodi res sanctitati tuæ communicentur*; tum Leo, epist. 5, n. 5, ubi majores causas ad se referri petit *pro traditione veteris instituti et debita apostolicæ sedis reverentia*. Isidorus Mercator in epistola quam Pelagii nomine confinxit, hunc Innocentii locum exscribens ita immutat: *Majores vero et difficiles quæstiones, ut sancta synodus statuit, et beata consuetudo exigit, ad sedem apostolicam semper referantur*. Porro verbis, *ut sancta synodus statuit*, notari censemus non Sardicensis concilii canones 3, 4, vel 7, quibus Romanum episcopum appellare permittitur, sed ejusdem synodi epistolam ad Julium, in qua declarat synodus *optimum et valde congruentissimum esse, si ad Petri apostoli sedem de singulis quibusque provinciis Domini referunt sacerdotes*. Neque vero hoc loci Innocentius causarum majorum sibi judicium servat, sed earum causarum ab episcopali concilio judicatarum relationem ad apostolicam sedem de more mitti postulat. Quocirca non placet ista Hincmari interpretatio, to. II, pag. 774, *ut si majores causæ, quarum una est de episcopi judicati appellatione, in medio fuerint devolutæ, ad sedem apostolicam, sicut synodus, quin Sardicensis, statuit, et vetus consuetudo exigit, post judicium episcopale referantur*. Ibi enim de judicati episcopi appellatione non agitur; sed id tantum, quod episcopi de rebus gravioribus judicaverint, ad sedem apostolicam referri præcipitur. Hac de re quæ in præfatione generali fusius edisseruimus recole.

[b] Edit. Rom., secundum Dionys., *ut viduam*. Quesn. secundum priores edit. Concil., et mss. coll. Hispan., et Isid., *ut mulierem viduam*. Præferimus cum Sirm., Lab. ac reliquis veteribus libris, *ut mulierem*. Ita scripsit et Siric., epist. 5. Sic et in synodali decreto Hilari, post epistolam ejus 14, n. 14, Tiberius Sabinensis episcopus loquitur: *Si in Ecclesia mea clericorum aliquem.... deprehendero aut mulierem duxisse*.

[c] Unus e mss. Colb. cum vetere Corb., *nec relictam*.

[d] Ita Sirm. et Lab. cum potioribus mss. Alii vero cum coll. Dion., Hispan. et Isid., *viduam*, qua voce etiam Siricius hic utitur.

[e] In ms. Langob. et altero Colb., *Unius uxoris virum. Ac ne ab aliquibus*, omissis intermediis. Suppressa consulto videntur ab aliquo studioso, qui addititia eo facilius crediderit, quod testimonia citata in sacris litteris non offenderet, immo apud Hieronymum, epist. 83, ad Oceanum legeret: *Ut Lege concessum* erat *populo in multis uxoribus liberos spargere, ita* et *ipsis quoque sacerdotibus hujus licentiæ patebat arbitrium*. Quæ tamen hic laudat Innocentius testimonia, ea etiam Tertullianus velut ex Lege diserte citat; primum quidem lib. de Monogamia, c. 7, ubi ait: *Interim quod pertineat ad Legem... prohibet eadem sacerdotes denuo nubere*; alterum vero lib. de Exhort. castit., c. 7, ubi non solum dicit: *Cautum in Levitico, Sacerdotes mei non plus nubant*, sed et addit: *Possum dicere, etiam illud plus esse quod semel non est*.

[f] Edit. Rom., *Etsi ab aliquibus*, quod Crab. ad marg. annotavit, et infra, *satis errant*: refragantibus omnibus aliis libris.

[g] Ita vetus codex Corb. cum uno Colb. Alii vero, *quia in baptismo peccata remittuntur, non*. In hoc atque superiori decreto Innocentius ita Siricii verba exscribit, ut in utroque de uxoribus ante baptismum ductis, de quibus Siricius nihil dixerat, quid sentiendum sit, sibi necessario definiendum duxerit. Hoc postulabat recens ea de re controversia. Nimirum Carterius Hispaniæ episcopus, *cui*, inquit Hieronymus, epist. 83, ad Oceanum, sub finem, *præter vinculum conjugale, et hoc ante baptismum, nihil aliud ab æmulis objici poterat*, uxore priore mortua, alteram post lavacrum duxerat. Hunc Oceanus exstimavit contra præceptum Apostoli fuisse ordinatum. Contra Hieronymus legitimam esse ejus ordinationem prædicta epistola 83 acriter defendit, atque omnem mundum hujusmodi ordinationibus plenum esse. Prius tamen, quam illam scriberet, non silet se nactum Romæ eloquentissimum virum, qui suæ ipsius opinioni adversaretur. Nactus est et non longe postea alios. Certe Rufinus, superstite adhuc Siricio, hanc ei opinionem objecit. Cui Hieronymus, in fine lib. I Apol., necdum sublato e vivis Siricio, respondens, priorem sententiam ita temperat, ut non jam dicat plenum esse hujusmodi ordinationibus mundum, sed *istiusmodi sacerdotes in Ecclesia esse*

hoc putat dimitti : remittuntur peccata, non acceptarum uxorum numerus abolctur : cum utique uxor ex legis præcepto ducatur in tantum, ut et in paradiso cum parentes humani generis conjungerentur, ab ipso Domino sint benedicti (*Gen.* I, 28); et Salomon dicat (*Prov.* XIX, 14), *A Deo præparabitur viro uxor.* Quam formam etiam sacerdotes omnes servare usus ipse demonstrat Ecclesiæ. Satis enim absurdum est aliquem credere, uxorem ante baptismum acceptam, post baptismum non computari; cum benedictio, quæ per sacerdotem super nubentes imponitur, non materiam delinquendi dedisse, sed formam tenuisse legis a Deo antiquitus institutæ doceatur. Quod si (*Dist.* 34, *c.* 13) non putatur uxor esse computanda, quæ ante baptismum ducta est, ergo nec filii, qui ante baptismum geniti sunt, pro filiis [a] habebuntur.

CAP. VII.— 10. Ut de aliena Ecclesia clericum ordinare nullus usurpet (*Dist.* 71, *c.* 2), nisi ejus episcopus [b] precibus exoratus, concedere voluerit. Hoc etiam synodus statuit Nicæna (*Can.* 17), ut abjectum ab altero clericum altera ecclesia non recipiat.

CAP. VIII.— 11. Ut venientes a Novatianis vel Montensibus per manus tantum impositionem suscipiantur; quia quamvis ab hæreticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati : præter eos, qui si forte a nobis ad illos transeuntes [c] rebaptizati sunt. Hi si resipiscentes, et ruinam suam cogitantes, redire maluerint, sub longa [d] pœnitentiæ satisfactione admittendi sunt.

CAP. IX.— 12. Præterea quod dignum et pudicum et honestum est, tenere Ecclesia omni modo debet, A ut sacerdotes et levitæ cum uxoribus suis [e] non coeant; quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim (*Levit.* XI, 14), *Sancti estote, quoniam et ego sanctus sum Dominus Deus vester.* Nam si priscis temporibus de templo Dei sacerdotes anno vicis suæ non discedebant (*Levit.* XXI, 12), sicut de Zacharia legimus, nec domus suas omnino tangebant, quibus utique propter sobolis successionem uxorius usus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu et præter [f] ex semine Aaron ad sacerdotium nulli fuerat præceptum accedere (*Num.* XVIII, 7) : quanto magis hi sacerdotes vel levitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debebunt, quibus vel sacerdotium vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel a sacrificiis divinis, vel a B baptismatis officio vacent! Nam si Paulus ad Corinthios scribit (I *Cor.* VII, 5), dicens, *Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi*, et hoc utique laicis præcipit : multo magis sacerdotes, quibus et orandi et sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere. Qui si contaminatus fuerit carnali concupiscentia, quo pudore sacrificare usurpabit? aut qua conscientia, quove merito exaudiri [g] se credit, cum dictum sit (*Tit.* I, 15) : *Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil mundum?* Sed forte licere hoc credit, quia scriptum est (I *Tim.* III, 2; *Tit.* I, 6), *Unius uxoris virum :* [h] non permanentem in concupiscentia generandi dixit, sed propter futuram continentiam. Neque enim C integros corpore non admisit, qui ait (I *Cor.* VII, 7) : *Vellem autem omnes sic esse, sicut et ego.* Et apertius declarat, sic dicens (*Rom.* VIII, 8) : *Qui autem*

nonnullos; testificeturque se hac quæstione non teneri, sed unicuique in suo sensu abundare permittere. *Interrogati a fratribus*, inquit, *quid nobis videretur respondimus, nulli præjudicantes sequi quod velit, nec alterius decretum nostra sententia subvertentes.* Jam definierat concilium Valentinum I, anno 374 habitum, can. 1, *neminem post hanc synodum, qua ejusmodi illicitis vel sero succurritur, de digamis aut internuptarum maritis ordinari clericum posse. Nec requirendum, utrumne initiati sacramentis divinis, anne gentiles, hac se infelicis sortis necessitate macularint, cum divini præcepti casta sit forma.* Eamdem sententiam probant Ambrosius, lib. I Offic., c. 50, n. 2, et epist. 63, ad Vercell., n. 63; Augustinus, lib. de Bono conjugali, c. 18, ubi et mysticam explicat disciplinæ hujus rationem : ac Leo, epist. 45.

[a] Ita Regium exemplar Dion. At vetus ms. Corb. cum Fossat. et duobus Colb., *haberentur.* Quesn. *habendi sunt.* Cæteri editi et scripti, *habentur.*

[b] In ms. Corb. et altero Colb. desideratur *precibus.* Nicæno in concilio, can. 16, et Sardicensi, can. 19, vetatur ne clericus alienus *sine consensu episcopi ipsius et sine voluntate* ordinetur. In codice can. eccl. Afr., c. 54, Epigonius episcopus, præfatus, *multis in conciliis hoc statutum, ut clericum alienum nullus sibi præripiat episcopus, præter ejus arbitrium cujus fuerit clericus*, cum Juliano expostulat, quod suum ipsius clericum sibi usurparit, seque inconsulto diaconum ordinarit. Cui *Numidius episcopus dicit : Si non postulata neque consulta tua dignatione id videtur fecisse Julianus, judicamus omnes inique factum atque indigne;* tum eum separandum decernit, nisi clericum reddendo satisfaciat.

[c] Apud Quesn. *baptizati :* quod et habent hic ms. Corb. et alter Colb. Verum iidem mss., in epistola 5 Siricii, cujus verbis hæret Innocentius, præferunt *rebaptizati;* quod etiam hic cæteri codices retinent, atque ipsa postulant orationis adjuncta. In eumdem Siricii, locum quinam dicantur Montenses explicuimus, simulque iis, sicut et Novatianis, rebaptizandi usum familiarem fuisse probavimus.

[d] In duobus mss. deest vox *pœnitentiæ.* Concilium Valentinum I, c. 3, iis, *qui se post unum et sanctum lavacrum incesta lavatione polluerint*, satisfactionis aditum ita statuit non negari, ut eos *pœnitentiam usque in diem mortis agere* velit.

[e] Codex Colb. Langob., *non misceantur : quia ministeriis quotidianis.* Non displicet *ministeriis quotidianis;* maxime cum apud Siricium legere sit, *quotidianis necessitatibus.*

[f] Crab. minutiori charactere hic addidit *quam;* quod alii deinceps editi retinuerunt, Merl. et mss. reluctantibus. Mox cum duobus Corb. et uno Colb. reponimus, *nulli fuerat præceptum*, ubi in aliis libris, *nullus fuerat præceptus.*

[g] Colb. ms. Langob. cum edit. Rom. ac posterioribus. *exaudiri posse.* Abest *posse* a cæteris mss., ut et a veteribus concil. edit.

[h] Quesn., *non de remanente.* Lab., in marg., *non propter manendum.* Edit. Rom., post Merl. et Crab., *non permanenti.* Fossat. ms., *non permanente.* Ut in epistola Siricii, ita et hic sibi constant cæteri mss. quos sequimur. Ambrosius, epist. 63, ad Vercell., n. 62, observat, allatis verbis non solvi quidem conjugium, sed neque permitti conjugalem usum, et iteratum conjugium interdici.

in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem jam non estis in carne, sed in spiritu.

CAP. X et XI.—13. De monachis (16, *q.* 1, *c.* 3) qui diu morantes in monasteriis, si postea ad clericatus ordinem [a] pervenerint, non debere eos a priore proposito deviare. Aut enim sicut in monasterio fuit, et quod diu servavit, in meliori gradu positus amittere non debet: aut si corruptus postea baptizatus, [b] et in monasterio sedens, ad clericatus ordinem accedere voluerit, uxorem omnino habere non poterit; quia nec benedici cum sponsa potest jam [c] corruptus. Quæ forma servatur in clericis, maxime cum vetus regula hoc habeat, ut quisquis corruptus baptizatus, clericus esse voluisset, sponderet se uxorem omnino non ducere.

CAP. XII.—14. Præterea frequenter quidam ex fratribus nostris curiales (*Dist.* 51, *c.* 3), vel quibuslibet publicis functionibus [d] occupatos clericos facere contendunt; quibus postea major tristitia, cum de revocandis eis aliquid ab imperatore præcipitur, quam gratia de ascito nascitur. Constat enim, eos in ipsis muniis etiam voluptates exhibere, quas a diabolo inventas esse non dubium est, et ludorum vel munerum apparatibus aut præesse, aut interesse. Sit certe in exemplum sollicitudo et tristitia fratrum, quam sæpe pertulimus imperatore præsente cum pro his sæpius rogaremus, quam ipse nobiscum [e] positus agnovisti, quibus non solum inferiores clerici ex curialibus, verum etiam jam in sacerdotio constituti ingens molestia ut redderentur [f] imminebat.

CAP. XIII.—15. Item (27, *q.* 1, *c.* 10; *Ivo, p.* 7, *c.* 18) quæ Christo spiritaliter [g] nupserunt, et velari a sacer-

[a] Quesn. cum uno ms. Colb., *pervenire nituntur.* Mox in ms. Colb. Langob., *aut enim sit, ut in monasterio fuit*, lectio non spernenda. Cavet hic Innocentius, ne monachus ad eos clericatus ordines provectus quibus uxorem ducere non interdicitur, a priore cœlibatus proposito deficere sibi licere existimet. Hinc Dionysius hoc capitulum in titulorum indice secundum Regium exemplar sic summatim reddidit: *Quod monachus, si clericus factus fuerit, uxorem non ducat.*

[b] In duobus mss. Colb., *baptizatus, monasterium deserens, et ad.* Haud aliud sonabit et istud duorum Corb. *baptizatus, et monasterio sedens*, si pro *sedens* legatur *cedens.* Regium coll. Dion. exemplar præ se fert, *et in monasterium sedens*, forte pro *secedens.*

[c] Aliquot edit. et mss., *jam ante corruptus.* Regulæ hic ab Innocentio memoratæ usum Cæsarius Arelatensis, apud Augstinum, append. tom. v, ser. 289, confirmat his verbis: *Qui uxorem optat accipere, sicut illam virginem invenire desiderat, ita ipse usque ad nuptias virgo sit: quia si non fuerit, benedictionem cum sponsa accipere non merebitur.* Hinc et habetur ratio veteris regulæ, quæ præcepit, ut qui ante baptismum corruptus, clericus postea fieri voluisset, uxorem omnino non ducturum se sponderet: ne videlicet dedecus, quo indignus censebatur benedictione nuptiali, in ipsum clericatus ordinem rediret. Si autem hoc impedimento ab uxore ducenda quivis clericus arceatur, quanto magis monachus! Eamdem ob causam Siricius, epist. 1, n. 13, voluit, ut clericus ad altiorem gradum provehendus *una tantum, et ea, quam virginem communi per sacerdotem benedictione perceperit, fuerit contentus.*

[d] In duobus mss. hic additur *aut honoribus.* Mox apud Quesn., ut in edit. Rom., *de adscitis*, ubi in omnibus mss. *de adscito.* Pejus autem apud Crab., *de accito.* In eo autem, quod de voluptatibus subjicitur a diabolo inventis, quas exhibere curiales sæpe cogebantur, habetur causa cur munia illa etiam plures christiani declinarent: contra quos Julianus imp. apostata, cod. Th., lib. xii, tit. 1, leg. 50, edicit: *Decuriones, qui ut christiani declinant munia, revocentur.*

[e] Victricium Romam venisse Paulinus Nolanus, epist. 37, n. 1, ad ipsummet Victricium memorat in hunc modum: *Inde tristati amaritudinem duxeramus, quod ex urbe ad nos, sicut sperabamus, non veneris, qui ad urbem per tanta terrarum spatia perveneras.* Tum eum idcirco illuc venisse, ut aliquod crimen sibi per calumniam impositum purgaret, innuit his verbis: *Tua vero sanctitas non solum de abrasione licitorum... gloriam tenet, sed, sicut comperi, etiam de multitudine adversantium de tolerantia tentationum: quoniam insurrexerunt in te testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi. Sed nodus in scirpo, et nævus in lumine non potuit inveniri.*

[f] Ita Sirm., Lab. et Quesn. cum vetere ms. Corb. necnon Fossat. ac duobus Colb. Cæteri vero, *instabat*, non alio sensu. Totius capituli hujus nonnihil perplexa est oratio, qua persuadere vult Innocentius, ne curiales ordinentur. Et hujus quidem rei primaria est illa ratio, quam velut obiter tangit: *Constat enim eos in ipsis muniis etiam voluptates exhibere*, etc. Sed huic non instans, citius redit ad alteram, quam præmiserat, quia videlicet episcopis eos ordinantibus inde *major tristitia nascitur.* Quod et proprio sui exemplo, cujus Victricius testis fuit, probans subjicit: *Si certe in exemplum sollicitudo*, etc. Unde ultima verba, *quibus..... ingens ut redderentur molestia imminebat*, ita intelligere est: dum mihi ingenti cum molestia imminebant, ut qui ex curialibus ordinati fuerant, non solum inferiores clerici, quos revocari lex Arcadii in Monito allata præcipiebat, sed etiam in sacerdotio constituti redderentur.

[g] In priscis edit. Concil., ut in exemplaribus coll. Dion., Hadr., Hispan. et Isid., *nubunt et a sacerdote velantur.* In epistola 10 Siricii, num. 3, legimus, eam virginem velatam appellari, *quæ integritatem publico testimonio professa, a sacerdote prece fusa, benedictionis velamen accepit.* Ambrosius, libro iii de Virginib., cap. 1, sermonem inseruit, quem habuit Liberius papa, cum soror ipsius Marcellina in *Salvatoris natali ad apostolum Petrum virginitatis professionem vestis quoque mutatione signaret, adstantibus etiam puellis Dei compluribus* et aliis. Sic autem incipit hujus papæ ad Marcellinam sermo: *Bonas, filia, nuptias desiderasti. Vides quantus ad natalem sponsi tui populus convenerit, et nemo impastus recedit.* Puellas autem nonnisi matura ætate velari seu consecrari volebant canones. Anno 381, Cæsaraugustanum concilium, can. 8, statuit, *non velandas esse virgines, quæ se Deo voverint, nisi quadraginta annorum probata ætate.* Idem postea et Majorianus imp. et Agathense concilium, can. 19, confirmarunt. At anno 397, concilium Carthaginense iii, cui et Arelatense ii, can. 52, suffragari videtur, can. 4, sanxit, *ut ante viginti quinque annos ætatis nec diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur.* Subinde etiam Milevitano ii concilio, quod anno 416 habitum est, can. 26, seu cod. can. eccl. Afr., c. 126, *placuit, ut quicumque episcoporum necessitate periclitantis pudicitiæ...., velaverit virginem seu velarit intra viginti quinque annos, non ei obsit concilium* (Carthaginense), *quo de isto annorum numero constitutum est.* Et prædicti quidem concilii Carthaginensis constitutionem cum exceptione Milevitani ratam habent capitularia regum nostrorum, Aquisgranense, anno 789, c. 45, et Francofordiense, an. 794, c. 44. Obervandum tamen est hæc de solemni tantum professione cauta esse, cum et an-

dote meruerunt, si postea vel publice nupserint vel [a] se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is, cui se [b] junxerant, de sæculo recesserit. Si enim de omnibus hæc ratio custoditur, ut quæcumque vivente viro alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, nisi unus ex eis defunctus fuerit : quanto magis de illa tenenda est, quæ ante immortali se sponso conjunxerat, et postea ad humanas nuptias [c] transmigravit !

CAP. XIV.— 16. Hæ vero (27, *q.* 1, *c.* 9; *Ivo*, p. 7, *c.* 17), quæ necdum sacro velamine [d] tectæ, ta- A men in proposito virginali se [e] promiserant permanere, licet velatæ non sint, si forte nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est ; quia sponsio [f] ejus a Deo tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi : quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit, solvi sine vindicta non [g] debet ! Nam si apostolus Paulus, quæ a proposito viduitatis discesserunt, dixit eas habere damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt (I *Tim.* v, 12) : quanto magis virgines, quæ [h] priori promissioni fidem frangent !

tea puellis virginitatis propositum licuerit suscipere.

[a] Edit. veteres concil., *si postea nupserint;* ac deinde, *vel publice vel occulte corruptæ fuerint*, vocabulis *vel publice* suo loco motis præter fidem mss. In Colb. Lang. ut in aliis coll. Hisp. et Isid. exstat, *vel fuerint occulte corruptæ*. Præfert Quesn., *vel clangulo corruptæ fuerint*, indeque conjectat olim *clangulo* quasi *clam in angulo* dictum esse. Verum in codicis ab ipso vulgati exemplaribus Thuan. seu Colb., Pith., etc., ut apud Dion., Hadr. et in mss. Corb., Fossat., etc., legimus *vel se clanculo corruperint*. Unde nulla conjecturæ illius videtur auctoritas.

[b] Plerique ac potiores mss., *se junxerat*, quos secutus Quesn. de suo supplevit *quædam*. Deinde Dion. et Hadr., *de mundo recesserit ;* codex Colb. Langob. cum aliis coll. Hisp. et Isid. necnon priscis edit. concil. *de hac vita decesserit*, vel *dicesserit*. Duplicem illam lectionem e marginali nota genuinæ substitutam arbitramur. Cum enim ambiguum videretur istud, *de sæculo recesserit*, ac liceret interpretari vel de secessu a sæculo in monasterium, vel de recessu ex hoc mundo et vita mortali, sublata est ambiguitas marginali scholio, quo de *sæculo* id esse quod *de hac vita* admonemur. Et huic quidem annotationi favet quod de muliere, quæ vivente viro alteri nupserit, subjicitur. Inde autem quomodo juventur, qui ab Innocentio sacratarum virginum conjugia improbari quidem, sed non solvi putant, nobis latet. Aut certe ipsis probandum est eumdem papam eoque antiquiores canonum conditores mulieri, quæ vivente priori viro alteri nupserit, hoc postremum conjugium non solvendum censuisse. Innocentii mentem illustrat Toletanum I concilium, anno 400 celebratum. Quippe can. 16 præmittit, *devotam peccantem non recipiendam in Ecclesiam, nisi peccare desierit, et desinens egerit aptam pœnitentiam decem annis* : ac subinde adjicit : *Quæ autem maritum acceperit, non admittatur ad pœnitentiam, nisi adhuc vivente ipso viro caste vivere cœperit, aut postquam ipse decesserit.* Quomodo autem caste vivere, nisi ab adultero secedens, probari potuerit ? Id vero apertius explicant concilii ejusdem patres, can. 19, ubi de episcopi sive presbyteri sive diaconi filia, *si Deo devota fuerit, et peccaverit, et maritum acceperit*, constituunt, *ut non admittatur ad communionem, nisi marito defuncto egerit pœnitentiam; si autem vivente eo secesserit, et pœnituerit... in ultimo deficiens accipiat pœnitentiam.* Sane Turonense II concilium, can. 20, conjugii hujusmodi solutionem ab Innocentio præcipi intellexit. Primum enim ipsius verba describit, tum ab ejus decretis discedere sibi non licere profitetur. Ac demum eis adjuncto Arelatensis II concilii canone 52, et nonnullis aliis, de sacrata virgine quæ nupserit, et de eo cui nupserit, decernit : *Perimendi sunt oris gladio, et a communione privandi, si relicta sibi decreta seniorum observare noluerint, et pastorem suum audire despexerint, et esse separati noluerint. Qui ergo in hac pertinacia durare voluerint, et plus in volutabro malæ conversationis permanere, quam se de vetito conjugio separare, perenni excommunicatione damnentur.* Si enim ibi *decreta seniorum*, maxime allata Innocen- B tii verba, quod negari nequit, appellet, cum illa contemni ab iis censeat qui *se de vetito conjugio separare noluerint ;* restat ut Innocentium hujusmodi conjugii solutionem præcepisse censuerit. Ita concilium Aurelianense v, can. 19, cui et Matisconense I, can. 12, concinit, eosdem ad communionis gratiam revocari ea dumtaxat conditione permittit, *si culpam sequestratione sanaverint.* Et illud quidem conjugium, quod Matisconensis concilii judicio, *potius stuprum est quam conjugium*, Siricii, epist. 10, n. 3, sententia est *incestum*, et *adultero* imponi non potest nisi falsum mariti nomen. Innocentius quoque cum eodem papa sacratas virgines vere *nuptas* censet, utpote *quæ se immortali sponso conjunxerunt.* Unde sequitur, ut cum vivere numquam desinat earum sponsus, nec solvi umquam possit initi cum eo lex conjugii. Turonense II concilium, cod. Th., tit. 25, legem 2 laudat, qua Jovianus imp. edicit : *Si quis non dicam rapere, sed vel attentare matrimonii jungendi causa sacratas virgines vel invitas ausus fuerit,* C *capitali sententia ferietur.*

[c] Merlin et Crab. cum ms. Colb., Langob. necnon aliis cod. Hisp. et Isid., *transire elegit.*

[d] In duobus mss., *consecratæ :* quo verbo utitur Leo epist. 5, ad Rustic., c. 15, ubi de puellis eisdem sermo est. Nostram lectionem firmat illud Prudentii lib. II, contra Symmach. :

Sunt et virginibus pulcherrima præmia nostris,
Et pudor et sancto tectus velamine vultus.

[e] Veteres edit. concil. cum mss. coll. Dion., Hadr., Hisp. et Isid., *semper se simulaverunt permanere.* Quesn. cum vetere ms. Corb. et uno Colb., *se permanere simulaverant.* Fossat., *semper manere simulaverant.* Sirm. et Lab., *semper manere promiserant.* Edit. Rom., *semper se permanere promiserant.* Ut cum duobus mss. Colb. præferremus, *se promiserant permanere*, persuaserunt subnexa, ubi earumdem puellarum *sponsio*, pacta *pollicitatio, et prior promissio* memorantur. Certe de puellis hic sermo est, quæ se ad virginitatem servandam Deo obligaverant, quæque D ideo a Siricio, epist. 10, n. 3, dicuntur, *matrimonii cœlestis præceptum non servasse ;* sed quibus consecratio solemnis deerat.

[f] Crab. et edit. posteriores concil., *sponsio earum.* At Merl. et omnes mss., *sponsio ejus*, supple *quæ hujusmodi est.* Infra idem Crab. et edit. Rom., *pepigerunt ;* ubi Sirm. ex mss. restituens *pepigit*, de suo adjecit *virgo*, quod et exinde Lab. et Quesn. retinuerunt.

[g] In exemplaribus coll. Dion., Hadr., Hisp. et Isid. ut in priscis edit. concil., *non poterit.*

[h] Edit Rom. cum ms. Colb. Langob., *quæ pactionis suæ fidem minime servaverunt.* Merlin. et Crab., secundum mss. coll. Hisp. et Isid., *quæ prioris promissionis fidem minime servaverunt.* Dion. et Hadr., *quæ priori promissioni fidem frangere sunt conatæ.* Apud Quesn. ut in exemplari uno Colb. et altero Pith., *quæ prioris promissionis fidem frangere sunt nisæ.* Loco verbi *nisæ*, Sirm. et Lab. substituerunt *visæ.* Veterem ms. Corb. et Fossat. sequimur.

17. Hæc itaque [a] regula, frater charissime, si plena vigilantia fuerit ab omnibus Dei sacerdotibus observata, cessabit ambitio, dissensio conquiescet, hæreses et schismata non emergent, locum non accipiet diabolus sæviendi, manebit unanimitas, iniquitas superata calcabitur, veritas spiritali fervore flagrabit, pax prædicata labiis cum voluntate animæ concordabit. Implebitur et dictum Apostoli (*Philip.* II, 2 et 3), ut unanimes, unum sentientes, permaneamus in Christo, nihil per contentionem nobis neque per inanem gloriam vindicantes; non hominibus, sed Deo nostro salvatori placentes, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. Data XV kalendas Martii (*Februar.* 15, ann. 404), Honorio augusto VI et [b] Aristeneto conss.

MONITUM IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

1. *Epistola hæc aliis in libris brevior, in aliis amplior. Quis eam decurtarit.* — Epistolam hanc alii libri breviorem, alii ampliorem exhibent. Sub breviori forma primum a Jac. Merlino edita, eadem deinde ratione cum in epistolarum pontificiarum collectione, tum in variis conciliorum editionibus recusa est, quoad Jac. Sermondus eam in veteribus libris integram nactus, publico bono vulgandam duxit. In exemplis collectionis Hispanæ, qualem Ecclesiarum Laudunensis, Noviomensis ac Bellovacensis bibliothecæ asservant, sicut in omnibus Isidori Mercatoris exemplaribus, tantum mutila habetur. Hinc ab eo, qui Hispanam canonum collectionem concinnavit, primum truncatam esse suspicati sumus. Sed suspicionem illam subinde amoverunt Colbertinus codex 408, *de Institutione clericorum* ante annos 700 exaratus, aliusque illi similis nec recentior Coislinus, qui cum ex unis collectionis Hispanæ monimentis compositi sint, ea tamen epistolæ hujus capitula retinent, quæ in breviori exemplo desiderantur. Demum ubi in Ecclesiis Urgellensi, Gerundensi, Rivipullensi etiamnum exstare didicimus sincera et genuina Hispanæ collectionis exempla, in quibus epistola ista integra legitur, eamdem non ab eo qui collectionem illam adornavit, sed ab aliquo alio truncatam esse nobis plane persuasum fuit. Cum autem in omnibus omnino Isidori Mercatoris exemplis mutila dumtaxat et decurtata habeatur, facinoris hujus quis alium auctorem quærendum censeat? Neque mirum est virum, cui multa confingere, alia interpolare, plura variis modis mutare religioni non fuit, etiam nonnulla supprimere non timuisse. Generalia nimirum Innocentii decreta exscripsisse contentus, cætera quæ ad personas causasve speciales attinent, ut a scopo suo magis aliena, subtraxit. Neque opinioni huic officiunt memorati libri Laudunensis, Noviomensis ac Bellovacensis. Quamvis enim ex Hispana collectione descripti sint, eum tamen, a quo scripti dictative sunt, etiam collectionem Isidori penes se habuisse, atque hanc Hispanæ interdum, etiamsi raro, anteposuisse, nominatim ex epistola Vigilii papæ ad Profuturum liquet. Porro ista Innocentii epistola integra non modo in genuinis collectionis Hispanæ exemplaribus, sed in pervetusto etiam Corbeiensi, et Fossatensi, nunc Colbertino, asservatur. Quæ cum ita sint, ut lectori nihil desiderandum supersit, eam nunc e sinceriorum codicum fide sic exhibemus integram, ut et quemadmodum a Mercatore vulgata sit, ad illius calcem indicemus.

2. *Toletanæ, non Tolosanæ synodi episcopis inscripta est.* — In utroque exemplarium genere fallax ei præfigitur inscriptio. Et in prævio quidem Corbeiensis codicis indice hoc titulo donatur: *Epistola Innocentii papæ ad universos episcopos ecclesiæ Tolosanæ de universis herisebus* (leg. *hæresibus*) *vel de ordinationibus episcoporum, et cætera in epistola requirenda:* in ipsius autem epistolæ fronte hæc ei præponitur epigraphe: *Innocentius episcopis universis in Tolosana synodo constitutis.* Eadem legitur et in Fossatensi, nisi quod in hoc *diversis* pro *universis* substitutum est. In plerisque etiam cum Hispanæ, tum Isidorianæ collectionis exemplaribus pariter *universis episcopis in Tolosana synodo constitutis* inscribitur. Neque hanc inscriptionem mutavit Merlinus. Immo et eamdem Jac. Sirmondus retinuit, eoque nomine inter ipsa Galliæ concilia epistolæ huic locum dedit. « Qua de re, inquit in prævio Monito, etsi ambigi non injuria posse intelligebam, satius tamen visum est illam, cum mutila præsertim hactenus fuerit, integram vel alieno loco hic exstare, quam suo fortasse desiderari. » Postmodum tamen in notis adjecit, dubium sibi non videri, « quin scripta sit ad episcopos Hispaniæ post synodum quidem Toletanam, sed de rebus in ea gestis, vel postea consecutis. Quare, infit, antiquam inscriptionem epistolæ restituendam censeo, ut in Toletana synodo legatur. » Porro *antiquam* eam vocat, quia jam a Crabbio restituta, ab iis qui vel concilia vel Romanorum pontificum epistolas recuderunt, retenta est. Antea etiam in nonnullis saltem mss. obtinebat. Ipsi inter varios collectionis Isidori codices unum nacti sumus Navarreum a 600 saltem annis scriptum, et alterum monasterii S. Martini Campensis, qui *in Toletana synodo* præ se ferunt. Nec de lectionis hujus sinceritate ambigendum esse, quæ subjecturi sumus firmabunt. Unde vero irrepserit altera, ex variis manuscriptis inter se collatis conjicere licet.

3. *Unde contigit ut* TOLOSANÆ SYNODO *inscriberetur.* — Quamvis in exemplari Noviomensi *universis episcopis in Tolosana civitate constitutis* inscribatur hæc epistola, in generali tamen ejusdem indice ad universos Tolotanos episcopos prænotatur. Ibi vero *Tolotanos* pro *Toletanos*, non pro *Tolosanos* scriptum esse argumento est Germanensis codex, not. 424,

[a] Quæ deinceps sequuntur, viro erudito, qui novissimam operum S. Paulini Nolani editionem adornavit, dissert. 4, in fine cap. 4, *ex aliis quibusdam videntur excerpta, neque cum precedentibus cohærere.* Sed quod his proxime subjicit, *nisi de hac regula tota epistola intelligatur*, quam levi fundamento nitatur ipsius opinio prodit. Non enim ambiguum est hic *regulæ* nomine decretorum corpus, quod tota epistola complectitur, intelligi; et quod initio *liber regularum* dictum fuerat, nunc simplicius *regulam* vocari. Quocirca et hanc clausulam cum exordio ac reliqua epistola aptissime cohærere manifestum est. Ipse qui in exordio Victricium laudavit, *Romanæ Ecclesiæ normam atque auctoritatem magnopere postulantem*, quique ipsi *regularum librum*, quo *qualis servetur in urbis Romæ ecclesiis disciplina* discere valeat, pollicitus est, disciplina illa amplissime exposita, congruenter concludit, diligenti ejusdem regulæ seu disciplinæ observatione custodiri in Ecclesia pacem atque concordiam, adeoque schismata et hæreses, etc., caveri. Denique cum ex omnibus tam scriptis quam editis codicibus, nullus sit qui epistolam istam sine hac clausula exibeat, sanctam generalis consensus indubitatam ei tribuit auctoritatem.

[b] Merlin. et Crab., secundum coll. Hispan. et Isid., *Aristo.* Addidit Crab. ad marg. *Aristoneto*, quod Romanus editor arripuit. Vetus ms. Corb. et unus Colb. præferunt *Aristineto*. Alter Colb. cum Pith., *Aristhineto*. Alius item Colb. *Aristinio*, Apud Sirm. et Labb. *Aristæneto viro clarissimo*. Postrema hæc duo verba, quorum loco in edit. Rom. exstat *viris clarissimis*, ab omnibus mss. absunt, ut et a veteribus edit. concil. Tota autem consularis seu chronica nota in sola Dionysii collectione, seu pura seu post aucta, uti præmonuimus, desideratur.

canonum collectionem ante annos 800 concinnatam complectens, in quo quoties aliqua laudatur Toletana synodus, *Tolotana* constanter appellatur. Cum igitur etiam hic librarii *Tolotana* pro *Toletana* scripsissent, *Tolosana* restituendum esse eo facilius censuerunt antiquarii, quod et epistolam Innocentii *ad Exsuperium Tolosanum* conspicerent, et in hujus epistolæ contextu, n. 3, *Galliarum* seu *Galliorum*, loco *Galliciorum seu Gallæcorum* corrupte legerent. Præterea cum infra, num. 6, ubi ex Colbertini exemplaris fide legimus, Rufinum *in Toletano concilio erroris sui veniam postulasse*, pro *Toletano* exhibeat Corbeiense *Tolosano*, idem mendum pari facilitate in inscriptionem irrepere potuisse nemo non assentiet.

4. *Toletani* I *concilii patribus scripta est.* — Quæ sit illa synodus, ad quam Innocentius modo scribit et quando habita sit, disceptatur. Baronius in priore Annalium editione duo pro certo posuerat: primum quidem, scriptam esse hanc Innocentii epistolam ad concilium Toletanum I; alterum vero, concilium istud postremo Stilichonis consulatu, hoc est Christi anno 405, fuisse celebratum. At in editione novissima mutavit sententiam, ac persuasum habens Toletanum I concilium primo Stilichonis consulatu, adeoque anno Christi 400 consignandum esse, hanc epistolam ad posteriorem aliquam Toletanam synodum pertinere existimavit. Cui sententiæ plures, nominatimque Anton. Pagius subscribunt. Et prior quidem opinio, qua Toletanum I concilium ad secundum Stilichonis consulatum differebatur, defendi prorsus nequit. Sed neque ulla videtur causa, cur concilium, ad cujus episcopos Innocentius nunc scribit, a Toletano I distinguamus. Quod ut evidentius fiat, quæ Toletani I concilii nomine vulgata sunt, expendere operæ pretium fuerit.

5. *Toletani* I *concilii vulgati tres patres.* — In hoc concilio tres distinguendæ sunt partes. Prima constat præfatione, canonibus 20 et episcoporum subscriptionibus. Altera regulam fidei continet atque octodecim capitula contra hæreses, cum hac inscriptione: *Incipit regula fidei catholicæ contra omnes hæreses, et quam maxime contra Priscillianos, quam episcopi Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitani et Bætici fecerunt, et cum præcepto papæ urbis Romæ Leonis ad Balconium episcopum Gallicíæ transmiserunt.* Postrema hoc titulo insignitur: *Incipiunt exemplaria professionum in concilio Toletano contra sectam Priscilliani æra* 438. Tum sequitur præfatio: « Post habitum concilium kalend. Septemb., III nonas Septembris, post diversas cognitiones tunc habitas, sub die VIII iduum Septembrium excerptæ sunt de plenariis gestis professiones domini Symphosii et domini Dictinii sanctæ memoriæ episcoporum, et domini sanctæ memoriæ Comasii tunc presbyteri, quas inter reliquos habuerunt in concilio Toletano de damnatione Priscilliani vel sectæ ejus in hunc modum: Post aliquanta et inter aliquanta eodem tempore acta, Dictinius episcopus dixit, » etc., scilicet reliqua Dictinii professio, qua descripta subjicitur Comasii professio, hac præfatione seu interlocutione præmissa: « Æra qua supra sub diem III iduum Septembrium professiones sanctæ memoriæ episcoporum domini Simphosii et domini Dictinii et sanctæ memoriæ Comasii tunc presbyteri. Comasius dixit. » Demum hanc Comasii professionem excipit « exemplar definitivæ sententiæ translatæ de gestis. Die qua supra episcopi dixerunt: Legatur sententia. Et legit, » etc.

6. *Concilium exhibent anno 447 celebratum.*—Tres autem illæ partes quomodo cohæreant inter se aut ad unum et idem concilium referri queant, nemo hactenus, quod sciam, explicuit. Tantum inter eruditos convenit, mediam ad illud concilium, quod Leo anno 447 ad Turibium scribens cogi præcepit, pertinere; adeoque a Toletano I concilio esse alienam. Hinc post Baronium Binius eam aliis duabus collectoris errore insertam esse notat. Sed neque postremam commodius ad Toletanum I concilium referre licet. Qui enim in ea interloquuntur episcopi, synodum habere se indicant, cum jam defuncti essent Symphosius, Dictinius atque Comasius, quos Toletani I concilii tempore adhuc superstites, immo in ipso concilio præsentes Priscillani hæresim damnasse constat. Verum aptissime inter se cohærebunt tres illæ partes, si ad generale Hispaniarum concilium, quod Leonis papæ jussu congregatum est, referantur: adeo ut in eo primum prælecti sint atque confirmati 20 canones Toletani I concilii, tum fidei regula condita, novi adjecti sint canones 18, ac postremo nonnulla e plenariis Toletanæ I synodi gestis excerpta recitata sint. Quod igitur vulgatum est Toletanum I concilium, aptius inscriberetur: *Hispaniarum concilium, quod Leonis præcepto Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitani et Bætici, anno 447, kalendis Septembris celebrarunt: cui et præmittuntur Toletani I concilii anno 400 celebrati 20 canones, et ejusdem concilii quædam excerpta, de plenariis ejus gestis descripta, subjiciuntur.*

7. *Anno 400, Toleti habitum esse concilium.* — Verum istud concilium sic anno 447 restituimus, ut aliud anno 400 Toleti habitum non negemus, sed inde potius luculenter asseramus. De hoc Toletano concilio Idacius in Chronico, ad annum 400, ita loquitur: « In provincia Carthaginensi, in civitate Toleto, synodus episcoporum contrahitur, in qua, quod gestis continetur, Symphosius et Dictinius et alii cum his Gallæciæ provinciæ episcopi, Priscilliani sectatores, hæresim ejus blasphemissimam cum assertore eodem professionis suæ subscriptione condemnant. Statuuntur quædam etiam servanda de Ecclesiæ disciplina, communicante in eodem concilio Ortygio episcopo, qui Celenis fuerat ordinatus. » Atqui concilium anno 447 jussu Leonis habitum primo canones recenset ad disciplinam pertinentes, quos Toletana synodus *Stilichone consule*, hoc est anno 400 edidit: ac postmodum ex ejusdem synodi gestis, more Hispanico *æra* 438, pro anno 400, consignatis, non modo professiones exhibet Symphosii, Dictinii et aliorum hæresim Priscilliani cum ipso auctore condemnantium, sed et ejusdem concilii sententiam, qua illis servatur honor suus, quæque in Ortygii gratiam clauditur his verbis: « Fratri autem nostro Ortygio ecclesias, de quibus pulsus fuerat, pronuntiamus esse reddendas. » Unde gestorum illorum cum Idaciano Chronico manifesta est consensio. Præterea in mox dicta Toletanæ synodi sententia memoratur Simplicianus, ut qui Mediolanensem Ecclesiam tunc regeret. Anno autem duntaxat 397, Ambrosio successit Simplicianus, atque ipse ante XVI Kalendas Julias anni 401, ut ex Carthaginensi concilio Codici can. eccl. Afr., c. 56, inserto liquet, Venerium successorem habuit. Et hinc igitur confirmatur tempus quo Toletana synodus celebrata est.

8. *Quatenus huic synodo scripta dici possit sequens epistola.* — His positis, cum exploratum sit atque indubitatum, Toletanam illam synodum, cujus canones et gesta in memorato Hispaniarum concilio referuntur, anno 400 fuisse celebratam, nulla jam restare videtur controversia, quin huic Toletanæ synodo sequens Innocentii epistola inscripta sit. Primo enim in ea, ut num. 6 et 7 legere est, synodi hujus gesta et decreta non semel laudantur. Deinde Innocentius, num. 10, eos alloqui se notat episcopos, « qui secundum regulas Nicænas ordinationes faciendas esse per sententiam decreverunt. » At vero Toletani I concilii præsules « constituta primitus concilii Nicæni perpetuo esse servanda, nec ab iis esse recedendum » in ipso prooemio cum decrevissent, ad ea constituenda, quæ in ordinationibus servari debeant, progrediuntur. Non sic tamen ad Toletanam synodum ut adhuc congregatam, sed ad eos potius episcopos qui in illa convenerant, scribere intelligendus est Innocentius. Nisi quis malit

hic *Toletanæ synodi* nomine episcopos ad Toletanam synodum pertinentes intelligi. Certe de Toletano I concilio ut *dudum* celebrato laudatus papa, num. 6, loquitur. Nec *Patruinus* ille *venerabilis memoriæ*, cujus loco Gregorium suffectum esse, num. 9, memorat, alius videtur ab eo qui Toletani I concilii canonibus primus subscripsisse legitur. Denique Innocentii hac in epistola studium eo in primis spectat, ut schisma ex Symphosio, Dictinio aliisque cum honoribus suis in Toletana synodo receptis natum, et latius in dies serpens, comprimat atque componat. Quocirca inter hanc epistolam et illam synodum intervallum aliquod interjectum esse manifestum est. Quantum vero intercesserit, definiri certo nequit. Tantum conjicere licet, epistolam istam ante scriptam esse, quam Hispania bellicis tumultibus perturbaretur, adeoque ante annum 408 quo Constantinus Honorio provinciam illam eripuit. Sed utrum epistola superiori posterior sit, necne, licet ignoremus, ob rerum tamen de clericorum ordinationibus in utraque deflultarum affinitatem, ambas proximas habere lectori gratum atque commodum erit. Neque jam ipsius admodum interest compertum habere tempus quo hæc scripta sit, cum quibus, qua occasione, et quo consilio scripta fuerit, teneat. Hic forte mirabitur nonnemo, quo pacto idem pontifex Toletanæ synodi erga Priscilliani asseclas indulgentiam nunc tam impense laudet ac probet, qui postea clericis a Bonoso ordinatis honores suos servandos esse tam constanter negavit. Verum sapiens sacerdos inter lepram et lepram dijudicare, et quando disciplinæ severitas aut retinenda aut remittenda sit, investigare debet. Quamvis enim eodem spiritu animati sint sancti ecclesiarum duces, diversis tamen temporibus diversa de clericis ab hæresi vel schismate ad Ecclesiam redeuntibus constituerunt. Nicæni patres, can. 8, Novatianos in clero voluerunt permanere. Afris testibus transmarinum concilium, Siricii atque Ambrosii temporibus, ne clerici ab hæresi venientes honores suos servarent, prohibuit. Istud vero, anno 400, Priscilliani asseclis indulgendum censuit Toletanum concilium, ejusque sententiam *proposito unitatis* nunc Innocentius probat, qui anno 414 ecclesiasticæ disciplinæ severitatem circa Bonosiacos acriter vindicabit. Carthaginense autem concilium, anno 401 habitum, hoc temperamento utendum existimavit, ut clericis redeuntibus, ubi eorum reditu aliqua fit unitatis compensatio, serventur honores sui, et ubi nulla est hujusmodi compensatio, negentur (*Cod. can. eccl. Afr.*, *c.* 68).

EPISTOLA III.

De [a] dissensione corruptaque disciplina Ecclesiarum Hispaniæ.

I. *Quod episcopi nonnulli ab aliis ob receptos ab hæresi conversos perperam dissideant.* — II. *De episcopis a Rufino et Minicio in alienis ecclesiis contra canones ordinatis.* — III. *Ut Joannis episcopi causa examinetur, aliorumque qui communionis consortium refugiebant.* — IV. *De vitiosis multorum ordinationibus, ita dissimulari quæ hactenus usurpata sunt, ut in posterum prohibeantur.* — V. *Ut Gregorii Emeritensis episcopi querela discutiatur.* — VI. *Quosnam ad clericatus ordinem admittere liceat: qualesque eligendi sint. Et quod bigamum faciat etiam illa quæ ante baptismum uxor fuit.*

INNOCENTIUS universis episcopis in Toletana synodo constitutis, dilectissimis fratribus, in Domino salutem.

1. *In Hispania schisma. Et canonum contemptus* — Sæpe me et nimia cum teneret cura sollicitum super [b] dissensione et schismate Ecclesiarum, quod per Hispanias latius in dies serpere et citatiore gradu incedere fama proloquitur; necessarium tempus emersit, quo non posset emendatio tanta differri, et deberet congrua medicina provideri. Nam fratres nostri coepiscopus [c] Hilarius, et Elpidius presbyter, partim unitatis amore permoti, partim qua laborat provincia pernicie, ut oportuit, excitati, ad sedem apostolicam commearunt, et in ipso sinu fidei violatam intra provinciam pacem, disciplinæ rationem esse confusam, et multa contra canones patrum, contempto ordine, regulisque neglectis, in usurpatione ecclesiarum fuisse commissa, nec concordiam, in qua fidei nostræ stabilitas tota consistit, posse retineri, cum dolore et gemitu prosecuti sunt: quæ in consessu [d] presbyterii actorum confectione retinentur, et possunt vobis lectione monstrari.

CAP. I. — 2. *Episcopi Bætici propter Gallæcios receptos a cæteris se segregant.* — Jam primum, quod ad ipsam fidem attinet, quod Bætici vel Carthaginenses episcopi, propter Galliciorum communionem, a pace omnium [e] discederunt, orta dissensio est; quæ non solum non minuitur, verum etiam per dies singulos studio contentionis augetur, cum, obtinendi proposito unusquisque quod voluit, æternum orbem mali et circulum quemdam de tali animositate fecerunt: cum utique bono cuique in rebus talibus vinci melius sit, quam malo more pravum

[a] Hunc titulum ac subsequentes e Sirmondo, non e mss. mutuati sumus.

[b] Jam ante concilium Toletanum I quædam inter Hispanos obtinuerat circa ordinationes clericorum dissensio. Quocirca Patruinus episcopus in hujus concilii proœmio sic præfatur: *Quoniam singuli cœpimus in ecclesiis nostris facere diversa, et inde tanta scandala sunt, quæ usque ad schisma perveniunt, si placet, communi consilio decernamus quid ab omnibus episcopis in ordinandis clericis sit sequendum.* Sed post concilium mox dictum, ad hanc schismatis causam accessit altera, cum quos eadem synodus a Priscilliani hæresi ad catholicam communionem conversos in honoribus suis receperat, admitterent alii, alii rejiciendos esse contenderent. Duplici illi tanti mali causæ mederi nunc Innocentius conatur.

[c] Inter eos, qui Toletano I concilio subscripserunt, quarto loco legitur Hilarius.

[d] id est cleri Romani, hoc nomine repetito a digniori gradu. Ad eumdem consessum maxime in hujusmodi causis, etiam convocari solebant episcopi qui Romæ agebant.

[e] Ita mss. Corb. et Colb. At apud Sirm. *dissederunt.* Restituendum potius foret *discesserunt.* Antea in ms. Corb. *Galliarum*, in Colb. *Galliorum*, forte loco *Gallicorum* seu *Gallæcorum.* Ut enim superius ex Idacii Chronico audivimus, Gallæciæ episcopi erant Symphosius, Dictinius et alii qui Toletana in synodo Priscilliani hæresim cum ipso auctore sua subscriptione condemnarunt; quos in pacem receptos iniquo animo tulisse Bæticos et Carthaginenses, atque ideo a cæterorum communione descivisse minime mirum est. Alta Gregorius Eliberitanus episcopus in Bœtica provincia jecerat Luciferiani erroris semina. Neque stupendum est ea ad Innocentii tempora infelicem fructum propagasse.

propositum quod semel placuit obtinere. Nam quæ alia causa, et superioribus temporibus, illius Luciferi præter pertinaciam fuit, quæ eum retraxit a concordia [a] illorum, qui Arianorum hæresim prudenti conversione damnaverant? Eodem studio, [b] Priscilliani detestabili secta omnium merito consensione damnata, receptos in catholicam fidem eos, qui consilio saniore conversi sunt, ægerrime aliquos tulisse cognovimus: quibus factum utile et ipsam ecclesiarum pacem displicuisse detegitur. Nam cum unitatis proposito ipsi quoque [c] Symphosius atque [d] Dictinius, damnantes pravam hæresim, sint recepti, ut personis talibus amputatis exstingueretur penitus innata dissensio; inventi sunt quibus recte facta (*Mss.* facit) ipsa correctio displiceret. Et nunc ecclesiæ dissident, quæ non modica a se animositate dissimulant (*Seu* discordant et in simultates abeunt). Quod si saniore consilio a sacerdotibus fuisset custodita correctio; et status catholicæ fidei integer permaneret, et nullum scandalum concordiam rebus omnibus utilem corrupisset.

3. *Honores illis servatos aliqui iniquo animo ferunt.* — Quæro enim, quare doluerint Symphosium atque Dictinium, aliosque, qui detestabilem hæresim damnaverunt, receptos in fidem catholicam tunc fuisse? [e] Num quod non aliquid de honoribus amiserint quos habebant? Quod si quos hoc pungit aut stimulat, legant Petrum apostolum post lacrymas hoc fuisse quod fuerat: considerent Thomam post dubitationem illam nihil de prioribus meritis amisisse: denique David prophetam egregium post manifestam confessionem suam prophetiæ suæ meritis non fuisse privatum. Quod si emendatio conversionis et errores ipsos amputat, et retinet dignitates; quæ malum ratio est, viam recti et iter quod dirigat ad salutem, proposito pertinaciæ nolle retinere?

4. *Unitatis vis, et schismatis pernicies.* — Quare incumbendum est dilectioni vestræ, et bonis sacer-

[a] In mss., *cum illorum.* Integrior esset sententia in hunc modum: *cum illorum qui Arianorum hæresim prudenti conversione damnaverant, tum illorum qui satisfactionem eorum susceperant.* De eadem re Sulpicius lib. II ita loquitur: *Lucifer in tantum eos qui Arimini fuerant condemnavit, ut se ab eorum etiam communione secreverit, qui eos sub satisfactione vel pœnitentia recepissent. Et cui,* inquit Augustinus epist. 185, n. 47, hujusmodi indulgentia *displicuit, in tenebras incidit schismatis, amisso lumine charitatis.* Quibus in locis cum schisma tantum Innocentius, Sulpicius et Augustinus Lucifero exprobrent, unis ejus discipulis, non ipsi, tribuendus videtur error, quo baptisma iterare ausi sunt.

[b] Sirm. et Lab., *post Priscilliani detestabilem sectam omnium detestatione damnatam.* Præpositio *post* abest a mss. in quibus subinde *consensione* concinnius habetur, quam *detestatione.* Huc spectat quod Hieronymus ad Ctesiphontem scribit, Priscillianum *totius orbis auctoritate damnatum.*

[c] Colb. ms., *Symposius.* Non is credendus est Symposius, qui synodo Cæsaraugustanæ anno 380 adversus Priscillianistas habitæ subscripsit. Quo pacto Symphosius, Dictinius et socii errorem confessi, et professi fidem, ad catholicam communionem admissi sint, in concilio quod sub Leone papa habitum est, e Toletani concilii gestis tom. II Concil. Lab. p. 1229 et seqq. explicatur. In ea autem sententia, quam Toletani patres de IIis ferunt, notandum, quod Paterno, ut ecclesiam in qua constitutus fuerat teneret, permittentes, addunt, *recepturi etiam* (eum) *in nostram communionem, cum sedes apostolica rescripserit;* idemque de reliquis Gallæciæ episcopis, qui semper in Symphosii communione perstiterant, decernentes, simul et eos exspectare volunt *pari exemplo, quid papa qui nunc est, quid S. Simplicianus Mediolanensis episcopus reliquique ecclesiarum rescribant sacerdotes.* Ubi obiter observare licet Romanum episcopum simplici *papæ* nomine designatum. Prosequuntur Toletani patres: *Symphosius autem senex religiosus, qui quod egerit supra scripsimus, in ecclesia sua consistat... inde* (id est, a papa et ab episcopo Mediolan.) *exspectabit communionem, unde prius spem futuræ pacis acceperat. Quod observandum etiam Dictinio et Anterio esse decrevimus.* Tum proxime sequitur: *Constituimus autem, prius quam illis per papam* (en rursum *papæ* nomen pro Romano pontifice) *vel per S. Simplicianum communio redditur, non episcopos, non presbyteros, non diaconos ab illis ordinandos.* Cur sententiam de omnibus episcopis illis ita ferunt, ut exspectari velint, donec iisdem communio litteris apostolicæ sedis atque antistitis Mediolanensis reddatur? Lucem huic quæstioni conferunt similia decreta tum concilii Carthaginensis anno 401, Junii 18 die, habiti, tum alterius eodem anno Septembris 13 die celebrati, quibus, uti videre est in Codice can. Eccl. Afr., c. 65, Afri ad Anastasium Romanum pontificem et Venerium Mediolanensem episcopum mittendum esse constituunt, ut et infantes a Donatistis baptizatos ad clerum promovere, et clericos qui a Donatistis ad catholicam unitatem transire voluerint, ubi hoc paci Christianæ prodesse visum fuerit, in suis honoribus recipere sibi per eos liceret. Hujus quippe rei rationem subjiciunt, quia *ex his sedibus hoc fuerat prohibitum.* Neque enim obscure docent Toletani patres, ideo se prædictis episcopis exspectandam statuisse Romani Mediolanensisque præsulum communionem, quia de iis etiam jam ex illis sedibus quoddam judicii genus præcesserat, quatenus Ambrosius et Siricius iis quasdam pacis conditiones litteris præscripserant. Unde Hispanorum de Vegetino absolutior est sententia in hunc modum: *Vegetinum autem, in quem nulla specialiter dicta fuerat ante sententia, data professione quam synodus accepit, statuimus communioni nostræ esse reddendum.*

[d] Ille Dictinius Priscilliani placita non modo secutus erat; sed et libris asseruerat. Postmodum vero in concilio Toletano quæcumque male vel senserat vel scripserat detestatus, dixit: *Omnem præsumptionem meam de scriptis meis arguo atque condemno.* Et mox: *Iterum repeto, in priori comprehensione mea et in principiis conversionis meæ quæcumque conscripsi, omnia me toto corde respuere.... Excepto nomine Dei omnia anathematizo... Omnia quæ inveniuntur contra fidem cum ipso auctore condemno.* Illius tamen scripta supprimi non ita accurate valuerunt, quin et ad Leonis papæ tempora *a multis cum veneratione legerentur,* quibus quidem is papa epist. 17, n. 19, auctor est, ut *reparationem ejus magis debeant amare quam lapsum.*

[e] Sirm. cum mss. Corc. et Colb., *Numquidnam aliquid.* Codex Bonævallis, *Nam quod non aliquid.* Ex duobus primis revocato *num,* et ex postremo *quod non,* integra et perspicua jam habetur lectio. Ea ipsa exempla, quibus Innocentius clericis post pœnitentiam honores servari licere nunc probat, eadem de causa adhibet et Augustinus epist. 185, n. 45: *Nam et sanctus David, inquit, de criminibus mortiferis pœnitentiam agit, et tamen in honore suo perstitit: et beatum Petrum, quando amarissimas lacrymas fudit, utique Dominum nescisse pœnituit, et tamen apostolus mansit.*

dotibus adnitendum, quatenus præeunte doctrina [a] in A unitatem catholicæ fidei omnes qui dispersi sunt congregentur; et esse inexpugnabile unum corpus incipiat, quod si separetur in partes, ad omnes patebit lacerationis injurias, et ex sese pestem patietur internam, quando secum compago ipsa confligit. Sed hæc generaliter de unitatis reformatione omnes, tamquam singulis scripta sint, accipiant sacerdotes. Dehinc in partes animum super omnibus dilectio vestra quæ proponentur intendat.

Cap. II. — 5. *Rufinus et Minicius usurparunt alienis in ecclesiis ordinationes.* — Non enim latere potuit, quod Rufinus atque Minicius episcopi in alienis ecclesiis, contra Nicænos canones, episcopos usurpaverunt ordinare. Hæc (*Nicæn. can.* 4, 6 et 16) ne quis sibi audeat vindicare, saltem nunc a nobis est B salubriter providendum : ne improba [b] usurpatione dissimulatio in deterius convalescat, et fiat de consuetudine regula, quæ non veniat ab ipsa quæ litteris mandata est disciplina. Qua in re Hilarii fratris et consacerdotis nostri querela primitus audiatur, qui asseruit Rufinum contra ecclesiarum pacem omni oppugnatione fuisse versatum, et dudum in concilio [c] Toletano erroris sui veniam postulasse, et nunc, cum metropolitano episcopo ordinandi [d] sacerdotes pontificium deberetur, contra populi voluntatem et disciplinæ rationem, episcopum locis abditis ordinasse, ecclesias scandalis miscuisse. Dehinc Tarraconensium episcoporum est causa tractanda, qui pari modo Minicium in Gerundensi ecclesia episcopum ordinasse conquesti sunt; et juxta Nicænos C [e] canones ferenda est de tali usurpatione sententia. Illorum etiam episcoporum, qui a Rufino vel a Minicio contra regulas ordinati sunt, habeatur plena discussio : ut quia perperam facti sunt, intelligant id, quod vitioso initio adepti sunt, se diutius obtinere non posse.

Cap. III. — 6. *Ut abdicetur Joannes, si decreto de recipiendis ad Ecclesiam redeuntibus, cui subscripserat, repugnare non desinat.* — De Joanne quoque episcopo, cujus in synodo Toletana super receptis Symphosio atque Dictinio per legatos consensus accessit, et cui probabilis visa illa correctio, examinentur quæ postea sunt secuta. Et prorsus super omnibus, quorum in dubium venit de cessatione communio, plena inquisitio vestigetur, ut secundum decretum synodi Toletanæ, vel communionis consortio propter abolendam suspicionem schismatis misceantur, vel si qui fuerint deprehensi qui [f] abnuant concordiam et constituta placitorum, a communione catholicæ fidei per dilectionis vestræ sententias abdicentur : ut jam non internum malum, quod tacitum non desinit [g] semper, sed schismaticorum manifesta professio contagioque vitetur.

Cap. IV. — 7. *Ordinationes quædam contra canones, pacis ergo tolerandæ. Sed deinceps irritæ sint, et earum auctores deponendi.* — Nam de ordinationibus, quas pravæ consuetudinis vitio Hispanienses episcopos celebrare cognoscimus, fuerat aliquid secundum majorum traditionem statuendum, nisi perpenderemus ne perturbationes [h] quam plurimas ecclesiis moveremus. Quorum factum ita reprehendimus, ut propter numerum corrigendorum ea, quæ quoquo modo facta sunt, in dubium non vocemus, sed Dei potius judicio dimittamus. Quantos enim ex his, qui post acceptam [i] gratiam in forensi exercitatione ver-

[a] Qua scilicet et schismatis seu hæreseos perversitas et catholicæ fidei rectitudo comprobentur, *ut tenebras erroris lux veritatis expellat*, inquit Augustinus epist. 93, n. 3, atque Ecclesia potius correctos, quam perversos suscipere videatur.

[b] Clarius diceretur, *ne improba usurpatio dissimulatione.*

[c] Ita ms. Colb. ubi in Corb. *Tholosano.* Hic recolendum est Toletanæ synodi gesta nequaquam plena et integra ad nos pervenisse, sed eorum dumtaxat fragmenta, posteriore in concilio, prout tunc conducebat, recitata; neque in hoc concilio recitata esse, nisi quæ ad Priscillianistas attinerent. Rufinus autem ex iis potius exstitit episcopis, de quibus Patruinus in præfatione Toletani I concilii queritur, qui videlicet illegitimas ordinationes aggressi, ea excitarunt *scandala, quæ usque ad schisma pervenirent*, non ex iis qui Priscilliano addicti fuerant. Idem sentiendum et de Minicio. Unde et gestorum Toletani D concilii pars, quæ ad illos attinebat, prædicto in concilio prætermissa.

[d] Sirm. et Lab., *sacerdotis*. Rectius mss. *sacerdotes.* Episcopos cujusque provinciæ citra metropolitani consensum ordinari vetant concilium Laodicenum can. 12, Nicænum can. 4 et 6, Antiochenum can. 19. Vide et Ferrandum Breviar. can. c. 4. Episcopi autem *in abditis locis* creatio Sardicensis concilii canoni 6 adversatur.

[e] Eum, qui ita fuerit ordinatus, episcopum esse non debere Nicæna synodus can. 6 declarat. Quod et Antiochenum concilium can. 13 confirmans, insuper et in usurpatæ ordinationis auctores depositionis pœnam decernit.

[f] Corb. ms., *qui abnegant.*

[g] Apud Lab. et Sirm., *non desinit serpere*, ubi in mss. *non desinit semper*, forte pro, *non se sinit semper.* Nempe Innocentius nolens quemquam quavis interni mali suspicione, sed tantum ubi manifesta est ejus professio, vitari, aptam rationem reddit, quia malum internum non semper tacitum aut intus contineri se sinit, sed erumpere tandem ac verbis aut gestis prodere se solet. Eoque pacto grave cavet incommodum, in quod lapsi erant Ithaciani schismatici, seu qui eorum hortatu in Hispanias a Maximo imp. ad inquirendos Priscillianistas missi fuerant, de quibus Sulpicius hæc litteris mandavit : *Nec dubium erat, quin sanctorum maximam partem tempestas illa depopulatura esset, parvo discrimine inter hominum genera. Etenim tum solis oculis judicabatur, cum quis pallore potius aut veste, quam fide, hæreticus existimaretur.*

[h] Ita ms. Corb. cum quo Colb. retinens *quam plurimas*, subdit etiam *ecclesias.* At Sirm. substituit, *quam plurimis ecclesiis.* Augustinus eo Spiritu animatus, quo Innocentius, lib. III cont. Epist. Parmen. n. 14 scribit : *Cum idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis restat, quam dolor et gemitus. Nam tunc*, inquit paulo post, *consilia separationis et inania sunt et perniciosa atque sacrilega; quia et impia et superba fiunt, et plus perturbant infirmos bonos, quam corrigunt animosos malos.* Quocirca et subinde num. 16, et epist. al. 64, nunc 22, n. 5, quam circumspecte corripienda sit multitudo explicat. Quod quamvis de populi multitudine proprie dictum, ad omnem delinquentium multitudinem apte accommodetur.

[i] Vox *baptismi*, quæ hic apud Sirm. et Lab. addi-

sati sunt, et obtinendi [a] pertinaciam susceperunt, adscitos ad sacerdotium esse comperimus! e quorum numero Rufinus et Gregorius perhibentur; quantos ex aliqua militia, qui cum potestatibus obedirent, [b] necessario præcepta sunt exsecuti! quantos ex curialibus, qui dum parent potestatibus, quæ sibi sunt imperata fecerunt! quantos qui voluptates et editiones [c] populo celebrarunt, ad honorem summi sacerdotii pervenisse! quorum omnium neminem ne ad societatem quidem ordinis clericorum oportuerat pervenire. Quæ si singula discutienda mandemus, non modicos motus aut scandala Hispaniensibus provinciis, quibus mederi cupimus, de studio emendationis inducemus. Idcirco remittenda hæc potius putamus. Sed ne deinceps similia committantur, dilectionis vestræ maturitas providere debebit, ut tantæ usurpationi saltem nunc finis necessarius imponatur : eo videlicet constituto, [d] ut si qui post hæc adversus formas canonum vel ad ecclesiasticum ordinem, vel ad ipsum sacerdotium venire tentaverint, una cum creatoribus suis ipso, in quo inventi fuerint, ordine et honore priventur.

CAP. V. — 8. *Gregorii Emerit. querela audiatur.* — GREGORII etiam Emeritensis episcopi, qui in locum PATRUINI [e] venerabilis recordationis est ordinatus, querela, si qua est, audiatur : et si contra meritum suum passus est injuriam, in invidos honoris alterius vindicetur : nec posthac in quemquam bonorum spiritus factionis insurgat.

CAP. VI. — 9. *Nicænæ regulæ in ordinationibus servandæ. Qui ab ordinibus arcendi.* — Et quamvis dilectioni vestræ, fratres carissimi, regulæ Nicænæ sint cognitæ, secundum quas ordinationes faciendas esse per sententiam [f] decernitis; tamen aliquam partem, quæ de ordinationibus est provisa, inserendam putavi, [g] ut secundum hanc ordinationes in posterum celebrandas, ne cui interpretandi aliter liberum arbitrium relinquatur. Ac primum quæ sunt prohibita digeruntur. Ne quispiam, qui post baptismum militaverit, ad ordinem debeat clericatus admitti; neque qui causas post acceptum baptismum egerint; aut qui post acceptam Dei gratiam administraverint : neque de curialibus aliquem venire ad ecclesiasticum ordinem posse, qui post baptismum vel coronati [h] fuerint, vel sacerdotium quod dicitur sustinuerint, et editiones publicas celebraverint. Nam et hoc de curialibus est cavendum, ne iidem qui ex curialibus fuerint, aliquando a suis curiis, quod frequenter videmus accidere, reposcantur. Quæ omnia rationabiliter prohibita oportet modis omnibus custodiri.

10. *Qui eligendi. Uxorum baptismum non aboleri.* — Quales vero eligendi sint in ordine clericorum, evidens forma declarat : id est, qui ab ineunte ætate baptizati fuerint, et [i] lectorum officio sociati; vel si majores sint, cum fuerint Dei gratiam consecuti, statim se ecclesiasticis ordinibus manciparint. Et si uxores habuerint, quærendum si uxorem virginem acceperint : quia scriptum est in veteri Testamento, *Uxorem virginem accipiat sacerdos* (*Levit.* XXI, 13);

tur, exstat quidem in decurtatis epistolæ hujus exemplaribus, sed in integris reticetur. Quomodo in epistola superiori n. 5, *post remissionem peccatorum*, ita nunc *post acceptam gratiam*. idem sonat quod post acceptum baptismum. *Gratiæ* nomine baptismum pariter designat Leo epist. 18, n. 4, ubi scribit : *Ipsa igitur operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ* (loco *celebrandi baptismi*) *eum esse legitimum diem*, quo scilicet Christus sepultus resurrexit. Rursum infra Innocentius n. 11, sicut et Cyprianus epist. 76, ad Magnum, et Damasus epist. 9, n. 1, baptismum *gratiam Dei* vocant. Idem sacramentum aliis, immo Innocentio ipsi *gratiam Christi et gratiæ Christianæ sacramentum* appellare familiare est.

[a] Hic notari videntur actores causarum, qui licet iniquas interdum suscipiant, eas tamen eloquentiæ vi ac pertinaci studio obtinere nituntur.

[b] In aliquot exemplaribus hic adjicitur *severa;* quod a sincerioribus abest. Eadem ratione nunc dicitur. *præcepta sunt exsecuti*, qua mox, *quæ sibi sunt imperata fecerunt*. Utroque in loco militiæ et curiæ adstrictos, ad ea agenda quæ a clero eos arceant, cogi solere significatur. Apud Granatium dist. 51, c. 4, Toletani I concilii canon 8 ita interpolatus exhibetur : *Si quis post baptismum militaverit, et chlamydem sumpserit aut cingulum ad necandos fideles* (tria postrema verba in Toletani concilii codicibus non exstant), *etiamsi graviora non admiserit, si ad clerum admissus fuit, diaconi non suscipiat dignitatem.* Eadem autem præjudicata opinio, quæ hujus canonis interpolationi locum dedit, etiam ut hic vox *severa* adjiceretur, videtur in causa fuisse.

[c] Ex epistola superiori, n. 15, supple *ludorum vel munerum.*

[d] In exemplaribus Isid. hic adjicitur, *ut quicumque tales ordinati fuerint, cum ordinatoribus suis deponantur :* quod merum est scholion marginale seu summarium capitulum Innocentii explicans textum. In iisdem libris mox pro *creatoribus* substitutum est *ordinatoribus*.

[e] Qui Patruinum, cujus in præfatione Toletani I concilii nomen legitur, quique eidem primus subscripsit, Toletanum episcopum arbitrati sunt, hoc loco emendantur. Gregorius vero successorem habuisse videtur Antoninum, quem Idacius in Chronico olymp. 306, n. 21, Emeritensem ecclesiam eo tempore, quo Turibius Asturicensem, hoc est Leonis ætate, rexisse tradit.

[f] Nimirum, uti post Sirmondum in Monito observavimus, Patruino præloquente, in ipsius Toletani concilii præfatione.

[g] Orationis series hic postulat *et secundum*. Et quidem antiquariis *ut* pro *et*, ac vicissim *et* pro *ut*, frequens excidit. Vetus est hic lapsus, quem resarcire volens Isidorus Merc. post verbum *celebrandas*, addidit *esse sciamus*. Ex ejus exemplaribus idem additamentum translatum est in Noviomensem collectionis Hispanæ codicem, non in Laudunense collectionis ejusdem exemplum.

[h] In iis scilicet solemnitatibus, quæ de gentili ritu manabant, et in quibus magistratus sacerdotium dæmonum cultui dicatum repræsentare cogebantur. Quo spectat illud Tertulliani lib. de Corona c. 10 : *Habes omnium collegiorum sacerdotalium coronas apud Claudium :* cujus nimirum, ut ibidem cap. 7 memoratur, exstabat *de Coronis liber et origines et causas et species et solemnitates earum docens.*

[i] Lab., *et electorum officio deputati :* emendatur ex aliis libris. Et eorum quidem lectio confirmatur hic Siricii epist. I, n. 13 : *Quicumque se Ecclesiæ vovit obsequiis ab infantia sua...* LECTORUM *debet officio* SOCIARI; et num. 14 : *Qui vero jam ætate grandævus... eo quo baptizatur tempore statim lectorum aut exorcistarum numero* SOCIETUR.

et alibi, *Sacerdotes mei semel nubant*. Neque qui duos A uxores habuerit (*Vide epistolam superiorem. n.* 9), quia Paulus apostolus ait, *Unius uxoris virum* (I *Tim.* III, 2). Nec illud debere admitti, quod aliquanti pro defensione pravi erroris opponunt et asserunt, quod ante baptismum uxor accepta non debeat imputari, quia in baptismo omnia dimittuntur; non intelligentes hujusmodi, quod sola in baptismo peccata dimittuntur, nec uxorum numerus abolelur. Nam si *a Deo*, ut scriptum est, *præparatur viro uxor* (*Prov.* XIX, 14), et *quod Deus junxit, homo non separet* (*Matth.* XIX, 6; *Gen.* I, 28); et ipsi auctores generis humani in origine a Domino benedicuntur: quomodo inter peccata, ista creduntur posse dimitti? Quod si secundum illos qui ita credunt verum est; ergo omnis justitia, quæ a catechumenis ante baptismum B fuerit operata, per baptismum auferetur. Nullus ergo contra Apostolum tale aliquid sentiat, nec admittat: sed fideliter intelligat, *unius uxoris virum* sive ante baptismum sive post baptismum esse nominatum. Si enim uxor ante baptismum accepta non ducitur in numerum, nec filii ex eadem suscepti inter filios poterunt numerari. Quod quam absurdum sit atque alienum, prudentia vestra melius æstimabit. Unde nemini liceat interpretari aliter divinas Scripturas, nisi quod recta ratio permittit: ne dum [a] remedia sibi iniqua ad excusationem præparant, et corrupisse legem, et regulas evertisse judicentur. Sed ea tenenda sunt, quæ et divinarum Scripturarum series continet, et a sacerdotibus utili ratione sunt instituta. *Et alia manu.* Bene valete, fratres charissimi. C

EPISTOLA EADEM.

Cujusmodi decurtata exstat in veteribus Isidori Mercatoris exemplaribus, ut et in Novioniensi, Laudunensi et Bellovacensi collectionis Hispanæ, et qualis in Romana pontificiarum epistolarum editione ac priscis conciliorum vulgata est.

I. *De Spaniorum repressione* (*pro reprehensione*) *qui inordinate constituunt clericos.* — II. *Ut causidici, vel curiales, vel sæculari militiæ dediti ad clerum non admittantur.* — III. *Ut quicumque tales ordinati fuerint, cum ordinatoribus suis deponantur.* — IV. *Quales eligendi sunt in ordine clericorum.* — V. *De eo qui ante baptismum uxorem habuerit, et post baptismum aliam, clericus non fiat.*

INNOCENTIUS universis episcopis in Toletana (*plures mss.* Tolosana) synodo constitutis dilectissimis fratribus in Domino salutem.

Sæpe me et nimium cum teneret cura sollicitum super dissensionis schismate ecclesiarum, quod malum per Spanias latius in dies separationis gradu incedere fama prosequitur; necessarium tempus emersit, quo non possit emendatio tanta differri, et deberet congrua medicina provideri. Nam de ordinationibus, quas pravæ consuetudinis vitio Spanienses, *et reliqua deinceps ut in superiore exemplo a num.* 8 *usque ad finem, nisi quod num.* 9 *contenta, etiam hic prætermittuntur: adeo ut solis retentis generalibus decretis, cætera quæ ad causas personasve singulares attinent, suppressa sint.*

EPISTOLA IV [b].

JOANNIS CONSTANTINOPOLITANÆ URBIS EPISCOPI AD INNOCENTIUM PAPAM.

Quam injuste urbe et ecclesia sua Theophili factione pulsus sit, et quanta mala sive tum, sive postea patrata fuerint.

(Hæc epistola proprius habetur inter cæteras S. Chrysostomi, ubi videsis tom. III operum S. Doctoris.)

EPISTOLA V [c].

INNOCENTII I PAPÆ AD THEOPHILUM ALEXANDRINÆ ECCLESIÆ EPISCOPUM.

Se a Joannis communione discedere non posse, nisi legitimo judicio damnetur. Theophilus ad canonicam synodum provocatur.

Frater Theophile, nos et te et fratrem Joannem habemus nobis communicantes, sicut et in prioribus litteris [d] mentem nostram manifestam fecimus. Ac ne nunc quidem ab eodem proposito desistentes, rursum tibi eadem scribimus, et quotiescumque ad nos rescripseris, fieri scilicet non posse, ut nisi con-

Ἀδελφὲ Θεόφιλε, ἡμεῖς καί σε ἴσμεν κοινωνικὸν καὶ τὸν ἀδελφὸν Ἰωάννην, ὡς καὶ ἐν πρώτοις γράμμασι φανερὰν ἡμῶν τὴν γνώμην ἐποιήσαμεν· καὶ νῦν δὲ οὐκ ἐκστάντες τῆς αὐτῆς προαιρέσεως, πάλιν σοι τὰ αὐτὰ γράφομεν, καὶ ὁσάκις ἂν ἀποστείλῃς, ὅτι ἐὰν μὴ δέουσα κρίσις παρακολουθήσῃ ἐπὶ τοῖς παιγνιωδῶς γεγενημένοις, ἀμήχανόν

[a] In mss. coll. Hisp. et Isid. hic adjicitur *quidam*. D

[b] In edit. Concil. post 27. A Palladio in dialogo de vita S. Joannis Chrysostomi nobis transmissa est. Inde Romæ inter epistolas Romanorum pontificum primum latine ex interpretatione Ambrosii Camaldulensis edita, post etiam græce in fronte epistolarum Chrysostomi cum nova interpretatione latina excusa est. Demum anno 1680, Emerici Bigotii studio cum toto Palladii dialogo castigatior et elegantior prodiit. Eamdem de integro ad mss. Coslinianum et Hamburgensem exegimus. Proxime post violentiam ecclesiæ Constantinop. ab adversariis Chrysostomi in vigilia Paschæ illatam, adeoque circa mensem Aprilem anni 404 scripta est.

[c] In edit. Concil. 31; quæ autem 5 erat, nunc 58. A Palladio, cui uni debetur, paginæ 24 dialogi de vita Chrysostomi sine titulo aut inscriptione inserta est. Ex interpretatione Ambrosii Camaldulensis inter pontificias epistolas latine Romæ excusa, et exinde in editionibus conciliorum recusa fuit. Ejus scribendæ occasionem ac tempus idem Palladius ibid. sic docet: Paucis post diebus, quam Innocentius a Theophilo per Alexandrinum lectorem accepisset, eidemque reddidisset litteras, rursum Theophili nomine in Urbem venerunt Petrus ipsius presbyter et Martyrius ecclesiæ Constantinopolitanæ diaconus, aliam Theophili epistolam cum quibusdam adversus Joannem gestis deferentes. Quibus perlectis Innocentius, cum nullas graves esse accusationes comperisset, novos illos legatos cum hac altera epistola dimisit. Unde illam non longo post superiorem intervallo scriptam esse colligitur.

[d] Non exstant hæ litteræ.

grunm judicium subsequatur super his quæ per ludibr um gesta sunt, sine ratione a Joannis communione discedamus. Tu igitur, si judicio confidis, siste te ad synodum quæ secundum Christum [a] fuerit, et ibi expositis criminationibus [b] sub testibus Nicæni concilii canonibus (alium enim canonem Romana non admittit ecclesia), securitatem habebis contradictionis expertem.

A ἐστιν ἀλόγως ἡμᾶς ἀποστῆναι τῆς Ἰωάννου κοινωνίας. Ὡς γοῦν, εἰ θαῤῥεῖς σὺ τῷ κριτηρίῳ, ἀπάντησον τῇ κατὰ Χριστὸν γεγενημένῃ συνόδῳ, κἀκεῖ τὰς αἰτίας γυμνάσας ὑπὸ μάρτυσι τοῖς Νικαίας κανόσιν, ἄλλον γὰρ κανόνα ἡ Ῥωμαίων οὐ παραδέχεται ἐκκλησία, ἀναντίῤῥητον τὴν ἀσφάλειαν σχήσῃ.

EPISTOLA VI [c].

I. [d] *De incontinentia sacerdotum vel levitarum.* — II. [e] *De ultima pœnitentia.* — III. [f] *De administratoribus.* — IV. *Quod viri cum adulteris uxoribus non conveniant.* — V. *Quod qui preces vel criminales dictant, habeantur immunes.* — VI. *Quod ii qui intercedente repudio divortium pertulerunt, si se nuptiis aliis junxerint, adulteri esse monstrentur.* — VII. *Qui libri in canone recipiantur.*

B

INNOCENTIUS [g] EXSUPERIO episcopo Tolosano salutem.

1. Consulenti tibi, frater charissime, quid de proposita specie unaquaque sentirem, pro captu intelligentiæ meæ quæ sunt visa respondi, quid sequendum vel [h] docilis ratio persuaderet, vel auctoritas lectionis ostenderet, vel custodita series temporum demonstraret. Et quidem dilectio tua, institutum secuta prudentium, ad sedem apostolicam referre maluit quid deberet de rebus dubiis custodire, potius quam usurpatione præsumpta quæ sibi viderentur de singulis obtinere. Cur enim magis pudendum putemus discere aliquid, quam omnino nescire? Mihi quoque ipsi de collatione docilitas accedit, dum [i] perscrutatis rationibus ad proposita respondere compellor: eoque fit, ut aliquid semper addiscat, qui postulatur ut doceat. Proponam igitur singula, subjiciamque responsum.

CAP. I. — 2. Proposuisti, quid de his observari debeat, quos in diaconii ministeriis aut in officio presbyterii positos, incontinentes esse aut fuisse, generati filii prodiderunt (*Dist.* 82, *c.* 2; *Ivo p.* 6, *c.* 57; *Agathense concil. c.* 9). De his et divinarum legum manifesta est disciplina, et beatæ recordationis viri Siricii episcopi monita (*Epist.* 1 *c.* 7, *et epist.* 5, *n.* 3) evidentia commearunt, ut incontinentes in officiis talibus positi, omni honore ecclesiastico priventur, nec admittantur accedere ad [j] ministerium, quod sola continentia oportet impleri. Est enim vetus admodum sacræ legis auctoritas, jam inde ab initio custodita, quod [k] in templo anno vicis C suæ habitare præcepti sunt sacerdotes (*Luc.* I); ut servientes sacris oblationibus, puros et ab omni labe

[a] Bigotius præferens *cogitur*, sequi videtur lectionem Georgii Alexandr. in vita Chrysostom. γενομένῃ pro γεγενημένῃ exhibentis. Vertit Ambrosius Camald. *accurre ad synodum proxime in Christo celebrandam*: quod eum γενουμένῃ legisse indicio est. Existimat Tillemontius Innocentium de futura synodo velut certum loqui, quia Honorius, qui Romæ tum versabatur, eam ab Arcadio petiturum se spopondisset. Verum si spem illam aliquando certam habuit hic papa, non diu habuit. Quippe circa mensem Maium hujus anni 404, ad Joannem ac socios rescripsit, potentes ad malum sibi obstare, quominus ipsis opem ferre citius valeret. Quocirca Innocentium nihil hic aliud sibi velle intelligimus, nisi ut Theophilum ad legitimam synodum provocet, *dicens debere aliam cogi synodum irreprehensibilem Occidentalium et Orientalium*, ut loquitur Palladius pag. 23.

[b] Ambros. Camald. istud ita interpretatur: *et illic juxta Nicænos canones et decreta contende. Alios quippe.* His verbis, ut in epistolam 7 commodius exponetur, Theophilum Innocentius præmonet, cum Antiochenis canonibus frustra niti.

D

[c] In edit. Concil. 3; quæ autem 6 erat, nunc 39. In omnibus exstat omnium generum antiquis collectionibus, puta Isidori, Hispana, Hadriani I, Dionysii Exigui, Codicis a Quesnello vulgati. Eamdem exhibent codex Corbeiensis sæculo VI exaratus, Colbertinus majusculis literis Langobardicis descriptus, etc. Ad hæc anno 506 ab Agathensi concilio can. 9 laudata legitur. Quocirca ridet merito vir eruditus nec refutatione dignum censet heterodoxum quemdam, qui epistolam istam Innocentio hac una ratione abjudicari velit, quod Siricius in ea citetur. Quasi vero pontifice indignum sit, quod ipse definit, decessorum suorum decretis firmare. Sed et Innocentio ea proposita erat quæstio, quæ Siricii constitutionem ab ipso memorari necessario postulabat, ut sententiam suam adversus eos, qui aut scientes aut ignorantes peccassent, æquo discrimine moderaretur.

[d] Titulos istos ex Dionysio Exiguo descripsimus; ita tamen, ut qui nobis primus, ipsi XXI sit, et qui nobis septimus, ipsi sit XXVII. In vetusto Colbertinæ bibliothecæ exemplari epistola ista inscribitur, *Innocentii papæ ad Exsuperium episcopum Tolosanum, per quam ei in sex titulis interrogationum ejus causas et suæ responsionis decreta exposuit: ubi subdidit divinorum librorum veteris et novi Testamenti summarium.*

[e] Edit. concil. necnon coll. Hisp. et Isid. post vetustum codicem Corb., *De iis, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ dediti, in ultimo pœnitentiam poscunt.*

[f] Corb. ms. cum Isid., *De iis, qui post baptismum omni tempore administraverunt, et sæva tormenta exercuerunt.* In priscis edit. concil., *De administratoribus vel judicibus sæcularibus.*

[g] Ita plerique mss. non ut in vulgatis, *Exuperio.* Mox plures probæ notæ omittunt *salutem*; quæ vox a Dionysio primum videtur adjecta. Exsuperii merita non uno in loco Hieronymus laudat. De illo ad Ageruchiam epist. 11 scribit: *Non possum absque lacrymis Tolosæ facere mentionem, quæ ut huc usque non rueret, sancti episcopi Exsuperii merita præstiterunt*: et in fine epistolæ 4, ad Rusticum, inter alia, *Nihil illo ditius, qui corpus Domini in canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.*

[h] Codex Colb. Langob. et alter ms., *vel lucidior ratio.*

[i] Antiquiores mss., *præscrutatis*; et infra, *qui postulatur docere.*

[j] Apud Merl. et Crab. ut in mss. coll. Dion. Hisp. et Isid., *tale ministerium.* Melius abest *tale* ab aliis libris.

[k] Sex antiqui mss., *in templis.* Deinde quatuor, *anno vicissitudinis suæ.*

purgatos sibi vindicent divina [a] ministeria (I *Paralip.* XXIV) : neque eos ad sacrificia fas sit admitti, qui exercent vel cum uxore carnale consortium, quia scriptum est : *Sancti estote, quia et ego sanctus sum Dominus Deus vester* (*Levit.* XI, 44, *et* XX, 7). Quibus utique, propter sobolis successionem, [b] propterea uxorius usus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu ad sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere, quanto magis (*Confer. concil. Turon.* I, *an.* 461, *c.* 1) hi sacerdotes vel levitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debent, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel a sacrificiis divinis, vel a baptismatis officio vacent! Nam si Paulus ad Corinthios scribit dicens, *Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi* (I *Corint.* VII, 5) ; et hoc utique laicis præcepit ; multo magis sacerdotes, quibus et orandi et sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere. Qui si contaminatus fuerit carnali concupiscentia, quo pudore vel sacrificare usurpabit, aut qua conscientia quove merito exaudiri se credit, cum dictum sit : *Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil mundum* (*Tit.* I, 15)?

3. Sed fortasse hoc licere credit, quia scriptum est, *unius uxoris virum* (I *Tim.* III, 2). Non [c] permanentem in concupiscentia generandi hoc dixit, sed propter continentiam futuram. Neque enim integros corpore non admisit, qui ait, *Vellem autem omnes sic esse, sicut et ego* (I *Cor.* VII, 7) : et apertius declarat, dicens, *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem jam non estis in carne, sed in spiritu* (*Rom.* VIII, 9) : et [d] *habentem filios* (I *Tim.* III, 4), non generantem, dixit.

4. Sed ea plane dispar et [e] divisa sententia est. Nam si ad aliquos forma illa ecclesiasticæ vitæ pariter et disciplinæ, quæ ab episcopo Siricio ad provincias commeavit, non probabitur pervenisse, his ignorationis venia remittetur, ita ut de cætero penitus incipiant abstinere. Et ita gradus suos, in quibus inventi fuerint, sic retenent, ut eis non liceat ad potiora conscendere. Quibus in beneficio esse debet, quod hunc ipsum locum, quem retinent, non amittunt. Si qui autem scisse formam vivendi missam a Siricio detegentur, neque statim cupiditates libidinis abjecisse ; illi sunt modis omnibus submovendi, [f] qui post admonitionem cognitam, præponendam arbitrati sunt voluptatem.

CAP. II. — 5. Et hoc quæsitum est, quid de his observari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ suæ pœnitentiam simul et reconciliationem communionis exposcunt (23, *q.* 4, *c.* 45).

6. De his observatio prior, durior ; posterior, interveniente misericordia, inclinatior. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, merito negata communio est ; concessa pœnitentia, ne totum penitus negaretur : et duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam depulso terrore, communionem dari [g] abeuntibus pla-

[a] Merl. Crab. et plerique mss., *mysteria*. Retinemus cum ms. Pith. necnon edit. Rom. et aliis, *ministeria*. Siricius quidem epist. 1, n. 11, sancit, sacerdotes ac levitas incontinentes *nec umquam posse divina attrectare mysteria :* sed ibi de sacerdotibus ac levitis novæ legis loquitur. Sequentia autem cum Gratianus dist. 31, c. 6, sic laudat, *Eos ad sacrificia fas sit admitti, qui vel cum uxore non exercent carnale officium*, adulteratæ Innocentii sententiæ merito postuletur. Eam ipse dist. 82, c. 2, fidelius refert.

[b] In edit. Rom. secundum Merl. et Crab. hic suppresso *propterea*, mox post verba *ex alia tribu* additur, *præter* (Crab. minusculis litteris *quam*, quod in edit. Rom. sine ulla distinctione est expressum) *ex semine Aaron :* refragantibus mss.

[c] Crab. et edit. Rom., *ad permanentem*. Lab., *de permanente*. Quesn., *propter manendum*. Unus ms. Colb., *propter permanentem*. Noviom. et Laudun. cum Merlino, *permanenti*. Alii plus duodecim, iique antiquiores, *permanentem :* sicque legendum esse subsequens nota confirmabit.

[d] Rursum edit. Rom. post. Crab., *et ad habentem*, perperam addita præpositione *ad*. Ambrosius epist. 63, ad Vercell., n. 22, eamdem sententiam iisdem Apostoli verbis illustrat in hunc modum : *habentem enim dixit filios, non facientem*. Antea eædem edit. post Merlin., *Quod et apertius*, addito *quod* præter fidem mss.

[e] Edit. Rom. et posteriores concil. *diversa :* quod in uno tantum ms. Pith. reperimus. Ex aliis libris revocamus *divisa*, scilicet in duas partes, quarum una ad eos attinet, qui decreta Siricii ad provincias missa ignorantes peccaverunt, altera ad eos qui scientes

[f] Editi, excepto Quesn. *quia post :* refragantibus mss.

[g] Sic Lab., Sirm. et plures ac potiores mss. Alii vero editi, *obeuntibus* ; et infra cum Dion. et Isid. *subsequi*, pro *sequi*. Disciplina illa durior, ab Innocentio memorata, maxime in Eliberitano concilio can. 6, 7, 8, etc., obtinet. Obtinuerat et antea in Africa, sed apud quosdam duntaxat episcopos, qui quidem ita *dandam pacem mœchis non putaverunt, et in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt*, ut tamen a coepiscoporum suorum aliter sentientium, ac pacem eis concedentium collegio minime recesserint, ut tradit Cyprianus epist. 52, ad Antonianum. Severitatis hujus quoddam præterea est exemplum in vulgato Ambrosii libro de lapsu virginis consecratæ, ad quam c. 8, n. 38, est hic sermo : *Inhære pœnitentiæ usque ad extremum vitæ, nec tibi præsumas ab humana die veniam dari ; quia decipit te, qui hoc tibi polliceri voluerit. Quæ enim proprie in Dominum peccasti, ab ipso solo te convenit in die judicii exspectare remedium.* Quamvis autem Cyprianus in laudata epistola lapsis nec pœnitentiam nec indulgentiam denegandam fuse probet ; sub ejusdem tamen finem hoc decernit : *Pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde et manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communicationis et pacis, si in infirmitate atque in periculo cœperint deprecari : quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit ; nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum.* Quæ quidem sententia si cum Pamelio paulo durior censenda est, idem dicendum erit et de hoc Arelatensis I synodi canone 22 : *De iis qui apostatant et numquam se ad*

cuit, et propter Domini misericordiam, quasi viaticum profecturis, et ne Novatiani hæretici, negantis veniam, asperitatem et duritiam sequi videamur. Tribuetur ergo cum pœnitentia extrema communio: ut homines hujusmodi vel in supremis suis, permittente Salvatore nostro, a perpetuo exitio vindicentur.

CAP. III. — 7. Quæsitum etiam est super his, qui post baptismum administraverunt, et aut tormenta [a] sola exercuerunt, aut etiam capitalem protulere sententiam.

8. De his nihil legimus a majoribus definitum. Meminerant enim a Deo potestates has fuisse concessas, et propter vindictam noxiorum, gladium fuisse permissum, et Dei esse ministrum vindicem in hujusmodi datum (*Rom.* XIII, 1, 4). Quemadmodum igitur reprehenderent factum, quod auctore Deo viderent esse concessum? De his ergo ita, ut hactenus servatum est, sic habemus, ne aut disciplinam evertere, aut contra auctoritatem Domini venire videamur. Ipsis autem in ratione reddenda gesta sua omnia servabuntur.

CAP. IV. — 9. Et illud desideratum est sciri, cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, cum contra uxores in consortio adulterorum virorum manere videantur.

10. Super hoc (32, *q.* 6, *c.* 23; *Ivo p.* 8, *c.* 214) Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat. Sed viros suos mulieres non facile de adulterio accusant, et non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberius uxores adulteras apud sacerdotes deferre consueverunt: et ideo mulieribus, prodito earum crimine, communio denegatur. Virorum autem, latente commisso, non facile aliquis ex suspicionibus abstinetur. Qui utique submovebitur, si ejus flagitium detegatur. Cum ergo par causa sit, interdum, probatione cessante, vindictæ ratio conquiescit.

CAP. V. — 11. Illud etiam (23, *q.* 4, *c.* 46; *Ivo p.* 10, *c.* 94) sciscitari [b] voluisti, an preces dictantibus liberum concedatur, utique post baptismi regenerationem, a principibus poscere mortem alicujus, vel sanguinem de reatu. Quam rem principes numquam sine cognitione concedunt; sed ad judices commissa ipsa vel crimina semper remittunt, ut [c] causa cognita vindicentur. Quæ cum quæsitori fuerint delegata; aut absolutio, aut damnatio pro negotii qualitate profertur. Et dum legum in improbos exercetur auctoritas, erit dictator immunis.

CAP. VI. — 12. De his etiam requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio, alii se matrimonio copularunt. Quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui vero vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, intantum, ut etiam hæ personæ, quibus tales conjunctæ sunt, etiam ipsæ adulterium commisisse videantur, secundum illud quod legimus in Evangelio: *Qui dimiserit uxorem suam, et duxerit aliam,* [d] *mœchatur; similiter et qui dimissam duxerit, mœcha-*

ecclesiam repræsentant, ne quidem pœnitentiam agere quærunt, et postea infirmitate arrepti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, nisi revaluerint, et egerint dignos fructus pœnitentiæ. Verum hoc illis ita visum est, non quod de Dei clementia, sed quod de pœnitentiæ hujusmodi veritate valde diffiderent. Et quidem Cyprianus sub finem libri ad Demetrianum docet, nullam seram esse pœnitentiam adhuc in hoc mundo manenti, nemineque ab ea absterreri aut peccatis debere aut annis; veniam confitenti dari, et ad immortalitatem sub ipsa morte transiri. Quæ licet de baptismi gratia maxime dicat, dubium tamen non est quin et de omni pœnitentia post baptismum suscepta, modo vera sit, idem sentiat. Hinc, ut ipsius epistolis 13, 14, 15, etc., videre est, magno studio semper cavit, ne deesset qui lapsis, *si premi infirmitate aliqua et periculo cœperint, exomologesi facta* pacem et communionem impertiret. Quod vero nunc definit Innocentius, hoc postea Cœlestinus epist. 4, ad episcopos Viennensis et Narbonensis provinciæ n. 3, et Leo epist. 108, ad Theodorum, n. 5, diserte confirmant, et antea clerus Romanus apud Cyprianum epist. 3, ad clerum Carthaginensem, præscripserat his verbis: *Si, qui in hanc tentationem inciderunt, cœperint apprehendi infirmitate, et agant pœnitentiam facti sui, et desiderent communionem, utique subveniri eis debet.* Hieronymus supra pag. 550 latronis exemplum nobis propositum notat, *ne quis aliquando seram conversionem putaret.* Sed ibi *conversionem* ac mutationem petit.

[a] Pith. ms., *tormenta sua.* Verius alii *sola,* quibus scil. mors reis non inferatur. Quorsum hæc instituatur quæstio, ex epistola 25 Ambrosii, ad Studium, supplere et explicare liceat. Is quippe pariter quæsierat, utrum quis post latam capitalem sententiam abstinere a sacramentorum communione deberet. Cui Ambrosius n. 2 respondet: *Sunt, extra Ecclesiam tamen, qui eos in communionem non vocent sacramentorum cœlestium, qui in aliquos capitalem sententiam ferendam æstimaverunt.* Statimque addit: *Plerique etiam sponte se abstinent; et laudantur quidem; nec ipsi eos possumus non prædicare, qui auctoritatem Apostoli eatenus observamus, ut iis communionem non audeamus negare.* Demum quid majoribus ea de re visum sit n. 9 aperit his verbis: *Et ideo majores nostri maluerunt indulgentiores esse circa judices, ut dum gladius eorum timetur, reprimeretur scelerum furor, et non incitaretur: quod si negaretur communio, videretur criminosorum vindicata pœna. Maluerunt igitur priores nostri, ut in voluntate magis abstinentis, quam in necessitate sit legis.*

[b] Ad marginem ms. Colb. Langob. ista notatur capitis hujus summa: *De advocatis, qui secundum facinus promunt sententias* Verum de iis potius, qui capitales poscunt sententias, immo qui eas poscenti bus preces dictant, quam de iis qui promunt hujusmodi sententias, quæstio exsistit. Hæc autem, sicut et quæ cap. 3 proposita est, quantum a sanguine abhorreat Ecclesia, patefaciunt. Sic vero Innocentius iis, qui post baptismum vel administraverint, vel capitalem sententiam postulantibus preces dictaverint, communionem non negat, ut eos tamen a clero arceri epist. 37, n. 5, doceat.

[c] Priscæ concil. edit. ac plures mss., *causæ cognitæ.* Exemplar Regium coll. Dion. cum Colb. Langob., *causa cognita vindicetur.* Secundam nostram lectionem, quam exhibent alii libri, ante *vindicentur,* subanditur *crimina.* Vide Cod. Th. lib. II, tit. 16, leg. 1, et lib. XIX, tit. 40, leg. 1.

[d] In vetere ms. Corb. et altero Colb. hic non exstat *mœchatur.* Salva esset sententiæ integritas, si postea *mœchantur* subjicerent.

tur (*Matth.* XIX, 9). Et ideo [a] omnes a communione fidelium abstinendos. De parentibus autem, aut de propinquis eorum nihil tale statui potest, nisi incentores illiciti consortii fuisse detegantur.

CAP. VII. — 13. Qui vero libri recipiantur in canone, [b] brevis annexus ostendit. Hæc sunt quæ desiderata moneri voce voluisti: Moysi libri quinque, id est, Genesis, Exodi, Levitici, Numeri, Deuteronomii, et Jesu Nave, Judicum unus, Regnorum libri quatuor, simul et Ruth, Prophetarum libri sexdecim, Salomonis libri quinque, Psalterium. Item historiarum, Job liber unus, Tobi liber unus, Esther unus, Judith unus, Machabæorum duo, Esdræ duo, A Paralipomenon libri duo. Item novi Testamenti: Evangeliorum libri quatuor, Pauli apostoli epistolæ quatuordecim, epistolæ Joannis tres, epistolæ Petri duæ, epistola Judæ, epistola Jacobi, Actus Apostolorum, [c] Apocalypsis Joannis. Cætera autem, quæ vel sub nomine Matthiæ sive Jacobi minoris, vel sub nomine Petri et Joannis, quæ a quodam Leucio scripta sunt [d] [vel sub nomine Andreæ, quæ a Nexocharide et Leonida philosophis], vel sub nomine Thomæ, et si qua sunt alia, non solum repudianda, verum etiam noveris esse damnanda. Data X kalendas Martias [e], Stilicone secundo et Anthemio viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA VII [f].

AD CLERUM ET POPULUM CONSTANTINOPOLITANUM.

Eos ex ipsorummet sententia consolatus Innocentius, iniquam alterius episcopi in locum Joannis viventis subrogationem deplorat. Tum solos canones Nicænos recipiendos, aliosque qui eis adversentur, repudiandos esse declarat. Demum significat sibi curæ esse ut œcumenica synodus congregetur.

INNOCENTIUS episcopus presbyteris et diaconis, et universo clero ac populo ecclesiæ Constantinopolitanæ, qui sunt sub Joanne episcopo, dilectis fratribus salutem.

1. *Ad ea quæ patiuntur una est patientiæ consolatio.* Ex litteris charitatis vestræ, quas per [g] Germanum presbyterum et Cassianum diaconum misistis, scenam malorum, quam ob oculos posuistis, anxia sollicitudine cognovi: quantisque calamitatibus et ærumnis fides laboret, repetita sæpius lectione perspexi. Quam quidem rem sola patientiæ consolatio sanare potest. Dabit enim brevi Deus noster finem tantis tribulationibus, et hæc juvabit tolerasse.

B Ἰννοκέντιος ἐπίσκοπος πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις καὶ παντὶ τῷ κλήρῳ καὶ τῷ λαῷ τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐκκλησίας, τοῖς ὑπὸ τὸν ἐπίσκοπον Ἰωάννην, ἀγαπητοῖς ἀδελφοῖς χαίρειν.

Ἐκ τῶν γραμμάτων τῆς ὑμετέρας ἀγάπης, ἅτινα διὰ Γερμάνου τοῦ πρεσβυτέρου καὶ Κασιάνου τοῦ διακόνου ἀπεστάλκατε, τὴν σκηνὴν τῶν κακῶν, ἣν πρὸ τῶν ὀφθαλμῶν ἐθήκατε, ἐμμερίμνῳ φροντίδι κατέμαθον, ὅσαις τε ἡ πίστις κάμνει ταλαιπωρίαις τε καὶ πόνοις, ἐπαναληφθείσῃ πολλάκις τῇ ἀναγνώσει κατεῖδον. Ὅπερ πρᾶγμα μόνη ἡ παράκλησις τῆς ὑπομονῆς ἰᾶται. Δώσει γὰρ ἐν τάχει ὁ ἡμέτερος θεὸς ταῖς τοσαύταις θλίψεσι τέλος, καὶ ταῦτα συνοίσει ὑπενηνοχέναι. Ἀλλὰ γὰρ αὐτὴν τὴν ἀναγκαίαν

[a] In priscis edit. hic additur *tales*: quod abest a mss. Deinde sex probæ notæ mss. subjiciunt, *omnes a communione abstinendos*. Post verbum autem *abstinendos*, istud, *esse manifestum est*, quod Innocentius responsionis hujus initio expressit, subauditur. Quare nihil est, cur cum Quesn. substituatur *abstinendi* præter fidem mss.

[b] Dionysius hic addidit *scripturarum*. Cui voci subinde Hispanæ collectionis auctor præposuit *sanctarum*. Utramque arripuit Isid., sed neutram habent alii mss. Porro hic *brevis* nomen catalogum sonat. Iidem libri sacri, etsi non eodem ordine, in canone 47 concilii Carthaginensis III, anno 397, consignati inter canonicas Scripturas recensentur. Hujus autem concilii laudatus canon Codici can. eccl. Afr. c. 24 insertus legitur cum ista accessione: *Hoc etiam fratri et consacerdoti nostro Bonifacio vel aliis earum partium episcopis pro confirmando isto canone innotescat: quia a patribus ista accepimus in ecclesia legenda.* Unde conjectura est, concilii Carthaginensis III, de sacris libris decretum, in altero concilio Carthaginensi, quod anno 419 Bonifacio Romano pontifice celebratum est, recitatum esse atque cum mox dicta clausula confirmatum.

[c] Huc respexisse videtur concilium Toletanum IV anno 633 celebratum, cum can. 13 dixit: *Apocalypsim librum multorum conciliorum auctoritas et synodica sanctorum præsulum Romanorum decreta Joannis evangelistæ esse præscribunt, et inter divinos libros recipiendum.* Inde et hanc epistolam synodicam fuisse colligere est.

[d] Quæ uncinis inclusa sunt, omittit Quesn. neque exstant nisi in exemplaribus coll. Dion. Hisp. et Isid. Mox idem Quesn. cum uno ms. Colb. et altero Pith. præfert, *et si qua sunt talia*, ubi cæteris in libris legitur *alia*.

[e] Februarii 20, ann. 405. Apud Merlin. et Quesn. ut in duobus mox dictis mss. desideratur *secundo*; quod in aliis recte expressum esse adjunctum Anthemii collegæ nomen confirmat.

[f] In edit. Concil. 29; quæ autem 7 erat, nunc 18. Descripta est ex Sozomeno, qui eam cum subsequenti epistola 12 e Latino sermone in Græcum conversam nactus, utramque lib. VIII, c. 26, edendam curavit. Inde ambas accepit postea Nicephorus Callisti, et libro XIII, c. 32 Historiæ suæ inseruit. Per hanc Innocentius litteris sibi ab eodem clero Germani atque Cassiani opera missis, adeoque anno 405 nonnihil jam procedente acceptis, rescripsit. Quippe, ut Palladius pag. 26 et 27 narrat, Romam advenerunt Germanus et Cassianus post Palladium, Palladius autem elapso mense post Cyriacum Synnadorum episcopum; qui quidem post legem D anno 404, Novembris 18 die, Constantinopoli promulgatam, ex Oriente Romam confugere cœperat. Apud Sozomenum et Nicephorum inscriptioni Ἰννοκέντιος ἐπίσκοπος, etc., nihil præmittitur. Quocirca titulus in editionibus conciliorum ei præfixus, in quo ἀρχιερέως nomen Innocentio tribuitur, ut omni destitutus auctoritate, nihil valet, ut usitatum tunc fuisse probetur ἀρχιερέως vocabulum. Idem dicendum et de epistola 12, in cujus titulo conciliorum editores et Innocentium ἀρχιερέα, et Joannem ἀρχιεπίσκοπον de suo appellant.

[g] Non alius videtur esse Germanus iste ab eo, cujus Chrysostomus supra epist. 4, n. 3, meminit. Nec dubium quin Cassianus sit auctor collationum, in quibus Germanus ut socius frequens interloquitur.

Enimvero hanc ipsam necessariam consolationem in exordio litterarum charitatis vestræ positam, propositum vestrum laudantes, agnovimus multis testimoniis ad patientiam hortantibus confirmatam. Nam consolationem, quam vobis per litteras nostras debebamus, litteris vestris ipsi prævenistis. Hanc enim Dominus noster patientiam laborantibus præstare solet: ut famuli Christi etiam in tribulationibus semetipsos consolentur, apud se reputantes, sanctis ea jam antea contigisse, quæ ipsi patiuntur. Sed et nos ex ipsis litteris vestris consolationem nobis mutuari possumus. Neque enim a doloris vestri consortio sumus alieni; quippe qui affligimur in vobis.

2. *Quam injuste viventi Joanni episcopus est subrogatus.*—Quis enim ferre possit ea quæ ab illis [a] delinquuntur, quos præ cæteris decebat tranquillitatis ac pacis et concordiæ esse studiosos? Nunc autem præpostero more sacerdotes innoxii e sedibus ecclesiarum suarum exturbantur. Quod quidem primus injuste perpessus est frater et consacerdos noster Joannes episcopus vester, cum nulla ratione fuisset auditus. Nullum crimen offertur, nec auditur. Et quodnam est hoc perditum consilium? Ut non sit, aut quæratur ulla species judicii, in locum viventium sacerdotum alii substituuntur: quasi qui ab hujusmodi facinore auspicati sunt, aliquid recti aut habere, aut egisse, judicari possint. Neque enim talia unquam a patribus nostris gesta esse comperimus, sed potius [b] prohibita; cum nemini licentia data sit in locum viventis alium ordinandi. Nam reproba ordinatio honorem sacerdotis auferre non potest: si quidem is episcopus omnino esse nequit, qui injuste substituitur.

3. *Qui canones recipiendi aut repudiandi.* —Quod autem ad canonum [c] observationem attinet, solis

A παράκλησιν ἐν ἀρχῇ τῆς ἐπιστολῆς τῆς ἡμετέρας ἀγάπης κειμένην, ἐγκωμιάζοντες ὑμῶν τὴν πρόθεσιν, ἐπεγνώκαμεν πολλὰς πρὸς τὸ ὑπομένειν μαρτυρίας περιέχουσαν. Τὴν γὰρ ἡμετέραν παράκλησιν, ἣν ὠφείλομεν ὑμῖν ἐπιστεῖλαι, τοῖς ὑμετέροις γράμμασι προεφθάσατε. Ταύτην γὰρ τοῖς κάμνουσιν ὁ ἡμέτερος δεσπότης ὑπομονὴν παρέχειν εἴωθεν· ἵνα καὶ ἐν τοῖς θλίψεσι τυγχάνοντες ἑαυτοὺς οἱ τοῦ Χριστοῦ δοῦλοι παραμυθῶνται, ἀναλογιζόμενοι ἐν ἑαυτοῖς, καὶ πρότερον γεγενῆσθαι τοῖς ἁγίοις, ἅπερ αὐτοὶ πάσχουσι. Καὶ ἡμεῖς δὲ ἐξ αὐτῶν τῶν ὑμετέρων γραμμάτων δυνάμεθα ἡμῖν προσενέγκαι παράκλησιν. Οὐ γὰρ τοῦ συναλγεῖν ὑμῖν ἐσμεν ἀλλότριοι, ἐπειδήπερ καὶ ἡμεῖς κολαζόμεθα ἐν ὑμῖν.

2. Τίς γὰρ ἐνέγκαι δυνήσεται τὰ ἐξαμαρτανόμενα ὑπ' B ἐκείνων, οὕστινας ἐχρῆν μάλιστα τοῦ γαληνοῦ, τῆς εἰρήνης, καὶ αὐτῆς σπουδαστὰς εἶναι τῆς ὁμονοίας; Νῦν ἐνηλλαγμένῳ τρόπῳ ἀπὸ τῆς προεδρίας τῶν ἰδίων ἐκκλησιῶν ἐξωθοῦνται ἀθῶοι ἱερεῖς. Ὃ δὴ καὶ πρῶτος ὁ ἀδελφὸς ἡμῶν καὶ συλλειτουργὸς Ἰωάννης ὁ ὑμέτερος ἐπίσκοπος ἀδίκως πέπονθε, μηδεμίας τυχὼν ἀκροάσεως. Οὐδὲν ἔγκλημα ἐπιφέρεται, οὐδ' εἰσακούεται· καὶ τίς ἡ ἀπηγορευμένη ἐπίνοια; Ἵνα μὴ πρόφασις κρίσεως γένηται, ἢ ζητηθῇ, εἰς τόπους ζώντων ἱερέων ἄλλοι ἀποκαθίστανται, ὡς δυναμένων τῶν ἐκ τοιούτου πλημμελήματος ὁρμωμένων, ὀρθῶς τι ἔχειν ἢ πεπρᾶχθαι ὑπό τινος κριθῆναι. Οὐδὲ γὰρ πώποτε παρὰ τῶν πατέρων τῶν ἡμετέρων τοιαῦτα τετολμῆσθαι ἐγνώκαμεν, ἀλλὰ μᾶλλον κεκωλῦσθαι, τῷ μηδένι εἰς τόπον ζῶντος χειροτονεῖν ἄλλον δεδόσθαι ἐξουσίαν. Οὐ γὰρ χειροτονία ἀδόκιμος τὴν τιμὴν δύνα- C ται ἀφελέσθαι τοῦ ἱερέως, ἐπειδήπερ οὐδὲ ἐπίσκοπος δύναται εἶναι ἐκεῖνος, ὃς ἀδίκως ὑποκαθίσταται.

3. Ὅτι καὶ περὶ τῆς τῶν κανόνων παραφυλακῆς, τούτοις δεῖν ἕπεσθαι γράφομεν, οἵτινες ἐν Νικαίᾳ εἰσὶν ὡρισ-

[a] Ab Acacio scil. episcopo Berœæ, Theophilo Alexandriæ, Antiocho Ptolemaidos et Severiano Gabalorum, quos Constantinopolitani litteris suis ærumnarum, quas patiebantur, auctores esse nominatim significarunt.

[b] Scil. concilio Sardicensi can. 4, ubi in gratiam episcopi, qui Romanam sedem appellaverit, sancitur: *Alter episcopus in ejus cathedra, post appellationem ejus qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio episcopi Romani determinata.* Joannes autem etiam synodum appellans ejectus fuit, ut ipse testificatur supra epist. 4, n. 3. Canonem illum paulo aliis verbis laudat Ignatius patriarcha in epistola ad papam conciliumque Romanum apud Baron. ad ann. 861. Hoc ipsum, quod diserte vetat synodus Sardicensis, prohibitum videri potest et Nicæno canone 9, quo cavetur, *ne in una civitate duo episcopi probentur existere.*

[c] Nempe ut valeret adversus Joannem quantumvis injuste prolatum judicium, ac nullus ei daretur locus defensionis, Theophilus Constantinopolim miserat Antiocheni concilii canones pridem adversus Athanasium maxime conditos, quos inter Joannis inimici venditabant in primis quartum, a Palladio cap. 8, pag. 78, sic relatum: *Si quis episcopus aut presbyter, jure aut injuria depositus per se redeat absque synodo, talis non habeat amplius locum defensionis, sed absolute expellatur.* Ipsa Antiocheni concilii verba ista sunt: Εἴ τις ἐπίσκοπος ὑπὸ συνόδου καθαιρεθείς, ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος ὑπὸ τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, τολμήσειέν τι πρᾶξαι τῆς λειτουργίας, etc., quæ dum Gentianus Herveius latine ita convertit, *Si quis episcopus a synodo depositus, vel presbyter vel diaconus a proprio episcopo, sacrum celebrare ausus fuerit,* verba τολμήσειέν τι πρᾶξαι λειτουργίας non satis accurate videtur reddidisse. Nam diaconi non est *sacrum celebrare*: et liquet episcopo, presbytero et diacono depositis hoc canone interdici, non solum ne sacrum celebrent, sed ne quidquam ministerii, ex quo dejecti sunt, attingant. Quocirca Theo- D doretus lib. v Hist. c. 34 tradit adversarios Joannis pœnas ab eo exegisse non jam falsorum criminum, ἀλλὰ τῆς μετὰ τὴν καθαίρεσιν λειτουργίας, *sed obiti post depositionem ministerii.*

Tum de canonum Joanni objectorum auctoritate orta est controversia, *aliis*, inquit Palladius pag. 79, *contendentibus eos orthodoxorum esse, aliis Arianorum esse demonstrantibus.* Qua occasione Elpidius ibid., pag. 80, lepide dixisse fertur imperatori: *Subscribant fratres nostri Acacius et Antiochus ejusdem se esse fidei, ac eos qui canones ediderunt, quos tamquam ab orthodoxis editos proponunt, et soluta controversia est.* Eamdem controversiam ad se delatam Innocentius nunc dirimit, ac docet canones illos hæreticorum esse, non quod Antiocheno concilio defuerint omnino orthodoxi, sed quod Ariani

illis parendum esse dicimus, qui Nicææ definiti sunt; quos solos [a] sectari et agnoscere debet Ecclesia catholica. Sin autem a quibusdam alii proferantur, qui a Nicænis canonibus dissentiant, et ab hæreticis compositi esse arguantur, hi ab episcopis catholicis rejiciuntur. Nam quæ ab hæreticis sunt excogitata, ea catholicis regulis adjungere non licet. Quippe illi per contraria et illicita placita perpetuo id agunt, ut Nicænorum patrum sententiam labefacient. Hos igitur canones non solum non sequendos, verum etiam una cum hæreticis et schismaticis dogmatibus condemnandos esse dicimus, quemadmodum etiam in Sardicensi synodo jam condemnati sunt [b] ab episcopis qui nos præcesserunt. Satius enim fuerit ea quæ [c] recte facta sunt condemnari, quam ea quæ contra canones acta sunt ullam firmitatem obtinere, fratres charissimi.

4. *Una œcumenica synodo mala sanari posse.* Sed quid adversus ista in præsenti faciamus? Necessaria est cognitio synodi, quam et jam pridem congregandam esse diximus. Ea enim sola est, quæ hujusmodi tempestatum motus sedare possit. Quam ut consequamur, utile fuerit interim horum malorum medicinam a voluntate Dei magni et Christi ipsius Domini nostri exspectare. Omnia, quæ nunc per invidiam diaboli ad fidelium probationem conturbata sunt, pacabuntur. Nihil non debemus per firmitatem fidei a Domino sperare. Nam et nos diu multumque cogitamus, quonam modo œcumenica synodus congreganda sit, ut turbulenti motus Dei nutu tandem conquiescant. Sustineamus igitur aliquantisper; et vallo patientiæ communiti, cuncta auxilio Dei nostri restituenda speremus. Omnia porro, quæ vos perferre dixistis, jam antea a coepiscopis nostris, qui Romam licet diversis [d] tempo-

A μένοι, οἷς μόνοις ὀφείλει ἐξακολουθεῖν ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία, καὶ τούτους γνωρίζειν. Εἰ δὲ ἕτεροι ὑπό τινων προσφέρονται, οἵτινες ἀπὸ τῶν ἐν Νικαίᾳ διαφωνοῦσι, καὶ ὑπὸ αἱρετικῶν ἐλέγχονται συντετάχθαι, οὗτοι παρὰ τῶν καθολικῶν ἐπισκόπων ἀποβάλλονται. Τὰ γὰρ ὑπὸ τῶν αἱρετικῶν εὑρεθέντα, ταῦτα οὐκ ἔστι τοῖς καθολικοῖς κανόσι προσάπτειν. Ἀεὶ γὰρ διὰ τῶν ἐναντίων καὶ ἀθέσμων, τὴν τῶν ἐν Νικαίᾳ μειοῦν βουλὴν ἐθέλουσιν. Οὐ μόνον οὖν λέγομεν τούτοις μὴ δεῖν ἐξακολουθεῖν, ἀλλὰ μᾶλλον αὐτοὺς μετὰ αἱρετικῶν καὶ σχισματικῶν δογμάτων εἶναι κατακριτέους, καθάπερ καὶ πρότερον γέγονεν ἐν τῇ Σαρδίκῃ συνόδῳ ὑπὸ τῶν πρὸ ἡμῶν ἐπισκόπων. Τὰ γὰρ καλῶς πραχθέντα κατακρίνεσθαι μᾶλλον προσῆκεν, ἢ ἄντικρυς τῶν κανόνων γενόμενα ἔχειν τινὰ βεβαιότητα, ἀδελφοὶ τιμιώτατοι.

B

4. Ἀλλὰ τί κατὰ τῶν τοιούτων νῦν ἐν τῷ παρόντι ποιήσομεν; Ἀναγκαία ἐστὶ διάγνωσις συνοδικὴ, ἣν καὶ πάλαι ἔφημεν συναθροιστέαν. Μόνη γάρ ἐστιν ἥτις δύναται τὰς κινήσεις τῶν τοιούτων καταστεῖλαι καταιγίδων. Ἧς ἵνα τύχωμεν, χρήσιμόν ἐστι τέως ὑπερτίθεσθαι τὴν ἰατρείαν τῇ βουλήσει τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ τοῦ Χριστοῦ αὐτῶν τοῦ κυρίου ἡμῶν. Πάντα ὅσα νῦν τῷ φθόνῳ τοῦ διαβόλου πρὸς τὴν τῶν πιστῶν δοκιμασίαν τετάρακται πραϋνθήσεται [Lab. παραμυθήσεται]. Οὐδὲν ὀφείλομεν τῇ στεῤῥότητι τῆς πίστεως παρὰ τοῦ κυρίου ἀπελπίσαι. Καὶ γὰρ ἡμεῖς πολλὰ σκεπτόμεθα, ὃν τρόπον ἡ σύνοδος οἰκουμενικὴ συναχθείη· ὅπως τῇ βουλήσει τοῦ Θεοῦ αἱ C ταραχώδεις κινήσεις παύσωνται. Ὑπερμείνομεν οὖν τέως καὶ τῷ τείχει τῆς ὑπομονῆς ὀχυρούμενοι, ἐλπίσωμεν πάντα τῇ βοηθείᾳ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἀποκατασταθῆναι. Πάντα δὲ, ὅσα ὑμᾶς ὑφίστασθαι εἰρήκατε, καὶ πρότερον συνδραμόντων, εἰ καὶ μάλιστα διαφόροις χρόνοις, τουτέστι Δη-

Athanasii adversarios primas in eo tenuisse in confesso sit: atque hujus rei testis est prolatus canon, qui consulto ad omnem restitutionis spem Athanasio auferendam editus fuerat.

[a] Præter illos, inquit Paschas. Quesnellus Dissert. 12 ad calcem operum Leonis c. 2, etiam *Sardicenses recipiebat Innocentius, sed habitos pro Nicænis, eorumque nomine decoratos ac vestitos.* Et ex eo quidem, quod ille pontifex de Sardicensi synodo Antiochenos canones condemnante proxime subjicit, perspicuum est ab ipso recipi quæ Sardicæ gesta sunt. Sed cum illa laudet proprio *Sardicensis synodi* nomine; Sardicenses canones ut a Nicænis distinctos, non ut *pro Nicænis habitos eorumque nomine vestitos*, ab eo receptos esse non minus manifestum est. Quocirca Innocentium ita intelligimus solos Nicænos canones sectandos prædicare, non ut rejiciantur aut spernantur qui cum illis consentiant, sed ii tantum qui dissentiant: *Quoniam*, inquit et Leo epist. 96, ad Pulcheriam, n. 2, *contra statuta canonum paternorum, quæ ante longissimæ ætatis annos in urbe Nicæna spiritalibus sunt fundata decretis, nihil umquam audere conceditur; ita ut si quis diversum aliquid decernere velit, se potius minuat, quam illa corrumpat.* Certe Nicænæ synodi velut appendix sardicensis censeri potest, utpote cui præfuit Osius, qui Nicææ vel princeps vel inter primarios præsules consederat, et in qua eadem fides stabilita, eademque hæresis profligata est. Damaso

pontifice, ut supra pag. 591, num. 3, secundum Athanasium, observavimus, ne cuiquam imponerent Ariani, qui *varia synodorum nomina comminiscebantur*, Romæ aliisque in locis diversa celebrata sunt concilia, in quibus sancitum est, *ut nulla deinceps in Ecclesia catholica nominaretur synodus præter unam Nicænam.* Quantum autem Athanasii interesset, ut Sardicensis synodi minime levaretur auctoritas, nemini est incompertum.

D

[b] Non oppositis quidem canonibus aut decretis, sed gestis contrariis, dum Athanasium aliosque episcopos, nulla prædictorum canonum habita ratione, in communionem admissos, in sedes suas restituerunt. Hanc explicationem non de nostro comminiscimur ipsi, sed suppeditat Palladius pag. 78, ubi allato Antiocheni concilii canone 4, adjungit: *Et hic quidem canon, ut impius ab impiis editus, in Sardicensi concilio a Romanis, Italis, Illyriis, Macedonibus atque Græcis abrogatus, quando Liberius aut Julius* (tunc ecclesiæ præerat Julius) *Constantis principatu in communionem admisit Athanasium et Marcellum Galatam, propter quos et hic canon factus fuerat.*

[c] Legendum videtur græce κακῶς aut οὐ καλῶς: adeoque hic restituendum *quæ male*, vel *non recte acta sunt.*

[d] Diversa tempora, quibus episcopi illi Romam confugerunt, Palladius pag. 10 et 26 notat: unde et epistolæ hujus tempus superius designavimus.

ribus confugerunt, id est Demetrio, Cyriaco, Eulysio et Palladio, qui nobiscum sunt, accurata interrogatione didicimus.

A μητρίου, Κυριακοῦ, Εὐλυσίου καὶ Παλλαδίου, οἵτινες σύνεισι μεθ' ἡμῶν, τελείᾳ ἐρωτήσει μεμαθήκαμεν.

EPISTOLA VIII.

SEU EXEMPLUM [a] SACRÆ HONORII AUGUSTI MISSÆ AD PRINCIPEM ORIENTIS ARCADIUM.

Dolet Honorius de iis, quæ in die Paschæ Constantinopoli perpetrata sunt. Templi augusti et senatus incendium primum esse divinæ iracundiæ indicium. Alia metuenda esse nisi Deus placetur. Hæc de re tacere se non posse, ne silentium pro assensu habeatur. Quam præpropere, dum episcopale judicium exspectabatur, in exsilium pulsi sint sacri antistites. Hinc religionis perturbationem inductam, et latum hæresibus atque schismatibus campum apertum esse.

1. Quamvis super [b] imagine muliebri, novo exemplo, per provincias circumlata [c] et diffusa per universum mundum obtrectantium fama, litteris aliis commonuerim, ut talis facti pœnitentia et intermissione propositi, rumor æmulus consenescat, et quod in moribus temporum carpat publica lingua non habeat: quamvis etiam super excidio pereuntis Illyrici pio apud vos prodiderimus affectu esse nobis dolori, cur ista [d] vos detrimenta reipublicæ nolueritis agnoscere, et aliis potius indicibus, quam pietatis vestræ litteris, fuerint nuntiata: tamen ne illud quidem apud serenitatem vestram dissimulare nos fas est, quod in rebus divinis, non sine publici discriminis metu, nuperrime contigisse, cita semper malorum enuntiatrix fama non tacuit; et ut natura fert hominum, quæ ad obtrectandum novis semper casibus excitatur, oblata occasione carpendi, malitiam suam in tempora studio sævæ loquacitatis exercet. Est enim nuper proditum (*Vid. Pallad. pag.* 82 *et* 83), apud Constantinopolim sacratissimo Paschæ venerabilis die, cum omnes pene in eumdem locum vicinarum urbium populos religio, castigatiore sub præsentia principum ritu celebranda, collegerat, clausas subito catholicas ecclesias, trusos in custodiam sacerdotes, scilicet ut eo potissimum tempore, quo indulgentia principali [e] tristia noxiorum claustra reserantur, piæ legis et pacis ministros sævus carcer includeret, omniaque bellicum in modum turbata mysteria, nonnullos in ipsis ecclesiæ sacrariis interemptos, tantamque circa altaria vim sævisse, ut et B venerabiles episcopi in exsilium truderentur, et sanguis humanus, quod dictu nefas est, cœlestia sacramenta perfunderet. His repente compertis, turbatos esse nos fateor. Quis enim in facinore tam cruento Dei omnipotentis non timeret offensam? aut quo pacto extra summum Romani orbis omniumque mortalium [*Supple*, quis] putaret esse discrimen? cum ipse auctor nostri Imperii, et reipublicæ, quam nobis credidit, gubernator omnipotens Deus, funestis admodum exsecrabilibusque commissis crederetur irasci, domini sancti frater neposque augusti venerabiles; cum si quid de causa religionis inter antistites ageretur, episcopale [f] oportuerit esse judicium. Ad illos enim divinarum rerum interpretatio, ad nos C religionis exspectat [*Antiquo more pro* spectat] obsequium. Sed esto, sibi de mysticis et catholicis quæstionibus amplius aliquid principalis cura præsumpse-

[a] In edit. Concil. post epist. 31. E vetusto bibliothecæ Vaticanæ libro in collectione Romana pontificiarum epistolarum primum prodiit. Nec immerito inter epistolas Innocentii collocata est, utpote cujus ille scribendæ auctor præcipuus exstitit. Ut enim Palladius pag. 28 testis est, cum undique Romam confluerent sancti episcopi aliique viri religiosi, variarum ecclesiarum synodorumve de misero ecclesiæ Constantinopolitanæ statu litteras afferentes, non amplius sustinens pius pontifex, Honorium imperatorem de iis quæ singillatim illæ ferrent epistolæ, certiorem fecit. Quibus ille motus, semel atque iterum, immo et tertio Arcadium, quid facto opus esset, missis litteris commonuit. Ex tribus illis epistolis prima excidit; hæc secunda tantum latine habetur, tertiam græce Palladius, ex quo eam huic subjicimus, nobis asservavit. A Baronio ad annum 404 hæc refertur: sed ad annum 405, et quidem jam labentem pertinere, ordo rerum, quæ Palladio teste eam præcesserunt, postulat.

[b] Argentea scil. statua Eudoxiæ augustæ super columnam porphyreticam erecta, et ad meridianam plagam ecclesiæ S. Sophiæ, platea tantum media interjecta, non sine ludis popularibus collocata, ut Marcellinus comes in Chronico, Socrates lib. VI, c. 18, et Sozomenus lib. VIII, c. 20, memoriæ commendarunt; hoc factum Baronius ad annum 404, Pagius vero to. II, pag. 60, circa exitum anni 310 contigisse putat.

[c] Verbum *circumlata* dum Baronius ad imaginem refert, ita hunc locum interpretatur, ut Eudoxiæ statua non solum Constantinopoli venerationi exposita, sed per provincias quoque circumlata fuerit, non secus ac olim ethnici Cybeles circumferre simulacrum solerent, atque hanc veriorem esse causam, cur adversus Eudoxiam Joannes tantopere commotus fuerit. Sed huic intellectui repugnat non modo veterum Scriptorum de tam profano ritu silentium, sed et quod imaginem illam muliebrem *erectam*, *collocatam* et *dedicatam*, non circumlatam prædicant. Et his quidem nativus est intellectus, famam obtrectantium super hac re per provincias circumlatam et per universum mundum diffusam fuisse.

[d] Orationis series postulat *nos*, non *vos*. Expostulat quippe Honorius cum Arcadio, quod reipublicæ detrimenta ipsi latere voluerit, de quibus nihil ipsi scribere sit dignatus.

[e] Apud Sirmondum app. Cod. Th. pag. 17 et 19 exstat duplex Theodosii constitutio, qua *pro festivitate Paschali, exceptis his quos quinque immanitas criminum minime patitur relaxare, cæteros carceris custodia liberatos statui pristino restituit*. Et hanc quidem clementiam *velut indictam et majoribus traditam* ibid. pag. 19 prædicat.

[f] Ambrosius epist. 21, ad Valentinianum juniorem, n. 2, laudat Valentiniani I edictum, quo sanxit, *in causa fidei vel ecclesiastici alicujus ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis; hoc est*, inquit Ambrosius, *sacerdotes de sacerdotibus voluit judicare. Quin etiam si alias quoque argueretur episcopus, et morum esset examinanda causa, etiam hæc voluit ad episcopale judicium pertinere.*

rit : itane usque ad exsilia sacerdotum, usque ad hominum cædes debuit indignatio concitata procedere ; ut ubi castæ preces, ubi vota sincera, ubi sacrificia illibata solvuntur, illic se gladius, haud facile etiam in jugulum noxiorum distringendus, exsereret ?

2. Rebus denique ipsis docetur, quid super his senserit divina majestas. Primum quidem hoc præsentis commotionis [a] judicium fuit, atque utinam solum ! facit enim humana trepidatio, tanti sibi conscia perpetrati, ut gravius aliquid, quod avertat omnipotens Deus, post terribilis ultionis experimenta metuamus. Audio (*Pallad. pag.* 91 *et* 93) ecclesiam sacrosanctam, tot imperatorum opibus expositam [*Forte* expolitam], pretiosis cultibus nobilem, tanta supplicantium principum oratione augustissimam, B flagrasse, et illud Constantinopolitanæ urbis [*Baron. addit.* ecclesiæ] unicum lumen in favillas dilapsum Deo non vetante fumasse (exsecrari enim videtur inquinata mysteria, et avertisse oculos ab eo loco, quem jam sanguis infecerat, ne obsecrare quis pietatem cœlestem sub cruentis posset altaribus); ædificia quoque [b] divina non minore splendore nobilia, ex concitatione sævientis incendii, flamma se latius effundente consumpta, et quæ publicam faciem elaborata a majoribus nostris ornamenta decorabant, velut quodam urbis funere concremata.

3. Hæc ego quamvis crebris injuriis lacessitus tacere debuerim, nec conjunctissimum fratrem regnique consortes [*Baron.* consortem] tam fideliter admonere, tamen necessitudinem sanguinis stimulo taciti dolo- C ris anteferens, hortor atque suadeo, ut hæc, si fieri potest, emendatis in posterum moribus corrigantur, ac divina iracundia, quantum re proditur excitata, votorum sedulitate placetur. Accipite a me summum simplicitatis [c] indicium. Idcirco hoc clementiæ vestræ insinuandum putavi, ne me velut gratulatione occulta faceret apud quemquam taciturnitas ipsa suspectum, neve quis crederet me talibus factis præ- A bere consensum, et qui sæpe ne acciderent commonuerim, posteaquam commissa sunt non dolerem.

4. Nam quis esse posset expers doloris, qui se meminit Christianum, tantam subito perturbationem religionis inductam, ut omnem catholicæ fidei statum necesse sit fluctuare ? Erat inter episcopos causa quæ collato [d] tractatoque consilio deberet absolvi. Missi [e] ad sacerdotes urbis æternæ atque Italiæ utraque ex parte legati : exspectabatur ex omnium auctoritate sententia, informatura regulam disciplinæ (integrum nempe esse debuerat, neque quidquam novari, dum definitio deliberata procederet), cum interea mirum quoddam præcipitium festinationis exarsit, ut non exspectatis litteris sacerdotum, qui fuerant mutua partium legatione consulti, non exa- B minatis rebus, in exsilium truderentur antistites, animadversioni prius addicti, quam sententiam judicii episcopalis experti. Denique quam immatura illa damnatio fuerit, res probavit. Namque hi [f] quorum exspectabatur auctoritas, pacifica Joanni episcopo communione permissa [*Baron.* præmissa], sanciendam concordiam censuerunt, nec quemquam putarunt ante judicium consortio repellendum.

5. Quid nunc aliud superest, quam ut catholicam fidem schismata in diversum dissociata dilacerent, quam ut hæreses communioni semper inimicæ ex tanta gestarum rerum varietate nascantur, ut jam populo pene non debeat imputari, si forte in dissonas partes sectarum diversitate discedat ; cum ex auctoritate publica discordiarum materies sit præ- C missa, et fomes quidam nutriendæ seditionis animatus. Quod ne in magnam aliquam generis humani perniciem recrudescat, vota facienda sunt, ut ad humanas prolapsiones patiens Deus rem male gestam prosperet ac secundet. Nam quantum in nobis est, possumus timere quod gestum est ; quantum ad pietatem semper placabilis Dei, non erit meriti impunitas indulta, sed veniæ.

[a] Baron. mallet *indicium*. Retinendum tamen *judicium*, hoc est pœna et vindicta Dei judicis.

[b] Hoc est, senatus amplissimam ædem, quam, inquit Palladius, *etsi multis passibus dissitam ex adverso ecclesiæ ad meridiem, ignis ille interjectam populi multitudinem pontis instar prætergressus, absumpsit.* D Hujus jacturam deflet Zosimus. Istud incendium XII kalendas Julii Honorio VI et Aristeneto consulibus contigisse Socrates lib. VI, cap. 18, tradit, et, ut addit Chronicon Alex., feria 2, hora sexta.

[c] In edit. Rom., *judicium*. Magis placet hic cum Baron., *indicium*.

[d] Baron., *contractoque concilio*. Antecedens verbum *collato*, suadet et recte consequi in edit. Rom., *tractatoque consilio*.

[e] Et hic Baron. substituit, *missis*,.... *legatis*. Missi sunt Romam, teste Palladio, pag. 9, 23, etc., ab utraque parte legati : primum a Theophili parte lector Alexandrinus litteras ipsius deferens, tum ejusdem Theophili presbyter Petrus nomine cum Martyrio ecclesiæ Constantinop. diacono, qui alias Theophili litteras cum quibusdam actis Innocentio papæ reddiderunt ; ac demum Paternus, qui se Constantinop. ecclesiæ presbyterum dicebat, litteras perferens episcoporum Acacii, Pauli, Antiochi, Severiani et aliorum quorumdam, in quibus calumniabantur Joannem, quasi ecclesiam S. Sophiæ incendisset. A Joannis autem parte, ut alios mittam qui postea magno numero venerunt, primum Romam se contulerunt quatuor episcopi, Pansophius, Pappus, Demetrius et Eugenius, tresque reddiderunt epistolas, unam Joannis, alteram 40 episcoporum de communione ejus, tertiam cleri ipsius. Ac nominatim de epistola Joannis ad Innocentium testificatur Palladius pag. 22, eam etiam ad Venerium Mediolani et Chromatium Aquileiæ episcopos scriptam fuisse. Hinc Honorio dicere licuit, legatos illos *ad sacerdotes Urbis æternæ et Italiæ* fuisse missos.

[f] Quod imperator hic pluribus attribuit, Palladius uni ascribit Innocentio, aitque page 22 : *Ad hæc beatus Innocentius papa utrique parti litteras communionis misit, improbans judicium quod a Theophilo factum fuerat.* Et ab Innocentio quidem indultæ utrique parti communionis testes sunt ipsius epistolæ 4 et 5. Sed eum tanti momenti rem citra synodum perfecisse quis sibi persuadeat ? præsertim cum Innocentium moris majorum tenacem legamus epist. 3, n. 1, præcepisse, ut Hispani episcopi, qui nonnihil ipsi deferebant, *in consessu presbyterii* audirentur.

EPISTOLA [a] IX.

HONORII IMPERATORIS AD ARCADIUM AUGUSTUM.

ὈΝΩΡΙΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΠΡΟΣ ΑΡΚΑΔΙΟΝ ΒΑΣΙΛΕΑ.

Ut synodum Thessalonicæ cogi, eoque Theophilum se conferre jubeat.

Tertio jam scribo ad mansuetudinem tuam, rogans ut quæ ex compacto contra Joannem Constantinopolitanum episcopum gesta sunt, emendentur: et, ut videtur, nondum est perfectum. Quare denuo scripsi per hosce episcopos et presbyteros, de pace ecclesiastica, per quam et nostrum imperium pacem obtinet, valde sollicitus; ut jubere digneris Orientis episcopos Thessalonicæ convenire. Etenim nostri Occidentis episcopi, cum elegissent viros qui ad malum et mendacium declinare nesciant, miserunt episcopos quinque, presbyteros duos, et diaconum unum magnæ ecclesiæ Romanæ, quos omni honore digneris velim; ut si Joannem jure expulsum esse persuasum eis fuerit, doceant me ab ejus communione recedere; aut si coarguerint Orientis episcopos [b] prava animi voluntate agi, ab eorum te communione avertant. Quænam enim sit Occidentalium de Joanne episcopo sententia [ut compertum habeas], ex omnibus epistolis, quæ ad me scriptæ [c] sunt, duas [d] subjeci id quod cæteræ continentes, unam Romani, alteram Aquileiensis episcopi. Porro hoc ante omnia obsecro clementiam tuam, Theophilum Alexandriæ episcopum, qui omnium malorum auctor esse dicitur, vel nolentem se sistere jubeas: ut nihil obstet, quominus episcoporum qui adfuerint synodus convenientem temporibus nostris pacem sanciat.

A Τρίτον γράφω πρὸς τὴν σὴν ἡμερότητα, ἀξιῶν ἵνα διορθώσεως τύχῃ τὰ κατὰ τὴν συσκευὴν τοῦ ἐπισκόπου Ἰωάννου τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν· καὶ ὡς ἔοικεν οὐκ ἤνυσται. Ὅθεν πάλιν ἐπέστειλα διὰ τῶν ἐπισκόπων καὶ πρεσβυτέρων, πάνυ φροντίζων τῆς ἐκκλησιαστικῆς εἰρήνης, δι' ἧς καὶ ἡ ἡμῶν εἰρηνεύεται βασιλεία, ἵνα καταξιώσῃς προστάξαι ἐν Θεσσαλονίκῃ συνελθεῖν τοὺς τῆς Ἑῴας ἐπισκόπους. Καὶ γὰρ οἱ τῆς ἡμετέρας Ἑσπερίας ἐπίσκοποι, ἐκλεξάμενοι ἄνδρας ἀκλινεῖς πρὸς κακίαν καὶ ψεῦδος, ἀπεστάλκασιν ἐπισκόπους μὲν πέντε, πρεσβυτέρους δὲ δύο, διάκονον δὲ ἕνα τῆς μεγίστης ἐκκλησίας Ῥωμαίων, ὧν φροντίσαι παντοίαις τιμαῖς καταξίωσον, ἵν' εἰ μὲν πεισθέντες ὅτιπερ δικαίως ἐκβέβληται ὁ ἐπίσκοπος Ἰωάννης, διδάξωσί με ἀποστῆναι τῆς αὐτῶν κοινωνίας· ἢ ἐλέγξαντες ἐθελοκακοῦντας τοὺς τῆς Ἀνατολῆς ἐπισκόπους, B ἀποστρέψωσί σε τῆς αὐτῶν κοινωνίας. Τίνα γάρ ἐστιν ἃ φρονοῦσι περὶ τοῦ ἐπισκόπου Ἰωάννου οἱ δυτικοί, ἐκ πασῶν τῶν ἐπισκοπῶν τῶν πρὸς μὲ γραφεισῶν ὑπέταξα δύο ἰσοδυναμούσας ταῖς πάσαις, τὴν ἐπιστολὴν τοῦ Ῥώμης καὶ Ἀκυληΐας. Τοῦτο δὲ παρακαλῶ τὴν σὴν ἡμηρότητα πρὸ πάντων· καὶ ἄκοντα τὸν Ἀλεξανδρείας Θεόφιλον παραστῆναι δικαίωσον, δι' ὃν μάλιστα λέγεται ἅπαντα τὰ κακὰ γεγενῆσθαι· ἵνα εἰς μηδὲν ἡ τῶν παραγενομένων ἐπισκόπων ἐμποδισθεῖσα σύνοδος τὴν πρέπουσαν τοῖς καιροῖς ἡμῶν εἰρήνην βραβεύσῃ.

EPISTOLA [e] X.

INNOCENTII I PAPÆ AD AURELIUM CARTHAGINIENSIUM ET AUGUSTINUM HIPPONENSIUM EPISCOPOS,

Salutatoria et plena charitate.

C INNOCENTIUS AURELIO et AUGUSTINO, episcopis.

Acceptissimi mihi Germani compresbyteri illo recursus vacuus officio nostro esse non debuit. Per caros enim salutare carissimos, naturale quodam modo nobis videtur et consequens. Gaudere igitur in Domino vestram germanitatem, amantissimi,

[a] Cum Honorius, Innocentii litteris provocatus, ad Arcadium de Joannis causa bis jam scripsisset, nec profecisset quidquam, petiit ab Innocentio sibi mitti episcopos quinque, presbyteros duos et diaconum unum, qui tertiam epistolam ad fratrem ferrent. Missi sunt Æmilius Beneventi episcopus, Cythegius et Gaudentius (forte Brixianus episcopus), necnon presbyteri Valentinianus et Bonifacius, ipse, ut videtur, qui Zosimo papæ successit. Cæterorum nomina Palladius tacet, sed cum eis Constantinopolim profectos esse docet Cyriacum, Demetrium, Palladium et Eulysium. Epistolam hanc uni Palladio, qui eam dialog. pag. 29 inseruit, debemus acceptam. D Latinam ejus interpretationem ex Ambrosio Camaldulensi repetitam Baronius ad annum 405 recudendam curavit. Circa vernum tempus anni 406 videtur scripta.

[b] Verbum græcum ἐθελοκακοῦντας, quod proprie de militibus dicitur, qui vires consulto non exserunt, ut adversarius vincat, ad eos recte aptatur episcopos, qui Theophilo cum canones possent opponere, ultro cesserunt, ut Joannem injuste opprimere valeret.

[c] Quæ uncinis inclusa sunt, ne anceps sententia pendeat, supplenda duxi. Integrior non est apud Ambros. Camald. qui hic subdit, *Ex omnibus ferme epistolis, quas ad me frequentes dederunt, ex his duas idem continentes quod reliquæ subdidi.* Palladius pag. 28 tradit Innocentium, cum varias epistolas accepisset, ad Honorium scripsisse, ὑποτάξαντα κατὰ μέρος τῶν γραμμάτων δύναμιν, *ac subjecisse singillatim quid illæ litteræ continerent*, ubi litterarum singularum *virtutem* seu summam dumtaxat expressam innuit. Sed ex hoc loco colligitur, non tantum singularum litterarum summam, sed et ipsasmet litteras aut earum exempla simul ad ipsum fuisse destinata.

[d] Non tantum Honorii imperatoris, Innocentii Romani episcopi, et Chromatii Aquileiensis, sed et Venerii Mediolanensis et aliorum litteras simul iisdem legatis traditas fuisse Palladius pag. 31 scribit. At Honorius Innocentii et Chromatii scripta pridem ad se missa, non quæ illi de integro ad Arcadium mittebant, seu quæ ipse nomine suo destinabat, non quæ alii data occasione iisdem adjunxerant, memorare satis habuit.

[e] Apud Dionysium sub titulo XXXVIII decretorum Innocentii exstat, sicut et in collect. Hispan. et Isid. Delata est per Germanum, qui cum Cassiano cleri ac populi CP. litteras, quibus Innocentius epistola 7 rescripsit, sub initium anni 405 Romæ reddiderat. Probabile est, Innocentium vel hoc ipso anno 405 vel potius sequenti, ejusdem Germani opera usum esse, ut Aurelium et Augustinum salutaret, eaque occasione Germanum Africanis enarrasse quanta Joannes quamque indigna esset perpessus, et quæ hanc ob causam Innocentio cum Theophilo discordia inter-

cupimus, et pro nobis paria ad Deum vota [a] rependere precamur: quia, ut bene nostis, communibus et alternis plus agimus orationibus, quam singularibus aut privatis.

EPISTOLA [b] XI.

JOANNIS CHRYSOSTOMI EPISCOPI AD INNOCENTIUM PAPAM.

A *Illius erga se paternum affectum et summam in rebus afflictis vigilantiam laudat, et ut hoc studium non remittat, iterum atque iterum obtestatur.*

(Hanc epistolam, ut aliam Chrysostomi supra memoratam, reperire potes tomo III operum ejusdem Doctoris.)

EPISTOLA XII [c].

INNOCENTII PAPÆ AD JOANNEM CHRYSOSTOMUM CONSTANTINOPOLITANUM EPISCOPUM.

Joannem ob oculos posita patientiæ commendatione consolatur.

Dilecto fratri JOANNI INNOCENTIUS.

Etsi innocens prospera omnia exspectare et a Deo misericordiam petere debet, tamen etiam a nobis, qui patientiam suademus, competentes litteræ per [d] Cyriacum diaconum sunt transmissæ, ne contumelia plus valeat ad opprimendum, quam bona conscientia ad spem relevandam. Neque enim tu docendus es, tot populorum doctor et pastor, optimos quosque semper et assidue probari, utrum in vigore patientiæ permaneant, nec ulli labori ac molestiæ succumbant. Et vero conscientia firmum est præsidium adversus omnia quæ injuste accidunt: quæ nisi quis patientia superaverit, malæ suspicionis de se argumentum præbet. Cuncta enim tolerare debet, qui Dei primum, ac deinde conscientiæ fiducia nititur. Quippe vir bonus ac probus exerceri quidem potest ad patientiam, superari vero non potest; cum divinæ Scripturæ mentem ejus muniant atque custodiant. Abundant enim exemplis lectiones sacræ, quas populis tradimus, quæ universos fere sanctos variis modis vexatos, et tamquam examine quodam probatos esse testantur, atque ita ad patientiæ coronam pervenisse. Consoletur ergo charitatem tuam, frater admodum venerande, ipsa conscientia, [e] quæ in calamitatibus habet consolationem virtutis. Inspectante enim Domino Christo, in portu pacis conscientia pura consistit.

Τῷ ἀγαπητῷ ἀδελφῷ Ἰωάννῃ Ἰννοκέντιος.

Εἰ καὶ πάντα δεῖ τὸν ἀναίτιον προσδοκᾷν τὰ χρηστά, καὶ παρὰ τοῦ Θεοῦ τὸν ἔλεον αἰτεῖν, ὅμως καὶ παρ' ἡμῶν τὴν ἀνεξικακίαν συμβουλευόντων, τὰ καθήκοντα γράμματα διὰ Κυριακοῦ τοῦ διακόνου ἐξαπέσταλται· ὥστε μὴ πλέος B δυνηθῆναι τὴν ὕβριν ἐν τῷ συντρίβειν, [Add. ἢ] τὸ ἀγαθὸν συνειδὸς ἐν τῷ ἐλπίζειν. Οὐδὲ γὰρ ὀφείλεις διδαχθῆναι ὁ τοσούτων λαῶν διδάσκαλος καὶ ποιμὴν, τοὺς ἀρίστους ἀεὶ καὶ πολλάκις δοκιμάζεσθαι, εἰ ἐν τῇ ἀκμῇ τῆς ὑπομονῆς παραμένουσι, καὶ οὐδενὶ πόνῳ κακοπαθείας ὑποπίπτουσι. Καὶ ἐστὶν ὡς ἀληθῶς βέβαιον πρᾶγμα τὸ συνειδὸς εἰς πάντα τὰ ἀδικῶς συμπίπτοντα, ἅπερ εἰ μὴ νικήσειέ τις ὑπομένων, τεκμήριον φαύλης ὑπολήψεως ἐκφέρει. Πάντα γὰρ ὑπομένειν ὀφείλει, ὁ τῷ Θεῷ πρῶτον, εἶτα καὶ τῷ ἰδίῳ πεποιθὼς συνειδότι. Ὁπότε μάλιστα γυμνάζεσθαι εἰς ὑπομονὴν ὁ καλὸς καὶ ἀγαθὸς δύναται, νικᾶσθαι δὲ οὔ· ἐπειδήπερ αὐτῷ τὴν διάνοιαν αἱ θεῖαι γραφαὶ φυλάττουσι. Καὶ περιττεύουσιν ὑποδείγμασιν αἱ θεῖαι ἀναγνώσεις, ἃς τοῖς λαοῖς παραδίδομεν, αἵτινες πάντας σχεδὸν τοὺς ἁγίους καταπεπονῆσθαι διαφό- C ρως καὶ συνεχῶς ἐπιστώσαντο, καὶ δοκιμάζεσθαι καθάπερ ἔν τινι διαγνώσει, οὕτω τε εἰς τὸν στέφανον τῆς ὑπομονῆς ἐληλυθέναι. Παραμυθείτο τὴν ἀγάπην σου αὐτὸ τὸ συνειδὸς, ἀδελφὲ τιμιώτατε, ὅπερ ἐν ταῖς θλίψεσιν ἔχει τὴν παραμυθίαν τῆς ἀρετῆς. Ἐποπτεύοντος γὰρ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ, ἐν τῷ λιμένι τῆς εἰρήνης καθαρισθεῖσα ἡ συνείδησις στήσεται.

cessisset. Certe concilium Carthaginense anno 407 Junii 13 die celebratum, atque Cod. can. Afric. eccl. c. 101 relatum, ad Innocentium sibi scribendum decernit, quo Romanam inter et Alexandrinam ecclesiam pax componatur. Neque minus certum est Aurelium, circa idem tempus, suum erga Joannem studium patefecisse; qua de re ille scripta ad eum epistola gratias agit.

[a] Reg., *respondere.*

[b] Ex editione operum Chrysostomi, ubi epistolis ipsius præmittitur, a Baronio ad annum 406, ut et a Pontificiarum epistolarum aut conciliorum editoribus repetita, a nobis autem ad vetus exemplar Hamburgense recognita est. Eam a se *tertio exsilii anno*, adeoque anno 407 scriptam esse Chrysostomus n. 4 testificatur. Exinde etiam sequitur, ut ante mensem Julium scripta sit, si Chrysostomus primum exsilii sui annum ab eo die, quo Cucusum perductus est, ad eumdem anni sequentis revolutum diem recenseat, non tertium vulgati computandi ratione a triplici consulum mutatione appellet.

[c] In edit. Concil. 28. Quæ autem 12 erat, est Isid. Mercat. Epistolam hanc, sicut et superiorem VII, uni Sozomeno acceptam debemus. De utraque sic ille lib. VIII, c. 24, præfatur: *Cum Innocentius œcumenicam synodum congregare studeret, scripsit ad Joannem, et seorsum ad clericos urbis Constantinop.* Quibus verbis significare videtur, vel utramque epistolam simul missam, vel certe istam septima posteriorem non esse. Verum huic scriptori insolens non est, ea quæ dissitis temporibus gesta sunt simul componere atque confundere. Sane cum de congreganda synodo, in qua Innocentius omnem spem posuerat, altum sit in hac epistola silentium, hoc non levi argumento est, eam scriptam esse cum ab hac spe excidisset. Istud non abhorret a vero, D Innocentium proxima Joannis epistola motum, hanc scripsisse, ut sanctum præsulem in malis, quibus eum affligi didicerat, consolaretur. Quod si ita est, Joanni superstiti vix reddi potuit.

[d] Idem Cyriacus cum Paulo item diacono jam ab anno 404 a Joanne Romam missus fuerat, ut superiorem ipsius epistolam 4 ad Innocentium perferret, ut in eadem epistola n. 1 declaratur.

[e] Valesius latine hæc ita reddidit, *quæ in calamitatibus solet esse virtutis consolatio.* Græco hæremus sermoni, in quo non conscientia consolatio virtutis, sed virtus potius consolatio conscientiæ prædicatur. Certius hoc asserit Innocentius, quod Orator paulo timidius edixerat: *Habent nonnullam in se consolationem pœnæ quæ virtute suscipiuntur.* Nomine autem *virtutis* maxime intelligit Innocentius patientiam, de qua in epistola 7, ad clerum et populum Constantinop., exposita eorum calamitate num. 1 scribit: *Quam quidem rem sola patientiæ consolatio sanare potest.*

EPISTOLA [a] XIII.

RUFO THESSALONICENSI EPISCOPO.

Variarum ei committitur cura provinciarum, in quibus vicarius Innocentii et inter primates primus constituitur.

Dilectissimo fratri Rufo Innocentius.

1. Lectissimo et gloriosissimo Moysi ita in Israel liberando regendoque Dominus cuncta commisit, ut consilium soceri Jothor sequendum ei manifesta sub relatione mandaret (*Exod.* XVIII) : videlicet ut constitueret viros gradu dignitatis judiciariæ suppares, qui causarum multitudines pro loco sibi credito inter populos definirent, ipso maxime vel etiam divinis [b] consolationibus vacaturo. Nec aliter Apostolorum forma promulgata est (*Act.* VI, 2 *et* 3), quam ut ipsi principes Evangelii constituti, cæterarum rerum causas necessitudinesque suis discipulis curandas obeundasque mandarent. Ita denique tota miseratione mirabilis Paulus Tito quæ curet apud Cretam (*Tit.* I, 5), Timotheo quæ per Asiam disponat (I *Tim.* I), commisit, ut sacrarum epistolarum lectione cognoscimus.

2. Divinitus ergo hæc procurrens gratia ita longis intervallis disterminatis a me ecclesiis discat consulendum, ut prudentiæ gravitatique tuæ [c] committendam curam causasque, si quæ exoriantur per Achaiæ, Thessaliæ, Epiri veteris, Epiri novæ, et Cretæ, Daciæ Mediterraneæ, Daciæ Ripensis, Mœsiæ, Dardaniæ et Prævali ecclesias, Christo A Domino annuente, censeant (*Ad hunc locum respicit Nicolaus I epist.* 2). Vere enim ejus sacratissimis monitis lectissimæ sinceritatis tuæ providentiæ ac virtuti hanc injungimus sollicitudinem; non primitus hæc ita statuentes, sed præcessores nostros apostolicos imitati, qui beatissimis [d] Acholio et Anysio injungi pro eorum meritis ista voluerunt. Justissimum est enim ita bene meritos honoribus decorari, ut arrogantes necessarium videtur obtundi. Placet ergo in bonis præmium, et in minus bonis [e] censio : sic enim et iste corrigitur, et ille nobilitatur.

3. Arripe itaque, dilectissime frater, nostra vice per suprascriptas Ecclesias, salvo earum primatu; curam : et inter ipsos primates primus, quidquid B eos ad nos necesse fuerit mittere, non sine tuo postulent arbitratu. Ita enim aut per tuam experientiam quidquid illud est finietur; aut tuo consilio ad nos usque perveniendum esse mandamus. Licitum autem et apostolicæ sedis favore permissum tuæ fraternitati cognosce, ut cum aliqua ecclesiastica ratio vel in tua vel in memoratis provinciis agitanda cognoscendaque fuerit, quos velis episcoporum socios quibuscumque de Ecclesiis assumas tecum; quorum et fide et moderatione quidquid necessitas causave flagitaverit, optimus dirigas arbiter, et præcipuus, quippe a nobis lectus, definias intercessor. Omnem sane instructionem chartarum in causa [f] archivorum cum presbytero [g] Senecione, viro ad-

[a] In Romana synodo sub Bonifacio II olim recitata, subinde et a Nicolao I epist. 2 laudata, postmodum a Luca Holstenio cum cæteris prædictæ synodi Romanæ monimentis in lucem emissa est. Tempus, quo scripta est, consulari nota indicatur. Sed hac in nota mendum esse, ac pro *Honorio IX et Theodosio V* restituendum esse *Honorio VII et Theodosio II* clarissimus vir Tillemontius to. X, pag. 829, opinatur. Unde sequeretur, ut hæc epistola anno 407 scripta esset. Hanc autem opinionem probare nititur ista inductione. Primo quidem statuit, ex epistolis, quas Innocentius ad Rufum scripsit, hanc primam esse, atque ab eo datam fuisse statim ut de Rufi ordinatione certior factus est; quod non negandum. Tum addit Rufum illum, ad quem Innocentius modo scribit, non alium videri ab eo, ad quem de Naissensibus clericis litteras jam dedisse se idem papa epist. 17, ad Marcianum, memorat. Quo pariter concesso, subdit : Atqui hanc epistolam ad Marcianum scripsit Innocentius Ravennæ constitutus, quo ab anno 409 ineunte venit, et ubi mense Augusto anni 410 adhuc versabatur; nec ullum est in historia vestigium, unde eum præterea in eamdem civitatem rediisse conjectemus. Ex quo consequi putat, ut neque Rufi ordinatio, neque epistola ista serius anno 408 differendæ sint. Sed cum nequaquam omnia scripta sint quæ contigerunt, et qui Ravennam semel accessit, eo etiam secundo ac tertio potuerit pergere; cumque hujus rei, ipso viro clarissimo fatente, anno 413, quo frumentum Heraclianus Romam perferri prohibebat, causa et occasio non defuerit : minime tutum videtur certam epocham conjectura incerta mutare. Sane inusitatus valde foret is librariorum lapsus, ut cum in duorum consulum qui eamdem dignitatem gessissent pluries, annis exprimendis peccassent, eorum tamen error in eorum consulatibus designandis sic apte sibi cohæreret, ut cum Honorii nono consulatu, quintum C Theodosii, non quartum aut tertium, ac vicissim cum quinto Theodosii nonum Honorii, non septimum aut alium quemvis componerent.

[b] In veteribus libris, ubi *consultationis* vocem orationis series exigit, non raro, immo plerumque *consolationis* verbum legi solere experti, et hic idem peccatum suspicamur, putamusque restituendum, *ipso maximis vel etiam divinis consultationibus vacaturo*. Respicit quippe Innocentius ad ista Exodi XVIII, 19 et 22 : *Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum... Quidquid autem majus fuerit, referant ad te, et ipsi minima judicent.*

[c] Eos, quorum suggestione Justinianus Novella 11 scripsit, tantum *Attilanis temporibus*, hoc est post annum 440, vicarii per Illyricum dignitatem episcopo Thessalonicensi fuisse attributam, imperatori huic imposuisse inde manifestum est.

[d] Istud munus Acholio ab anno saltem 380 in- D junctum fuisse, contra Hallerii sententiam, Monito in 8 epistolam Damasi observavimus.

[e] *Censio* vulgo notam a censore inustam sonat. Mox *primatum* nomine intelliguntur prænominatarum provinciarum metropolitani.

[f] Ita Holstenius, non, ut Tillemontius legit, *Achivorum*. Ut de chartis, ita et de archivis hic sermonem esse et antecedentia et consequentia persuadent. Quippe chartarum, quibus vicarii munus antistiti Thessalonicensi delegabatur, veritatem tunc a nonnullis in dubium vocatam esse apparet. Quocirca Innocentius tametsi Rufo proxime dixerit, *quippe a nobis lectus*, quod potestatem illi non tam sedis prærogativa, quam eligentis munere collatam sonat, neque hanc tamen consuetudine fultam negat : ideoque eidem, ut tum priorem epistolam suam, tum alias decessorum suorum ea de causa datas recenseat, auctor est.

[g] In edit. Concil. 11. Quæ autem 14 erat, nunc 23.

modum maturo, fieri jussimus. Itaque et ex priore nostra [a] epistola, et ex his chartulis, bene recensens quid agere debeas, recognosce. Nam voluntatem hanc nostram per unamquamque provinciam satis, ut decebat, litteris manifestavimus. Data xv kalendas Julias (*Junii 17 ann. 412*) Honorio ix et Theodosio v augustis consulibus.

EPISTOLA [b] XIV.

De [c] ratione Paschali anni 414.

INNOCENTIUS AURELIO.

Charitatis [d] nostræ officium nullo intervallo dirimitur, etiamsi charta nullos apices ferat. Vivit enim spiritalis gratia alternis in cordibus, et amorem nostrum confovet sacerdotalis ipsa societas. [e] Curato, ut dignum est, unitatem Ecclesiæ custodire; idemque omnes pariter et sentiamus et pronuntiemus, frater charissime. Has ergo litteras de ratione paschali alterius [f] (dico, futuri) anni præscripsi. Nam cum ante diem undecimum kalendarum Aprilium pene luna xvi colligatur (nam quidpiam minus est), [g] itemque cum in ante diem quartum kalendarum earumdem veniat vicesima tertia : existimavi xi kalendarum memoratarum die festa Paschalia celebranda; quoniam in vicesima tertia luna nullum Pascha umquam [h] antehac factum esse cognoscimus. Sententiæ meæ exposui atque edixi tenorem. Jam prudentiæ erit tuæ, [i] consors mihi frater, cum unanimis et consacerdotibus nostris hanc ipsam rem in synodo religiosissima [j] retractare : ut si nihil dispositioni nostræ resultat, nobis plenissime aperteque rescribas, quo deliberatam Paschalem diem, jam litteris ante, ut [k] moris est, servandam, suo tempore præscribamus. Compresbyterum autem Archidamum quamvis noverim quod libentissime ac more suscipias consueto, tamen [l] ex abundanti postulo, ut eum inter tuos habere digneris.

EPISTOLA [m] XV.

INNOCENTII PAPÆ, AD JULIANAM NOBILEM EXHORTATORIA.

Singulare membrum Ecclesiæ, tuæ religionis amplitudinem exsistere, et a nobis reverentissime coli, satis est omnibus manifestum. In ipso enim apice nobilitatis multo nobiliorem Ecclesiæ devotionem impendis, et magis læta Christi agnitione, præceptis ejus obtemperas, et in fide potius exsultas, quam tanti generis flore jactaris. Summæ virtutis est, vicisse gloriam carnis : et magnæ est Christi gra-

Eo ipso forte, qui a Siricio epist. 9, n. 5, Basso episcopo *in consortium regendæ ecclesiæ datus* dicitur.

[a] Non, ut mihi quidem videtur, ad ipsum Rufum, sed ad decessorem ejus Anysium scripta, quæque superius primum locum obtinet. Et hinc rursum vocem *archivorum* retinendam, nec mutandam fuisse firmatur.

[b] In Romana pontificiarum epistolarum editione notatur ut ex *Cresconio* descripta. Convenientius forsitan notatum esset *ex Dyonisio*. Apud hunc inter Innocentii decreta conficit titulum seu capitulum 50. Exinde illam et collectionis Hispanæ auctor et Isidorus mutuati sunt. De paschali celebritate anni 414 in hac epistola disseri inter omnes convenit; ideoque illam anno 413 scriptam plerique censent. Verum Tillemontius subtiliter pro more suo expendens omnia, atque Pascha servandum ab Innocentio nondum præscribi, sed hunc papam prius, quam præscribere illud certo valeat, suam de eo sententiam Africana in synodo retractari, indeque ad se rescribi velle observans, anno 412 consignandam esse arbitratur : maxime, inquit, cum Aurelius et circa exitum Junii concilium provinciale, et circa finem Augusti plenarium Africæ, in quo ex præscripto Carthaginensis III concilii can. 41 anni futuri Paschalis dies divulgandus erat, celebrare soleret. Nisi igitur synodum aliquam præter consueta illa tempora in Africa celebratam cogitemus, eruditi viri opinioni videtur subscribendum. Alioqui non apparet qui Innocentius Africanæ synodi de hac quæstione sententiam rescire, atque exinde totius Occidentis episcopis Paschæ diem indicare commode valuerit. Ad hæc, Leo papa de Paschali die anni 455 pariter sollicitus, ea de re non anno 454, quo dies ille ecclesiis præscribendus ac denuntiandus erat, sed ab anno 453 certior fieri pluribus litteris studuit.

[c] In mss. coll. Dion. et Hadr. aut simpliter *de Pascha*, aut *de Pascha in qua re fallitur*, hoc est utrum in ejus die præscribendo Innocentius fallatur, an non. In Hispan. *de insinuatione vel indictis temporibus Paschæ*.

[d] Sincerum Dion. coll. exemplar Regium, *Charitatis tuæ*, forte loco *charitatis mutuæ*. Coisl. coll. Hisp., *Charitatis vestræ*.

[e] Ita emendamus ope prædicti exemplaris Regii, in quo exstat, *Curatio ut dignum est*. Cui favet istud Coisl., *Cura ergo ut dignum est*. In aliis autem libris habetur, *Cur ergo indignum est*; et mox in solis editis, *custodiri*. Tum in Coislin., *idque omnes... fratres carissimi*.

[f] Vocabulo *alterius* annum intelligere est vel alterum ab eo quo Paschæ dies sit celebrandus, vel alterum ab eo quo divulgandus sit. Si hoc postremum admittatur, anno 412 consignanda erit hæc epistola; si autem primum magis placet, in annum 413 rejicienda erit. Quamquam ipse infra altero anno ab eo, quo divulgandus erat Paschæ dies, scribere se non obscure significat.

[g] In mss. coll. Hadr. *itemque*, sine adjuncto *cum*, quod pariter in Regio coll. Dion. omittitur, illæso sensu.

[h] Ita exemplar Regium. At mss. coll. Hadr., *ante Pascha*. Editi vero, *ante hoc Pascha*.

[i] In ms. Coislin., *concors mihi*.

[j] In vulgatis post Crab. *tractare*. At in omnibus mss. ut apud Merl., *retractare*, quod est recognoscere.

[k] Id moris fuisse, ut Romanus pontifex de die Paschæ litteras *ad omnes* dirigeret, testis est Arelatensis I synodus anno 314 habita, ejusque usum Leo epist. 88, ad Ravennium, confirmat. Hoc autem spirat totus iste Innocentii locus, tempus quo mori illi satisfaciendum erat, nondum imminere.

[l] Omnes mss. *ex abundantibus*.

[m] In edit. Concil. 13; quæ autem 15 erat, nunc 20. Dionysius Exiguus epistolam hanc non indignam putavit, quam inter Innocentii decreta referret. Hanc sub titulo seu capitulo 39 proxime ante superiorem collocavit. Eumdem locum obtinet in coll. Hispan. et Isid. Forte cum eadem epistola missa est. Baronius scriptam opinatur anno 413, quo tacite refelleretur Pelagii liber ad Demetriadem Julianæ filiam scriptus. Ad eamdem Julianam exstant epistolæ Joannis Chrysostomi 109, Augustini 150, rursum Augustini et Alypii 188. Ipsi Augustinus anno 414 suam dicavit *de Bono viduitatis* lucubrationem. Ejus quoque Hieronymus in epistola 8, ad Demetriadem ipsius filiam, meminit.

tiæ [a], nobilitatem moribus superasse, domina filia merito illustris. Certa igitur exsistens, dilectissima, vitæ hujus quæcumque sunt spatia æternis divinisque officiis illustrare contende: ut qui insignem te præstitit, reddat sibi per sæcula clariorem.

EPISTOLA [b] XVI.

De suscipiendis clericis, quos Bonosus, antequam damnaretur, ordinasse cognoscitur.

INNOCENTIUS MARCIANO EPISCOPO [c] NAISSITANO.

Superiori tempore, si tamen recte [d] recordor, memini me tam ad dilectionem tuam, quam ad fratres et coepiscopos nostros Rufum et cæteros hujusmodi litteras de clericis [e] Naissensibus transmisisse, his videlicet, qui se ante damnationem Bonosi assererent ab eodem tam presbyteros quam diaconos ordinatos, ut si relicto atque damnato ejus errore vellent Ecclesiæ copulari, libenter reciperentur, ne forte qui essent digni recuperandæ salutis, in eodem [f] deperirent. Verum nunc in Ravennati urbe mihi constituto, propter Romani populi necessitates creberrimas, [g] Germanio, qui se asserit esse presbyterum, atque Lupentius, qui se diaconum dicit, multorum talium quasi legatione suscepta, prece fusa, dolores proprios exprimere gestiverunt, [h] asserentes se quidem ecclesias in dilectionis tuæ constitutas parœciis retinere, sed tuam communionem non potuisse se mereri, ea videlicet ratione, quia Rusticius quidam nomine, iterata ordinatione presbyterium suscepisset. Et non levi impedimento fit, dum aut illi dolent, hujusmodi hominem in Ecclesia retineri, aut ille sic [i] peccari debere in alios arbitretur, quemadmodum in se agnoscit esse peccatum. Et quamvis de eadem re plenius litteræ meæ contineant, quas superius memoravi; tamen etiam nunc admonendam duximus fraternitatem tuam, ut si vere constat, aliquos ante damnationem Bonosi ab eodem ordinatos, postea voluisse vel nunc velle reverti, eos recipiendos esse censemus; maxime cum memorati asserant, se in tantum anteriori tempore ordinatos, ut sanctæ recordationis virum Cornelium episcopum Sirmiensis urbis, necnon et fratrem nostrum [j] Nicetam, aliosque nonnullos fuisse præsentes,

[a] Hoc Baronius non sine causa dictum esse observat, sed quo velut antidoto excuteretur virus in his latens Pelagii ad Demetriadem verbis, quæ Alypio et Augustino tantopere displicuerunt: *Spiritales divitias nullus sibi præter te conferre poterit: in iis jure laudanda, in iis merito cæteris præferenda est, quæ nisi ex te et in te esse non possunt.* Neque minus his adversatur epistolæ clausula, qua non dicit Innocentius, *ut cui insignem te præstitisti, ei te reddas per sæcula clariorem*, sed totum hoc ad Dei munus refert. Certe si præcessit hæc epistola prædictum Pelagii opusculum, negandus non est Innocentius Julianæ animum adversus pestilentem illius doctrinam non sine Dei nutu tam apte prævertisse.

[b] In collectione Dionysii Exigui conficit hæc epistola Innocentii decretum L. Titulus, quem ei præfixit idem Dionysius Exiguus, a Cresconio cap. 58 laudatur. Eam quoque Hispana collectio et Isidoriana exhibent. Ravennæ se constitutum testatur Innocentius, dum illam scriberet. Eum autem in urbem illam circa anni 409 initia sese contulisse, ibique anno 410 cum ab Alarico capta est Roma, constitutum fuisse, Zosimus histor. lib. v, Sozomenus lib. ix, c. 7, et Orosius lib. vii, c. 39, tradunt. Unde per illud intervallum missam esse nonnulli opinantur. Alii anno 414 multo posteriorem arbitrantur, utpote in cujus exordio subsequentem ad Rufum, Marcianum et alios episcopos memorari existimant. Et eam forte ob causam in editione Romana rejecta est post sequentem, licet eidem a Dionysio præponatur. Verum in sequenti epistola non de clericis Naissensibus, qui a Bonoso ante damnationem fuerant ordinati, recipiendis, sed de iis, quos idem hæreticus damnatus ordinaverat, a clero repellendis agitur. Quocirca de tempore, quo hæc epistola scripta est, nihil certi definiri valet. Hic tamen ad imitationem Dionysii non male ponitur: non solum quia subnexa probabiliter creditur anterior, sed etiam quia rerum ordo postulat, ut primum de ordinatis a Bonoso ante damnationem, ac deinde de ordinatis ab eodem post damnationem quid Innocentius sentiat, exponatur.

[c] Ita plerique mss. Nonnulli autem ut apud Merlin. *Naisitano*. Edit. Rom. post Crab. *Naxitano*. Idem Crab. ad marg. ascripsit *Naresitano*: quod in posterioribus edit. concil. prælatum est. In puro Dionysianæ collectionis exemplari Regio tota hæc inscriptio desideratur.

[d] *Dion. et Hadr. coll. mss. reor.*

[e] Merl. *Naisensibus* Crab. et edit. Rom., *Naxensibus*. Posteriores edit. concil. ex margine Crab., *Naresiensibus*. Navar. ms., *Naisitensibus*. Cæteri, *Naissensibus*. Hoc nituntur loco, qui Bonosum episcopum Naissitanum fuisse volunt, Naissenses clericos ordinari ab eo non potuisse rati, nisi Naissensi Ecclesiæ præfuisset. Sane respuenda non esset eorum sententia, si hunc hæreticum ecclesiasticæ disciplinæ regulis se continuisse constaret. Verum, ut in epistola sequente n. 12 docetur, *passim et sine ulla discussione ordinationes illicitas faciebat*. Nil igitur vetat, quominus auctoritati hæreamus Marii Mercatoris, qui Bonosum Sardicensem episcopum appellat.

[f] In vulgatis hic additur *errore*: quod abest a mss. ac recte subauditur.

[g] Sola editio Rom., *Germanus*. Merl. et Crab., *Germanum*, ac subinde *Lupentinum*: ubi recentiores edit. concil. prælerunt *Lupentinus*, rejecto ad marg. *Lupentius*, quæ est lectio mss.

[h] Verbum *asserentes*, apud Crab. ac deinceps in vulgatis omissum, ex Merl. et mss. revocatur. Quod tunc asserebant clerici a Bonoso ordinati, Marcianum scilicet ita ipsis ecclesias suas retinere permisisse, ut suam eis communionem negaret, illustratur Toletani i, concilii gestis Lab. tom. ii, pag. 1231, ubi quibusdam a Priscilliani secta discedentibus ecclesiæ permittuntur suæ, nec communio, quoad ipsis a Romano antistite reddita fuerit, conceditur. His porro clericis, qui ecclesias suas permittebantur retinere, iterata non fuerat ordinatio: adeoque Macedoniæ episcopis persuasum non erat, Bonosiacis, si in clero permanere permittendi essent, hoc eis nonnisi iterata ordinatione concedendum esse. Quod interim adversus Pasch. Quesnelli sententiam, de qua Monito in epistolam sequentem agendum nobis erit, sit observatum.

[i] In nostris mss. ut in editis exstat *peccare*: sed quod subnectitur *esse peccatum*, hic *peccari* necessario postulat. Nec ignorant, qui usum aliquem in terendis veteribus libris habent, quam frequens sit i in e ac vicissim mutatio. Deinde editi post Crab. ut in ms. Reg. *debere in alio*: ubi melius cæteri libri, *debere in alios*, supple a Bonoso ordinatos. Tum coll. Dion. et Hadr. exempla subjiciunt, *arbitretur quem in se*, non *quemadmodum in se*: quod in mss. coll. Hisp. et Isid. rectius habetur.

[j] Is putatur Nicetas a Gennadio de vir. illustr. dic-

cum honoribus, quos se habere commemorant, A * augerentur. Unde, frater charissime, si eorum assertio fidem recipit veri, suscipiendos esse ambigere non debes, quos tam diu ecclesias sibi creditas passus es retinere.

MONITUM IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

1. In exemplari Corbeiensi circa medium sæculum vi scripto, Colbertino litteris Langobardicis exarato, necnon in veteribus exemplis Codicis a Quesnello vulgati, atque collectionum Dionysii, Hadriani, Hispanæ, Isidori, etc., exhibetur hæc epistola. Eam Dionysius in septem partitus est capitula, quæ inter Innocentii decreta sic collocavit, ut horum capitulorum primum ab ipso vocetur Innocentii decretum LI, et postremum LVII. In codice autem Corbeiensi in duodecim titulos, quos in ipsius epistolæ fronte repræsentandos duximus, dividitur. Brevior eidem epistolæ titulus in antiquis Codicis Quesnelliani exemplis præfigitur in hunc modum: « *Rescriptum Innocentii papæ* B *ad Macedonenses episcopos super interrogationem trium titulorum.* I. Ut qui viduam accipit uxorem, non admittatur ad clerum. II. Ut qui ante baptismum uxorem habuerit, si illa defuncta post baptismum aliam duxerit, digamus habeatur, nec admittendus ad clerum. III. Ut ii, qui de Catholica recedentes ab hæreticis ordinationem sacerdotii accipiunt, non reputentur usque dum reverti voluerint. » Et vero de triplici illa quæstione potissimum in ista epistola disseritur. Ad duas priores respiciens Innocentius, num. 1, ait: « De quibus jam dudum scripsisse memini, nunc iterare formam argumentis evidentioribus relationis vestræ geminata percontatio compellit: » quia nimirum de primis tum epist. 2 Victricio c. 5, tum epist. 3 Toletanæ synodo c. 6, tum epist. 6 Exsuperio c. 1, et de secunda laudatis epistolis Victricio et Toletanæ synodo scripsisset. Nec obstat quod minime generales sint illæ epistolæ. Cum enim ad singularium seu episcoporum seu ecclesiarum C quæsita rescribebant Romani pontifices quod aliarum ecclesiarum usui esse posset, id cum eis communicare vulgo consueverant. Sed ad tertiam quæstionem ubi venit Innocentius, eam pro sui difficultate longiorem exigere disputationem sic fatetur, ut hanc novam ac nondum a se pertractatam esse satis indicet.

2. Nova illa quæstio eorum occasione oborta est, quos Bonosus post damnationem ordinaverat. Nam de iis, qui ab eodem ante damnationem ordinati fuerant, nihil erat difficultatis. Hos quippe Capuana synodus in suis honoribus recipiendos esse judicaverat. Quod judicium approbans Innocentius, ipsimet Rufo aliisque Macedonibus nominatim de Naissensibus clericis, « qui se ante damnationem Bonosi asserebant ab eodem tam presbyteros quam diaconos ordinatos, » scripserat, « ut si, rejecto atque damnato ejus errore, vellent Ecclesiæ copulari, libenter reciperentur » (*Epist.* 17, 1). Tantum igitur de iis disceptabatur clericis, quos Bonosus jam damnatus ordinaverat. Qua quæstione ad Innocentium delata, distinguendos esse observat alios qui ab hæresi baptizati ad Ecclesiam veniunt, et alios qui e Catholica ad hæresim, et inde ad ipsam Catholicam, unde exierant, redeunt. Priores enim per solam manus impositionem statim copulabantur fidelibus. Alii vero nonnisi post longam pœnitentiam in communionem admittebantur. « Unde, inquit (*Num.* 11), constat, quia qui de Catholica ad Bonosum transierunt damnatum, atque se passi sunt aut cupierunt ab eodem ordinari, non oportuisse ordinationis ecclesiasticæ accipere dignitatem: » siquidem « nec post pœnitentiam clericum fieri ipsi canones sua auctoritate permittunt. » Quocirca cum Macedonibus expostulat (*Num.* 8), quod « ii qui a Catholica ad hæresim transierunt, apud eos non solum pœnitentiam non agunt, sed etiam honore (*clericatus*) cumulantur. » De aliis vero notat Innocentius, « fuisse regulas veteres, quas ab Apostolis vel apostolicis viris traditas ecclesia Romana custodit, custodiendasque mandat eis qui eam audiunt, » quibus præcipitur (*Ibid.*), « venientibus ab hæreticis, qui illic baptizati sunt, per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogare. »

3. Verum ab hac postrema lege ut recederetur, nonnunquam Ecclesiæ necessitatem suasisse ultro fatetur. Hac de causa Nicæna synodus Novatianos in suis honoribus recipiendos judicaverat. Idem postea fuit Anysii ac sociorum de iis, qui a Bonoso ante damnationem ordinati fuerant, judicium. Iis quoque, qui a Priscilliani assectis ordinationem acceperant, anno 400, Toletanum concilium idem indulsit beneficii genus. Et Innocentius quidem non modo Nicænæ synodi erga Novatianos, aut Anisii et sociorum erga eos, qui Bonosio adhæserant, statuta comprobat, sed et eos quibus Toletani concilii erga Priscilliani asseclas indulgentia displicebat, vehementer arguit atque confutat (*Epist.* 3, *c.* 1). Sic tamen exceptiones illas admittit ac probat æqui amantissimus pontifex, ut ubi absit hujusmodi necessitas, generalibus Ecclesiæ regulis hærendum esse acriter contendat. Quod dum persuadere nititur, Nicænum canonem 8 profert in hunc modum: « De his, qui nominant se ipsos Catharos, id est mundos, et aliquando veniunt ad catholicam Ecclesiam, placuit sanctæ et magnæ synodo, ut, accepta manus impositione, sic maneant in clero. » Unde circa genuinum canonis hujus intellectum nova oboritur quæstio, quam hic explicare juverit.

4. Non aliis verbis canonem istum antiquus canonum Codex, quem Pasch. Quesnellus Romanæ ecclesiæ usui fuisse vult, cap. 22 in hac Innocentii epistola refert, licet in ejusdem Codicis capite 1, ubi simul exhibentur Nicæni canones, ita exprimatur: « De his qui se ipsos Catharos, id est mundos, vocant, si qui veniant ad Ecclesiam catholicam, placuit sancto concilio ut ordinentur, et sic maneant in clero. » Hæc autem interpretatio cum propria sit codicis, iis communis esse debuerat qui illo utebantur Codice, adeoque Innocentio ipsi, si, ut obtenditur, prædictus Codex illius ævo Romanæ Ecclesiæ usui fuisset. In ea tamen interpretatione, quam sequitur Innocentius, cum alius sit verborum ordo, in hoc certe maxima differentia est, quod ubi exhibet memoratus Codex *ut ordinentur*, ille præferat *ut accepta manus impositione*. Unde sequitur, ut hic papa Nicæni concilii interprete usus sit, qui can. 8 egerat ὥστε χειροθετουμένους, non Quesnelli Codice, ubi insertus est interpretatio viri, qui pro χειροθετουμένους, D offenderat χειροτονουμένους. Quod sine de illo Codice opinioni non parum adversari sentiens vir laudatus, dissert. 12, cap. 7, prædicti discriminis hanc excogitavit causam: « quod cum Innocentius papa Macedonum objectioni responderet, canonem quo objectus fuerat, verbum e verbo vel scribere vel vertere ex illorum litteris, » non ex proprio Codice, voluerit. At ista respondens, Innocentii verba non satis perpendisse convincitur. Is enim papa sic antea præfatus: « Prius ille canon a patribus institutus ponendus est, ut possimus advertere, etc., » hunc canonem proponere se primum, non ex aliorum litteris exscribere aut interpretari satis aperte declarat. Aliunde

tus episcopus *Romatianæ*; quam urbem geographi in Dacia mediterranea, seu in Mœsia superiori, Naissum inter et Sardicam collocant.

* Editi post. Crab., *faterentur*, in ms. Reg. *nihil agerentur*: corrupte. In cæteris *augerentur*. Innocentius ordinatos eo loquendi modo *honoribus auctos* prædicat, quo ab Hilario lib. x de Trin. n. 11, *in filios Dei aucti* dicuntur qui Christum receperunt: quia nimirum ut iis qui filii Dei evadunt, ita iis qui ordinantur non levis fiat accessio dignitatis.

vero notum est, illum in proprio Nicæni concilii exemplari can. 8, χειροθετουμένους, non χειροτονουμένους, legisse atque in eodem exemplari verbum χειροθετουμένους non *ordinationis*, sed *impositionis manus* vocabulo latine fuisse conversum. Hunc quippe Nicænum canonem epist. 2, n. 11, secundum Siricium epist. 4, c. 8, summatim exprimens, præcipit, « ut venientes a Novatianis vel Montensibus per manus impositionem suscipiantur. » Neque hoc tantum in mox citato loco Siricius, sed et epist. 1, n. 2, confirmat, ubi Himerio, an ab Ariana hæresi venientes denuo baptizandi essent, consulenti respondet: « Quos nos cum *Novatianis* aliisque hæreticis, sicut est *in synodo* constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus, episcopalis *manus impositione*, catholicorum conventui sociamus. » Ibi enim synodi nomine Nicænam intelligi, ejusque canonem 8, memorari nemo prudens negaverit. In hoc igitur canone Siricium et Innocentium *ut accepta manus impositione*, non *ut ordinentur*, legisse manifestum est. Leo quoque vestigiis eorum insistens, epist. 2. ad Rustici inquisitionem 18 similiter respondet: « Per *manus impositionem*, invocata virtute Spiritus sancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, Catholicis copulandi sunt. » His concinit et Corbeiensis codex medio sæculo VI exaratus, in quo Nicænus canon ita refertur: « De his qui se cognominant Catharos, id est mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam catholicam, placuit sancto et magno concilio, ut *impositionem manus accipientes*, sic in clero permaneant. » Sed manus impositio ibi requisita qua ratione intelligenda sit, explicare non levis momenti est.

5. Hic laudatus vir in prædicta Dissertatione 12, c. 7, duo pro certo ponit, quæ probasse operæ pretium fuisset. Primum enim ait: « Ultro fatebantur Macedones ordinationem illic (Nicæn. can. 8, manus impositione) significatam esse. » Ac deinde addit, de hoc Macedonas inter et Innocentium convenisse, si Bonosiaci permanere in clero permittendi essent, hoc eis nonnisi *iterata ordinatione* concedendum fuisse. Ad Macedonas quod attinet, si ex eo quod unus fecit, quamvis ab aliis factum ejus improbetur, quid tota provincia vel regio sentiat conjicere licet, eos ab illa sententia quam ipsis attribuit vir eruditus, non abluisse largiendum est. In epistola enim superiori vidimus Rusticium quemdam, a Bonosi societate ad Ecclesiam catholicam redeuntem, « iterata ordinatione presbyterium suscepisse; » idque aliis, qui redire cupiebant, maximo esse impedimento, « dum aut illi dolent hujusmodi hominem in Ecclesia retineri, aut ille sic peccari debere in alios arbitretur, quemadmodum in se agnoscit esse peccatum. » Sed ex singulari unius peccato, quod cæteris horrori est, quid totius provinciæ usu receptum sit quis judicari velit? Immo ex eo quod Macedonas Germanioni, Lupentio aliisque pluribus ecclesias suas sine iterata ordinatione retinere permiserant, liquet illos in ea non fuisse opinione, ut ordinatis a Bonoso in clero permanere nisi ordinatione iterata non liceret. Innocentius quoque in allatis verbis de Rusticio, qui se iterato ordinari passus sit, hoc se una cum clericis Macedonibus sentire significat, cum scilicet commisisse peccatum, et ejusmodi quidem peccatum, quod eumdem in Ecclesia retineri seu inter ecclesiasticos censeri non permittat. Ab ea igitur sententia tum idem papa, tum clerici Macedones, tum ejusdem provinciæ episcopi procul abfuerunt, ut si permanere in clero permitterentur Bonosiaci, hoc eis iterata ordinatione præstandum foret. Sed rem altius repetamus.

6. In Ecclesia semper ea lex obtinuit, ut ab hæresi ad Ecclesiam venientes sive clerici, sive laici, per manus impositionem reciperentur. Istam consuetudinem ante Nicænam synodum, immo ante A Stephani papæ Cyprianique tempora invaluisse, cum ipsius Stephani, tum conciliorum Africæ sub Cypriano, necnon Eusebii aliorumque testimoniis supra pag. 240 et seqq. probavimus. Atqui manum tunc illis *in pœnitentiam*, non ut ordinarentur, impositam esse ex iisdem testimoniis patet; atque omnibus se præberet ridendum, qui laicos hac impositione ordinatos esse contenderet. Quis igitur Nicænos patres alio intellectu de manus impositione locutos esse assentiat, ubi de Novatianis decernunt: « Placuit sanctæ et magnæ synodo, ut, accepta manus impositione, sic maneant in clero? » Nobis vero, ne illos alio sensu locutos esse censeamus, auctor est Siricius, qui quidem loco jam laudato epist. 1, ad Himer., c. 1, Arianos aliosque hæreticos ea ipsa manus impositione, qua Nicæna synodus Novatianos suscipiendos esse præscripsit, Romæ catholicorum conventui sociari, idque ab Oriente simul et Occidente toto custodiri testatur. Unde se- B quitur, ut quod Nicæno in canone de accipienda manus impositione præscriptum est, de omnibus hæreticis præceptum esse totus Oriens Occidensque, traditione persuadente, intellexerit; quod autem ibi additur, *et sic maneant in clero*, solis Novatianis, ipsomet Innocentio interprete, sit concessum. Si autem erga Arianos aliosve hæreticos illa manus impositio iterata ordinatio non erat, neque igitur erga Novatianos. Ad hæc, Innocentius infra (*Num.* 8) hærere se professus ecclesiæ suæ legi, quæ venientibus ab hæresi manum imponi volebat, hac impositione ordinationem minime conferri aperte docet, siquidem laicam tantum communionem per illam tribui simul affirmat (*Num.* 9). Ubi igitur ait, « Anysii quondam fratris nostri, aliorumque consacerdotum summa hæc deliberatio fuit, ut quos Bonosus ordinaverat, ne cum eodem remanerent, ac fieret non mediocre scandalum, *ordinati* reciperentur, » istud *ordinati* non ita intelligit, quasi essent iterum ordinandi prius quam reciperentur, sed C quia quos Bonosus ordinaverat, habendi essent ut ordinati, et in eo gradu atque ordine quem acceperant, recipiendi.

7. Verum, eodem papa præmonente (*Ibid.*), distinguendus alius *ordo legitimus*, alia *usurpatio*. Nec immerito cum illo *reos usurpatæ dignitatis* dixerimus, quos Bonosus damnatus ordinaverat (*Num.* 12): quia *id se putaverunt esse, quod eis nulla fuerit regulari ratione concessum*. Etsi autem quod datum erat, in illis manebat, quia tamen manebat, ut cum Augustino (*Lib.* II, *cont. Epist. Parmen.* n. 29) loquamur, *ad pœnam usurpatoris cum ejus qui illicite dedit*, tum *ejus qui illicite accepit*; vere nihil accepisse dicendi sunt, quatenus potestate sibi contra regulas facta uti legitime non valebant. « Cæterum, inquit idem Augustinus (*Num.* 30), de iis qui ab Ecclesiæ unitate separati sunt, nulla jam quæstio est quin et habeant et dare possint, et quin perniciose habeant, perniciose que tradant (baptismum et ordina- D tionem) extra vinculum pacis. Utrumque enim, » inquit paulo superius (*Num.* 28), « sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur; illud cum baptizatur, istud cum ordinatur: ideoque *in Catholica utrumque non licet iterari*. » Et paucis interjectis. « Sicut autem habent in baptismo quod per eos dari possit, sic in ordinatione jus dandi; utrumque quidem ad perniciem suam, quam diu charitatem non habent unitatis: sed aliud est non habere, aliud perniciose habere, aliud salubriter habere. » Hæc autem ad illustrandam ac probandam Innocentii sententiam eo majoris sunt ponderis, quod cum ea edissereret Augustinus circa annum 400, adeoque antequam Innocentius ad Macedonas scriberet, non id tamen quod ipse privatim sentiebat, sed « quod in ipsa totius orbis unitate discussum atque consideratum, perfectum atque definitum est, » tueri se asserit (*Ibid.*). Sane « hoc in

ipsa totius orbis unitate definitum » non fuisset A dicturus, si Romanæ Ecclesiæ in eadem doctrina consensio defuisset. Quam scrupulose enim Afri, eo præsertim tempore et circa hujusmodi quæstiones, ne ab hujus Ecclesiæ decretis dissiderent, cavebant, testes sunt eorum ad Siricium, ad Anastasium et ad Innocentium ipsum destinatæ legationes et epistolæ. Sed et ea definitio quam Augustinus laudat, ubinam edita fuerit, si expendamus, in primis occurret quod Afri Cod. can. Eccl. Afr., c. 48, scribunt: « Illud autem suggerimus mandatum nobis, quod etiam in Capuensi plenaria synodo videtur statutum, ut non liceat fieri rebaptizationes, reordinationes. » Nec negare quisquam valet, in tam celebri concilio nihil nisi ex sententia Siricii, nihil certe quod non ipse approbarit, actum esse. Quamvis igitur novissime asserat vir doctus jam non semel memoratus (*Dissert.* 12 *in Leon. c.* 7): « Nec quæstio (Macedonius inter et Innocentium) erat, an Bonosiaci iterum ordinari deberent, ut in eo cleri ordine permanerent quem apud Bonosum obtinuerant, de B illo utrique conveniebant; sed utrum etiam *iterata ordinatione* in clero permanere permittendi essent; » ab ejus sententia provocare merito liceat ad istud Augustini (*Lib.* II. *cont. Epist. Parmen. n.* 28): « De iis qui ab Ecclesiæ unitate separati sunt, nulla jam quæstio est quin et habeant et dare possint (baptismum et ordinationem). Ideoque in Catholica utrumque non licet iterari. » Unde, infit, ubi « visum est opus esse ut (a Donati parte venientes) eadem officia gererent quæ gerebant, non sunt rursum ordinati: sed sicut baptismus in eis, sic ordinatio mansit integra. »

8. Si etiam ad ipsum fontem, hoc est ad Græcum Nicæni concilii textum adeamus, manifestum nobis fiet concilii hujus patres ordinationem iterari noluisse nisi eorum quorum baptisma nullum, ideoque iterandum judicabant. Certe cum can. 8 Novatianos, quorum admittebant baptisma, χειροθετουμένους, hoc est *accepta manus impositione*, in clero C manere concedant; can. 19 Paulianistarum, quorum baptismum rejiciebant, clericos admitti nolunt in clerum, nisi « *prius baptizati et ordinati fuissent* (ἀναβαπτισθέντες χειροτονείσθωσαν) *a catholicæ Ecclesiæ episcopo.* » Non enim sine causa duobus illis locis non eodem verbo utuntur: sed primos χειροθετουμένους, quod simpliciter *manus impositionem accipere*, alios χειροτονουμένους, quod proprie *ordinationem accipere* sonat, ad clerum admittunt. Unde et Nicæni canonis interpretationem, qua Innocentius in hac epistola utitur, aptiorem magisque congruentem esse liquet, quam quæ in Codice Quesnelli obtinet. Forte etiam hujus artifex cum can. 19, de Paulianistis, χειροτονείσθωσαν dictum offenderet, inde inductus est ut can. 8, de Novatianis, græce χειρονουμένους et Latine *ut ordinentur* legendum esse judicaret. Et ex hujusmodi vitiosa interpretatione in primis ea nata videtur opinio, quæ clericos ab hæresi ad Ecclesiam venientes nonnisi iterata ordinatione in clerum receptos censet. Verum etiamsi D exstiterunt identidem nonnulli, qui utrum ab episcopis damnatis efficaciter conferrentur sacramenta, dubitarent, numquam tamen ea in re anceps aut dubia Ecclesiæ sententia fuit. Sæculo V exeunte, cum ea quorumdam esset opinio, quod « prolato a papa Felice (II *adversus Acacium*) judicio, postea inefficaciter in sacramentis, quæ Acacius usurpavit, egisset, » respondit Anastasius papa epist. I, c. 8: « Cum sibi sacerdotis nomen vindicaverit condemnatus, in ipsius verticem superbiæ tumor inflictus est; quia non populus, qui in mysteriis donum ipsius sitiebat, exclusus est, sed anima illa sola, quæ peccaverat, justo judicio propriæ culpæ erat obnoxia. » Quod vere de illo dicitur, qui simplici anima quærit sacramenta, non de eo qui schismatis occasione abutitur, ut ambitioni suæ serviat. Sæculo nono de clericis ab Ebone, postquam de episcopatu dejectus esset, ordinatis similis exstitit controversia. Sed Suessionense III concilium anno 866 de illis sanxit, ut « in gradibus reciperentur, secundum indulgentiam Nicænæ synodi de his quos damnatus ordinavit Meletius, et juxta traditionem Africani concilii » erga Donatistas. Vide et concilium Nicænum II, Lab. tom. VII, a pag. 66 ad 78. Ita in suis honoribus recipiendos duxerunt Nicæni patres Meletianos ac Novatianos, Afri quosdam ex Donatistis, Capuana synodus et Innocentius a Bonoso ante damnationem ordinatos, Anastasius II, eos quos Acacius damnatus ordinavit. Præterea Gregorius I, epist. olim 61, mense Jul. Indict. IV, ad Quiricum, etiam Nestorianos pariter in suis honoribus recipiendos judicavit. Aliorum similia judicia et decreta silentio præterimus.

EPISTOLA [a] XVII.

Ex Dionysio Exiguo.

I. *Ut si sacerdos vel quilibet ex clero viduam uxorem duxerit, vel ejectam, suum perdat officium.* — II. *Ut si quis catechumenus habuerit uxorem, et, defuncta ea, post baptismum sortitus fuerit alteram, clericus non sit.* — III. *Quod non suscipiantur in clero ab hæreticis ordinati.* — IV. *Quod in ordinationibus crimina vel vitia non bene credantur auferri.* — V. *Quod ii, qui a Bonoso hæretico ordinati sunt, propterea sint recepti, ne scandalum remaneret Ecclesiæ.* — VI. *Quod in Ecclesia peccatum populi inultum soleat præteriri.* — VII. *Quod subreptum fuerit apostolicæ sedi, et suam in melius sententiam commutarit.*

Ex antiquo codice Corbeiensi.

I. *De iis qui duas suggeruntur accepisse uxores.* — II. *Non dici oportere digamum eum qui catechumenus habuerit atque amiserit uxorem.* — III. *Qualiter crimina dimittantur in baptismum.* — IV. *De filiis qui ante baptismum nati fuerint.* — V. *De catechumenis, qui sanctis virtutibus studuerint.* — VI. *De hæreticis clericis qualiter debeant reconciliari.* — VII. *De sacrilegis et adulteris ad clerum admitti non debere.* — VIII. *Et qualiter hæretici accipiantur.* — IX. *De his qui se catharos atque mundos vocant.* — X. *De a Novatianis atque hæreticis revertentibus.* — XI. *De clericis catholicis qui ad hæresim transeunt.* — XII. *De receptione Fontini et Eustasi.*

INNOCENTIUS [b] RUFO, EUSEBIO, EUSTATHIO, CLAUDIO,

[a] In edit. Concil. 22. Quæ autem 17 erat, nunc 19.

[b] Inscriptio ista in vetusto ms. Corb. sic effertur: *Innocentius Eustasio Eugenio, Policronio, Ilario, Zosimo, Hermogeni, Therentiano, Rufo, Claudio, Gerontio, Suffronio, Macedonio, Profuturo, Vincentio, Herodiano, Eusebio, Maximiano, Joanni, Flaviano, Calecrati, Nicitæ, Aciologo, Martiano, episcopis Macedonibus et diaconibus in Deo salutem.* Eidem codici concinit et alter Corb. Unde liquet, ex ordine, quem in inscriptionibus hujusmodi tenent episcopi, nullum confici posse firmum argumentum, quo eorum dignitas vel antiquitas probetur. Dionysius Exiguus

MAXIMIANO, EUGENIO, GERONTIO, JOANNI, POLYCHRONIO, SOPHRONIO, FLAVIANO, HILARIO, MACEDONIO, CALICRATIO, ZOSIMO, PROFUTURO, NICETÆ, [*Quidam mss.* NICETIO], HERMOGENI, VINCENTIO, ASIOLOGO, TERENTIANO, HERODIANO et MARCIANO, [a] episcopis Macedonibus et diaconis in Domino salutem.

1. Magna me gratulatio habuit, cum post tot discrimina totius, ut ita dixerim, mundi, Vitalis, archidiaconus, vestrarum portitor litterarum, ex illis partibus ad nos usque directus advenit. Quem cum vidissemus, illico, ut oportebat, percontati de vestro statu sumus. Verum ubi [b] reperimus vos ex sententia degere, Deo nostro uberes gratias retulimus, quod suos famulos suisque altaribus servientes et in adversis tuetur, et in prosperis gubernare dignatur. Qui cum tradidisset epistolas, eas præcepi illico recenseri: in quibus multa posita pervidi, quæ stuporem mentibus nostris [c] inducerent, facerentque nos non modicum dubitare, utrum aliter putaremus, an ita illa essent posita quemadmodum personabant. Quæ cum sæpius repeti fecissem, adverti sedi apostolicæ, ad quam relatio missa quasi ad caput ecclesiarum currebat, [d] aliquam fieri injuriam, cujus adhuc in ambiguum sententia duceretur. Unde de quibus jam dudum scripsisse memini, nunc iterare formam argumentis evidentioribus, [e] relationis vestræ geminata percontatio compellit.

CAP. I. — 2. Eos (*Ivo p.* 8, *c.* 503), qui viduas accepisse suggeruntur uxores, non solum clericos effectos agnovi, verum etiam usque ad infulas summi sacerdotii pervenisse: quod contra legis esse præcepta nullus ignorat. Nam cum Moyses legislator clamitet: *Sacerdos uxorem virginem accipiat* (*Lev.* XXII, 13, 14); ac ne in hoc præcepto aliquid putaretur ambiguum, addidit, *non viduam, neque ejectam.* Contra quod præceptum, divina auctoritate [f] submissum, nulla defensio mandati alterius opponitur, nisi consuetudo vestra: quæ, ut ipsi fatemini, ex ignorantia, ut verecundius dicam, non ex apostolica traditione et integra ratione constituta est. Nos autem, omnesque per Orientem Occidentemque ecclesias, noverit vestra dilectio hæc penitus non admittere; nec ad ultimum ecclesiastici ordinis [g] locum tales assumere et, si reperti fuerint, removere.

CAP. II. — 3. Deinde ponitur, non dici (*Dist.* 26, *c.* 3; *Ivo, p.* 1, *c.* 282, *et p.* 8, *c.* 303) oportere digamum eum, qui catechumenus habuerit atque amiserit uxorem, si post baptismum fuerit aliam sortitus; eamque primam videri, quæ novo homini copulata sit: quia illud conjugium per baptismi sacramentum cum cæteris criminibus sit ablutum. Quod cum de una mihique dicitur, certe si tres habuerit in vetere positus homine uxores, erit ei, quæ post baptismum quarta est, sic interpretantibus prima: [h] virginisque nomen accipiet, quæ quarto ducta est loco. Quis oro, istud non videat contra Apostoli esse præceptum, qui ait (I *Tim.* III, 2;

[a] duos ex illis episcopis appellare contentus, totam inscriptionem perstringit in hunc modum: *Innocentius Rufo, Eusebio et cæteris episcopis Macedonibus et diaconibus in Domino salutem:* eumque postea imitati sunt Hispanæ collectionis auctor et Isidorus.

[a] In edit. Rom. et concil. post Crab. hic adjicitur *et cæteris:* quod abest ab omnibus mss. in quibus singula episcoporum nomina appellantur, atque ex iis haud dubie repetitum est, in quibus, ut proxime observavimus, tantum duobus episcopis nominatis, cæteri tacentur. Ex iis autem, qui prænominati sunt, Chrysostomus de exsilio epistolam 163, ad Macedonas episcopos, scribens, *Eusathium, Eusebium, Maximianum, Eugenium et Gerontium* in inscriptione pariter appellat. Hic oboritur quæstio, in Macedoniane tot fuerint episcopi, quot nunc recensentur. Neque enim Marcianum, quem episcopum fuisse constat, nomen ultimo loco positum permittit, ut superius aliquot cum episcopis diaconos appellatos sentiamus. Forte Innocentius, cum quos e Macedonia et aliis Illyrici provinciis noverat episcopos promiscue memorasset, addidit *episcopis Macedonibus et diaconis*, ut epistolam suam, quamvis etiam vicinarum provinciarum episcopis inscriptam, ad Macedonas in primis attinere significaret: quemadmodum antea Capuana synodus, teste Siricio epist. 9, n. 1, statuerat, ut finitimi ac vicini Bonoso episcopi, *præcipue Macedones*, causam ejus cognoscerent.

[b] Corb. ms. cum uno Colb., *reperiremus.*

[c] Eidem mss. *nostris ut inducerent.* Cæteri cum Merl., *nostri inducerent.* Non displiceret *injicerent.*

[d] E potioribus mss. huc revocatur vox *aliquam*, quæ prius desiderabatur. Jam Innocentius epist. 2, n. 7 et 8, necnon epist. 3, n. 11, vetuerat ne ad clerum admitterentur, qui vel viduam vel secundam *uxorem duxit*, etiamsi primam accepisset ante baptismum. Probabile autem est eum, Siricii exemplo curasse, ut hujusmodi epistolæ ac decreta per provincias commearent, ut ipse loquitur epist. 1, n. 2, ne quis eorum ignorantiam prætenderet. Certe id, de quo antea scripsisse se testificatur, in duo prædicta capita, non in alia duo, quæ subinde tractantur, cadit.

[e] In mss. coll. Dion. Hadr. et Hisp. desideratur *relationis vestræ.* In codice Colb. Langob. exstat *relationis*, et in altero Colb. necnon vetusto Corb. *relegationis*, sine adjuncto *vestræ.* Tum omnes illi mss. subjiciunt, *geminata percontatio vestra.* Editi Merlin. *gemina percontatio vestra.* Vulgatam lectionem asservant vetera exempla Codicis Quesn.

[f] Ita potiores mss. Alii vero libri, *subnixum.* Pith. *subnexum.*

[g] Primæ hujus decreti parti consentiens Valentinum I concilium anno 374, can. I, statuit, neminem posthac *de digamis aut internuptarum maritis ordinari clericum posse*, sive ante baptismum, sive post in digamiam incurrerint. Eos tamen, qui hactenus ordinati fuerant, removere non audet. De illa etiam disciplinæ severitate nonnihil postea remiserunt Gallicana concilia Arausicanum I, can. 25, et Arelatense II, can. 45, ne hujusmodi viri ultra subdiaconatum promoveantur, interdicere satis habuerunt. Neque hac in re Hispanos, Mauros, Italosve apostolicæ regulæ observantiores fuisse, testes sunt epistola I Siricii ad Himerium Tarracon., n. 12, Leonis epistola 1 ad Mauros, n. 3 et 5, ejusdemque epistola 4, episcopos Campaniæ, Piceni, Tusciæ, n. 3.

[h] Quesn., *primæ virginis nomen*, præter fidem mss. et Innocentii mentem. In editis aliis, *prima virginis æque nomen.* In pluribus mss., *virgini æque nomen.*

Tit. I, 6) *unius uxoris virum* oportere fieri sacerdotem?

4. Sed objicitur, quod in baptismo totum quidquid in vetere homine gestum est, sit solutum. Dicite mihi, cum pace vestra loquor: crimina tantum dimittuntur in baptismo, an et illa quæ secundum [a] Legis præcepta ac Dei instituta complentur? Uxorem ducere crimen est, aut non est crimen. Si crimen est, ergo præfata venia dixerim; erit auctor in culpa, qui ut crimina committerent, in paradiso, cum ipse ita eos jungeret, benedixit. Si vero non est crimen, quia quod Deus junxit (*Gen.* I, 28), nefas sit crimen appellari; et Salomon addidit: *Etenim a Deo præparatur viro uxor* (*Prov.* XIX, 14): quomodo creditur inter crimina esse dimissum, quod Deo auctore legitur consummatum?

5. Quid de talium filiis percensetur (28, *q.* I, *c.* 3)? B numquid non erunt admittendi in hæreditatis consortio, qui ex ea suscepti sunt, quæ ante baptismum fuit uxor? eruntque appellandi vel naturales vel spurii; quia non est legitimum matrimonium, nisi illud, ut vobis videtur, quod post baptismum [b] assumitur? Ipse Dominus, cum interrogaretur a Judæis si liceret dimittere uxorem, atque exponeret fieri non debere, addidit: *Quod ergo Deus junxit, homo non separet* (*Matth.* XIX, 6). Ac ne de his locutus esse credatur, quæ [c] post baptismum sortiuntur, meminerint hoc et a Judæis interrogatum, et Judæis esse responsum. Quæro, et sollicitus quæro, si una eademque sit uxor ejus qui ante catechumenus, postea sit fidelis, filiosque ex ea, cum esset catechumenus, susceperit, ac postea alios, cum fidelis: utrum sint fratres appellandi, an non habeant postea, defuncto patre, herciscundæ hæreditatis consortium, quibus filiorum nomen creditur abstulisse regeneratio spiritalis? Quod cum ita sentire atque judicare absurdum est, quæ (malum) ratio est hoc defendi, et vacua opinione magis jactari, quam aliqua auctoritate roborari, A cum non possit inter peccata deputari, quod Lex præcepit, et Deus [d] junxit?

6. Numquid si quis catechumenus virtutibus studuerit, humilitatem secutus fuerit, patientiam tenuerit, eleemosynas fecerit, morti destinatos qualibet ratione eripuerit, adulteria exhorruerit, castitatem tenuerit; quæro si hæc, cum factus fuerit fidelis, amittit, quia per baptismum, totum quod vetus homo gesserit, putatur auferri? Aspiciamus gentilem hominem Cornelium, orationibus [e] atque eleemosynis revelationem, Petrumque ipsum vidisse: numquid per baptismum hæc illi [f] ablata sunt, propter quæ baptismum ei videtur esse concessum? Si ita creditur, mihi credite, non modicum erratur: quia quidquid bene gestum fuerit, et secundum præcepta legis custoditum, non potest [g] agenti deperire, quod quia ex Dei mandato efficitur, non potest dici peccatum: et quod peccatum non est, solvi inter peccata [h] omnino non debet. Eritque integrum æstimare, aboleri non posse prioris nomen uxoris, cum non dimissum sit pro peccato, quia ex Dei sit voluntate completum.

CAP. III. — 7. (I, *q.* I, *c.* 17; *Ivo p.* 6, *c.* 59.) Ventum est ad tertiam quæstionem, quæ pro sui difficultate longiorem exigit disputationem: cum nos dicamus, ab hæreticis ordinatos, vulneratum per illam manus impositionem habere caput. [Et ubi vulnus infixum est, medicina adhibenda est, ut possit recipere sanitatem. Quæ sanitas post vulnus secuta, sine cicatrice esse non poterit:] atque ubi pœnitentiæ remedium necessarium est, illic ordinationis honorem C locum habere non posse [i] (*Num.* XIX, 22). Nam si, ut legitur, quod tetigerit immundus, immundum erit: quomodo id ei tribuetur, quod munditia ac puritas consuevit accipere? Sed e contra asseritur, eum qui honorem amisit, honorem dare non posse: nec illum aliquid accepisse, quia nihil in dante [j] erat, quod ille posset accipere. Acquiescimus, et verum

[a] Sic melioris notæ mss. At Merl., Crab. et edit. Rom. cum mss. coll. Dion. et Isid., *Domini præcepta*. Lectionem nostram firmat istud, quo numerus 5 clauditur, *quod Lex præcepit, et Deus junxit*.

[b] Dion. mss. et aliquot alii, *assumetur*.

[c] Ita magno consensu mss. At Crab. et edit. Rom. *qui*. Porro verbum *sortiuntur* passive intelligendum est, perinde ac si *accipiuntur* exstaret.

[d] Plures mss., *jungit*. Unus e Colb., *indulget*, Pith. et Quesn., *injungit*. Ad verba Christi, *Quod Deus junxit*, etc., hic respici planum est. Nulla autem nititur auctoritate, quod post verba *Deus junxit*, apud Merl. *et lex junxit*, apud Crab. *et lex jungit* subjicitur.

[e] Unus e mss., Colb., *orationibus deditum atque eleemosynis per revelationem Petrum evocasse, ipsumque vidisse*. Ex eo arripuit Quesn., *orationibus deditum*, ac deinde ex Crab. ac cæteris deinceps editis subjecit, *et eleemosynis vacantem per revelationem Angelum Petrumque*. Ediderat antea Merlinus, *orationibus et eleemosynis per revelationem Angelum Petrumque*. Lectio nostra est omnium mss., uno excepto Colb. superius nominato.

[f] Sex probæ notæ mss. *abluta*: quod sic potest intelligi, ut quemadmodum ablutæ evanescere solent maculæ, ita abluta deperiisse censeantur orationum et eleemosynarum merita. Quo intellectu superius n. 3, audivimus *conjugium per baptismi sacramentum cum cæteris criminibus* ABLUTUM. Sed si ab Innocentii mente non abhorret *abluta*, neque ab ea verbum *ablata* magis alienum esse suadet illud quod D proxime legimus, *quia per baptismum, totum quod vetus homo gesserit putatur* AUFERRI.

[g] Editi post Dion. et Isid., *non potest facientibus deperire. Nuptiarum ergo copula quia Dei mandato perficitur, non potest*: castigantur auctoritate mss. qui solent esse sinceriores.

[h] Crab. hic addidit *credi*: quod verbum arripuerunt sequentes editores, licet absit a mss.

[i] Verbum *decernimus*, quod in edit. Rom. ac posterioribus concil. hic adjectum est, ne in uno quidem scripto codice, sicut nec apud Merlin., Crab., etc. offendimus. Disputationis hujus exordio observasse juverit discrimen, quod ordinationem inter et ordinationis honorem intercedit. Et quidem Innocentius non negat ordinationem ab hæreticis conferri posse, sed collatæ ab eis *ordinationis honorem locum habere non posse* contendit. Immo hujusmodi ordinationi, ubi id Ecclesiæ postulat utilitas, honorem suum servari posse ipse superiori epistola 5 pluribus asserit.

[j] Duo mss. *in dante remanserat*. Ad imitationem hujus loci verba sua expresserunt, qui in Capitulari

est. Certe quia quod non habuit dare non potuit, damnationem utique, quam habuit, per pravam manus impositionem dedit : et [a] qui comparticeps factus est damnationis, quomodo debeat honorem accipere, invenire non possum.

Cap. IV. — 8. Sed dicitur vera ac justa legitimi sacerdotis benedictio auferre omne vitium quod a vitioso fuerat injectum. Ergo si ita est, applicentur ad ordinationem sacrilegi, adulteri atque omnium criminum rei, quia per benedictionem ordinationis crimina vel vitia [b] putantur auferri. Nullus sit pœnitentiæ locus, quia id potest præstare ordinatio, quod longa satisfactio præstare consuevit. Sed NOSTRÆ [c] LEX EST ECCLESIÆ, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogare. At vero ii, qui [d] a Catholica ad hæresim transierunt, quos non aliter oportet nisi per pœnitentiam suscipi, apud vos non solum pœnitentiam non agunt, verum etiam honore cumulantur.

Cap. V. — 9. Sed [e] Anysii quondam fratris nostri, aliorumque consacerdotum summa deliberatio hæc fuit, ut quos Bonosus ordinaverat, ne cum eodem remanerent, ac fieret non mediocre scandalum, ordinati reciperentur. [f] Vicimus, ut opinor, ambigua. Jam ergo (I, *q.* 7, *c.* 7; *Ivo in prologo*) quod pro remedio ac necessitate temporis statutum est, constat primitus non fuisse, ac fuisse regulas veteres, quas ab Apostolis vel apostolicis viris traditas ecclesia Romana custodit, custodiendasque mandat eis, qui eam audire consueverunt. Sed necessitas temporis id fieri magnopere postulabat. Ergo (I, *q.* I, *c.* 41; *Ivo in prologo*) quod necessitas pro remedio invenit, cessante necessitate, debet utique cessare pariter quod urgebat : quia alius est ordo legitimus, alia usurpatio, quam tempus fieri ad præsens impellit.

10. Sed canones apud Nicæam constituti de Novatianis fieri permiserunt. Prius ille canon a patribus institutus ponendus est, ut possimus advertere vel quid, vel qualiter sensum sit ab eisdem vel præceptum. De his, inquit, qui nominant se ipsos Catharos, id est mundos, et aliquando veniunt ad catholicam Ecclesiam, placuit sanctæ et magnæ synodo, ut, accepta manus impositione, sic maneant in clero (*Nic. syn. c.* 8). Possum vero dicere, de solis hoc Novatianis esse præceptum, nec ad aliarum hæresum clericos pertinere. Nam si utique de omnibus ita definirent, addidissent, a Novatianis aliisque hæreticis revertentes debere [g] in suo ordine recipi. Quod ita esse, etiam illud maxime, quod de Paulianistis dictum est, poterit confirmare, a quibus venientes etiam

anni 805, c. 4, apud Baluz. pag. 381, adversus episcopales chorepiscoporum functiones definierunt, *nec ullum usquam de episcopali ministerio a chorepiscopis aliquid accepisse, quia nihil in dante erat quod aliquis horum accipere potuisset; quoniam quod non habuit quis eorum, dare non potuit.* Verum ad Capitularis hujus sensum explicari nolimus Innocentii verba. Ipsius argumento istud tantum conficitur, ab eo cui legitima defuerit ordinandi potestas, legitimam conferri non potuisse ordinationem.

[a] Ita vetus codex Corb. et alter Colb., aliis duobus faventibus, in quibus pariter legitur *comparticeps factus est*, ut taceam Pith. in quo restat *factus est*. At alii libri, *qui particeps effectus est damnatio*. Ad Innocentii mentem jam longe antea Laodicenum concilium can. 32 sanxerat : *Non oportet hæreticorum benedictiones accipere, quoniam istæ maledictiones magis sunt quam benedictiones.* Porro qui damnationis fit particeps, reprehensionis non est expers; ideoque ordinationis honore indignus apostolica sententia judicatur.

[b] In duobus mss., *possunt auferri.*

[c] Legem illam sanxerat, vel potius ut ab Apostolis apostolicisve viris traditam confirmarat concilium Italiæ Cod. can eccl. Afri. cap. 56 memoratum. Ibi Afri, quamvis æquitatem legis hujus agnoscant, legationem tamen ad Anastasium Innocentii decessorem decernunt, rogaturi ut de severitate ejus, propter clericorum inopiam qua ecclesiæ ipsorum laborabant, nonnihil sibi remittatur. Eidem legi morem gerens Augustinus epist. olim 73, nunc 245, n. 2, Possidio scripsit : *De ordinando autem qui in parte Donati baptizatus est, auctor tibi esse non possum :* tametsi statim subdat : *Aliud est enim facere si cogaris, aliud consulere ut facias.* Legenda omnino Afrorum ad Joannem II, epistola VIII, qua requirunt *quomodo Arianorum sacerdotes ad catholicam fidem suscipi oporteat, utrumne in suis honoribus, an in laica communione.* Moxque subjiciunt : *Ex omnium quidem collegarum tacitis motibus nemini placere sensimus, ut in suis honoribus suscipiantur.* Addunt et inferius : *Non solum de sacerdotibus, sed de ipsis quoque parvulis apud eos baptizatis, utrum soleant vel debeant ad clericatum, si petierint, applicari consulimus.* Cypriani epist. 72, ad Stephanum, ea de re sententia hæc est : *Satis est talibus revertentibus veniam dari, non tamen debet in domo fidei perfidia promoveri.*

[d] Editi cum solis mss. coll. Hisp. et Isid., *a catholica fide.* Verius alii mss. *a Catholica*, supple *Ecclesia*. Sic et infra n. 11, *De Catholica ad hæresim transiens :* item, *De Catholica ad Bonosum transierunt.* Et hæc quidem locutio aliis etiam scriptoribus, ac nominatim Augustino, est familiaris.

[e] Unus e mss. Colb. cum vetusto Corb., *Sed ante duodecim fratres quondam nostri :* corrupte. Jame Siricii epistola 9, n. 1, didiceramus Capuanam synodum Anysio et aliis Illyrici episcopis, præsertimque Macedonibus, causæ Bonosi cognitionem delegasse; nunc quodnam eorum de hac causa judicium fuerit, docemur, quod quidem dum approbat Innocentius, ab eo abesse se indicat, ut ordinationem hæreticorum irritam ac nullam omnino sentiat.

[f] Iidem mss., *Vicenimus :* mendose. Nec melius alius Colb., *Vicibus, ut opinor, ambiguis.* Porro in ambiguo erat, utrum ordinatis ab hæretico honor ordinationis numquam non servandus sit, an semper negandus. Ambiguum hoc solvit ac superat Innocentius, dum ita eis negandum respondet, ut cum necessitas postulat, vel grave scandalum metuitur, eis servandum censeat; laudatque Anysii et sociorum judicium, quo, segregato Bonoso, ordinatis ab eo, ne cum illo remanerent, suos honores permiserunt.

[g] Editi, *in suum ordinem.* Deinde Quesn., *suscipi; quod ita non esse*, addita particula negante præter mss. Iidem ac mentem Innocentii : qui quidem primum præfatus, *Possum dicere de solis hoc Novatianis esse præceptum;* deinde istud re ipsa posse se dicere probaturus, recte adjungit, *Quod ita esse.* Horum loco in mss. Dion. seu Hadr. pessime substitutum est, *Quod si ita esset;* indeque lectionem illam auctor coll. Hispan. Isidorus et Merlinus sumpserunt. E regione hujus loci in ms. Colb. Langob. ascribitur hæc

baptizari præcipiunt. Numquidnam, cum de Paulianistis jubent, omnes qui ab hæreticis revertuntur, erunt hoc exemplo baptizandi (*Nic. syn. c.* 19)? Quod cum nullus audeat facere, de ipsis tantum esse præceptum ratio ipsa demonstrat. Denique baptizatos rite ab evangelista Philippo, Petrus et Joannes sola manus impositione consummant. Illos vero, quos apostolus Paulus Joannis baptismate baptizatos reperit, interrogavitque an Spiritum sanctum suscepissent, fatentibusque se illud ne quidem nomen audisse, jussit eos baptizari (*Act.* VIII, 17; XIX, 2 *seqq.*). Videtis ergo rite baptizatos, illo dono iterari non posse: et aliter, sola aqua lotos, baptizari in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti necessarium pervideri. Ita et de Novatianis tantum jussum esse, lucida manifestatione relegitur. Quod idcirco distinctum esse ipsis duabus hæresibus, ratio manifesta declarat, quia Paulianistæ in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti minime baptizant (I; *q.* I, *c.* 53); et Novatiani iisdem nominibus tremendis venerandisque baptizant, nec apud istos de unitate potestatis divinæ, hoc est, Patris et Filii et Spiritus sancti, quæstio aliquando commota est, et ideo [a] omnibus segregatis hæc sola electa est, cui istud crederent concedendum, quia nihil in Patris et Filii et Spiritus sancti sacramento peccarent.

11. Si quis vero de Catholica ad hæresim transiens, aut fidelis [b] ad apostasiam reversus, resipis- A cens redire voluerit, numquid eadem ratione poterit ad clerum [c] permitti, cujus commissum nonnisi longa pœnitentia poterit aboleri? Nec post pœnitentiam clericum fieri ipsi canones sua auctoritate permittunt. Unde constat, qui de Catholica ad Bonosum transierunt [d] damnatum, atque se passi sunt, aut cupierunt ab eodem ordinari, non oportuisse ordinationis ecclesiasticæ suscipere dignitatem, qui commune omnium ecclesiarum judicium deserentes, suam peculiariter in Bonoso vanitatem sequendam esse duxerunt.

12. Sed (I, *q.* I, *c.* III) multos constat vim passos, atque invitos attractos, repugnantesque ab eodem ordinatos. Dicat mihi, volo, quisquis hoc credit: si B non post ordinationem [e] Bonosi, interfuit cum conficeret sacramenta; si communioni ejus participatus non est, si statim discedens de ejus pessimo conciliabulo ad Ecclesiam rediit: iste talis potest habere excusationis aliquem colorem. Cæterum qui vel post annum [f] vel menses ad Ecclesiam redierunt, intelligitur eos, quia in Catholica noverant se propter vitia sua non posse suscipere ordinationem, idcirco ad illum perrexisse, qui passim et sine ulla discussione ordinationes illicitas faciebat, credentes se posse per istam institutionem in Ecclesia catholica invenire locum de quo ante desperaverant. Nunc illud quod superest, interrogo: qui post mensem aut eo amplius rediit, cum se presbyterum a Bonoso

marginalis nota: *De Novatianis dicit, Cum fuerint ad catholicam Ecclesiam reversi, et per manus impositionem suscepti, hi maneant in clero. Aliarum hæresum clerici dum reversi fuerint, laicam tantum communionem percipiant.*

[a] Plures mss. cum Dion., *de omnibus*. Magis placet cum vulgatis, necnon ms. Corb. ac duobus Colb., *omnibus*, supple *hæresibus*. Exemplis Novatianorum, quorum baptisma suscipitur, quia in hoc sacramento conferendo nihil peccent, et Paulianistarum, quorum baptisma rejicitur, quia in eodem peccent; specimen nobis dedit Nicæna synodus eorum quorum baptisma vel admittendum vel respuendum sit.

[b] Isid. post. coll. Hisp. et exinde edit. Rom. et concil., *ab apostasia revertens et resipiscens.*

[c] Edit. Rom., *admitti*. Tum Dion. cum vetustioribus mss., *quorum commissum*. Quod deinde ait Innocentius, clericum post pœnitentiam fieri per canones non licere, nititur regulis ante Nicænam synodum constitutis, quas hæc ipsa synodus can. 10 notat his verbis: *Quicumque de lapsis ad ordinem cleri promoti sunt per ignorantiam vel per ordinantium dissimulationem, hoc Ecclesiæ non præjudicat regulæ; cogniti namque deponuntur.* Regulam hanc, quam et Siricius epist. 1, n. 18, confirmat, Augustinus epist. 185, n. 44, prudenter constitutam docet, tum *ut desperatione temporalis altitudinis medicina major et verior esset humilitatis*, tum ut revertentium sincerior esset conversio; quia forte patres sunt *experti aliquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum potentias.* Tertiam ejusdem decreti rationem non minus firmam Siricius loco citato addit: quia nimirum *quamvis mundati, nulla tamen gerendorum sacramentorum instrumenta debent suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.* Quartam infra Innocentius exponit. Quintam tangit Simplicius epist. 18, *ne qui diu convinci-* C *tur fuisse perversus, per speciem remeantis non remedium salvationis inquirat, sed facultatem propagandæ pravitatis inveniat.*

[d] Hoc est, postquam damnatus est in concilio episcoporum Illyrici, ad quod causa ejus a Capuensi synodo delata fuerat. Hinc liquet, tota illa tertia quæstione de unis clericis a Bonoso ordinatis disceptatum esse. Neque in hoc versabatur quæstio, utrum ii, quos hæreticus ille ante concilium Illyrici ordinaverat, recipiendi essent. In hoc quippe concilio Anysius cum collegis Bonosum damnans, ne cum illo remanerent ab eo ordinati, illos in suis gradibus recipiendos esse constituerat, et hoc decretum Innocentius supra n. 9 approbat. Sed de iis agebatur, qui postquam Anysii Macedonumque judicio damnatus esset Bonosus, ordinati ab illo fuerant.

[e] Solus Quesn., *Bonoso*. Non male tamen alii libri, *Bonosi*, hoc est a Bonoso collatam.

[f] In vulgatis, *aut mensem.... intelligimus eos qui* D *in* (Quesn., *qui a*) *Catholica*. Quesn. infra, *reperire locum*, Merl. et Crab., *recipere locum*, ubi alii libri *invenire locum* retinent. Novam hic Innocentius rationem exponit, cur erga eos, qui ab hæreticis ordinati veniunt, ne ad clerum admittantur, difficilem se præbeat, observatque hæreticis plerisque id moris fuisse, ut quicumque Catholici, quantumvis corruptis ac depravatis moribus, interdum etiam ab Ecclesia ob crimina expulsi vel degradati ad ipsos transierunt, ab illis non modo sine pœnitentiæ satisfactione excepti, sed et aliquando novis honoribus cumulati sint. Minime enim de morum puritate sollicitus est hæreticarum sectarum parens diabolus. Secus autem Ecclesia de hypocritarum aut improborum multitudine numquam lætatur. Certe se sui, non Dei amantem prodit, qui sibi addictos honorat, nec curat ut boni sint.

considerat ordinatum, si non [a] sacramenta confecit, si non populis tribuit, si Missas secundum consuetudinem non complevit, quid de his censeatis, quæso, pronatis apertius. Ad summam certe qui nihil a Bonoso acceperunt, rei sunt usurpatæ dignitatis, qui conficiendorum sacramentorum sibi vindicaverunt [b] aut non vindicaverunt auctoritatem, atque id se putaverunt esse, quod eis nulla fuerat regulari ratione concessum.

CAP. VI. — 13. Pervideat ergo dilectio vestra hactenus talia transisse, et advertite quod utique, ut dicitis, necessitas imperavit, in pace jam ecclesias constitutas [c] non præsumere. Sed (1, q. 7, c. 14), ut sæpe accidit, quoties a populis aut a turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem vindicari non potest, inultum [d] solet transire, priora dimittenda dico Dei judicio, et de reliquo maxima sollicitudine præcavendum.

CAP. VII.— 14. Veniam nunc ad maximum quasi quoddam thema Photinum, et quod est mihi anxium ac difficillimum, majorum meorum revolvam sententias (36, q. 9, c. 5). Fuerat de illo quoquo pacto, ut etiam ipsi commeministis, aliquid utique gravius constitutum. Verum quia id per rumorem falsum, ut asseritis, subreptum huic sedi et elicitum per insidias demonstratis, quia res ad salutem redit; [e] et vel veniam nos hanc in tantum, vobis annitentibus, post condemnationem [f] ore apostolico subrogamus, tantisque vestris assertionibus, vobis tam bonis, tam charis, non dare consensum, omnibus duris rebus durius arbitramur. Pro vestra ergo approbatione, fratres charissimi, et sententia ac postulatione, Photinum episcopum habetote licitum ita constituere, ut deprecamini, et nostram in melius conversam sententiam labore vel testimonio vestro compotes [g] voti suscipite.

15. Atque Eustathium a me sæpissime comprobatum nolite exspectare, ut diaconii gratia exspolietur. Sollicitos enim vos pro salute libenter audio (II Cor. II, 10) : contra caput etiam si faciendum sit, non libenter admitto. Cui manum porrigitis, vobiscum porrigo : cui porrigo, mecum porrigite. Hæc enim ad Corinthios apostolica est declarata benignitas, ut in uno spiritu [h] dictam ac reductam sententiam boni semper indifferenter sequantur. Nam, fa-

[a] Exempla coll. Hadr., *si non sacra confecit*. Tum Crab. ad marg. et exinde edit. Rom. et concil. *si non populis distribuit*: quod et in exemplari Pith. Codicis Quesn. legitur.

[b] In vulgatis ut in ms. Noviom. desiderantur verba *aut non vindicaverunt*, quæ cæteris in mss. magno consensu exhibentur. Hinc plenior habetur et integrior sententia Innocentii, de iis qui a Bonoso contra fas ordinati sunt generatim pronuntiantis, sive sibi vindicaverint, sive non vindicaverint conficiendorum sacramentorum auctoritatem, illos usurpatæ dignitatis esse reos, utpote qui nihil acceperint regularis ac legitimæ potestatis : adeoque frustra *id se putaverint esse quod eis* (male in edit. Rom. et concil., *quod de eis*) *nulla fuerat regulari ratione concessum*. Hic quidem Quesn. vocem *regulari* omittit, sed in omnibus libris cum editis tum scriptis exstat, nisi quod ejus loco mendose in uno Corb. habetur *relaxandi*, et in Pith. *relaxari*.

[c] Quesn. cum duobus mss., *non posse præsumere*. Si quid addendum esset, aptius foret *debere* quam *posse*. Docet quippe Innocentius id ecclesiis in pace constitutis, quod iis perturbatis necessitas imperavit, nequaquam præsumendum esse. Et hic igitur non obscure fatetur, sese Bonosiacis honores, quos nunc negat, si par necessitas foret, concessurum.

[d] Quatuor mss. cum Quesn., *solere*. Plures alii cum Merl. et Crab., *solent*. Hi duo editores ut et Quesn. deinde subjiciunt, *transire. Priora ergo*. Nostra lectio est castigatiorum mss. Semper sibi constans Innocentius hic firmat, quod jam epist. 3, c. 4, circa delicta, quæ vel mitius tractanda aut toleranda, vel severe coercenda ac punienda sint, docuit. Cui affine est quod Augustinus lib. III, cont. Epist. Parmen. n. 14, scribit : *Neque enim potest esse salubris a multis correptio, nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem. Re vera*, inquit nonnullis interjectis, *si contagio peccandi multitudinem invaserit, divinæ disciplinæ severa misericordia necessaria est : nam consilia separationis, et inania sunt, et perniciosa atque sacrilega*. At vero, ut ibid. n. 13, præmittit, *quando ita cujusque crimen notum est, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores per quos possit schisma contingere; non dormiat severitas disciplinæ, in qua tanto est efficacior emendatio pravitatis, quanto diligentior conservatio charitatis*. Ita prudens pastor disciplinam pro diversa temporum conditione moderans, erga alios a Bonoso ordinatos indulgentior est, quos Dei judicio dimittere satis habet, et erga alios severior, quos ex arctioris disciplinæ præscripto plectendos censet.

[e] Particulæ, *et vel*, a Dionysio primum suppressæ, ac deinde in coll. Hisp. et Isid. prætermissæ, e sex sincerioris notæ mss. revocantur. Harum ope mollit Innocentius et amovet invidiam vocis *veniam*, quasi diceret : Photinus quidem, quem reum non esse contestamini, venia non indiget : sed si reus fuisset, vel veniam, quam ei concessistis, ratam non habere durius existimo.

[f] Editi cum pluribus mss., *more* : ex repetitione litteræ ultimæ præcedentis vocabuli librariis satis familiari. Præferimus cum vetere ms. Corb. et uno Colb., *ore*, scilicet apostolicæ sedis pronuntiatam. Hæc autem sententia adversus Photinum non ab Innocentio ipso, sed vel ab Anastasio vel a Siricio dicta fuerat. Quocirca præmiserat, *Majorum meorum revolvam sententias* : quod licet sibi *anxium* sentiret, anxietatis tamen sensum vicit æquitatis ac justitiæ amor.

[g] Crab. et plures mss., *votis* : geminata perperam littera *s*, a qua vox sequens initium ducit. Mox ubi alii mss., *Eustasium*, alii *Eustachium* vel *Eustatium* aut *Eustathium* atque omnes *comprobatum* exhibent, substituit Quesn. *Eustathius*... . *comprobatus*, puto ut orationem ad grammaticæ leges accommodaret. Hic rogare incipit Innocentius Macedones, ut quam adversus Eustathium dixerant sententiam condonent ac remittant quemadmodum illorum rogatu condonarat ipse ac remiserat quam apostolica sedes adversus Photinum protulerat.

[h] In vulgatis ac pluribus mss., *ductam*. In vetere Corb. et uno Colb. *ducta ac reducta sententia*. Magis placet quod in altero Colb. *dictam*. Respicit Innocentius ad verba Pauli tum I Cor. v, 4, ubi sententiam adversus Corinthium incestus reum dicit, tum II Cor. II, 6, ubi dictam reducit ac revocat.

teor, hæc me primum res bene habet erga Eustathium diaconum, quod nec contra fidem quidquam locutus sit, nec loquentem admiserit, nec ad mortem crimen aliquod commisisse, vel jactatum unquam vel fictum recognoverim. Et qui in his salvus est, si quo pacto conversationes amabiles non habet, habendus est ut minus pro tempore dilectus, non ut inimicus [a] æstimatur diabolo in perpetuum mancipandus. Cognosco illum inter illas simultates ac turbines contra multorum studia, non dico qualia, diversa sensisse, et hinc cum res ac calamitates ipsæ emendatæ sint, [b] ad hoc usque Dizoniani et Cyriaci subdiaconorum non potuisse apud vos [c] reviviscere commendatione. Exstinguite, quæso, ab illo prædictisque quorumcumque videtis [d] animosas ac non justas æmulationes, ut ipse apud nos integer, apud B vos cum suis reparatus [e], profundam pacem, non fictam pervidens charitatem, omnibus vobis ac sigillatim occurrat, charitatis vinculis, quæ nullis modis a Christo solvuntur, vobiscum pariter in perpetuum connexus lætetur in Domino. Data Idibus Decembris (13 Decemb. ann. 414) [f] Flavio Constantio viro clarissimo consule.

EPISTOLA XVIII [g].

De Bubalio et Tauriano damnatis a provincialibus episcopis, quorum sententiam sedes apostolica retractare curavit.

A INNOCENTIUS RUFO, GERONTIO, SOPHRONIO, FLAVIANO, MACEDONIO, PROSDOCIO ET [h] ARISTEÆ episcopis per Macedoniam constitutis.

1. Mora coepiscoporum nostrorum Maximiani et [i] Eumenii, vel potius importunitas temporum fecit, ut vos iteraretis de Bubalio et [j] Tauriano querimoniam, et nos iterum in homines perditissimos insurgeremus. Sed (35, *quæst.* 9, *c.* 7), ut possum, paucioribus verbis tantorum malorum [k] metabor compendium, et strictim, quæ in volumine litterarum vestrarum conspexerim, retractabo. Grave [l] non oportuit (*Nicolaus* I, *epist.* 32, *n.* 12) videri piissimis mentibus vestris, cujuscumque retractari judicium : quia veritas, exagitata sæpius, magis splendescit in luce : et pernicies revocata in judicium, gravius et sine pœnitentia [m] condemnatur. Nam fructus divinus est, justitiam sæpius recenseri, fratres charissimi.

2. Verum illud video movisse animos vestros, quod in multis Bubalius sæpe fallaciis deprehensus, objecerit exemplaria fictarum quasi a nobis litterarum, cum pro consuetudine hominis nihil quod proferret, jam fide dignissimum videretur. Sed sileatur omne jam de tali negotio murmur, et convicti diaboli ipsi anhelitus comprimantur. Subjunximus autem his priores [n] litteras, quas per memoratos episcopos miseramus, quibus ita plenaria sensuum nostrorum

[a] Verbum, *æstimatur*, Quesn. prætermisit. Ejus C loco in editis aliis exstat *æstimatus* aut *existimatus*. Eustathium non diaconii tantum gratia spoliatum, sed et anathemate perculsum fuisse hinc colligitur : quod valde durum adversus hominem a quo nec contra fidem quidquam dictum, nec crimen ad mortem admissum esse ullus unquam vel jactavit vel finxit.

[b] Ita mss. At editi, *adhuc*, omisso *usque*. Tum ms. Pith. *Dyzoniani*. Alii nonnulli, *Dezoniani* vel *Diozeniani*. Exinde plerique, *et Quriaci*.

[c] Edit. Rom. et concil. secundum coll. Dion. Hisp. et Isid., *emendationem reviviscere. Commercite, quæso :* corriguntur auctoritate sex mss. melioris notæ.

[d] Ita unus codex Colb. et alter Pith. cum Quesn. Alii vero, *animos ac*.

[e] Editi post Dion. et Isid., *reparatus mercatur pacem, non fictam pervidens charitatem. Omnibus igitur vobis ac singillatim occurrat charitas, et vinculis quæ ..... connexa lætetur :* castigantur ope meliorum mss. in quorum tribus exstat *charitati* loco *charitatis*. Plenior esset sententia, si legeretur *charitatisque vinculis*.

[f] In vulgatis desideratur *Flavio*. Deinde in tribus mss. Colb. et Pith. exstat *Constantino*. Ex mss. Corb. et Fossat. in quibus restat *Flaviis Constantio*, conjectamus addendum esse *et Constante*. Hoc quippe anno 414 cum Constantio Constans consul creatus fuerat.

[g] In edit. concil. 7. Quæ autem 18 erat, nunc 24. Non in Mercatoris tantum, sed et in Hispana et Dionysii Exigui collectione exstat. Apud hunc inter Innocentii decreta locum 35 obtinet Huc eam referimus, tum ne longius quæ ad Macedoniæ res attinent, disjungantur : tum maxime quia nec deest conjectura, unde illam cum de pace Antiochenæ ecclesiæ tractaretur, adeoque circa ann. 414 scriptam esse censeamus. Hinc quippe magno negotio Maximianum ex Macedoniæ legatis unum interfuisse intra Innocentius epist. 22 tradit. Et hæc forsitan præcipua causa fuit cur Maximianus iste ac socius moram in Urbe majorem quam sperabatur, facerent.

[h] Ita potiores mss. At Navarr. *Aristeo*, et alius cum vulgatis, *Oristeo*. Aristeæ hujus et Prosdocii appellationes in inscriptione superioris epistolæ, in qua cæteros prænominatos legimus, non comparet. Ex quo conjectare licet, in superiore epistola nec solos nec omnes Macedoniæ præsules, in hac autem et omnes et solos hujus provinciæ episcopos eorum legatis in epistolæ contextu adjunctis, appellari.

[i] In proxima epistola, ut et in epistolæ 165 Chrysostomi pariter ad Macedonas scripta, *Maximiano* adjungitur *Eugenius*. Unde et hunc *Eumenii*, loco *Eugenii*, irrepsisse suspicio est.

[j] Sinceræ collectionis Dion. codex Reg. hic *Thariano*, et infra *Tariano* præ se fert. Alii coll. Hadr. D hic *Turiano*, sed infra *Tauriano :* quod et utrobique habent mss. coll. Hisp. et Isid.

[k] Editi, *imitabor :* corriguntur ex laudato codice Regio.

[l] In exemplaribus coll. Hadr. *non potuit :* Retinendum cum cæteris *non oportuit :* quomodo legit et Nicolaus I. Locum eumdem Hadrianus II in epistola ad Carolum regem Indict. v data imitatur.

[m] Illius scilicet qui prius judicavit, ut et ad marginem Labbei est annotatum. Hinc Bubalium et Taurianum a Macedonibus judicatos ad apostolicam sedem provocasse, ac Macedonas, quod suum ipsorum judicium recognosceretur, iniquo animo tulisse colligitur.

[n] Non exstant hæ litteræ.

sententia designata est, ut dum relegeritis, nihil ambiguum, nihil requirendum in hac causa de cætero repetatis. Hanc autem paginulam nostram sollicitius [a] Cretensibus episcopis relegendam mittite : ut sciant plenissime quid sit de Bubalio et Tauriano cæterisque pronuntiatum ; ut [b] servent, qui digni administratione sunt, cavere a talibus, ne talia sortiantur.

MONITUM IN EPISTOLAS SEQUENTES.

1. Omnes illas epistolas Dionysius Exiguus nobis asservavit. Ex ejus collectione in Hispanam et Isidorianam fluxerunt. Eas occasione pacis Antiochenæ ecclesiæ scriptas esse in confesso est. Qua de pace Theodoretus lib. v, hist. c. 35, ut verba ejus summatim perstringamus, hæc memoriæ mandavit. Alexander arctioris vitæ instituto, studio sapientiæ, opum contemptu eloquentia aliisque dotibus innumeris excellens, cum Porphyrio successisset, Eustathianos, quos olim Paulinus, et post illum Evagrius conjungi reliquis haud quaquam permiserant, blanda verborum persuasione crebrisque cohortationibus Ecclesiæ corpori sociavit, eaque de causa festivitatem hujusmodi instituit, cujusmodi nemo umquam viderat mortalium. Quibus præmissis, de Alexandro idem scriptor subdit : « Hic omnium primus præstantissimi Joannis nomen ecclesiasticis tabulis inscripsit. » Antiochenæ autem ecclesiæ dissensio, ut idem auctor lib. III, c. 5, recenset, ad Alexandrum usque « octoginta quinque annis permansit. » Unde et tempus, quo pax illa inita, ac sequentes litteræ conscriptæ sint, dignoscere ac definire certo liceret, si de dissensionis prædictæ initio inter eruditos conveniret. Et Baronius quidem ad annum 308, dum illud vel ab eo die quo Meletius consubstantialis fidem professus est, vel ab eo quo Lucifer Paulinum ordinavit, hoc est ab anno 361 aut 362, repetendum putat, Theodoreti calculum rejicere cogitur ut falsum. At Tillemontius ab Eustathii depositione, quam anno 430 aut 431 contigisse arbitratur, Antiocheni dissidii principium recensens, quinque illos supra octoginta annos in annum 413 aut 414 desinere observat. Computationi huic Eutychius, quamvis alias non satis accuratus, suffragatur, dum Porphyrium, quem Birchum appellat, ecclesiæ Antiochenæ decem annis præfuisse tradit. Hunc enim circa anni 403 initium Flaviano suffectum esse Palladius dial. de Vita Chrys., pag. 141, auctor est. Ad hæc. Theodoretus lib. v, cap. 35, Antiochenæ ecclesiæ reconciliationem tum contigisse docet, cum Cyrillus Theophili successor Alexandrinæ ecclesiæ esset episcopus. Atqui Theophilus, teste Socrate lib. VII, c 7, anno 412 mensis Octobris 15 die vivere desiit. Ex quo consequens est ut hæc reconciliatio citius anno 413, consignari nequeat. Nullum vero est incommodum, si in annum 414 aut etiam 415 differatur.

2. Dissidentium in Antiochena ecclesia partium reconciliationem non longo intervalio secuta est legatio, qua episcopus ejus Alexander Romanæ sedis communionem expetere festinavit. Hanc eum non statim meruisse Annalium parens existimavit ; ideoque duplicem excogitavit legationem, unam qua Innocentii communionem petierit Alexander, et cui dandæ pacis conditiones Innocentius præscripserit, alteram qua Alexander conditionibus præscriptis a se satisfactum testificatus sit. Sed duplicis hujus legationis nulla apparet causa. Jam enim ab obitu Joannis Chrysost., hoc est ab anno 407, satis notas fecerat Innocentius has conditiones, quando suam Orientis episcopis communionem negavit, quoad Joannis nomen sacris diptychis inscripsissent. Qua de re Theodoretus lib. v, c. 34, ita loquitur : « Post mortem magni Doctoris orbis terrarum Occidentales episcopi (haud dubie ex consensu ac præscripto Innocentii) episcoporum Ægypti et Orientis et Bosphori ac Thraciæ communionem non prius admiserunt, quam divini illius viri nomen una cum reliquis fato functis episcopis consignassent. » Neque tam rudis rerum erat Alexander, ut hoc ignoraret ; nec tam inconsideratus, ut sciens legationem inutilem mitteret. Et vero Innocentius epist. 22 pacis conditiones ab Alexandro completas memorans, et similem ab Attico exigens « professionem de completis omnibus conditionibus » non ait, quas remissa Alexandri legatione præscripsimus, sed « quas diversis temporibus prædiximus. »

3. Neque assentiri etiam possumus docto Tillemontio, qui epistolam 20 prius missam, et aliquanto post 19 datam existimat. Ambas enim, adjuncta eis 21 ad Acacium, simul datas arbitramur. Et priorem quidem, hoc est 19, synodicam atque Innocentio cum episcopis viginti, qui ei subscripserunt, communem fuisse annotatio ad calcem adjecta prodit. Alteram vero, hoc est 20, privatam et familiarem censemus. Gestorum synodalium, quæ priori subnexa erant, mentio in utraque habetur.

EPISTOLA XIX [c].

INNOCENTII PAPÆ I AD ALEXANDRUM ANTIOCHENUM EPISCOPUM.

De Pace.

Quæ Antiochiæ propter pacem sunt gesta recolens, summa votorum potitus, communionem libenter concedit, eamque offert Acacio, modo et eadem præstet.

1. Apostolici favoris gratia magno pacis usque ad nos decore resplenduit : tantumque lucis gaudiorumque infulsit fidelibus, ut dicentes Deo maximas laudes, majores nos debere fateremur. Plusque a Deo jucundati sumus, quod, discussis omnibus lateribus actionum tuæ fraternitatis, ita totum pietate ac patientia gestum cognovimus, ut in omnibus Dominum laudaremus. Successumque ipsum ideo præ-

[a] In mss. coll. Hadr. *credentibus :* cui verbo collectionis Hisp. auctor addidit *sibi :* eaque lectio et apud Isid. et in vulgatis deinceps obtinuit. Veram suppeditat sinceræ collectionis Dion. exemplar. Reg. Porro inter ecclesias, in quas Innocentius epist. 13, n. 2, Rufo vicem suam committit, etiam *Creta* recensetur.

[b] Magis placeret, et *observent.* Deinde pro *administratione*, quod ex præstanti codice Regio revocamus, exstat in aliis *admonitione.* Mox ms. Noviom., *ne talibus sortiantur :* unde confecta est vulgata lectio *ne talibus socientur.* Retinendum cum potioribus mss., *ne talia sortiantur*, hoc est, ut scientes quid de Bubalio et Tauriano sit judicatum, caveant ne talia agant, indeque in parem pœnam incurrant. Quæ autem fuerit illa pœna, ex verbis, *qui digni administratione sunt*, intelligitur : hoc quippe per antiphrasim dictum, cum Bubalius et Taurianus ab administratione ecclesiarum fuissent dejecti.

[c] In edit. Concil. 17. Quæ autem 19 erat, nunc 21. In edit. Rom. notatur ut *ex Cresconio* descripta. Verius adscriptum esset, *ex Dionysio*, apud quem sub titulo XLIV decretorum Innocentii subjicitur.

stitum tuis laboribus videamus, quod tota virtute pacis amator existens, eam requisitam inveneris, et repertam summa charitate servaveris, cum erga omnes, tum præcipue circa illos, qui quondam Paulini atque Evagrii episcoporum censiti fuerant nomine. (Habeo summam votorum meorum, quod antiqui nævi purgatio tuis temporibus tuisque meritis prærogatur.) Quorum etiam illos ejusdem nominis, qui in Italia merita clericatus acceperunt, censui bono quietis gratiam retinere susceptam. Et quia noster compresbyter Cassianus gratum [a] dixit tuæ fore dignationi, si meo consilio in civitate vestra clericatus ordinem ducere censerentur; statui propter benevolentiam tuam, promissaque memorati, ut inter cæteros sacerdotes ministrosque qui in civitate sunt, annumerentur, frater charissime. Libenter præterea de episcopis [b] Elpidio atque Pappo cognovi, quod sine quæstione suas ecclesias recuperaverint: et multum in gestis, ut [c] subjecta testantur, sollicitus inquisivi, utrum omnibus esset conditionibus satisfactum in causa beati et vere Deo digni sacerdotis Joannis. Et cum per singula assertio legatorum ex voto completa esse fateretur, gratias agens Domino, communionem Ecclesiæ vestræ ita recepi, ut præ me feram, apostolicæ sedis condiscipulos primos dedisse cæteris viam pacis, in qua firmatos vos nosque Domini Christi ita benignitas amplexabitur atque communiet, ut nullo de cætero [d] titillamento, vel levi cujusquam contentionis pudore pulsetur.

2. Scripta autem [e] Acacii episcopi, quoniam cum vestris sunt porrecta, suscepimus, ne per vestram injuriam ille, qui olim a nobis suspensus fuerat, repudiaretur: et tamen satis abunde [f] in actis statuimus, sicuti dignanter relegere procurabis, quid in ejus persona debeat custodiri, ut si per omnia vestris consiliis actibusque tam sanctis se rogaverit esse communem, præstetur [g] seni favore vestro nostroque judicio communionis atque litterarum a nobis gratia prærogata. Subscripserunt [h] viginti episcopi Italiæ.

[a] Merl. Crab. cum mss. Reg. Noviom. et uno Colb. *duxit*. Is Cassianus putatur Collationum scriptor, qui, ut Palladius in Vita Chrysost., pag. 27, narrat, anno 404 labente adhuc diaconus Romam venit: sed postmodum presbyterii gradu decoratus fuit. Totus hic locus, utpote animi summo affectu loquentis, nec tam quo modo verba ordinet, quam quo affectum suum exprimat, curantis, intricatus forsitan nonnullis videbitur. Ad intelligentiam ejus recolendum est, Antiochenam ecclesiam du s in partes, Paulini videlicet, cui Evagrius successit, et Flaviani, in cujus locum Alexander post Porphyrium, Evagrio jam vita functo, subrogatus est, fuisse discissam. Quia vero Occidens Paulino ac deinde Evagrio favebat, in Italiam sese contulerant nonnulli qui illis addicti erant, ibique meruerant clericatus dignitatem. Ecclesiasticæ autem disciplinæ mos volebat, ut si his servanda judicaretur collata dignitas, ejus civitatis censerentur clerici, a cujus episcopis ordinati vel promoti fuerant. At Innocentius clericis partium Paulini aut Evagrii in Italia ordinatis vel promotis primo servandam censuit clericatus gratiam, ac deinde Cassiano auctore statuit ut iidem *inter cæteros sacerdotes ministrosque, qui in civitate* Antiochena *sunt, annumerentur*. Eadem et infra epist. 23 firmantur, ac paulo apertius enuntiantur. Hic obiter observare est, *sacerdotum* vocabulo, præter usitatum antiquorum morem, presbyteros, non episcopos significari. Eodem quoque intellectu hac voce utens Hieronymus in Ezechielis caput 48 arrogantiam arguit diaconorum, *qui ignorantes humilitatem ordinis sui, ultra sacerdotes, hoc est presbyteros, intumescunt*. Et in epistola ad Evangelum: *Si ex diacono ordinatur presbyter, noverit se lucris minorem, sacerdotio esse majorem*. Innocentius epist. 25, n. 6, presbyteros *secundos sacerdotes* esse scribit.

[b] Duos illos episcopos Chrysostomi causa per triennium in domibus suis inclusos fuisse Palladius pag. 195, tradit his verbis; *Elpidius magnus ille Laodiceæ Syriæ episcopus, et Pappus, per totum triennium de scala domus suæ non descenderunt, precationibus vacantes*.

[c] In vulgatis ut apud Isid. *subscripta*. Melius in mss. coll. Dion., Hadr. et Hisp., *subjecta*. Nempe Innocentius non prius pacem firmavit, quam Alexandri legatos publico in cœtu audiisset, eosque de illis quæ Antiochiæ gesta fuerant diligenter interrogasset. Qua de re cum gesta confici studuisset, ea epistolæ huic subjici curavit.

[d] Colbertinum exemplar, *titulamento*: quod pro titulo seu prætextu aut colore non inepte dicatur. Paulo ante Antiocheni vocantur *apostolicæ sedis condiscipuli*: quia Antiochena eccles a eodem, quo Romana, Apostolo doctore fundata est.

[e] Edit. concil. cum uno ms. Colb. et Noviom., *Attici*: Verbi hujus loco Lab. ad marginem adscripsit *Acacii*; quod verbum mss. coll. Dion. Hadr. et edit. Rom. exhibent, ac retinendum esse epistolæ 21 et 22 plane persuadent. In hac porro Innocentius nulla se ab Attico scripta accepisse testatur. Ipse vero, qui hic substituit *Attici* nomen, errorem suum in fronte epistolæ 21, quæ iisdem in mss. *ad Atticum Berœæ episcopum* inscripta legitur, manifeste prodit. Nam Berœæ non Atticus, sed Acacius præerat. Hunc Acacium inter Joannis Chrysostomi hostes ac præcipuos tragœdiæ adversus eumdem excitatæ actores Palladius primum recensere solet. Quam ob causam ut ab Innocentio suspenderetur meruerat: quod ita intelligendum, ut esset Innocentii cum ipso suspensa communio, non ut illi munere suo interdixerit. Mentem suam idem papa epist. 22 planius aperit.

[f] Editi, *quæ in actis*: castigantur ex mss.

[g] Merito nunc *senex* appellatur Acacius; *cujus vel nares ipsæ canos habebant pilos longissimos, cum Romam venit ferens ordinationis Joannis episcopi decretum* (hoc est ante annum 40.), ut Theodorus diac. apud Palladium dial. pag. 39 loquitur. Idem et Romanæ synodo sub Damaso papa interfuisse apud Baluzium nov. coll. concil. pag. 763 legitur. Quod anno 378 contigisse supra pag. 491, n. 3 et 4, probavimus.

[h] Ita magno consensu mss.. At Merlin. *Subscripserunt episcopi* xx, *Italiæ* xxiv. Exinde Crab. remota nota numerica xx retinuit xxiv, eaque lectio deinceps obtinuit. Errandi causa fluxit ex mss. collectionis Hispanæ, in quibus post verba, *subscripserunt episcopi 20 Italiæ*, additur xxiv, non ad episcoporum subscribentium numerum, sed ad ordinem, quem sequens epistola inter alias ea in collectione tenet, indicandum.

EPISTOLA XX [a]

INNOCENTII PAPÆ I AD ALEXANDRUM ANTIOCHIÆ EPISCOPUM.

De Pace.

Innocentius legationem ab Alexandro Antiocheno episcopo ad se destinatam sibi gratissimam fuisse missis gestis testificatur.

INNOCENTIUS ALEXANDRO EPISCOPO.

Quam grata mihi, quam pia, quam necessaria legatio a tua sanctitate, frater charissime, ad nos directa fuerit, gestorum ipsorum replicatione cognosces. Voluit enim compresbyter noster Cassianus, hanc amicitiarum nostrarum paginulam per compresbyterum nostrum Paulum, Nicolaum diaconum, B et Petrum subdiaconum filios nostros, quasi primitias pacis nostræ conscribi. Saluto itaque et tuam mihi in Christo germanitatem, et omnem illam, quæ tecum tam bene sentit, ecclesiam. Nosque, ut facitis, et alloquamini peto crebrius litteris, et frequentius de vestra salute lætificetis. Dabit enim, ut confido, Dominus totius nos præteriti temporis dispendia amantissimo litterarum colloquio [b] repensare.

EPISTOLA XXI [c]

INNOCENTII PAPÆ I AD ACACIUM BERŒÆ EPISCOPUM.

Qua conditione Acacio Innocentius communionem concedat.

Adgaudere litteris fraternitatem tuam de receptis C Paulini vel Evagrii episcoporum clericis populisque et de restitutis Elpidio atque Pappo coepiscopis A percensuimus, et vel sero receptæ pacis gratiam te fovere, postposita omni contentione, pervidimus. Unde has ad præstantissimum fratrem et coepiscopum nostrum Alexandrum reddendas tuæ transmisimus unanimitati: videlicet ut si omnes inimicitiæ, omnis æmulatio tam de nomine sancti Joannis mirandi episcopi, quam de omnibus ejusdem communionis participibus, a tua animositate discessit, has nostræ societatis recipias litteras, frater charissime; modo ut omnia, quæ [d] hic actis firmata sunt, apud mediatorem nostrum amabilem Alexandrum ore proprio, ut [e] communicantem convenit, fatearis. Ut enim hæc nobis unanimitatis charitatisque causa venerabilis est, sic inhæret sollicita, ne quid obliquum aut subcisivum in quoquam residere [f] cognoscatur.

EPISTOLA XXII [g].

DE ATTICO CONSTANTINOPOLITANO EPISCOPO.

Communionem ei non reddendam esse, nisi prius eam legatione solemni rogaverit, et quæ Antiochiæ facta sunt ipse perfecerit, hoc est, in sacris diptychis Joannis nomen restituerit.

INNOCENTIUS MAXIMIANO EPISCOPO.

Miramur, prudentiam tuam scripta ad Atticum episcopum Constantinopolitanæ urbis a nobis et prosecutione propria, et dato libello qui subter annexus est, postulare, a quo nec missas ullas saltem C epistolas ad nos vel ad vestram synodum utique pertulisti; idque non petenti æstimes tribuendum, quod videas deprecantibus, discussa ratione, con-

[a] In edit. Concil. 15. Quæ autem 20 erat, nunc 11. Et hæc epistola in edit. Rom. *ex Cresconio* notatur. Excripta est potius *ex Dionysio*, a quo Innocentii decretum XLII nuncupatur.

[b] Editi, *recompensare*: refragantibus mss.

[c] In edit. Concil. 19. Quæ autem 21 erat, nunc 17. Apud Dionysium, ex quo, non ut in edit. Rom. notatur *ex Cresconio*, epistolam istam accepimus, titulo XLVIII decretorum Innocentii subjicitur. Una cum duabus superioribus ad Alexandrum missam esse ex epistola 19 manifestum est. Neque minus est perspicuum eam apud Merlin. et Crab., ut in mss. coll. Hisp. *ad Atticum Berœæ episcopum* mendose inscribi. Nam Atticus Constantinop., non Berœæ episcopus erat. Quæ ei a Dionysio, et exinde in collectionibus aliis ac vetustis concil. editionibus præposita est summa, *De sancto Joanne Constantinopolitano episcopo*, non satis est accurata. Acacium, cui inscribitur, præcipuas in depositione Chrysostomi D partes egisse, ex Palladio passim, necnon ex Socrate lib. VI, c. 18, et ex Sozomeno lib. VIII, c. 20, notum est. Is cum a Joanne neglectum se putaret, teste Palladio pag. 49 ira victus dixit: *Ego ipsi ollam condio.* Subinde idem Palladius pag. 82 Acacium una cum Antiocho dixisse memorat: *Imperator, in caput nostrum sit Joannis depositio.* Hinc, ut Theodorus diac. ibid pag. 39 loquitur, *et seditionis auctor, et delicti eorum, qui res novas* Constantinopoli *excitarunt, dux habebatur.* Quapropter mediatore ac sequestro, cujus apud Innocentium non minor esset quam Alexandri gratia, indigebat. Neque sine causa Innocentius litteras communionis indices non ad Acacium ipsum, sed ad Alexandrum nonnisi certis conditionibus illi reddendas misit.

[d] In edit. concil. ut in uno ms. Colb., *quæ his actis*. Quæ Romanæ in synodo, cui saltem viginti Italiæ episcopi interfuerunt, acta sunt, hic notantur.

[e] Regium exemplar, *communicantes*.

[f] Editi, excepto Merl. *cognoscat*: emendantur ex scriptis. Acacii in toto hoc negotio sinceritas ex iis, quæ de illo apud Nicephorum lib. XIV, c. 26 et 27, cum ab Attico ad Cyrillum, tum a Cyrillo ad Atticum scribuntur, valde suspecta evadit.

[g] In edit. Concil. 16. Quæ autem 22 erat, nunc 16. Titulo XLIII decretorum Innocentii apud Dionysium, ex quo epistolam istam primum, non *ex Cresconio* habemus, subest. Ambigendum non videtur, quin Maximianus, ad quem scribitur, is ipse sit, cui ut et aliis Macedoniæ episcopis Chrysostomus exsul factus epist. 163 gratias agit, quod ab ipsius partibus constanter stetisset, quique supra epist. 17 inter episcopos Macedoniæ recensetur. Nec alius videtur ab eo Maximiano, Macedonum legato, qui in superiori epistola 18 Romæ majorem, quam sperabatur, moram fecisse memoratur. Hujus autem moræ probabiliter ea causa fuit, ut Romanæ interesset synodo, et omnium quæ in Antiochenæ Ecclesiæ reconciliatione acta fuerant, testis esset. Tum eorum, quæ in hac synodo audierat, recitatione motus et animatus, statim ut Constantinopolim potuit pervenire, Atticum urgere, ut Antiocheni episcopi exemplum sequeretur, non destitit. Cum igitur ejus assensum utcumque elicuisset, moram, pati nesciit, quin ad Innocentium in gratiam ejus scriberet.

cessum. Communio enim suspensa [a] restituitur demonstranti causas, quibus id acciderat, jam esse detersas, et profitenti conditiones pacis impletas. Quod neque apud vos, neque apud nos, ut prædixi, Atticus missis aliquibus suorum vel dicere voluit vel demonstrare completum, quemadmodum Antiochenæ ecclesiæ frater et coepiscopus noster Alexander digna legatione et prosecutus est et probavit. Quibus omnibus utique interesse dignatus, cognovisti quemadmodum singillatim omnia scriptorum nostrorum antehac de causa beatissimi Joannis quondam episcopi nostri [b] discusserim, utque illi in omnibus satis evidenter monstrarint, universa, quæ apud Antiochiam fieri debuerint, fuisse completa. Quorum amplexati pacem, utique fidem fecimus, et [c] magnum tramitem omnibus eamdem B [d] postulaturis ostendimus; si modo quæ discussa sunt atque completa, etiam ipsi se pro suo loco fecisse vel complesse aliquando monstraverint, communionemque, ut isti, legatione solemniter destinata, sibi rogaverint redhiberi. Exspectamus ergo et professionem memorati de completis omnibus conditionibus, quas diversis temporibus prædiximus, et petitionem communionis, ut recte et petenti, et probanti se eamdem mereri, reddamus, frater charissime. Nam de omnibus plenissimas ad sanctam fra- A trum nostrorum synodum dudum [e] litteras percepisti.

EPISTOLA [f] XXIII.

De pace Antiochenæ ecclesiæ impertita.

INNOCENTIUS BONIFACIO PRESBYTERO.

Ecclesia Antiochena, quam prius quam ad urbem perveniret Romam, beatus apostolus Petrus sua præsentia illustravit, velut germana ecclesiæ Romanæ, diu se ab [g] eadem alienam esse non passa est. Nam missis legatis ita pacem postulavit, et meruit, ut et Evagrianos suis ordinibus ac locis, intemerata ordinatione quam acceperant a memorato [h], susciperet: et Joannis sanctæ memoriæ vel clericos vel laicos in unum colligeret atque congregaret, promittens ipsius civitatis episcopus frater meus Alexander (*Vide epist.* 19, *n.* 1), etiam si quis forte vel a nobis, vel aliunde, posterioris ordinationis ad eosdem venerit, se sine controversia recepturum, ac nomen episcopi memorati (*Joannis*) inter quiescentes episcopos recitaturum. Cui rei nos noveris tradidisse manus, frater charissime, et eos in nostra viscera recepisse: ne diu membra, quæ requisiverant sanitatem, ab unitate corporis haberentur aliena. Omnia vero, quæ per ordinem gesta sunt, filius meus diaconus Paulus, harum scilicet portitor litterarum, dilectioni tuæ poterit enarrare, ut et

Unde et huic papæ epistolæ hujus scribendæ occa- C sio data est. Quo tempore scripta sit, vel ex hac simplici expositione colligitur. Nam neque simul cum tribus superioribus, neque multo post conscriptam esse apparet: sed tantum inter hanc et illas cogitandum est intervallum, quantum opus fuit, ut Maximianus e Romana synodo Constantinopolim perveniret, atque inde litteræ ejus in Attici gratiam reddi Innocentio potuissent. Quo pacto id quod desiderabat Innocentius ab Attico, Alexander in regiam urbem veniens impetrarit, Atticus ipse apud Nicephorum lib. XIV, c. 26, narrat.

[a] Innocentii cum Attico communio suspensa ideo fuerat, quia is, ut testatur Palladius pag. 95, *omnium adversus Joannem malitiosum artifex*, in locum illius invaserat: ita ut Orientis episcopi ac civitatis Constantinop. populi ab ejus communione abhorrerent, vixque ille, ut secum vel inviti communicarent, Imperiali rescripto consequi potuerit. Nominatim vero Occidentis episcopi, Theodoreto teste lib. V, c. 34, post mortem Chrysostomi constituerant, ut nullum episcoporum Orientis ad commu- D nionem admitterent, quoad magni hujus Doctoris nomen sacris diptychis inscripsissent. Et hanc quidem suspensæ communionis causam Innocentius in primis vult amoveri, quo cum Attico communicare valeat.

[b] Unus e mss. Colb., *discusserint:* quod aliquando placuerat, quia videbatur eorum esse quæ complenda erant discutere, quorum erat complere quæ exigebantur. At posmodum relecta epistola 19, n. 1, patuit Innocentium sua in synodo discussisse, utrum iis conditionibus, quas variis temporibus et scriptis pacis obtinendæ gratia præscripserat, fuisset satisfactum. Deinde in vulgatis *ut quæ*, ubi legendum *utque*, id est, *et quomodo*. Mox pro *monstrarint*, in Regio exemplari exstat *nuntiaverint*, et in aliquot edit. *ostenderint*.

[c] Editi, *magno tramite:* corriguntur ex scriptis.

[d] Merlin. *eamdem quam præstoloris* corrupte. Quamvis Innocentius, pacem postulantium scriptis non contentus, etiam legationem solemnem exigere videatur, non id tamen postulabat, ut quisque suo nomine legatos ipsi mitteret: sed, ut liquet Maximiani exemplo, satis habebat si quis per legatos a quovis missos scripta sua ipsi offerret. Verum ad Atticum quod attinet, qui Joannis loco post Arsacium suffectus fuerat, etiam de probanda illius ordinatione tunc agebatur. Jam vero, ut supra pag. 598, n. 21, observavimus, induci cœperat ille mos, ut regiæ urbis antistitum ordinationem non prius ratam haberent Romani pontifices, quam legatione solemni certiores de illa facti fuissent.

[e] Quas hic memorat litteræ non exstant.

[f] In edit. Concil. 14. Quæ autem 23 erat, nunc 3. A Dionysio sub titulo XLI decretorum Innocentii ordinata est, et in edit. Rom. non secus atque superiores, ut *ex Cresconio* notatur descripta. Bonifacius, ad quem scribitur, non immerito is videatur presbyter Romanæ ecclesiæ, qui cum presbytero altero et episcopis quinque ab Honorio ad Arcadium destinatus esse in Palladii dialogo p. 31 legitur, quique Innocentio post Zosimum successit. Tum forte legatione apud Theodosium pro negotiis apostolicæ sedis fungebatur. Ex postremis verbis, quibus jubetur ut *eos informet qui pro Attici partibus intervenire solent*, epistolam hanc proxima ad Maximianum scripta non anteriorem esse liquet. Utramque simul missam jure opinemur. Huic simplex apud Dionysium et Isidorum præfigitur summa: *De Antiochena ecclesia.*

[g] Crab. aliæque deinceps editiones, *ab eodem*. Concinnius Merl. ut in mss. *ab eadem*, scilicet ecclesia Romana.

[h] Supple *Evagrio*. Sic enim orationem prosequitur Innocentius, quasi prius *Evagrii clericos*, non *Evagrianos* dixisset. Tum in mss. *susciperent*, tametsi in iisdem subsequatur *colligeret atque congregaret*. Utrumque ita potest intelligi, ut *susciperent* ad ecclesiam, et *colligeret* ad Alexandrum, referatur. Deinde pro verbo *promittens*, quod stylo epistolari tunc recepto effertur, mallet grammaticus, *Promisit* præterea.

gaudium commune nobiscum habeas, et eos informes, qui pro Attici partibus intervenire consueverunt.

EPISTOLA XXIV [a],

AD ALEXANDRUM EPISCOPUM ANTIOCHENUM.

I. *Quod prima sedes beati Petri apud Antiochiam esse memoretur.* — II. *Quod non oporteat secundum constituta Imperatorum duos esse metropolitanos episcopos.* — III. *Quod Arianorum clerici non sint suscipiendi in suis officiis, quamvis* [b] *baptisma, quod per eos datur, confirmet Ecclesia.*

INNOCENTIUS ALEXANDRO EPISCOPO.

CAP. I. — 1. Et onus et honor nobis a tua fraternitate impositus, necessarii tractatus causas induxit, quo litteris vel commonitorio vestro, ut dat sancti Spiritus gratia, respondere possimus. Revolventes itaque auctoritatem Nicænæ synodi, quæ (*Can.* 6) una omnium per orbem terrarum mentem explicat sacerdotum, quæ censuit de Antiochena ecclesia cunctis fidelibus, ne dixerim sacerdotibus, esse necessarium custodire, qua super diœcesim suam prædictam ecclesiam, non super aliquam pro- A vinciam [c] recognoscimus constitutam. Unde advertimus, non tam pro civitatis magnificentia hoc eidem attributum, quam quod [d] prima primi apostoli sedes esse monstretur, ubi et nomen accepit religio Christiana, et quæ conventum [e] Apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit (*Act.* XI), quæque urbis Romæ sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum apud se consummatumque gauderet (*Nicol.* I, *epist.* 8). Itaque arbitramur, [f] frater charissime, ut sicut metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic et cæteros non sine permissu conscientiaque tua sinas episcopos procreari. In quibus hunc modum recte servabis, ut longe positos litteris datis ordinari censeas ab his, qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu : vicinos B autem, si æstimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas pervenire. Quorum enim te maxima [g] exspectat cura, præcipue tuum debent mereri judicium.

CAP. II. — 2. Nam (*Nicolaus* I, *hæc laudat, epist.* 32, *n.* 6) quod sciscitaris, utrum divisis imperiali judicio provinciis, ut duæ metropoles fiant, sic duo metropolitani episcopi debeant nominari; non [h] esse

[a] In edit. Concil. 18. Quæ autem erat 24, nunc 29. In edit. Rom. etiam epistolæ huic communis cum superioribus apponitur nota, *Ex Cresconio*. Ipse Cresconius Breviar. c. 53 eam secundum divisionem a Dionysio inductam laudat. Is quippe tres in titulos, seu decreta, scilicet XLV, XLVI et XLVII, illam partitus est, decretis singulis præfixa summa, quam de C more Hispanæ collectionis auctor et Isidorus exscripserunt. Divisionem eamdem cum tituli seu capituli cujusque summa a Dionysio præfixa hic repræsentamus. Quamvis autem nullam hæc epistola præ se ferat temporis notam, non videtur tamen a superioribus sejungenda; maxime cum probabile sit, Alexandrum Innocentii epistola 20 invitatum ut ipsum litteris suis *crebrius* recrearet, oblatam amicitiam colere, et scrupulis, quibus movebatur, quam primum propositis utilem sibi efficere non distulisse.

[b] Ita exemplaria Dionys. in Indice generali. At intra contextum epistolæ titulus repetitur cum hujusmodi mutatione : *quamvis eorum baptisma, quod catholicum constat, confirmet Ecclesia*; idque Isidorus et exinde Concil. edit. prætulerunt.

[c] Hoc est, quam non provinciæ uni, sed toti Orientali diœcesi, quæ quindecim provinciis constabat, præesse debere constituit. Istud Antiochenæ sedis in Orientem jus a Nicæna synodo assertum Hieronymus epist. 61, ad Pammach. adversus Joannem Jerosol. vindicat et explicat his verbis : *Tu qui regulas quæris ecclesiasticas, et Nicæni concilii canonibus uteris, responde mihi, ad Alexandrinum episcopum in Palæstina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi decernitur, ut Palæstinæ metropolis Cæsarea sit, et totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæsariensem episcopum referre debueras; aut, si procul repetendum judicium erat, Antiochiam potius dirigendæ litteræ.* Ubi D respicit Hieronymus ad Nicænos canones 6 et 7. Porro Nicæna synodus Antiochiam non tam constituit, quam constitutam recognoscit super diœcesim suam, eique hanc prærogativam illæsam servari vult.

[d] In Reg. ms. deest *primi*. In uno Colb. exstat, *prima sedes apostolica esse*. Ex hoc loco perspicuum est cur Innocentius epist. 19, n. 1, Antiochenos *apostolicæ sedis condiscipulos* vocet.

[e] Apostolorum conventum Antiochiæ celebratum etiam Gregorius Pisinuntensium episcopus in Nicæno II concilio tom. VII. Concil. Lab. pag. 63, non tantum laudat, sed et canonem pro imaginibus ex eo profert. Eruditi tamen nullum ibi Apostolorum conventum habitum censent. Qua de re vide Tillemon- C tium tom. 1 Hist. Eccl. pag. 525. Sed is Innocentii locus saltem argumento est, non recens fuisse scriptum illud, quod pro Antiocheno concilio ab Apostolis celebrato prædictus episcopus laudavit; adeoque spernendam non esse quam ille pro imaginibus ex eo protulit auctoritatem : non quo canon ille Apostolis vere adjudicetur, sed quo non recentior sæculo IV, esse verisimiliter credatur.

[f] Corb. ms., *fratres charissimi, ut sicut metropolitanus ordinat*: mendose.

[g] Nicolaus I, epist. al. 42, n. 9, hunc locum ad sedem suam accommodans ita loquitur : *Omnium utique qui Ecclesiam faciunt cura constringimur, atque omnium* (forte *omnes*) *quorum nos maxima cura exspectat, nostrum præcipue debent promereri judicium*, sicut *Innocentius ad Alexandrum*, etc. Et epist. al. 1, append. 4, ubi ipsa retulit Innocentii verba, infert : *Ergo quia totius nos Ecclesiæ cura præstolatur*. Ex quo sequitur, ut Nicolaus hic verbum *exspectat*, pro eo quod vulgo sonat, hoc est pro *præstolatur*, D dictum esse intellexerit. Nobis tamen persuasum est, illud hic antiquo more pingi pro *spectat*, nec aliud sibi velle istud *te exspectat*, nisi *ad te pertinet*. Quæ interpretatio ipsi Nicolai scopo longe aptior fuisset.

[h] Editi. mss. coll. Hispan. et Isid., *non vere visum*; Nicolaus I et codices coll. Hadr., *non ergo visum*; corriguntur ope Dionysiani exemplaris Regii, in quo exstat *non esse visum*. Ab hac Innocentii sententia dissonat, quod Chalcedonensis synodus can. 17 constituit, ut *si civitas aliqua ab imperatoria auctoritate innovata est, vel deinceps innovata fuerit, civiles et publicas formas ecclesiasticarum quoque parœciarum ordo sequatur*. Tantum adversus eos, *qui præter ecclesiastica statuta facientes litterarum imperialium* auctoritate *in duo provinciam unam dividunt, ita ut ex hoc facto duo metropolitani esse videantur in una provincia*, eadem synodus can. 12, decernit, ut qui hæc deinceps tentaverit, gradus proprii amissione mulctetur.

vere visum est ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari; honoresque aut divisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas duxerit Imperator. Ergo secundum pristinum provinciarum morem metropolitanos episcopos convenit [a] numerari.

3. Cyprios sane asseris olim Arianæ impietatis potentia fatigatos non tenuisse Nicænos canones (5 *et* 6) in ordinandis sibi episcopis, et usque adhuc habere præsumptum, ut suo arbitratu ordinent, neminem consulentes. Quocirca persuademus eis, ut curent juxta canonum fidem [b] catholicam sapere, atque unum cum cæteris sentire provinciis, ut appareat sancti Spiritus gratia ipsos quoque ut omnes Ecclesias gubernari.

4. CAP. III. — Arianos præterea (1, *q.* 1, *c*, 73), [c] cæterasque hujusmodi pestes, quia eorum laicos conversos ad Dominum, sub imagine [d] pœnitentiæ ac sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus, non videtur clericos eorum cum sacerdotii aut ministerii cujuspiam suscipi debere dignitate: quoniam quibus solum baptisma ratum esse [e] permittimus, quod utique in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti perficitur, nec sanctum Spiritum eos habere ex illo baptismate illisque mysteriis arbitramur: quoniam cum a catholica fide eorum auctores desciscerent, perfectionem Spiritus, quam acceperant, amiserunt. Nec dare ejus plenitudinem possunt, quæ maxime in ordinationibus operatur, quam per impietatis suæ perfidiam potius, quam [f] fidem dixerim, perdiderunt. Qui fieri potest, ut eorum profanos sacerdotes dignos Christi honoribus [g] arbi-

[a] Ita mss. At in vulgatis, *nominari*.

[b] Etsi temere ac præter mss. auctoritatem Crab. hic repetiit verbum *fidem*: ea tamen repetitio in sequentibus edit. retenta est. Neque vero hic de fide agitur, sed de disciplina canonum regulis instituta et universæ Ecclesiæ usu recepta. Hortatur Innocentius Cyprios ut curent sapere juxta catholicam canonum intelligentiam. Non Alexander tantum, sed et successores ejus Cypriorum episcoporum ordinationes sibi arrogarunt: sed reclamarunt constanter Cyprii. De hac controversia exstat Ephesinæ synodi actio 7, in qua cum Zeno Curii Cypri episcopus dixisset. *A sanctis Apostolis numquam possunt ostendere, quod adfuerit Antiochenus et ordinaverit, vel communicaverit umquam insulæ ordinationis gratiam. Sancta synodus dixit: Memor sit sancta synodus canonis* (scil. 6) *sanctorum patrum in Nicæa congregatorum, qui conservat unicuique priscam dignitatem.* Vide et quæ antecedunt et quæ consequuntur. Hoc autem in negotio Innocentius, Cyprii et Ephesina synodus in eo consentiunt, quod omnes velint Nicænos canones servari. Neque auctor fuit Innocentius Cypriis, ut ab Antiocheno præsule ordinari se paterentur, nisi quatenus ex Alexandri fide pro certo ponebat illos sibi hoc jus contra priscum morem usurpasse.

[c] In mss. *cæterosque*.

[d] Quid sibi velit illud *sub imagine pœnitentiæ* rursus ad epistolæ calcem repetitum quæritur. Recurret et in epistola sequenti n. 7 *imaginis* nomen, ubi *Dominici diei et sextæ feriæ* (quibus Christus passus est et resurrexit) *per singulas hebdomadas reparanda imago* prædicatur. Sed magis ad hunc locum illustrandum confert alter epistolæ 29, n. 2, ubi inducuntur Pelagius ac Cœlestius veluti *perversis instructi, immo destructi verborum argutiis, sub imagine catholicæ fidei disputantes.* Ut enim ibi *imago catholicæ fidei* vocatur, quod quamdam catholicæ fidei speciem præ se ferat; ita et hic quod quamdam præ se fert pœnitentiæ imaginem, *pœnitentiæ imago* nuncupatur. Nec immerito Innocentius impositionem manus, qua olim hæretici correcti fidelibus statim sociabantur, *imaginem pœnitentiæ* appellavit: quia nimirum ista impositio quamdam habebat pœnitentiæ professionem. Quocirca Augustinus lib. de Bapt. contra Donatist. c. 2 apposite ad mentem hujus papæ ait: *Manus impositio si non adhiberetur ab hæresi venientibus, tamquam extra omnem culpam esse judicarentur. Propter charitatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritus sancti, sine quo non valent ad salutem quæcumque alia sancta in homine fuerint, manus hæreticis correctis imponitur.* At hæc manus impositio rem pœnitentiæ non habebat, hoc est vestium sordes, crebra jejunia, aliosque luctuosæ pœnitentiæ labores et apparatus, quibus subjiciebantur, qui a fidelium cœtu segregati, ad eumdem nonnisi post longam satisfactionem admittebantur. Hujus igitur pœnitentiæ adumbratio dumtaxat et imago erat.

Porro hæreticorum ad Ecclesiam redeuntium duo genera Siricius, Innocentius ac Vigilius papa distinguunt: unum eorum qui apud hæreticos, puta Novatianos, Donatistas aut Arianos baptizati ad Ecclesiam se recipiunt; alterum eorum, qui baptismo in Ecclesia catholica suscepto ab hæreticis illis rebaptizari se permiserunt. Et utrisque quidem manus impositionem præscribunt, sed quæ in primis pœnitentiæ imaginem præ se ferat tantum, in postremis rem exhibeat. De primis Siricius epist. 1, n. 2, sic loquitur: *Quos nos cum Novatianis aliisque hæreticis, sicut est in synodo* (Nicæna) *constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus episcopali manus impositione Catholicorum conventui sociamus.* De iisdem rursum epist. 4, c. 8, hæc habet: *Ut venientes a Novatianis vel Montensibus per manus impositionem suscipiantur.* At ab his alios distinguendos notat subjecta hac exceptione, *præter eos quos rebaptizant.* Siricii mentem Innocentius noster epist. 2, n. 11, explicat, ubi pariter præcipit, *Ut venientes a Novatianis vel Montensibus per manus impositionem suscipiantur*: sed exceptionem explicatiorem subjicit in hunc modum, *præter eos, qui si forte a nobis ad illos transeuntes rebaptizati sunt: hi si resipiscentes et ruinam suam cogitantes redire maluerint, sub longa pœnitentiæ satisfactione admittendi sunt.* Primi igitur suscipiebantur *sub imagine pœnitentiæ*; quia manus illis imponebatur ad accipiendum Spiritum sanctum, ita ut nulla pœnitentiæ satisfactio sequeretur. At alii non jam sub imagine, sed sub re ipsa pœnitentiæ admittebantur; quia nonnisi *sub longa pœnitentiæ satisfactione*, quæ impositionem manus excipiebat, eis communio indulgebatur. Duplicem illam manus impositionem aperte distinguens Vigilius papa epist. 2, ad Profuturum (seu ut corrupte in vulgatis circumfertur ad Eleutherium), n. 4, explicationem nostram illustrat et confirmat, ubi de iis qui rebaptizati sunt pariter edicit: *Quorum tamen reconciliatio non per illam impositionem manus, quæ per invocationem sancti Spiritus operatur, sed per illam qua pœnitentiæ fructus acquiritur et sanctæ communionis restitutio perficitur.*

[e] Exempla coll. Hadr. *promittimus*. Rectius Dion. cum aliis codicibus tum scriptis, tum editis, *permittimus*. Quod nunc non permittit Innocentius, quia nulla subest necessitas, *pro necessitate et remedio*, permitti posse supra epist. 16, n. 9 et 10, fatetur.

[f] In vulgatis, *quam per fidem*. Concinnius a mss. abest particula *per*. Hic notatur, hæreticorum fidem jure perfidiam vocari, quia ut Hilarius lib. contra Const. n. 24 observat, *quidquid præter fidem unam est, perfidia non fides est.*

[g] Huc spectat quod Donatistæ, quibus clericatus honor servandus promittebatur, apud Augustinum

tremur, quorum laicos imperfectos, ut dixi, ad sancti Spiritus percipiendam gratiam cum pœnitentiæ imagine recipiamus? Gravitas itaque tua hæc ad notitiam coepiscoporum, vel per synodum, si potest, vel per harum recitationem faciat pervenire: ut quæ ipse tam necessario percontatus es, et nos tam elimate respondimus, communi omnium consensu studioque serventur.

EPISTOLA XXV [a].

Ex Dionysio Exiguo.

I. [b] *De pacis osculo dando post confecta mysteria.* — II. *De nominibus ante precem sacerdotis non recitandis.* — III. *Quod non debeant baptizati nisi ab episcopo consignari.* — IV. *Quod rite omni sabbato jejunetur.* — V. *De fermento, quod civitatis tantum presbyteris dirigatur.* — VI. *De energumenis baptizatis.* — VII. *De pœnitentibus.* — VIII. *De epistola S. Jacobi apostoli in qua pro infirmis orare præcipitur.*

Ex ms. Colbertino 932.

I. *Ut pacem in ecclesia peractis mysteriis communicaturi sibi invicem tradant.* — II. *Ut nomina offerentium non prius, sed intra mysteria recitentur.* — III. *De consignandis infantibus; solis de consecrato oleo licere dare episcopis.* — IV. *De fermento in die sancto Paschæ, his tantum sacerdotibus, qui intra urbem sunt, tradi debere.* — V. *De jejunio sabbati.* — VI. *De his qui post baptismum a dæmonio corripiuntur.* — VII. *De pœnitentibus qui modus circa diem sanctum Paschæ teneri debeat.* — VIII. *Ut oleum sanctum non solum sacerdotibus, sed et omnibus Christianis, in sua suorumque necessitate ungere liceat.* — IX. *Ut pœnitentibus oleum sanctum, sicut et alia sacramenta, pœnitentiæ tempore non concedatur.*

INNOCENTIUS DECENTIO episcopo Eugubino [c] salutem.

1. Si (*Ivo p. 4, c. 67*) instituta ecclesiastica, ut sunt a beatis Apostolis tradita, integra vellent servare Domini sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus et consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc æstimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis vel ecclesiis aut teneri, aut celebrari videntur; ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas humana præsumptione corruptas, putent sibi aut ecclesias non convenire, aut [d] ab Apostolis vel apostolicis viris contrarietatem inductam (*Dist. 5, c. 11*).

2. Quis enim nesciat aut non advertat, id quod a principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari; nec superduci aut introduci aliquid, quod auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? præsertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, et insulas [e] interjacentes, nullum instituisse ecclesias, nisi eos quos venerabilis apostolus Petrus aut ejus successores constituerint sacerdotes. Aut legant, si in his provinciis alius Apostolorum invenitur, aut legitur docuisse. Qui si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere.

3. Sæpe dilectionem tuam ad Urbem venisse, ac nobiscum in ecclesia convenisse, non dubium est, et quem morem vel in consecrandis mysteriis, vel in cæteris agendis arcanis teneat, cognovisse. Quod sufficere [f] ad informationem ecclesiæ tuæ, vel reformationem, si præcessores tui minus aliquid aut aliter tenuerunt, satis certum haberemus, nisi de aliquibus consulendos nos esse duxis-

epist. 185, n. 44, objiciunt: *Si ergo oportet ut nos extra Ecclesiam et adversus Ecclesiam fuisse pœniteat, quomodo post istam pœnitentiam apud eos clerici vel etiam episcopi permanemus?* Quibus respondet Augustinus: *Hoc non fieret, quoniam revera, quod fatendum est, fieri non deberet, nisi pacis ipsius compensatione sanaretur.* Fieri autem non deberet, quia Christi honoribus non sunt digni, qui reprehensionis expertes non sunt.

[a] In edit. Concil. 1. Quæ autem 25 erat, nunc 30. Epistolam hanc exhibent Corbeiense exemplar sæculo sexto exaratum, et Codex a Quesnello vulgatus, necnon collectiones Dionysii Exigui, Hadriani I Hispana et Isidori. A Dionysio appellatur *epistola regularis*, atque omnibus Innocentii decretis sub titulis octo, id est I, II, etc., ad VIII præponitur. Eam laudant tacito quidem Innocentii nomine concilium Hispalense II anno 619 habitum c. 7, Parisiense VI ann. 829, lib. 2, c. 27; illo autem appellato Isidorus Hispal. lib. II Offic. eccl. c. 26, Meldense concilium ann. 845 c. 44, et Nicolaus I, epist. alias 2, append. 2.

[b] Pro subnexis titulis, qui ex Dionysianis atque codicis a Quesnello vulgati exemplaribus describuntur hos exhibet vetus codex Corbeiensis. I. *De pacem qualiter in ecclesia dare debet.* II. *De nominibus recitan.* III. *De signandis infantibus.* IV. *De fermento.* V. *De baptizatis qui postea a dæmonio vexantur.* VI. *De inunguendis infirmis.*

[c] Unus codex Colb., *Capuano*. Alii probæ notæ, *Egubino*. In exemplis Dion. ubi legitur *Eugubino*, additur *salutem*, quod et in vulgatis inde expressum est.

[d] Corb. ms. cum uno Colb. *aut Apostolis*. Tum cum iisdem alii tres, *vel apostolicis ipsis*, non *viris*. Deinde unus Colb., *contraria et non tenenda inducta*. Jam supra epist. 17, n. 9, Innocentium audivimus commendantem *regulas veteres, quas ab Apostolis vel apostolicis viris traditas Ecclesia Romana custodit.*

[e] Supple *terrasque*. Hilarius iis qui una fidei communione ac societate cum Gallis copulabantur, librum de Synodis scribens, cum iisdem Germaniæ primæ et secundæ, Britanniarumque episcopos recenset. His si adjungantur variæ Illyrici provinciæ, quas Innocentius epist. 13, n. 2, suam in eas vicem Rufo committens recenset, diœceseon, quæ ad Romanum patriarchatum attinent, satis accurata habebitur enumeratio. Ex ecclesiis autem ab hoc papa nominatis, non desunt qui excipiendam censeant Lugdunensem, quam neque a Petro neque a successoribus ejus primum sacerdotem suum accepisse arbitrantur. Sed opinionis hujus auctor, a quonam Potinus primus ejusdem ecclesiæ præsul vel ordinatus vel missus sit, sibi incompertum esse alibi fatetur.

[f] Verbum *arbitrarer* in priscis edit. concil. ut in mss. hic additur.

ses. Quibus idcirco respondemus, non quod te aliqua A ignorare credamus, sed ut majori auctoritate vel tuos instituas, vel si qui a Romanæ Ecclesiæ institutionibus errant, aut commoneas, aut indicare non differas, ut scire valeamus qui sint, qui aut novitates inducunt, aut alterius ecclesiæ, quam Romanæ, existimant consuetudinem esse servandam.

Cap. I. — 4. Pacem igitur asseris ante confecta mysteria quosdam populis imperare (*De consec. dist.* 2, *c.* 9), vel sibi inter se sacerdotes tradere, cum post omnia, quæ aperire non debeo, pax sit [a] necessario indicenda, per quam constet populum ad omnia, quæ in mysteriis aguntur atque in ecclesia celebrantur, præbuisse consensum, ac finita esse pacis concludentis signaculo demonstrentur.

Cap. II. — 5. De nominibus vero (*De consecr. dist.* I, *c. ult.*) recitandis, antequam precem sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quam superfluum sit, et ipse pro tua prudentia recognoscis, ut cujus hostiam necdum Deo offeras, ejus ante nomen insinues, quamvis illi incognitum sit nihil. Prius [b] ergo oblationes sunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, quorum sunt, edicenda; ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia, quæ ante præmittimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus.

Cap. III. — 6. De consignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio, quam ab episcopo fieri licere (*De consecr. dist.* 4, *c.* 119). Nam presbyteri licet [c] secundi sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent (*Ivo p.* 1, *c.* 265). Hoc autem B [d] pontificium solis deberi episcopis, ut vel consignent, vel paracletum Spiritum tradant, non solum,

[a] Merlin. ac plures mss. *necessaria.* Non unus hac in re fuit ecclesiarum usus. In constitutionibus Apostolorum Clementis nomine vulgatis lib. II, c. 61, *oblationem* excipit pacis osculum. Immo pacis osculum, Justino martyre apolog. 2, ad Antoninum Pium, teste, ipsam oblationem antecedebat. *Precibus finitis*, inquit, *mutuis nos osculis salutamus. Deinde ei, qui fratribus præest, offertur panis et poculum aquæ et vini.* Ritum illum Laodicena synodus can. 19 ita enuntiat: *Posteaquam dederit episcopus presbyteris osculum pacis, tunc laici pacem sibi tribuent, et ita sancta celebrabitur oblatio.* In Mozarabum Missali ad Dominicam Adventus pax ante Illationem, seu ut loquimur præfationem, indicenda atque offerenda populis præscribitur, *ut apti* sint *sacrosanctis mysteriis Dei* interesse. Eadem ratione in quibusdam aliis, puta Sarisberiensis ecclesiæ, jubetur sacerdos diacono et subdiacono pacis osculum offerre, quo sint *apti sacrosancti altaris Domini ministerio*, adeoque an- C tequam sacra mysteria celebrentur. His suffragatur vetus Ordo Gallicanus, in quo *collectio ad pacem*, seu, post pacem datam, Illationi passim præponitur. Notanda illa Innocentii cautio ac reverentia, qua etiam episcopo scribens, de mysteriis dicit, *quæ aperire non debeo.* Hæc certe novæ heterodoxorum de illis mysteriis opinioni locum non permittit.

[b] Merl. *Prius enim oblationes sunt commendandæ, ac tunc nomina edicenda.* In uno autem ms. Colb. post verbum *commendandæ*, subjicitur: *Et nomina offerentium non ante nisi infra mysteria recitentur. Ac tunc eorum oblationes sunt edicendæ, ut inter sacra*, etc., haud dubie ex marginali nota scholiastis, quem in suo exemplari, ut in altero Colb. habetur, *quorum sunt oblationes edicendæ*, pro *quorum sunt edicenda*, legisse liquet. Quæ lectio faveret mori, quem Hieronymus in Ezechielis caput 18 carpendum censuit his verbis: *Multos conspicimus, qui opprimunt per potentiam, vel furta committunt, ut de multis parva pauperibus tribuant, et in suis sceleribus glorientur, pu-* D *bliceque diaconus recitet offerentium nomina*: Tantum offert illa, tantum ille pollicitus est, *placentque sibi ad plausum populi.* Sed apertum est, Innocentium hujusmodi jactantiam non probare, utpote qui velit ut fidelium oblationes *Deo*, non populo, nec publica diaconi recitatione, sed tacita sacerdotis *oratione* commendentur. Præceptum illius anno 794 Francofordiense concilium renovavit, edito decreto *de non recitandis nominibus antequam oblatio offeratur.* Quod enim ibi hæc synodus *oblationem*, hoc Innocentius supra *precem* vocat. Et utroque illo nomine id quod *Canonem* appellamus intelligitur. Hinc Gregorius Magnus in eadem epistola ad Joannem alias 64, Indict. 2, ubi præmisit a nonnullis expostulatum esse, quod *orationem Dominicam mox post* Canonem *dici* statuisset, deinde subdit, *Orationem Dominicam idcirco mox post* precem *dicimus.* Eamdem sacrorum mysteriorum partem etiam εὐχάς Socrates lib. VII, c. 25, nuncupat. Quocirca Innocentius ac Francofordiensis synodus non probant eos, qui cum Orientali ecclesia ante canonem *nomina recitabant*, seu, ut Cyprianus epist. 10, ad clerum suum loquitur, *nomina offerebant.* Eum tamen usum, quem improbant, etiam postea in Galliis atque Hispaniis receptum fuisse antiquus ordo Gallicanus atque Mozorabum Missale fidem faciunt.

[c] In vulgatis desideratur *secundi*: quod vetustioris ms. Corb. aliorumque duorum auctoritate revocamus. Huc spectat illud Optati lib. I: *Quid diaconos in tertio, quid presbyteros in secundo sacerdotio commemorem? Ipsi apices et principes omnium episcopi.*

[d] Ita mox dicti mss. Alii vero libri, *Hæc autem pontificibus solis deberi, ut vel consignent.* Hoc Innocentii dictum Theologi de jure ordinario interpretari solent. Et Hieronymus quidem dial. adversus Lucifer. docet eum usum, quo *in Ecclesia baptizatus nisi per manus episcopi non accipit Spiritum sanctum, ad honorem potius sacerdotii, quam ad legis necessitatem esse institutum.* Neque solum idem Doctor consignandi jus presbyteris asserere videtur, sed et ejus usum aliquando eis permitti in epistola ad Evangelum innuit, ubi ait: *Quid enim facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat?* Cui consentaneum est quod Chrysostomus homil. II, in I epistolam ad Timotheum, de episcopis scribit: *Sola quippe ordinatione superiores sunt, atque hoc tantum plus quam presbyteri habere videntur.* Gregorius quidem lib. IV, epist. 9, ad Januarium Caralis in Sardinia episcopum scribit: *Presbyteri baptizandos ungant in pectore, ut episcopi postmodum ungere debeant in fronte.* Verum ibid., epist. alias 24, ad eumdem rescribit: *Pervenit quoque ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere eos qui baptizandi sunt prohibuimus.* Quibus primo respondet, *Et nos quidem secundum usum veterem ecclesiæ nostræ fecimus;* tum addit, *Sed si omnino hac de re aliqui contristantur; ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizandos chrismate tangere debeant concedimus.* Neque his adversatur Gelasius, cum epist. 12, c. 6, presbyteris præcipit *non conficiendi chrismatis, non consignationis pontificalis adhibendæ sibimet arripere facultatem.* Aliud est enim hujusmodi facultatem sibimet arripere, et aliud concessa potestate uti. In commentariis Ambrosii nomine vulgatis in Ephes. c. IV legere est: *Apud Ægyptum presbyteri consignant, si præsens non sit episcopus.* Quibus concinit et quod antiquus auctor quæstionum ex utroque Testam. mixtim apud Au-

consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit, Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum. Nam presbyteris, sive extra episcopum sive præsente episcopo cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum paracletum. Verba vero dicere [a] non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.

CAP. IV. — 7. Sabbato vero (*De consecr. dist.* 3, *c.* 13) jejunandum esse, ratio evidentissima demonstrat. Nam (*Ivo p.* 4, *c.* 28) si diem Dominicum ob venerabilem resurrectionem Domini nostri Jesu Christi non solum in Pascha celebramus, verum etiam per singulos circulos hebdomadarum, ipsius diei imaginem frequentamus, ac sexta feria propter passionem Domini jejunamus, sabbatum prætermittere non debemus, [b] quod inter tristitiam atque lætitiam temporis illius videtur inclusum. Nam utique constat, Apostolos biduo isto et in mœrore fuisse, et propter metum Judæorum se occuluisse. Quod utique non dubium est, in tantum eos jejunasse biduo memorato (*Joan.* XX), ut traditio Ecclesiæ habeat, [c] isto biduo sacramenta penitus non celebrari. Quæ utique forma [d] per singulas tenenda est hebdomadas propter id, quod commemoratio diei illius semper est celebranda. Quod si putant, semel atque uno sabbato jejunandum; ergo et [e] Dominica, et sexta feria semel in Pascha erit utique celebranda. Si autem Dominici diei ac sextæ feriæ per singulas hebdomadas reparanda imago est; dementis est, bidui agere consuetudinem sabbato prætermisso; cum non disparem habeat causam, a sexta videlicet feria, in qua Dominus passus est, quando et ad inferos fuit, ut tertia die resurgens redderet lætitiam post biduanam tristitiam præcedentem. Non ergo nos negamus sexta feria jejunandum; sed dicimus et sabbato hoc agendum, quia ambo dies tristitiam Apostolis, vel his qui Christum secuti sunt, indixerunt. Qui die Dominico hilarati, non solum ipsum festivissimum esse voluerunt, verum etiam per omnes hebdomadas frequentandum esse duxerunt.

CAP. V. — 8. De fermento vero, quod die Dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ. Quarum presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt; idcirco fermentum [f] a nobis confectum

gustin. append. tom. III, cap. 101, tradit: *In Alexandria et per totam Ægyptum, si desit episcopus, consecrat* (rectius Colb. ms. *consignat*) *presbyter.* Atque hic usus etiamnum apud Græcos obtinet. Neque ab eo abhorrere videtur concilium Toletanum I, can. 20, quo *statutum est diaconum non chrismare, sed presbyterum absente episcopo; præsente vero, si ab ipso fuerit præceptum*; sicut nec Arausicanum I, can. 11, et Epaonense can. 16, dum *hæreticos in mortis discrimine positos, si catholici esse desiderant, si episcopus desit, a presbyteris cum benedictione et chrismate consignari* volunt. Ad Innocentium quod attinet, tum ex hoc, tum ex superioribus decretis ac totius epistolæ proœmio apparet, hoc eum maxime cavere voluisse, ne ecclesiæ, quæ a Romana fidem susceperunt, ad alienos ab ejusdem ecclesiæ consuetudine ritus declinarent. Morem illi gerens concilium Hispalense II anno 619 habitum c. 7 definit, presbyteris non licere *nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare.* Ad ipsius quoque imitationem Theodulfus Aurelianensis episc. lib. de Bapt. c. 17 concludit: *Quod ergo presbyteris baptizatos chrismate ungere licet, Spiritum vero sanctum per manus impositionem tradere non licet, antiquus iste mos ab Apostolis* (hoc est Apostolorum exemplo in Actibus consignato) *est traditus.* Neque presbyteris solum, sed etiam chorepiscopis et concilium Parisiense VI, ann. 827, part. II, c. 27, et Meldense ann. 843, c. 44, hanc potestatem negant. Quocirca Isaac Lingonensis episcopus tit. XI, can. 30, decernit: *Si quis non ab episcopo, sed a chorepiscopo fuerit confirmatus, reiterari aliis benedictionibus debet.* Idipsum et Capitulare anni 803, apud Baluz. pag. 381, ut Leonis III antea consulti auctoritate fultum edicit.

[a] Hinc non sola frontis unctione, sed et præscriptis quorumdam verborum formulis Confirmationis sacramentum perfectum fuisse conficitur. Verum hæc verba dum Innocentius consulto tacet, quanta antiquorum fuerit religio ne sacramentorum mysteria retegerent, palam facit. Hujus rei frequentiora sunt exempla, cum illis de Eucharistia sermo est.

[b] In mss. *qui* (Quesn. hic addit *dies*) *inclusus.* Ejusdem Quesnelli ad calcem operum Leonis specialem *de jejunio sabbati in ecclesia Romana* Dissertationem consule, si lubet.

[c] Capitularium lib. VII, c. 430, ubi habetur, *Canonibus quippe jubentibus biduo isto sacramenta non debent celebrari,* ad hunc locum respici haud temere conjectemus. Hunc ipsum morem libro pontificali præscriptum esse Rothomagense concilium ann. 1072 c. 22 memorat.

[d] Supple, *jejunii ab Apostolis servati.* Nam proximus de sacramentis biduo ante resurrectionem Domini non celebratis sermo tantum in transcursu fit, utpote ad asserendum sabbati jejunium unice adjectus, idque ipsa orationis series confirmat. Ait quidem Socrates lib. V, c. 22: *Cum omnes ubique terrarum ecclesiæ per singulas hebdomadas die sabbati sacra mysteria celebrent, Alexandrini tamen et Romani, vetustam traditionem secuti, id facere detrectant.* Sed secus suadent Gregorii Gelasiique liturgiæ, quæ etiam Quadragesimæ sabbatis Missas præscribunt. Nec Hieronymus epist. 28, ad Lucinium scripsisset: *De sabbato quod quæris, utrum jejunandum sit; et de Eucharistia, an accipienda quotidie, quod Romanæ ecclesiæ observare perhibentur,* nisi sacra mysteria, ex quibus Eucharistia percipitur, quotidie fuissent celebrata. Eumdem Eucharistiæ quotidie percipiendæ usum Augustinus epist. 54, ad Januarium, n. 4, tradit. Ex quo sequitur, ut et quotidie celebrata sint divina mysteria. Non enim vulgo extra illorum celebrationem Eucharistia nisi ab ægrotis percipiebatur. Id forte quod mox attulimus, dixit Socrates, quia Romani Alexandrinique, sabbati solemnitate in Dominicam translata, utrumque illum diem pari religione celebrare detrectarent.

[e] In mss., *Dominicum... celebrandum.* Pessime autem apud Merl. et Crab., *Dominica... celebrandum.*

[f] In uno ms. Corb. desideratur *a nobis confectum.* Fermenti nomine alii benedictum panem, qui Eucharistiæ vice sit, alii vero longe plures Eucharistiam ipsam hic intelligunt. Et vero illam in Ordine Romano fermenti vocabulo sæpius designari Mabillonius noster observat. Neque verendum, ne hac postrema intelligentia eorum juvetur opinio, qui

per acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die, non judicent separatos. Quod per [a] parœcias fieri debere non puto; quia nec longe portanda sunt sacramenta (nec nos per cœmeteria diversa constitutis presbyteris destinamus) [b] et presbyteri eorum conficiendorum jus habeant atque licentiam.

CAP. VI. — 9. De his vero baptizatis, qui postea a dæmonio, vitio aliquo aut peccato interveniente, arripiuntur, [c] est sollicita dilectio tua, si a presbytero vel diacono possint aut debeant [d] designari. Quod hoc, nisi episcopus præceperit, non licet. Nam eis manus imponenda omnino non est, nisi episcopus auctoritatem dederit id efficiendi. Ut autem fiat, episcopi est imperare, ut manus eis vel a presbytero vel a cæteris clericis [e] imponatur. Nam quomodo

Eucharistiam ex fermentato pane olim in Ecclesia Latina confectam putant. Valde enim leve est quod inde in opinionis hujus gratiam deducitur argumentum. Quippe venerandum illud sacramentum, pro illorum temporum consuetudine, qua sacræ rei arcanum profanis tegere affectabant, cum ad ecclesias mitteretur, apposite vocatum est fermentum, ut quemadmodum fermentum in farinam immissum, eique commixtum, totam conglutinat, ita eis quoddam unitionis atque communionis mutuæ vinculum esse significaretur. Ea ratione ipse Christus etiam extra Eucharistiæ sacramentum in encyclio epistolarum ad Leonem augustum missarum codice, epist. 37, tom. IV Concil. Lab. pag. 920, *fermentum* appellatur, ob idque concilium Chalcedonense ab episcopis Phœniciæ maritimæ laudatur, quod *eos, qui prodigiose, non ex Dei genitrice virgine esse nostrum* FERMENTUM *credunt, destruxit*. Fermenti autem vocabulo ne meram eulogiam ab Innocentio intelligi censeamus, vetat subjecta ipsius ratio, qua hunc mittendi fermenti ritum neque in Eugubinam ecclesiam, neque in cæteras, quæ plures intra unam civitatem titulos non haberent, convenire docet, *quia* nimirum *sacramenta non longe portanda sunt*. Nam eulogiam seu benedictum panem sine ullo discrimine longius ferri posse si quis negaret, revinceretur epistolis tum Paulini Nolani apud Augustinum 24 n. 6, 25 n. 5, et 32 n. 3, necnon ipsius Augustini epistola olim 34, nunc 31, n, 9, in quibus sanctos illos viros ab Italia in Africam, ac vicissim, benedictos panes sibi invicem in unitatis seu communionis mutuæ symbolum misisse legimus. Fermenti autem ad ecclesias mittendi usus, qui forsitan Romanæ civitati peculiaris fuit, Melchiadi attribuitur, uti supra pag. 339 observatum est, ubi et plura de hac re disseruimus.

[a] Editi, *parochias*. In exemplis Dion. et Hadr. *parœcias* seu *parrœcias*. In veterrimo Corb. *proicias*, haud dubie pro *paroicias*. Ex quo colligere est non id primum, sed temporis decursu obtinuisse, ut *parochias* seu *parrochias* antiquarii scriberent. Hoc autem nomine hic intelligit Innocentius ecclesias extra civitatem episcopalem sitas. Cœmeteria quoque apud Romanos, utpote quibus corpora intra muros condere religioni erat, extra urbes exstitisse nullus ignorat.

[b] Quesn. post veteres edit. concil. necnon mss. coll. Hisp. et Isid., *ut et presbyteri eorum*. Duo mss. *ut precibus eorum*. Pith., *et precibus eorum*. Lectio postmodum vulgata et sanior et potiorum est mss. Innocentius priori rationi, qua sacramenta in parœcias portari non decere docuerat, nunc alteram adjicit, qua istud nec necessarium ostendit.

[c] Ita aliquot probæ notæ mss. At Pith., Dion et Isid., *quæsivit dilectio*.

[d] Sic vetus codex Corb. cum antiquis Codicis a Quesn. vulgati exemplaribus, necnon alio probæ notæ ms. Colb. Ita et legisse videtur Dionysius, cujus exemplum Regium etiamnum habet *assignari*. In cæteris autem libris exstat *consignari*. Tum edit. Rom., *quod hoc nisi episcopis præcipere*. Quesn., *quod nisi*, suppresso *hoc* præter omnium codicum consensum. Integra erit oratio, si ante illud *quod*, verbum *censeo* suppleatur, aut cum Regio Dion. exemplari aliisque nonnullis præferatur, *Quod hoc nisi episcopum præcipere non liceat*.

Innocentium hoc loco diaconis, cum necessitas urget, Confirmationis administrandæ potestatem fecisse Joh. Morinus in quodam opere posthumo opinatur : sed ejus editor Moretus nullum hic de sacramento illo sermonem esse recte observat. Verbum *consignari*, quo superius Confirmationis sacramentum enuntiatur, virum eruditum fefellit. Sane *de baptizatis*, hoc est fidelibus, non qui in ipsa baptismi susceptione, sed *postea*, a dæmonio arripiebantur, quæstio instituta est. Hac autem ætate e sacro baptismi lavacro egressis sacramentum Confirmationis conferri consuevisse nec doctus Morinus, nec ullus antiquitatis peritus ignorat : idque docent Tertullianus lib. de Baptismo c. 7 et 8, Cyprianus epist. 73 ad Jubaianum, Ambrosius lib. de Mysteriis c. 7, Hieronymus Dial. adversus Lucifer., Augustinus Serm. 324, Leo papa Serm. 4 de Nat. Dom., ac longe postea Magnus Senonensis episcopus in libello quem de baptismatis mysterio Caroli M. jussu concinnavit, ac noster Edmundus Martene de Antiquis Eccl. rit. to. I, pag. 160, edidit. Quo in opere legimus, *Omnibus autem peractis sacramentis baptismatis, novissime per manus impositionem a summo sacerdote septiformis gratiæ accipiunt Spiritum sanctum*. Præterea nullum est in toto hoc capitulo de Spiritu sancto verbum, cum de eo Innocentius silere non soleat, ubi de Confirmationis sacramento loquitur. Denique qui superiori capitulo 3, n. 6, asseruit, *hoc pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel tradant Spiritum sanctum*, ac presbyteris hanc potestatem negavit, procul aberat ut eamdem diaconis concederet.

Evidens est igitur, ritus quibus ei succurratur qui a dæmonio arripitur, hic explicari. Hos ritus noster Edmundus Martene de Antiq. Eccl. rit. lib. III, c. 9, fuse explicat. Nominatim vero inter eos, quos ex vetusto codice Regio 3866, et altero Vindocinensi ibid. pag. 366, describit ; præcipitur ut sacerdos, ad quem ductus fuerit energumenus, omnium peccatorum ejus confessionem excipiat, *ponat manum in summitate capitis infirmi, et crucem faciat tribus vicibus*, ac post multas preces *signet eum ad frontem, ad oculos, ad aures, ad nares, ad pectus, ad os, ad pedes, ad ambas manus*, propria unicuique membro benedictione adhibita. Quocirca nullus prope est dubitandi locus, quin novissimum hunc ritum verbo *designari* Innocentius notet. Quominus tamen *consignari* retineatur, nihil repugno : nec diffiteor lectioni huic favere, quod in laudatis codicibus a Martenio nostro exscriptis pag. 520 duplex afferatur signandi formula, ac postrema inscribatur : *Alia consignatio capitis, et oculorum, sive omnium membrorum*. Cavendum tamen, ne *consignandi* verbum hic eo sensu, quo supra cap. 3 usurpari existimetur. Forte ad utramque rem distinguendam Innocentius supra *consignandi*, nunc *designandi* verbo usus est. Sed hic sive *designari* sive *consignari* malis, neutrum aliud sonare debere videtur, quam simplex *signari*.

[e] Corb. ms. *imponantur*. Illa manus impositio quædam erat pœnitentiæ species. Quidquid vero ad pœnitentiam publicam attinet, episcoporum potestati semper in Ecclesia subjectum fuit. Ubi vero episcopus aderat, cum ab ipso, tum ab ipsius clero manus pœnitentibus imponebatur. Unde Cyprianus

id fieri sine magno labore poterit, ut longe constitutus energumenus ad episcopum deducatur, cum si talis casus ei in itinere acciderit, nec perferri ad episcopum, nec referri ad sua facile possit?

Cap. VII. — 10. De pœnitentibus autem, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat (*De consecr. dist.* 3, *c.* 17; *Ivo p.* 15, *c.* 40; *Isaac Lingon. c.* 15). Cæterum de pondere æstimando delictorum, sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, et ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam [a] satisfactionem suam. Vel si quis ægritudinem incurrerit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de sæculo absque communione discedat.

Cap. VIII. — 11. Sane quoniam de hoc, sicuti de cæteris, consulere voluit dilectio tua, adjecit etiam A filius meus Cœlestinus diaconus in epistola sua, esse a tua dilectione positum illud, quod in beati Apostoli Jacobi epistola conscriptum est: *Si infirmus* [b] *aliquis in vobis est; vocet presbyteros, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio* [c] *fidei salvabit laborantem, et suscitabit illum Dominus,* [d] *et si peccatum fecit, remittet ei* (*Jacob.* v, 14). Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, [e] quod ab episcopo confectum, non solum sacerdotibus, sed et omnibus uti Christianis licet, in sua aut in suorum necessitate [f] ungendum. Cæterum (*Dist.* 95, *c.* 9; *Ivo p.* 2, *c.* 75) illud superfluum esse videmus adjectum, ut de episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium B est. Nam idcirco [g] presbyteris dictum est, quia episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum si episcopus aut potest, aut dignum ducit, aliquem a se visitandum, et benedicere et [h] tangere chrismate; sine cunc-

epist. 10, ad clerum suum, queritur quod *cum in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam longo tempore, et secundum disciplinæ ordinem ad exomologesin veniant, et per impositionem manus episcopi et cleri jus communionis accipiant; nunc crudo tempore... nondum pœnitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab episcopo et clero imposita, eucharistia illis datur.* Verum episcopus, quando aberat, ac nec necessitas urgebat, hoc ipsum presbyteris vel etiam diaconis permittebat. Quocirca et ad clerum suum idem Cyprianus epist. 13 scribit: *Si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectata præsentia nostra, apud presbyterum quemcumque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint, ut manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace.* Huc spectat quod Regino lib. I, c. 295 et 296, necnon Burchardus lib. X, c. 155 et 156, velut ex Pœnitentiali Romano proferunt: *Sicut enim sacrificium offerre non debent nisi episcopi et presbyteri, sic nec pœnitentium judicia alii usurpare debent. Si autem necessitas evenerit, et presbyter non fuerit præsens, diaconus suscipiat pœnitentem ad sanctam communionem.* Et hæc quidem de pœnitente reconciliando, ubi periculum mortis imminet, dicta sunt: at Innocentius circa energumenos quamdam ab episcopo potestatem tribui posse definit, quæ non presbytero aut diacono solis, sed et *cæteris clericis* competere videatur, inter quos infimus est exorcistarum ordo. Quod ita intelligendum, ut eos ritus, quos exercere solis sacerdotibus concessum est, inferiores clerici prætermiserint.

[a] Ita duo mss. Colb. At alii libri, *satisfactionem. Sane si quis.* Quam solliciti fuerint antiqui ne pœnitentes aut ante congruam satisfactionem absolverentur, aut sine reconciliatione et communione de sæculo discederent, testis est, ut alios mittam, locis mox allatis Cyprianus. Ibi etiam sanctus ille martyr *de minoribus peccatis* actam pœnitentiam memorat, sed hæc cum gravioribus comparata, quamvis et ipsa mortifera fuerint, minora ac leviora dici haud temere sentiamus.

[b] Sic potiores mss. sex, qui in hoc loco exprimendo cum antiquo Italicæ interpretationis exemplari pene omnino consentiunt. At excusi, *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ:* nisi quod *Ecclesiæ* vox apud Merlinum, ut in reliquis mss. non exstat. Tum duo Colb., *ut orent pro eo:* Pith., *et orent pro eo.*

[c] Unus e mss. Colb. cum Pith. et laudato Italicæ interpretationis exemplari, *in fide:* ac deinde cum vetustioribus, *salvabit laborantem:* ubi in vulgatis, *salvabit infirmum.*

[d] Editi, *si in peccatis fuerit, remittentur ei:* corriguntur auctoritate meliorum mss. in quorum tribus exstat, *si peccata fecit.* Deinde apud Dion. *remittetur ei,* quomodo legitur et in antiquo Italicæ interpretationis exemplari.

[e] Crab. aliique deinceps editi, *quo ab episcopo confecto,* Merl. et mss. renitentibus. Apud Græcos oleum illud etiam a presbyteris confici solere noster Edmundus Martene tom. II de Antiq. Eccl. rit. pag. 114 probat.

[f] Quesn., *ungendo.* Edit. Rom., *ad ungendum.* C Cæteræ, *inungendo.* Verius mss., *ungendum,* seu, ut in plerisque pingitur, *unguendum.* Neque vero grammaticis insolens est verbo *uti* quartum casum adjungere, ut videre est in his Plauti, *Cætera quæ utimur.* Porro ab Innocentii mente aberrant, qui eum hoc loco omnibus Christianis tum se, tum suos oleo sancto ungendi jus attribuere, et fideles omnes hujus sacramenti ministros prædicare arbitrantur. Tantum opinionem refutat eorum, qui tum forte sibi persuaserant, olei sancti usum sacerdotibus a quibus conficitur, ita proprium esse, ut eo nulli alii ungendi essent; ac docet illud ab iis confici, non ut inde ipsi soli, verum etiam omnes Christiani ungantur. Nondum quippe hic de unctionis ministro, sed de eo tantum cui conferri possit, sermo est. Inde ad alteram progrediens quæstionem, an scilicet presbyterorum ita proprium sit hoc sacramentum administrare, ut illud conferre episcopis non liceat, falsam ea de re nonnullorum opinionem, de qua illum D Decentius consulendum duxerat, confutat. Et hæc quidem Decentii interrogatio, quantum abhorreret ab illorum temporum fide, ut Christiani quique infirmos sacro oleo ungere posse crederentur, aperte indicat.

[g] Edit. Rom. et concil. post Crab. cum uno ms. Colb., *de presbyteris.* Merl. cum cæteris mss., *presbyteris,* quod ita intelligimus, ut subaudiatur *licere.* Nec displicet quod apud Quesn. *presbyteros,* eo scil. intellectu: *idcirco* (a Jacobo) *dictum est presbyteros,* supplendo *vocet.*

[h] Quesn., *et ungere.* Licet supra n. 6 legerimus, *chrismate baptizatos ungere licet:* hic tamen in nullo veteri codice reperimus *ungere.* In duobus mss. desideratur *tangere;* et in eorum altero pro *chrismate,* exstat *chrismare:* cui lectioni consentanea est hæc Toletani I concilii, can. 2, ubi statuitur, *diaconum non chrismare.* Locutione autem *chrismate tangere* Gregorius lib. 4, epist. 26, ad Januarium, semel ac secundo utitur.

tatione potest, cujus est chrisma conficere. Nam pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est [a] sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?

12. His ergo, frater charissime, omnibus quæ tua dilectio voluit a nobis exponi, prout potuimus, respondere curavimus, ut Ecclesia tua Romanam consuetudinem, a qua originem ducit, servare valeat atque custodire. Reliqua vero, quæ scribi fas non erat, cum adfueris, interrogati poterimus edicere. Erit autem Domini potentiæ, etiam id procurare, ut et tuam Ecclesiam et clericos nostros, qui sub tuo pontificio divinis famulantur officiis, bene instituas, et aliis formam tribuas, quam debeant imitari. Data XIV kalendarum Aprilium (*Martii* XIX, *ann.* 416), Theodosio augusto VII et Palladio [b] viro clarissimo consulibus.

MONITUM IN EPISTOLAS SUBSEQUENTES.

1. Sex epistolas sequentes repræsentant veteres codices quam plurimi in novissima Augustini editione recensiti. Easdem una cum subsequente 32, non solum collectionis Isidori, sed et Hispanæ, necnon Codicis a Quesnello vulgati exemplaria exhibent. Ipse Augustinus epist. olim 106, nunc 186, num. 2, illas singillatim commemorat in hunc modum: « Missæ sunt itaque de hac re ex duobus conciliis, Carthaginensi et Milevitano relationes ad apostolicam sedem... Scripsimus etiam ad beatæ memoriæ papam Innocentium, præter conciliorum relationes, litteras familiares, ubi de ipsa causa aliquanto diutius egimus. Ad omnia nobis ille rescripsit eodem modo, quo fas erat atque oportebat apostolicam sedem. » Nominatim vero de Innocentii epistolis lib. I contra Julianum c. 4 hæc eloquitur: « Quid enim potuit vir ille sanctus Africanis respondere conciliis, nisi quod antiquitus apostolica sedes et Romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia? » Tum exscriptis quibusdam sententiis, quas Innocentius in epistolis illis depromit, Julianum sic urget: « Huic responde, immo ipsi Domino cujus ille antistes usus est testimonio. » Item lib. II contra duas epistolas Pelagian. c. 4, n. 6, ubi nonnulla protulit epistolæ 29 verba, exclamat: « Quid ista sedis apostolicæ sententia clarius? » Rursumque num. 7 verbis aliis ex epistola 30 in medio positis subdit: « Quid ad hæc dicit ingratus? » Sic Cœlestium vocat, quem et ibidem n. 5 fallaciæ arguit, cum his Innocentii litteris consentire se postea coram Zosimo mendaciter respondit. Tot tamque evidentibus testimoniis Henricus Norisius Hist. Pelag. pag. 74 censuram refellit Vossii, « an epistolæ istæ tanto sint dignæ antistite, » post Erasmum in dubium vocantis, simulque confutat sententiam recentioris cujusdam, qui de illarum veritate pariter videtur ambigere. Prosperum, Cœlestinum papam aliosque tacemus

A scriptores, qui litteras illas Innocentio conceptis verbis ascribunt. Neque cur ille de materia tam abundanti tamque ampla nequaquam fusius edisserat, explicare pluribus opus est, cum hujusce rei rationem ipse reddiderit.

2. Quæ Afris ad Innocentium scribendi causa fuerit ipsi non siluerunt. Cupere se testantur, ut in gravi adeo tempestate, quam Pelagius atque Cœlestius excitarant, de fidei veritate certiores fiant; atque ut sua ipsorum sententia Innocentii judicio comprobetur; eaque ratione statutis suis firma sedis apostolicæ accedat auctoritas. Tum demum sperare se significant, eos qui tam perversa tamque perniciosa sentiunt, ejusdem sedis auctoritati, utpote « de sanctarum Scripturarum auctoritate depromptæ (epist. 27, n. 3), » facilius esse cessuros.

3. Quantum apostolicæ sedi deferendum censeant Afri, suis in litteris luculenter probant. Hinc et ejus extollendæ ansam Innocentius arripuit. In quo modum
B excessisse si cui videatur, arguet eum Augustinus, cujus judicio, ut supra vidimus, « ad omnia ille rescripsit eodem modo, quo fas erat atque oportebat apostolicæ sedis antistitem. » An Augustinus cæterique Africani ea tantum, quæ Innocentius de Pelagio, Cœlestio eorumque consortibus judicavit, non item quæ epistolis 29 et 30 de sedis suæ prærogativa præloquitur, approbasse censendi sunt? Ista etiam ab ipsis comprobata esse ex eo colligitur, quod scribunt eorum posteri in exordio epistolæ, quæ a tribus Africæ conciliis ad Theodorum papam missa, postmodum in Lateranensi concilio sub Martino I recitata est. Ibi enim quidquid de Romanæ Ecclesiæ dignitate Innocentius epist 29 astruit, iisdem sententiis, tantum non iisdem omnino verbis, suo nomine repetunt (*Lab. t.* 6, *p.* 118). Sed ad commendandam apostolicæ sedis præstantiam illustrius nihil desiderari potest, quam quod Augustinus acceptis Innocentii litteris serm. 131, n. 10, palam prædicavit: « Jam enim de ea causa duo concilia missa sunt
C ad sedem apostolicam, inde etiam rescripta venerunt: causa finita est, utinam aliquando finiatur error! » Hoc est, Pelagiana causa duobus in conciliis Africanis diligenter discussa judicataque est. Cum autem illis congruat et judicium apostolicæ sedis, triplici tantæ auctoritatis judicio causa decisa, merito finita judicatur.

4. Ita concionabatur Augustinus, cum utrum rescriptis illis starent Pelagiani, necne, adhuc incertus esset; adeoque cum recens in Africam pervenissent. Atqui Sermonem illum « habitum IX kal. octobris die Dominica » in veteri codice prænotari, atque anno 417 nonum kalendarum octobrium diem in Dominicam incidisse, in nova Augustini editione observatum est. Ex quo et conficitur, rescripta illa mense septembri anni 417 non esse recentiora. Sed manet certa eorum epocha in optime notæ mss. asservata, quæ « VI kal. februarii post consulatum Theodosii VII et Junii IV V. C., » hoc est 27 die men-
D sis januarii anni 417 consignantur. Neque epocham illam ancipitem facit, sed potius confirmat hæc altera, quam nonnulli codices exhibent, « VI kal. februarii Honorio et Constantio V. C. conss. » Nam

[a] In uno mss. Colb., *sacramentorum*. Cui favet quod in vetusto Corb. legitur *sacratorum*. Hanc quippe lectionem mendosam esse, atque infirmorum unctionem non inter sacrata tantum, verum etiam inter sacramenta ab Innocentio computari ex subnexis perspicuum est. Ubi vero hoc sacramentum iis negat pœnitentibus, *quibus reliqua sacramenta negantur*, satis aperte docet usu tum fuisse receptum, ut aliis fidelibus citra periculum mortis laborantibus concederetur. Nam et pœnitentibus, si in desperatam ægritudinem incurrissent, reliqua sacramenta sine mora conferri supra n. 10 præcipit. Græci autem teste Petro Arcudio lib. V, c. 4, eo processere, ut non solum infirmos nulla periculosa ægritudine laborantes, sed et *pœnitentes bene valentes, adhibita quoque forma sacramenti, non aliter atque infirmos inungant*.

[b] Editi, *viris clarissimis*. Rectius mss. *v. c.* hoc est *viro clarissimo*: quod in unum Palladium cadit. Ubi vero notarii *viris clarissimis* exprimere volunt, notam eamdem geminant in hunc modum: *vv. cc.* quæ tum de duobus consulibus prædicari intelligitur.

re ipsa Honorius et Constantius anno 417 consulatum gesserunt. Hanc autem mutationem haud temere sentiemus contigisse tum opera antiquarii, qui consulum præteriti anni loco, ipsius anni consules, quos tunc forte ignorabat Innocentius, ad marginem annotarit, tum simplicitate librarii, qui annotationem illam, primæva lectione submota, in textum transtulerit. Porro e septem subsequentibus epistolis prior paulo ante 27 et 28 scripta, sed una cum his per eumdem Julium episcopum Africanum anno 416 labente transmissa est. Quatuor vero subsequentes uno die datæ eodemque episcopo Julio deferente perlatæ sunt. Has et ante mensem octobrem anni 417 Afris redditas esse, ex nota Augustini Sermoni 131 præfixa conficitur, uti præmonuimus.

5. Petrus Marca lib. VII de Concord. c. 12, n. 5, et Joannes Garnerius Dissert. de synodis in causa Pelag. habitis Innocentium ad Afros ex aliqua synodo Romana rescripsisse asserunt : sed hoc Ant. Pagius ad ann. 416, n. 19, negat, ac sententiam suam verbis Augustini lib. IV ad Bonifacium confirmat. Sed duplex illa opinio haud magno negotio componatur. Nam si Pelagii Cœlestiique dogmata sine congregatione synodi damnata fuisse jactantibus Pelagianis Augustinus lib. IV cont. duas epist. Pelag. c. 12, n. 34, hoc eis non negat ; idem Doctor in eodem opere lib. II, c. 3, iisdem hæreticis clericos Romanos prævaricationis arguentibus respondet : « Si, quod absit, ita tunc fuisset de Cœlestio vel Pelagio in Romana ecclesia judicatum, ut illa eorum dogmata, quæ in ipsis et cum ipsis papa Innocentius damnaverat, approbanda et tenenda pronuntiarentur ; ex hoc potius esset prævaricationis nota Romanis clericis inurenda. » At vero unde culparentur hi clerici, nihil esset, si citra eorum conscientiam Innocentius adversus Pelagium ac Cœlestium scripsisset. Has ergo epistolas sanctus ille papa sine congregatione synodi episcoporum e diversis provinciis convocatorum, sed non sine congregatione clericorum Romanorum conscripsit : eoque pacto concilientur in speciem pugnantes sententiæ ; ac mos perpetuus firmatur, quo Romanos pontifices ab Ecclesiis consultos nonnisi congregato saltem clericorum suorum cœtu respondere consuevisse hactenus vidimus.

EPISTOLA XXVI.

CARTHAGINENSIS CONCILII AD INNOCENTIUM.

Ut sententiæ suæ, qua Pelagii Cœlestiique impietates damnarunt, apostolicæ sedis accedat auctoritas. Ac tandem si has illi suas esse negent ; quibusvis eorum assertoribus anathema decernitur.

Domino beatissimo et honorandissimo sancto fratri INNOCENTIO papæ, AURELIUS, NUMIDIUS, RUSTICIANUS, [a] FIDENTINUS, EVAGRIUS, [b] ANTONIUS, PALATINUS, ADEODATUS, VINCENTIUS, PUBLIANUS, THEASIUS, TUTUS, [c] PANNONIUS, VICTOR, RESTITUTUS, alius RESTITUTUS, RUSTICUS, FORTUNATIANUS, AMPELIUS, [d] AMBIVIUS, FELIX, DONATIANUS, ADEODATUS, OCTAVIUS, SEROTINUS, [e] MAJORINUS, POSTHUMIANUS, CRISPULUS, VICTOR, alius VICTOR, [f] LEUCIUS, MACIANUS, FRUCTUOSUS, FAUSTINIANUS, QUODVULTDEUS, CANDORIUS, MAXIMUS, [g] MEGASIUS, RUSTICUS, [h] RUFINIANUS, [i] PROCULUS, SEVERUS, THOMAS, JANUARIUS, OCTAVIANUS, PRÆTEXTATUS, SIXTUS, QUODVULTDEUS, PENTADIUS, [j] QUODVULTDEUS, CYPRIANUS, SERVILIUS, [k] PELAGIANUS, MARCELLUS, VENANTIUS, DIDYMUS, SATURNINUS, [l] BIZACENUS, GERMANUS, GERMANIANUS, [m] INVENITUS, MAJORINUS, [n] INVENITUS, CANDIDUS, CYPRIANUS, ÆMILIANUS, ROMANUS, AFRICANUS, et MARCELLINUS, [o] et cæteri qui in concilio Ecclesiæ Carthaginensis adfuimus.

1. Cum ex more [p] ad Carthaginensem Ecclesiam solemniter venissemus, atque ex diversis causis con-

[a] Ita mss. uno excepto, in quo *Fidentianus*. At editi, *Fidentius*, favente Collatione Carthag. in qua tres episcopi leguntur *Fidentii* nomine donati.

[b] Apud Crab. in marg. *Antonius :* quod et habent hic mss. Sed epistola, qua Innocentius huic rescripsit, in mss. Corb. et Germ. *Antonio*, non *Antonino*, inscribitur.

[c] Edit. Rom., *Pantonius*, refragantibus mss. In Collatione Carthag., cap. 126, *Pannonius episcopus plebis Puppitanæ* legitur.

[d] In mss. Corb. et Germ. nomen desideratur hujus episcopi, qui in iisdem mss. in rescripto Innocentii *Ambivius* vocatur, notaturque in Collatione Carthagin., c. 133, *Pisitensis episcopus*. At apud Quesn. ut in mss. Pith., Colb. et coll. Isid., *Avivius*, et apud Merl., Crab. ut in edit. Rom., *Avinius* appellatur.

[e] In uno ms., *Majorianus*. Deinde edit. Rom., post Merl., *Porturianus* ; tum eadem editio, *Trispulus* ; Merl. et Crab., cum mss. Isid., *Crispotis*. In Collat. Carthag. c. 125, *Posthumianus episcopus plebis Tagorensis* ; et c. 128, *Crispulus episcopus ecclesiæ Volitanæ* memorantur.

[f] Navar. ms. coll. Isid. *Leucianus*. Duo Colb. et Corb., ut apud Merl., *Leutius*. Alius Colb., *Lucius*, Collat. Carthag. favente ; Vatic., *Leontius* ; Germ., *Eleutius*. Deinde edit. Rom. *Macinus*, Merl. *Marinus*, Crab. *Marinianus*. In Coll. Carth. duo leguntur episcopi nomine *Mariani* nuncupati.

[g] Quesn. ac duo mss. Colb., *Magerius* ; Alius Colb., *Magarus* ; Pith., *Megarius* ; Capuc. Coll. Isid., *Magorus* ; Merl. Crab. et edit. Rom., *Magarius*. Ex mss. Corb. ac Germ. necnon ex edit. Aug. revocamus *Megasius*.

[h] Sic mss. nisi quod in uno Colbert., ut apud Quesn., *Rufianus*. At Crab. et edit. Rom., *Sufinianus*.

[i] Garnerii conjecturæ, qua *Proculianus* legendum putat, nullus e nostris mss. suffragatur. Deinde ex mss. Corb. et Germ. atque nova Augustini editione suppletur *Severi* nomen, quod in aliis scriptis et editis deest.

[j] In uno ms. ut apud Quesn. hic præmittitur *item* : quod in quinque aliis ut apud Augustin. abest. In edit. Rom. Crab. et Merl. hic desideratur *Quodvultdeus*. Immo idem nomen etiam ante in mss. Isid. omittitur.

[k] Ita apud Aug. ut in mss. Corb. et Germ. In aliis autem libris, *Pelagius*.

[l] Unus ms. Colb., *Bazathinus* ; alter e Vatic., *Bizatenus* ; duo alii Colb. ac Pith., cum edit. Rom. et Quesn., *Bazacenus* ; Merl. et Crab., *Bazecenus* ; Isid., *Batecenus*. Augustini editionem sequimur cum mss. Corb. et Germ. consentientem.

[m] Apud August., *Inventius*. In edit. Rom., Quesn., Crab. et Merl., ut in ms. Pith., *Juventius*. Isid., *Viventius*. Aliis in mss., *Invenitus*.

[n] Editi ac mss. mox dicti, cum quibus Isidorus jam consentit, etiam hic retinent *Inventius* vel *Juventius*, cui voci Quesn. præfixit *item*. Isthic quidem codex Corb. præ se fert *Juventinitus*, sed in rescripto *Inveniti* nomen, quod etiam hic duo Colb. et Germ. exhibent, retinet.

[o] Primum in edit. August. auctoritate codicum Corb. et Germ. hic adjectum est *et cæteri*.

[p] Mos eis erat, ut circa mensem Junium vel circa autumnum Carthaginem convenirent. Sed non iisdem mensibus constanter conveniebant. Quapropter illud *ex more* magis ad locum quam ad tempus attinet.

gregata ex nobis synodus haberetur; compresbyter noster Orosius nobis litteras sanctorum fratrum et consacerdotum nostrorum dedit [a] Herotis et Lazari, quarum formam his constituimus esse subdendam. His ergo lectis, Pelagium et Cœlestium auctores [b] argui nefarii prorsus et ab omnibus nobis anathemandi erroris advertimus. Unde factum est, ut recensendum peteremus, quid ante ferme quinquennium super Cœlestii nomine hic apud Ecclesiam Carthaginensem fuerit agitatum. Quo recitato, sicut ex [c] subditis advertere poterit sanctitas tua, quamvis judicatio manifesta constaret, qua illo tempore episcopali judicio excisum hoc tantum vulnus ab Ecclesia videretur; nihilominus tamen id communi deliberatione censuimus, hujusmodi persuasionis auctores, quamvis et ad presbyterium idem Cœlestius postea pervenisse dicatur; nisi hæc apertissime anathemaverint, ipsos anathemari oportere, ut si ipsorum non potuerit, saltem eorum qui ab eis decepti sunt vel decipi possunt, cognita sententia quæ in eos lata est, sanitas procuretur. Hoc itaque gestum, domine frater, sanctæ charitati tuæ intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis etiam apostolicæ sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum, et quorumdam perversitate etiam corrigenda.

2. Id enim agunt isti damnabilibus disputationibus suis, ut non defendendo, sed potius in sacrilegam superbiam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquant locum gratiæ Dei, qua Christiani sumus, qua et ipsum nostræ voluntatis arbitrium vere fit liberum, dum a carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur, dicente Domino: *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* (*Joan.* VIII, 36). [d] Quod auxilium fides impetrat, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Isti autem asserunt, sicut a fratribus, qui etiam eorum libros legerunt, cognovimus, in eo Dei gratiam deputandam, quod talem hominis instituit creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei possit implere, sive

A naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris datam. Eamdem quoque legem ad gratiam pertinere, quod illam Deus in adjutorium hominibus dedit. Illam vero gratiam, qua, ut dictum est, Christiani sumus, cujus Apostolus prædicator est, dicens, *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me* [e] *sub lege peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 22 *seqq.*) nolunt omnino cognoscere, nec aperte quidem oppugnare audent (I *Cor.* II, 14).

3. Sed quid aliud agunt, cum hominibus animalibus non percipientibus quæ sunt spiritus Dei persua-

B dere non cessant, ad operandam perficiendamque justitiam, et Dei mandata complenda, solam sibi humanam sufficere posse naturam? non attendentes quod scriptum est, *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram* (*Rom.* VIII, 26); et, *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX, 16); et quod *unum corpus sumus in Christo Jesu, singuli autem alter alterius membra, habentes dona diversa secundum gratiam quæ data est nobis* (*Rom.* XII, V); et, *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum* (I *Cor.* XV, 10); et, *Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum* (*Ibid.*, 57); et, *Non quia idonei sumus aliquid cogitare quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia*

C *nostra ex Deo est* (II *Cor.* III, 5); et, *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut eminentia virtutis sit Dei, et non ex nobis* (*Ibid.* IV, 7); et innumerabilia, quæ de Scripturis omnibus si colligere velimus, [f] tomus non sufficit. Et veremur, ne apud te ista ipsa commemorando, [g] quæ majore gratia de sede apostolica prædicas, inconvenienter facere videamur. Sed ideo facimus, quia eo, quo infirmiores sumus, quaquaversus quisque nostrum verbo Dei prædicando

[a] In mss. Isid., *Nerotis*, aut *Anerotis*. In edit. concil., *Averothis*. Erat Heros Arelatensis, et Lazarus Aquensis episcopus. Ambo e sedibus suis pulsi, cum in Palæstinam pervenissent, libellum contra Pelagium et Cœlestium Eulogio Cæsareensi obtulerunt; cujus deinde auctoritate Diospolitana synodus anno 415 congregata fuit. Memoratæ autem episcoporum illorum litteræ exciderunt.

[b] Verbum *argui*, quod prius deerat, cum edit. Aug. ex mss. Corb. et Germ. supplemus. Inde quoque, ut et ex ms. Pith. *anathemandi*, loco *anathematizandi*, restituimus.

[c] Edit. Rom., *ex subsequentibus*. Concinnius alii libri, *ex subditis*. Gesta illa episcopalia, quæ epistolæ huic subnexa erant, interierunt, iis exceptis, quæ M. Mercator initio Commonitorii adversus Pelagianos ex illis delibat, et quæ Augustinus tum lib. II de Peccato originali c. 3 et 4, tum lib. de Gestis Pelagii cap. 11, ex iisdem describit. Præterea ab eodem Doctore in epistola 157, ad Hilarium, n. 22, perstringuntur.

[d] Hæc sententia, *Quod auxilium fides impetrat quæ est in Christo J. D. N.* in mss. Corb. et Germ. omittitur.

[e] Edit. Rom. et concil. cum Isid., necnon duobus mss. Colb. et Pith. *in lege*.

[f] Apud Aug. ut in mss. Corb. et Germ. *tempus*. Cum aliis libris retinemus *tomus*; quo vocabulo apud antiquos epistola synodica significari solet. Et eo quidem sensu Athanasius Alexandrinæ synodi epi-

D stolam *tomum ad Antiochenos* inscripsit: et concilium CP. epist. 13, ad Damasum, n. 4, τόμον vocavit Antiocheni concilii epistolam. Ipsius Damasi synodica epistola 4, ab eodem concilio CP. can. 5, *tomi* nomine designatur. Vocis hujus eodem intellectu frequentior est usus in concilio Chalcedonensi, puta edit. Lab. tom. IV, pag. 187 d, 264 d, 491 e. Vulgo etiam celebris epistola Leonis ad Flavianum *tomus* nuncupatur. Interdum etiam *tomus* longioris sermonis Compendium sonat, eaque ratione in præfatione Toletani VIII concilii accipitur: ad litteram vero id est quod *sectio*. Ad Afros quod attinet, non aliud hic sibi velle videntur, nisi se consuetæ epistolæ modum excessuros, si omnia, quæ e re sua sunt, testimonia colligerent.

[g] Edit. Rom. et concil. post Crab., *qui majore*. Concinnius alii libri, *quæ majore*.

putatur attentior, crebrius eos patimur et audacius insurgentes.

4. Si ergo Pelagius episcopalibus gestis (*Diospolitanæ synodi*), quæ in Oriente confecta dicuntur, etiam tuæ venerationi juste visus fuerit absolutus; error tamen ipse et impietas, quæ jam multos assertores habet per diversa dispersos, etiam apostolicæ sedis auctoritate anathemanda est. Consideret enim sanctitas tua, et pastoralibus nobis compatiatur visceribus, quam sit pestiferum et exitiale ovibus Christi, quod istorum sacrilegas disputationes necessario consequitur, ut nec orare debeamus ne intremus in tentationem; quod Dominus et discipulos monuit et posuit in oratione quam docuit (*Matth.* VI, 13) : aut ne deficiat fides nostra, quod pro apostolo Petro se rogasse ipse testatus est (*Luc.* XXII, 32). Si enim hæc possibilitate naturæ et arbitrio voluntatis in potestate sunt constituta, quis non ea videat inaniter a Domino peti, et fallaciter orari, cum orando poscuntur, quæ naturæ jam ita conditæ sufficientibus viribus obtinentur : nec debuisse dicere Dominum Jesum, *Vigilate et orate* (*Matth.* XXIV, 41); sed tantummodo, Vigilate, *ne intretis in tentationem* : nec beatissimo Petro primo Apostolorum : *Rogavi pro te*, sed, moneo te, vel impero ac præcipio, *ne deficiat fides tua* (*Lucæ* XXII, 32)? Contradicitur etiam istorum contentione benedictionibus nostris, ut in cassum super populum dicere videamur, quidquid eis a Domino precamur, ut recte ac pie vivendo illi placeant, vel illa, quæ pro fidelibus precatur Apostolus dicens : *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus* (*Ephes.* III, 14). Si ergo voluerimus, benedicendo, super populum dicere : *Da illi, Domine, virtutem corroborari per Spiritum tuum :* istorum nobis disputatio contradicit, affirmans liberum negari arbitrium, si hoc a Deo poscitur, quod in nostra est potestate. Virtute enim corroborari si volumus, inquiunt, possumus ea possibilitate naturæ, quam non nunc accipimus, sed cum crearemur accepimus.

5. Parvulos etiam propter salutem, quæ per Salvatorem Christum datur, baptizandos negant; ac sic eos mortifera ista doctrina in æternum necant, promittentes, etiam si non baptizentur, habituros vitam æternam, nec pertinere ad eos, de quibus Dominus ait, *Venit enim filius hominis quærere et salvare quod perierat* (*Luc.* XIX, 10) : quia isti, inquiunt, non perierant, nec est quod in eis salvetur, vel tanto pretio redimatur; quia nihil est in eis vitiatum, nihil tenetur sub diaboli potestate captivum, nec pro eis [a] fusus est sanguis, qui fusus in remissionem legitur peccatorum. Quamquam per baptismum Christi etiam parvulorum [b] fieri redemptionem libello suo Cœlestius in Carthaginensi ecclesia jam confessus est. Sed multi, qui eorum perhibentur esse vel fuisse discipuli, hæc mala, quibus fundamenta Christianæ fidei conantur evertere, quacumque possunt [c] affirmare non cessant.

6. Unde etiamsi Pelagius Cœlestiusque correcti sunt, vel se ista numquam sensisse dicunt, et quæcumque scripta contra eos prolata fuerint, sua esse negant, nec est quemadmodum de mendacio convincantur : generaliter tamen, quicumque dogmatizat et affirmat, humanam sibi ad [d] vincenda peccata, et Dei mandata facienda, sufficere posse naturam, et eo modo gratiæ Dei, quæ sanctorum evidentius orationibus declaratur, adversarius invenitur : et quicumque negat parvulos per baptismum Christi a perditione liberari, et salutem percipere sempiternam, anathema sit. Quæcumque autem alia eis objiciuntur non dubitamus venerationem tuam, cum gesta episcopalia (*Palæstinæ synodi*) perspexerit, quæ in Oriente in eadem causa confecta dicuntur, id judicaturam, unde omnes in Dei misericordia gaudeamus. Ora pro nobis, domine beatissime papa.

EPISTOLA XXVII.

MILEVITANI CONCILII AD INNOCENTIUM PAPAM.

Ut inimicorum gratiæ Christi perniciosam hæresim quam primum auctoritate sua coerceat.

Domino beatissimo meritoque venerabili et in Christo honorando papæ INNOCENTIO, SILVANUS [e] senex, VALENTINUS, AURELIUS, DONATUS, RESTITUTUS, LUCIANUS, ALYPIUS, AUGUSTINUS, PLACENTIUS, SEVERUS, FORTUNATUS, POSSIDIUS, NOVATUS, SECUNDUS, MAURENTIUS, LEO, FAUSTINIANUS, CRESCONIUS, MALCHUS, [f] LITTORIUS, FORTUNATUS, DONATUS,

[a] Pih. ms., *fusus esset*; Isid. necnon edit. Rom. et concil. *fusus esse*, omisso deinde *qui fusus :* restaurantur ex melioris notæ mss. Christi autem sanguis *in remissionem peccatorum* fundendus Matth. XXVI, 28, legitur.

[b] In edit. Rom. ut apud Merl. perperam hic additur *dicunt*. Hoc ipsum de Cœlestio Augustinus epist. 157, n. 22, ita eloquitur : *Coactus est confiteri propter baptizandos parvulos, quod et ipsis redemptio sit necessaria. Ubi*, inquit, *quamquam noluerit de originali peccato aliquid expressius dicere, tamen ipso redemptionis nomine non parum sibi præscripsit.*

[c] Edit. Rom. et concil., *possunt astutia*. Vocem *astutia* removemus auctoritate omnium mss.

[d] In ms. Corb. a 1 manu, *ad nitenda*, et secundis curis, *ad vitanda :* quod et exstat in German. et in editione Augustini prælatum est. Retinemus tamen *vincenda* tum plurium mss. auctoritate, tum quod infra epist. 28, n. 13, episcopi quinque rursum scribunt, Pelagium defendere *possibilitatem naturæ ad vincenda peccata et implenda mandata*. Quapropter et in Diospolitana synodo compulsus fuerat fateri, *quando contra tentationes concupiscentiasque illicitas dimicamus, non ex propria voluntate, sed ex adjutorio Dei provenire* VICTORIAM.

[e] In edit. Rom. et Aug. desideratur *senex :* quæ vox in omnibus nostris mss. exprimitur. Idem Silvanus apud Augustinum et ad calcem epistolæ 128, *senex ecclesiæ Summensis*, et in fine epistolæ 129, *primæ sedis provinciæ Numidiæ* subscribitur. Porro Afris perinde est *senex* atque *primus :* quia apud illos primatus ei deferebatur, qui ordinatione senior erat.

[f] Merl. et Crab. cum uno ms., *Lictorius*. Aliæ

[a] PONTICANUS, SATURNINUS, [b] CRESCONIUS, HONORIUS, LUCIUS, ADEODATUS, PROCESSUS, CRESCONIUS, SECUNDUS, FELIX, ASIATICUS, [c] RUFINIANUS, FAUSTINUS, SERVUS, TERENTIUS, CRESCONIUS, SPERANTIUS, QUADRATUS, LUCILLUS, SABINUS, [d] FAUSTINUS, CRESCONIUS, VICTOR, [e] GIGANTIUS, POSSIDONIUS, ANTONINUS, [f] INNOCENTIUS, PRÆSIDIUS, CRESCENTIUS, FELIX, ANTONINUS, VICTOR, HONORATUS, DONATUS, PETRUS, PRÆSIDIUS, CRESCONIUS, LAMPADIUS, DELPHINUS, ex concilio Milevitano in Domino salutem.

1. Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in sede apostolica collocavit, talemque nostris temporibus præstitit, ut nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem quæ pro Ecclesia suggerenda sunt tacuerimus, quam ea tu possis vel fastidiose vel negligenter accipere; magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam, quæsumus, adhibere digneris.

2. Nova quippe hæresis et nimium perniciosa [g] tentat assurgere inimicorum gratiæ Christi, qui nobis Dominicam etiam orationem impiis disputationibus conantur auferre. Cum enim Dominus docuerit ut dicamus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12) : isti dicunt, posse hominem in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem justitiæ sine adjutorio gratiæ Salvatoris per solum liberæ voluntatis arbitrium pervenire, ut ei non sit jam necessarium dicere, *Dimitte nobis debita nostra* : illud vero quod sequitur, *Ne nos inferas in tentationem* (*Ibid.*, 13), non ita intelligendum, tamquam divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus; sed hoc in nostra esse positum potestate, et ad hoc implendum solam sufficere hominis voluntatem : tamquam frustra Apostolus dixerit, A *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX, 16); et, *Fidelis Deus, qui vos non permittit tentari super id, quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere* (I *Cor.* X, 13). Frustra etiam Dominus dixerit apostolo Petro, *Rogavi pro te, ne deficiat fides tua* (*Lucæ* XXII, 32); et omnibus suis, *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem* (*Matth.* XXIV, 41) : si hoc totum est potestatis humanæ. Pueros quoque parvulos, [h] etsi nullis imbuantur Christianæ gratiæ sacramentis, habituros vitam æternam, [i] nequaquam Christiana præsumptione contendunt, evacuantes quod dicit Apostolus, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* V, 12); et alio loco, *sicut in* B *Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificabuntur* (I *Cor.* XV, 22). Ut ergo alia omittamus, quæ contra sanctas Scripturas plurima disserunt, hæc interim duo, quibus omnino totum quod Christiani sumus conantur evertere, quæ fidelia corda [j] sustineant, non esse rogandum Deum ut contra peccati malum atque ad operandam justitiam sit noster adjutor, et non opitulari parvulis ad consequendam vitam æternam Christianæ gratiæ sacramentum.

3. Hæc insinuantes apostolico pectori tuo, non opus habemus multa dicere, et tantam impietatem verbis exaggerare; cum procul dubio te [k] ista permoveant, ut ab eis corrigendis, ne latius serpant, multosque contaminent, vel potius interimant, dum sub nomine Christi a gratia Christi penitus alienant, C omnino dissimulare non possis. Hujus autem perniciosissimi erroris auctores esse perhibentur Pelagius et Cœlestius, quos quidem in Ecclesia sanari malumus, quam desperata salute ab Ecclesia resecari, si necessitas nulla compellat. Quorum unus, id est Cœlestius, etiam ad presbyterium in Asia [l] pervenisse

edit. concil. post Rom., *Victorius*. Cæteri libri, *Litorius* aut *Littorius*. In collatione Carthagin. c. 133, *Litorius Suavensis episcopus* appellatur.

[a] Pith. ms. et unus Colb., *Ponticianus*. Alii duo cum Merl., Crab. et Quesn., *Pontianus*.

[b] In edit. Rom. et Aug., *Christonius*. In editis aliis ut in omnibus nostris mss., *Cresconius*. Afris familiare fuisse *Cresconii* seu *Crisconii* nomen testis est Collatio Carthaginensis, cui plures diversarum sedium episcopi interfuisse leguntur eodem nomine donati.

[c] Quinque e nostris mss. cum Merl., Crab. et Quesn., *Rufinus*.

[d] Rursum *Sabinus*, loco *Faustini*, apud Quesn., Lab., Crab., Merl., ut in exemplaribus Isid. repetitur, refragantibus potioribus mss.

[e] Apud Aug., *Gignantius*. Hujus autem episcopi ac novem subsequentium nomina, propter repetitum *Victoris* vocabulum, usitato librariorum lapsu, in edit. concil. prætermittuntur.

[f] Isid. mss. necnon alii duo Colb. cum Pith. *Innocentius*, *Felix*, omissis *Præsidii* et *Crescentii* nominibus.

[g] Garnerius e priscis Augustini editionibus revocavit, *perniciosa tempestas inimicorum gratiæ cœpit*, refragantibus aliis editis et omnibus mss.

[h] Edit. Rom. et concil., *si nullis*, quibus suffragantur mss. Deinde apud Garn. et August. *innoventur*. Lectioni *etsi nullis* favet illud superioris epistolæ n. 5, *promittentes* ETIAMSI *non baptizentur, habituros vitam æternam*. Inde etiam perspicuum est *gratiæ Christianæ sacramenta* hic baptismum vocari.

[i] Pro *nequaquam*, Garner. substituit *nequam* : quod exinde in edit. Aug. translatum. Ambiguitas tolletur, si legeris *præsumptione nequaquam Christiana*.

[j] Garner., *non sustinent*, adjecta particula negante præter veterum codicum fidem ac citra necessitatem.

D [k] Apud Quesn. et Aug., *te ita permoveant*.

[l] Rem ita narrat Mar. Mercator Common. c. 1 edit. Baluz. p. 133. Cœlestius de sex capitulis in Carthaginensi concilio accusatus, eaque damnare jussus, sed *nullo modo acquiescens, ecclesiastica communione privatus est. A qua sententia ad Romani episcopi examen credidit appellandum : qua mox idem appellatione neglecta, Ephesum Asiæ urbem contendit, ibique ausus est per obreptionem locum presbyterii petere*. Antea circa exitum anni 411, teste Augustino epist. 157, n. 22, Carthagine constitutus, *in ejusdem civitatis ecclesia jam ad presbyterii honorem subrepere cœperat : sed fidelissima libertate fratrum propter has ipsas contra Christi gratiam disputationes usque ad judicium episcopale perductus est*. Exstat ad eum Nestorii epistola apud Mar. Mercatorem pag. 131, *honorabili et religiosissimo presbytero Cœlestio inscripta*.

dicitur. De quo ante paucos annos quid gestum fuerit, sanctitas tua de Carthaginensi ecclesia [a] melius instruitur. Pelagius vero, sicut a quibusdam fratribus nostris missæ loquuntur epistolæ, Jerosolymis constitutus nonnullos fallere asseritur. Verumtamen multo plures, qui ejus sensus diligentius indagare potuerunt, adversus eum pro gratia Christi, et catholicæ fidei veritate confligunt, sed præcipue sanctus filius tuus, frater et compresbyter noster Hieronymus. Sed arbitramur, adjuvante misericordia Domini Dei nostri, qui te et regere consulentem, et orantem exaudire [b] dignatur, auctoritati sanctitatis tuæ, [c] de sanctarum Scripturarum auctoritate depromptæ, facilius eos, qui tam perversa et perniciosa sentiunt, esse cessuros; ut de correctione potius eorum congratulemur, quam contristemur interitu, domine beatissime. Quodlibet autem ipsi eligant, certe vel aliis, quos plurimos possunt, si ab eis dissimuletur, suis laqueis implicare, cernit venerabilitas tua instanter et celeriter providendum. Hæc ad sanctitatem tuam de concilio Numidiæ scripta direximus, imitantes [d] Carthaginensem ecclesiam et Carthaginensis provinciæ coepiscopos nostros, quos ad sedem apostolicam, quam beatus illustras, de hac causa scripsisse comperimus. (*Et alia manu :*) Memor nostri in Dei gratia augearis, domine beatissime, meritoque venerabilis et in Christo honorande, sancte papa.

EPISTOLA XXVIII [e].

EPISCOPORUM QUINQUE AD INNOCENTIUM PAPAM.

Pelagii retegunt ac refutant hæresim, qua ad cupiditates domandas, tentationesque vincendas, necnon ad perficienda Dei mandata, solam sibi naturam humanam per liberum arbitrium sufficere contendebat : ac sicubi gratiam prædicaret, eum ibi vel liberum arbitrium, vel peccatorum remissionem, vel legis præceptum intelligere, aliudque proprio gratiæ nomine a fidelibus intelligi ostendunt. Quod item ait, hominem posse sine peccato esse si velit, quo sensu vere, quove, etiamsi non sine errore, tolerabiliter tamen dicatur, explicant.

Domino beatissimo, meritoque honorandissimo fratri INNOCENTIO papæ, AURELIUS, ALYPIUS, AUGUSTINUS, EVODIUS, et POSSIDIUS in Domino salutem.

1. De conciliis duobus provinciæ Carthaginensis atque Numidiæ, ad tuam sanctitatem a non parvo episcoporum numero subscriptas litteras misimus contra inimicos gratiæ Christi, qui confidunt in virtute sua et creatori nostro quodam modo dicunt : Tu nos fecisti homines, justos autem ipsi nos fecimus; qui naturam humanam ideo dicunt liberam, ne quærant liberatorem : ideo salvam, ut superfluum judicent salvatorem. Tantum enim dicunt valentem, ut suis viribus semel in origine suæ creationis acceptis, possit per liberum arbitrium, nihil ulterius adjuvante illius gratia qui creavit, domare et exstinguere omnes cupiditates, tentationesque superare. Multique eorum insurgunt adversum nos, et dicunt animæ nostræ : *Non est salus illi in Deo ejus* (*Psal.* III, 3). Familia Christi quæ dicit, *Quando infirmor, tunc* [f] *fortis sum* (II *Cor.* XII, 10); et cui dicit Dominus ejus, *Salus tua ego sum* (*Psal.* XXXIV, 3), suspenso corde cum timore et tremore adjutorium Domini etiam per charitatem tuæ venerationis exspectat.

2. Audivimus enim esse in urbe Roma, ubi ille (*Pelagius*) diu vixit, nonnullos qui diversis causis ei faveant : quidam scilicet, quia [g] eis talia persuasisse perhibetur; plures vero, qui eum talia sentire non credunt; præsertim quia in Oriente, ubi degit, gesta ecclesiastica facta esse jactantur, quibus putatur esse purgatus; ubi quidem si episcopi eum catholicum pronuntiarunt, non ob aliud factum esse credendum est, nisi quia se dixit Dei gratiam con-

[a] Quia scilicet Carthaginensis Ecclesia seu synodus superiori epistolæ 26 gesta subnexuerat alterius concilii super Cœlestii nomine ante annos ferme quinque Carthagine habiti. Cum et hæc Milevitani concilii epistola, et illa Carthaginensis per eumdem episcopum Julium delatæ, simul Innocentio traditæ fuerint, nil opus erat ut pro *melius instruitur* Garn. de suo substitueret *melius instruetur*.

[b] Unus ms., *dignabitur*. In novam August. editionem *dignetur*, mera librarii oscitantia irrepsit.

[c] Isid. mss., *de clarum* (ex imperitia librarii, qui in exemplari suo legerat *de scarum*, hoc est *de sanctarum*. Capucin. secundis curis, *declaratione sacrarum*) *Scripturarum depromptæ*. Inde in edit. Rom. et concil. factum fuerat, *de claro Scripturarum lumine depromptæ*. Lectionem sinceriorem suppeditant meliores mss. Hic declarant Milevitani concilii patres Romani pontificis auctoritatem ipsa Scripturarum auctoritate fulciri.

[d] Edit. Rom. et Garn. omittunt *Carthaginensem ecclesiam, et* : quæ verba ex aliis libris restituuntur.

[e] Ab Augustino lib. de Peccato orig. c. 9, et epist. olim 47, nunc 215, ad Valentinum, n. 12, hæc epistola memoratur ut *a quinque episcopis* scripta. Quocirca *quinque episcoporum* non male in edit. concil. inscripta fuit. Ab eodem Doctore epist. olim 106, nunc 186, n. 2, ad discrimen superiorum, quæ synodicæ sunt, *familiaris* appellatur.

[f] Unus codex Colb. *tunc fortior sum :* quod et alter primum videtur habuisse.

[g] Ita Quesn. ex ms. Oxon. et exinde nova Aug. editio : quibus consentanea sunt quæ Innocentius rescribit. At Merl. et Crab., *qui nobis talia persuasisse perhibentur :* ubi Crab. ad marg. addidit, *qui vos et quia vos*. Exinde edit. Rom. et aliæ concil., *quia vos talia persuasisse perhibent*. Similia præ se ferunt mss. nisi quod pro *perhibent*, in plerisque exstat *perhibentur*, et in uno Colb. atque altero Vatic. *perhibetur*. In hoc præterea legere est *quia vobis*. Unde commode confici posset hæc lectio : *quia vobis talia persuasisse perhibetur*. Nempe Pelagiani, teste Possidio c. 18, *perfidiam suam per suam ambitionem persuadere conabantur sanctæ sedi*. Et quod non valuerunt perficere, hoc se perfecisse mendaciter jactitarunt. Inter eos autem quibus prava dogmata sua Romæ persuasisse se gloriabantur, præcipuus erat Xystus tunc presbyter, ac postea summus pontifex, cui post detectam calumniam Augustinus epist. alias 104, nunc 191, n. 1, ita gratulatur : *Quid enim gratius legi vel audiri potest, quam gratiæ tam pura defensio adversus inimicos ejus, ex ore ejus qui eorumdem inimicorum magni momenti patronus jactabatur ?* Vide et ejusdem epistolam 194, n. 1.

fiteri, et ita posse hominem suo labore ac voluntate juste vivere, ut ad hoc adjuvari Dei gratia non negaret. His enim auditis verbis, catholici antistites nullam aliam Dei gratiam intelligere potuerunt, nisi quam in libris Dei legere, et populis Dei prædicare consueverunt, eam utique de qua dicit Apostolus, *Non irritam facio gratiam Dei; nam si per Legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est* (*Galat.* II, 21): sine dubio gratiam qua justificamur ab iniquitate, et qua salvamur ab infirmitate; non qua creati sumus cum propria voluntate. Nam si intellexissent illi episcopi eam illum dicere gratiam, quam etiam cum impiis habemus, cum quibus homines sumus; negare vero eam, qua Christiani et filii Dei sumus; quis eum patienter catholicorum sacerdotum non dicimus audiret, sed [a] ante oculos suos ferret? Quapropter non culpandi sunt judices, quia ecclesiastica consuetudine nomen gratiæ audierunt, nescientes quid hujusmodi homines vel in suæ doctrinæ libris, vel in suorum solent auribus spargere.

3. Non agitur de uno Pelagio, qui jam fortasse correctus est, quod utinam ita sit! sed de tam multis, quibus loquaciter contendentibus, et infirmas atque ineruditas animas velut [b] convinctas trahentibus, firmas autem et in fide stabiles ipsa contentione fatigantibus, usquequaque jam plena sunt omnia. Aut ergo a tua veneratione accersendus est Romam, et diligenter interrogandus, quam dicat gratiam, qua fateatur, si tamen jam fateatur, ad non peccandum justeque vivendum homines adjuvari: aut hoc ipsum cum eo per litteras agendum. Et cum inventus fuerit hanc dicere, quam docet ecclesiastica et apostolica veritas, tunc sine ullo scrupulo Ecclesiæ, sine latibulo ambiguitatis ullius, absolvendus est, tunc est re vera de ejus purgatione gaudendum.

4. Sive enim dixerit, gratiam esse liberum arbitrium, sive gratiam esse remissionem peccatorum, sive gratiam esse legis præceptum; nihil eorum dicit, quod per subministrationem Spiritus sancti pertinet ad concupiscentiam tentationesque vincendas,

A quem ditissime effudit super nos qui ascendit in cœlum, et captivans captivitatem dedit dona hominibus (*Tit.* III, 6). Hinc enim oramus ut peccatorum tentationem superare possimus (*Ephes.* IV, 8), ut Spiritus Dei, unde pignus accepimus, adjuvet infirmitatem nostram (*Rom.* VIII, 26). Qui autem orat et dicit, *Ne nos inferas in tentationem* (*Matth.* VI, 13), non utique id orat ut homo sit, quod est natura; neque id orat ut habeat liberum arbitrium, quod jam accepit cum crearetur ipsa natura; neque orat remissionem peccatorum, quia hoc superius dicitur, *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12); neque orat ut accipiat mandatum: sed plane orat ut faciat mandatum. Si enim in tentationem inductus fuerit, hoc est, in tentatione defecerit, facit utique pecca-

B tum quod est contra mandatum. Orat igitur ut non peccet, hoc est, ne quid faciat mali: quod pro Corinthiis orat Apostolus, dicens: *Oramus autem ad Dominum ne quid faciatis mali* (II *Cor.* XIII, 7). Unde satis apparet, quod ad non peccandum, id est, ad non male faciendum; quamvis esse non dubitetur [c] arbitrium voluntatis, tamen ejus potestas non sufficiat, nisi adjuvetur infirmitas. Ipsa igitur oratio, clarissima est gratiæ testificatio. Hanc ille confiteatur, et eum gaudebimus sive rectum, sive correctum.

5. Distinguenda est lex et gratia. Lex jubere novit, gratia juvare. Nec lex juberet, nisi esset voluntas: nec gratia juvaret, si sat esset voluntas. Jubetur ut habeamus intellectum, ubi dicitur, *Nolite esse sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* (*Psal.*

C XXXI, 9); et tamen oramus ut habeamus intellectum, ubi dicitur, *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua* (*Psal.* CXVIII, 125). Jubetur ut habeamus sapientiam, ubi dicitur, *Stulti aliquando sapite* (*Psal.* XCIII, 8); et tamen oratur ut sapientiam habeamus, ubi dicitur, *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat; et dabitur ei* (*Jacob.* I, 5). Jubetur ut habeamus continentiam, ubi dicitur, [d] *Cum scirem quia nemo potest esse continens, nisi Deus det, et*

[a] Duo mss. Colb. *tantum ante oculos:* majori quadam emphasi. Quomodo Pelagius in memorata synodo gratiam Dei confessus sit, Augustinus lib. de gestis ipsius Pelagii c. 6 et 7 exponit, subindeque cap. 10 explicat unde eum ibi subdole gratiam Dei confessum esse deprehenderit.

[b] Merlin., *conjunctas.* Edit. Rom. recentioresque concil. et Garner., *convictas.* Nova Augustini editio, *vinctas.* Præferimus cum Crab. ac potioribus mss., *convinctas*, quasi *simul vinctas.* Non displiceret *devinctas*, propter illud quod Innocentius epist. 31, n. 2, rescribit: *Si ergo sunt aliqui, quos in defensionem perversitas tanta devinxit.* Et huic quidem verbo propius accedit quod in exemplis Isid. legimus, *pervinctas.*

[c] In edit. Rom. et concil. hic additur *liberum*, ex abundanti et præter fidem mss. Quod episcopi paulo superius *liberum arbitrium* non addita voce *voluntatis*, nunc *arbitrium voluntatis*, non præmisso epitheto *liberum*, vocant. Hinc et initio num. 5. aiunt: *Nec lex juberet, nisi esset voluntas; nec gratia juvaret, si sat esset voluntas*, jam sola voluntatis mentione facta.

[d] Ita Merl., Crab., Garner., ac nostri mss. Hic tamen aliquid desiderari manifestum est. Quocirca editor Romanus istud intra uncinos altero charactere adjecit: [*Hic aliquid deest ejusmodi: Sint lumbi*

D *vestri præcincti: et tamen oramus eam dari nobis ubi dicitur.*] Quod et postea in quibusdam aliis editionibus retentum. Additamenti hujus loco Quesn. substituit: *A voluptatibus tuis avertere, et tamen oratur ut habeamus continentiam, ubi dicitur.* Neutrum supplementum placet. Quo autem pacto resarciendus sit hic locus, ex alio simili Augustini expiscari licet. Is Doctor epist. 147, ad Hilarium, n 9, idem argumentum pertractans ita scribit: *Cum dicit Lex, Non concupisces, quid videtur aliud imperare, nisi ab illicitis cupiditatibus continentiam?... et tamen oratur ut habeamus continentiam, ubi dicitur, Cum scirem quia nemo potest esse continens*, etc. Moxque concludit: *Jubet ergo Deus continentiam, et dat continentiam.* Ad mentem igitur Augustini integer fiet hic noster locus, si restituamus: *Jubetur ut habeamus continentiam, ubi dicitur, Non concupisces: et tamen oratur ut habeamus continentiam, ubi dicitur, Cum scirem*, etc. Proxima earumdem vocum repetitio, fecunda lacunarum seges, huic occasionem dedit.

hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum : adii Dominum, et deprecatus sum illum (*Sap*. VIII, 21). Postremo ne nimium longum sit cuncta percurrere, jubetur ut non faciamus malum, ubi dicitur, *Declina a malo* (*Psal*. XXXVI, 27); et tamen oratur ut non faciamus malum ubi dicitur : *Oramus autem ad Dominum, ne quid faciatis mali* (II *Cor*. XIII, 7). Jubetur ut faciamus bonum, ubi dicitur, *Declina a malo et fac bonum* (*Psal*. XXXVI, 27); et tamen oratur ut faciamus bonum, ubi dicitur, *Non cessamus pro vobis orantes et postulantes* (*Coloss*. I, 9), atque inter cætera, quæ illis orat, dicit : *Ut ambuletis digne Deo in omne placitum, in omni opere et sermone bono* (*Ibid*., 10). Sicut ergo agnoscimus voluntatem cum hæc præcipiuntur; sic et ipse agnoscat gratiam cum petuntur.

6. Misimus reverentiæ tuæ librum, quem dederunt quidam religiosi et honesti adolescentes servi Dei, quorum etiam nomina non tacemus; nam Timasius et Jacobus vocantur. Qui, sicut audivimus, et etiam nosse dignaris, ipsius Pelagii exhortatione spem quam habebant in sæculo reliquerunt, et nunc continentes Deo serviunt. Qui cum eodem errore tandem aliquando per qualemcumque operam nostram Domino inspirante caruissent, protulerunt eumdem librum, Pelagii esse dicentes, et ut ei responderetur, impendio rogaverunt. Factum est : ad eosdem rescripta est ipsa responsio (*Liber Augustini de Natura et Gratia*); agentes gratias rescripserunt (*Epist. apud Augustin. nunc* 168). Utrumque misimus, et cui responsum est, et quod responsum est. Et ne nimium essemus onerosi, signa fecimus his locis, ubi petimus inspicere ne graveris, quemadmodum, sibi objecta quæstione quod gratiam Dei negaret, ita respondit, ut eam esse non diceret, nisi naturam in qua nos condidit Deus.

7. Si autem hunc esse suum librum negat, aut eadem in libro loca, non contendimus : anathemet illa, et eam confiteatur apertissime gratiam, quam doctrina Christiana demonstrat, et prædicat esse propriam Christianorum, quæ non est natura, sed qua salvatur natura : [a] quæ naturam non auribus sonante doctrina, vel aliquo adjumento visibili fovet sicut plantator quodam modo et irrigator extrinsecus, sed subministratione Spiritus et occulta misericordia, sicut facit ille, qui dat incrementum Deus (I *Cor*. III, 7). Etsi enim quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei qua creati sumus, ut non nihil essemus, nec ita essemus aliquid, ut cadaver quod non vivit, aut arbor quæ non sentit, aut pecus quod non intelligit; sed homines, qui et essemus, et viveremus, et sentiremus, et intelligeremus; et de hoc tanto beneficio creatori nostro gratias agere [b] valeamus; unde merito et ista gratia dici potest, quia non præcedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est : alia est tamen, qua prædestinati vocamur, justificamur, glorificamur, ut dicere possimus : *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (*Rom*. VIII, 3).

8. De hac gratia quæstio vertebatur, quando ab his, quos Pelagius graviter offendebat atque turbabat, dicebatur ei, quod eam suis disputationibus oppugnaret, quibus assereret non solum ad facienda, verum etiam ad perficienda mandata divina, per liberum arbitrium humanam sibi sufficere naturam. Hanc apostolica doctrina gratiam [c] isto nomine appellat, qua salvamur et justificamur ex fide Christi. De hac scriptum est : *Non irritam facio gratiam Dei. Nam si per Legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est* (*Galat*. II, 21). De hac scriptum est, *Evacuati estis a Christo, qui in Lege justificamini, a gratia excidistis* (*Galat*. V, 4). De hac scriptum est, *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia* (*Rom*. XI, 6). De hac scriptum est, *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum : ei autem, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam* (*Rom*. IV, 4). Et multa alia, quæ melius potes ipse meminisse, et intelligere prudentius, et illustrius prædicare. Illam vero gratiam, qua creati sumus homines, etiamsi ita appellandam non immerito intelligimus, mirum est tamen si ita appellatam in ullis legitimis, propheticis, evangelicis, apostolicisque litteris legimus.

9. Cum itaque de hac gratia, Christianis fidelibus catholicisque notissima, illi objiceretur quæstio, ut eam oppugnare desineret; quid est quod cum hoc sibi in libro suo velut ab adversante persona idem ipse objecisset, ut se respondendo purgaret, nihil aliud respondit, nisi naturam [d] creati hominis referre gratiam creatoris; atque ita se dicere, sine peccato impleri posse justitiam per liberum arbitrium cum adjutorio divinæ gratiæ, quod Deus hoc dederit homini ipsa possibilitate naturæ?

10. Cui merito respondetur : *Ergo evacuatum est*

[a] Ita hic locus in novissima Augustini editione e ms. Vaticano, cui et duo Colb. favent, instauratus fuit. In aliis autem libris, Merlini editione excepta, desideratur *quæ naturam... fovet*. Ex tribus illis vocibus solam primam Quesn. retinuit. Deinde in iisdem libris, necnon in Merlini editione, *sicut plantatur quodammodo et irrigatur*, nisi quod Quesn. particulam *sicut* expunxit.

[b] Edit. Rom. *agere debeamus* : corrigitur ex aliis libris.

[c] Apud Merl., Crab. et in Augustini editione hic adjicitur *non immerito*.

[d] Solus Quesn. *naturam creati referri ad gratiam creatoris*. Istud *referre*, id est quod in se exhibere ac repræsentare. Ipsa Pelagii verba Augustinus lib. de Nat. et grat. c. 51, exscribit ac refert in hunc modum : *Ipsa non peccandi possibilitas non tam in arbitrii potestate, quam in naturæ necessitate est. Quidquid in naturæ necessitate positum est, ad naturæ pertinere non dubitatur auctorem, utique Deum. Quomodo ergo absque Dei gratia dici existimatur, quod ad Deum proprie pertinere monstratur?* Ibi, inquit statim Augustinus, *expressa est sententia quæ latebat. Ideo Dei gratiæ tribuit non peccandi possibilitatem, quia ejus naturæ Deus auctor est, cui possibilitatem non peccandi inseparabiliter insitam dicit.*

scandalum crucis (*Galat.* v, 11). *Ergo Christus gratis mortuus est* (*Rom.* iv, 25). [a] Num enim, si non moreretur propter delicta nostra et resurgeret propter justificationem nostram, nec ascenderet in altum et captivans captivitatem daret dona hominibus, ista naturæ possibilitas, quam defendit, in hominibus non esset (*Eph.* iv, 8; *Psal.* LXVII, 19)? An forte Dei mandatum deerat, et ideo Christus mortuus est? Immo jam et hoc erat sanctum et justum et bonum (*Rom.* vii, 12). Jam dictum fuerat, *Non concupisces* (*Exod.* xx, 17); jam dictum fuerat, *Diliges proximum tuum tamquam te ipsum* (*Levit.* xix, 18). In quo sermone Apostolus omnem legem dicit impleri (*Rom* xiii, 9). Et quoniam nisi diligat Deum, nemo diligit se ipsum; ideo Dominus in his duobus præceptis totam legem Prophetasque dicit pendere (*Matth.* xxii, 40). Quæ duo præcepta jam erant hominibus divinitus data. An æternum præmium justitiæ promissum nondum erat? Hoc ipse non dicit, qui in suis litteris posuit, etiam in veteri Testamento regnum cœlorum esse promissum. Si ergo ad faciendam perficiendamque justitiam jam erat naturæ possibilitas per liberum arbitrium, jam erat legis Dei sanctum et justum bonumque mandatum, jam erat promissum præmium sempiternum: ergo Christus gratis mortuus est.

11. Ergo neque per legem justitia, neque per naturæ possibilitatem; sed ex fide ac dono Dei per Jesum Christum Dominum nostrum unum mediatorem Dei et hominum. Qui nisi in plenitudine temporis mortuus esset propter delicta nostra, et resurrexisset propter justificationem nostram (*Rom.* iv, 25); profecto et antiquorum fides evacuaretur, et nostra. Fide vero evacuata, quæ homini justitia remaneat, cum justus ex fide vivat (*Heb.* x, 38; *Rom.* i, 17)? Ex quo enim per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt (*Rom.* v, 12): procul dubio a corpore mortis hujus, ubi lex alia repugnat legi mentis (*Rom.* vii, 21 *et* 24), neminem liberavit aut liberat [b] sua possibilitas, quæ perdita, redemptore indiget; saucia, salvatore: sed gratia Dei per fidem unius mediatoris Dei et hominum, hominis Christi Jesu (I *Tim.* ii, 5); qui et Deus cum esset, hominem fecit, et manens Deus, homo factus refecit ipse quod fecit.

12. Puto autem quod cum lateat, fidem Christi, quæ postea in revelationem venit, in occulto fuisse temporibus patrum nostrorum; per quam tamen etiam ipsi Dei gratia liberati sunt, quicumque omnibus generis humani temporibus liberari potuerunt, occulto judicio Dei, non tamen vituperabili. Unde dicit Apostolus: *Habentes autem eumdem spiri-* A *tum fidei* (utique eumdem, quem et illi) *secundum quod scriptum est* (II *Cor.* iv, 13), *Credidi propter quod locutus sum, et nos credimus, propter quod et loquimur* (*Psal.* cxv, 1). Inde est, quod ait ipse mediator: *Abraham concupivit videre diem meum; et vidit, et gavisus est* (*Joan.* viii, 56). Inde Melchisedech, prolato sacramento mensæ Dominicæ, novit æternum ejus sacerdotium figurare (*Gen.* xiv, 18). Jam vero data in litteris Lege, quam dicit Apostolus subintrasse ut abundaret delictum (*Rom.* v, 20), et de qua dicit: *Si ergo ex Lege hereditas, jam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donavit Deus. Quid igitur Lex? Transgressionis gratia* [c] *posita est, donec veniret semen cui promissum est, dispositum per Angelos in manu mediatoris. Mediator au-* B *tem unius non est, Deus autem unus est. Lex ergo adversus promissa Dei? Absit. Si enim data esset Lex quæ posset vivificare, omnino ex Lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus* (*Galat.* iii, 18, *seqq.*). Nonne satis ostenditur hoc actum esse per Legem, ut peccatum agnosceretur, et prævaricatione augeretur? *Ubi enim lex non est, nec prævaricatio* (*Rom.* iv, 15); et sic adversus victoriam peccati ad divinam gratiam, quæ in promissionibus est, confugeretur: atque ita Lex non esset adversus promissa Dei, quia ideo per illam fit cognitio peccati, et ex prævaricatione Legis abundantia peccati, ut ad liberationem quærantur promissiones Dei, quod est gratia Dei; et incipiat esse in homine justi- C tia, non sua, sed Dei, hoc est, data dono Dei.

13. Quam etiam nunc quidam, *ignorantes Dei justitiam*, sicut et tunc de Judæis dictum est, *et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* x, 3). Per Legem quippe et illi justificari se arbitrantur, sufficiente sibi ad eam custodiendam libero arbitrio, hoc est, justitia sua prolata ex natura humana, non donata ex gratia divina, propter quod justitia Dei dicitur. Unde item scriptum est: *Per Legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine Lege justitia Dei manifestata est, testificata per Legem et Prophetas* (*Rom.* iii, 21). Cum dicit *manifestata est*, ostendit quia et tunc erat, sed tamquam illa pluvia, quam Gedeon impetravit, tunc velut in vellere occulta, nunc autem velut in area manifesta (*Judic.* D vi, 37). Cum ergo Lex sine gratia, non mors peccati potuisset esse, sed virtus; sic enim dictum est, *Aculeus mortis peccatum, virtus autem peccati Lex* (I *Cor.* xv, 56): sicut confugiunt multi a facie regnantis peccati ad gratiam, velut in area nunc patentem; ita pauci ad eam confugiebant velut in vellere tunc latentem. Hæc vero temporum distributio refertur ad altitudinem divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, de

[a] Edit. Rom. et concil., *Non enim*. Subinde Merl. et Crab., *nec ascendisset in altum et captivans*; edit. Rom. et Lab., *nec ascendens in altum, captivans*.

[b] In quibusdam mss. mendose, *suæ possibilitas*. Hinc antiquario data occasio secundis curis in Navarreo ac forte in aliis addendi *naturæ*. Unde et in editis, excepto Aug. obtinuit *suæ possibilitas naturæ*. Infra in epistola 29, Innocentii, n. 3, lecturi sumus, *quasi ex nostra in totum simus possibilitate* (non addito *naturæ* vocabulo) *perfecti*. Vide infra epist. 30, n. 4.

[c] Apud Quesn. et Aug. ut in ms. Pith., *proposita est*.

qua dictum est, *Quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* (*Rom.* XI, 33)!

14. Quapropter [a] si et ante tempus Legis, et tempore ipso Legis, justos patres ex fide viventes, non possibilitas naturæ infirmæ et [b] indigæ ac vitiatæ et sub peccato venumdatæ, sed Dei gratia per fidem justificabat, et nunc eadem in apertum jam veniens revelata justificat; anathemet ergo Pelagius scripta sua, ubi contra eam, etsi non per contumaciam, tamen per ignorantiam disputat, possibilitatem defendendo naturæ ad vincenda peccata, et implenda mandata. Aut si ea sua esse negat, aut scriptis suis ab inimicis suis dicit immissa, quæ sua esse negat, anathemet ea tamen et damnet paterna exhortatione et auctoritate sanctimoniæ tuæ. Si vult ergo, onerosum sibi et perniciosum discat [c] Ecclesiæ scandalum auferre: quod scandalum auditores et in perversum dilectores ejus usquequaque spargere non quiescunt. Si enim cognoverint eumdem librum, quem illius vel putant esse, vel norunt, episcoporum catholicorum auctoritate, et maxime sanctitatis tuæ, quam apud eum esse majoris ponderis minime dubitamus, ab eodem ipso esse anathematum atque damnatum; non eos ulterius existimamus ausuros, loquendo contra gratiam Dei quæ revelata est per passionem et resurrectionem Christi, pectora fidelia et simpliciter Christiana turbare: sed potius, adjuvante misericordia Domini, concertantibus nobiscum charitate ac pietate flagrantibus orationibus tuis, non solum ut in æternum beati, verum etiam justi et sancti sint, [d] non in sua virtute, sed in eadem gratia confisuros. Unde et ad ipsum scriptam ab uno nostrum epistolam, ad quem per quemdam Orientalem diaconum, civem autem Hipponensem, tamquam purgationis suæ [e] quædam scripta transmisit, tuæ beatitudini potius credidimus dirigendam, melius judicantes et petentes, ut eam [f] ei mittere ipse digneris. Sic enim eam legere potius non dedignabitur, magis in illa eum qui misit, quam qui scripsit attendens.

15. Illud vero quod dicunt, posse hominem esse sine peccato, et mandata Dei facile custodire si velit, quamvis cum hoc per adjutorium gratiæ, quæ tamen per incarnationem Unigeniti ejus revelata atque donata est, dicitur, tolerabilius dici videatur: tamen quoniam non immerito [g] movere potest, ubi et quando per eamdem gratiam id efficiatur in nobis, ut sine ullo prorsus peccato simus, utrum in hac vita, quando caro concupiscit adversus spiritum; an vero in illa, cum fiet sermo qui scriptus est (*Galat.* V, 17): *Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, aculeus tuus?, aculeus enim mortis peccatum est* (I *Cor.* XV, 55); diligentius pertractandum propter alios quosdam, qui senserunt, atque in suis litteris memoriæ mandaverunt, etiam in hac vita esse posse hominem sine peccato, non ab initio nativitatis suæ, sed conversione a peccatis ad justitiam, et a [h] via reproba ad bonam vitam (*S. Ambros. in* I *Lucæ* 6). Sic enim intellexerunt quod de Zacharia et Elisabeth scriptum est, ambulasse eos *in omnibus justificationibus Domini sine querela* (*Lucæ* I, 6). Hoc quod dictum est *sine querela*, sine peccato dictum acceperunt, non quidem negantes, immo etiam, quod aliis locis in litteris eorum invenitur, pie confitentes adjutorium gratiæ Domini nostri, non per naturalem spiritum hominis, sed per principalem Spiritum Dei. Qui parum videntur considerasse, ipsum Zachariam fuisse utique sacerdotem. Omnes autem tunc sacerdotes necesse habebant ex lege Dei, primitus pro peccatis suis offerre sacrificium, deinde pro populi (*Levit.* IX, 7; *Hebr.* VII, 27). Sicut ergo nunc [i] per orationis sacrificium convincimur non esse sine peccato, quoniam jussi sumus dicere, *Di-*

[a] Particulam *si*, pro qua Garner. substituit *sic*, Quesn. penitus expunxit.

[b] Edit. Rom. et concil. ac plures mss., *indignæ*: quod factum ex *indiguæ*; sic enim verbum *indigæ* antiquis pingere placebat.

[c] Pith. ms. *Ecclesia*: mendose. Totum hunc locum Quesn. ita vulgavit: *si non vult; onerosum sibi et perniciosum esse discat Ecclesiæ scandalum afferre, quod auditores;* præter omnium codicum fidem et Innocentii mentem. Lectio autem, quam minus rectam judicavit, cum antecedentibus et consequentibus apprime cohæret. Nempe episcopi quinque Pelagio auctores sunt, ut discat quo pacto scandalum et onerosum sibi, et Ecclesiæ perniciosum auferat. Nec illud auferendum dubitant, statim ut librum ipsius nomine vulgatum, ab ipsomet damnatum esse discipuli ejus cognoverint.

[d] Apud Quesn. hic additur verbum *conari*: quod rectius abest ab aliis libris.

[e] Neque hic Quesnello opus erat adjicere verbum *causa*. Hunc locum alter ille libri Augustini de gestis Pelagii c. 32 illustrat: *In chartula defensionis suæ, quam mihi per quemdam Charum nostrum Hipponensem civem, Orientalem autem diaconum, misit, fecit aliquid quod aliter se habeat quam gestis episcopalibus continetur. Quod autem habent gesta, longe melius est ac firmius et enodatius pro catholica veritate contra illius hæresis pestem.* Ex quo manifestum est, Pelagium vocasse *purgationis suæ scripta* vel *gesta* (seu ut loquitur Augustinus epist. olim 252, nunc 179, n. 7, *quamdam a se conscriptam velut defensionem suam, qua se dixit objectis respondisse Gallorum*) quæ ad Augustinum miserat adulterata Diospolitanæ synodi gesta. De his rursum Augustinus in eodem libro de gestis Pelagii c. 29 ita loquitur: *Qualibet purgationis suæ gesta protulerit.* Neque hinc minus perspicuum est, ab episcopis quinque *unius nostrum* nomine Augustinum intelligi, cujus quidem epistola tunc missa excidit, et ad nos non pervenit.

[f] Quesn. cum uno ms. Colb. et Pith., *ut eam emittere.* Sanior est lectio librorum aliorum.

[g] Merl. et Crab., *quoniam merito quæri potest.* Retinuit Quesn. *quæri potest*: quod in nullo offendimus ms. Pro *quæri*, Crab. ad marg. annotavit *debere*, quod et Pith. ms. habet in textu.

[h] Apud Garn. et Aug., *a vita.* Ad eorum, de quibus hic sermo est, opinionem aliquando accessit Pelagius. Eum enim Augustinus epist. olim 252, nunc 179, n. 7, istud ad se scripsisse narrat: *Non diximus quoniam inveniatur quis ab infantia usque ad senectam, qui numquam peccaverit; sed quoniam a peccato conversus labore proprio, et gratia Dei adjutus, potest absque peccato esse.* Sed in hac sententia eum non semper stetisse idem Doctor in eadem epistola n. 8 probat.

[i] In uno e mss. Colb. *per orationes sacrificiorum.*

mitte nobis debita nostra (*Matth.* VI, 12): ita et tunc per sacrificia victimarum animalium convincebantur sacerdotes sine peccato non esse, qui pro suis peccatis jubebantur offerre. Quod si res ita se habet, ut per gratiam Salvatoris proficiamus quidem in hac vita, deficiente cupiditate, charitate crescente; perficiamur autem illa in vita, cupiditate exstincta, charitate completa: profecto illud quod scriptum est, [a] *Qui natus est ex Deo, non peccat* (I *Joan.* III, 9), secundum ipsam charitatem dictum est, quæ sola non peccat. Ad nativitatem quippe, quæ ex Deo est, augenda et perficienda charitas pertinet, non ea quæ minuenda est et consumenda cupiditas: quæ tamen, quamdiu est in membris nostris, lege quadam sua repugnat legi mentis (*Rom.* VII, 20). Sed natus ex Deo, nec obediens desideriis ejus, nec exhibens membra sua arma iniquitatis peccato (*Rom.* VI, 13), potest dicere, *Jam non ego operor illud, sed illud quod habitat in me peccatum* (*Rom.* VII, 20).

16. Sed quoquo modo se habeat ista quæstio, quia etsi non invenitur homo in hac vita sine peccato, id tamen dicitur posse fieri per adjutorium gratiæ et Spiritus Dei, quod ut fiat, conandum atque poscendum est; tolerabiliter in eo quisque fallitur; nec diabolica impietas, sed error humanus est elaboranda et optanda affirmare, etiamsi quod affirmat non possit ostendere. Id enim credit fieri posse, quod certe laudabile est velle. Nobis autem sufficit, quod nullus in Ecclesia Dei fidelium reperitur in quolibet [b] provectu excellentiaque justitiæ, qui sibi audeat dicere, non necessariam precationem orationis Dominicæ, *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12); et dicat se non habere peccatum, ne seipsum decipiat, et in eo veritas non sit, quamvis jam sine querela vivat (I *Joan.* I). Non enim [c] qualecumque etiam tentationis humanæ, sed grave peccatum est, quod in querelam venit.

17. Cætera quæ illi objecta sunt, sicut gestis defensa perviderit, ita de his procul dubio tua beatitudo judicabit. Dabit sane nobis veniam suavitas mitissima cordis tui, quod prolixiorem epistolam fortassis, quam velles, tuæ misimus sanctitati. Non enim rivulum nostrum tuo largo fonti augendo refundimus; sed in hac [d] non parva tentatione temporis, unde nos liberet cui dicimus, *Ne nos inferas in tentationem*, utrum etiam noster licet exiguus ex eodem, quo etiam tuus abundans, emanet capite fluentorum, hoc a te probari volumus, tuisque rescriptis de communi participatione unius gratiæ consolari.

EPISTOLA [e] XXIX.

Innocentius episcopis Carthaginensis concilii rescribens eorum adversus Pelagianos hæreticos doctrinam atque sententiam laudat et confirmat.

INNOCENTIUS [f] AURELIO, NUMIDIO, RUSTICIANO, FIDENTIANO, EVAGRIO, ANTONIO, PALATINO, ADEODATO, VINCENTIO, PUBLIANO, THEASIO, TUTO, PANNONIO, VICTORI, RESTITUTO, [g] alteri RESTITUTO, RUSTICO, FORTUNATIANO, AMPELIO, AMBIVIO, FELICI, DONATIANO, ADEODATO, OCTAVIO, SEROTINO, MAJORINO, POSTHUMIANO, CRISPULO, VICTORI, alteri VICTORI, LEUCIO, MARIANO, FRUCTUOSO, PROCULO, FAUSTINIANO, QUODVULTDEO, CANDORIO, MAXIMO, MEGASIO, RUSTICO, RUFINIANO, PROCULO, SEVERO, THOMÆ, JANUARIO, OCTAVIANO, PRÆTEXTATO, SIXTO, QUODVULTDEO, PENTADIO, QUODVULTDEO, CYPRIANO, SERVILIO, PELAGIANO, MARCELLO, VENANTIO, DIDYMO, SATURNINO, BIZACENO, GERMANO, GERMANIANO, INVENITO, MAJORINO, INVENITO, CANDIDO, CYPRIANO, ROMANIANO, ÆMILIANO, AFRICANO, MARCELLINO, et cæteris, qui in Carthaginensi concilio adfuerunt, dilectissimis fratribus in Domino salutem.

1. In [h] requirendis Dei rebus quas omni cum sollicitudine decet a sacerdotibus, maxime a vero ju-

[a] Idem ms., *Qui ex Deo est*. Alter Colb. cum Pith. *Ex Deo*, omissis verbis *Qui natus est*.

[b] Edit. Rom. et concil., *profectu excellenti atque justitia*. Garner. ac mss. Isid., *profectu*, *excellentia atque justitia*: corriguntur ex Quesn. Auguts. et potioribus mss.

[c] Merl. et Quesn. cum uno ms. Colb. et Pith., *qualescumque etiam tentationes*. Verior est cæterorum codicum lectio, qua eos qui sine querela vivere prædicantur, a gravibus quidem peccatis, sed non item a levibus, quæ tentatione seu fragilitate humana contrahimus, immunes intelligendos esse edocemur.

[d] In duobus mss. Colb., *non cum parva*. In cæteris, *non comparva*. Apud August., *non tamen parva*. At Merl. et Crab. post superius verbum *refundimus*, proxime subjiciunt, *verum etiam no ter licet exiguus*, etc., omissis intermediis.

[e] In edit. Concil. 24. Quæ autem 29 erat, nunc 7.

[f] Editi, excepto Aug. secundum Codicis a Quesnello vulgati et Isidori vetera exempla, *Aurelio et omnibus sanctis episcopis vel cæteris qui in concilio Carthaginensis ecclesiæ adfuerunt*, singulorum episcoporum nominibus omissis, quæ in sincerioribus mss. recensentur.

[g] Hinc liquet et alterum istum Restitutum in epistolæ 26 inscriptione desiderari.

[h] Edit. concil., *Inquirendo de his rebus*. Apud Garner. Quesn. et Aug., *In requirendo de his rebus*. In edit. Rom. et aliquot mss., *In requirendis de his rebus*. Verius mss. Remig., Corb. et Germ., *In requirendis Dei rebus*, eamque lectionem confirmat Afrorum epistola ad Theodorum papam in concilio Lateranensi sub Martino I, act. 2, tom. VI Concil. Labb. pag. 128 inserta, cujus exordium, uti præmonuimus, ex Innocentii verbis ac sententiis expressum, hic repræsentare juverit. Sic porro incipiunt: *Magnum et indeficientem omnibus Christianis fluenta redundantem apud Apostolicam sedem consistere fontem nullus ambigere possit, de quo rivuli prodeunt affluenter, universum largissime irrigantes orbem Christianorum, cui etiam in honore beatissimi Petri patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam* IN REQUIRENDIS DEI REBUS, *quæ omnino et sollicite debent, maxime vero justeque ab ipso præsulum examinari vertice apostolico, cujus vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quam probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, ut quidquid quamvis in remotis vel in longinquo positis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ sedis vestræ fuisset deductum, ut hujus auctoritate, justa quæ fuisset pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent cæteræ ecclesiæ velut de natali suo fonte prædicationis exordium, et per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei sacramenta salutis.*

stoque et catholico tractari concilio, antiquæ traditionis exempla servantes, et ecclesiasticæ memores disciplinæ, vestræ religionis vigorem non minus nunc in consulendo, quam antea cum pronuntiaretis, vera ratione firmastis, qui ad nostrum referendum approbastis esse judicium, scientes quid apostolicæ sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emersit. Quem sequentes, tam mala damnare novimus, quam probare laudanda. Vel id vero, quod patrum instituta sacerdotali officio custodientes non censetis esse calcanda, quod illi non humana, sed divina decrevere sententia, ut quidquid quamvis de disjunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus sedis notitiam perveniret : ut tota hujus auctoritate justa quæ fuerit pronuntiatio firmaretur ; indèque sumerent cæteræ ecclesiæ (velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, et per diversas totius mundi regiones puri [a] latices capitis incorrupti manarent) quid præcipere [b] [*Forte leg.* præciperent] quos abluere, quos veluti cœno inemundabili sordidatos, mundis digna corporibus unda vitaret.

2. Gratulor igitur, charissimi fratres, quod per fratrem et coepiscopum nostrum Julium litteras ad nos destinastis : et cum illis curam geritis quibus præsidetis Ecclesiis, sollicitudinem vestram pro omnium utilitate monstratis : et per cunctas totius orbis ecclesias omnibus una quod prosit, decernendum esse deposcitis : ut suis constabilita regulis Ecclesia, [c] et hoc, quo illos caveat, pronuntiationis justæ firmata decreto, talibus patere non possit, qui perversis instructi, immo destructi, ver- **A** borum argutiis, sub imagine catholicæ fidei disputantes, velut pestiferum exhalantes virus, ut hominum recte sentientium in deteriorem partem corda corrumpant, totam veri dogmatis quærunt evertere disciplinam. Sanandum ergo celerius, ne longius [d] exsecrandus animis morbus irrepat : sicut medicus, cum viderit hujus terreni corporis aliquem esse languorem, magnum suæ artis æstimat documentum, si cito quis illius interventu desperatus evadat ; vel cum putre vulnus aspexerit, adhibet fomenta, vel cætera quibus illud possit quod natum fuerat vulnus obduci; ac si id manens sanari non poterit, ne corpus reliquum sua tabe corrumpat, ferro amputat quod nocebat, quo reliquum integrum servet et intactum. Præcidendum id ergo **B** est, quod velut puro sanoque nimium corpori vulnus obrepsit ; ne cum tardius abstergitur, in ipsis pene visceribus hujus mali non exhaurienda post sentina considat.

3. Nam quid nos de his posthac rectum mentibus æstimemus, qui sibi se putant debere quod boni sunt, nec illum considerant, cujus quotidie gratiam consequuntur? Sed jam isti, qui tales sunt, nullam Dei gratiam consequuntur ; [e] qui sine illo tantum assequi se posse confidunt, quantum vix illi, qui ab illo postulant, [f] et accipere promerentur. Quid enim tam iniquum potest esse, tam barbarum, tam totius religionis ignarum, tam Christianis mentibus inimicum, quam huic te negare debere quidquid in quotidiana gratia consequeris, cui te ipse confiteris **C** debere quod natus es? Ergo eris tibi in providendo præstantior, quam [g] potest in eo esse, qui te ut esses effecit? [h] Et cui putes debere quod vivis,

[a] Edit. Rom. et concil. necnon Quesn., *puri capitis;* deinde Merl., *incorrupti ;* Crab., *incorrupte ;* cæteræ, *incorruptæ :* ex edit. August. et mss. Corb. atque Germ. instaurantur. Hujus exordii materiam maxime sumpsit Innocentius ex eo quod episcopi quinque ad calcem epistolæ superioris sibi scripserant : *Non enim rivulum nostrum tuo largo fonti refundimus... utrum etiam noster licet exiguus ex eodem, quo etiam tuus abundans, emanet capite fluentorum, hoc a te probari volumus.*

[b] Ita mss. Germ. et Corb. At plures alii cum edit. Rom. et concil., *quid præcipere.* Deinde in codice Germ. *quos absolvere*, ubi in aliis *quos abluere.* Apud Quesn. et Aug. repositum est *quid præciperent, quos abluerent.* Totum autem hunc locum Garnerius, ingenio suo plus æquo indulgens, ita edidit : *unde aquas sumerent cæteræ ecclesiæ, velut de natali suo fonte a quo cuncta procedunt, et per diversas totius mundi* **D** *regiones puri capitis incorruptæ manant ; unde perciperet quos veluti cœno*, etc. Nostra lectio, in qua nihil non veterum codicum auctoritate fulcitur, integra erit, si post verba *quos abluere*, subaudiatur *deberent.* Neque temere sentiamus hic triplicem hominum sese Ecclesiæ judicio sistentium classem distingui, et ejusdem Ecclesiæ circa illos judiciorum triplicem rationem, ex triplici aquæ proprietate repetitam, exponi. Illa enim velut aqua munda innoxios et incontaminatos tamquam puros rivulos ultro in se recipit ; sordidatos vero, sed pœnitentes, abluit; et incorrectos, qui eam commaculare valeant, prudens vitat et respuit.

[c] Editio Rom. et recentiores concil. *ex hoc*, ac *deinde cum vetustioribus, quod illos cavent pronuntiationis justæ firmata decretalibus* (Merl., *petere;* Crab., *patere ;* edit. Rom. et sequentes, *pavere*) *non possit.* Garner. resecans *hoc quod illos caveat*, retinuit *et pronuntiationis justæ firmata decretalibus pavere non possit.* Nostra lectio est Quesn., Aug. et meliorum mss., nisi quod apud Quesn. expunctum est *hoc*, et apud Aug. ut in mss. Corb. et Germ. pro *patere*, exstat *parere :* Sic porro est intelligenda, quasi diceret Innocentius : A me decernendum esse deposcitis, ut Ecclesia veteribus suis jam constabilita regulis, etiam nunc firmata juste pronuntiato hoc novo decreto, quo memoratos illos hæreticos cavere jubeatur, talibus deinceps patere non possit, sed iis seclusa perpetuo maneat.

[d] Unus e mss. Colb., *exsecrandis animorum moribus inserpat.* Alter, *exsecrandos animis morbos inserpat.* Verbum *inserpat*, edit. Rom. et concil. cum aliquot aliis mss. retinet. Ejus loco melius mss. Germ. et Corb. exhibent *inrepat.*

[e] Crab. ac deinceps edit. concil. et Rom., *quia sine illo.*

[f] Edit. Rom. et concil. cum mss. Pith. et Isid., *et accipiunt.* Unus codex Colb., *ut accipiunt ;* unde Quesnello *ut accipiant* placuit. Apud August. ut in ms. Corb. *accipere*, non præmissa particula *et*, quæ cum Germ. et aliis retinetur. Perspicua erit sententia hunc in modum disposita : *quantum vix illi etiam, qui postulant, accipere promerentur.*

[g] Sic mss. At edit. Rom. et concil., *quam potest is esse.*

[h] Garner., *Si huic putes debere.* Editi alii, *Et cum te putes ei debere.* Pelagius tacito nomine hic arguitur : qui quidem *posse, velle et esse* distinguens, *posse*

quomodo non putas illi debere quod quotidianam ejus consequendo gratiam taliter vivis? et qui nos adjutorio negas indigere divino, quasi ex nostra [a] simus in totum possibilitate perfecti, quomodo non adjutorium [b] ejus in nos, cum tales a nobis etiam esse possumus, provocamus?

4. Qui enim adjutorium Dei negat, vellem interrogare quid dicat : nos non mereri, an illum hoc non posse præstare, an nihil esse propter quod unusquisque hoc debeat [c] postulare? Posse hoc Deum, opera ipsa testantur. Et adjutorio quotidiano nos egere, negare non possumus. Hoc enim seu bene vivimus [d] provocamus, ut melius sanctiusque vivamus; seu prave sentientes a bonis avertimur, ut ad rectam redeamus viam, ejus auxilio plus egemus. Nam quid tam mortiferum, tam præceps videatur B ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis putantes posse sufficere, quod liberum arbitrium cum nasceremur accepimus, ultra jam a Domino nihil quæramus, id est, auctoris nostri obliti, ejus potentiam, ut nos ostendamus liberos, abjuremus; quasi jam amplius quod possit dare non habeat, qui te in tuo ortu liberum fecit : nescientes, quod nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, [e] nequaquam terrenæ labis et mundani corporis vincere conemur errores, cum pares nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium?

5. Nam si ille clamat adjutorio sibi opus esse divino, qui digne hoc non quæreret, si cui liberum arbitrium plus prodesset; quippe cum vir beatus et C jam electus a Domino nihil egeret, tamen ita Deum deprecatur, postulans : *Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus* (*Psal.* XXVI, 9) : nos nobis liberum arbitrium, ille A sibi Deum postulat adjutorem; quod nati sumus posse sufficere nos dicimus, ille Deum ne derelinquatur exorat. [f] Non, rogo, manifeste discimus quid oremus, cum ille tantopere beatus, ut supra diximus, vir ne despiciatur exoptat? Illi enim necesse est ista arguant, qui illa confirmant. David enim orationis ignarus, et suæ naturæ nescius accusetur, qui cum sciat tantum in [g] sua inesse natura; adjutorem sibi Deum, et assiduum adjutorem, nec illi sufficit assiduum, sed ne aliquando illum despiciat, orationibus pronus exoptat; et per corpus omne psalterii hoc et prædicat et clamat. Si ergo hoc ille ita [h] magnus scit ut assidue dicere, ita necessarium confessus est, ut doceret : quemadmodum Pelagius Cœlestiusque seposita omni responsione psalmorum, talique abdicata doctrina, suasuros se aliquibus esse confidunt, nos adjutorium Dei nec debere quærere, nec egere; cum omnes sancti nihil se sine hoc agere posse testentur?

6. Liberum [i] enim arbitrium olim ille perpessus, dum suis inconsultius utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda demersus est, et nihil quemadmodum exinde surgere posset invenit; suaque in æternum libertate deceptus, hujus ruinæ [j] jacuisset oppressu, nisi eum post Christi [k] pro sua gratia relevasset adventus : qui per novæ regenerationis purificationem, omne præteritum vitium sui baptismatis lavacro purgavit; et ejus firmans statum, quo rectius stabiliusque procederet, tamen suam gratiam in posterum non negavit. Nam quamvis redemisset hominem a præteritis ille peccatis, tamen sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum et post ista corrigere, multa servavit : quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenus vin-

in natura, velle in arbitrio et esse in affectu constituebat. Tum posse ad Deum naturæ auctorem proprie pertinere ita largiebatur, ut velle et esse, seu agere ad hominem referenda esse contenderet. Solius Dei esse docebat, *quod potest homo velle bonum atque perficere* ; sed quod illud velit perficere, ac re ipsa perficiat, adeoque et quod bonus ac perfectus velit esse, vel etiam sit, ipsius hominis esse prædicabat. Non inficiabatur hominem *gratiæ semper adjuvari auxilio* : sed auxilium illud in hoc ponebat, quod voluntatis atque operis possibilitatem Deus numquam D non daret. Ipsa illius verba videsis apud Augustinum lib. de Gratia Christi, cap. 4.

[a] In edit. Rom. et Concil. desideratur *simus*.

[b] Vocabulum *ejus* ex ms. Germ. et edit. Aug. revocatur. Solus Garn. locum hunc ita exhibet : *Dic quomodo vere adjutorium ejus in nos, cum tales a nobis etiam esse possimus, provocemus. Eum qui adjutorium Dei negat, rursus vellem interrogare cur dicat nos id non promereri?*

[c] Quesn. cum uno ms. Colb., *præstolari*.

[d] Ita mss. necnon veteres edit. Concil. At Rom. edit. et recentiores Concil. cum Garn., *precamur*.

[e] Garn. *nequidquam* ; et infra, *David inclamat*, pro, *Nam si ille clamat*.

[f] Edit. Rom., *Nos ergo dicimus manifeste*, etc. Garn., *Nos dicimus manifeste, ut quid oremus Deum, ille* : et infra, *David ergo*, pro, *David enim*.

[g] Edit. Rom. et Concil., *in sua natura esse*. Mox Garn., *adjutorem invocat, nec illi sufficit assiduum invocare* : refragantibus aliis libris, ex quibus liquet vocabulum *adjutorem* a verbo *exoptat* regi.

[h] Aliquot mss. cum Quesn., necnon edit. Rom. et Concil., *ita magnum scit, ut assidue diceret*. Apud August., *ita magnus sicut assidue dicere*. Garner., *hoc illi tam magnum visum sit, ut assidue diceret, tam necessarium confessus sit*. Id quod plures ac vetustiores mss. exhibent retinemus. Mallemus tamen, *ita magnus scivit assidue dicere, et ita*.

[i] Merlin. et ex eo Quesn., *Libero enim arbitrio olim ille perversus* ; reluctantibus omnibus mss. et editis aliis, non solum hic, sed et in libro II Augustini ad Bonifacium, cap. 4, n. 6, in libro Prosperi contra Collatorem, c. 5, n. 15, et in Cœlestini epistola 21, n. 5, ubi hæc eadem verba citantur. Sane Innocentii sententia potius *permissus*, quam *perversus*, postulat.

[j] In mss. ut in edit. Merl. et Rom., *ruinæ latuisset oppressus* vel *oppressum*, nisi quod in Pith. exstat *oppressu*, et in Corb. ab antiqua manu restitutum est *jacuisset* : quam emendationem rectam probant cum Augustini liber II ad Bonif. contra duas epist. Pelag. n. 6, tum epistola 21 Cœlestini papæ, cap. 4, ubi hæc verba citantur. Quamquam nec in illis duobus locis desunt mss. qui exhibeant *latuisset oppressu*. Apud Crab. et exinde in edit. concil. hic legere est, *huic ruinæ suæ jacuisset oppressus*, apud Garner. et Quesn., *hujus ruina subjacuisset oppressus*.

[k] Ita mss. magno consensu cum edit. Aug. At in edit., *per suam gratiam*.

A cere humanos poterimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.

7. Sed possem plura dicere, nisi vos constaret cuncta dixisse. Quisquis ergo huic assentiens videtur esse sententiæ, qua dicat adjutorio nobis non opus esse divino, inimicum se catholicæ fidei, et Dei beneficii profitetur ingratum. [a] Nam nec nostra communione sunt digni, quam prædicando taliter polluerunt. Ipsi enim sua sponte, dum sequuntur illa quæ dicunt, longius a vera religione refugerunt. Cum enim hoc totum in nostra professione consistat, quotidianisque precibus nihil agamus, nisi quemadmodum Dei misericordiam consequamur; quemadmodum ferre possumus ista jactantes? Quis, rogo, tantus illorum pectora error obcæcat, ut si (C) ipsi nullam Dei gratiam sentiunt, quia nec digni sunt, nec merentur; nec de aliis considerent quid quotidie singulis gratia divina largiatur? Sunt quidem isti [b] omni cæcitate dignissimi, qui nec hoc sibi reliquerunt, ut se auxilio credant revocari ab erroribus posse divino. Negantes enim adjutorium, non aliis, sed sibi hoc penitus abstulerunt: qui avellendi sunt longius et ab Ecclesiæ procul removendi visceribus; ne [c] diu inultus multa occupans, insanabilis post error increscat. Si enim diu fuerint sub hac impunitate versati, necesse est multos in hanc suæ pravitatem mentis inducant decipiantque innocentes, vel potius imprudentes, qui fidem catholicam [d] nunc sequuntur. Putabunt enim eos recte sentire, quos adhuc vident in Ecclesia perdurare. (C) Separetur ergo a sano corpore vulnus insanum, remotoque morbi sævientis afflatu, cautius quæ sunt sincera perdurent, et grex purior ab hac mali pecoris contagione purgetur. Sit totius corporis illibata perfectio, quam vos sequi et tenere hac in illos pronuntiatione cognovimus, et una vobiscum pari assensione servamus.

8. Qui si tamen [e] aliquod in se Dei adjutorium, quod huc usque negaverunt, provocarint, et opus sibi ejus auxilio esse cognoverint, ut hac labe, in quam sui cordis incurvatione corruerant, liberentur, et quasi in lucem de fœda tracti caligine, remotis abdicatisque omnibus, quibus totus, ne verum [f] aspiceret, fœdabatur et caligabat aspectus, damnent hæc quæ huc usque senserunt; et aliquando animum rectis disputationibus commodantes, ab hac aliquantulum labe correcti, veris se sanandos [g] consiliis tribuant atque submittant. Quod si fecerint, erit in potestate pontificum istis aliquatenus subvenire, et talibus aliquam curam præstare vulneribus, quam solet lapsis, cum resipuerint, Ecclesia non negare: ut a suis [h] revocati præcipitiis, intra ovile Domini redigantur: ne foris positi, et tanto præsidio [i] a fide munitionis exclusi, periculis omnibus exponantur, devorandi luporum dentibus atque vexandi, quibus obsistere hac, qua illos in se irritaverant, doctrinæ perversitate non possint.

9. Sed satis vestris monitis, sic abundantibus nostræ legis exemplis probatur esse responsum. Nec quidquam superesse duximus quod dicamus, cum nihil prætermissum a vobis, nihil constet esse suppressum, quo illi refutati et penitus cognoscantur esse convicti. Ideoque a nobis testimonia nulla ponuntur, quia in his plena relatio est, et satis constat tot doctissimos sacerdotes cuncta dixisse: nec decet credere vos aliquid, quod ad causam possit proficere, præteriisse. *Et alia manu:* Bene valete, fratres. *Et ad latus:* Data VI kal. Febr. (*Jan. 27 ann. 417*) post consulatum [j] Theodosii augusti VII et Junii Quarti, V. C.

EPISTOLA [k] XXX.

INNOCENTII PAPÆ AD CONCILIUM MILEVITANUM.

Patres concilii Milevitani laudat, tum quod hæreticos pertinaces segregandos, et correctos censuerint re-

[a] Conjunctio *Nam* ex edit. Merl., Crab., Aug. et pluribus mss. revocatur. Deinde in mss. Isid. desideratur *nostra*. Mox edit. Rom. et Concil. cum aliquot mss., *Sic enim*, ubi cum aliis libris præferimus, *Ipsi enim*. Garnerius vero locum hunc mutilum censens, nota ad marginem ascripta, sic resarciri posse monet: *Pelagium igitur et Cœlestium, quos auctores nefarii prorsus et omnibus anathematizandi* D *erroris advertistis, justa sententia damnastis: nec illi nostra*, etc. At sententiam adversus Pelagium et Cœlestium a Carthaginensis concilii patribus nominatim dictam non sonant hæc eorum ad calcem superioris epistolæ 26 dicta: *Si Pelagius Cœlestiusque correcti sunt, vel se ista numquam sensisse dicunt, et quæcumque scripta contra eos prolata fuerint, sua esse negant, nec est quemadmodum de mendacio convincantur, generaliter tamen anathema sit* dogmatum, quorum auctores existimantur, quicumque deprehensus fuerit propugnator. Nil etiam in hoc Innocentii loco apparet, unde mutilus judicetur.

[b] Ita apud Garn. et Aug. ut in potioribus mss. In aliis autem libris, *omnes*; et infra, *Negantes enim Dei adjutorium.*

[c] Editi excepto Aug., *ne diu multa.* Concinnius apud Aug. ut in mss. Corb. et Germ., *ne diu inultus multa.* Hinc apte subnectitur: *Si enim diu fuerint sub hac* IMPUNITATE.

[d] Hanc Garnerii lectionem, quæ est et mss. Corb. atque Germ. Quesnellus approbat, quamvis ipse vulgatam in edit. Rom. et Concil. scilicet *non sequuntur*, retineat. Hic autem apud Aug. particula *nunc* librarii oscitantia excidit.

[e] In edit. Rom. et Concil., *aliquando in se.*

[f] Apud Quesn. et Aug., *aspicerent.*

[g] Apud Garner., *conciliis.* Verbum antecedens, *sanandos*, quod Quesn. removit, omnes nostri mss. asservant.

[h] Verbum *revocati* apud Merl. desideratur. Ejus loco edit. Rom. et posterioribus concil. substitutum est *remoti.*

[i] Quesn., *præsidio æde munitionis.* Garner., *præsidio fidæ munitionis.* Minus displicet hæc postrema lectio.

[j] In ms. Corb., *Luni Quarti.* In Germ., *p. c. Theodosio augusto* VII *et Lucio Quarto v. consulibus:* ex imperitia antiquarii, qui et priore nota *p. c.* significari *post consulatum*, adeoque *Theodosii augusti*, etc., retinendum, non *Theodosio augusto* substituendum esse ignoravit, et posteriorem notam, *v. c.* verbis *viri clarissimi*, non *v consulibus* reddendam esse nescivit.

[k] In edit. Concil. 25. Quæ autem 30 erat nunc in append.

cipiendos, tum quod canones ubique receptos secuti, apostolicæ sedis de rebus anxiis sententiam petierint. Inde probat hæresim, quæ hominem sibi sine Dei gratia posse sufficere vult, ac baptismum parvulis ad vitam æternam necessarium negat, contra Scripturas pugnare. Hujus auctores, eorumque sectatores ab Ecclesia abscidi jubet, sed si errores damnent, suscipi.

INNOCENTIUS SILVANO seni, VALENTINO, [a] et cæteris qui in Milevitana synodo interfuerunt, dilectissimis fratribus in Domino salutem.

1. Inter cæteras Romanæ ecclesiæ curas, et apostolicæ sedis occupationes, quibus diversorum consulta fideli ac [b] medica disceptatione tractamus, frater et coepiscopus noster Julius dilectionis vestræ litteras, quas ex Milevitano [c] concilio cura fidei propensiore misistis, mihi inopinanter ingessit, Carthaginensis etiam synodi querelæ parilis scripta subjungens. Nimirum exsultat Ecclesia, tantam sollicitudinem commissis gregibus exhibere pastores, ut non solum neminem ex his patiantur errare; sed si quas magis ovium [d] scevæ delectationis herba seduxit, ac si in errore permanserint, aut segregari penitus velint, aut illicenter dudum petita vitantes, custodiæ pristinæ circumspectione tutari: in utraque parte videlicet consulentes, ne vel suscipiendo tales, simili cæteræ [e] ducantur exemplo; vel spernendo redeuntes, luporum morsibus videantur ingestæ. Prudens admodum, et catholicæ fidei plena [f] consultio. Quis enim aut tolerare possit errantem, aut non recipere [g] corrigentem? Nam ut durum arbitror, conniventiam præbere peccantibus; ita impium judico manum negare conversis.

2. Diligenter ergo et congrue [h] apostolici consulitis honoris arcana (honoris, in quam, illius, quem præter illa quæ sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium ecclesiarum) super anxiis rebus quæ sit tenenda sententia (II *Cor.* XI, 28): antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam. Verum hæc missa facio: neque enim hoc vestram credo latere prudentiam. [i] Quid id etiam actione firmastis, nisi scientes quod per omnes provincias de apostolico fonte petentibus responsa semper emanent? Præsertim (24, *q.* 1, *c.* 12) quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres et coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est, sui nominis et honoris [j] auctorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit ecclesiis omnibus in commune prodesse. Fiant enim necesse est cautiores, cum inventores malorum, ad duplicis relationem synodi, sententiæ nostræ statutis viderint [k] ab ecclesiastica communione sejunctos. Gemino igitur bono charitas vestra fungetur. Nam et canonum potiemini gratia servatorum, et beneficio vestro totus orbis [l] utetur. Quis enim catholicorum virorum cum adversariis Christi velit ulterius miscere sermonem? quis saltem ipsam lucem vitæ communione partiri? [m] Novæ hæreseos nimirum fugiantur auctores.

3. Quid enim acerbius in Dominum fingere potuerunt, quam cum adjutoria divina cassarent, cau-

[a] Innocentium in hac inscriptione singulos episcopos, qui in ipsa concilii epistola prænominati fuerant, appellasse eo probabilius est, quod rescripti hujus ea sola supersint exemplaria, quæ pariter in epistola superiore, *Aurelio* nominato, episcopos cæteros sub generali formula indicabant.

[b] In edit. Rom. et Concil., ex mss. Isid., *modica:* mendum, quod Garnerius corrigere de suo nisus, adjicit *non* ante *modica*.

[c] In unis collectionis Isid. exemplaribus, et exinde apud Merl. et Crab., *ex Milevitano ex nostra auctoritate concilio:* glossema Mercatore dignum, ac merito in editione Rom. submotum. Quasi vero Innocentius concilii, quod ipsius auctoritate fuisset congregatum, litteras sibi *inopinanter* ingestas dixisset.

[d] Merl., *sive;* Crab., *sævæ;* aliæ edit. Concil., post Rom. necnon Garner., *obscœnæ;* rectius libri cæteri *scævæ:* quod et Lab. ad marg. annotavit. Deinde mss. Isid., *dilectionis*.

[e] Quesn., *seducantur*.

[f] Garn., *consolatio*. Edit. Rom. et Concil. cum mss. Isid., *consultationis voluntas*. In uno ms. Colb. exstat quidem *consultationis*, sed abest *voluntas*. Aptior est, uti Quesn. jam observavit, licet minus Latina vox *consultio*, quam alter codex Colb. exhibet. Sic porro id vocatur, quo *in utraque parte consulunt*, seu hoc utantur consilio, ut nec pertinaces admittant, nec spernant redeuntes.

[g] Apud Aug., *se corrigentem*.

[h] Garner. cum edit. Rom., *apostolico consulitis honori, honori*. Quesn. secundum unum ms. Colb., *apostolici consulitis honoris arcanis, honoris*. Nec differt alter codex Colb. nisi quod pro *arcanis* habet *arcani*. Isid. mss., *apostolici consulitis honores arcani, honoris*. Unus e Vaticanis, *apostolici consulitis oneris arcana, oneris*. Sincerior est lectio, quam hic post edit. concil. et Aug. repræsentamus. Hoc enim sibi vult: qui sedem apostolicam, cujus est arcana retegere, consulitis. Eodem loquendi modo Bonifacius I, epist. 5, n. 1, dicit *quæ hujus consulis sedis arcanum*. Hinc liquet, perperam in margine Crab. *arcam*, loco vocis *arcana*, hic ascriptum esse.

[i] Ita nostri mss. Idem sonat et quod apud Merl.: *Qui id etiam actione firmastis, nisi scientes*. At edit. Rom. et Concil., post Crab., *quid id etiam*, suppresso deinde *nisi:* quod omittit pariter Quesn. præferens antea *quod etiam*. Apud Aug., *Qui id enim actione*, etc. Apud Garner., *Cur id enim actione*, etc. Si cui istud, *per omnes provincias de apostolico fonte petentibus responsa semper emanare*, exaggeratum videatur, ipsi recolendum est quod Hieronymus epist. 110, nunc 91, scripsit: *Cum in chartis ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ urbis episcopum, et Orientis Occidentisque synodicis consultationibus responderem*.

[j] Utpote *a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emersit*, quemadmodum in epistola superiori n. 1. habet; seu, ut Siricius epist. 5, n. 5, loquitur, *per quem et apostolatus et episcopatus in Christo cœpit exordium:* quod et Innocentius noster epist. 2, n. 2, exscribit.

[k] Solus Quesn., *se ab ecclesiastica communione sejungi*. Mox Garner., *fruetur*, pro *fungetur*.

[l] In edit. Rom. et Concil., *tutabitur*.

[m] Particula *cum* hic in uno ms. præmittitur.

samque quotidianæ precationis auferrent? Hoc est dicere, Quid mihi opus Deo? Merito in hos dicat hymnidicus: *Ecce homines, qui non posuerunt Deum adjutorem sibi* (*Psalm.* LI, 9). Negantes ergo auxilium Dei, inquiunt hominem sibi posse sufficere, nec gratia hunc egere divina: qua privatus, necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat, dum ad omnia vitæ perficienda mandata, sola tantummodo libertate contendat. O pravissimarum mentium perversa doctrina! [a] Advertens tandem, quod primum hominem ita libertas ipsa decepit, ut dum indulgentius frenis ejus utitur, in prævaricationem [b] præsumptione conciderit, nec ex hac potuit erui, nisi ei providentia regenerationis statum pristinæ libertatis Christi Domini reformasset [c] adventus: audiat David dicentem: *Adjutorium nostrum in nomine Domini* (*Psalm.* CXXIII, 8); et, *Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus* (*Psalm.* XXVI, 9). Quæ in cassum dixerit, si [d] tantum in ejus erat positum voluntate, quod a Domino flebili sermone poscebat.

4. Quæ cum ita sint, cumque in omnibus divinis paginis voluntati liberæ nonnisi adjutorium Dei legamus esse nectendum, eamque nihil posse cœlestibus præsidiis destitutam; quonam modo huic soli possibilitatem hanc pertinaciter, ut asseritis, defendentes, sibimet, immo, quod est [e] dignius dolore communi, jam plurimis Pelagius Cœlestiusque persuadent? Multifariis equidem, [f] ad destruendum tale magisterium, uti possemus exemplis, nisi sciremus sanctitatem vestram ad plenum scripturas omnes callere divinas; præsertim cum vestra relatio tantis ac talibus testimoniis sit referta, ut his solis valeat præsens dogma rescindi; opusque non esse reconditis, cum et iis, quæ facile vobis occurrentia posuistis, nec audeant obviare, nec possint. Ergo [g] Dei gratiam conantur auferre, quam necesse est etiam restituta nobis status pristini libertate quæramus; quippe [h] qui nec alias diaboli machinas nisi

A eadem possumus juvante vitare (*Augustin. lib.* II, *ad Bonifac.*, *c.* 4, *n.* 7).

5. Illud vero, quod eos vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem filii hominis, et biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis (*Joan.* VI, 54). Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum prædicant hos habere, quod in eos creditur nonnisi baptismate conferendum. Si ergo nihil volunt officere non renasci: fateantur necesse est, nec regenerationis sacra fluenta prodesse. Verum, ut superfluorum hominum prava doctrina celeri veritatis possit ratione [i] discingi, proclamat

B hoc Dominus in Evangelio dicens: *Sinite infantes, et nolite eos* [j] *prohibere venire ad me: talium est enim regnum cœlorum* (*Lucæ* XVIII, 16).

6. Quare Pelagium Cœlestiumque, id est, inventores vocum novarum, quæ, sicut dixit Apostolus, ædificationis nihil, sed magis vanissimas consueverunt parere quæstiones (II *Tim.* II, 23), ecclesiastica communione privari apostolici vigoris auctoritate censemus, donec resipiscant de diaboli laqueis, a quo [k] captivi tenentur secundum ipsius voluntatem; eosque interim Dominico ovili non recipi, [l] quod ipsi, perversæ viæ secuti tramitem, deserere voluerunt. Abscidendi sunt enim, qui [m] vos conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi (*Galat.* V, 12). Simul autem præcipimus, ut quicumque

C id pertinacia simili defensare nituntur, par eos vindicta constringat; *non solum enim qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus* (*Rom.* I, 32) [n]: quia non multum interesse arbitror inter committentis animum, et consentientis favorem. Addo et amplius: plerumque dediscit errare, cui nemo consentit. Hæc igitur, fratres charissimi, in supradictos maneat fixa sententia: absint atriis Domini, careant [o] dumtaxat custodia pastorali, ne duarum ovium dira contagia

[a] In veteribus edit. concil. ut apud Aug.: *Advertat id tandem*. In editis aliis ac duobus mss.: *Adverte tandem*: quibus et favet epistola 21 Cœlestini. c. 7, ubi iste locus sic refertur: *Adverte tandem o pravissimarum mentium doctrina*. Quocirca licet ibi verborum Innocentii ordo mutetur, tamen propter auctoritatem tam antiquam ad retinendum *adverte* propenderemus, nisi repugnaret series orationis, in qua non *audi*, ut Garn. et Quesn. invitis mss. ediderunt, sed *audiat* legere est. Magis igitur placet cum nonnullis mss. *advertens*, seu attendens.

[b] Quesn. cum uno ms. Colb., *præsumptionis*. Merl. et Crab., cum mss. Isid., *in prævaricationis præsumptione*.

[c] Solus Quesn., *adventu*.

[d] Garner., *si totum*.

[e] Apud Quesn., *gravius et dignius*. Deinde pro *dolore communi*, substituunt Garn., *dolore, communiter*. Tum pro particula *jam*, quæ in edit. Rom. est suppressa, male apud Merl. et Crab. exstat *nam*.

[f] Duo mss. Colb., *ad instruendum*: quam lectionem Merl. et Crab. secuti sunt.

[g] Garn., *Ergone Dei*.

[h] Quesn., *quippe qui nec aliquas*; Garn., *quippe nefarias*. Neutri suffragantur nostri mss.

[i] Ita Quesn. ac duo mss. Colb. At Merl. cum alio ms. Colb., *distingui*: mendose. Nec melius alii libri, *discindi*. Dixit et Silius, *dolos ratione discingere*.

[j] Duo mss. Colb., *prohibere a me. Pro qua re Pelagium*.

D [k] In uno ms., *capti*.

[l] Edit. Rom. et Concil., *quo ad ipsi perversæ viæ* (Merl., *secuti tramitem*, aliæ *quem secuti sunt tramitem*) *deserere voluerint*: castigantur ex mss.

[m] Duobus in mss., *nos*.

[n] Supple, *constringere par vindicta debet*. Apud Quesn. hic adjicitur, *digni sunt pœna*, haud scio an aliqua auctoritate. Horum loco apud Merl. et Aug. ex duobus mss. Vatic. habetur, *digni sunt morte*. Garnerius vero hæc velut Scripturæ verba repræsentat: *Non solum enim digni sunt morte qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. Tres illæ lectiones interpolatoris operam eo magis subolent, quod in mss. nostris, ut in edit. Rom., Crab. et aliis mera exstent Apostoli verba. Et ea quidem episcopis Scripturas callentibus indicasse satis fuit.

[o] Particula *duntaxat* apud Aug. desideratur. Eamdem non solum prætermisit Garner. sed et Innocentii sententiam ita mutavit, *Caveat custodia pasto-*

serpant forsitan per vulgus incautum, rapacique lupus corde lætetur intra ovile Dominicum tantas ovium fusas catervas, dum a custodibus dissimulanter habetur vulnus duarum. Prospiciendum est ergo, ne permittendo lupos, mercenarii magis videamur esse, quam pastores. Jubemus sane (quoniam Christus Dominus noster propria [a] voce signavit, nolle se mortem morientis (*Ezech.* XXXIII, 11; II *Pet.* III, 9), tantum ut revertatur et vivat), si umquam ad [b] sanum deposito pravi dogmatis errore resipuerint, damnarintque ea quorum se ipsi prævaricatione damnarunt, eis medicinam solitam, id est, receptaculum suum ab Ecclesia non negari : ne dum eos redeuntes forsitan prohibemus, [c] vere extra ovile remanentes, exspectantis hostis rabidis faucibus glutiantur, [d] quas in semetipsos spiculis malæ disputationis armarunt. Bene valete fratres. Data sexto kalendas Februarii (27 *Jan. ann.* 417), Honorio et [e] Constantio viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA [f] XXXI.

Rescribit Innocentius quinque episcopis, quid de eorum sententia, quid de Pelagii perfidia sentiret, se jam satis notum fecisse : hæretici hujus fautores, si Romæ sint, latere; sed ubivis degant damnandos esse, eorumque saluti prospiciendum : Pelagii in Palæstina purgationem sibi valde esse suspectam; sed judices ejus nec culpare se, nec approbare; nihil opus esse ut eum Romam accersat, certe librum illius blasphemiis refertum esse: si ipse errores anathemet, facilius revocatum iri quos seduxit; sed his saltem consulendum.

INNOCENTIUS [g], AURELIO, ALYPIO, AUGUSTINO, EVODIO, POSSIDIO episcopis salutem.

1. Fraternitatis vestræ litteras, plenas fidei, totoque religionis catholicæ vigore firmatas, a duobus missas conciliis per fratrem et coepiscopum nostrum Julium pergrato suscepimus animo, quod earum tenor omnisque contextio [h] in consideratione quotidianæ gratiæ Dei, et in eorum correctione qui contra sentiunt, integra ratione consistit : ut et illis omnem tollere [i] possit errorem, et idoneum, dato quovis nostræ legis exemplo, quem sequi debeant, dignum possint præbere doctorem. Sed de his jam satis, ut opinor, supra diximus, cum vestris relationibus respondentes, rescripsimus quid vel de illorum perfidia, vel de vestra sententia sentiremus. Sed subinde contra eos subvenit et suppeditat quod dicatur: nec potest aliquando [j] esse quod vincat, cum tam miserum impiumque sit, quod nostræ fidei virtute et ipsa plenius veritate vincatur. Qui enim omnem vitæ spem respuit atque contempsit, inimica damnabilique cor suum disputatione confundens, cum credit nihil esse quod a Deo accipiat, nec aliquid superesse quod petat ad sanandum se; qui sibi hoc abstulit, ulterius [k] quid reliquit?

2. Si ergo sunt aliqui, quos in sui defensionem perversitas tanta [l] devinxit, qui huic se dogmati dedant atque conjungant, sperantes hoc ad catholicam pertinere doctrinam, quod abhorrens longius et penitus approbatur adversum, [m] affectu illorum et monitis et verbis ut laberentur inducti, quatenus ad rectum viæ tramitem redeant, festinabunt, [n] ne diutius mentem obsidens velut eorum sensibus pastus

ralis. Quemadmodum is papa in epistolæ hujus exordio pastores laudat, qui oves *illicenter dudum petita vitantes*, hoc est ad meliorem frugem conversas, *custodiæ pristinæ circumspectione tueri* non dedignantur; ita nunc oves illas, quæ in errore pertinaciter permanent, carere vult custodia pastorali, seu a grege, qui pastorum custodiæ commissus est, separari.

[a] Garner. *propria voluntate significavit*. Verbum *significavit* exinde apud Aug. translatum.

[b] In uno ms. Colb. deest *ad sanum*, pro quo alter præ se fert *sano*, Quesn. *sanum*, Garn. *sani*.

[c] Apud Quesn., ut in uno ms. Colb., *velut*, pro *vere*. Hujus vocis loco Garn. substituit *oves*. Deinde apud Augustin. ex mss. Vatic., ut in marg. Labb., *remanentes et exspectantes*. Tum Merl. *hostis rapidi*. Aliæ edit. Concil. cum Rom. *hostis rapidis*. At Garn. vocem *rabidis* omittit, nec ullam ei substituit.

[d] Garn. *quas in semetipsas*. Quesn. cum vetere exemplari Colb. *quo auctore semetipsos quibusdam* (Colb. ms. *quosdam*) *spiritalis*.

[e] In mss. Isid. *Constantino*. Apud Merl. *Constantio consulibus*. In aliis edit concil. ac Rom. *Constantio viris clarissimis* (unus codex Colb. *vv. cc.*) *consulibus*. Apud Garner. *Honorio* XI *et Constantio* II *coss*. Ut accurata esset nota illa consularis, enuntiari sic deberet, *Honorio Augusto* XI *et Constantio v. c.* (hoc est viro clarissimo, non *vv. cc.* quod est viris clarissimis) *consulibus*. Verum ex epistolis 29 et 31, quæ ex melioris notæ mss. quam ista, ad nos transmissæ sunt, reformanda est hæc nota. Non enim videtur ambigendum, quin tres epistolas simul datas eadem ratione, adeoque *post consulatum Theodosii* VII *et Junii Quarti*, Innocentius consignarit. Sed quia post consulatum Theodosii VII et Junii Quarti Honorius et Constantius eadem dignitate insigniti sunt : conjectura est antiquarii alicujus opera ad marg. adjectum esse *Honorio et Constantio cons.* atque hoc scholion e margine in textum fuisse translatum.

[f] In edit. Concil. 26. Quæ autem erat 39, nunc 5.

[g] In ms. Corb., *Dilectissimis fratribus Aurelio, Alypio, Augustino, Evodio, Possidonio Innocentius*.

[h] Garn hic *contextio est*, et infra *integra relatio ita consistit*, pro *integra ratione consistit*. Antea pro *correctione*, exstat in ms. Corb., *correptione*.

[i] Apud Quesn. ut in ms. Pith., *possint*. Rectius alii libri *possit*, scil. contextio litterarum. Deinde edit. Rom. et Concil. *idoneo dato cuivis*, nisi quod in vetustioribus edit. Concil. restat *quovis*. Apud Garner. *idoneum cuivis, dato legis*.

[j] In edit. Merl., Crab., Garn. et Aug., ut in mss. Vatic., *deesse*. Præferendum videtur cum aliis libris *esse* : quasi dicatur. Nec potest aliquando fieri, ut id vincat dogma, quod tam miserum tamque impium est, ut fidei nostræ virtute et ipsa veritate plenius vincatur.

[k] Vatic. mss., *quid requirit*.

[l] Merl., *defixit*, Garner., *devinxerit*. Inferius Crab. et Lab., *oberrans*; et edit. Rom., *aberrans* pro *abhorrens*.

[m] Editi, *infecti*; Vaticanus ms., *infectis* : corriguntur ex veteri exemplari Colb. Hæc respondent verbis quinque episcoporum n. 14. *quod scandalum auditores et in perversum* DILECTORES EJUS *usquequaque spargere non cessant. Si enim cognoverint*, etc.

[n] Garner., *nec diutius.... invadet*.

error invadat. Nam si Pelagius, quocumque restitit A loco, eorum animos, qui facile vel simpliciter crederent disputanti, hac affirmatione decepit, [a] seu hac illi in urbe sint, quod nescientes nec manifestare possumus nec negare, cum et si sunt lateant, nec aliquando audeant vel illum prædicantem ista defendere, vel talia [b] aliquo nostrorum præsente jactare, et in tanta populi multitudine deprehendi aliquis facile, [c] nec alicubi possit agnosci: sive in quovis terrarum loco degant, Dei nostri misericordia gratiaque credimus, quod facile corrigantur, audita ejus damnatione, qui fuerit pertinax et resistens hujus dogmatis auctor inventus. Nec interest ubi isti fuerint, dum ubicumque inveniri potuerint, sint sanandi.

3. Nobis tamen [d] nec persuaderi potest eum esse B purgatum, quamvis ad nos [e] a nescio quibus laicis sint gesta perlata; quibus ille et auditum se crederet, et absolutum. Quæ utrum vera sint, dubitamus, quod sub nulla illius concilii [f] prosecutione venerunt, nec eorum aliquas accepimus de hac re litteras, apud quos istius rei iste præstitit causas. Quod si de sua ille potuisset purgatione confidere, hoc magis credimus quod egisset, quod multo verius esse potuerat, ut illos cogeret epistolis suis [g] quid judicaverant indicare. Verum cum sint aliqua in ipsis posita gestis, quæ objecta partim ille vitando suppressit, partim multa in se verba retorquendo tota obscuritate confudit, aliqua magis falsis argumentis, quam vera ratione [h] ut ad tempus videri poterat, purgavit, negando alia, alia falsa interpretatione C vertendo.

4. Sed utinam, quod optandum est magis, jam se ille ad veram catholicæ fidei viam ab illo sui tramitis errore convertat, ut cupiat velitque purgari, considerans quotidianam Dei gratiam, adjutoriumque cognoscens, ut videatur [i] vere et approbetur ab omnibus manifesta ratione correctus, non gestorum judicio, sed ad catholicam fidem corde converso! Unde non possumus illorum nec approbare nec culpare judicium, cum nesciamus utrum vera sint gesta; aut si vera sint, illum constet magis subterfugisse, quam se tota veritate purgasse. Qui si confidit, novitque non nostra dignum esse damnatione [j] quod dicat aut jam hoc totum se refutasse quod dixerat; non a nobis accersiri, sed ipse debet potius festinare, ut possit absolvi. Nam si adhuc taliter sentit; quando se nostro judicio, quibusvis [k] accitus litteris, cum sciat damnandum se esse, committet? Quod si accersiendus esset, ab iis melius fieret, qui magis proximi et non longo terrarum spatio videntur esse disjuncti. Sed non deerit cura, si medicinæ præbeat ille materiam. Potest enim damnare quæ senserat, ac datis litteris, erroris sui, ut regressum ad nos decet, veniam postulare, fratres charissimi.

5. Librum sane, qui ejus esse diceretur, nobis a vestra charitate transmissum evolvimus: in quo multa contra Dei gratiam legimus esse conscripta, multa blasphema, nihil quod placeret, nihil [l] pene quod non penitus displiceret, a quovis damnandum atque calcandum, cujus similia, nisi qui ista scripserat, nemo alter in mentem reciperet atque sentiret. Nam hoc loco de lege latius disputare, velut coram posito repugnanteque Pelagio necessarium esse non

[a] Unus codex Colb. ac Pith. cum Corb. a 1 manu, *seu hic illi*, etc. Alter ut apud Quesn., *seu hic aliqui decepti sint, quos nescientes*.
[b] In uno ms., *quolibet nostrorum*.
[c] Apud Garner., *nec ubi lateat possit*. Inferioris notæ mss., *nec deprehendi aliquis facile vel alicubi*.
[d] Loco particulæ *nec*, Garner. substituit *vix*.
[e] Garner. e priscis Augustini edit. huc revocavit, *a nostris quibusdam laicis*. Diospolitanæ synodi gesta hic memorantur.
[f] Merl. et Crab., *executione*; deinde Garner., *innotuerint*: refragantibus aliis libris.
[g] Apud Quesn. *quid judicaverint*, quod et secundis curis habet codex Navarreus: qui quidem cum aliis Isidori exemplaribus præ se ferebat *quid judicaverunt*. Posteriores edit. Concil., *qui judicarerunt*. Apud Aug. *qui dijudicaverunt*. In edit. Rom., ut in mss. Colb., Pith. et Corb., *quid judicaverant*. Ad hæc propius accedit quod ex Merl., Crab., etc., revocamus *qui dijudicaverant*. At istud Garn. *quod judicaverant more ecclesiastico indicare*, glossema sapit.
[h] Unus e mss. Colb., *quod ad tempus*. Totum hunc locum ita Garn. exhibet, *quam vera ratione purgavit negando, alia falsa interpretando, ne ad tempus quidem videri potuerit absolutus*, verbis demptis additisve aut loco motis præter fidem aliorum librorum. Ex hac Innocentii narratione suspicari est non sincera ad eum missa esse Diospolitanæ synodi gesta, sed ea quæ Pelagius adulteraverat, quæque *defensionis suæ chartulam* vocabat, qualia et ad Augustinum idem hæreticus miserat. Certe cum operam dedisse, ut adulterata illa gesta usquequaque discurrerent, suspicatur et Augustinus lib. de Gestis Pelagii, n. 57, ubi ait: *Quis non credat id fuisse procuratum, ut tamquam pro gestorum illorum breviatione ista charta usquequaque discurreret?* Nec immerito opinemur ignotos illos viros, qui scriptum memoratum detulerunt, Pelagio addictos fuisse, atque id Innocentio tradidisse, quod magistro suo favere persuasum haberent. Jure igitur Innocentius de gestis illis, *utrum vera sint*, dubitare se superius ait, interiusque repetit.
[i] Apud Aug. ut in mss., *verum*. Mox Lab., post edit. Rom. et Merl., *gestorum judicio*: mendose.
[j] Quesn. præmisso antea, *Qui si se confidit*, hic subjicit, *ut confirmet verum esse quod dicat, aut etiam hoc totum*, etc., merum glossema, quod neque in veteribus Codicis ab ipso vulgati exemplaribus deprehendimus. In edit. Rom. desideratur conjunctio *aut* ante *jam hoc totum*. A Garnerio et exinde in nova Aug. editione ita vulgatus est hic locus: *Quod si confidit novitque nostra dignum se esse damnatione*, D *quod dicat jam totum hoc refutare* (apud Aug., *refutasse*) *quod dixerat*. Nostra lectio eo est potior, quod non solum ad veterum codicum fidem expressa, sed et cæteris plenior atque integrior est. Hoc enim sibi vult Innocentius, ut si Pelagius confidat damnatione dignum non esse quod etiam nunc dicat ac doceat, vel jam refutasse seu retractasse ac repudiasse quod pridem dixerat ac docuerat, ipse de absolutione sua certus Romam debeat properare.
[k] Editi, *acceptis*; Pith. ms., *acceptus*. Concinnius Corb., *accitus*. Paulo ante pro *accersiri*, in ms. Vatic. exstat *acciri*.
[l] Istud *pene*, ac superiora verba, *multa contra Dei gratiam legimus esse conscripta*, ex editione

duximus; cum vobiscum [a] totam scientibus, parique nobiscum assensione gaudentibus colloquamur. Tunc enim melius hæc exempla ponuntur, quando cum iis, quos harum constat rerum [b] imprudentes esse, tractamus. Nam de naturæ possibilitate, de libero arbitrio, et de omni Dei gratia, et quotidiana gratia, cui non sit recte sentienti uberrimum disputare? Anathemet ergo iste quæ sensit: ut illi, qui ejus sermonibus fuerant præceptisque collapsi, quid tandem habeat fides vera cognoscant. Facilius enim revocari poterunt, cum ista a suo senserint auctore damnari. Quod si ille pertinaciter in hac voluerit impietate persistere, agendum est [c] quatenus vel iis possit subveniri, quos non suus, sed hujus magis error induxit; ne et illis hæc medicina pereat, cujus iste talem non admittit nec postulat curam. (*Et alia manu:*) Deus vos incolumes custodiat, fratres charissimi. Data sexto kalendas Februarias (*Jan.* 27, *ann.* 417) [d] post consulatum gloriosissimi Theodosii augusti VII et Junii Quarti Palladii V. C.

EPISTOLA [e] XXXII.

Aurelium Innocentius familiariter resalutat.

INNOCENTIUS AURELIO episcopo Carthaginensi.

In familiaribus scriptis dilectio vera consistit. Etenim jus firmius charitatis officia melius [f] seorsum mercantur. Quamobrem per fratrem nostrum Julium epistolæ extrinsecus missæ respondere [g] gestivi, ne apud me forsitan remaneret peculiaris negatæ salutationis offensa, frater charissime. Supradictum igitur fratrem nostrum tuæ dilectioni restituo cum apostolicæ sedis [h] ad relationem duplicis synodi judicatis. Superest, ut oratus a nobis Dominus præstare dignetur, quatenus omnis Ecclesiæ suæ macula, continuis laboribus nostris possit abstergi. Deus te incolumem custodiat, frater charissime. Data sexto kalendas Februarias [i].

MONITUM IN EPISTOLAS TRES SEQUENTES.

1. Tres epistolæ sequentes inter pontificias litteras e veteri Vaticanæ bibliothecæ libro Romæ primum editæ, postea et a Baronio collatione earum facta cum altero codice ad annum 416 recusæ sunt. Unde vero iis scribendis occasionem datam existimarit primus illarum editor, sic explicat: « Cum Joannes Hierosolymorum episcopus Origenis errores sequeretur, Hieronymus apud Bethleem degens, aliique permulti ab ejus communione abstinebant. Quam ob rem Joannis opera multis affecti sunt malis. » Veriorem autem illarum causam comperimus ex iis, quæ Augustinus ad calcem libri de Gestis Pelagii narrat in hunc modum: « De his autem, quæ post hoc judicium (Diospoli in Palæstina habitum) ibi a nescio quo cuneo perditorum, qui valde in perversum perhibentur Pelagio suffragari, incredibili audacia perpetrata dicuntur, ut Dei servi et ancillæ ad curam sancti Hieronymi pertinentes, sceleratissima cæde afficerentur, diaconus occideretur, ædificia monasteriorum incenderentur, vix ipsum ab hoc impetu atque incursu impiorum in Dei misericordia turris munitior tueretur, tacendum nobis potius video, et exspectandum quid illic fratres nostri episcopi de his tantis malis agendum existiment, a quibus eos dissimulare posse quis credat? » Ea enim quæ in subjectis epistolis describuntur mala, Hieronymum minime ab Origenistis, sed a Pelagianis perpessum esse liquet.

2. Ex eadem narratione discimus, horum hæreticorum in monasterium Hieronymi curæ commissum irruptionem post Diospolitanam synodum contigisse. Unde illud consequens est, ut nequaquam tunc evenerit, cum Hieronymus a Joannis communione abstinebat. Anno enim 415, mense Decembri labente, celebrata est Palæstina seu Diospolitana synodus. Ab anno autem 397, Joannem Theophili Alexandrini opera cum Hieronymo reconciliatum esse eruditi probant. (*V. Tillem. tom.* XII, *p.* 199.) Indidem quoque manifestum est, epistolas sequentes minime ante annum 416 fuisse scriptas. Sed neque hoc anno illas multo posteriores esse Joannis mors anno 417 consignata persuadet. A Baronio ad finem

Aug. et mss. Vatic. et Corb. cum deessent in aliis, sunt restituta.

[a] Edit. Rom. et Concil. *totam rem*. Corb. ms., *totum*. Verius editi alii et scripti libri, *totam*, scilicet legem. Ut enim annotavit Quesnellus, alludit Innocentius ad illud Apostoli Rom. VII, 1: *scientibus enim legem loquor*. Ita et postea Cœlestinus Ephesinam synodum alloquens epist. 17, n. 4, ait: *His omnibus breviter animati, quia, sicut ait Apostolus, scientibus legem loquor*.

[b] In tribus mss. ut in edit. Concil., *prudentes*. Rectius alii libri *imprudentes*, hoc est imperitos ac rudes, qui legem minus calleant. Quocirca proximum *melius* perinde est atque opportunius et convenientius.

[c] Garn., *qualiter vel iis possit subveniri, quos non scelus huc, sed magis error induxit*: corrupte. Hic erroris auctor ab iis, quos ille seduxit, distinguitur.

[d] Apud Quesn. ut in edit. Rom. et Concil. ac plerisque mss. desunt quæ subsequuntur. Horum loco substituit Garner., *Honorio* XI *et Constantio* II *coss.* Qui Corbeiensem pinxit codicem, nisi vetustius sit mendum, sinceram lectionem præ oculis habens, eam ex imperitia sic depravatam exhibuit: *Pridie kalendas Februarias gloriosissimi Theodosii qui et Junii quarti Palladii v. c. conss.* Nempe, ut in novissima Augustini editione observatum fuit, notam *p. c.* loco movens, et cum VI *kalendas* conjungens, inde fecit *pridie kalendas*; et loco *Theodosii* VII *aug.* legit *Theodosii qui*. Ex collatione epistolæ 29, ut manifestus fit uterque lapsus, ita et restauratur. Eadem inscriptio in ms. Vatic. ita effertur: *Data kal. Februarii post. cons. Theodosii aug. et Junii Quarti Palladii*, omissis scil. duabus numericis notis.

[e] In edit. Concil. 27. Quæ autem 32 erat, nunc 33. In veteribus Codicis a Quesnello vulgati necnon collectionis Isidori exemplaribus habetur, inscribiturque magno consensu *epistola familiaris*. Eodem tempore, quo tres superiores, scripta ac per eumdem episcopum Julium missa est.

[f] Edit Rom. et Concil., *melius se orsa mercantur*: corriguntur ex mss. Mox *extrinsecus missæ*, id est separatim scriptæ.

[g] Vetus exemplar Cod. Quesn., *respondere maluimus, ne apud nos forsitan*, mox omisso *frater charissime*.

[h] In priscis edit. Concil. ac Rom. perperam hic vox *dignum* et præter fidem mss. additur. Porro *judicata* appellat Innocentius responsa, quæ apostolicæ sedis de rebus ad ipsam relatis judicium indicent. Hæc duo verba, *judicatum* et *constitutum* Vigilio papæ et Gregorio synonyma esse suo loco visuri sumus.

[i] Nota consularis hic prætermissa, ex superioribus epistolis est supplenda.

anni 416 referuntur. Verum eas in annum 417 differendas esse ipsi ex epistola 33 colligendum fuit. A
Aurelium enim, cui inscribitur hæc epistola, et per quem Hieronymus litteras suas Innocentio tradi, ac vicissim Innocentius eas quibus Hieronymo rescribebat, ipsi reddi voluit, non alium esse censet ab episcopo Carthaginensi; nec ei hac in re ullus refragatur. At vero dum Aurelius iste cum collegis anno 417 ineunte ad Innocentium contra Pelagium atque Cœlestium scriberet, Hieronymum ab horum hæreticorum satellitibus quidquam passum esse ignorabat. Tunc tantum in Africa pervulgatum erat, Pelagium Hierosolymis constitutum multos ibi fallere, sed multo plures, ex quibus in epistola Milevitanæ synodi Hieronymus unus appellatur, « adversus eum pro gratia Christi et catholicæ fidei veritate confligere. » Certe postulabat hic locus, ut et id, quod novus gratiæ Christi defensor ab impiis pertulerat, adjiceretur, si facinoris tam atrocis notitia in Africam pervenisset. Non ambigendum tamen, quin acerrimus ille Hieronymi adversus Pelagium conflictus vera exstiterit causa, cur cum eo tam crudeliter actum sit. Quamvis igitur Eustochium et Paula violentiæ monasterio suo illatæ causam et auctorem reticuissent, Innocentio tamen de iis, quæ Pelagius Hierosolymis actitabat, præmonito hoc subodorari difficile non fuit. B

3. Joannem Hierosolymitanum minacibus adeo litteris corripuit is papa, non solum, quia ejus erat tanta flagitia vel coercere vel vindicare; sed et quia eum illis favisse suspicio forte non deerat. Non latebant veteres inter illum et Hieronymum Origenis causa etsi jam pridem sopitæ simultates. Fama quoque nuntiante audierat, quantum a Joanne Pelagius diligeretur. Quocirca ipsum Joannem Augustinus epist. 179, n. 1, sic alloquitur : « Pelagium vero fratrem nostrum, filium tuum, quem audio quod multum diligis; » et num. 5 : « Si diligitis Pelagium, diligat vos etiam ipse, immo magis se ipsum, et non vos fallat. » C

4. Demum observamus, epistolam Innocentii ad hunc Joannem Græcam phrasim sapere : adeoque hunc papam vel Græce scripsisse, vel certe ut quod Græce scripserat in latinum converteretur, curasse, ac solam hujus Græci textus interpretationem Latinam litteræ valde tenacem ad nos pervenisse. Sane unus et alter locus, qui prima specie obscuri vel etiam manci apparent, ad Græcam phrasim exacti, statim perspicui et integri evadunt.

EPISTOLA [a] XXXIII.

Litteras Aurelio mittit Innocentius Hieronymo reddendas.

Dilectissimo fratri AURELIO INNOCENTIUS.

Piissimam etiam ad nos perveniendi [b] tuam affectionem bene compresbyter noster credidit Hieronymus. Compatimur gregis nostri membro, et quod faciendum duximus, vel facere potuimus, sumus velociter exsecuti. Germanitas tua, frater charissime, citius litteras memorato (*Hieronymo*) reddere festinet.

EPISTOLA [c] XXXIV.

Innocentius Hieronymum, ob ea quæ passus est consolatur, et quid pro tempore faciendum duxerit, ac jam fecerit, declarat.

Dilectissimo filio HIERONYMO presbytero INNOCENTIUS.

Numquam boni aliquid contentionem fecisse in Ecclesia testatur Apostolus; et ideo hæreticorum correptiones primum fieri jubet [d] magis, quam diuturna duci collatione. Quæ regula dum negligenter [e] aspicitur, malum non vitatur quod cavendum est, sed augetur. Tamen quoniam dolor gemitusque tuus ita quatit viscera nostra, ut [f] ratio non tractandi consulendique sit : primum constantiæ tuæ alloquor fidem. Pro veritate quisque injuria, aut, ut dicis, periculo percelletur, [g] quia exspectet beatitudinem, multis sæpe narrastis, et [h] tuarum te prædicationum bene memorem commonemus. Itaque excitati tanta malorum scena, arripere auctoritatem sedis apostolicæ ad omne comprimendum nefas festinavimus; sed in quem insurgeremus nec nomine appellatum legimus, nec criminis aliqua ratione taxatum. Quod ergo possumus, condolemus. Si deposueris autem apertam manifestamque in homines aliquos accusationem, aut judices competentes tribuam, aut si aliquid urgentius sollicitiusque a nobis fieri potest, non retardabo, fili dilectissime. Tamen episcopo fratri meo Joanni scripsi, ut circumspectius agat : ne [i] quid circa ecclesiam sibi creditam adhuc tale

[a] In edit. Concil. 34. Quæ autem 33 erat, nunc 34.

[b] Hieronymi sicut et Eustochii ac Paulæ ad Innocentium litteras ab Aurelio ipso perlatas fuisse hinc sibi nonnulli secundum Baronium persuadent. Hic tamen Aurelius in Urbem *perveniendi affectionem* habere, non pervenisse memoratur. Nec si exstitisset coram, litteris istis opus fuisset. Satius igitur censuerimus eum, ut ab aliquo e suis deferrentur, operam dedisse.

[c] In edit. Concil. 32. Quæ autem 34 erat, nunc 33.

[d] Ita corrigendum duxeramus, quod nullo, immo Innocentii menti contrario sensu ita vulgatum erat, *magisque diuturna*, cum ex ipsius archetypi Vaticani recognitione conjectura nostra firmata est, ac mendum ex mera librarii in legendis veteribus libris imperitia natum esse didicimus. Respicit Innocentius ad istud Pauli Tit. III, 10 : *Hæreticum hominem post primam et secundam correptionem devita.* Id vero maxime docet ille papa de hæretico pertinaci et fraudulento, qualis erat Pelagius, qui fallere magis studebat et hæresim suam tegere, quam quærere veritatem.

[e] Baronius rejecto ad oram libri *aspicitur*, quod hic perinde est atque consideratur, substituit in textu *accipitur*.

[f] In ms. Vatic. deest *ratio*. Aliquod aliud vocabulum ad integritatem sententiæ desideratur. Integrior erit, si legatur, *ut nulla ratio*.

[g] In edit. Concil. post Baron. *qui exspectat*. D Verius Rom. cum ms. Vatic. *quia exspectet*. Nitidior fiet hæc lectio ita constructa : *Quisque* (ceu *quisquis*) *injuria aut periculo pro veritate percelletur, quia is beatitudinem exspectet, ipsi multis sæpe narrastis*, seu exposuistis. Ex quo sequitur, ut hujusmodi vir, cum spe beatus sit, minus sit lugendus.

[h] Edit. Rom., *et tu averte prædicationum ;* cæteræ, *et tuæ verbis prædicationis :* ope ms. Vatic. in quo exstat *tuarum te prædicationum*, castigantur.

[i] Integrior fiet hic locus, si ita legatur : *ne si circa ecclesiam sibi creditam adhuc tale aliquid fiat, quale providere eum oportuit ne accideret, vel ne accidat.* Hic memorat Innocentius quod sub epistolæ sequentis initium ad Joannem scribit : *Oportuit custodire germanitatem tuam, et gregi suo sollicitius providere, ne quid hujusmodi oriretur*, necnon alia, quibus eamdem epistolam claudit. Cum iis, quæ Innocentius nunc scribit, hæc Augustini lib. de Gestis Pelagii, n. 66, conferenda sunt de iisdem malis verba : *Impia*

aliquid fiat, quale providere et propellere, ne accideret, vel ne accidat, etiam ipsi sit et postea molestissimum.

EPISTOLA [a] XXXV.

Joannem Hieronymum Hierosolymitanum prospicere debuisse, ne tot ac tantis malis, quibus afflictæ sunt Paula et Eustochium, opprimerentur, ac nisi hæc deinceps aut corrigantur, aut retundantur, rationem inde redditurum.

Dilectissimo fratri JOANNI INNOCENTIUS.

Direptiones, cædes, incendia, omne facinus, extremæ [b] clementiæ generosissimæ sanctæ virgines Eustochium et Paula deploraverunt in locis Ecclesiæ tuæ perpetrasse diabolum : nomen enim hominis causamque reticuerunt. Quod etsi ambiguum non sit [c] a quo commissum, oportuit tamen custodire germanitatem tuam, et [d] gregi illius sollicitius providere, ne quid hujusmodi oriretur, quod cum aliorum periculo tua lacessit negligentia [e] admittere in gregem Domini; et tales agnas incendio, armis et persecutionibus, nudas, debiles, post suorum cædes et mortes, vix vivere audivimus. Nihil movet pietatem [f] illam sacerdotii tui de tanta diaboli in te atque in tuos potestate admissa ? in te, inquam ; prorsus enim [g] sacerdotis gravitatem condemnat tantum nefas in Ecclesia fuisse completum. Ubi provisiones tuæ? ubi certe, si casus evenerant, auxilia vel consola- A tiones, cum plus se adhuc metuere dicant, quam conqueruntur esse perpessas ? Altius censerem, si essent aliquid de hac re mecum apertius collocutæ. Vide, frater, antiqui hostis insidias, et spiritu boni rectoris pervigila, ut hæc, quæ ad nos opinione magis, quam accusatione manifesta, delata sunt, vel corrigantur, vel retundantur : ne jus ecclesiasticum de labefactatis [h] causas eum, qui non defenderit, præstare compellat.

EPISTOLA [i] XXXVI.

Si maritus cujus uxor in captivitatem fuerat abducta, alterum acceperit, revertente prima, secunda mulier debet excludi.

INNOCENTIUS [j] PROBO.

B Conturbatio procellæ barbaricæ facultati [k] legum intulit casum. Nam bene constituto matrimonio inter Fortunium et Ursam captivitatis incursus fecerat nævum, nisi sancta religionis statuta providerent. Cum enim in captivitate prædicta Ursa mulier teneretur; aliud conjugium cum Restituta Fortunius memoratus inisse cognoscitur (34, *q.* 1 *et* 2, *c.* 2; *Ivo p.* 8, *c.* 245). Sed favore Domini reversa Ursa nos adiit, et nullo diffitente, uxorem se memorati perdocuit. Quare, domine fili merito illustris, statuimus, fide catholica suffragante, illud esse conjugium, quod erat primitus [l] gratia divina fundatum;

quippe dogmata hujusmodi hominum a quibuslibet catholicis etiam qui ab illis terris longe absunt, redarguenda sunt : ne ubicumque nocere possint quo pervenire potuerint. Impia vero facta, quorum coercitio ad episcopalem pertinet disciplinam, ubi committuntur, ibi potissimum a præsentibus vel in proximo constitutis diligentia pastorali et pia severitate plectenda sunt. Nos itaque tam longe positi, optare debemus his causis talem illic finem dari, ut non sit necesse ubilibet ulterius judicari. Ubi is doctor impia dogmata ab impiis factis distinguens, impia dogmata a quocumque catholico et ubicumque argui, non item impia facta a quolibet coerceri posse docet. Aliter vero Innocentius de sedis suæ potestate sentiens, impia facta in territorio non minus procul a se quam ab Augustino distanti commissa, vel judicibus competentibus datis, vel alia etiam ratione vindicandi sibi jus esse non dubitavit. Quamquam ad Augustini sententiam in eo accedit, quod *competentes judices* a se tribuendos docet. Hoc enim nomine episcopos vel in eadem provincia vel in proxima constitutos intelligere haud immerito videatur.

[a] In edit. Concil. 32.

[b] Placuit aliquando cum Baronio et edit. Concil. *dementiæ :* sed nobis postmodum visum est potius hinc laudari sanctas virgines velut *extremæ clementiæ*, quod infesti hominis nomen odiorumque causam reticuerint : adeoque Romanæ editionis lectioni hærendum.

[c] Hujus facinoris suspicio in Pelagium cadebat.

[d] Ita Baron. At edit. Rom. *gregis*. Is primus est locus, ex quo epistolam hanc e Græco conversam conjectavimus. Nam quod Græce τῷ ποιμνίῳ ἑαυτοῦ seu αὐτοῦ, si Latine non ad verbum *gregi illius*, sed ut locutio Latina postulat, *gregi suo* reddatur, quæ manca primum et obscura apparebat orationis series, plena et aperta fiet.

[e] Edit. Rom. et Concil., *amittere gregem*, ex prava lectione veterum librorum, in quibus *ammittere* pro *admittere* scribi solet : corriguntur ex Baronio, apud quem tamen deinde non levius exstat erratum,

C ubi legitur *et tales agnos, quos incendio.... nudas*, quasi vox *nudas* sit secunda persona verbi *nudo*. Quo posito Joannes horum facinorum auctor, renitente totius epistolæ serie, prædicatur.

[f] Redolet et alter iste locus Græcum Latine ex more linguæ suæ loquentem, et qui cum Græce τὴν εὐσέβειαν prælegisset, articulum τὴν vocabulo *illam* Latine exprimendum existimarit. Deinde Latinius *tanta... potestas*, quam *de tanta... potestate*, dixisset.

[g] Apud Baron., *sacerdotii*.

[h] Editi, *causis*, pro quo verbo *causam*, hoc est *rationem*, restituendum esse jam conjeceramus, cum in archetypo *causas* legi didicimus. Porro *jus ecclesiasticum* recto in casu hic enuntiatur.

[i] In edit. Concil. 9. Inter Innocentii decreta Dionysius Exiguus epistolæ huic 37 locum tribuit. Eam inde sumpsit Hispanæ collectionis compilator, ex quo et Isidorus, ut solet, eamdem exscripsit. A Cresconio c. 226 laudatur. Nullam præ se fert temporis, quo scripta sit, notam. Quapropter eam in classem epistolarum incerti temporis amandare cogimur.

[j] Hic Probus filius exstitisse videtur Probi præfecti D prætorio et Probæ Faltoniæ insignis illius matronæ, de qua et de liberis ejus Hieronymus epist. 8, ad Demetriadem, hæc habet : *Proba illa omnium dignitatum et cunctæ nobilitatis in orbe Romano nomen illustrius, cujus sanctitas et in universos bonitas etiam apud barbaros venerabilis fuit, quam trium liberorum Probini, Olybrii et Probi non fatigarunt ordinarii consulatus : et cum incensis direptisque domibus in Urbe captivitas sit, nunc habitas dicitur venumdare possessiones*. Ursa quidem captivitate illa, quæ anno 409, mense Augusto, Urbe ab Alarico expugnata, accidit, abducta facile creditur, sed quando redierit ignoratur.

[k] Ita edit. Rom. cum sincero Dion. exemplari Regio. Alii vero libri, *legis*.

[l] Conjugium, quod catholica fides *divina gratia fundatum* censet, merito credimus sacramentum. Simili de causa simile Leonis epist. 149, n. 2, postea responsum fuit. Sub uno etiam canone 226 Cresconius utriusque pontificis responsa indicat. Antea Ter-

conventumque secundæ mulieris, priore superstite, nec divortio ejecta, nullo pacto posse esse legitimum.

EPISTOLA [a] XXXVII.

I. *Si quis volens partem sibi corporis amputavit, clericus esse non potest; nolens autem potest.*—II. *Quod digami admitti ad clerum non possint.* — III. *Qui de laicis ad clerum non debeant promoveri.* — IV. *Qui de laicis possint clerici fieri. Hic aperte concuba prohibetur.* — V. *De temporibus in cleri ordinibus immorandis.*

INNOCENTIUS FELICI episcopo [b] Nucerino.

1 Mirari non possumus, dilectionem tuam sequi instituta majorum, omniaque, quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos quasi ad caput atque ad apicem episcopatus referre, ut consulta videlicet sedes apostolica ex ipsis rebus dubiis certum aliquid [c] faciendumque pronuntiet. Quod nos et libenter accipimus, et dilectionem tuam memorem canonum comprobamus.

2. Scripsisti ergo, quod fervore fidei, quo polles, et amore sanctæ plebis, vel reparaveris ecclesias Dei, vel novas quasque construxeris : sed in his clericos, quos constituas, non habere, aliquos vero mutilos, aliquos digamos esse. Ad quod stupuimus, prudentem virum de his voluisse consulere, quæ omnibus sunt certa ratione comperta. Ergo non quasi ignorantibus dicimus; sed in aliis forsitan occupatos, istud oblitos vos esse dicimus.

CAP. I. — 3. Qui igitur partem cujuslibet digiti sibi ipse volens abscidit, hunc ad clerum canones non admittunt (*Dist.* 55, *c.* 6; *Concil. Tribur*. *c.* 33, *Nicæn. c.* 1). Cui vero [d] casu aliquo contigit, dum aut operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens, se non sponte percussit, hos canones præcipiunt et clericos fieri, et si in clero fuerint reperti, non abjici. In illis enim voluntas [e] judicata est, quæ sibi ausa fuerit ferrum injicere, quod scilicet et alii

A id facere dubitare non possit : in istis vero casus veniam meruit.

CAP. II. — 4. De [f] digamis autem nec consuli debuit, quod manifesta sit lectio Apostoli, *unius uxoris virum* ad sacerdotium sive ad clericatum admitti debere, et hanc ipsam tamen si virginem accepit (1 *Tim.* III, 2). Nam ea, quæ habuerit ante virum, licet defunctus sit, tamen si clerico postea fuerit copulata, clericus, qui eam acciperit, esse non poterit, quia in lege cautum est, non viduam, non abjectam habere posse conjugem sacerdotem (*Levit.* XXI, 13).

CAP. III. — 5. De laicis vero religio tua consuluit, quos canones ordinare prohibeant (*Vide concil. Sardic. c.* 13). Certum est quidem, hoc regulas ecclesiasticas continere : sed non ita definitum est, ut de

B omnibus sit laicis constitutum. Neque enim clerici nasci, et non fieri possunt : sed (*Dist* 51, *c.* 2; *Ivo. p.* 6, *c.* 95) designata sunt genera, de quibus ad clericatum pervenire non possunt, id est, si quis fidelis militaverit, si quis fidelis causas egerit, hoc est, [g] postulaverit, si quis fidelis administraverit. De curialibus autem manifesta ratio est; quoniam etsi inveniantur hujusmodi viri, qui debeant clerici fieri, tamen quoniam sæpius ad curiam repetuntur, cavendum ab his est (*Vide supra epist.* 2, *n.* 14) propter tribulationem, quæ sæpe de his Ecclesiæ provenit.

CAP. IV.—6. Laici vero, qui habentes uxores baptizati sunt, ac sic se instituerunt, ut opinio eorum in nullo vacillet, ut aut clericis juncti sint, aut monas-

C teriis, ex quo baptizati sunt, hæserint, et si non [h] concubam, non pellicem noverint, si in omnibus [i] bonis operibus vigilaverint, non prohibentur hujusmodi ad clericatus sortem assumi. CAP. V. — Ita sane, ut in eos tempora a majoribus constituta serventur (*V. Siric. epist.* 1, *n.* 13, *et Zosim. epist.* 9, *n.* 5). Nec cito quilibet lector, cito acolythus, cito diaconus, cito sacerdos fiat : quia in [j] minoribus offi-

tullianus, lib. II ad Uxorem, n. 8, de Christiano matrimonio prædicarat : *Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater rato habet?*

[a] In edit. Concil. 4. In quinque titulos seu decreta XXVIII, XXIX, XXX, XXXI et XXXII, a Dionysio Exiguo divisa est. Citatur a Cresconio non semel. Exstat et in Hispana, ut in Isidori collectione.

[b] Ita codex Regius, ubi in aliis, *Nuceriano*.

[c] Editi, *faciendum pronuntiet*, omissa conjunctione, quæ revocatur ex mss.

[d] Reg. ms., *labsu aliquo*.

[e] In eodem codice, *voluntas est quæ sibi ausa fuerit ferrum incidere*, omisso *judicata;* quod verbum perinde est atque damnata, utpote cui mox *veniam meruit* opponitur. Judicii autem hujus ea subjicitur ratio, quod is judicatur non dubitaturus hoc in alios committere, seu nullo scrupulo commissurus, quod in se ipse commisisset. Hinc non placet quod subinde in vulgatis, *dubitari*. Tum in ms. Reg., *possint* ; quod verbum ad eos quorum voluntas arguitur, non ad ipsam voluntatem relatum, admitti nil repugnat.

[f] Lab. ut in ms. Reg., *bigamis*. Elegantius alii libri, *digamis*.]

[g] Hoc verbo designatur advocatus, qui pœnas a judicibus adversus reos decerni postulat, sicut mox *administrantis* voce indicatur judex, cujus est hujusmodi pœnas ac tormenta decernere, aut etiam capitalem sententiam dicere. De utroque aliquando dubitavit Exsuperius Tolosanus episcopus, utrum etiam ad communionem admittendi essent. Qua de

D re consultus Innocentius epist. 6, cap. 3 et 5, ei respondet.

[h] Sic Dion. quod nec in exemplaribus ab Hadriano ad Carolum Magnum missis mutatum. At mss. coll. Hisp. et Isid. ut in vulgatis, *concubinam*. Notandum est Innocentium iis, qui uxorem duxerint, aditum ad clerum ita permittere, ut eos vitæ, *ex quo baptizati sunt*, innocenter actæ testimonium habere velit.

[i] Vox *omnibus* a Crabbio primum expuncta, nec deinceps restituta, revocatur ex Merl. et mss.

[j] Exemplar Reg., *in omnibus officiis*. Ex hoc loco perspicitur quam frivolum sit quod scribit imperus scriptor, qui cum Romanos pontifices semel tantum per annum mense Decembri ordinare consuevisse sibi persuasisset, eos qui ordinati fuerant, nulla nisi necessitatis lege ad annum alterum exspectare debuisse obtendit, ut ad altiorem gradum proveherentur.

cils si diu perdurent, et vita eorum pariter et obsequia comprobantur, ut ad sacerdotium postea emensis stipendiorum meritis veniant, nec præripiant quod vita probata meretur accipere.

7. Quoniam ergo certa definitione monstratum est, qui debeant admitti, quive reprobari: ex his omnibus, quos videt dignatio tua non posse reprobari, eligere debebis quos clericos facias. Si enim NULLAM GRATIAM hominibus aut beneficium præstare velimus, tales invenire possumus, de quorum assumptione nec incurrere scandalum, nec erubescere valeamus.

EPISTOLA [a] XXXVIII.

Ut ii, qui in presbyterio filios genuerunt, removeri ab officio debeant.

INNOCENTIUS MAXIMO et SEVERO episcopis per Brittios.

Ecclesiasticorum canonum norma nulli esse debet incognita sacerdotum: quia nesciri hæc a pontifice satis est indecorum, maxime cum a laicis religiosis viris et sciatur, et custodienda esse ducatur. Nuper quidem (*Dist.* 81, *c.* 6). Maximilianus filius noster agens in rebus [b] cujusmodi querelam detulerit, libelli ejus series annexa declarat. Qui zelo fidei ac disciplinæ ductus, non patitur Ecclesiam pollui ab indignis presbyteris, quos in presbyterio filios asserit procreasse. Quod non licere exponerem, nisi nossem vestram prudentiam legis totius habere notitiam. Et ideo, fratres charissimi, libelli, qui subjectus est, tenore perspecto, eos qui talia perpetrasse dicuntur, jubebitis in medio collocari; discussisque objectionibus, quæ ipsis presbyteris impinguntur, [c] si convinci potuerint, a sacerdotali removeantur officio: quia qui sancti non sunt, sancta tentare non possunt; atque alieni efficiantur a ministerio, quod vivendo illicite [d] polluerunt. Miramur autem hæc eorum dissimulare episcopos, ut aut connivere, aut nescire esse illicita judicentur.

EPISTOLA [e] XXXIX.

Quod post pœnitentiam nullus ad clerum possit admitti.

INNOCENTIUS AGAPITO, MACEDONIO et [f] MARIANO episcopis Apulis.

Multa in provincia contra canones ecclesiasticos decretaque majorum usurpari a plurimis, et relationes diversorum, et suggestiones fidissimæ retulerunt: quæ quidem possent facile resecari, si episcopi in his non invenirentur auctores, qui dum aut amicis aut obsequentibus gratiam præstare nituntur, religionem violant, ordinesque corrumpunt. Ac sic evenit, ut indigni quique honores suscipiant ecclesiasticos, et admittantur ad clerum, qui nec inter laicos quidem dignum locum habere mererentur: sicuti in nunc dato nobis libello monstratum est, Modestum quemdam multis criminibus involutum, propter quæ etiam pœnitentiam egisse dicitur, non solum clericum effectum, quod non licet, verum etiam ad episcopatus apicem eum tendere; cum canones apud Nicæam constituti, pœnitentes etiam ab infimis officiis clericorum [g] excludant (*Dist.* 50, *c.* 60; *Nic. conc. c.* 10). Et ideo, fratres charissimi, perspecto tenore libelli, eum jubebitis præsentari: ac si vere constiterit talem, qualem libellus affirmat, non solum [h] ab ambitione, sed etiam a clericatus removeatur officio.

EPISTOLA [i] XL.

In parœciam alienam invadere, aut quidquam in ea, inconsulto ipsius episcopo, agere non licere.

INNOCENTIUS [j] FLORENTINO episcopo Tiburtinensi.

Non semel, sed aliquoties clamat Scriptura divina transferri non oportere terminos a patribus constitutos: quia nefas est, si quod alter semper possederit, alter invadat, quod tuam bonitatem frater et coepiscopus noster Ursus asserit perpetrasse. Nam Nomentanam sive [k] Feliciensem parœciam, ad suam

[a] In edit. Concil. 5. Hæc epistola in Dionysiana collectione, unde in Hispana et Isidoriana transcripta, locum obtinet, inscribiturque Innocentii titulus seu decretum XXVIII.

[b] Editi cum mss. coll. Hisp. et Isid. *in rebus hujusmodi qualem querelam:* castigantur ex Dionys. et Hadrian. exemplaribus.

[c] Ita mss. coll. Dion. et Hadr. Alii vero cum vulgatis, *si convicti fuerint;* et mox *tractare*, pro *tentare*. Non me fugit quod Afri Cod. can. eccl. Afr. c. 4, sancientes, *ut episcopus, presbyter, et diaconus, vel qui sacramenta* CONTRECTANT, *pudicitiæ custodes ab uxoribus se abstineant*, postremæ lectioni favere videantur. At nequaquam recedendum duximus a mss. quos experti sumus sinceriores: maxime cum hic de solis presbyteris sit sermo, ac nomine *sanctorum* non una corporis et sanguinis Christi sacramenta, sed quæcumque ad presbyterorum ministerium pertinent, intelligantur. Quocirca verbum *tentare*, quo generalius est, eo etiam ad id enuntiandum est aptius.

[d] Reg. ms., *polluunt*.

[e] In edit. Concil. 6. Collectioni Hispanæ et Isidori inserta est secundum Dionysium Exiguum, qui eam sub titulo XXXIV decretorum Innocentii subjecit.

[f] In vulgatis, *Mauriano*, Reg. ms., *Martino*. Cæteri, *Mariano*.

[g] Non conceptis quidem verbis, sed quia illud sanciunt hujus concilii patres, unde istud consequens esse intelligitur. Immo cum can. 10 sequi se profitentur ecclesiasticam ea de re regulam, banc jam ante constitutam ponunt. Et vero ad eos omnes, qui aliqua gravis peccati macula contaminati sunt, attinet ea ratio, qua Cyprianus, epistola 72, eos qui ab hæresi vel schismate ad Ecclesiam redirent, communi fratrum consensu a clero arcet ac removet: *Oportet enim sacerdotes ac ministros, qui altari et sacrificiis deserviunt, integros atque immaculatos esse.* Eo sane conspirant quas Ecclesia sanxit ab initio leges, ut nulli promoveantur ad clerum, nisi qui a baptismo innoxiam atque ab omni cujuslibet criminis labe puram vitam duxissent. Si cujus vero latens primum culpa, postmodum detegeretur, hunc tandem convictum deponi Nicæni canones 2 et 10 volunt. Vide supra epist. 16, n. 11.

[h] Crab. atque alii deinceps editi, *ab episcopatus ambitione;* Merl. atque omnibus mss. refragantibus. Neque vero tantum ab episcopatu arcetur Modestus, sed a quolibet etiam gradu, quem nondum erat adeptus, et ex quo ad episcopatus apicem tendebat.

[i] In edit. Concil. 8. In collectionibus Isidori, Hispana et Dionysii exhibetur. Apud hunc decretum XXXVI Innocentii appellatur.

[j] Ita veteres coll. Dion. et Hadr. codices. Alii autem, *Florentio*.

[k] In Regio ms. *Faciliensem*. Deinde *parœciæ* vocabulum, non ecclesiarum plurium collectionem episcopo subjectam, quo sensu priscis temporibus vulgo

[a] diœcesim a majoribus pertinentem, invasisse te, atque illic divina celebrasse mysteria, inconsulto eodem ac nesciente, non sine dolore conquestus est. Quod si verum est, non leviter te [b] incurrisse cognoscas. Unde si declinare cupis tantæ usurpationis invidiam, nostris litteris admonitum te convenit abstinere. Certe si aliquid tibi credis justitiæ suffragari, integris omnibus, et in pristino statu manentibus, post dies venerabiles Paschæ adesse debebis, ut [c] memorati possis intentionibus respondere : partibusque in medio collocatis, quid antiquitas aut veritas habeat, requiramus.

EPISTOLA [d] XLI.

Ut Laurentius hæreticos Photini venena sectantes curet expelli.

INNOCENTIUS LAURENTIO episcopo [e] Seniensi.

Diu mirati sumus, dilectionis tuæ litteris lectis, hæreticos Photini venena sectantes in territorio dilectionis tuæ non solum esse, sed et publice sibi conventicula in aliquorum possessionibus præparare; cum de toto pene orbe nusquam tam multi, quam apud vos, delegerint habitare. Quorum doctrinæ nefariæ auctor Marcus, dudum de Urbe pulsus, temeritatis tantæ ductus est audacia, ut primum sibi inter eos vindicet locum. Sed ne ulterius debacchandi habeant facultatem, et animas simplicium ac [f] rusticanorum secum in gehennam, cui destinati sunt, trahant, actum est adversus eos a [g] defensoribus Ecclesiæ nostræ, quo eos possint expellere : ut qui Christum Deum ex Patris substantia ante sæcula negant genitum, hi cum Judæis, qui ejus deitatem negaverunt, et nunc usque negant, participium habeant damnationis. Tuum est, frater charissime, quæ præcepta sunt, non segnius agere : ne plebem tibi creditam dissimulatione deperdas, et incipias Deo de perditis reddere rationem.

EPISTOLA XLII.

SEU LITTERARUM PELAGII AD PAPAM INNOCENTIUM, POST MORTEM EJUS, SED CUM EUM DEFUNCTUM NESCIRET, SCRIPTARUM FRAGMENTA.

1. *In his, teste Augustino* (*Lib. de Gratia Christi, c.* 30), *Pelagius dicit*, esse de quibus eum homines infamare conantur : unum, quod neget parvulis baptismi sacramentum, et absque redemptione Christi aliquibus cœlorum regna promittat : aliud, quod ita dicat posse hominem vitare peccatum, ut Dei excludat auxilium, et in tantum libero confidat arbitrio, ut gratiæ repudiet adjutorium.

2. *Prosequitur Augustinus* (*Ibid., c.* 31) : *His cum invidiosas de inimicis suis admiscuisset querelas, ad rem ita venit :* Ecce apud beatitudinem tuam epistola ista me purget, in qua pure atque simpliciter ad peccandum et ad non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus divino adjuvatur semper auxilio.

3. *Deinde, inquit Augustinus* (*Ibid.*), *cum de hominis conditione, et ad peccandum atque non peccandum naturali ejus possibilitate quædam interposuisset, ad-*

accipitur, sed ecclesiam singularem uni presbytero addictam sonat. Eodem intellectu et supra epist. 25, n. 8. ab Innocentio ipso usurpatur.

[a] Pasch. Quesnellus in I Leonis epistolam, not. 4, pro certo ponens vocem DIŒCESIS *vix illis temporibus* (Leonis) *esse prolatam a Romanis vel Orientalium partium episcopis pro parochia provinciali alicui episcopo subjecta*, hunc sibi objicit Innocentii locum, in eoque sibi videri ait, *vocem diœcesis sumi pro administratione*, licet hanc eo, quo nunc frequens est, usu et tunc Afris, et post Leonis tempora Gallis familiarem fuisse fateatur. At cum diœceses, prout hæc vox administrationem sonat, duæ tantum in Italia tunc essent, Romana scilicet, cui Romanus præerat antistes, et Italica, quæ Mediolanensi episcopo suberat, eo intellectu Nomentana parœcia ad Romani antistitis, non ad Ursi aut Florentini diœcesim pertinebat. Sed et diœcesis vocabulum pro territorio episcopali ab Hilaro Leonis successore, ut et a Gelasio, Vigilio, etc., usurpatum visuri sumus. Idem ejus usus est tum in Augustini epistola 209, n. 8. tum in his concilii Toletani I. can. 20 : *Placuit ex hac die nullum alium, nisi episcopum, chrisma conficere, et per* DIŒCESIM *destinare*.

[b] Crabbius de suo hic addidit *culpam :* quæ vox nequaquam *non leviter*, sed *non levem* postulabat. Neque tamen postea castigatus fuit. Porro *incurrere* et *offendere* Tullio synonyma sunt.

[c] Editi, post Crab., *memoratis*. Concinnius Merl. et mss. *memorati*, scil. Ursi. Deinde *intentionibus* id est quod expostulationi. Quippe antiquis *intentio* pro controversia et expostulatione seu lite intenta familiaris est.

[d] In edit. Concil. 20 Trium seu quatuor collectionum sæpius nominatarum ope ad nos pervenit. Apud Dionysium prænotatur Innocentii decretum XLIX *de Bonosiacis, quod Judæis sint comparandi*. Quæ summa exinde ab aliis canonum compilatoribus exscripta, cum in omnibus mss. tum in priscis edit. Concil. ac Rom. obtinuit. Immo ex hac summa et altera superioris epistolæ 16 simul copulatis Cresconius breviarii sui capitulum 58 conflavit in hunc modum : *De Bonosiacis hæreticis, quod Judæis sint comparandi. Et de suscipiendis clericis, quos idem Bonosus antequam damnaretur ordinavit. Ex decretis papæ Innocentii tit.* XLIX et L. Hinc factum, ut Merlinus geminum illum titulum epistolæ huic præmittens, superiorem epistolam 16, tanquam hujus *capitulum secundum* ei subjecerit. Bonosi quidem Photinique, ut prævio in epistolam 9 Siricii Monito n. 7, observavimus, affines erant hæreses; nihil tamen est cur a littera discedamus epistolæ nostræ, in qua sectatorum Photini, non Bonosi, mentio occurrit. Immo si ad Seniensem in Croatia, seu, ut olim vocabant, in Liburnia, non ad Senensem in Hetruria episcopum hæc epistola scripta est, Photini, non Bonosi asserlas in ea notari extra controversiam erit. Præterea Photinum, cum Sirmii in Pannonia, cui Liburnia vicina est, episcopus esset, provincias illas hæresis suæ veneno infecisse nemo ignorat. Demum Innocentio de hæresi sermo est, quam *toto pene orbe* disseminatam innuit, quod sane in Photinianam magis, quam in Bonosiacam recens obortam convenit. Ejus autem hæresis, quam Innocentius arguit, *auctor* dicitur Marcus, non quia illam excogitarit, sed quia seduliorem in ea propaganda operam præ se ferret.

[e] In aliquot mss., *Siniensi*. Apud Merl., *Symensi*.

[f] Edit. Rom., *rusticorum*. Rectius alii libri, *rusticanorum :* qua voce non ruris incolæ, sed homines doctrinæ expertes designantur.

[g] Defensorum ecclesiæ Rom. nomen ac munus si bene memini, nunc primum in epistolis summorum pontificum memoratum legimus. Sed non de eo munere ut recens instituto Innocentius loquitur. Eorumdem mentio ad calcem epistolæ 9, Zosimi ad Hesychium recurret.

junxit: Quam liberi arbitrii potestatem dicimus in A omnibus esse generaliter, in Christianis, in Judæis atque Gentilibus. In omnibus est liberum arbitrium æqualiter per naturam: sed in solis Christianis juvatur a gratia. In illis nudum et inerme est conditionis bonum: in his vero qui ad Christum pertinent, Christi munitur auxilio. Illi ideo judicandi atque damnandi sunt, quia cum habeant liberum arbitrium, per quod ad fidem venire possent, et Dei gratiam [a] promereri, male utuntur libertate concessa. Hi vero remunerandi sunt, qui bene libero utentes arbitrio, merentur Domini gratiam, et ejus mandata custodiunt.

4. Item adversarios suos ad librorum, quos pridem conscripserat, lectionem provocabat his verbis (*Ibid.*, c. 35): « Legant illam epistolam [b], quam ad B sanctum virum Paulinum episcopum ante duodecim fere annos scripsimus, quæ trecentis forte versibus nihil aliud quam Dei gratiam et auxilium confitetur, nosque nihil omnino boni facere posse sine Deo. Legant etiam epistolam [c] ad sanctum Constantium episcopum (*Ibid.*, c. 36), ubi breviter quidem, sed plane libero hominis arbitrio Dei gratiam auxiliumque conjunxi. Legant etiam quam [d] ad sacram Christi virginem Demetriadem in Oriente conscripsimus (*Ibid.*, c. 37) : et invenient nos ita hominis laudare naturam, ut Dei semper gratiæ addamus auxilium. Legant etiam recens meum [e] opusculum (*Ibid.*, c. 41), quod pro libero nuper arbitrio edere compulsi sumus : et agnoscent quam inique nos negatione gratiæ infamare gestierint, qui per totum pene C ipsius textum operis perfecte atque integre et liberum arbitrium confitemur et gratiam. »

5. Sed et ab his litteris ad fidei suæ librum, quem iis subnexuerat, vult transire lectorem (*Ibid.*, *c.* 32). Is porro fidei liber totus insertus Sermoni alias Augustini de Tempore 191, nunc append. 236, n. 2 et seqq. ac præterea seorsim editus est in appendice to. x novæ editionis ejusdem sancti, pag. 96, sicut et apud Hieronymum, cui olim ascriptus fuerat.

6. Præterea in litteris illis, « quas, » inquit Augustinus (*lib. de Peccato origin.*, *n.* 19, 20 *et* 21), « Romam misit ad beatæ memoriæ papam Innocentium, et quoniam in corpore eum non invenerunt, sancto papæ Zosimo datæ sunt, et ad me directæ, hoc est in eadem epistola, querebatur » se ab hominibus [f] infamari, quod neget parvulis baptismi sacramentum, et absque redemptione Christi aliquibus cœlorum regna promittat. » Et cum dixisset, « numquam se vel impium aliquem hæreticum audisse, qui hoc de parvulis diceret, » subjiciebat : « Quis enim ita evangelicæ lectionis ignarus est, qui hoc non modo affirmare conetur, sed qui vel leviter dicere aut etiam sentire possit? Deinde quis tam impius, qui parvulos exsortes regni cœlorum esse velit, dum eos baptizari et in Christo renasci [g] vetat, et in perpetuam certamque vitam renasci [h] vetet eum, qui natus sit ad incertam. »

7. Simul cum Pelagii prædictis litteris ac libello fidei ad Innocentium missa est, simulque Innocentii successori Zosimo reddita epistola Praylii Hierosolymitani episcopi, de qua hoc unum a Zosimo discimus, quod in ea Praylius Joannis successor causæ Pelagii enixius adstipulator intervenit (*Epist.* 3, n. 2).

8. Qui autem prædicta legerit litterarum Pelagii

[a] In hæc verba Augustinus : « Nempe, inquit, manifestum est, eum dicere gratiam secundum merita dari, quamlibet eam vel qualemlibet significet; quam tamen aperte non exprimit. »

[b] His rursum subdit Augustinus : « Hanc ego legi; et inveni eum pene per totam non immorari nisi in facultate et possibilitate naturæ, et pene ibi tantum Dei gratiam constituere. Christianam vero gratiam tanta brevitate perstringit, ut nihil aliud videatur, quam eam tacere timuisse. »

[c] Hanc reperire se non potuisse Augustinus testatur. « Sed si, inquit, non est dissimilis cæteris, non habet etiam ipsa quod quærimus. »

[d] De hac ita idem Doctor loquitur : « Istam sane D legi, mihique pene persuaserat, hanc illum gratiam, de qua quæstio est, confiteri. Sed cum in manus meas et alia venissent, quæ posterius latiusque conscripsit, vidi quemadmodum potuerit etiam illic gratiam nominare, sub ambigua generalitate quid sentiret abscondens, gratiæ tamen vocabulo frangens invidiam offensionemque declinans. » In hoc autem Pelagii opere virus latens retegit Augustinus epist. olim 143, nunc 188, ad Julianam, ad cujus epistolæ calcem hanc Pelagii ad Innocentium, immo et hunc ipsum locum non obscure notat ubi ait : « In quadam vero epistola sua idem Pelagius, ubi et nomen suum apertissime ponit, nec nomen sacræ virginis tacet, dicit ad eam se scripsisse, et ejusdem sui operis testimonio probare nititur, se gratiam Dei, quam vel tacere vel negare asseritur, apertissime confiteri. »

[e] De opusculo hoc ea est Augustini censura. « Quatuor sunt libri operis hujus, et hos legi... Sed in his etiam quatuor libris quæcumque pro gratia videtur dicere, qua juvamur ut declinemus a malo bonumque faciamus, ita dicit, ut nullo modo a verborum ambiguitate discedat quam discipulis sic possit exponere, ut nullum auxilium gratiæ credant, qua naturæ possibilitas adjuvetur, nisi in lege atque doctrina. » Et paucis intermissis : « Sed hoc adjutorium legis atque doctrinæ etiam propheticis fuisse temporibus, adjutorium autem gratiæ, quæ proprie gratia nuncupatur, in Christi esse arbitratur exemplo; quod nihilominus ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis evangelica prædicatur. »

[f] Ad hæc Augustinus loco citato : « Non sic illis hæc objiciuntur, ut posuit. Nam neque parvulis negant baptismi sacramentum, nec absque redemptione Christi aliquibus cœlorum regna promittunt... Objicitur autem illis, quod non baptizatos parvulos nolunt damnationi primi hominis obnoxios confiteri. »

[g] Ista Pelagii verba in medium prolaturus Augustinus, præmittit : « Videte latebras ambiguitatis falsitati præparare refugia, offundendo caliginem veritati; ita ut etiam nos, cum primum ea legimus, recta vel correcta propemodum gauderemus. Sed latiores, inquit, disputationes ejus in libris, ubi se quantumlibet operiat, plerumque aperire compellitur, fecerunt nobis et ista suspecta, ut attentius intuentes inveniremus ambigua. »

[h] Circa horum verborum intelligentiam quantum laborarit Augustinus ubi explicuit, adjicit : « Tam sunt ambigua, ut possint eorum dogmati præbere latibula, unde ad insidiandum prosiliat hæreticus sensus. »

fragmenta, necnon Augustini, qui omnes vafri hujus hæretici artes ac subterfugia probe noverat, subnexas observationes expenderit, audieritque simul eumdem Hierosolymitani antistitis commendatione probatum atque laudatum esse; is sane Zosimum, simpliciter verba illius ut sonabant accipientem, decipi ab eo potuisse minus mirabitur.

MONITUM IN FRAGMENTUM SEQUENS.

(Spicileg. Maii, tom. III.)

Superioribus epistolis Innocentii I vulgatis sæpe subnectimus latiorem partem ex ejus inedita epistola ad Severianum Gabalorum episcopum. Equidem in codice Arabico non *Gabala* sed *Haiala* scribitur, quæ lectio vim quamdam accipit ex eo quod *Aila* episcopalis est urbs Palæstinæ apud Lequinium Or. ch. t. III, p. 758; sed tamen in paucissimis quos Lequinius novit ejus urbis episcopis, Severianus non censetur. Statim igitur de Severiano Gabalorum, urbis item Syræ, episcopo cogitavi, qui contemporaneus fuit Innocentio; quodque magis interest in notitia epistolarum Innocentii deperditarum apud Constantium p. 921 cognoscimus, inter Severianum et Innocentium epistolas missitatas fuisse. Præterea paulo infra in codice Arabico fragmentum item Severiani legitur, quo loco non *Haiala*, sed *Gabala* sedes ejus episcopalis dicitur. Mendum igitur Arabici codicis ex litterulæ similitudine coortum est. Hoc ergo epistolare Innocentii fragmentum ab Arabe homine nobis conservatum gratanter accipiamus.

EPISTOLA XLIII.

SEU FRAGMENTUM EPISTOLÆ QUAM AD SEVERIANUM EPISCOPUM SCRIPSIT INNOCENTIUS UNUS EX PRIMIS ROMÆ EPISCOPIS.

Cum divinum e cœlis Verbum advenit, et in Virginis sanctæ Mariæ visceribus, de qua carnem sumpsit, habitavit, nequaquam corpus suum de cœlo secum detulit, neque suam in terris divinitatem adeptus est; sed ipse Deus erat, ipse corpus suum in Virginis utero efformavit; neque ullum in suo corpore conficiendo socium habuit, sed unus ipse confecit. Confitemur autem in omnibus quæ ab humanitate fiebant, comitem fuisse divinitatem, quæ nullo unquam vel minimo temporis articulo ab humanitate sejuncta fuit. Confitemur etiam, eo ipso tempore quo noster e cœlis Servator advenit, atque in Virginis Mariæ uterum descendit, divinitatem cum humanitate conjunxisse, quæ numquam ulla in re vel actione divisæ fuerunt, quandoquidem indivisibiles erant. Ac veluti ejus divinitas fine caret, ita et ejusdem humanitas post resurrectionem in æternum manet. Lac de femina suxit, nihilominus divinitas atque humanitas unum (*Christum*) constituebant. Nec quisquam putet, quo tempore divinum in terris Verbum ad suscipiendum abs Joanne baptismum accessit, tunc initium divinitatis ejus fuisse, cum videlicet vocem Patris e cœlo exeuntem Joannes audivit. Haud sane ita res se habet; verum ipso temporis articulo, quo in uterum Virginis descendit, unum cum corpore et divinitate individuum effectum est; fuitque divinitas corporis consors, atque immutabili quadam ratione et inseparabili facta est unica unitas. Divinitas ab humanitate non est sejuncta. Christo in cruce existente, divinitas ab ejus humanitate non secessit. In cœlum ascendit cum corpore quod de Virgine Maria sumpsit, atque ad optimi Patris sui dexteram sedit. Hæc fides nostra est. Qui autem non ita credunt, eos catholica Ecclesia expellit, immo auctor ejusdem Deus excommunicat. Laus Deo in æternum! Amen.

APPENDIX

AD EPISTOLAS S. INNOCENTII I PAPÆ.

NOTITIA

EPISTOLARUM NON EXSTANTIUM, QUÆ AD INNOCENTIUM ATTINENT.

(D. Coust. Epist. Rom. Pontif. tom. I.)

1. *Anno 404, mense Aprili. Litteræ Theophili adversus Joannem Chrys.* — Theophilus Alexandrinus episcopus epistola ad Innocentium scripta, et per Alexandrinum lectorem delata, Joannem a se depositum referebat. Quam epistolam, inquit Palladius, Dial. c. 1, pag. 9, cum legisset «beatus papa Innocentius, parum abfuit, quin temeritatem Theophili atque superbiam condemnaret, quod et solus scripsisset, nec claram ejus rei notitiam misisset, nec cur aut quibuscum Joannem deposuerat indicasset.» Hæc epistola prima ex iis fuit, quas Innocentius de *Joannis causa, postquam* ille ab episcopatu dejectus est, accepit. Quapropter statim a Joannis depositione, post tumultum magno sabbato in Ecclesia Constantinop. excitatum, hoc est mense Aprili anni 404, scripta jure existimetur. Ad hanc epistolam, aut ad alteram, de qua num. 4 dicturi sumus, referendum videtur, quod Palladius pag. 151 de Theophilo scribit: «Is in sua ad Innocentium papam epistola, vituperans beatum Joannem, Epiphanium nominat sanctissimum, quem inquit, antea probris affecerat ut hæreticum aut schismaticum.»

2. *Eodem tempore. Epistolæ tres in gratiam Joannis.* Triduo postquam proximæ Theophili litteræ

Innocentio redditæ sunt, inquit Palladius, pag. 9 et A 10, « quatuor episcopi e partibus Joannis viri religiosi, Pansophius Pisidiæ, Pappus Syriæ, Demetrius Galatiæ secundæ, Eugenius Phrygiæ tres epistolas (Innocentio) tradiderunt, unam Joannis episcopi, alteram 40 episcoporum de communione Joannis, tertiam cleri Joannis, omnes inter se consentientes, et indisciplinatorum quorumdam tumultum significantes. » E tribus illis epistolis sola Joannis, id est superior quarta, ad nos pervenit. Si autem tres inter se consentiebant, ex eo quod in epistola Joannis etiamnum legimus, non latet omnino quid in aliis duabus efferebatur.

3. *Anno 404, circa Junium. Innocentii communicatoriæ litteræ ad utramque partem.* — Tunc Innocentius paci prospiciendum ratus, donec ejus firmandæ B tempus affulgeret, duas scripsit epistolas, unam Theophilo eique adhærentibus, et alteram Joanni ac sociis quibus quidem litteris utrique parti communionem suam impertiebat. De illis Palladius, cap. 3, pag. 22 et 23, hoc tantum memoriæ commendavit : « Ad hæc beatus Innocentius utrique parti pares litteras communionis misit, improbans judicium quod a Theophilo factum videbatur, dicens debere aliam cogi synodum irreprehensibilem Occidentalium et Orientalium ; primum quidem secedentibus ab illo consessu amicis, deinde et inimicis ; a neutris enim ut plurimum rectum proficisci judicium. » Quæ autem ad partes Joannis scripta erat, a Demetrio Pisinuntis in Galatia secunda metropolitano episcopo, qui novissime cum Pansophio, Pappo et Eugenio Romam C venerat, perlata est. Eugenium vero hac occasione Orientem percurrisse, atque istis Innocentii papæ litteris ostensis Romanorum cum Joanne episcopo communionem probasse Palladius, pag. 27, tradit. Hæ litteræ ab Innocentio brevi intervallo postquam superiores seu Theophili, seu Joannis ejusque partium accepit, transmissæ sunt.

4. *Circa idem tempus litteræ Theophili contra Joannem.* — Exinde Innocentio redditæ sunt iteratæ Theophili Alexandrini episcopi litteræ, de quibus Palladius hæc habet : Paucis post diebus, quam Innocentius proxime dictas epistolas scripsisset, « advenit quidam Theophili presbyter Petrus cum Martyrio ecclesiæ CP. diacono, qui reddiderunt Theophili litteras cum quibusdam gestis, in quibus Joannes a D triginta sex episcopis, quorum viginti novem Ægyptii, et aliarum regionum septem erant, condemnatus videbatur. » His autem actis perlectis, eodem Palladio teste, « nullas graves esse accusationes, neque Joannem adfuisse, neque coram reprehensum esse » Innocentius comperit. Litteris illis quid rescripserit is papa, in ejus epistola 5 legere est.

5. *Anno 404, mense Junio. Litteræ pro Joanne.* — Vix dimiserat Innocentius Petrum et Martyrium, qui proximam Theophili epistolam attulerant, cum viginti quinque episcoporum ac paulo amplius, qui de Joannis synodo erant, litteras accepit. Quippe, inquit Palladius, pag. 24, « modico post tempore advenit presbyter Constantinopolitanæ Ecclesiæ Theotecnus nomine, reddens epistolas synodi Joannis viginti quinque episcoporum aut paulo plus, quibus docebant et Joannem militari manu urbe expulsum, et Cucusum in exsilium esse missum, atque succensam esse ecclesiam. » Porro hoc incendium anno 404, Junii 20 die, contigisse memoratur. Ex quo sequitur, ut eodem mense exeunte litteræ illæ conscriptæ fuerint. In Codice Theod. lib. XVI, tit. 2, lex 37 exstat, mensis Augusti 29 die data, qua cum plurimi Joannis clerici hujus incendii causa custodiæ traditi fuissent, atque inquisitione facta nullus inventus esset reus, illos Arcadius relaxari jussit.

6. *Eodem tempore, Joannis adversarii scribunt.* — Paulo post Acacii, Pauli, Antiochi, Severiani ac paucorum aliorum litteras (*Pallad. pag.* 25), « in quibus calumniabantur Joannem, quasi ecclesiam incendisset, ad Innocentium » pertulit homuncio Paternus nomine, omni contumelia dignus, nec ad eas Innocentius respondere dignatus est.

7. *Eodem tempore, Afri Innocentio legatos suos commendant.* — Ad idem tempus attinent Carthaginensis concilii, anno 404, VI kalendas Julias, habiti ad Innocentium papam litteræ, Cod. can. eccl. Afric. sub finem cap. 93 memoratæ. Ubi enim hoc concilium legationem decrevit ad imperatores mittendam, qua leges ad reprimendam Donatistarum petulantiam rogarentur, statim addit : « Litteræ etiam ad episcopum Romanæ Ecclesiæ pro legatorum commendatione mittendæ. » Tum legati destinati Theasius et Evodius, iisque datæ quatuor epistolæ, quas Possidius in catalogo epistolarum Augustini sic continua serie recenset : « Innocentio episcopo, imperatoribus, Stilichoni, præfectis Italiæ. » Unde litteras illas ab Augustino conscriptas esse colligitur.

8. *Circa mensem Augustum rescribit Innocentius episcopis synodi Joannis.* — Innocentius Theotecno, qui episcoporum synodi Joannis epistolas ipsi attulerat, litteras ad Joannem ac cæteros communionis ejus socios reddidit, quibus « eos cum lacrymis bono animo esse hortabatur : siquidem opem illis ferre, quia potentes ad malum obstarent, non posset. » Sic porro loquebatur Innocentius, quia manifesta Honorii et Arcadii dissidia impedimento erant, quominus concilium, in quo malis Ecclesiæ remedium quærendum erat, convocaretur. Theotecnus autem episcoporum synodi Joannis epistolas ad Innocentium perlaturus, post 24 mensis Junii diem Constantinopoli Romam profectus fuerat : adeoque nec quod illis rescripsit Innocentius, citius mense Augusto subsequente tradi eidem potuit.

9. *Anno 404, circa Novemb., Porphyrii ad Innocentium litteræ.* — Cum in Armenia exsularet Joannes Chrysostomus, accidit ut Flavianus Antiochensis episcopus moreretur (*Pallad. pag.* 144). Tum Porphyrius in ejus locum ab Acacio, Severiano et Antiocho ordinatus, de ordinatione sua Innocentium statim certiorem fecit. Verum, Palladio teste, pag.

141, Innocentii responso dignus habitus non fuit. Quam perversi fuerint illius mores, fuse idem Palladius, pag. 142 et seq. exponit. Ex Arcadii autem constitutione, quæ Codici Theod. lib. XVI, tit. 4, leg. 6, inserta est, Porphyrium anno 404, ante 18 mensis Novembris diem ordinatum fuisse constat.

10. *Anno 405, Innocentius ad Afros rescribit, ejusque litteræ in concilio recitantur.* — In concilio Carthaginensi, quod anno 405, X kalendas Septembris, celebratum est, recitatæ sunt Innocentii litteræ, quibus cavebatur ne ad transmarina episcopi facile pergerent (*Cod. can. eccl. Afr.*, *c.* 94). Hæ Roma in Africam relatæ creduntur per Theasium atque Evodium, qui mense Junio anni 404 ad imperatorem cum litteris ad Innocentium legati fuerant. Ubi vero recitatæ sunt prædictæ Innocentii litteræ, « hoc ipsum, » quod in illis præscribebatur, « episcoporum sententiis confirmatum fuit. » Jam antea in Sardicensi concilio, can. 8, maxime propter Afros decretum fuerat, « ne episcopi ad comitatum accedant, nisi forte ii qui religiosissimi imperatoris litteris invitati fuerint vel vocati, » cum videlicet expostulasset Gratus Carthaginensis episcopus, quod ea de re sua ipsius consilia spernerentur. Ne tamen hinc communes ecclesiarum utilitates negligi contingeret, addidit eadem synodus, can. 9, ut si episcopi preces pro viduis aut pupillis aliisve iniqua vi oppressis offerendas haberent, non perferrent ipsi per se, sed « per diaconos suos eas destinarent. » Quocirca prædictum concilium, in quo recitatæ sunt Innocentii litteræ, « ut propter gratiarum actionem et exclusionem Donatistarum duo clerici ecclesiæ Carthaginensis (non duo episcopi) ad comitatum mittantur, » constituit.

11. *Circa initium ann. 405, Exsuperii epistola.* — Ad anni 405 initia pertinere videtur Exsuperii Tolosani episcopi epistola varias complectens quæstiones, quibus Innocentius per epistolam 6 satisfacit.

12. *Quindecim episcoporum ad Innocentium litteræ.* — Circa idem tempus accepit Innocentius episcoporum quindecim e synodo Joannis litteras, quas Palladius, pag. 26, memorat his verbis : « Post Cyriacum advenit Eulysius episcopus Apameæ Bithyniæ, reddens litteras quindecim episcoporum e synodo Joannis, in quibus et priorem et præsentem totius Constantinopolis direptionem describebant. » Quibus verbis proxime præmittit Palladius, Eulysium Synnadorum episcopum, nullas quidem ferentem epistolas, sed ad ea quæ gerebantur enarranda idoneum, Romam confugisse, commotum videlicet iniquitate imperialis præcepti, quo edicebatur : « Si quis non communicet Theophilo, Arsacio et Porphyrio, ille quidem episcopatu arceatur, ac simul amittat quam visus fuerit habere substantiam pecuniarum. » Unde tempus expiscari licet, quo litteræ illæ Innocentio redditæ sunt. Vel enim ibi indicatur Arcadii præceptum « de his, qui ab Arsacii, Theophili, Porphyrii reverentissimorum sacræ legis antistitum communione dissentiunt, ab Ecclesia procul dubio

A repellendis » (*Cod. Th. lib.* XVI, *tit.* 4, *leg.* 6), vel aliquod posterius, in quo priori pœnæ adjecta sit mulcta pecuniæ. Atqui Arcadii constitutio ad rectores provinciarum data legitur XIV kalendas Decembris CP. Honorio et Aristenæto coss., hoc est anno 404, mensis Novembris 18 die. Ex quo prædictas quindecim episcoporum litteras Innocentio ante initium anni 405 reddi nequivisse conficitur, tametsi eas existimare liceat circa exitum anni 404 conscriptas.

13. *Anysii Thessalonic. episcopi ad Innocentium epistola.* — Idem Eulysius simul ad Innocentium attulit epistolam « Anysii optimi senis , » ut loquitur Palladius, pag. 27, « qui Romanæ Ecclesiæ (in causa Joannis) judicio stare se scribebat. »

14. *Edictum contra clericos qui cum Joanne com-*
B *municabant.* — Elapso mense post adventum Cyriaci Synnadorum episcopi, Romam item accessit Palladius Helenopolis episcopus, Lausiacæ scriptor, exemplum ferens edicti, quod Palladius alter in Vita Chrysostomi, pag. 27, sic exprimit : « Quicumque occultaverit omnino episcopum aut clericum qui communicet cum Joanne, domus ejus publicetur. » Quibus verbis eum notare ac summatim perstringere illud arbitramur, quod Arcadius, anno 404, Augusti 29 die sanxit in hunc modum : « Nec proscriptionis periculo domus careant, quas episcopos vel clericos peregrinos post publicationem edictorum et nostræ serenitatis afflatus probabitur suscepisse : pari forma servanda, si quæ domus cives clericos nova ac tumultuosa conventicula extra ecclesiam celebrantes
C susceperint » (*Cod. Th. lib*, XVI, *tit.* 2, *leg.* 37).

15. *Cleri CP. ad Innocentium litteræ.* — Post Palladii in Urbem ingressum, eodem devenere « Germanus presbyter et Cassianus viri religiosi litteras totius cleri Joannis (Innocentio) reddentes (*Pallad. pag.* 27), quibus scribunt suam ipsorum Ecclesiam vim atque tyrannidem perpessam esse, episcopo suo militari manu ejecto, inque exsilium acto per factionem Acacii Berœæ episcopi, Theophili Alexandrini, Antiochi Ptolemaidis, et Severiani Gabalorum. » Ab istarum litterarum exordio pii illi clerici plura proferebant Scripturarum testimonia, in quibus consolationem habere se testificabantur. Deinde ubi episcoporum, qui Joanni adversabantur, violentiam, necnon canones, quibus facinora sua tueri conaban-
D tur, exposuerant, quid de canonibus illis sentiendum esset, expetebant. Ipsis rescripsit Innocentius, ejusque epistola, nempe septima, ad nos pervenit.

16. *Aliquanto post delatæ tum episcoporum Cariæ, tum presbyterorum Antiochiæ litteræ.* — Demetrius Pesinuntis episcopus, cum Orientem peragrasset, Romam denuo post Germani et Cassiani adventum rediisse a Palladio narratur cum litteris tum episcoporum Cariæ, « quibus illi Joannis communionem complectuntur, » tum presbyterorum Antiochiæ, « quibus Romanorum, » in retinenda videlicet ejusdem Joannis communione, sequuntur disciplinam, et Porphyrii ordinationem contra jus et fas factam deplorant » (*Pallad. pag.* 28). Nempe, uti Palladius,

pag. 145 et 146, narrat, Porphyrius missis ad Comitatum et potentiores episcopos pecuniis effecerat, ut Constantius, qui inter cæteros presbyteros eminebat, tamquam populorum perturbator relegaretur. Alios vero presbyteros atque clericos in custodiam mitti curaverat. Tum prima die celebritatis ludorum Olympiorum, cum civitas omnis ad suburbana athletas spectatura transisset, in ecclesiam irrupit; ibique cum Acacio, Severiano et Antiocho episcopis, quos apud se absconderat, ac paucis clericis « clam ordinatus est clausis januis, et tanta cum festinatione, ut ne precationem quidem ad finem perduxerint, metuentes ne deprehenderentur. »

17. *Anno 405 jam labente, Innocentius ad Honorium scribit de misero Ecclesiarum statu.* — Subinde Domitianus presbyter et œconomus ecclesiæ Constantinopol., necnon Vallagas Nisibenus presbyter, qui et monasteriorum Mesopotamiæ afflictionem narrabat, acta tradunt Innocentio Optati præfecti, quibus honestæ mulieres ecclesiæ CP. diaconissæ e genere consulum ad eum ducere cogebantur, aut communicare cum Arsacio in locum Joannis subrogato, aut fisco ducentas auri libras dare (*Pallad. pag.* 28). Tum Innocentius, tot ac tanta sustinere amplius non valens mala, epistolam ad Honorium imperatorem scripsit, in qua singillatim quid ferrent litteræ, quas de ecclesiæ CP. aliarumque misero statu a diversis acceperat, exposuit.

18. *Paulo post synodus episcoporum Italiæ cogitur.* — Honorius vero statim ut hanc Innocentii epistolam accepit, ut Palladii verbis utar (*Pal. pag.* 29), « Occidentalium synodum cogi, eosque cum unam simul sententiam tulissent, ad suam pietatem referre jubet. » Moxque « episcopi Italiæ congregati Imperatorem orant, scribat fratri suo et consorti imperii Arcadio, ut præcipiat Thessalonicæ synodum fieri, quo facilius utraque pars Orientis et Occidentis concurrere valeat, ac synodus non tam episcoporum numero, quam sententiæ gravitate perfecta, certum et indubitatum judicium ferat. » Tunc celebrata quidem fuit synodus, sed ubi habita sit, Palladius non indicat. Tantum scimus ejus definitionem iis omnino consentaneam esse, quæ Innocentius ab initio perturbationis hujus ac deinceps, ut supra, n. 3, et epist. 5 et 7 videre est, constanter censuerat. Unde aut eum præfuisse huic synodo, aut nihil in ea nisi ex ejus sententia actum esse conficitur.

Circa exitum anni 405, Honorius Innocentio scribit. — Proximæ synodi decreto morem gerens Honorius, semel et bis ad Arcadium scribit: sed cum nihil proficeret, ac de tertia epistola ad eumdem mittenda cogitaret, scribit et ad Innocentium, ut « mittat quinque episcopos, ac Romanæ Ecclesiæ presbyteros duos cum uno diacono, qui eam ferant (*Pallad. pag.* 29). » Ejus petitioni quomodo paruerit Innocentius, prima in ipsius epistolam 9 annotatione exposuimus.

19. *Anno 406, Innocentius Arcadio scribit.* — Innocentius non solum Honorio legatos, quos expete-

A bat, dedit, Æmilium scilicet Beneventi episcopum, Cythegium et Gaudentium item episcopos, una cum Valentiniano et Bonifacio presbyteris, necnon uno Romanæ Ecclesiæ diacono cujus nomen siletur; sed et epistolam ipsis tradidit ad Arcadium imp. perferendam. Simul acceperunt iidem legati cum Honorii epistolam quam etiamnum habemus, tum Chromatii Aquileiensis, Venerii Mediolanensis, aliorumque Italiæ episcoporum ad eumdem imperatorem litteras. Quo tempore suscepta sit illa legatio conjicere licet ex verbis legatorum, qui ubi se ad urbem regiam appulisse, statimque in suburbano detentos, ac triduo post dimissos, in maritimo Thraciæ castro conclusos esse narrarunt, proxime subjiciunt: « Postridie miserunt ad nos, an aulici imperatoris,
B an Atticus, nescimus (ipse enim dicebatur Ecclesiæ thronum invasisse), qui nobis tria numismatum millia tradebant, orantes ut Attico communicaremus. » Jam igitur defunctus erat Arsacius, et ejus loco Atticus suffectus fuerat; idque legati citatis verbis innuunt tunc primum audire se cœpisse, cum ad urbem regiam accesserunt. Atqui Arsacium III Idus Novembris, Stilichone iterum et Anthemio consulibus, hoc est Novembris 11 die, anno 405, mortem oppetiisse, Socrates, lib. VI, c. 20, narrat. Idem et Atticum Arcadio VI et Probo consulibus, et quidem, ut Sozomenus, lib. VIII, c. 27, tradit, cum Constantinopolitana sedes quatuor menses vacasset, adeoque mense Martio anni 406 Arsacio subrogatum fuisse, ibidem testatur. Ex quo sequitur, ut et epi-
C stola Innocentii, de qua agimus, circa initium anni 406 scripta fuerit.

20. *Eodem tempore, Commonitorium legatis datum.* — Iisdem legatis traditum est Commonitorium synodi totius Occidentis (*Pallad. pag.* 31), « quod continebat, Joannem judicium ingredi non debere, nisi prius ipsi restituta fuisset et ecclesia et communio: ut sublata causa detrectandi judicii, sua sponte consessum iniret. » Lampsacenæ synodi sub Damaso habitæ apud Sozomenum, lib. VI, c. 7, simile quoddam est constitutum, nimirum « ut episcopi, qui depositi fuerant ab iis qui dissimilem Patri Filium asserebant, sedes suas postliminio recuperent, quippe qui injuste spoliati fuissent: quod si quis eos accusare (exinde) vellet, sub paris condem-
D nationis periculo id ageret. » Ubi episcopis injuste spoliatis et ejectis sedes suæ restituuntur primum, ac tum demum eos accusandi locus permittitur. Ad hujusmodi decretorum imitationem Isidorus Mercator cum Symmachi papæ in fictitia v synodo Romana sub eodem papa, tum vetustiorum pontificum nomine, multa similia confinxit, quæ ipsum identidem repetere non piguit.

21. *Anno 407, mense Junio, Afri Innocentium Theophilo reconciliare tentant.* — Carthaginiense concilium, anno 407, Junii 13 die habitum, de litteris ad Innocentium papam scribendis hoc decretum edidit (*Cod. can. eccl. Afr., c.* 101): « Placuit etiam, ut de dissensione Romanæ atque Alexandrinæ Ecclesiæ

ad sanctum papam Innocentium scribatur, quo utraque Ecclesia intra se pacem, quam Dominus præcepit, teneat. » Hæc autem dissensio non alia fuit ab ea quæ Joannis Chrysostomi causa excitata fuerat, cum Theophili adversus eum violentiam probare Innocentius nequivisset.

22. *Anno 412, Junii 17 die, Innocentius ad episcopos Illyrici scribit.* — Innocentii ad episcopos per Macedoniam, Achaiam, Thessaliam, Epirum veterem, Epirum novam, Cretam, Daciam Mediterraneam, Daciam Ripensem, Mœsiam, Dardaniam et Prævalim constitutos litteræ ab ipsomet Innocentio in epistola 13, n. 3, memorantur, ut una cum eadem (scilicet Junii 17 die anni 412) datæ, quibus certiores eos faciebat, harum se provinciarum curam Rufo Thessalonicensi episcopo vice sui demandasse.

23. *Anno 413, scribit ad Augustinum.* — Augustinus in epistola olim 259, nunc 151, ad Cæcilianum quondam Italiæ præfectum, n. 2, memorat sibi « a fratribus epistolam missam sancti et præcipuis meritis venerandi papæ Innocentii, quam, inquit, per tuam præstantiam ad me datam certis declaratur indiciis. » De hac epistola nihil aliunde quidquam novimus. Ex eo autem, quod prædicta Augustini ad Cæcilianum epistola post mensem quidem Septembrem anni 413, sed non longe post scripta probatur, hoc Innocentii scriptum ad ipsummet annum 413 pertinere colligimus.

24. *Anno 414, Macedones ab Innocentio quinque sibi concedi quærunt.* — Sequenti anno Innocentius Rufi aliorumque episcoporum Macedonum accepit epistolam quinque capitibus constantem : quorum primo, ut eos, qui viduas duxerant uxores, ad clerum et ad ipsum etiam summum sacerdotium ex provinciæ suæ consuetudine promovere sibi liceret, quærebant.

Altero asserebant, « non dici oportere digamum eum qui catechumenus habuerit atque amiserit uxorem, si post baptismum aliam fuerit sortitus ; quia illud conjugium per baptismi sacramentum cum cæteris criminibus sit ablutum ; » adeoque nec a clero arcendum esse.

Tertia illorum quæstio circa eos versabatur, qui ab hæreticis, nominatimque a Bonoso post condemnationem ordinati fuerant, num scilicet in suis honoribus recipiendi essent. Hoc autem licere sibi persuadebant ex indulgentia qua usi sunt cum Nicæni Patres erga Novatianos, tum Anysius Thessalonicensis episcopus erga ipsosmet Bonosianos.

Quarto Innocentium rogabant, ut judicium adversus Photinum per falsum rumorem apostolicæ sedi subreptum, et ab ejus decessore per insidias elicitum, in melius commutans, hunc episcopum constituere sibi permitteret.

Postremo, ut suam ipsorum adversus Eustathium diaconum confirmans sententiam eum diaconii spoliaret gratia, et diabolo in perpetuum manciparet, petebant. Ad singula illa capita Innocentius, anno 414 exeunte, in epistola 15, respondit.

25. *Circa annum 414, litteræ Macedonum ad Innocentium. His Innocentius rescribit. Epistola Innocentio supposita. Secundæ Macedonum litteræ.* — Circa eumdem annum 414, Bubalius, Taurianus sive Tarianus aliique a Macedonibus condemnati, sedem apostolicam appellarunt. Quapropter Rufus ac socii Maximianum et Eumenium sive Eugenium Romam destinarunt cum litteris, in quibus Bubalii Tauranique crimina exponebantur. Tum Innocentius, re discussa, Macedonum legatis litteras reddidit, in quibus plenaria sensuum suorum expositione præmissa, Bubalii, Tauriani et sociorum condemnationem confirmabat. Sed dum legati moram faciunt in redeundo, Bubalius Innocentii nomine confingit epistolam, quam et Macedonibus objicit. Illi autem, fallacias illius sæpius experti, novo commento fidem plane non habent, ac secundis litteris priorem querimoniam suam iterandam ducunt. Nec dissimulant sibi gravem ac molestam valde esse appellationum hujusmodi licentiam. Ad secundas illas litteras respondet Innocentius, epistola 18, cujus jacturam levius ferremus quam alterius, in qua totum hoc negotium, ac suam de eo sententiam plenarie et aperte explicabat.

26. *Innocentii ad Orientis synodum litteræ.* — Huc referri possunt Innocentii ad Orientis synodum de omnibus quæ ab Orientalibus pacem petentibus exigenda sint, plenissimæ litteræ ; de quibus Innocentius ut dudum ante pacem Ecclesiæ Antiochenæ restitutam missis loquitur (*Epist.* 22). Porro synodi Orientis nomine, Ecclesiæ, quæ Antiocheno antistiti suberant, intelligi solent.

27. *Anno 414, Legatio et litteræ de ordinatione Alexandri et pace Ecclesiæ Antiochenæ. Acacii scripta.* — Alexander Antiochenus episcopus in Flaviani locum subrogatus, legationem ad Innocentium destinavit cum litteris, quibus et se legitime ordinatum, et exstincto schismate, quo Antiochena ecclesia a tot annis tam misere laborabat, pacem eidem ecclesiæ feliciter redditam, eos vero qui Paulini Evagriique nomine olim censiti fuerant, summa charitate a se susceptos, item Elpidium ac Pappum, qui Joannis Chrysostomi causa fuerant expulsi, sine ulla controversia suas recuperasse Ecclesias, ipsius denique Joannis nomen sacris diptychis inscriptum fuisse nuntiabat. Quapropter ut Ecclesiæ suæ communionem impertiret Romana, flagitabat (*Innoc. ep.* 19).

Litteris illis adjuncta erant Acacii Berœæ episcopi scripta, quibus et ille rogabat Innocentium, ut communionem, quam ipsi hactenus Joannis causa negarat, redderet.

28. *Circa ann. 415, Innocentius Romæ synodum habet de eadem re.* — Legationis Antiochenæ occasione Romæ congregatum est concilium, cui viginti interfuerunt episcopi. In eo autem lectis Alexandri litteris, auditisque legatis, quorum princeps Cassianus presbyter exstitisse videtur. an omnibus ad pacem prius requisitis conditionibus Antiochiæ satisfactum esset, diligenter est expensum. Inde Innocentius ad Alexandrum litteras cum privatas, tum

communes a viginti episcopis subscriptas, cum ipsius synodi gestis et scriptis ad Acacium per Paulum presbyterum, Nicolaum diaconum ac Petrum subdiaconum misit (*Innoc. epist.* 19). Tres illas epistolas etiamnum habemus, sed episcoporum viginti Italiæ subscriptiones et subnexa eis gesta exciderunt. Tantum Maximianum Macedoniæ episcopum huic synodo interfuisse ex epistola 23 discimus. Ex quo et alios aliarum provinciarum episcopos, qui in Urbe tum forte erant, ad eamdem de more vocatos esse conjectura est.

29. *Aliquanto post Maximianus in Attici gratiam scribit.* — Maximianus Macedoniæ episcopus, cum pacis Alexandro episcopo et Antiochenæ ecclesiæ ab Innocentio concessæ testis fuisset, in regiam urbem reversus, auctor fuisse videtur Attico, ut et ipse pacem sine mora peteret. Sive autem Atticus ab ea re se minime alienum significarit, et Maximianum, ut hanc sibi gratiam impetraret, rogarit, sive Maximianus hoc in se propria sponte ac præpropero unitatis studio susceperit, is, epistola cum libello ad Innocentium missa, ab hoc papa communicatorias ad Atticum Constantinop. litteras postulavit. Ad hanc Maximiani epistolam Innocentius respondet epistola 22.

30. *Circa ann.* 415, *Alexander Innocentio nonnullas quæstiones proponit.* — Alexander, misso commonitorio, ab Innocentio sciscitatur, primo, quæ Antiocheni præsulis in ordinationibus episcoporum diœceseos Orientis sit potestas: deinde « utrum divisis imperiali judicio provinciis, ut duæ metropoles fiant, sic duo metropolitani episcopi debeant nominari » Tertio Cyprios, qui ad Orientis diœcesin pertinebant, « olim Arianæ impietatis potentia fatigatos, non tenuisse canones Nicænos in ordinandis episcopis, » sed episcopos suos nemine consulto ab eis ordinari conquestus, qui erga eos gerere se deberet quæsivit. Demum an Arianorum clerici ad Ecclesiam redeuntes « cum sacerdotii aut ministerii cujuspiam suscipi deberent dignitate, » postulavit. Ad singula Innocentii responsio habetur epist. 24.

31. *Circa initium anni* 416, *Decentius et Cœlestinus Innocentium de variis ritibus consulunt.* — Item Decentius Eugubinus episcopus de variis consuetudinibus, quibus nonnullæ Ecclesiæ a Romana discrepabant, consulit: 1° de pace, quam in aliquot ecclesiis ante confecta mysteria vel populis imperant, vel sibi mutuo tradunt sacerdotes; 2° de nominibus, quæ ante canonem recitant; 3° de infantibus, num presbyteris eos in fronte consignare liceat; 4° de sabbati jejunio; 5° de fermento, an die dominica per parœcias singulas mittendum sit, quomodo Romæ per titulos mittitur; 6° de energumenis, an presbyteris aut diaconis liceat super eos manum imponere; 7° de pœnitentibus, quando absolvendi sunt.

Simul etiam Decentius alteram ad Cœlestinum tunc diaconum miserat epistolam, in qua tria præterea hunc rogabat, primo soline sacerdotes, an cæteri etiam Christiani ægrotantes sancto chrismatis oleo perungi possint; deinde solisne presbyteris, an etiam episcopis chrismate infirmos ungere liceat, postremo an oleum illud pœnitentibus sit infundendum.

Omnibus illis quæstionibus Innocentius, epistola 26, facit satis.

32. *Anno* 416, *plura scripta, quæ ad Pelagii causam attinent, ex Africa ad Innocentium missa.* — In litteris, quas Afri, anno 416, ad Innocentium conscripserunt, plura memorantur monimenta ad eumdem missa, quæ ad Pelagii ac Cœlestii causam attinent (*Epist.* 26, n. 1).

Ac primo quidem Carthaginensis synodus Herotis et Lazari episcoporum adversus Pelagium et Cœlestium litteras epistolæ suæ se subjecisse indicat.

Deinde eadem synodus eidem epistolæ subnexa docet alterius Carthaginensis synodi ferme ante quinquennium habitæ acta, quibus Cœlestius episcopali judicio exclsus fuerat.

Iis quoque adjunxerat, ut ex postremis epistolæ ipsius verbis colligitur, Diospolitanæ synodi gesta, quibus absolutum se Pelagius jactitabat, hoc est, qualia ab hoc hæretico adulterata fuerant. Non enim alia tunc in Africam pervenerant.

Paulo post Augustinus cum quatuor sociis ad Innocentium scribens (*Innoc. epist.* 28, n. 6), epistolæ suæ se adjunxisse significat Pelagii librum sibi a Timasio et Jacobo hujus hæretici discipulis missum, necnon quem ad hunc refutandum *De Natura et Gratia* concinnaverat, quemque ipsi Jacobus et Timasius ob prædictum *De Natura et Gratia* librum, gratias agentes, epistolam scripserant, sicut et eam quam Augustinus scribendam duxit Pelagio, qui adulterata Palæstinæ synodi gesta, « tamquam purgationis suæ scripta, » ipsi transmiserat. Ex quibus monimentis tantum Augustini de *Natura et Gratia* liber, necnon Jacobi atque Timasii ad Augustinum epistola ad nos pervenerunt. De Pelagii autem libro quid sentiret Innocentius, epist. 31, n. 5, aperit.

33. *Eustochii et Paulæ ad Innocentium litteræ.* — Non multo post Eustochium et Paula litteras ad Innocentium miserunt, quibus gravissimam persecutionem sibi illatam ea modestia deplorabant, ut et auctoris illius nomen reticerent.

34. *Hieronymi ad eumdem epistola.* — Aliam simul scripsit Hieronymus epistolam, in qua non tacebat in quodnam incurrerat vitæ discrimen, nisi eam ab impiorum impetu turris munitioris præsidio servasset. Eaque occasione quod animo conceperat Aurelius episcopus Innocentii invisendi studium notum ei faciebat.

35. *Incerto tempore Felix Nucer. Innocentium consulit.* — Felix episcopus Nucerinus, epistola ad Innocentium scripta testabatur, majorum se instituta sequentem, omnia quæ aliquam susciperent dubitationem ad ipsum velut ad caput atque apicem episcopatus referre, ut quid sibi esset faciendum ab eo disceret. Sese quidem Dei ecclesias vel novas construxisse, vel lapsas reparasse; sed clericos, quos

in illis constitueret, sibi deesse, aliquos vero vel mutilos vel digamos præsto esse significabat. Demum quosnam ex laicis ordinari canones prohiberent, edoceri flagitabat. Consultationi ejus satisfacit Innocentius, epist. 37.

36. *Libellus contra presbyteros incontinentes.* — Maximilianus, agens in rebus per Brutios, libellum ad Innocentium misit adversus quosdam hujus provinciæ presbyteros, quos in presbyterio filios procreasse querebatur. Unde Innocentii epistolæ 38 data occasio.

37. *Libellus contra Modestum ex pœnitente clericum factum.* — Libellum alterum sibi Innocentius traditum memorat (*Epist.* 39), sed unde acceperit silet, quo Modestum quemdam multis criminibus involutum, ob quæ pœnitentiam egerat, in Apulia non modo clericum effectum, sed et ad episcopatus apicem tendere denuntiabatur.

38. *Libellus contra episcopum qui divina mysteria in aliena parœcia celebrarat.* — Alius eidem papæ datus est libellus (*Epist.* 40), quo Ursus episcopus in parœcia Nomentana ad diœcesim suam pertinente Florentinum episcopum Tiburtinum se inscio divina mysteria celebrasse expostulabat.

39. Postremo desiderantur Laurentii Seniensis episcopi ad Innocentium litteræ, quibus Photini sectatores in territorio suo versari, et publice in quorumdam possessionibus sibi conventicula præparare nuntiabat.

40. Præterea si pontificali libro habenda fides, Innocentius « constitutum fecit de omni Ecclesia, et de regulis monasteriorum, et de Judæis et de Paganis. »

41. *Epistolæ supposititiæ.* — Inter tot sancti præsulis genuina scripta, etiam adulterinum ingenii sui partum immiscere, ac tanto nomini supponere nequaquam veritus est Isidorus Mercator. Sed supposititiam illam epistolam, quæ Aurelio inscripta, in editione conciliorum 12 erat, parenti suo in tomo sequenti reddemus. Hujus autem tomi appendix, si tomus patiatur, quatuor alias falsas, duas Innocentii ad Arcadium scribentis, et alias duas Arcadii ad Innocentium rescribentis nominibus insignitas repræsentabit.

DECRETA EX EPISTOLIS S. INNOCENTII I EXCERPTA.

(Coll. Concil. Mansi tom. III.)

In vetusta collectione illa Lucensi, de qua non semel egi, in epitome plurimorum conciliorum et decretalium quarumdam epistolarum occurrit excerptum *de Epistola Innocentii Papæ ex concilio Nicæno*, quam epistolam Innocentii I papæ esse nemo prudens dubitaverit, cum omnem alium Innocentium pontificem superet codicis hujus ætas annorum saltem nongentorum. Quænam vero sit epistola hæc Innocentii, quo ex codice descripta, an singularem epistolam de Nicænis canonibus Innocentius dederit, vel illos data occasione in variis epistolis suis adduxerit et inculcaverit, quos dein epitomis hujus auctor in unam canonum seriem continuaverit, plane ignoro. Quamquam vero nihil novi his exhibetur, juvat tamen qualecumque est hoc dare, cum vetustissima hæc sit canonum Nicænorum Latina editio. Quæ enim Dionysium Exiguum auctorem præfert, utique posterior est Innocentio I. Quæ vero in collectione Isidori Mercatoris profertur, an vetustior sit sive recentior, nondum est exploratum. Quæ tandem est Rufini, ejusdem fere antiquitatis est cum Innocentio.

DE EPISTOLA INNOCENTII PAPÆ I EX CONCILIO NICÆNO.

I.

Qui se absciderit non ingrediatur in clero.

II.

Gentilis qui conversus fuerit et baptizatus, non cito promoveatur in clero.

III.

Episcopus vel reliqui clerici cum extraneis mulieribus non habitent.

IV.

Episcopus ab omnibus episcopis ordinetur, vel a tribus cum metropolitani consensu.

V.

Episcopus alterius episcopi clericum non accipiat, vel excommunicatum. Duas vices in annum concilia fiant propter diversorum querimonia.

VI.

Alexandrinus et Romanus papæ primatum habeant.

VII.

Plurimorum episcoporum consensu, maxime metropolitani consensu eligantur presbyteri (forte tamen scriptum est *episcopi*).

VIII.

Hierosolymitanus episcopus primatum habeat, salvo privilegio metropolitani.

IX.

Cathari, id est Novatiani conversi clerici recipiantur in clero. Episcopus vero in presbyterii locum recipiatur.

X.

In una civitate duo episcopi non sint.

XI.

Si post ordinationem sacerdotii detectus fuerit, deponatur; simili modo est de lapsis.

XII.

Lapsi sine tormentis septem annos pœnitentiam agant.

XIII.

Post militiam si conversus fuerit, et iterum militaverit, XIII annos pœniteat.

XIV.

Si in necessitate acceperit communionem, supervixerit, teneat pœnitentiam.

XV.

Catechumeni si lapsi fuerint, tres annos pœnitentiam agant.

XVI.

Episcopus, vel reliqui ordines de civitate in civitatem non abeant.

XVII.

Vagus clericus non recipiatur ab alio in communionem.

XVIII.

Alienum clericum nullus promoveat in honore.

XIX.

Clerici nec usura, nec renovo dent (*sic*).

XX.

Diaconi presbyteris non præferantur, vel sedeant, nec illi presbyteris Eucharistiam tradant; absentibus vero illis dividant.

XXI.

Paulianeste baptizentur (*sic*).

XXII.

Diaconessas inter laicæ habeantur (*sic*).

XXIII.

Uno die teneatur pascha ab episcopis.

DISSSERTATIO

In sequentem Epitomen epistolæ Innocentii.

Novas Innocentii I epistolas, quamvis nullas habeo promendas, non abs re tamen puto cum lectoribus meis communicari oportere ea quæ breviarium nostrum canonum in ms. codice Lucensi annorum nongentorum exhibet. Exstant in eo canones e nonnullis Innocentii epistolis expressi, et in epitomen redacti. In ea vero quæ ex epistola ad Exsuperium exprimitur epitome deest canon 3, de iis, qui post baptismum magistratum agentes, in causa sanguinis sententiam tulerunt. Cujus omissionis nullam aliam rationem excogitare possum, nisi quod Pontifex ea in re nihil judicat decernendum. Qui succedit canon 4, qui in nostra epitome est 3, male expressus est; neque enim communione privantur uxorati, si adulteraverint, sed innocens ab adultero segregatur. Cætera cum epistola congruunt. Non est negligendum additamentum illud de *Lamentationibus Jeremiæ*, quod ab uno nostro manuscripto suppeditatur, nec in editis legitur.

Post hanc epitomen altera succedit epistola Innocentii ad episcopos Toletanos. Nonnulla plane in ea digna sunt animadversione. Primo enim in nostro breviario perinde ac in omnibus antiquis codicibus, teste Harduino, legitur *Tolosanos, non Toletanos*.

Sequitur epistolæ Innocentii ad Victricium (*Victorium* habet codex noster) synopsis, in qua omnia plana sunt, et cum editis congruunt, unam si excipias canonis 3 partem secundam, in qua edita quidem epistola audiendas statuit causas ecclesiasticorum in suis singulas provinciis, *sine* præjudicio tamen appellationis *ad Romanam* ecclesiam, vel nisi causæ gravitas *ad sedem apostolicam* judicium referat. Hæc edita. Codex vero ms. non ita, sed: *Romani clerici ad alios episcopos non audeant dicere causas suas.* Longe profecto hæc duo inter se distant, ut ex altero et altero codice petita videantur. Verum ea quæ in editis leguntur Innocentii I papæ esse nemo jure ambiget, cum a Nicolao I in gemina epistola in concilio Romano VII, apud Labeum, tom. X, legenda, tanquam ex Innocentio laudentur. Cum vero nec ex epistola ad Victricium accepisse se illa scribat Nicolaus, nec breviator noster usque adeo semper in sensu canonum reddendo sit felix, alterutrum consequi necesse est; vel canon iste, prout in editis, ex alia quadam epistola Innocentii cum hac ejus ad Victricium male assutus est, uti aliis veterum Pontificum epistolis accidisse constat: vel anonymus noster Pontificis mentem minime est assecutus.

In epitome canonis 8, edicitur de monachis in clero non admittendis; id vero non mandat Innocentius, sed monet, ne ad altiorem gradum promoti modestiam, et virtutes reliquas quas in monasterio coluerant, abjiciant. Quare breviatoris nostri oscitantia castiganda est.

Epistolæ Innocentii ad Decentium synopsis plane barbara est, sed ejus primum caput veterem quemdam liturgicum ritum exprimit, quem edita non tangunt, quamvis in sensu cum editis congruit. Vetat Pontifex canone 1, ne pax ante finem detur. Id vero anonymus noster ita expressit, *Ordo missæ ad pacem dare post quartam orationem*. Quartæ orationis nomine designari hic censeo illam quam ordo Romanus vetus apud Mabillonium Musæi Ital. tom. II *orationem ad complendum* appellat. In missa enim oratio prior ea erat quæ ante *Apostolum*, id est ante epistolam legebatur. Succedebat altera *super oblata*. Dein oratio Dominica tertia loco erat; quarta tandem *oratio ad complendum* habebatur. En ergo breviator noster cum Innocentio conciliatus.

Canon hujus epistolæ quintus cur in duos sectus sit, cum præsertim ambo illi in unum et idem redeant, non aliam assignarem rationem, nisi breviatoris nostri oscitantiam. Reliqua plana sunt.

Postrema omnium legitur epitome litterarum Innocentii *ad Aurelium* (utique Carthaginiensem) episcopum. Exstat in collectione Labbeana num. 12, Innocentii ad Aurelium epistola, ad quam ea referri possunt, quæ in hac synopsi habentur.

I.

EX EPISTOLA INNOCENTII AD EXSUPERIUM.

I.

Presbyter et diaconus incontinentes deponantur.

II.

Qui continentes sunt omni tempore viaticum accipiant, et communionem per misericordiam.

III.

Uxorati si adulteraverint excommunicentur.

IV.

Licet accusare homicidam.

V.

Qui dimiserit uxorem, et aliam duxerit, excommunicetur; similiter et mulier.

VI.

Libri qui recipiendi sunt:

Moysi lib. V: Genesis, Exodus, Leviticus, Deuteronomium; Jesu Nave I; Judicum I; Regum IV; Ruth I; Prophetarum XVI; Salomonis V; Psalterium I; Job. I; Tobiæ I; Esther I; Judith I; Machabæorum II; Esdræ II; Chenib, id est Lamentationes Jeremiæ. Paralipomenon II; Novi Testamenti; Evangelia IV; Pauli apostoli XIV; Joannis IV; Petri II; Jacobi I; Actus Apostolorum, Apocalypsis Joannis.

II.

EX EPISTOLA INNOCENTII AD UNIVERSOS EPISCOPOS IN TOLOSA.

Episcopus in aliena ecclesia episcopos non ordi-

net. Hispanos detrahet de militia sæculari cæteri ad sacerdotium non ordinantes, nec curiales qui non debent esse clerici. Hispanos vituperant ii, qui in forensi exercitatione versati sunt, vel ex militia aliqua, sive ex curialibus, ut ad sacerdotium vel ad minora officia veniant. A

III.

INNOCENTII AD VICTORIUM EPISCOPUM.

I.

Sine metropolitani consensu episcopus non ordinetur.

II.

Qui cingulum militiæ sæcularis habuit ad clericatus officium non veniat.

III.

Inter clericos episcopus audiat. Romani clerici ad alios episcopos non audeant dicere causas suas. B

IV.

Mulierem viduam clericus non ducat uxorem.

V.

Alienum clericum nullus suscipiat.

VI.

Novatiani vel Montenses per manus impositionem suscipiantur. Qui de nostris ad illos fuerunt, et revocantur, longe pœniteant.

VII.

Diaconi non misceantur cum uxore.

VIII.

Monachus in clero non veniat, nec uxorem accipiat.

IX.

Curiales clerici non ordinentur.

X.

Velata si erraverit non accipiat pœnitentiam.

XI.

Consecratæ Domino non velatæ si nupserint pœniteant.

IV.

INNOCENTII AD EPISCOPUM (*sic*).

I.

Nullus bigamus clericus ordinetur.

II.

Qui ante baptismum uxorem habuit, et post baptismum aliam duxerit, bigamus est.

V.

INNOCENTII AD DECENTIUM.

I.

Ordo missæ ad pacem dare post quartam orationem.

II.

Nomina recitentur post commendationem offerentium.

III.

Non consignent infantes presbyteri nisi episcopi.

IV.

Omne sabbato jejunetur.

V.

Teneant presbyteri missam in urbe præsente episcopo.

VI.

Sine jussu episcopi presbyter missæ teneat, in urbe præsente episcopo.

VII.

Sine jussu episcopi vel alii manum ponant inergumeno.

VIII.

Omnes pœnitentes v feria de pascha reconcilientur.

IX.

Presbytero liceat visitare infirmum, et ungere chrisma, pœnitentem ægrotum non liceat ungere de chrisma.

VI.

C

INNOCENTII AD AURELIUM EPISCOPUM.

Facile non imponatur manus Episcopo, ex laico non ordinetur.

OBSERVATIO PHILLIPPI LABBEI S. J.

Sequentes canones a synodo quapiam Romana ad Gallos episcopos jampridem missos ex aliquot manuscriptis codicibus primum in lucem extulit R. P. Sirmondus in appendice ad I tomum conciliorum Galliæ, eosdemque Regius collector conjecit non suo loco in calcem XXXVII voluminis post indices cum tractatu de antiquis episcoporum promotionibus. Nos vero ejusdem clarissimi editoris conjecturam non improbabilem secuti, Innocentii primi epistolis subjecimus; cum ab eis nec decretorum, nec scriptionis forma abhorreat. Quo autem anno editi sint, plane non constat, etsi maximam, ut nemo non D videt, antiquitatem præ se ferant.

EPISTOLÆ S. INNOCENTIO I ATTRIBUTÆ.

(D. Constant. Append. ad tom. I.)

MONITUM

IN QUATUOR EPISTOLAS SUBSEQUENTES.

1. E quatuor illis epistolis primam Nicephorus Callisti lib. XIII, cap. 34, integram, Glycas vero Annal. part. IV, nonnullis identidem resectis, mutilam Græce nobis transmiserunt; secundam autem et quartam solus Glycas ibid. pariter Græce asservavit: verum tertia tantum Latine ad nos pervenit, opera Baronii e Vaticano exemplari descripta. Idem Cardinalis ad ann. 407 epistolis illis quintam adjecit Honorii imperatoris ad Arcadium, quam e veteri Guill. Sirleti Cardinalis codice eruerat.

2. His omnibus scriptionibus ea communis est suppositionis nota, quod Joanni Chrysostomo superstitem ponant Eudoxiam, quam triennio ante illum in partu defunctam esse, Socratis, Sozomeni, Marcellini, Prosperi, Zosimi, factorumque Græcorum testimoniis constat. Sane cum his conferendus non est Georgius Alexandrinus, quo auctore Leo im-

perator cognomento Philosophus, Cedrenus, Nicephorus aliique posteriores Græci vitam Eudoxiæ tribus annis produxerunt. Ad hæc, nulla prodit historia, summam Imperatricis hujus in Arcadii animum potestatem atque gratiam ad mortem usque tantillum imminutam esse : quod tamen in secunda et quarta epistola fingitur. Neque minus ab historica fide, quam ab ecclesiastico more abhorret quod in epistola prima legitur, ubi post Chrysostomi mortem Innocentius Arcadium et Eudoxiam a sacramentorum perceptione segregare, Arsacium etiam post mortem ab episcopali gradu dejicere, eademque pœna eos plectere, qui cum illo in ejus ordinatione communicarunt, ac Theophilum non excommunicatione tantum, sed etiam anathemate percellere, et ab omni Christianorum consortio removere narratur. Primo enim Romanos Pontifices cum principibus etiam hæreticis longe alia ratione gerere se consuevisse testes sunt Liberii ad Constantium, Gelasii, Symmachi, Anastasii II et Hormisdæ ad Anastasium imp. epistolæ. Deinde nec privato cuique pœnam adeo gravem imponere solent nisi monitionibus præmissis. Ubi vero illæ monitiones? Si has adhibere voluisset Innocentius; Arcadii, qui vix septem menses Chrysostomo superstes fuit, ante didicisset obitum, quam extremo illo remedio uti valuisset. Præterea ex ipsius Innocentii litteris certum est eum totius causæ Chrysostomi judicium œcumenicæ synodo servasse. Quocirca is papa (*Innoc. epist.* 5) Theophilum, communionem cum ipso non secus atque cum Joanne habere se testatus, iteratis litteris hortatur, « ut si judicio confidit, sistat se ad synodum. » Item ad Constantinopolitanos scribens, « Cogitamus, inquit (*Epist.* 7, *n.* 4), quomodo œcumenici synodus congreganda sit, ut turbulenti motus Dei nutu tandem conquiescant. » Et ipsius rogatu Honorius imperator tertio ad Arcadium scripsit (*Epist.* 9), nullas intentans ei minas, sed tantum obsecrans, « ut Theophilum Alexandriæ episcopum, qui omnium malorum auctor esse dicitur vel nolentem se sistere jubeat » ad synodum. Istud vero dum cogitaret Innocentius, Joannis primum, ac paulo post Arcadii mors interveniens congregandæ synodo moras attulit. Neque tamen idcirco primum abjecit consilium, neque etiam donec haberi posset desiderata synodus, cum adversariis Joannis omnino rupit pacem atque communionem, sed eam intermisit tantum atque suspendit. Qua de re Palladius Vitæ Chrysostomi scriptor sub finem dialogi pag. 214 ita loquitur : « Scopus ecclesiæ Romanæ iste est, non communicare cum Orientalibus episcopis, præsertim cum Theophilo, donec Dominus dederit locum universali synodo, quæ putrefactis membris eorum qui hæc patrarunt medeatur. » Ubi Romanæ ecclesiæ non judicium, sed *scopus* notatur seu consilium, quo sibi, donec synodus de hac re decidat, utendum censuit. Et vero Theophilus inter Alexandrinos antistites recenseri etiam a Romanis præsulibus numquam desiit. Idem dicendum de cæteris ejus sociis, si excipiatur Arsacius, quem, Theodoreto teste (*lib.* v, *cap.* 34), Occidentis episcopi « ne salutare quidem dignati sunt. » Verum cum Attico in ejus locum suffecto Innocentius ipse communionem suspensam tenere satis habuit, ad eam illi reddendam paratus, cum pactis conditionibus satisfecisset. Quocirca Maximiano episcopo eum amice roganti, ut pacificas ad Atticum litteras mitteret, rescripsit : « Communio *suspensa* restituitur demonstranti causas, quibus id acciderat, jam esse detersas, et profitenti conditiones pacis impletas. » Et eum quidem, postquam nomen Joannis in sacras tabulas retulisset, ab Occidentalibus susceptum esse Theodoretus narrat.

3. Ex iis tamen, quæ Theodoretus loco citato scribit, materiam et occasionem præbuisse videtur primæ epistolæ, adeoque et cæteris, quæ cum prima sic congruunt, ut earum omnium unum artificem esse nihil prope dubitemus. Nec obstat quod cum Theodoretus de Arsacio, dum viveret narret, sic ab ejus communione abhorruisse episcopos Occidentis, ut cum ne salutare quidem dignarentur; prima tamen epistola eumdem *post mortem*, non ante, ordine suo movet. Ab impostore enim, qui veritate continere se nequit, in eis etiam quæ imitatur exprimendis, summa fides nequaquam exspectanda est. Verum ex illo adjuncto, *etiam post mortem*, quod dedita opera insertum esse apparet, tempus expiscari licet, quo epistolæ illæ adornatæ sunt. Certe si publicæ tum fuissent, cum Justinianus imperator undique conquireret exempla, quibus Theodorum Mopsuestenum etiam post mortem excommunicari licere probaretur, cum istud tam insigne Arsacii *etiam post mortem* ordine suo moti non fugisset. Illud tamen in medium protulisse nusquam legitur : quod non levi argumento est, etiam epistolas illas nusquam tum, hoc est medio vi sæculo, exstitisse. Sed et affectata illa locutio, *etiam post mortem*, non alia de causa videtur inserta, nisi ut iis, qui Theodorum Mopsuestenum excommunicari volebant, faveretur. Unde conjicere licet epistolas illas ipso sæculo sexto, cum prædicta controversia necdum sopita esset, fuisse confictas.

EPISTOLA I.

Adversus Arcadium, Eudoxiam, Arsacium ac Theophilum sententia profertur.

INNOCENTII ARCHIEPISCOPI ROMANI [a] AD ARCADIUM IMPERATOREM.

1. Vox sanguinis fratris mei Joannis clamat ad Deum contra te, o imperator, sicuti quondam Abel justi contra fratricidam Cain : et is omni modo vindicabitur. Nec id modo admisisti, sed etiam pacis tempore persecutionem magnam adversus Deum et Ecclesiam ejus concitasti. Ejecisti ex [b] episcopali

ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΙΝΝΟΚΕΝΤΙΟΥ ΡΩΜΗΣ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΠΡΟΣ ΑΡΚΑΔΙΟΝ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ.

1. Φωνὴ αἵματος τοῦ ἀδελφοῦ μου Ἰωάννου βοᾷ πρὸς τὸν Θεὸν κατὰ σοῦ, βασιλεῦ, ὥς ποτε Ἄβελ τοῦ δικαίου κατὰ τοῦ ἀδελφοκτόνου Καΐν, καὶ παντὶ τρόπῳ ἐκδικηθήσεται. Οὐ μόνον καὶ τοῦτο πέπραχας, ἀλλὰ καὶ ἐν καιρῷ εἰρήνης διωγμὸν μέγαν κατὰ τῆς τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίας καὶ τῶν ἱερέων αὐτοῦ συνεστήσω. Ἐξέωσας τὸν μέγαν τῆς

[a] Nicephorus hanc epistolam velut Arcadio, Attico ac Theophilo communem censuit. Ei quippe præmittit, Innocentium propterea quod legati, quos Constantinopolim miserat, male habiti fuissent et indigne tractati, valde indignatum esse, et cum paulo post Joannis mortem didicisset, *epistolam ad Arcadium, Atticum et Theophilum dedisse, qua illos excommunicationi et exauctorationi subjecit.* Tum hanc epistolam hujusmodi verbis conscriptam esse notat : *Vox sanguinis fratris mei Joannis*, etc. In ea tamen nullum est de Attico verbum. Sed observationi huic quasi occurrere vellet, tota epistola descripta, proxime subjicit : *Hæc Innocentius pro Joanne pugnans scripsit. Neque vero etiam Atticum, qui post Arsacium in magni illius (Joannis) sedem irrasit* (ἔξω αἰτίας ἐποίει) *crimine absolvit. Verum ut ea res composita sit, historia suo loco ostendet*, scil. lib. XIV, c. 25, ubi pax reddita dicitur, ex quo Atticus Joannis mentionem in precationibus fieri jussit.

[b] Apud Nicephor. hic omittitur τῆς ἐπισκοπῆς, sed infra n. 3 retinetur idem vocabulum.

sede sua, re non judicata, magnum totius orbis A Doctorem, et una cum eo Christum persecutus es. Neque de illo ita queror (sortem enim atque hæreditatem consecutus est cum sanctis Apostolis in Dei et servatoris nostri Jesu Christi regno): quamvis intolerabilis ea jactura sit; sed affligor propterea, quod primum de animarum vestrarum salute, deinde de eis, qui cum sapientissima et spiritali et divina doctrina et institutione ejus destituti sint, famem jam pati coguntur. Neque enim Constantinopolitana tantum ecclesia mellitæ hujus linguæ jacturam fecit, sed et viduata est omnis terra quæ sub sole est, amisso divino hujusmodi viro persuasione unius mulieris, quæ hoc flagitium admitti permisit. Cæterum illa et præsentem hic pœnam et sempiternum posthac supplicium, quod ei non ita multo post su- B perventurum est, excipiet. Tametsi enim beatus Joannes, postquam fidem servasset, eosque qui fluctuabant confirmasset, vitam reliquit, in æterna tamen sæcula sempiternarum deliciarum et immortalis vitæ hereditatem consecutus est. Eudoxia autem, nova illa Dalila, quæ paulatim imposturæ novacula te rasit, sibi ipsi ex multorum ore induxit maledictionem, grave [a] et quod portari nequeat alligavit peccatorum onus, illudque prioribus peccatis suis superaddidit (*Jud.* XVI, 19).

οἰκουμένης διδάσκαλον ἐκ τοῦ θρόνου τῆς ἐπισκοπῆς αὐτοῦ ἀκρίτως, συνεκδιώξας αὐτῷ καὶ τὸν Χριστόν. Οὔτε γὰρ οὕτως ὀδύρομαι περὶ ἐκείνου (οὗτος γὰρ τὸν κλῆρον ἔλαχε μετὰ τῶν ἁγίων ἀποστόλων ἐν τῇ τοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ βασιλείᾳ)· κἂν ἀφόρητος ἡ συμφορά· ἀλλὰ θλίβομαι φροντίζων, πρῶτον μὲν τῆς σωτηρίας τῶν ὑμετέρων ψυχῶν, καὶ περὶ τῶν στερηθέντων καὶ λιμωξάντων τῆς ἐκείνου πανσόφου καὶ πνευματικῆς θείας διδαχῆς καὶ νουθεσίας. Οὐ γὰρ μόνον ἡ Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησία ἐζημιώθη τῆς ἐκείνου μελιῤῥύτου γλώττης, ἀλλὰ καὶ πᾶσα ἡ ὑφήλιος ἐχήρευσεν ἀπολέσασα τοιοῦτον ἔνθεον ἄνδρα, πειθηνίας μιᾶς γυναικὸς παραχωρησάσης τοῦτο γενέσθαι τὸ δραματούργημα. Πλὴν ἐκδέξηται τὴν ἐντεῦθεν τιμωρίαν καὶ τὴν μέλλουσαν ἀτελεύτητον κόλασιν, οὐ μετὰ πολλὰς ταύτας ἡμέρας ἐπερχομένην αὐτῇ. Εἰ καὶ γὰρ ὁ μακάριος Ἰωάννης τὸν βίον κατέλιπε, τὴν πίστιν τηρήσας καὶ στηρίξας τοὺς σαλευομένους, ἀλλ' εἰς ἀλήκτους αἰῶνας τὴν ἀδαπάνητον τρυφὴν καὶ ἀθάνατον ζωὴν ἐκληρονόμησεν. Ἡ καὶ νέα Δαλιλὰ Εὐδοξία, ἡ κατὰ μικρὸν τῷ ξυρῷ τῆς πλάνης ξυρήσασά σε, ἐπήγαγεν ἑαυτῇ κατάραν ἐκ πολλῶν στομάτων, δεσμεύσασα φορτίον ἁμαρτημάτων βαρὺ καὶ δυσβάστακτον, προσθεῖσα τοῦτο τοῖς πρώην αὐτῆς ἁμαρτήμασι.

2. Quamobrem ego minimus et peccator, ut cui magni apostoli Petri sedes credita est, segrego te et illam a perceptione immaculatorum mysteriorum Christi Dei nostri. Sed et omnem episcopum aut clericum ordinis sanctæ Dei Ecclesiæ, qui ea vobis C administrare aut tradere ausus fuerit ab ea hora, qua [b] vinculum quo vos ligo, notum vobis fuerit, dignitate sua excidisse [decerno]. Quod si ut homines potentes quemquam ad id vi adegeritis, et canones vobis a Servatore per sanctos Apostolos traditos transgressi fueritis; in tremenda judicii die comperietis primum quidem non parvum hoc vobis futurum esse peccatum, deinde nec quemquam ulla hujus sæculi dignitate tum adjuvari posse: sed animorum occulta erumpent et exhibebuntur ante conspectum omnium.

2. Διὸ ἐγὼ ὁ ἐλάχιστος, καὶ ἁμαρτωλὸς, ὡς πιστευθεὶς τὸν θρόνον τοῦ μεγάλου ἀποστόλου Πέτρου, ἀφορίζω σέ τε κἀκείνην τῆς μεταλήψεως τῶν ἀχράντων μυστηρίων Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ παντοῖον ἐπίσκοπον, ἢ κληρικὸν ὄντα τοῦ τάγματος τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίας τολμῶντας ἐπιχειρῆσαι καὶ μεταδοῦναι ὑμῖν, ἀφ' ἧς ὥρας ἀναγνῶτέ μου τὸν παρόντα δέσμον, ὑπὸ καθαίρεσιν εἶναι. Εἰ δὲ βιάσησθέ τινα, ὡς ἐξουσιασταὶ, καὶ παρεξέλθητε τοὺς δοθέντας ὑμῖν κανόνας παρὰ τοῦ σωτῆρος διὰ τῶν ἁγίων ἀποστόλων, ἔσεσθε ἐπιστάμενοι ὡς πρῶτον μὲν οὐ μικρὸν ὑμῖν τὸ ἁμάρτημα γενήσεται ἐν τῇ φοβερᾷ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως, οὔτε οὐ δυνήσεται ἀξίωμα βιωτικόν τινα ὠφελῆσαι· ἐκείνων δὲ τὰ ἐντὸς ἐκχυθήσονται πρὸς ὑπόδειγμα πάντων.

3. Arsacium autem, quem magni Joannis loco in sedem episcopalem [c] intrusistis, etiam post mortem ordine movemus cum episcopis omnibus, qui [d] consulto cum ipso communicarunt. Neque nomen illius sacris in tabulis inscribatur: hoc enim indignus est honore, utpote qui episcopatum quodam adulterio pol- D luit. Omnis quippe plantatio, quæ plantata non fuerit a Patre nostro qui est in cœlis, eradicabitur (*Matth.* XV, 13). Theophilum autem non modo dejectum e sede sua, sed etiam excommunicatione et anathemate multatum omnino a Christianorum consortio alienum declaramus.

3. Ἀρσάκιον δὲ, ὃν εἰσενήγετε εἰς τὸν θρόνον τῆς ἐπισκοπῆς ἀντὶ τοῦ μεγάλου Ἰωάννου, καὶ μετὰ θάνατον καθαιροῦμεν σὺν πᾶσι τοῖς συγκοινωνήσασιν αὐτῷ προθέσει ἐπισκόποις. Οὗτινος μηδὲ τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐγγραφέσθω τοῖς ἱεροῖς διπτύχοις· ἀνάξιος γάρ ἐστιν, ὡς μοιχεύσας τὴν ἐπισκοπήν. Πᾶσα γὰρ φυτεία μὴ φυτευθεῖσα παρὰ τοῦ Πατρὸς ἡμῶν τοῦ ἐν οὐρανοῖς, ἐκριζωθήσεται. Προστιθέμεθα δὲ τῇ καθαιρέσει Θεοφίλου ἀφορισμὸν καὶ ἀναθεματισμὸν καὶ τελείαν ἀλλοτρίωσιν τοῦ χριστιανισμοῦ.

[a] Apud Glycam *portatuque difficillimum*. Magis placet *quod portari nequeat*, cum hunc locum expressum esse pateat ad imitationem hujus Matth. XXIII, 4: *Alligant enim onera gravia et importabilia*.

[b] Lab. ex Glyca Græce, τὸν πεμφθέντα σύνδεσμον.

[c] Is Arsacius, qui fratri suo Nectario, tactis Evangeliis, spoponderat atque juraverat, se nullius umquam episcopatus ordinationem admissurum, uti narrat Palladius pag. 94, quatuordecim post ordinationem mensibus exactis, mortuus est.

[d] Verbum græcum προθέσει apud Glycam desideratur. Additum est dedita opera: ne hac sententia teneri viderentur et ii, qui cum Arsacio inviti communicarant. Etiam cum ipsius successore Attico plerosque omnes non sponte communicasse Palladius pag. 95 tradit.

EPISTOLA II.

ARCADII IMPERATORIS AD INNOCENTIUM PAPAM.

A ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΑΡΚΑΔΙΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΠΡΟΣ ΙΝΝΟΚΕΝΤΙΟΝ ΡΩΜΗΣ ΑΡΧΙΕΡΕΑ.

Ut se et Eudoxiam ab excommunicatione liberet.

Norunt omnes homines mentis compotes, commissa per ignorationem nec divinitus nec per leges puniri : sed neque quemquam alterius nomine pœnas luere. Quocirca hæc scripsi, ut mansuetudinem tuam certam redderem (cujus rei benignum Deum testem imploro), me nihil eorum cognitum [a] habuisse, quæ nostris antistitibus et clericis acciderunt, et damnationis [b] eorum prorsus esse insontem. Cum enim eorum communione [c] sim usus, nihil causæ erat cur eos affligerem. Quod autem ad filiam tuam Eudoxiam attinet, scito me haud mediocres ab ea pro ratione delicti pœnas exegisse, ita ut præ hujusmodi mœrore et angustia, gravissimo correpta morbo decumbat. Cæterum obsecro ut nos a segregatione liberes, ac ne multipliciter punias. Nec enim ipse Dominus bis ob idem delictum percutit (*Naum* I, 9).

Πάντες ἄνθρωποι ἴσασιν οἱ εὐφρονοῦντες, ὅτι περ τὰ κατὰ ἄγνοιαν γινόμενα, οὔτε θεὸς, οὔτε νόμοι κολάζουσιν· ἀλλ' οὐδέ τις ὑπέρ ἑτέρου δίκην εἰσπράττεται. Ὅθεν ταῦτα γέγραφα πληροφορῶν τὴν ὑμετέραν πρᾳότητα, ὡς ἐπιμαρτυροῦντος τοῦ φιλανθρώπου Θεοῦ, οὐκ ἔγνων τι τῶν συμβάντων τοῖς ἡμετέροις ἐπισκόποις καὶ κληρικοῖς, ἀλλ' ἀθῶός εἰμι τοῦ κρίματος αὐτῶν. Εἰ γὰρ ἤμην συμμέτοχος αὐτῶν, εἰς τοῦτο οὐκ εἶχον τούτους κακῶσαι. Περὶ καὶ τῆς σῆς θυγατρὸς Εὐδοξίας γνῶθι, ὅτι καὶ αὐτῇ ἀνταπέδωκα κατὰ τὸ σφάλμα αὐτῆς οὐ μετρίως, ὡς ἐκ τῆς τοιαύτης λύπης καὶ θλίψεως ἐν ἀῤῥωστίᾳ βαρυτάτῃ κατακεῖσθαι αὐτήν. Παρακαλῶ λοιπον, ἵνα τοῦ ἀφορισμοῦ λύσῃς ἡμᾶς, καὶ μὴ ἐκδικήσῃς πολλαχῶς. Οὐ γὰρ πατάξει Κύριος δὶς ἐπὶ τὸ αὐτό.

B

EPISTOLA [d] III.

ARCADII IMPERATORIS AD INNOCENTIUM PAPAM.

Se insontem esse eorum quæ in legatos ipsius aut in Joannem admissa sunt, eorum auctores a se punitos. Adeoque relaxet sententiam, qua se cum conjuge a sacris mysteriis arcet.

Omnino, o pontifex Dei, nequidquam [*Forte* nil quidquam] eorum, quæ in legatos [e] audacter perpetrata sunt, sciente me factum est : idque ex eo perspici potest, quod eos a quibus illa orta sunt, C severe ultus sum. Neque quod magnus ille Joannes depositus sit, ulla in me culpa ejus rei hæret, sed infelicibus episcopis, quod scilicet cum sacros canones prætenderent, judicium depositionis illius in sua ipsorum profana capita converterunt, quorum sermone nescio quomodo inductus, etiam ipse eorum sententiæ, quod utinam numquam fecissem, assensus sum. Quo fit ut ipsi magis in culpa sint. Ex quibus et qui adhuc hic exstant, Acacium et Severianum, et eos qui sceleratum Theophilum secuti sunt, ut quanta maxima celeritate, comprehendi [f] jussimus, et eos qui illic sunt, ut pœnas dent ausibus suis debitas. Nobis autem placetur paterna humanitas tua : neque deseras nos expertes mysteriorum incontaminatorum. Tunc etiam filiam tuam Eudoxiam quæ peccaverit ultus sum, quæ etiam ex his gravissimo morbo correpta in lectulo decumbit. Ne igitur sæpius pœnas sumas, o reverendissime pater : neque enim Dominus in eadem bis pœnas sumit, ut scriptum est (*Naum*. I. 9, *sec*. LXX). Ubi autem erit pœnitentiæ [g] bonum, nisi iis quos pœniteat venia tribuatur? Igitur si nos quidem ex pœnitentibus non essemus, merito aditus ad veniam clauderetur : et si accusavimus et condemnavimus nos ipsos ab iis quæ male egimus; ne bono quidem pœnitentiæ, quod quidem venia est, excidamus.

[a] De iis, quæ cum legatis acta sunt, ita loquitur Palladius pag. 32 et seqq., ut Imperatorem eorum conscium esse non prodat. Immo missos esse narrans, qui legatos pervertere conarentur; idne aulicorum Imperatoris, an Attici opera factum sit, nescire se fatetur. Unde magis ac magis manifesta est falsitas harum litterarum, quibus gravissima pœna punitur Arcadius ob ea quæ legati passi fuerant; cum hæc se, ipso conscio, passos esse ne illi quidem affirmare possent. Idne cum potentissimo imperatore egisse credendus est sapientissimus pontifex, quod quemvis judicem cum tenuissimo quoque homine agere puderet? cum quemlibet nisi convictum vel confessum puniri, leges vetent.

[b] Neque ista cum Palladii narratione consentiunt, ex qua omnia tum per vim, nullo antecedente judicio, gesta esse planum est.

[c] Quomodo dici possit Arcadius eorum usus esse communione, qui nec ipsum salutare, immo nec urbem regiam ingredi, uti testis est Palladius p. 32, permissi sunt?

[d] In hac epistola repetitur, quod jam in antecedente scriptum erat. Quocirca opus esse suspicamur hominis otiosi, qui stylum exercere voluerit.

[e] Quemadmodum Chrysostomus statim atque ab ecclesia sua primum ejectus est, ad Innocentium epist. I, n. 5, scribens, omnia quæ impie tum patrata D fuerant, præter sententiam Arcadii gesta esse testatus est : ita etiam quidquid subinde adversus legatos actum est, *segnem Arcadium* latuisse Nicephorus lib. XIII, cap. 33, scribit.

[f] Quam impudenter hic mentiatur harum litterarum architectus, probat ipsius Arcadii rescriptum, quod Atticus, *neminem Orientalium secum communicare* iniquo animo ferens, ab hoc imperatore obtinuit, in quo scilicet, teste Palladio pag. 95, sanciebatur : *Si quis episcoporum non communicat cum Theophilo, Porphyrio et Attico, Ecclesia quidem dejiciatur, et a propriis facultatibus abigatur.*

[g] Vere pœnitenti primum illud agendum erat, ut Joanni honor inique sublatus restitueretur. At vix circa annum 415, hoc est post Joannis mortem annis novem, impetravit Innocentius, ut sanctissimi hujus præsulis nomen in sacras tabulas referretur.

EPISTOLA [a] IV.

INNOCENTII PAPÆ AD ARCADIUM IMPERATOREM.

A ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΙΝΝΟΚΕΝΤΙΟΥ ΡΩΜΗΣ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΠΡΟΣ ΑΡΚΑΔΙΟΝ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ.

Arcadium solvit, et sacrorum mysteriorum perceptionem ei permittit.

Studium vestrum Dei voluntati consentaneum, quod propter ipsius nomen ostendistis, probavi. Quapropter a sacris vinculis soluti, ad symbola dominica confirmatis animis accedite.

Ἀπεδεξάμην ὑμῶν τὴν κατὰ Θεὸν σπουδὴν, ἥνπερ διὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἀνεδείξασθε. Ὅθεν τῶν ἱερῶν δεσμῶν ἀνεθέντες, ἐν τοῖς δεσποτικοῖς συμβόλοις προσέλθετε ἐῤῥωμένοι.

[a] Ex genuinis Innocentii epistolis 19, 21, 22 et 23, falsitas hujus, adeoque antecedentium, plane convincitur. In illis enim pacem is papa petentibus non temere, sed nonnisi præscriptis conditionibus, iisque completis, reddere probatur. Ex iis quidem conditionibus hæc præcipua erat, ut Joannis nomen in sacras diptychas restitueretur. At nunc nec de B Joannis nomine, nec de cæteris episcopis ipsi addictis, qui crudelissima exsilia velut Arcadii auctoritate patiebantur, nihil curat. Ita pontifex, cujus laudant majores nostri sapientiam non minus in restituenda, quam in auferenda personis augustis communione, imprudens fingitur.

JAC. SIRMONDI NOTÆ POSTHUMÆ.

IN EPIST. II, AD VITRICIUM.

De epistola in generali.

Sancti Victricii Rothomagensis episcopi et confessoris Christi egregias admirandasque virtutes et merita brevi compendio explicat, qui Victricium olim Viennæ apud S. Martinum viderat, Paulinus Nolanus, duabus ad eumdem epistolis, sed præcipue 28. Huic nunc Innocentius expetitam ab eo mittit formam ecclesiasticæ disciplinæ, quæ in Romana Ecclesia servabatur, ut hanc tum ipse, tum ipso insinuante vicini etiam episcopi, in propriis ecclesiis consectentur, atque hunc quasi didascalum et monitorem habeant. Sic enim rectius opinor in quibus- C dam exemplaribus legi, quam ut in aliis didascalicum.

Num. 2, *Incipiamus igitur.*

Quæ restant præfationis hujus, cum tota epistolæ conclusione, et cum primis novem, tertio dempto, capitulis, omnia decerpta sunt ex epistola 4 Siricii papæ, quam ex synodo Romana scripsit ad Africanos, quæque inserta legitur in actis concilii Tellensis: nisi quod brevius apud Siricium expressa sunt capitula, quæ diffusius hoc loco digeruntur.

Cap. 3, n. 6, *sicut synodus statuit.*

Synodum nempe Nicænam significat; cujus canone 18, ut a Julio papa profertur in epistola ad Orientales, hæc leguntur : *Cujus*, apostolicæ sedis, *dispositioni omnes majores ecclesiasticas causas, et episcoporum judicia, antiqua apostolorum, eorumque successorum, atque canonum, auctoritas reservavit.*

Cap. 8, n. 11, *venientes a Novatianis.*

Qui a Novatianis et Donatistis ad Ecclesiam veniunt, baptizandi non sunt, utpote jam rite baptizati, D sed per manuum impositionem confirmandi. Quod de Novatianis quidem seu Catharis, sanxerat synodus Nicæna can. 8 et Constantinopolitana can. 7. De Donatistis vero, qui Montenses Romæ appellabantur, indicat, ut aliis supersedeam, canon synodi Carthaginensis Africanæ insertus c. 24. Atque hi nimirum semel ab istis baptizati, sine mora, cum veniunt suscipiendi sunt. Qui vero ad illos a catholica transeuntes iterum baptizati sunt, hi si redeant, non nisi post diuturnam pœnitentiam admittendi : quam ad diem usque mortis produci statuerat synodus Valentina c. 3. Donatistas rebaptizare solitos, omnes consentiunt; de Novatianis testatur Ambrosius in libris de pœnitentia, Hieronymus in libello de hæresibus : *Novatianus*, inquit, *Romæ Novatianum dogma instituit, nolens apostatas suscipere, et baptizans baptizatos.*

Cap. 11, n. 14, *ab imperatore præcipitur.*

Huc pertinet lex Honorii ante annos quinque lata Cod. Theod. de decurionibus CLXIII, qua curiales, qui clero se manciparant, distinctis ordinum gradibus præcipit vel curiæ reddi, vel alios pro se restituere, aut facultates suas tradere : *Si qui*, inquit, *ex secundo patris nostri consulatu curiam relinquentes, clericorum se consortio manciparunt, si jam episcopi vel presbyteri aut diaconi esse meruerunt, in sacris quidem et secretioribus Dei mysteriis perseverent, sed aut substitutos pro se curiæ offerre cogantur, aut juxta legem dudum latam tradant curiæ facultates. Residui omnes, lectores, subdiaconi, vel hi clerici quibus clericorum privilegia non debentur, debitis mox patriæ muneribus præsententur.*

Ibid. *ipse nobiscum.*

Romæ fuisse Victricium prior etiam Paulini ad ipsum epistola confirmat : Innocentio pontifice, anno, ut opinor, superiore, Romam venisse hic locus ostendit. Paulinus : *Nam et inde*, inquit, *tristati amaritudinem duxeramus, quod ex Urbe ad nos, sicut sperabamus, brevi itinere non venires, qui ad Urbem per tanta terrarum spatia perveneras.*

IN EPIST. VI, AD EXUPERIUM.

De epistola in generali.

Respondet ad inquisitiones Exsuperii episcopi, studium ejus commendans, quod de dubiis ad sedem apostolicam referret. Multus in Exsuperii Tolosani laudibus et frequens est S. Hieronymus, ut in epistola 4, ad Rusticum : *S. Exsuperius*, inquit, *Tolosæ episcopus, esuriens pascit alios, omnemque substantiam suam Christi visceribus erogavit. Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro. Hujus tu e vicino sectare vestigia.* Et in epistola 11, ad Ageruchiam : *Non possum absque lacrymis Tolosæ facere mentionem, quæ ut hucusque non rueret, sancti Exsuperii merita præstiterunt.* Exstant et Hieronymi ejusdem ad Exsuperium epistolæ tres, libris singulis præfixæ commentariorum in Zachariam prophetam, quos Exsuperio nuncupavit, Arcadio Aug. VI, et Anicio Probo coss., hoc est anno post hanc Innocentii epistolam proximo, cum Exsuperius Sisinnium diaconum suum, ad largiendas monachis eleemosynas in Palæstinam Ægyptumque misisset.

Cap. 1, num. 2, ad verba *Siricii episcopi.*

In epistola ad Himerium Tarraconensem c. 7. Quo loco Siricius suam in sacerdotes ac levitas incontinentes sententiam ita dividit, ut eos qui se ignorantia eatenus lapsos dolerent, et continentiam in posterum spondèrent, manere in officiis suis permittat, sed altiorem ad gradum euchi prohibeat : eos vero, qui se veteris legis exemplo defendere conarentur, omni ecclesiastico honore privandos statuat. Innocentius priorem pœnam in eos decrevit, qui Siricii constitutionem ignorarint : posteriorem in eos qui cognitæ non paruerint. Comprehendi autem etiam episcopos hac lege, Siricii sub finem verba declarant.

Cap. 2, n. 6, *Novatiani asperitatem.*

Novatianorum hæresis fuit, ut Epiphanius hæresi 59 docet, nullam eos qui post baptismum lapsi

sunt consequi veniam posse. Quare pœnitentiam A denegarunt, omnemque illius mentionem ex conventiculis suis exploserunt. Theodoretus lib. III de Hæreticis fabulis, c. 6, καὶ παντελῶς τὸν τῆς μετανοίας τῶν οἰκείων συλλόγων ἐξορίζουσι λόγον. Quamquam ego ab his in Ecclesia catholica, longissime aberant ii, qui non dubitabant posse omnes per pœnitentiam recuperare gratiam quam perdiderant, etsi nonnullis interdum, ut indignis, pacem in exitu tantum vitæ poscentibus, negandam censerent; hoc tamen ipsum, quod Novatianæ asperitatis simile videbatur, tolli et quilibet in exitu poscenti communionis gratiam tribui placuit, juxta canonem 13 synodi Nicænæ.

Cap. 4, n. 10, *non habent latentia.*

Quam causam hic affert, cur viri adulteri non perinde arceantur a communione ut feminæ, eamdem universe de criminosis omnibus, qui latenter ad communionem obrepunt, prodit Augustinus in homilia 1: *Nemo*, inquit, *arbitretur propterea se consilium salutiferæ hujus debere pœnitentiæ contemnere, quia multos forte advertit et novit ad sacra altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat. Nam plerique propterea nolunt alios accusare, dum se per illos cupiunt excusare. Plerique autem boni christiani propterea tacent et sufferunt alia peccata quæ noverunt; quia documentis sæpe deseruntur, et ea quæ ipsi sciunt, judicibus ecclesiasticis probare non possunt. Quamvis enim vera sint quædam, non tamen judici facile credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur. Nos vero a communione prohibere quemquam non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo, sive sæculari, sive ecclesiastico judicio, nominatum atque convictum.*

Cap. VII, n. 15, *Cætera autem.*

Pseudepigraphi libri sub horum nominibus plurimi olim circumferebantur, ut Matthiæ Evangelium, de quo Origenes in Lucam, et Eusebius lib. III Historiæ, ejusdemque traditiones παραδόσεις, quarum meminit Clemens Alexandrinus lib. II et VII Stromatum; Jacobi minoris Evangelium; Petri πράξεις, εὐαγγέλιον, κήρυγμα, ἀποκάλυψις, καὶ κρίσις: quos omnes commemorat Hieronymus in scriptoribus eccles. c. 1: *Libri autem*, inquit, *e quibus unus actorum ejus inscribitur, alius Evangelium, tertius prædicationis, quartus Apocalypsis, quintus judicii, inter apocryphas scripturas reputantur.* Joannis actus, Andreæ item actus et Evangelium. Thomæ denique Evangelium, actus, et Apocalypsis. De quibus, aliisque id genus, Gelasius in synodo Romana.

IN EPIST. III, AD SYNODUM TOLOSANAM.

In titulo, *Toletana synodo.*

Ambigui esse tituli epistolam monuimus. Quod si Tolosanæ synodo scriptam fuisse constaret, absurdi nihil foret discussas in synodo Galliæ Hispanienses causas fuisse, cum tractatas meminerimus in Taurinensi Gallicanas. Sed dubium non videtur, quin scripta sit ad episcopos Hispaniæ, post synodum quidem Toletanam, de rebus tamen in ea gestis, vel postea consecutis. Idque ut mihi persuadeam ducor argumento non levi, quod c. 6 exponetur. Quare antiquam inscriptionem epistolæ restituendam censeo, ut *in Toletano synodo* legatur.

Cap. 1, n. 2, *propter Galliciorum communionem.*

In synodo Toletana Symphosius et Dictinius cum aliis, ut Idacius in Chronico refert, e Gallæcia episcopis, damnata Priscilliani hæresi, recepti fuerant in communionem, retentis honoribus quos habebant. Quod non probantes Bætici et Carthaginienses, a cæteris episcopis, qui eos receperant, desciverunt. Dari ergo vult operam pontifex, ut qui desciverunt, ad communem pacem revocentur.

Ibid., *illius Luciferi.*

Calaritani apud Sardos episcopi, qui schismatis in Ecclesia auctor fuit, cum episcopos in synodo Ariminensi lapsos quamvis resipiscentes recipi nollet, ab iisque se qui eos receperant segregavit. Sulpitius Severus: *Lucifer in tantum eos qui Arimini fuerant condemnavit, ut se etiam ab eorum communione secreverit, qui eos sub satisfactione vel pœnitentia recepissent.*

Cap. 2, n. 5, *Rufinus atque Minucius.*

Synodus Nicæna can. IV episcopum ab episcopis provinciæ cum metropolitani auctoritate fieri jubet. Contra hunc canonem commiserant Rufinus et Minicius, B quorum uterque sine conscientia metropolitani, alter etiam in aliena provincia, episcopos ordinarant. Quare et in usurpatores animadverti oportere ait, et ab his temere ordinatos honore carere quem adepti sunt, juxta canonem 6 synodi ejusdem, quo cautum est, eum qui præter sententiam metropolitani factus fuerit episcopus, episcopum esse non debere.

Cap. 3, n. 6, *Joanne episcopo.*

Joannes hic synodo Toletanæ redeuntes ab hæresi recipienti per vicarios consenserant: postea subduxisse se, et contra sententiam suam venisse ferebatur. In hunc ergo, aeque in alios qui a communionis consortio cessasse videbantur, plenius inquiri, deprehensosque, si ad concordiam redire abnuant, excommunicari jubet.

Cap. 4, n. 7, *de ordinationibus.*

De iis qui prava consuetudine in Hispania ex diversis generibus hominum, quos canones a cleri gradibus excludunt, creati hactenus fuerant episcopi, propter illorum multitudinem non sic indulget, ut C proposita vitiose deinceps ordinatis ordinantibusque pœna, in posterum abstineri præcipiat.

Cap. 5, n. 8, *in locum patruini.*

Discrepant inter se rerum Hispanicarum scriptores, cujus sedis episcopus fuerit Patruinus, qui concilio primo Toletano præfuit. Alii enim Toletanum antistitem fuisse conjiciunt, alii Bracarensem, alii neutram illorum sententiam satis firmam putant. Ex hoc loco apparet, quod in mentem illis non venerat, Emeritensem episcopum fuisse, cui jam defuncto Gregorius hoc tempore successerat.

Cap. 6, n. 9, *per sententiam decernitis.*

Manifestum est alludi ad decretum synodi Toletanæ, quod in ejus actis primo loco positum est his verbis: *Patruinus episcopus dixit: Si placet, communi consilio decernamus, quid ab omnibus episcopis in ordinandis clericis sit observandum. Mihi autem placet, constituta primitus concilii Nicæni perpetuo esse servanda, nec iis esse recedendum. Episcopi dixerunt:* D *Hoc omnibus placet.* Quæ cum ita sint, liquet profecto Innocentium hoc loco alloqui episcopos qui Toletano concilio affuerant, ac proinde synodo Toletanæ inscribi epistolam debere, ut dictum est.

ANNO DOMINI CDXVII.

ZOSIMUS PAPA.

PROLEGOMENA.

NOTITIÆ BIOGRAPHICÆ.

I.

(Ex libro Pontificali, Labb. t. II Concil.)

Zosimus natione græcus, ex patre Abrahamio, sedit annum unum, menses duos, dies undecim. Hic constituit multa in Ecclesia. Et constituit ut diacones lævas tectas de pallis [*Al.* palleis] linostimis haberent. Et per parochias concessit licentiam benedi-

cendi cereum [*Al.* cerea] paschalem. Et præcepit, ut nullis clericis poculum in publico propinaretur, nisi tantum in cellis fidelium, maxime clericorum. Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembrem, presbyteros decem, diacones tres, episcopos per diversa loca numero octo (*Vid. Prosper in Chronico*). Sepultus est via Tiburtina, juxta corpus beati Laurentii martyris, septimo kalendas Januarii. Et cessavit episcopatus dies undecim.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Zosimus. Post obitum Innocentii, interlapsis vigintiduobus diebus interregni, Zosimus factus est pontifex decima nona Augusti, anno Domini 417, qui est Honorii 23, Theodosii 10. Pelagius et Cœlestius ab Africanis condemnati, ad pontificem appellarunt, oblatoque Zosimo fidei libello plane catholico, se in omnibus paratos esse dixerunt; eadem de fide sentire, quæ Romanus pontifex sentienda proponeret. Quibus persuasus pontifex de utroque, ut videri poterat, catholico reddito, ad eosdem Africanos episcopos litteras dedit, quas infra ex codice Vaticano cum libello fidei subjungemus. Baptismalis fontis benedictio, ut est apud Leonem epist. 65, miraculo est confirmata. Quid in causa Pelagii inter Zosimum et Africani concilii patres actum sit, infra dicemus. Interea Romæ Cœlestius in judicium vocatus, de fide et doctrina examinatus, peccatum originale cum Pelagio negasse repertus fuit: qua de causa in utrumque sacer patrum consensus hanc sententiam damnationis protulit, ut nisi correcti pœnitentiam agerent, toto orbe terrarum damnati censerentur. Sixtus Romanus presbyter, Cœlestini in pontificatu successor, quem Pelagianæ hæreseos fautorem ac patronum esse calumniati fuerant, primus in illos anathema proclamavit, et commentarium adversus eosdem scripsit, teste Augustino epistol. 104 et 105. Honorius imperator edicto promulgato eosdem proscripsit. Fautores Pelagii ex clero Romano, tamquam rebelles et perturbatores omnium a Zosimo excommunicati, cum ad Honorium imperatorem de pontifice conquesturi se contulissent, sub pœna excommunicationis vitari jubentur per epistolam Zosimi ad presbyteros et diaconos Ravennates perscriptam. Damnati hæresiarchæ pontificem, clerum Romanum, Augustinum, aliosque catholicos calumniis impetiverunt, et Ecclesiam Romanam orientalibus odiosam reddere laboraverunt; sed frustra. Ob dissensionem quamdam Africanorum episcoporum cum Romano pontifice obortam, de prosecutione appellationum ad sedem apostolicam interpositarum, Faustinum episcopum Potentinum in Piceno, Asellum et Philippum, legatos a latere anno Domini 418 Carthaginem misit. Quoniam vero inter hæc Zosimum mori, remque ad Bonifacium successorem ejus devolvi contigit, quid in causa perdifficili, quinquennio agitata, gestum sit, infra dicemus. Baron. prædictis annis.

Sedit annum unum, menses duos, dies undecim. Anno uno, mensibus quatuor, diebus septem pontificiam sedem tenuisse patet ex initio et fine pontificatus. Anno præcedente 417 Innocentium adhuc superstitem fuisse indicat ejus epistola ad concilium Milevitanum scripta. Ad finem anni 418 Zosimum non supervixisse, acta concilii Carthaginensis VI et epistola Bonifacii successoris ad episcopos Galliæ, sub consulatu Monaxii scripta, testantur. Cum ergo, juxta auctoritatem libri pontificalis, obitus Zosimi contigerit VII kalendas Februarii (*Januarii*), constetque ex relatione Symmachi ad Honorium IV kalendas Februarii data, Bonifacium eidem subrogatum fuisse, dicendum est Zosimum non tribus, sed uno tantum anno, ac prædictis mensibus et diebus, sedem apostolicam gubernasse. Baron. anno 418, num. 75.

Per parochias concessit licentiam. Zosimus hoc tantum constituit, ut idem cereus, qui in majoribus dumtaxat basilicis incendi soleret æque singulis parochiis concederetur. Benedictionem enim cerei paschalis, in ecclesia antiquiorem esse docet Prudentius, qui de eo hymnum cecinit. Baronius anno 418, numero vigesimo sexto.

II.

(Ex Collect. Epist. Rom. Pont. Constantii tom. I.)

Hujus papæ pontificatus brevis, sed rebus in Pelagii Cœlestiique causa gestis satis celebris fuit. Paschasino apud Leonem papam epist. 3 scribenti, anno 417, dum Zosimus pontificatum gereret, Pascha Martii 25 die celebratum esse, suffragatur ipsius Zosimi epistola 1 eodem anno Martii 22 die data. Quocirca majori fide digna visa sunt martyrologia aliaque monimenta vetera, quæ Innocentii obitum Martii 12 die, quam quæ aliis diebus vel mensibus consignant. Hinc et quo die ordinatus sit Zosimus, non arduum est definire. Nam quin dominico die inauguratus sit ipse epist. 4 n. 2 dubitare non sinit, dum inter ordinationis Herotis vitia hoc recenset, quod *ne dies quidem legitimus ordinationis esset adscitus*. At vero a Martii die, quo Innocentius obiit, ad 22, quo Zosimus priorem epistolam scripsit, nullus occurrit dominicus dies, nisi decimus octavus. Restat igitur ut hoc die Zosimus fuerit ordinatus. Si ea benignitate, qua Pelagium Cœlestiumque, conversos illos existimans, complexus est, ad indulgentiam quam propensus esset patefecit; eo etiam studio quo illos postmodum detracta fraude, ubique terrarum curavit condemnandos, ab hæresi probanda quam alienus esset, quamque catholicæ veritati semper fuerit addictus, omnibus comprobavit. Ipso quippe usus est Deus, ut Pelagianorum condemnationi coronis celeberrimo decreto imponeretur. Anno 418, Decembris 26 die, ut ex Symmachi Urbis præfecti relatione, a Baronio ab anno 418 edita conficitur, vivendi finem feliciter fecit, anno uno, mensibus novem, ac novem diebus, secundum Prosperum, in pontificatu exactis.

ZOSIMI PAPÆ
EPISTOLÆ ET DECRETA.

(Ex Editione P. Constantii Epist. Rom. Pontif. tom. I.)

MONITUM IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

1. E veteri Arelatensis ecclesiæ codice, qui nunc in Colbertina bibliotheca asservatur, a Baronio primum in annalibus, ac deinde a Jac. Sirmondo inter concilia Galliæ vulgata est hæc epistola. Exstat et in

altero laudatæ bibliothecæ non minus vetusto exemplari. Ad utriusque discrimen primum *Arel.*, alterum *Colb.*, nuncupamus. Tertium vero nobis suppeditavit bibliotheca Regia codicem not. 3989 duobus prædictis antiquiorem, in quo præmittitur *factum* (seu *edictum*) *ad virum illustrem Agricolam præfectum Galliarum Augustorum Honorii et Theodosii*, infra suo loco edendum, ac deinde sequuntur plures Zosimi aliorumque Romanorum pontificum ad Pelagium usque epistolæ, præsertim in Arelatensis Ecclesiæ gratiam conscriptæ. Præterea in Morbacensis monasterii exemplari, compilationem canonum ab annis circiter 800 scriptam continente, duo posteriora epistolæ hujus capita reperimus Zosimo nostro adscripta. In eodem tamen ms. offendimus ejusdem caput 1 nomine inscriptum *Silvestri papæ*, velut Reticio Augustodunensi episcopo per Gallias ac septem provincias privilegium largientis, idque regionis hujus præsulibus significantis. Exhibet quoque vulgata Floriacensis bibliotheca idem caput nomine item Silvestri papæ insignitum, quo idem privilegium Paschasio Viennensi conceditur. Hujus autem scripti, quod in Appendicem rejiciendum duximus, falsitatem loco suo probaturi sumus. Neque igitur hæc scriptio, sicut nec falsa codicis Morbacensis citatio, epistolæ sequentis officiunt veritati. Hinc tantum conficitur ecclesias, quæ aliquod sibi jus in alias arrogare voluerunt, privilegio ad epistolæ hujus imitationem concinnato illud obfirmare contendisse.

2. Epistolæ sequentis veritatem non modo probat veterum codicum auctoritas, sed et historica veritas confirmat. Certe episcoporum Arelatensis provinciæ ad Leonem papam preces apud ipsum Leonem epist. 40 nemo queat legere, quin epistolam istam plane ab illis indicari, et ex ejus verbis preces illorum expressas esse non statim agnoscat. Similiter omnes sive antecedentium sive subsequentium Romanorum pontificum quæ ad Arelatensem ecclesiam attinent epistolæ, ita inter se cohærent, ut qui unam admiserit, vix ullam rejicere deinde valeat. Quocirca Joan. Morinus Eccl. exercit. 24 Scaligerum merito ridet, quod epist. 348, et hanc epistolam, et alias Arelatensis sedis gratia scriptas Zosimo indignas ac supposititias judicarit. Quæ autem adversus illas objiciuntur, Pasch. Quesnellus ad calcem operum Leonis dissert. 5, part. I, cap. 6, diluit. Demum Francofordiense concilium anno 794 habitum, Carolo Magno præsente, can. 8 illarum haud obscure meminit, ubi habet: « De altercatione Ursionis Viennensis episcopi lectæ sunt epistolæ beati Gregorii, Zosimi, Leonis et Symmachi, quæ definierunt, etc. »

3. An Zosimus Arelatensi episcopo nihil hac epistola novi tribuerit, jure disceptetur. Censet quidem Pasch. Quesnellus loco laudato in eo etiam, quod cap. 1 de formata præcipitur, nihil ei tributum esse, nisi quod jam a Cypriani ævo habuerit. Sed quod ea de re ex epistola 1, ad Stephanum I papam, patere ait, nobis prorsus latere ultro fatemur: in ea enim epistola nullus occurrit de formatis sermo.

A Immo si canones consulamus, quos Siricius ad Gallos episcopos misit, Zosimum in eo, quod formatas quibusvis clericis ab Arelatensi episcopo tradendas esse decernit, de jure communi in Galliis recepto derogasse non ambigemus. Ubi enim observat Siricius (*Epist.* 10, *n.* 17) clericum quemlibet, « sine litteris episcopi sui vel formata in aliena ecclesia non posse ministrare, » clericos alio pergentes litteras seu formatam *episcopi sui*, non Arelatensis, accipere consuevisse satis aperte indicat. Ad Metropolitani quidem jus hoc pertinuisse non negaverim, ut ei subjecti episcopi aliquod iter procul ab Ecclesiis suis suscipientes formatam ab ipso acciperent. Quamobrem concilium Carthaginense anno 397 celebratum constituit, « ut nullus episcoporum naviget sine formata primatis » (*Cod. can. Eccl. Afr.*, *c.* 56). Neque vero opus est moneamus, primates cujusque provinciæ in Africa vicem gessisse metropolitanorum. At singulos episcopos clericis suis formatas illas tradidisse vel ex eo patet, quod alterum Carthaginense
B concilium anno 407 decrevit: « Formatas autem, quas a primatibus (tribuuntur episcopis) vel a quibuscumque episcopis propriis clericis dantur, habeant diem Paschæ » (*Ibid. c.* 106). Sanxit quoque Laodicenum concilium can. 40 secundum interpretationem in Codice Quesnelli cap. 58 vulgatam: « Non oportet ministrum altaris, vel etiam laicum, sine canonicis litteris, id est formata, aliquo proficisci; » ac deinde can. 41 hanc formatam a proprio episcopo accipiendam esse docet his verbis: « Non oportet altaris ministrum vel quemlibet præter jussionem episcopi ad peregrina proficisci. » Immo concilium Antiochenum cum can. 7. secundum mox laudatum interpretem præcipiat, « nullum peregrinorum clericorum absque formata suscipi oportere, neque presbyteros ad regiones longinquas formatas, id est epistolas dare; addit tamen can. 8: « Vicario vero episcopi, qui a Græcis chorepiscopus dicitur, formatas facere liceat. » Unde ante Zosimi tempora cum
C in Oriente, tum in Occidente, usu receptum fuisse liquet, ut prædictas formatas clerici ab episcopis suis peterent, et episcopi a metropolitanis: adeoque Zosimus novi aliquid tribuit Arelatensi episcopo, cum episcopos et clericos quoscumque formatas ab eo accipere voluit.

EPISTOLA I.

AD EPISCOPOS GALLIÆ.

De privilegiis ecclesiæ Arelatensis.

I. [a] *Ut qui Romam aut alio e Gallia veniunt, formatas accipiant a Metropolitano Arelatensi.* — II. *Ut metropolitanus Arelatensis episcopos ordinet per provinciam Viennensem, et per utramque Narbonensem.* — III. *Ut ecclesiæ Arelatensi suæ parœciæ restituantur.*

Zosimus universis episcopis per Gallias et [b] septem provincias constitutis.

D CAP. I. — 1. Placuit apostolicæ sedi, ut si quis ex

[a] Subsequentes tituli e Sirmondo, non ex mss. exprimuntur.

[b] Septem illæ provinciæ, quarum conventum civilem quotannis Arelate celebrari Honorius constitutione anno 418 data præcepit, in veteribus Notitiis appellantur Viennensis, Narbonensis prima et secunda, provincia Alpium maritimarum, Novempopulana et utraque Aquitania.

[1] Septem provinciæ hoc loco, et in aliis similibus, intelliguntur, quas vetus Notitia civitatum Galliæ sejunxit a reliquis provinciis Gallicanis: Viennensis nimirum, Aquitania I, Aquitania II, Novempopulana, Narbonensis I, Narbonensis II, et Alpes maritimæ. Quas easdem intellexit Honorius in constitutione proximo ab hinc anno edita ad Agricolam P. P. Galliarum, cum statuit ut Arelate bis quotannis conventus fierent e Septem provinciis. De his enim loquitur, lapsusque est memoria Hincmarus, qui inter septem provincias pro Aquitania prima numerat Lugdunensem. Sicut ergo Galliarum et quinque provinciarum antea nomine Gallicanas omnes provincias complectebantur: ita nunc cum Galliæ et septem provinciæ dicuntur, omnes designantur. Hoc solum fuit discrimen, quod in illa ratione solæ Narbonenses provinciæ a communi Galliarum vocabulo secernantur, in hac vero etiam Aquitanicæ. Aquitanos autem a Gallis interdum solitos distingui, Ausonii, Sulpitii Severi, et aliorum hujus ævi scriptorum exempla demonstrant.

qualibet Galliarum parte, sub quolibet ecclesiastico A gradu, ad nos Romam venire contendit, vel alio [*Reg. ms.* ad alia] terrarum ire disponit, non aliter proficiscatur, nisi metropolitani [1] Arelatensis episcopi formatas acceperit, quibus sacerdotium suum, vel locum ecclesiasticum quem habet, scriptorum ejus adstipulatione perdoceat. Quod ea gratia statuimus, quia [a] plurimi se episcopos, presbyteros, sive ecclesiasticos simulantes, quia nullum documentum formatarum exstat per quod valeant confutari, in nomen venerationis irrepunt, et indebitam reverentiam promerentur. Quisquis igitur, fratres charissimi, prætermissa supradicti formata, sive episcopus, sive presbyter, sive diaconus, aut deinceps inferiori gradu sit, ad nos venerit, sciat se omnino suscipi non posse. Quam [b] auctoritatem ubique nos misisse B manifestum est : ut cunctis regionibus innotescat, id quod statuimus omnimodis esse servandum. Si quis autem hæc salubriter constituta temerare tentaverit, sponte sua se a nostra noverit communione discretum. Hoc autem privilegium formatarum sancto Patroclo fratri et coepiscopo nostro meritorum ejus [c] specialiter contemplatione concessimus.

Cap. II. — 2. Jussimus autem præcipuam, sicuti [d] semper habuit, metropolitanus episcopus Arelatensium civitatis [2] in ordinandis sacerdotibus teneat auctoritatem. Viennensem, Narbonensem primam et Narbonensem secundam provincias ad pontificium suum revocet. Quisquis vero posthac contra apostolicæ sedis statuta et præcepta majorum, omisso metropolitano episcopo, in provinciis supradictis quemquam ordinare præsumpserit, vel is qui ordinari se illicite siverit, uterque [e] sacerdotio se carere cognoscat. Quomodo enim potest auctoritatem summi pontificis obtinere, qui quæ erant pontificis servare contempsit ?

Cap. III. — Omnes sane admonemus, ut quique finibus territoriisque suis contenti sint [f] : nam barbara et impia ista confusio est aliena præsumere. De qua re ne ad nos querela ulterius redeat admonemus. Dedit enim exemplum Arelatensis ecclesia, quæ sibi [3] Citharistam et [g] Gargarium parœcias in territorio suo sitas incorporari jure desiderat : ne de cætero ullus sacerdos in alterius sacerdotis præsumat injuriam. Sane quoniam metropolitanæ Arelatensium urbi vetus privilegium minime derogandum

[a] Editi cum ms. Arel., *plures episcopi*, *presbyteri*, *sive ecclesiastici* : corriguntur ope mss. Reg. Colb. et biblioth. Flor.

[b] Hic vox *auctoritatem*, more priscis Romanæ ecclesiæ pontificibus familiari, epistolam sonat.

[c] Ita codex Regius cum Arel. et Morbac. Alii vero, *speciali*. C

[d] Novumne jus nunc Zosimus Patroclo concedat, disputant eruditi. Novum tribui censent Petri Marcæ continuator Steph. Baluzius lib. v de Concord., c. 30, ac Tillemontius tom. X, p. 681 et seqq. Quesnellus vero in laudata dissertatione 5, cap. 6, observat, Zosimum *non novum jus condere nec nudiustertius institutum firmare, sed vetus privilegium* asserere, et id quidem *in nativis Arelatensis juribus primævisque prærogativis fundatum*. Cui nunc favet Zosimus, ubi Arelatensi episcopo id committere se testatur, *quod semper habuit*. Illi quoque suffragantur Gallicani episcopi in precibus ad Leonem papam post ordinationem Ravennii Arelatensis episcopi missis apud ipsum Leonem epist. 41. Sed refragatur ipse Leo epist. 9, c. 4, ubi Hilarium, qui episcopos extra provinciam suam ordinarat, id usurpasse queritur, *quod nullus decessorum ipsius ante Patroclum habuit*. Minus ambiguum est. Arelatensem episcopum a Zosimo hic eo sensu *metropolitanum* nuncupari, quo intellexit hoc nomen D synodus Taurinensis, cum urbium Arelatensis et Viennensis episcopis de primatus in illis provinciis honore inter se certantibus definivit : *ut qui ex eis approbaverit suam civitatem esse* METROPOLIM, *is totius provinciæ honorem primatus obtineat, et ipse juxta canonum præceptum ordinationum habeat potestatem*. Unde liquet eum ibi metropolitanum dici, cui in controversis provinciis primatus honor et ordinationum competit potestas.

[e] Quam in hujusmodi causis concilium Taurinense can. 3 decreverat ordinantis pœnam, Zosimus hic auget. Hæc quippe synodus eum, *qui ordinatus fuerit*, *sacerdotii honori privandum* judicans, scire voluit et eum *qui ordinaverit auctoritatem se in ordinationibus vel in conciliis minime retenturum*, sed sacerdotio minime privat. Zosimo autem concinens Arelatense II concilium, ut *qui ordinatus est cum ordinatoribus excludatur*, constituit.

[f] In mss. Colb. et Arel. ut in vulgatis *contenti sint*. *De qua re*. Sententiam intermediam ex mss. Reg. et Morbac. supplemus.

[g] In vulgatis, *Gargariam*. Melius. mss Arel., Reg. et Morbac. *Gargarium*, uti legendum esse monuerat Sirmondus auctoritate veteris tabulæ Arelatensis, in qua exstat, *Pagani pagi Lucreti*, *qui sunt in finibus Arelatensium*, *loco Gargario*. Citharistanæ item parœciæ in libro 2 Vitæ S. Cæsarii Arelatensis mentionem fieri idem Sirmondus observat. Additur et in notis ejus posthumis a Labbeo ad calcem tom. II Concil. pag. 1814 editis, Plinium lib. 3, c. 4, Citharistæ in ora Massiliensium promontorii meminisse. Uterque locus etiamnum est notus.

[1] Formatas seu communicatorias epistolas, sine quibus peregrini clerici ad communionem non admittebantur, accipere solebant, cum alio proficiscebantur, presbyteri, diaconi, et cæteri deinceps, ab episcopo suo, episcopi a metropolitano, metropolitani a primate seu patriarcha. Quod S. Maximus in disputatione cum Pyrrho sub finem docet, cum Pyrrhi synodum ullam fuisse negat, ad quam συστατικὰς litteras nec episcopi a metropolitanis suis attulerint, nec metropolitani a patriarchis. Συστατικὰς, inquit, οἱ συνελθόντες οὐκ εἶχον, οὔτε οἱ ἐπίσκοποι ἀπὸ τῶν μητροπολιτῶν, οὔτε οἱ μητροπολῖται ἀπὸ τῶν πατριαρχῶν. At Zosimus hoc loco singulare privilegium Patroclo Arelatensium episcopo tribuit in Gallia, ut cujuslibet gradus ecclesiastici, sive Romam, sive alio terrarum profecturi extra Galliam omnes ab eo formatas accipiant, et sine his alibi non suscipiantur.

[2] Zosimus Ecclesiæ Arelatensis episcopo vetus, ut ait, privilegium et auctoritatem confirmat, ut in ordinandis episcopis metropolitani jus habeat per tres provincias, Viennensem et utramque Narbonensem ; ita ut honore careant, qui in his provinciis, omisso metropolitano, id est Arelatensi, episcopos ordinarint, vel episcopi fuerint ordinati. Qua de re iterum alias sæpius.

[3] Citharistæ in ora Massiliensium promontorii meminit etiam Plinius lib. III, c. 4; Gargarii vero loci vetus inscriptio antiquæ tabulæ, quæ exstat Arelate : PAGANI PAGI LUCRETI QUI SUNT FINIBUS ARELATENSIUM LOCO GARGARIO, et quæ sequuntur.

est, ad quam primum ex hac sede Trophimus summus antistes, ex cujus fonte totæ Galliæ fidei rivulos acceperunt, directus est; idcirco quascumque parœcias in quibuslibet territoriis, etiam extra provincias suas, ut antiquitus [a] habuit, intemerata auctoritate possideat. Ad cujus notitiam, si quid illic negotiorum emerserit, referri censemus, nisi magnitudo causæ etiam nostrum requirat examen. Data XI kalendas Apriles (*Anno* 417, *Martii* 22) [b] Honorio augusto XI et Constantio II consulibus.

MONITUM.

IN DUAS EPISTOLAS SUBSEQUENTES.

1. Ambas primus Baronius ad annum 417 e veteris codicis Vaticani fide cum suis nævis in lucem emisit. Nævos illos repurgare nisus est Joannes Garnerius, sed ea libertate, quam nobis licitam non existimamus. Interdum tamen felix fuit illius labor, ubi a criticæ regulis minus recedit. Capelli censura, qua eas adulterinas putat, eruditorum omnium judicio merito rejicitur. Harum prima primis secundæ verbis, sicut et hæc altera aperte indicatur istis Marii Mercatoris in commonitorio dictis: « Cœlestius ad urbem Romanam sub sanctæ memoriæ Zosimo episcopo tota festinatione perrexit. Ubi actis quorum exemplaria habemus interrogatus, cum ab illo cognitore aliquatenus tentaretur, crebris responsionibus et prosecutionibus suis spem præseminavit, condemnare se illa capitula, de quibus apud Carthaginem fuerat accusatus, promittens. Id enim et instantius jubebatur, ab eoque vehementius ut id faceret exspectabatur: atque ob hoc ipsum nonnulla illius sancti sacerdotis humanitate dignus est habitus. Et sic epistolam quamdam benignitatis plenam ad Afros episcopos meruit, qua ille abusus est, et adhuc abutitur ad multorum ignorantium deceptionem. » De utraque vero Augustinus libris contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium et de Peccato originali, ut mox visuri sumus, non minus diserte loquitur. Manifesta quoque sunt hæc Facundi lib. VII, c. 3, p. 277, de ambabus verba: « Invenient postremo B. Zosimum apostolicæ sedis antistitem, contra S. Innocentii decessoris sui sententiam, qui primus Pelagianam hæresim condemnavit, fidem ipsius Pelagii ejusque complicis Cœlestii, quem in ecclesia Carthaginensi convictum, atque appellantem apostolicam sedem, et ipse gestis discusserat, tamquam veram et catholicam laudantem, insuper etiam Africanos culpantem episcopos, quod ab illis hæretici crederentur, cum, necdum ipsi Africanis episcopis dolos eorum manifestius detegentibus, memoratos Pelagium et Cœlestium putaret orthodoxos. » Et hæc quidem pro litterarum illarum veritate, quæ ex dicendis magis ac magis elucescet, interim satis. An vero Zosimus causam denuo recognoverit a decessore suo finitam, de qua Augustinus Serm. 131, n. 10, dixerat: « Causa finita est; utinam finiatur error! » an etiam in hoc toto negotio, ut vult Facundus, « contra S. Innocentii decessoris sui sententiam » se gesserit, nunc est expendendum.

2. Ad Augustinum quod attinet, finitam dixit causam, quatenus aperte ac certa auctoritate erant reprobati errores; at finitam non intellexit, quatenus istud fixam sonat ac determinatam etiam personarum Pelagii ac Cœlestii condemnationem. De his enim Carthaginense concilium epist. 26, ad Innocentium, n. 6, velut subdubitans scripserat: « Etiamsi Pelagius Cœlestiusque correcti sunt, vel se ista numquam sensisse dicunt. » Nec quidquam certius quinque episcopi epist. 28, ad eumdem papam, n. 11, de Pelagio asseverant, utpote a quo id postulare satis habebant: « Anathemet ergo Pelagius scripta sua... Aut si ea sua esse negat, aut scriptis suis ab inimicis suis dicit immissa quæ sua esse negat, anathemet ea et damnet. » Neque etiam illum ejusque socium Innocentius nisi adjecta conditione damnarat, ut si nimirum resipiscerent aut purgare sese valerent, absolverentur et intra Ecclesiam reciperentur. « Quod si fecerint, » inquit epist. 29, n. 8, « erit in potestate pontificum istis aliquatenus subvenire, et talibus aliquam curam præstare vulneribus, quam solet lapsis cum resipuerint Ecclesia non negare: ut a suis revocati præcipitiis, intra ovile Domini redigantur. » Idipsum epist. 30, n. 6, adhuc apertius confirmat. Nominatimque de Pelagio epist. 31, n. 4, rescribit: « Non deerit cura, si medicinæ præbeat ille materiam. Potest enim damnare quæ senserat, ac datis litteris, erroris sui, ut regressum ad nos decet, veniam postulare. » His igitur Pelagius Cœlestiusque litteris invitati, is quidem nulla mora interposita Romam se contulit, atque apostolicæ sedis sententiæ morem gerere se professus est, ille vero litteras cum libello fidei suæ misit, in quibus errores sibi ascriptos conceptis verbis damnare videbatur. Cum igitur Zosimus congruam illis medicinæ curam adhibere non neglexit; nihil contra decessoris sui egit sententiam, nec tam causam ab eo finitam recognovisse dicendus est, quam quod Innocentius ad ejus coronidem præscripserat, ex ipsius mente perficere voluisse.

3. Innocentii quippe votis fecisse satis videbatur Pelagius. Nam cum adverteret, ut observat Augustinus lib. de Gratia Christi, cap. 30, duo esse de quibus infamaretur, unum quod parvulis negaret baptismi sacramentum, alterum quod Dei excluderet auxilium; astute confessus est in libello (*Lib. de Grat. Chr.*, *c.* 32), « infantes in remissionem peccatorum percipere baptismum, » atque huic confessioni in epistola præmisit (*Ibid. c.* 31), liberum arbitrium « in omnibus bonis operibus divino semper adjuvari auxilio. » Hac duplici professione, cui dubio procul Cœlestius præsens ultro subscripserit, cum satis purgatus censeretur, accedente præsertim epistola Praylii Hierosolymitani episcopi, qui Pelagii causæ enixius adstipulator interveniebat, litteras non differendas duxit Zosimus, quibus Afros de Pelagii ad Ecclesiam reditu certiores faceret, eisque suum ea de causa gaudium panderet ac declararet (*August. lib. de Pecc. Orig.*, *c.* 5). Eo etiam erga Pelagium animo, quo Zosimus, affecti sunt Albina, Pinianus et Melania, cum quæ apud Zosimum scriptis professus erat vafer ille hæreticus, ipsius ore præsentis excepissent.

4. Ægrius percipitur, quo pacto probari potuerit fides Cœlestii, qui, Augustino teste (*Ibid. c.* 33), « in libello suo, quem Romæ gestis ecclesiasticis allegavit, parvulos et baptizari in remissionem peccatorum confessus est, et negavit ullum habere originale peccatum. » Ipsa autem hujus hæretici verba idem Doctor refert lib. de Pecc. orig. c. 6. Zosimum tamen variis modis excusant tum Marius Mercator, ut jam vidimus, tum Augustinus ipse, ut nunc paucis exponendum.

[a] Reg. ms., *habet.*

[b] In Arel. ms. epistola sic clauditur: *Honorio augusto et Constantino.* In regio autem, X *kal. April. Honorio* X *et Constantino;* mendose: siquidem Honorius ann. 415 consulatum X cum Theodosio, non cum Constantio gessit. Apud Baronium nulla est chronica nota. Garnerius consulto ab illo omissam suspicatur, quia ipsi adversatur, Innocentium Julii 28 die ad cœlum migrasse, eique Zosimum Augusti 19 die successisse opinanti. Plurimum vero favet veteribus martyrologiis, Romano antiquo, Adonis, aliisque, in quibus legere est Innocentium Martii 12 die obiisse.

5. Primo quidem licet Augustinus libellum Cœlestii a Zosimo catholicum dictum esse fateatur, non ideo tamen catholicum dictum esse docet, quia fidei venena in illo posita ab apostolica sede approbarentur, sed quia catholica mente, seu sub catholicæ mentis specie, conscriptus esset. Cœlestius enim in libello suo (*Lib.* II, *ad Bonifac.*, *c.* 3 et 4) de peculiari sententia sua locuturus præmiserat : « Si forte ut hominibus quispiam ignorantiæ error obrepsit, vestra sententia corrigatur. » At vero, infit Augustinus, « hoc catholicæ mentis est, si qua forte aliter sapit, quam veritas exigit, non ea certissime definire, (quæ hæreseos est nota,) sed detecta ac demonstrata respuere. » Neque vero hac generali Cœlestii professione contentus fuit Zosimus, sed crebris interrogationibus ac responsis eo illum adegit, ut se « litteris beatæ memoriæ papæ Innocentii, quibus de hac re (scil. de peccati originalis fide) dubitatio tota sublata est, consentire responderet. » Quod ubi professus est (*Cap.* 4), « quis, inquit Augustinus, non videat quemadmodum sit colligatus Cœlestius, et vinculo saluberrimo obstrictus, ne ulterius defendere auderet in baptismate parvulorum non dimitti originale peccatum. » Idcirco laudat idem Augustinus lib. de Pec. Orig., c. 7, piam Zosimi in curando Cœlestio industriam, qua eum, velut furentem et phreneticum, suis interrogationibus ac propriis ipsius responsionibus sic colligare studuit, ut ne vix quidem evadere jam posset; sic fovere, ut « interposito duorum mensium tempore, donec rescriberetur ex Africa, resipiscendi ei locus » concederetur. Interea « et hoc (scil. peccatum originale a Cœlestio non negari) ut plenius et manifestius in illo fieret, exspectabatur, venturis ex Africa litteris, in qua provincia ejus aliquanto calliditas evidentius innotuerat » (*Lib.* II *ad Bonifac.*, *c.* 3). Tum igitur, ut verbis utamur Augustini, « voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. » Quamobrem apposite idem concludit Augustinus : Profecto quidquid interea lenius actum est cum Cœlestio, servata dumtaxat antiquissimæ et robustissimæ fidei firmitate, correctionis fuit clementissima suasio, non approbatio exitiosissima pravitatis. Et quod ab eodem sacerdote (Zosimo) postea Cœlestius et Pelagius repetita auctoritate damnati sunt, paululum intermissæ, jam necessario proferendæ severitatis fuit, non prævaricatio prius cognitæ, vel nova cognitio veritatis.

6. Ejus etiam indulgentiæ, qua « duo illa ingenia aliquanto lenius, quam severior postulabat Ecclesiæ disciplina, tractata sunt, » hanc suggerit Augustinus causam; quia nimirum « quamvis nefando errore perversa, non tamen erant contemptibilia. » Cur vero non erant contemptibilia, subinde aperit, ubi de Cœlestio sic loquitur, ut de « homine acerrimi ingenii, qui profecto si corrigeretur, plurimis profuisset. » Hujus quoque profectus spe Innocentius utrique, modo iis quæ prave senserant anathema dicerent, veniæ locum relinqui jussit. Sperabat quippe fore (*Innoc. ep.* 31, *n.* 5) « ut illi, qui ejus (Pelagii) sermonibus fuerant præceptisque collapsi, quid tandem habeat fides vera cognoscerent. Facilius enim revocari poterunt, cum ista a suo senserint auctore damnari. » Et hinc igitur rursum cum Innocentio perspicua est Zosimi consensio : adeoque assentandi suspicione vacat Paulinus diaconus, cum infra epist. 8, n. 2, Zosimum Innocentii de Pelagio Cœlestioque sententiam, etiam antequam eos ille decretorio judicio damnaret, secutum esse affirmavit. Sed et assertionis ipsius veritatem id, quod ex gestis in medium profert, evidenter probat. Nil igitur vetat, quominus in laudatum papam, etiam ante decretorium ipsius judicium, convenire sentiamus illud Augustini ad Julianum : « Quale est autem, quod B. memoriæ Zosimum apostolicæ sedis episcopum, ut in tua pravitate persistas, prævaricationis accusas ? qui non recessit a prædecessore suo Innocentio, etc. » (*Lib.* VI *contr. Julian.*, *c.* 12.)

A 7. Sane in hac causa iidem clerici Romani consederunt et cum Innocentio, quando Pelagius ac Cœlestius ea conditione damnati sunt, ut eis, si resipiscerent, venia non negaretur, et cum Zosimo, quando cum iisdem quamdam resipiscentiæ speciem præ se ferentibus lenius actum est, et rursus cum eodem papa quando detecta larva ac fraude patefacta hæretici illi palam condemnati sunt. Et eam quidem ob causam Pelagiani clericis illis inuri voluerunt prævaricationis notam, quasi quam in priori Zosimi judicio probassent doctrinam, in posteriori reprobassent. Sed calumniam illorum hac ratione Augustinus repellit : « Si, quod absit, ita tunc fuisset de Cœlestio vel Pelagio in Romana Ecclesia judicatum, ut illa eorum dogmata; quæ in ipsis et cum ipsis papa Innocentius damnaverat, approbanda et tenenda pronuntiarentur, ex hoc potius esset prævaricationis nota Romanis clericis inurenda » (*Lib.* II *ad Bonifac.*, *c.* 3). Ex quo consequens est, ut in tribus illis judiciis constans fuerit cleri Romani sententia, adeoque manifesta Zosimi,
B etiam in judicio priori cum decessore suo consensio.

8. Hanc etiam inde probat Augustinus quod « tot et tantis inter apostolicam sedem et Afros episcopos currentibus et recurrentibus scriptis, ecclesiasticis etiam gestis de hac causa apud illam sedem Cœlestio præsente et respondente confectis, nulla Zosimi epistola, nulla ejus interlocutio reperiatur, in qua vel dixerit vel conscripserit quidquam, quod perversæ Cœlestii doctrinæ suffragetur. » Immo et Facundus, quamvis ipsi Zosimus Pelagii Cœlestiique fidem « contra S. Innocentii decessoris sui sententiam » approbasse videatur (*Lib.* VII, *c.* 3, *pag.* 278), fatetur tamen non secus de illo sentiendum esse, ac de Athanasio cum Timotheum Apollinaris discipulum Damaso commendavit, de ipso Damaso cum commendatum benigne suscepit, ac de Palæstinis episcopis cum Pelagium orthodoxum judicarunt; « quoniam, inquit, non debet crimini deputari simplicium, non intellecta versutia malignorum. » Et ea quidem erat
C versutia, ut ex Pelagii litteris tunc Zosimo datis hunc hæreticum credidisset Augustinus plane correctum nisi varias illius artes aliunde compertas habuisset, uti fidem faciunt ipsius Augustini verba notis in epistolam 42 Pelagii, ad Innocentium, pag. 918, not. g, relata.

9. Cœlestii Pelagiique causam non mediocriter apud Zosimum juvit sinistra Herotis et Lazari, qui eos accusarant, quamvis immerita fama. Tametsi enim, etiam postquam ab episcopatu remoti sunt, a Mario Mercatore *studiosi episcopi;* a concilio Carthaginiensi epist. 26, ad Innocentium, n. 1, *sancti fratres et consacerdotes;* ab Augustino lib. de Gestis Pelagii c. 1, item *sancti fratres et coepiscopi nostri Galli* nuncupentur; longe tamen aliud de illis Zosimus sibi referri audiebat. In epistola nempe Pelagii legebat, teste Augustino (*Lib. de Gratia Chr. c.* 33), ipsius Pelagii « invidiosas de inimicis suis querelas, » quæ maxime in eos cadebant. Neque iis dubio procul parcebat Praylii Hierosolymitani antistitis « eni-
D xius Pelagii causæ intervenientis » epistola. Quæ etiam hujus decessor Joannes adversus eos dixerat, non tacebantur. Augustinus quidem sapienter monuerat : « Quidquid dixit episcopus Joannes de absentibus fratribus nostris sive coepiscopis Herote et Lazaro, sive de presbytero Orosio... credo quod intelligat (Pelagius) ad eorum præjudicium non valere. » Sed non is erat Pelagius, qui monito tam æquo cederet. Præsens præterea in urbe aderat Cœlestius, qui nihil unde iis invidiam vel conflaret vel augeret omittebat : præsens et Patroclus, quem Zosimus eo acceptius ac benegnius audiebat, quod amicus ac familiaris erat Constantii consulis et militum magistri, « cujus per ipsum gratia, inquit Prosper, quærebatur. » E re autem Patrocli erat, ut Heros, in cujus locum invaserat, existimatione damnatus esset. Quidquid igitur Zosimus in epistolis suis adversus Herotem scripsit, ex illius fide non immerito

creditur dixisse. Patroclus autem, ut Prosper in Chronico docet, tam perditæ conscientiæ erat, ut « infami mercatu » sacerdotia venditare non dubitaret. Quod dum ignorat Zosimus, ex ore trium testium de Lazaro et Herote inter se consentientium, æquum de illis judicium proferre se existimavit. Nec advertit, absentes ex suspectis adversariorum sive manifestorum sive latentium testimoniis eo ipso tempore a se damnari, quo Afros dictis in absentes credendum non esse sedulius admonebat. Adeo verum est facilius cerni quod aliis cavendum vel faciendum est, quam quod nobis; ac viros oculatos interdum in id labi se non advertere, quod in aliis reprehendunt. At quam nulla in errorem propensione Zosimus primum fallacibus hæreticis paulo credulior fuerit, postmodum detecta veritate patefecit. Nec sine divino nutu factum est, ut a quo per totum orbem proscribenda essent perversa commenta, is eorum auctores prius singulari benevolentia complecteretur. Inde enim persuasum omnibus fuit, pestilentem hæresim soli veritatis vi, ac nulli privato odio succubuisse.

EPISTOLA II [a].

De causa Cœlestii.

Quid instaurato Romæ Cœlestii judicio gestum sit. Eum, nisi intra duos menses veniant qui præsentem redarguant, et aliter sentire probent quam professus sit, absolutum fore.

ZOSIMUS AURELIO et universis episcopis per Africam constitutis dilectissimis fratribus in Domino salutem.

1. Magnum pondus examinis magna [b] desiderant, ut non sit rebus ipsis, quæ geruntur, inferior libra judicii. His accedit apostolicæ sedis auctoritas, cui in honorem beatissimi Petri patrum decreta peculiarem quamdam sanxere reverentiam. Orandum C igitur, et incessanter orandum, ut continua gratia perennique adjutorio Dei, ex hoc fonte in totum orbem pax fidei et catholicæ societatis nullis [c] nebulis interfuscata mittatur. Charitas enim, quæ sicut scriptum est (I *Joan.* IV, 8), Deus est, perfecta plenitudinis abundantia gratulatur : cum si quid vel suspicionis habuerit, fidei intentione sollicita vel in longum perducta [d] contentio aut emendatione corrigitur.

2. Cœlestius presbyter nostro se ingessit examini, expetens ea quæ de se apostolicæ sedi aliter, quam oportuit, essent inculcata, purgari. Et licet multæ occupationes majoribus vinculis ecclesiasticorum negotiorum curam nostram sollicitudinemque distraherent : tamen ne fraternitatis [*Baron.* paternitatis] vestræ de adventu ac discussione prædicti diutius penderet exspectatio, posthabitis omnibus, die cognitionis resedimus in sancti Clementis basilica, [e] qui imbutus beati Petri apostoli disciplinis, tali magistro veteres emendasset errores, tantosque profectus habuisset, ut fidem quam didicerat et docuerat, etiam martyrio consecraret : scilicet ut ad salutiferam castigationem tanti sacerdotis auctoritas præsenti cognitioni esset exemplo.

3. Omnia igitur, quæ prius fuerant acta, discussimus, sicut gestorum huic epistolæ cohærentium instructione discetis; et intromisso Cœlestio, libellum ejus, quem dederat, fecimus recitari : nec hoc contenti, utrum hæc, quæ scripsisset, corde loqueretur, an labiis, sæpenumero exploravimus; cum de occultis animorum solius Dei nostri possit esse judicium, cui non tantum cogitata, sed cogitanda etiam præsto sunt. Quid voces ejus [f] contineant, compendiosius duximus a sanctitate vestra legendo cognosci.

4. Unum sane movet nos, ut cum in præsenti ibi Cœlestium habueritis, nihil liquido judicatum sit. Ad litteras Herotis et Lazari priori relatione destinatas, equidem ob fervorem [*Baron.* hoc fervore] fidei, præfestinatum esse promptissimum est. Sed cum de his interrogaretur, asseruit nullum sibi de

[a] Exemplar Vatic., *Incipit exemplum epistolæ I Zosimi episcopi in defensionem Cœlestii contra Pelagianos episcopos ;* quæ inscriptio imperitum habet auctorem.

[b] Apud Baron., *desiderat.* Rectius Garn., *desiderant.* Constitutionis Honorii imp. a Baronio ad annum 419 editæ simile est exordium, quo Symmachum Urbis præfectum sic affatur : *Magnarum deliberationum non debet citum esse judicium, nec temere proferenda sunt, quæ servanda in perpetuum sanciuntur.* Quæ sententia licet vera sit, ubi magnis de rebus primum deliberandum est; ubi tamen judicium D magna deliberatio et diuturnum examen præcessit, res judicatas ad novum examen revocari non decet. Quocirca Innocentius epist. 31 cum pertinacibus ac fallacibus hæreticis, cujusmodi Pelagius ac Cœlestius erant, matura potius correptione, quam *diuturna collatione* agendum censet. Vide et ejusdem epistolam 29, n. 7.

[c] Editi, *nubibus.* Concinnius ms. Vatic., *nebulis.*

[d] Ita archetypum Vatic., nisi quod supra exstat in eo vox *intentionis*, pro *intentione*, ubi apud Baron. *contentione.* Totum hunc locum Garnerius de suo ita castigavit, *si cum aliquid suspicionis habuerit vel fidei, intentio sollicita, vel in longum producta contentio, id vera emendatione corrigitur :* de grammatica constructione magis, quam de Zosimi mente exhibenda videtur fuisse sollicitus. Nitidior fieret oratio in hunc modum : *fidei contentio* (hoc est controversia circa fidem) *intentione sollicita*, etc. Non displiceret, *fidei intentio sollicita et in longum perducta cunctatione aut.*

[e] Garner. hic addit *quippe;* et mox *magisterio* pro *magistro* substituit : nulla necessitate. Felicius subinde *tantosque*, ubi in edit. Baron. et concil. *ratosque* offenderat, archetypo Vatic. suffragante reposuit. S. Clemens non hæreseos alicujus, sed gentilitatis potius veteres errores emendasse hic intelligendus est. An si Judæus, ut nonnulli conjectant, exstitisset, ad Christi fidem conversus *veteres errores* emendasse apte diceretur? Pro ejus martyrio, quod a nonnullis in dubium vocatur, insignis est hic locus. Ipsi quoque *martyris* titulum cum Rufinus apud Origenem, tum Vasense I concilium anno 442 habitum can. 2 attribuunt. Huic autem conventui, in quo Cœlestii causa cognita est, præter sacerdotes qui, ut infra dicitur, e diversis regionibus aderant, interfuerat et Romanus clerus. Quamobrem Pelagiani apud Augustinum, lib. II ad Bonifac. c. 3, ipso Augustino consentiente, id Romanis clericis attribuerunt, quod tum in hoc, tum in posteriore conventu factum est.

[f] In ms. Vatic., *teneant.* Mox apud Baron., *ad sanctitatem vestram legenda.* Verior visa est correctio Garnerii.

talibus contentionibus umquam cum antedictis fuisse sermonem; nec ante sibi, quam de se scriberent, visu fuisse compertos; Lazarum sane in transitu cognitum; Herotem vero etiam satisfactione interposita; quod secus de ignoto et absente sensisset, cum gratia recessisse. [a] Tam caduco ac nullo fundamine criminationis ignotæ, procul dubio e re fuit, ut persona talium, quæ tam ventosa et levis exstiterat, quæreretur, si saltem illis loci sui ratio vitæque constaret, ut fides absentibus in absentes [b] debuerit adhiberi, tantumque pondus in litteris eorum [c], ut auctoritatem testimonii mererentur. Patuit hos inobservatis ordinationibus, plebe cleroque contradicente, ignotos, alienigenas, intra Gallias sacerdotia vindicasse, quibus se ipsi propria [d] abdicavere sententia; nosque, licet et alia, [e] tamen eorum de se pœnitudinem et confessionem secuti, sacerdotali eos loco et omni communione submovimus. Satis urget, causam a talibus processisse per litteras [f] in absentis ejus accusationem, qui se præsens tuetur, qui exponit fidem, qui provocat accusantem.

5. Numquam piguit in melius retorsisse judicium. Adolescens et sancti Spiritus executor [g], qui Susannam, seniorum falsitate damnatam, invenit innocentem (*Dan.* XIII, 46). Reducitur a suppliciis casta per puerum, quæ per grandævos fingitur impudica. Non ergo omni, sicut cautum est, spiritui credendum est (I *Joan.* IV, 1); sed diu appensius examinandum est, præsertim de fide hominis, ubi status ejus et vita perpetua est. Nec Salomonem fefellit in puerperii [h] rixa veritatis indago (III *Reg.* III, 23). Non enim statim duabus feminis inter se jurgantibus unum pignus induxit: sed ibi arbiter fide cunctabundus invenit, ubi veræ pietatis intellexit affectum. Perquam rarum sit, ut longa et castigata [i] cunctatio non ad veri cubile perveniat. Optimæ mentis indicium est, prava difficilius credere. Nam plerique, quorum de se bonæ [j] confessioni pigrius adhibetur fides, in illius erroris abruptum necessitate coguntur: et irremediabile vulnus efficitur, quod desperatur sanari.

6. Unde in præsenti causa nihil præcox immaturumque censuimus, sed innotescere sanctitati vestræ super absoluta Cœlestii fide nostrum examen: cui etiam prior libellus ab eo intra Africam [k] [datus]

[a] Baron., *Jam caduca ad nulla fundamina criminationis ignotæ, procul dubio iræ fuit*: quem locum Garnerius resarcire conatus est in hunc modum, *Tam caduca ac nulla fundamina cum essent, procul dubio iræ fuit*. Saniorem illum exhibemus, nulla verborum adjectione, quod editori vix usquam licet, sed tantum litterularum, quæ passim in mss. aliæ pro aliis ponuntur, mutatione. Nominatim loco *iræ* Baronium *ire* in archetypo suo offendisse prope dubium non est. Quam autem frequens sit litteræ *i* pro *e* in mss. mutatio, norunt qui eos tantisper versarunt. Clarius legeretur, *Tam caducum tamque nullum cum esset criminationis ignotæ fundamentum*.

[b] Cœlestium scilicet ac Pelagium, adversus quos Lazarus et Heros litteras, seu, ut Augustinus lib. de gestis Pelagii c. 3, n. 10, vocat, libellum, Eulogio Cæsareensi antistiti tradiderunt. Cujus episcopi auctoritate deinde congregata synodus Diospolitana, cui Lazarus et Heros, uti Augustinus ibid. c. 1, n. 2, fidem facit, *propter gravem unius eorum ægritudinem* interesse minime potuerunt. Easdem autem litteras inde in Africam ab Orosio presbytero delatas fuisse Carthaginensis concilii ad Innocentium epistola 26, n. 1, nos docet.

[c] Verbum *esset*, quod Garn. addidit, vel aliud simile, puta *videretur*, hic supplendum.

[d] De Herote in Prosperi Chronico legimus: *Heros vir sanctus, B. Martini discipulus, cum Arelatensi oppido episcopus præsideret, a populo ipsius civitatis insons et nullis insimulationibus obnoxius pulsus est.* Sed huic populi violentiæ forte etiam propria ipsius sententia accessit.

[e] Baron., *tum eorum*; ac deinde cum editis aliis, *de se pœnitudinem secuti*, omisso *et confessionem*, quod ex ms. Vatic. revocatur.

[f] Apud Garner., *per litteras et absentes*. Baron. ut in ms., *per litteras in absentes*. Orationis et historiæ ratio postulat *in absentis* aut *in absentia*. Liquet enim sermonem esse de Cœlestio, qui unus tum Romæ se tuebatur.

[g] Supple *fuit*. Garner. sequens relativum *qui* supprimere maluit.

[h] Baron., Lab. et Garn., *rixa, mentis*. Vatic. ms., *rixa veritis*. Unde nobis constitit restituendum esse *rixa veritatis*: quod et Baronius ad marg. annotarat. Mox particulam *statim*, prædicti ms. auctoritate supplemus.

[i] Apud Baron., *cunctatione*. Magis placet cum Garn., *cunctatio non*.

[j] Baron., *confessionis pignus*: qui locus a Garnerio feliciter est restitutus. Mox loco *illius*, idem Cardinalis præfert *nullius*. Hoc sibi vult Zosimus, plerosque in eum errorem necessitate compelli, a quo purgare se contendunt, dum eis tardius creditur. Huc spectare videtur, quod de Zosimo Augustinus lib. de Peccato Origin. c. 6. n. 7, eloquitur: *Multum misericors memoratæ sedis antistes, ubi eum* (Cœlestium) *vidit ferri tanta præsumptione præcipitem, tamquam furentem, donec si posset fieri resipisceret; maluit eum sensim suis interrogationibus et illius responsionibus colligare, quam districta feriendo sententia* IN ILLUD ABRUPTUM, *quo jam prependere videbatur, impellere*.

[k] Verbum *datus*, quod e Baronii archetypo, aut certe simile, exciderat, supplevit Garnerius: qui et exinde *apud vos*, ubi Baronius *apud nos* ediderat, recte ac ms. Vatic. suffragante restituit. Is quippe libellus Afris apud Carthaginem oblatus fuerat. Sed hunc posteriori, quem Zosimo dedit, subnexum fuisse inde colligitur. De priore illo libello Carthaginense concilium epist. 26, ad Innocentium, n. 5, ita loquitur: *Per baptismum Christi etiam parvulorum fieri redemptionem libello suo Cælestius in Carthaginensi ecclesia jam confessus est.* Libelli et confessionis ejusdem sæpius Augustinus meminit, ac nominatim epist. olim 89, nunc 157, n. 22, et lib. de Remiss. pecc. c. 34, ubi legere est: *Quod attinet ad baptismum parvulorum, ut eis sit necessarius, redemptione ipsis etiam opus esse concedunt, sicut cujusdam eorum libello continetur: qui tamen remissionem alicujus peccati apertius exprimere noluit.* Hoc autem nolle se testatus est Cœlestius non in ipso libello, sed in gestis, dum eum urgenti Paulino, ut peccatum originale confiteretur, teste Augustino lib. de Origin. pecc. n. 3, respondit: *Infantes semper dixi egere baptismo ac debere baptizari, quid quærit aliud?* In quam responsionem est ista Augustini n. 4 observatio: *Cernitis sic Cœlestium concessisse parvulis baptismum, ut in eos transire primi hominis peccatum, quod lavacro regenerationis abluitur, noluerit confiteri.* Verum, inquit acute idem Doctor epist. olim 89, nunc 157, num. 22, *quamquam noluerit de originali*

testimonio apud vos esse debuisset, ne inexploratis famaque jactatis[a] tam facile crederetur. Quare intra secundum mensem[b] aut veniant, qui præsentem redarguant aliter sentire, quam libellis et professione contexuit; aut nihil, post hæc tam aperta et manifesta quæ protulit, dubii sanctitas vestra re-cdisse cognoscat.

7. Ipsum sane Cœlestium, et quicumque in tempore ex diversis regionibus aderant sacerdotes admonui, has tendiculas quæstionum et inepta certamina, quæ non ædificant, sed magis destruunt, ex illa curiositatis contagione profluere; dum unusquisque ingenio suo et intemperanti eloquentia [c]suprascripta abutitur: cum in hoc etiam magnorum virorum nonnumquam cum ipsis auctoribus scripta periclitentur post multam temporum seriem [*Baron.* temporis miseriam] interpretantis arbitrio; ut divine prædictum sit, ex multiloquio non vitari peccatum (*Prov.* x, 19); et sanctus David [d] merito postularit circumstantiam labiis suis, ori que custodiam (*Psal.* CXL, 3).

8. Charitatem vestram tam apostolicæ sedis auctoritate, quam mutua amoris affectione commoneo, ut jam ingenia vestra se sanctarum omnium Scripturarum, quæ secundum traditionem patrum atque majorum [e] perceptæ sunt, præceptis observationibusque subjiciant. Quid illic non abundans? quid non Dei Spiritu et vocibus plenum sit? nisi libet unumquemque plus sibi credere, suoque de se uti judicio. [f] Data.... (*Anno Christi* 417), Honorio augusto XI et Flavio Constantio consulibus.

EPISTOLA III.

Pelagium missis litteris ac libello fidei, rursumque Cœlestium sese purgasse, neque accusatoribus eorum tam sublestæ fidei viris facile fuisse credendum; illos demum, cum damnanda damnarent, ac sequenda sequerentur, a catholica veritate aut Ecclesiæ communione numquam excidisse.

ZOSIMUS episcopus AURELIO et universis episcopis per Africam constitutis, dilectissimis fratribus in Domino salutem.

1. Postquam a nobis Cœlestius presbyter auditus est, et quid de fide sentiret evidenter expressit, eademque, quæ in libello contulerat, repetitis crebro professionibus roboravit, de ejus nomine plenius ad dilectionem vestram scripta dixerimus.

2. Ecce epistolam Hierosolymitani episcopi Praylii, qui in locum quondam sancti Joannis episcopus est ordinatus, accepimus, qui causæ Pelagii enixius astipulator [g] intervenit. Litteras quoque suas

peccato aliquid expressius dicere, tamen ipso redemptionis nomine non parum sibi præscripsit. Unde enim redimendi essent, nisi a diaboli potestate, in qua esse non possent, nisi originalis obligatione peccati?

[a] Vocem *criminibus* hic supplendam esse liquet ex inferiore epistola 7, n. 1, ubi memoratur Cœlestius in priore Romano judicio *quæ in se crimina per rumorem falso dicebat illata condemnans.* Hinc et *jactatis*, pro *jactantibus*, recte a Garnerio restitutum esse conficitur. Quæ tamen Cœlestio illata sunt crimina, non per incertum rumorem aut per solos absentes ipsi illata sunt, uti postmodum agnovit Zosimus, et a Mario Mercatore in Commonit. c. 1, et ab Augustino lib. I de Pecc. Orig. c. 5, memoriæ mandatum est, sed per Paulinum diaconum, quem Cœlestius in eo episcopali judicio, in quo damnatus est, præsentem habuerat.

[b] In hunc locum cadit quod Augustinus lib. de Pecc. Orig. c. 7, observat: *Cœlestius velut phreneticus, ut requiesceret, tamquam leniter fotus, a vinculis tamen excommunicationis non est creditus esse solvendus: sed interposito duorum mensium tempore, donec rescriberetur ex Africa, resipiscendi ei locus sub quadam medicinali sententiæ lenitate concessus est.* Hæc Zosimi sententia accommodata est ad constitutionem Cod. Th. lib. XI, tit. 53, leg. unic., quæ *cognitiones omnes*, etiam *quoties consensu partium differuntur, ultra duos menses differendi potestatem* negat. Ibidem tamen lib. II, tit. 7, leg. 4, novem conceduntur menses, ubi instrumenta vel persona *transmarina* poscuntur.

[c] Garner., *seu Scriptura.* Non displiceret *spreta Scriptura*, idque postulare videtur series orationis.

[d] Vocem *merito* hic restituimus auctoritate ms. Vatic.

[e] Apud Baron. omisso superius *se*, hic legitur *præcepta*, et infra *sufficiant* pro *subjiciant.* Restituit Garner. hic *præscriptæ*, et infra *se subjiciant.* Certe docet Zosimus, unicuique Scripturis non ex suo sensu, sed ex Patrum traditione et majorum interpretatione intellectis obsequendum esse. Quod dum Pelagiani quantumvis ingeniosi non observant, sed eas (Scripturas) *secundum suum sensum legunt, profecto illi*, inquit Augustinus lib. de gratia Christi c. 42, *nec aperta continentur.*

[f] In Vatic. ms. hæc nota corrupte exprimitur in hunc modum: *Data exemplaria are toris habita Honorio*, etc. In epistola autem sequenti, quæ *data* XI *kal. Octobris* notatur, memoratur ista. Unde illam non serius 21 Septembris die scriptam esse conficitur. Sed et eam ab Afris ante Octobrem acceptam non esse ex eo colligere est, quod Augustinus VIII *kal. Octobris* ad populum concionans Serm. 131, n. 10, dixit, *Duo concilia missa sunt ad apostolicam sedem, inde etiam rescripta venerunt, causa finita est, utinam aliquando finiatur error!* His quippe verbis notitiam ejus nondum ad se pervenisse palam fecit. Afris autem circa Octobris exitum redditam esse hoc argumento est, quod Basiliscus subdiaconus in Africam missus, ut quæ coram Zosimo in Cœlestii ac Pelagii causa gesta fuerant eo deferret, ac Paulinum Cœlestii accusatorem Romam citaret, hunc diaconum IV *nonas Novembris Carthagine convenisse* epist. 8, n. 4, memoratur. Nec ulli dubium videbitur, quin Basiliscus haud multa post adventum suum interposita mora Paulinum convenire, eique apostolicæ sedis mandatum notum facere properarit. Demum eam aliquo kalendarum Octobrium die, forte ipso quo sequens, datam esse, atque *Octobris* loco, per imperitiam librarii, *are toris* irrepsisse non dubitamus.

[g] Pelagius in synodo Palæstina accusatus, *primo quidem*, inquit Marius Mercator pag. 139, *tergiversando ambiguis quibusdam se professionibus tegens, et prosequens dubia vel respondens, illam tunc videtur episcoporum audientiam delusisse.* Unde et absolutus evasit. Huic autem synodo cum Joannes Hierosolymitanus præfuisset, ab ejus successore Praylio Pelagius in sui gratiam litteras facile impetravit: sed ne suos ipsi errores detegeret, diligenter cavit. Ab his quantum abhorruerit semper Praylius, postea manifestum fecit, cum idem hæreticus, ut Mar. Mercator ibidem narrat, *postmodum evidenter deprehensus, insistentibus accusatoribus, a posteriore synodo, cui sanctæ memoriæ Theodotus Antiochiæ præsedit episcopus, atque detectus, a sanctis quoque ac venera-*

idem Pelagius purgationem continentes abundantissime misit, quibus et professionis suæ fidem, quid sequeretur, quidve damnaret, sine aliquo fuco, ut cessarent totius interpretationis insidiæ, cumulavit. Harum recitatio publica fuit: omnia quidem paria, et eodem sensu sententiisque formata, quæ Cœlestius [a] ante protulerat, continebant. Utinam ullus vestrum, dilectissimi fratres, recitationi litterarum interesse potuisset! Quod sanctorum virorum qui aderant gaudium fuit! quæ admiratio singulorum! Vix fletu quidam se et lacrymis temperabant, tales etiam absolutæ fidei infamari potuisse. Estne ullus locus, in quo Dei gratia vel adjutorium prætermissum sit? quod quisquis potest præter eamdem vel mente concipere, nec [b] ille illi supernæ sententiæ subjectus, quæ de sancto Spiritu lata est, quod neque hic, neque in futuro venia vel remissione donetur.

3. Video etiam hunc Pelagium, Herote et Lazaro scribentibus, infamari. Itane, fratres dilectissimi, ad aures vestras, qui sint isti turbines Ecclesiæ vel procellæ, nec opinione pervenit? Ita vero vos latuit vita horum atque damnatio? Sed quamquam specialis illos apostolicæ sedis auctoritas omni communione submoverit, discite et in hac epistola, licet strictim, hominum mores. Vetus Lazaro consuetudo est innocentiam criminandi. Per multa concilia in sanctum Britium coepiscopum nostrum Turonicæ civitatis diabolicus accusator [c] inventus est (*Vide epist. 4, n. 2*). A Proculo Massiliensi in synodo Taurini oppidi sententiam calumniatoris excepit. Ab eodem Proculo fit post multos annos sacerdos, tyrannici judicii defensor, civitatis Aquensium: cum contrairet [d] addicta, in ipsum penetrale et sacerdotale solium sanguine [e] innocentis pene

bilibus Hierosolymorum locis est deturbatus; ejusdemque sancti Theodoti ad reverendissimum urbis Romæ episcopum et sanctæ recordationis Praylii Hierosolymitani episcopi missa scripta testantur, quorum exemplaria ad documentum habemus in manibus. Secundis igitur litteris post obitum Zosimi Romam missis, ea revocavit Praylius, quæ in gratiam Pelagii, dum hæreticos tegeret sensus, seseque catholicum fingeret, scripserat.—De litteris illis et annexo eis libello Augustinus lib. de gratia Christi c. 30 hæc habet: *Ipse Pelagius et litteras nuper et libellum Romam fidei suæ misit, scribens ad beatæ memoriæ papam Innocentium, quem defunctum esse nesciebat.* Epistolæ hujus fragmenta ex Augustini scriptis collecta ad calcem epistolarum Innocentii pag. 916 edidimus.

[a] Quæ illa sint, quorum recitatio tantæ Catholicis lætitiæ causa fuerit, discere licet ex his Augustini lib. de Pecc. Orig. c. 1, Albinam, Pinianum ac Melaniam sic alloquentis: *Nempe ipsi a Pelagio vos præsente scripsistis audisse, recitante vobis de libello suo quem etiam Romam se misisse asserebat, quod* IISDEM SACRAMENTI VERBIS *dicant* DEBERE BAPTIZARI INFANTES, QUIBUS ET MAJORES. Ii quippe hæc audientes eo gaudio, quo Zosimus cum cœtu suo perfusus est, sese affectos fuisse testati sunt. *Hinc ergo est*, addit Augustinus cap. 5, *et illud quod scripsistis sic vobis respondisse Pelagium, quod eisdem quibus et majores sacramenti verbis baptizantur infantes; vosque fuisse lætatos id quod cupiebatis audisse.* Nempe, ut Augustinus ibid. tradit, etiam in libello, quem Cœlestius Romæ edidit, quique gestis ibi ecclesiasticis allegatus est, hæc scripta erant, *Infantes autem baptizari in remissionem peccatorum, secundum regulam universalis Ecclesiæ et secundum Evangelii sententiam confitemur.* Et hanc quidem baptismi formam, ut *in remissionem peccatorum* conferretur, in Africa ut et Romæ usu receptam fuisse tum ex canone vulgati Milevitani II concilii, tum ex epistola 5 Gelasii papæ n. 6, tum ex aliis locis est exploratum. Qui autem baptismum infantibus in remissionem peccatorum conferendum concedebant, infantes non sine peccato nasci, adeoque peccatum originis fateri videbantur. Quocirca Augustinus, ibid., c. 1, istud observat: *Quis post illa verba putaret eis de hac re ullam movendam esse quæstionem? aut cum faceret, cui non calumniosissimus videretur, si non* (aliunde) *eorum manifesta verba legerentur?* Et quæ illa sint manifesta eorum verba, cap. 6 retegit in hunc modum: *Attendite itaque quid Cœlestius apertissime dixerit. Et ibi videbitis quid Pelagius vobis occultaverit. Cœlestius quippe adjungit et dicit, In remissionem autem peccatorum baptizandos infantes non idcirco diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur,* etc. *Unde*, inquit vulgatum Milevitanum II concilium can. 2, *fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vere, sed false intelligatur.*

[b] Ex ms. Vatic. adjecimus *ille*. Proxime antea pro *nec*, mallemus *exstet*. Hic quippe notari vel repeti intelligimus ipsa Pelagii verba, quibus imprecatus sit, *quod si quis se putet præter eamdem* (scil. gratiam) *aliquid vel mente concipere, exstet ille illi supernæ sententiæ subjectus, quæ de blasphemo in Spiritum sanctum* (Matth. XII, 31), *lata est*. Imprecationum hujusmodi usum Pelagio familiarem fuisse suadet id, quod Augustinus lib. de Gratia Christi c. 2, ex Albinæ, Piniani et Melaniæ testimonio, eos ita alloquens refert: *Scripsistis mihi cum Pelagio vos egisse, ut quæcumque adversus eum dicerentur scripto damnaret; eumque dixisse audientibus vobis, Anathema qui vel dicit, vel sentit gratiam Dei, qua Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, non solum per singulas horas aut singula momenta, sed etiam per singulos actus nostros non esse necessariam; et qui hanc conantur auferre, pœnas sortiantur æternas.* At nullum menti commodum intellectum offert hæc Garnerii lectio: *Quisquis potest præterea dicere, vel mente concipere, nec illi supernæ sententiæ subjectus esse, quæ a sancto Spiritu lata est.*

[c] Sancti Britii vitam non ita inculpatam Sulpitius Severus repræsentat, ut omnem ejus accusandi aut sacerdotio ipsius intercedendi causam excluserit. Forte tamen accidit, ut licet vera Lazarus adversus Britium denuntiarit, quia tamen hoc non est consecutus, ut is ab episcopatu amoveretur, ansam hinc arripuerit Patroclus, unde eum calumniatoris sententiam a Proculo excepisse diceret, idque Zosimo persuaderet. Sane veri non videtur simile Proculum, si sententiam hujusmodi dixisset, eum aliquando maximæ urbis episcopum fuisse ordinaturum. De hac re nihil in Taurinensi concilio nunc legimus.

[d] Apud Baron., *afflicto*. Apud Garner., *cumque contrairet afflicta civitas.* Quod infra legimus, *totius civitatis addictio*, etiam hic legendum esse persuasit *addicta*, scilicet civitas Aquensium sub jugo Constantini, qui anno 407 a Britannicis militibus imperator conclamatus, exindeque Galliis, Britanniis et Hispaniis potitus, anno 411 apud Arelatense oppidum, quo se receperat, ab Honorii ducibus Constantio et Ulphila captus victusque, haud multo post interemptus fuit. Minus autem mirum est Lazarum, cum Constantino favente, ac repugnante populo Aquensium constitutus fuisset episcopus, eodem tyranno devicto atque interfecto a plebe sua fuisse pulsum, eumque illi, cui resistere non valeret, veluti sponte cessisse.

[e] Tillemontius tom. XIII, pag. 677, hic notari conjectat cædem Vereniani et Didymii propinquorum

respersum irrupit. Stetitque in eo hactenus umbra sacerdotii, donec in tyranno (*Constantino*) imago staret Imperii : quo loco post internecionem patroni sponte se exuit, et propria cessione damnavit. De Herote vero omnia similia, idem tyrannus patronus, cædes, turbæ, presbyterorum contradicentium vincula et custodiæ, et totius civitatis [a] addictio, similis pœnitentia de abdicatione sacerdotii. Mirum est si isti laicum virum [b] ad bonam frugem longa erga Deum servitute nitentem, falsis litteris percellere noluerunt, qui in fratres et coepiscopos tanta machinati sunt, qui tot tempestates ecclesiæ reddiderunt. Non decet episcopalem auctoritatem, et præcipue prudentiam vestram, ad levium susurronum scripta pendere. Ecce Pelagius Cœlestiusque apostolicæ sedi in litteris suis et confessionibus suis præsto sunt : ubi Heros, ubi Lazarus, erubescenda factis et [c] tot damnationibus nomina? ubi illi adolescentes, id est Timasius et Jacobus, qui scripta quædam, ut asserebatur [d]? Vos conjicite, si qui talia in sede apostolica confitentur, illa quæ de iisdem a pravis ac levibus [e] auctoribus ac dubio rumore jactata sunt, oporteat credi.

4. Amate pacem, diligite charitatem, studete concordiæ. Nam scriptum est : *Diliges proximum tuum* A *tamquam te ipsum* (*Matth.* XIX, 19). Qui magis alter alteri proximi sumus, quam omnes qui in Christo unum esse debemus? Non omnis qui aures vestras ventus ingreditur, nuntius est veri : ideoque animo præsule et in excubiis constituto semper opus est, ne totum famæ, totum testibus liceat. Recensete sacras litteras et divina tabularia : maximam partem falsi testes occupavere, ubi sanctorum aut accusationem aut pericula reperimus : maximam dico, immo totam, cum in ipsum Dominum nostrum Salvatorem totius mundi hostiam et pontificem salutarem falsi testes insurrexerunt [*Garn.* insurrexerint], qui se ejus blasphemiam audisse confingerent. Æstimate quid jam possit præterire fallacia, quæ in Deum fidei, immo in ipsam fidem ac veritatem, perjuriis impetum fecit.

B 5. Hæc ideo scripsimus, ut de cætero, si qui absentes minusque noti de quolibet talia ex libidine mentientur, fixi sint pedes vestri adversus arietem fraudulentiæ. Unde et lucernam pedibus suis ac lumen semitis suis vir sanctus exorat (*Psal.* CXVIII, 105) : scilicet ne inter fallaces tenebras sint cæca nobis et errabunda vestigia. Et in Evangelio : *Numquid lex nostra judicat hominem, nisi ab ipso audierit prius, et* [f] *cognoverit* (*Joan.* VII, 51)? Etiam in veteri

Honorii imperatoris, quos Constantinus tyrannus circa initium anni 409 jugulari jusserat, antequam eunuchos ad Honorium mitteret, *veniam poscens quod Imperium delatum accepisset*, ut Zosimus lib. V, pag. 818, loquitur. Quod si ita est, hic *innocenti pene respersus* restituendum est : et antea *tyrannici judicii defensor* ideo Lazarus est dictus, quia hoc Constan- C tini adversus insontes judicium approbasse censebatur. Inde autem quanta Lazaro conflaretur invidia, hinc conjicere licet, quod Jovius Constantini legatus, ut hoc factum purgaret, ipsius Constantini voluntate commissum negare compulsus sit, uti rursum Zosimus initio libri VI narrat. Præterea quo tempore Lazarus Aquensium episcopatum susceperit, ex eadem conjectura colligere est. Ex ea enim consequens est, ut proxime post Vereniani et Didymii cædem, adeoque circa initia anni 409, solium episcopale conscenderit.

[a] Garn. *afflictio*, Baron. et archetypo Vatic. renitentibus. Cum hunc Herotem insontem ac nullis insimulationibus obnoxium, a populo suo pulsum esse Prosper in Chronico tradat, facile intelligitur hoc unum illius crimen exstitisse, quod illum Constantinus benevolentia sua prosecutus esset. Hinc et Constantio, qui Honorii imperatoris exercitibus præerat, post debellatum Constantinum, suspectus D evasit, et Patroclo Constantii hujus amico patuit aditus, quo in Herotis locum invaderet, eumque, ne forte revocaretur, quantum in se erat, infamaret.

[b] Pelagium videlicet, quem etiam Orosius *laicum* cognominat : quia nullum clericatus gradum susceperat. Monachi nomine donari solet in actis Palæstini concilii apud Augustinum lib. de gestis Pelagii c. 25 et 24. Falsi suspicionem, quæ Zosimo papæ de Herote et Lazaro inique injecta est, Orosius in Commonitorio aperte ab illis amovet, ubi ait : *In Palæstina degebat Pelagius. Inventi sunt a quibusdam religiosis episcopis* (Herote et Lazaro) *libri ejus, in quibus multa et varia adversus fidem catholicam conscripta ; esse videntur. Hi cum litteris in Africam patribus et episcopis missi sunt, ubi tribus conciliis memorati lecti sunt libri.* Qui enim ipsos Pelagii libros mittere curarunt, ex æquo et bono cum eo egisse, non *falsis litteris* ipsum infamare voluisse convincuntur. Qui igitur Zosimo sugesserunt aliud, eos ipsi imposuisse perspicuum est.

[c] Vocabulum *tot* supplemus ex ms. Vatic.

[d] Non displicet verbum *protulerunt*, quod Garnerius hic de suo adjecit : sed alterum desideratur, quod supplere licet ex epistola quinque episcoporum apud Innocentium 28, n. 6, ubi legimus de iisdem adolescentibus dictum, *protulerunt eumdem librum, Pelagii esse dicentes.* Integer igitur erit locus, si post verbum *asserebatur*, adjecerimus, *Pelagii protulerunt.* Ex epistola autem proxime laudata liquet, 1° librum prolatum fuisse anonymum; 2° traditum fuisse Augustino, non Palæstinæ synodo; 3° Pelagium noluisse eum suum fateri. Unde quinque episcopi in eadem epistola n. 7 : *Si autem hunc esse suum librum negat.* Quod vero sub Innocentio suum negavit, hoc eum et sub Zosimo suum negasse minus mirum est.

[e] Auctores *pravos* Herotem ac Lazarum, *leves* vero aut eosdem, aut Jacobum et Timasium propter adolescentiam vocat. Horum tamen adolescentia levitatis nihil habebat, sed plurimum candoris et ingenuitatis. Nil etiam in hac causa dubio rumori datum. Quam circumspecte cum Pelagio egerit Augustinus, epist. alias 106, nunc 186, n. 1, ipse explicat. *Nam cum hoc de illo* (scil. eum *inimica et adversa Dei gratiæ sentire*) *aliquamdiu fama jactaret ; non utique*, inquit, *facile credendum fuit, solet quippe fama mentiri : sed propius ut crederemus accessit, quod librum quemdam ejus ea prorsus persuadere molientem.... legimus traditum nobis a famulis Christi, qui eum talia docentem studiosissime audierant, fuerantque sectati.* Qua autem occasione Pelagii librum ab iis acceperit, epist. alias 252, nunc 179, ad Joannem Hieros. n. 2, sic enarrat. : *Quidam ex discipulis ejus adolescentes honestissime nati, et institutis liberalibus eruditi, spem quam habebant in sæculo ejus exhortatione dimiserunt, in quibus tamen cum apparuissent quædam sanæ doctrinæ adversantia... et admonitionibus nostris inciperent emendari, dederunt mihi librum, quem ejusdem Pelagii esse dixerunt, rogantes ut ei potius responderem.*

[f] In vulgatis, cogitaverit. Cum sacro textu præfe-

Testamento : *Non* [a] *credes auditui vano, et non consenties cum iniquo fieri testis injustus* (*Exod.* XXIII, *sec.* LXX). Et ne forte multitudini detrahentium ante examinationem judicii crederetur, addit dicens, *Non eris cum pluribus in malitia, et non accipies per eos peccatum* (*Ibid.*). Et iterum alibi : *Prius quam interroges, ne vituperes quemquam : et cum interrogaveris, corripe juste* (*Eccli.* XI, 7). Et iterum : *Quæ viderint oculi tui loquere* (*Prov.* XXV, 8 ; *sec.* LXX). Et in Actibus Apostolorum adversus principes sacerdotum et seniores Judæorum postulantes absentis Pauli apostoli damnationem, justissimam sententiam gentilis Festus tribunus protulit, quam convenit etiam nos in facie credentium objicere ad verecundiam, dicens, *Non est consuetudo Romanis, damnare aliquem hominem prius, quam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina* (*Act.* XXV, 16). Si hanc igitur moderationem extra septum fidei nostræ positus tenuit contra sacerdotalem pudorem, [b] indigna omnino credulitas absentibus in absentes. Quotus enim quisque immunis invenietur a vulnere, si ad omnem ferientis ictum, credulum pectus aperitur.

6. Doceat nos terrena moderatio, quæ sæcularibus arbitriis et causis primum de ipsis judicibus eligendis repudiandisque sit, et quanta cunctatio; quot interpositæ dilationes; quoties inhibita comperendinatio (*V. Cod. Th. lib.* II, *tit.* 6 *et* 7) : etiam sub ipso fine certaminis ampliare judicia [c] cum innocenti reo (*Ibid. lib.* IX, *tit.* 36). Confugitur ad A mare et [d] transmarina documenta, ut fides quæ in præsenti plerumque arctioribus strangulatur angustiis, saltem eminus veniat. Hæc omnia mentior, nisi in patrocinium tuendæ innocentiæ reperta sint. Tolerabilius est enim innocentem quemlibet tardius inveniri, quam cito pro nocente damnari.

7. Grave fuit Lazaro et Heroti litterarum suarum pedissequos esse. An nesciebant, dilectionem vestram ad sedem apostolicam relaturam? Huc certo calumniæ compendio navigassent. Ubi de episcopatu [e] ambiendo agitur, maria terrasque lustrant, nec ulla suffragia prætermittunt. Ubi vero innocentium fama percellitur, otiosi et delicati sive accusatores sive testes (in utroque enim fallentibus [f] nomen infame est), in cubilibus et lectulis suis litteris abu- B tuntur; et totam Africam, universumque tranquillum catholicæ serenitatis innubilant ad libidines suas duæ pestes. Ante tribunal Christi omnes stabimus : nemo illic abesse poterit, nec Domini, cujus immensitas omnibus locis ac rebus intervenit, declinare judicium.

8. Si Deo nostro cordi fuit; propter oves perditas Verbum carnem fieri, et ex Domino formam servientis induere, ut diu interceptam redderet libertatem : sit vobis gaudium, eos quos falsi [g] judices criminabantur, agnoscere a nostro corpore et catholica veritate numquam fuisse divulsos. Certe hoc, quod [h] vestra exspectatio desiderabat, eluxit, ut damnanda damnarent, et sequenda sequerentur. Si paterfamilias reditu filii gratulabatur, qui *mortuus fue-* C *rat, et revixit; perierat, et inventus est* (*Lucæ* XV, 32) ;

rimus, *cognoverit*, præsertim consentiente libello fidei ad apostolicam sedem ab iis misso, qui Pelagii damnationi subscribere detrectabant. In eo illi quod subscriptionem suam negent, primum sic excusant : *Illud autem sanctitatem vestram specialiter admonemus, ne ad vestram reprehensionem factum putetis, quod sic absentum damnationem ob Dei timorem subscribere non audemus, docti per Scripturas humanam voluntatem præceptis Dei non debere præferri.* Tum ea omnia subjiciunt sacrarum litterarum testimonia, quibus hic Zosimus ab absentibus judicandis abstinendum esse demonstrat, atque in iis ponunt illud, *nisi ab ipso audierit et cognoverit*. Habetur hic libellus in appendice tom. X Augustini pag. 110 ad 115, ex eoque nonnulla, si tamen anterior est, in hanc epistolam a Zosimo translata opinamur.

[a] Editi *credas... consentias*. Vatic. ms., *credis. . consenties*. Restituendum duximus cum prædicto libello *credes... consenties*.

[b] Ita emendavit Garner. quod apud Baron. offenderat ex archetypi fide sic editum, *inclinatio, credulitas de absentibus in absentes*. Correctionem ejus retinere licet, quoad certius quid eluceat.

[c] Pro particula *cum*, substituit Garn. verbum *concessit*, refragante archetypo. Hic appellatur reus, qui accusatus vocatur in causam.

[d] Editi, *et extramarina* : corriguntur ex ms. Vatic. Hic respicere videtur Zosimus ad id Cod. Justin. lib. III, tit. 11, leg. I : *Si ex ea provincia, ubi lis agitur, persona, vel instrumenta poscantur, non amplius quam tres menses indulgeantur. Si vero ex continentibus provinciis, sex menses custodiri justitiæ est : in* TRANSMARINA *autem dilatione novem menses custodiri oportebit.* Quæ lex a Diocletiano et Maximiano lata, postea ab Arcadio ibid. leg. 7, et Cod. Th. lib. II, tit. 7, leg. 4, confirmata est.

[e] In vulgatis, *abdicando*. Rectius exemplar Vatic. *ambiendo*.

[f] Cod. Th. lib. XVI, tit. 2, leg. 41, exstat Honorii constitutio anno 412 consignata, in qua præmittitur, clericos nonnisi apud episcopos accusari debere : ac deinde additur : *Si quis, sive ille sublimis honoris, sive ullius alterius dignitatis, circa hujusmodi personas* (hoc est episcopum, presbyterum aliosve clericos) *non probanda detulerit, auctoritate hujus sanctionis intelligat se jacturæ famæ propriæ subjacere.* Quam legem Jac. Gothofredus latam putat occasione inordinatæ accusationis et injuriosæ abdicationis Herotis, quod cum insons esset, sublimis viri Constantii auctoritate et populari commotione ab ecclesia sua pulsus sit. Sed huic eruditi viri conjecturæ locum non permittit sive hæc, sive superior epistola. Aliter enim in illis de Herote anno 417 locutus esset Zosimus, si innocen- D tiam illius ab anno 412 Honorius imperator publico testimonio comprobasset. Vide Cod. Th. lib. IX, tit. 39. Ideo vero Heros et Lazarus nunc a Zosimo repræsentantur ut *otiosi et delicati*, atque *in cubilibus et lectulis* jacentes, quia absentiam suam, ut Augustinus lib. de gestis Pelagii cap. 35, n. 62, loquitur, *de ægritudine unius eorum excusabant*. Et hanc quidem excusationem in eodem libro cap. 1, n. 2, idem Doctor veram ac legitimam probat his verbis : *Propter gravem, sicut postea probabilius comperimus, unius eorum ægritudinem, præsentes esse minime potuerunt.* Eamdem vero commentitiam nonnulli Zosimo persuaserant.

[g] Si Heros et Lazarus hic notentur, non *judices*, sed *testes* hic legendum est.

[h] Editi, *nostra*. Concinnius ms. *vestra*.

et jubebat in usum ejus stolam mundam, hoc est A insigne candidæ mentis afferri, et vitulum saginatum; quantum hæc uberior exsultatio est fidei, non mortuos esse, nec periisse, de quibus falsa vulgata sunt? Misimus igitur ad dilectionem vestram exemplaria scripturarum, quas Pelagius misit: quarum lectionem non ambigimus parituram esse vobis in Domino de absoluta ejus fide lætitiam. Data XI kal. Octobris [a] (*Septemb.* 21).

EPISTOLA [b] IV.

De* [1] *Urso et Tuentio episcopis illicite ordinatis, ut nusquam in Ecclesiæ communione suscipiantur.

ZOSIMUS AURELIO et universis episcopis per Africam constitutis, universis episcopis per Gallias [c] et septem provincias constitutis, universis episcopis B per Hispaniam constitutis, [d] a pari.

1. Cum adversus statuta patrum venitur, non tantum illorum prudentiæ atque sententiæ, qui in ævum victura sanxerunt, sed ipsi quodam modo fidei et catholicæ disciplinæ irrogatur injuria. Quid enim tam sanctum atque venerabile est, quam penitus non exorbitare ab itinere majorum, quorum canonica statuta veluti quædam fundamenta sunt ferendis fidei [e] jacta ponderibus? Sed nihil minus ab Urso et Tuentio, quorum unus assidua sedis hujus medicina curatus, ad emendati erroris pervenire non potuit sanitatem; alter vero ante aliquot annos objecta criminatione submotus, sicut civium scripta testantur vel ingesta [*Forte*, ut gesta] docuerunt, etiam ab eo ipso gradum summi sacerdotis accepit, a quo fuerat ante damnatus. Cæcus error in utroque, [f] ut quod est potissimum in omnibus, nec velit aliorum de Tuentio, nec suam de Urso tenere sententiam.

2. Sed fac ut honesti mores hominibus essent et probata suffragia: quid illud, quod prætermisso fratre nostro Patroclo metropolitano episcopo Arelatensium civitatis, sine cujus auctoritate, juxta majorum canones, nulla penitus potuit ordinatio celebrari, tumultuose et turbide indebitis sacerdotia impinguntur? Nec saltem comprovinciales episcopi corrogantur, ut error velamento aliquo tegeretur: sed [2] Lazarus, dudum in Taurinensi concilio gravis-

[a] Consules, qui hic desiderantur, facile supplentur ex epistola superiori. Neque enim obscurum est hanc proxime post scriptam esse. Forte etiam utraque simul eidem Basilisco subdiacono deferenda tradita est.

[b] Ex iis est, quas in Arelatensi codice, unde a Baronio primum in lucem emissæ sunt, et in altero C Colbertino asservari monuimus. De iis quæ in illa disseruntur, ut æquius quisque dijudicare valeat; recolendum quod Prosper in Chronico, Herotem insontem ab Arelatensi populo pulsum, inque locum ejus Patroclum Constantii amicum et familiarem subrogatum esse præfatus, adjungit: *Quæ res inter episcopos regionis illius magnarum discordiarum causa fuit.* Hæc quippe discordiarum causa fuit, dum hinc Patroclus Constantii gratia et Zosimi fide abusus Herotem variis modis infamaret, illinc vero episcopi regionis illius, qui Herotem penitius noverant, eumdem ut nullius criminis reum defenderent. Hac locutione intelliguntur plura paria ac similia ejusdem epistolæ exempla, quæ seorsum singulis, seu provinciis aut ecclesiis seu viris in inscriptione prænominatis tradebant.

[c] In ms. Colb. desideratur conjunctio *et*, quæ habetur etiam in inscriptione superioris epistolæ 1.

[d] Istud *a pari*, in subsequentibus summorum pontificum epistolis frequens, nunc primum occurrit.

[e] Colb. ms. *fidei apta ponderibus. Sed nihil mirum ab.* Post verba, *nihil minus*, supple *præstitum* aut aliud hujusmodi. Tuentium Priscillianæ superstitionis labe contaminatum fuisse infra n. 3 narratur.

[f] Baron. cum ms. Arel. *Et quod:* ac mox, *nec vellem*, ubi in ms. Colb., *nec vilem*, pro *nec velit.* Legere liceret, *et quod... nec velle.* Is a quo Ursus prius damnatus, post ordinatus fuerit, ex subjectis intelligitur; scilicet Proculus Massiliensis episcopus, qui, ut ex Taurinensis concilii canone I discimus, sacerdotum secundæ provinciæ Narbonensis ordinationes sibi vindicabat. Verum *Ursio*, quem idem Taurinense concilium can. 3, *in usurpatione quadam de ordinatione in invidiam vocatum* memorat, cum Urso, de quo hic agitur, non est confundendus. Ille enim Ursio jam episcopus erat, nec fuit a suo gradu submotus: at de Urso hic sermo est, qui Proculi sententia submotus fuerat, antequam episcopalem dignitatem consequeretur.

[1] Ordinarat Proculus Massiliensium episcopus, allecto sibi collega Lazaro Aquensi, Ursum ac Tuentium episcopos, apud Citharistam, opinor, et Gargarium, quæ parochiæ erant episcopi Arelatensis. Has ordinationes Zosimus encyclica epistola multis nominibus redarguit. Primum, quod ordinati sint homines jam ante damnati, quos ordinari nefas erat. Deinde quod prætermisso metropolitano Arelatensi ordinati sint, quod provinciales episcopi adsciti non fuerint, quod Lazarus ex alia provincia evocatus, quod aliena loca usurpata, quod denique legitimus ordinationum dies non observatus. Tuentium itaque et Ursum, ut ejectos ab Ecclesia, nusquam ad communionem suscipiendos significat.

[2] Eadem de Lazaro leguntur in altera Zosimi epistola, quam per hosce dies ad Africanos episcopos de Pelagio ac pro Pelagio scripsit: quam cum altera pro Cœlestio item scripta primus in lucem protulit, annalibusque suis inseruit Card. Baronius. Et quamquam in actis synodi Taurinensis nullum hodie Briccianæ istius accusationis sit vestigium, nullam tamen ibi fuisse non dixerim. Sed quod Lazarum hoc loco, et in altera illa epistola cum Lazaro Herotem, episcopum Arelatensem, virum, ut Prosper in Chronico testa- D tur, sanctum et insontem, tam acerbe traducit Zosimus; vereor ne Cœlestii dolo et fraude illi persuasum sit. Qui cum ægre ferret suam ac Pelagii hæresim ab his maxime duobus Gallicanis episcopis deprehensam, eorumque judicio et litteris, quæ passim proferebantur, divulgatam, omni ope adnitendum putarit, ut illorum fidem atque famam apud Zosimum in suspicionem vocaret. Nec mirum de aliis fallere potuisse, qui de seipso callide imposuerat, ut catholicus a Zosimo crederetur. Quod enim viro docto nuper in mentem venit, duas illas Zosimi epistolas, ne fucum illi factum concederet, falsi damnare, mihi certe probari non potest: nec S. Augustino, ni fallor, aut Facundo Hermianensi probaretur. Enimvero quænam alia est epistola Zosimi, in qua libellum Cœlestii catholicum dixerit, ut narrat Augustinus lib. II contra epistolas Pelagianorum c. 3, si hæc non est, quam priore loco edidit Baronius? aut quænam alia, in qua de damnato Cœlestio, ut scribit Facundus, damnet Africanos, si eam negamus, quæ posterior est apud Baronium? Sed præstat integrum Facundi locum audire, libro VII de Tribus capitulis ad Justinianum: *Inveniet*, inquit, postremo, beatum quoque Zosimum apostolicæ sedis

simorum episcoporum sententiis pro calumniatore A damnatus, cum Britii innocentis episcopi vitam falsis objectionibus appetisset, post vero indebitum ab eodem Proculo, qui inter cæteros [a] in synodo damnationis ejus assederat, sacerdotium consecutus [b], a quo se ipse vitæ suæ conscientia, datis litteris in abdicationem sui, sponte submovit. Re vera incongruum fuit, ut [c] illicitum sacerdotio, omisso metropolitano, sua confessione spoliatus, sacerdotem pariter ordinaret. Et ne nihil non intempestive fieret, ne dies quidem legitimus [d] ordinationis adsciscitur : scilicet ut quibus cuncta deerant, etiam legitimum tempus deesset. Quid his tot tantisque improba usurpatione posthabitis addi potest, nisi illud extremum, quod totum transcendit errorem, ut [e] territoriis indebitis, ad Arelatensium civitatem anti- B quitus pertinentibus, locarentur? Unum vitium si in causis talibus evenisset, apostolicæ sedis auctoritas etiam cætera destruxisset. Hic multa concurrunt, improborum et damnatorum ordinatio, prætermissio metropolitani, necnon et provincialium sacerdotum, locorumque alienorum impudentissima usurpatio, nec saltem diei custodita solemnitas, et Lazarus in consortio illicitæ ordinationis adscitus. Hæc omnia apud nos gestis testimoniisque discussa sunt.

3. Atque utinam in Tuentio pravi tantum mores, non etiam Priscilliana superstitio patuisset ! quæ sedis hujus dudum humanitas et misericordia in hoc illi consulere voluit, ut emendatior de cætero permaneret. Quod beneficium sibi pene præter exemplum præstitum si diligentius observare voluisset, erroris illum anteacti oportuit pœnitere, non ita præcipiti impetu ad sacerdotium festinare, ut nec diei veterem solemnitatem, quæ præcipue custodienda fuerat, observaret, nec indebito loco crederet abstinendum.

4. Qua de re ad sanctitatem vestram et per totum orbem, ubicumque et in quacumque terrarum sonus catholicæ religionis exiit, scripta dereximus, fratres charissimi, ne [f] Tuentium et Ursum in communione Ecclesiæ, in quocumque ecclesiastico gradu a qua in totum anathemati sunt, suscipiendos esse ducatis. Dicuntur enim circulatores esse, quod nos ex sententiis agnovimus in eorum damnatione sacerdotali auctoritate prolatis, quas in diversis regionibus exceperunt. Removendæ sunt a sancto corpore putridæ carnes, et a massa sanctificationis acidum exsecrandumque fermentum. De quibus plura scribere pudoris fuit, cum illis pudori non sit tanta fecisse. [g]

5. Jussimus autem præcipuam, sicuti semper ha-

[a] Baron. cum ms. Arel., *synodo*, sine præpositione *in*. Qui Floriacensem adornavit bibliothecam, hic legit, *damnationi ejus consenserat*. Propius a nostra lectione abesset *assenserat*. Quamquam in superiori epistola 3, n. 3, Proculus non tantum ut Lazari damnationi consentiens, sed etiam ut judex, a quo ille C sententiam exceperit, exhibetur.

[b] Baron. hic addidit verbum *est*, quod melius abest ab aliis libris. Sic quippe intelligendus hic locus, quasi superius legeretur, *Nec saltem comprovinciales episcopi corrogantur .... sed corrogatur Lazarus*, etc. Hinc duo colligere est : primum Ursi ordinationem postquam ab Aquensium ecclesia Lazarus submotus est, adeoque postquam Constantinus deletus ac necatus fuit, hoc est post annum 411 contigisse; alterum, etiam post id temporis Lazarum a Proculo velut episcopum fuisse habitum. Ipsum etiam longe post Marius Mercator, Augustinus, et Carthaginensis concilii patres, ut vidimus, episcopum nominare non cessant.

[c] Codex Colb., *illicitus*, mox vero Baron. cum Arel., *spoliatum :* mendose. Nitida erit lectio in hunc modum constructa : *ut sua confessione spoliatus sacerdotio, illicitum sacerdotem pariter ordinaret.*

[d] Legitimum ordinationis diem neglectum dixisse D contentus Zosimus, quis ille sit tacet, quia eum usu omnibus notum ponit. Eadem ratione et Symmachus Urbis præfectus in relatione ad Honorium de Eulalio post mortem Zosimi in locum ejus suffecto apud Baronium ad ann. 418 loquitur : *Cum vir sanctus Eulalius ad ecclesiam Lateranensem de exsequiis prioris episcopi a populo et clericis fuisset adductus, ibi per biduum. . . remoratus est, ut exspectaretur* DIES CONSUETUS, *quo posset solemniter ordinari*. Unum autem Dominicum diem sacris ordinationibus per canones ac Patrum traditionem consecratum fuisse Leo epist. 5 c. 6, epist. 9 n. 11, et epist. 11 asserit. Ab hac tamen lege nonnumquam discessum esse probat Tillemontius vel exemplis sanctorum Martini atque Chrysostomi, quorum primum feria tertia vel quarta, alterum feria sexta ordinatum notat. Cyrillum quoque anno 412 Octobris 18 die. feria sexta, episcopum Alexandrinum creatum ferunt. Præterea Nestorius feria tertia consecratus est, si Socratis lib. VII, c. 12, eum anno 412, Aprilis 10 die, inauguratum asserentis vera sit narratio. Sed Liberatus, cap. 4, eumdem Aprilis 1 die, quæ in dominicam incidebat, ordinatum tradit. Observat eruditus Renaudotius histor. patriarch. Alexandr. Jacobit. pag. 177, cum Georgium quemdam exeunte sæculo VII die non dominico ordinandum in ecclesiam introducere pararent, Marcum archidiaconum eis intercessisse, ac negasse, *id moris esse aut ecclesiasticæ disciplinæ, ut episcopalis ordinatio alio die quam dominico fieret*; arguitque erroris Elmacinum, qui hunc morem apud Jacobitas receptum, scil. *ut Patriarcha nonnisi die dominico ordinaretur*, ad Isaaci post prædictam Marci intercessionem ordinati decretum refert.

[e] Baron. ex fide ms. Arel., *territoria indebita . . . locentur*. Ista autem aliena et indebita territoria, in quibus Ursum ac Tuentium a Proculo episcopos constitutos fuisse Zosimus hic queritur, nonnulli epistola 1, c. 3, fulti parœcias Citharistam et Gargarium interpretantur.

[f] Huic communionem cum episcopali dignitate postmodum redditam fuisse necesse est, si, quod eruditi multi putant, is ipse est Tuentius, ad cujus scripta Cœlestinus epist. 20, n. 2, responsa dedisse se commemorat.

[g] In mss. tota hic subnectuntur superioris epi to-

antistitem, contra sancti Innocentii decessoris sui sententiam, qui primus Pelagianam hæresim condemnavit, fidem ipsius Pelagii, ejusque complicis Cœlestii, quem in Ecclesia Carthaginensi convictum atque appellantem apostolicam sedem, et ipse gestis discusserat, tamquam veram et catholicam laudantem, insuper et Africanos culpantem episcopos, quod ab illis hæretici crederentur, cum, necdum ipsi Africanis episcopis dolos eorum multo manifestius detegentibus, memoratos Pelagium et Cœlestium putaret orthodoxos. Et tamen nec Athanasium et Damasum, nec illos Palæstinos episcopos (de his omnibus jam dixerat), *et Zosimum , hæreticos credit Ecclesia, quia de hæreticis bene senserunt ; sed potius pro merito suæ fidei catholicos judicat et honorat; quoniam non debet crimini deputari simplicium non intellecta versutia malignoru .*

buit metropolitanus episcopus Arelatensium (*et cætera ut in epistola* 1, *capite* 2).

6. Omnes sane admonemus, ut quique finibus suis contenti sint: nam barbara et impia ista confusio est, aliena præsumere. De qua re ne ad nos, *et reliquum capitis* 3 *mox dictæ epistolæ*. Data sub die x kalendas Octobris (*Anno* 417, *Septemb.* 22) Honorio augusto xi et [a] Constantio ii consulibus.

EPISTOLA V [b].

Ut metropolitanus Arelatensis in provincia Viennensi et in utraque Narbonensi ordinandorum episcoporum habeat potestatem

ZOSIMUS episcopis provinciæ Viennensis et Narbonensis secundæ, a pari.

[1] Multa contra veterem formam Proculus usurpasse detectus est in ordinationibus nonnullorum indebite B celebrandis, quas proxime numerosa [c] cognitione discussimus: licet ipse diu exspectatus, fastidiose ferens sibi inducias attributas, convenire dissimulet. Attamen illa præsumptio nos admodum movit, quod in synodo Taurinensi, cum longe aliud ageretur, in apostolicæ sedis injuriam subripiendum putavit, ut sibi concilii illius emendicata præstaret obreptio ordinandorum sacerdotum veluti metropolitano in Narbonensi secunda provincia [d] potestatem (*Taurin. concil. c.* 1 *et* 2). Et ne solus, impudenter indebita postulando, A huic sedi videretur intulisse convicium, socium sibi [2] Simplicium Viennensis civitatis ascivit, qui non dissimili impudentia postularet, ut sibi quoque in Viennensium provincia creandorum sacerdotum permitteretur arbitrium. Indecens ausus, et in ipso vestibulo resecandus, hoc ab episcopis ob certas causas concilium agitantibus extorquere, quod contra statuta patrum et sancti Trophimi reverentiam, qui primus metropolitanus Arelatensis civitatis ex hac sede directus est, concedere, vel mutare ne hujus quidem sedis possit auctoritas. Apud nos enim (25, *quæst.* i, *c.* 7; *Ivo p.* iv, *c.* 226) inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reverentiam. Et quia redire in ordinem suum intermissa præcipimus, [e] fratres charissimi, metropolitanus Arelatensis civitatis episcopus jam inde a Trophimo ordinationis seriem temporibus roboratam inviolabili in utraque Narbonensi et Viennensi auctoritate possideat. Data iii kalendas Octobris, Honorio augusto xi et Constantio ii consulibus.

EPISTOLA VI [f].

Hilarium nullo nisi jure ad ordinandos in prima [3] *Narbonensi episcopos, ac ne quid inde sibi usurpet.*

ZOSIMUS HILARIO episcopo Narbonensis primæ provinciæ.

1. Mirati admodum sumus, dum nobis studiosius

... læ i, capita 2 et 3, scilicet a verbis *Jussimus autem præcipue*, ad consularem usque notam. Neque ab alio, nisi ab ipsomet Zosimo, addita existimamus: adeo ut encyclicæ hujus epistolæ occasione ansam arripuerit, unde privilegium, quod ante menses aliquot C Arelatensi antistiti concesserat, omnibus notum faceret.

[a] Mss., *Constantio* (non addito ii) *cons.*

[b] Et hanc epistolam laudatis mss. Arel. et Colb. debemus.

[c] Hoc est, in frequenti cœtu et cum numerosis cognitoribus.

[d] Proculus quidem in Taurinensi concilio sese ut Narbonensi ii provinciæ metropolitanum jactitavit, eoque nomine duo petiit: ut nimirum et primatus honore, et episcopos in illa provincia ordinandi potestate gauderet. Utrumque rursus hoc duplici titulo sibi vindicavit; quia videlicet hujus provinciæ aut parochiæ suæ essent, aut episcopi a se fuissent ordinati. At can. i, *id judicatum est a sancta synodo contemplatione pacis atque concordiæ, ut non tam civitati ejus, quæ in altera provincia sita est . . . quam ipsi potissimum deferretur, ut tamquam pater filiis honore primatis adsisteret*. Quo in loco concilii hujus patres eum provinciæ secundæ Narbonensis metro- D politanum aperte inficiantur, ac negata ei episcopos ordinandi potestate, *ipsi*, non ipsius civitati, primatus honorem deferre satis habent, et in iis quidem *ecclesiis, quas vel suas parochias, vel* (quibus) *suos discipulos fuisse ordinatos constiterit.*

[e] Verba, *fratres charissimi*, a Sirm. et Lab. omissa, ex Baron. et mss. revocantur. Hic Zosimum inter et Taurinense concilium quædam deprehenditur sententiarum pugna: sed in hoc tamen eorum est consensio, quod illæsa et inconcussa patrum statuta pariter velint. Taurinense quippe concilium, Arelatensi et Viennensi antistitibus de primatu inter se contendentibus can. 2 hoc decrevit, *ut qui ex eis approbaverit suam civitatem esse metropolim, is totius provinciæ honorem primatus habeat, et ipse* JUXTA CANONUM PRÆCEPTUM *ordinationum habeat potestatem*. Nec minorem majorum statutis reverentiam Zosimus profitetur. Utri vero, Zosimone an concilio Taurinensi, in judicio quod de hac causa tulerunt, obreptum sit? Ut canonica esset Zosimi sententia, cum episcopo Arelatensi non modo Massiliensis, sed et Viennensis vocandi erant. Cum Arelatensi tamen solus Massiliensis vocatus et exspectatus hic memoratur. Contra in Taurinensi concilio Massiliensis, Viennensis atque Arelatensis auditi sunt. Quamquam Zosimus in epistola sequenti nihil a se novi episcopo Arelatensi, nihil quod non prisca jam consuetudine obtineat, concedi non semel affirmat.

[f] Hanc epistolam ex iisdem exemplaribus, ex quibus superiorem, habemus. Præterea in pervetusto Regio asservatur.

[1] Rescindit privilegium, quod Proculus Massiliensis episcopus perperam a synodo Taurinensi expresserat, ut episcopos in Narbonensi ii, velut metropolitanus ordinaret. Simplicium etiam Viennensem perstringit, quod Viennensis provinciæ ordinationes ambiat: statuitque, ut metropolitanus Arelatensis, priscum, ut ait, jam inde a S. Trophimo in utraque Narbonensi et Viennensi ordinandorum episcoporum auctoritatem possideat.

[2] Paulinus presbyter apud Gregorium Turon. lib. ii Hist. c. 12. *Si enim hos videas dignos Domino sacerdotes, vel Exsuperium Tolosæ, vel Simplicium Viennæ, vel Amandum Burdegalæ, vel Diogenianum Albigæ, vel Dynamium Engolismæ, vel venerandum Arvernis, vel Alethium Cadurcis, vel nunc Pegasium Petrocoriis, utcumque se habent sæculi mala, videbis profecto dignissimos totius fidei religionisque custodes.*

[3] Exceptioni quam Hilarius objecerat, in aliena provincia ab alio non debere fieri episcopos, opponit antiquam consuetudinem episcoporum Arelatensium, qui non solum in Viennensi provincia, sed per duas etiam Narbonenses, episcopos ordinare soleant. Quocirca inhibet, ne ea potestate in Narbonensi I utatur, quam subreptitie a sede apostolica obtinuerat. Si secus faxit, non solum episcopatus

requirentibus relatio tua de ordinandis in provincia Narbonensi prima sacerdotibus legeretur, quod dum assertioni et desideriis tuis cupis esse consultum, prætermissa veri fide, relationem tuam sub honestatis specie colorasti, asserens in aliena provincia ab alio non debere fieri sacerdotes : cum utique debueris, non quid tibi rectum videretur, sed quid habuerit antiqua consuetudo, suggerere. Ideoque vacuato eo quod obtinuisse a sede apostolica subreptitie comprobaris, quia satis constitit Arelatensis ecclesiæ sacerdoti prisca id institutione concessum, ut non solum in provincia Viennensi, sed etiam per duas Narbonenses, episcopos faciat. Nam sanctæ memoriæ Trophimus sacerdos, quondam ad Arelatensem urbem ab apostolica sede transmissus, ad illas regiones et tanti nominis reverentiam primus exhibuit, et in [a] alias non immerito ea quam acceperat auctoritate transfudit; atque hanc ordinandi consuetudinem, et pontificatum loci illius quem obtinuerat primus et justus, custoditum usque in proximum tempus, gestis apud nos habitis, multorum consacerdotum testimoniis [b] approbatur.

2. Ergo licet sola, quæ in sede apostolica habita sunt, potuissent gesta sufficere; tamen etiam hac te auctoritate constringimus, ut præsumptioni tuæ, quam extulisse contra veterem consuetudinem videbaris, modum noveris justæ [c] præscriptionis indictum, neque æstimes tibi ulterius pontificatum de ordinandis sacerdotibus vindicandum : cum hoc videas Arelatensis episcopo civitatis et per apostolicam sedem, et per sancti Trophimi reverentiam, et per veterem consuetudinem, et nostra recenti evidentissima definitione deferri. Si quid contra hæc, frater charissime, quæ a nobis sunt sub Dei judicio statuta, tentaveris : non solum quos faciendos credideris, episcopatum obtinere [d] non possint, sed etiam ipse catholica communione discretus, sero de illicitis præsumptionibus ingemiscas. Data [e] VI kalendas Octobris (*Anno* 417, *Septem.* 26) Honorio augusto XI et Constantio II consulibus.

EPISTOLA [f] VII.

Metropolitani dignitas a [1] Proculo usurpata, Patroclo asseritur. Ipsius est cuivis de Galliæ clero formatas dare. Ordinationes præcipites ac per saltum vetantur.

ZOSIMUS PATROCLO episcopo Arelatensi.

1. Quid de Proculi damnatione censuerim, tenet conscientia tua, cum meo interesses examini : nec te gestorum nostrorum auctoritas latet vel scriptorum quæ de ipsius damnatione per terrarum diversa [g] direximus. Unde metropolitani in te dignitatem atque personam etiam apostolicæ sedis auctoritate considera : in quem furtive locum [h] per indebita a synodo Proculus usurpatum irrepserat. Quicumque igitur ex Gallicanis unde unde regionibus veniunt sub quovis ecclesiastico nomine vel gradu, formatas per te commoniti [i] ad nos mittendas esse cognoscant : alioquin sibi imputabunt, si inefficaciter, hac solemnitate postposita, te inconsulto ad nos venire tentaverint : quod ab episcopis usque ad ultimum [j] ecclesiasticorum gradum observari conveniet, frater charissime.

2. Et quia nonnulli ex quacumque militia se ad Ecclesiam conferentes (*V. epist.* 9, *n.* 1), statim [2] saltu quodam summatem locum religionis affectant,

[a] Sirm. et Lab. cum ms. Reg., *in alios*. Magis placet cum Baron. et ms. Arel., *in alias*, supple regiones : quia nimirum postquam Trophimus Arelatum directus est, *ex ejus fonte totæ Galliæ fidei rivulos acceperunt*, ut in epistola I, c. 3, ipse Zosimus loquitur; et episcopos ordinando, in alias etiam regiones nominis hujus honorem transfudit.

[b] In Regio ms., *approbatum*. Quæ lectio si placet, mutanda superior interpunctio, ac retinendum *in alios*, scilicet successores.

[c] Reg. ms., *perscriptionis*.

[d] Ita codex Reg.; alii vero, *non posse*. Nicæni concilii canone 6 sancitur : *Si quis præter voluntatem et conscientiam metropolitani episcopi fuerit ordinatus, hunc concilium magnum et sanctum censuit non debere esse episcopum*.

[e] Sirm. et Lab., *sub die* III; Baron. *sub die* V corriguntur ex mss. Reg. et Arel.

[f] Ex tribus mss. in superiori epistola memoratis descripta est.

[g] Baron. et Sirm. hic addunt *loca* : quæ vox a mss. abest, satisque intelligitur etiam tacita. Superior epistola V nomine scriptorum per terrarum diversa directorum hic memoratur. Mox in Reg. ms., *apost. sedis auctoritatem*.

[h] Editi, *pro indebita synodo* : corriguntur ope mss. Colb. in quibus exstat quidem tantum, *per indebita synodo* : sed præpositionem *a*, propter antecedentem vocem in *a* desinentem, librariis excidisse nihil novum. Hoc sibi vult, Proculum synodi auctoritate locum metropolitani per indebita territoria sibi usurpasse. Superius epist. 4, n. 2, Zosimum audivimus cum eodem Proculo expostulantem, quod Tuentium et Ursum *territoriis indebitis*, hoc est ad se non pertinentibus, locasset. Non displicet quod in ms. Reg., *per indebitam synodum* : quatenus prædictam potestatem Proculus *in synodo Taurinensi, cum longe aliud ageretur* (adeoque *furtive*) *subripiendam putarit*, ut epist. 5, n. 1, legimus.

[i] Verba *ad nos*, in vulgatis omissa, ex mss. restituuntur.

[j] Sic mss. At editi, *ecclesiasticum*. Vide annotata in epistolam 2. Mox Reg. ms., *fratres charissimi*, quod ad eos referri potest, in quorum notitiam vult Zosimus hanc epistolam pervenire.

honorem non habituros quos ordinarit, sed ipsum etiam catholica communione cariturum. Contra hoc Zosimi interdictum, facit epistola secunda Bonifacii ad Hilarium eumdem.

[1] Damnatum exauctoratumque Romæ a Zosimo Proculum fuisse, litteras etiam encyclicas de ejus damnatione scriptas, hæc epistola testatur. Confirmat autem Patroclo privilegium formatarum, et metropolitani in Narbonensi II dignitatem, in quam Proculus irrepserat, tum deinde ordinationes episcoporum ne per saltum fiant edicit in posterum.

[2] In sacris ordinationibus duo inter cætera semper spectavit Ecclesia. Unum, ut gradatim fierent per singulos gradus ordinum : ita ut non ante quisquam ad superiorem ascenderet, quam inferiores suscepisset. Quod qui non servabat, verbi gratia qui ex subdiacono repente, prætermisso diaconatu, presbyter fiebat, per saltum promoveri dicebatur. Alterum, ut justa quisque ac legitima in singulis gradibus stipendia expleret, prælixaque singulis tempora

qui gradatim per ecclesiastica stipendia venientibus explorata [a] solet discussione differri: idcirco quoniam in nonnullis factum infirmare non possumus, si qui jam ordinati sunt, in eo gradu, ad quem saltu subito pervenerunt, perdurare debebunt. Si enim Apostolus neophytum sacerdotio non statim cumulari jubet (I *Tim.* III, 6), et hoc idem canonum statuta sanxerunt (*Nicœn. can.* 2); hoc addimus nostra sententia, ut quisquis de cætero [b] vel summo sacerdotio, vel presbyterii gradu vel diaconatus crediderit cumulandum, sciat et se gradus sui subire jacturam, nec in illum valitura esse quæ contulit: ut saltem ab ordinatione præcipiti metus iste summoveat, quos examinata discussio coercere debuisset. Scripta nostra in omnium facies notitiam pervenire; ut ne hoc quidem ipsum tibi, quod omnibus interdictum est, licere cognoscas. Data [c] VI kalendas Octobris (*Die* 29 *Sept. ann.* 417) Honorio XI et Constantio II consulibus.

EPISTOLA VIII.

SEU LIBELLUS PAULINI DIACONI ADVERSUS CŒLESTIUM ZOSIMO EPISCOPO DATUS.

Quod Zosimus Cœlestii hæresim condemnarit, ejusdemque adversum se calumniam respuerit, ac demum suam ipsius approbarit fidem, gratulatur; et cur Romam non adeat, exponit.

(Hanc epistolam legere est inter opera Paulini, ubi eam videsis infra.)

EPISTOLA IX [d].

I. *Quod monachi vel laici nisi per gradus ecclesiasticos non debeant ad summum sacerdotium pervenire.* — II. *Quod si quis interdicta espexerit, gradus superioris periculo subjacebit.* — III. *Quæ in singulis cleri gradibus tempora sint præfixa.*

ZOSIMUS [e] HESYCHIO episcopo Salonitano.

CAP. I. — 1. Exigit dilectio tua præceptum apostolicæ sedis, in quo Patrum decreta consentiunt, et significas nonnullos ex monachorum [f] populari cœtu, quorum solitudo quavis frequentia major est, sed et laicos ad sacerdotium festinare. Hoc autem (*Ivo p.* 5, *c.* 102) specialiter et sub prædecessoribus nostris, et nuper a nobis interdictum constat, litteris ad Gallias Hispaniasque [g] transmissis, in quibus regionibus familiaris est ista præsumptio, quamvis nec Africa super hac admonitione nostra habeatur aliena, ne quis (*Dist.* 36, *c.* 2, *et dist.* 59, *c.* 1) penitus contra patrum præcepta, qui ecclesiasticis disciplinis per ordinem non fuisset imbutus, et temporis approbatione divinis stipendiis eruditus, nequaquam ad summum Ecclesiæ sacerdotium aspirare præsumeret: et non solum in eo ambitio inefficax haberetur, verum etiam in [h] ordinatores ejus, ut carerent eo ordine, quem sine ordine contra præcepta Patrum crediderant præsumendum. Unde miramur ad dilectionem tuam statuta apostolicæ sedis non fuisse perlata. Laudamus igitur constantiam propositi tui, frater charissime, nec aliud de pontificii tui vetere censura auctoritatis genus exspectandum fuit, quam ut talibus ambitionibus, pro præceptis Patrum, in procinctu fidei constitutus occurreres.

2. Igitur si quid auctoritati tuæ, quod nos non opinamur, æstimas defuisse, supplemus. [i] Obsiste

[a] Baron. cum ms. Arel., *solent.*

[b] Supple, neophytum, seu ex quacumque militia se ad Ecclesiam conferentem.

[c] Arel. ms., *Data kal. Octob. Honorio* I, etc, mendose. Editi, *Dat.* III *kal.* Reg. ms. sequimur.

[d] Antiquæ collectiones, Isidori Mercatoris, Hispana, Hadriani I, Dionysii Exigui, Codicis a Quesnello editi, necnon alia in exemplari Colb. majusculis litteris Langobardicis exarato, et plures Gallicanæ in veterrimo Corbeiensi codice, in Fossatensi, etc., asservatæ, epistolam hanc exhibent. Ejus in fronte præmittimus titulos, quos Dionysius Exiguus adornavit, atque ex eo Hispanæ collectionis auctor et Isidorus pro more mutuati sunt. Illorum loco hos præ se fert laudatus codex Corbeiensis: I. *Ut ne quis penitus contra Patrum præcepta sacerdos Ecclesiæ ordinetur.* II. *Talibus ordinationibus obsisti debere.* III. *De ordinationibus clericorum, qualiter ad pontificatus honorem debeant pervenire.* IV. *Singulis gradibus* (supple *quæ*) *debeant observare.* V. *De digamis et pœnitentibus.* Brevior est epistolæ hujus in Colbertino Codicis a Quesn. editi exemplari summa, in generali quidem Indice, *De monachis et laicis ad gradus ecclesiasticos accedere cupientibus*; in ipsius autem epistolæ fronte, *Quomodo ordinantur episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, exorcisti, lectores, quantos annos nunc per unumquemque gradum ascendant.* Postremam hanc summam etiam Regius alias S. Petri Pictavensis codex præfert. Aliis autem in mss. nulla est.

[e] Ita sinceriores mss. At editi post Dionys., *Zosimus episcopus urbis Romæ Hesychio episcopo Salonitano*, quibus in coll. Hispan., et Isid. additur *salutem*

[f] Apud Dion. et Isid. necnon in edit. Merl. Crab. et Rom. deest *populari*: quæ vox e quatuor mss. Colb. necnon Regio, Pith. et Corb. revocatur. Quid sibi velit, intelligitur ex his num. 3, *Popularitas etiam his locis, ubi solitudo est, talium reperitur.*

[g] In Corb. ms. ac duobus Colb. desideratur *transmissis*, pro quo in alio Colb. exstat *datis*. Antea prædictus codex Corb. *antecessoribus*, alii duo *prodecessoribus*, item duo alii, *decessoribus*. Nullas habemus Zosimi ad Gallos Hispanosque litteras, in quibus de re quæsita quidquam speciale decernatur: nisi forte superiorem epistolam 7 indicet, quam etsi Patroclo uni inscriptam, ipsius tamen opera *in omnium notitiam pervenire* voluit. Porro in hac epistola n. 2 vetat, ne quis præcipiti saltu ad ullum clericatus gradum promoveatur, eadem, qua et hic, adversus ordinatum et ordinantem indicta pœna.

[h] Taurinense concilium canone 3 cujus titulus est, *De ordinationibus illicitis contra statuta Patrum*, uti jam observavimus, mitiori pœna ordinatores multarat. Zosimo autem concinit Cœlestinus epist. 4, n. 5. Ab utriusque severitate erga eosdem ordinatores nonnihil remittitur, et ad concilii Taurinensis temperamentum reditur, tum in additamentis ad epistolam 1 Leonis, tum in Regensis synodi anno 439 habitæ canone 1. Vide Hilari epistolam 10, n. 5.

[i] Edit. Rom. et concil., *Vos obsistite... obsistite*: corriguntur ex mss. Mox unus codex Colb. cum Re-

observaret. De quibus Zosimus idem scribit in epistola ad Hesychium Salonitanum. Quod si quando contrahi hæc temporum spatia necessitas cogeret: prius tamen illud, ut ordines gradatim inirent, religiose semper tenuerunt. Ut de sancto Ambrosio, qui catechumenus ad episcopatum fuerat adscitus innuit in ejus Vita Paulinus: *Baptizatus itaque fertur omnia ecclesiastica officia implesse, atque octava die episcopus ordinatus est cum summa gratia et lætitia cunctorum.*

talibus ordinationibus, obsiste superbiæ et arrogantiæ venienti. Tecum faciunt præcepta Patrum, tecum apostolicæ sedis auctoritas. Si enim [a] officia sæcularia principem locum, non vestibulum actionis ingressis, sed per plurimos gradus [b] examinato temporibus deferunt : quis ille tam arrogans, tam impudens invenitur, ut in cœlesti militia, quæ [c] pensius ponderanda est, et sicut aurum repetitis ignibus exploranda, statim dux esse desideret, cum tyro ante non fuerit, et prius velit docere, quam discere? Assuescat in Domini castris, in lectorum primitus gradu divini rudimenta [*Merl.* rudimentis] servitii : nec illi vile sit exorcistam, acolythum, subdiaconum, diaconum per ordinem fieri : nec hoc saltu, sed [d] statutis majorum ordinatione temporibus. Jam vero ad presbyterii fastigium talis accedat, ut et nomen ætas impleat, et meritum probitatis stipendia anteacta testentur. Jure inde summi pontificis locum sperare debebit.

3. Facit hoc nimia remissio consacerdotum nostrorum, qui pompam multitudinis quærunt, et putant ex hac turba aliquid sibi dignitatis acquiri. Hinc passim numerosa popularitas etiam his locis, ubi solitudo est, talium reperitur, dum parœcias extendi cupiunt, aud quibus aliud præstare non possunt, divinos ordines largiuntur. Quod oportet districti semper esse judicii. Rarum est [e] enim omne quod magnum est.

Cap. II. — 4. Proinde nos, ne quid meritis dilectionis tuæ derogaremus, ad te potissimum scripta direximus, quæ in omnium fratrum et coepiscoporum nostrorum facies ire notitiam, non tantum eorum qui in ea provincia sunt, sed etiam qui vicinis dilectioni tuæ provinciis adjunguntur. Sciet quisquis hoc postposita Patrum et apostolicæ sedis auctoritate neglexerit, a nobis districtius vindicandum; ut loci sui minime dubitet sibi non constare rationem, si hoc putat, post tot prohibitiones, impune [f] tentari. Contumeliæ enim studio fit, quidquid [g] interdictum toties usurpatur (*Nicolaus I, epist. al.* 40, *n.* 4).

Cap. III. — 5. [h] Hæc autem (*Dist.* 77, *c.* 2 ; *Rabanus de instit. cleric. lib.* I, *c.* 13) singulis gradibus observanda sunt tempora. Si ab infantia ecclesiasticis ministeriis [i] nomen dederit, inter lectores usque ad vicesimum ætatis annum continuata observatione perduret. Si major jam et grandævus accesserit, [j] ita tamen, ut post baptismum statim, si divinæ

gio, *Tecum faciant præcepta Patrum, tecum sit:* minus concinne. Adsunt reipsa decreta Patrum Nicænorum can. 2 et Sardicensium can. 13 verbis fulta Apostoli, qui neophytum ordinari prohibet. Eadem firmant et Siricius epist. 1, n. 13; epist. 6, n. 5, et epist. 10, n. 15, necnon Innocentius epist. 37, n. 6.

[a] Regius codex, uno Colb. favente, *officiales viri per officia sæcularia principalem locum, non per vestibulum actionis ingressi :* corrupte. *Officia sæcularia* hic intelliguntur administri et judices sæculares.

[b] Edit. Rom. et concil. post Isid., *examinatis temporibus*. Duo mss., *examinato tempore*. Nitidior est lectio quam exhibemus ex cæteris mss.

[c] In vulgatis ut in ms. Pith. et apud Isid., *propensius*. Præferimus cum Dion. aliisque mss., *pensius*.

[d] Reg. ms., *statis*. Tum Quesn. *majorum ordine*. Ut in epistola 1 Siricii n. 13 et 14, et in Innocentii epistola 37 n. 6, ubi varii recensentur gradus, quibus ad sacerdotii apicem ascendatur, ita et hic, nulla ostiarii fit mentio. Et is quidem ordo, ut ex libro VIII Constit. Apostol. c. 15, ex concilio Laodiceno can. 22, et ex octava synodo act. 8 cap. 5, colligitur, Græcis incognitus fuit, sed ejus munere apud eos cum diaconi tum subdiaconi fungebantur. Apud Latinos tamen receptum fuisse fidem faciunt concilium Carthaginense IV, can. 9, et Augustinus edit. nov. Serm. 46, n. 31. Ejusdem rei locupletior testis est Cornelius, qui epist. 9, n. 3, Romano in clero *exorcistas et lectores cum ostiariis quadraginta duos* recenset. An ideo memoratis in locis omissus fuit, quia non ab unoquoque, ut eo fungeretur, necessario exigebatur? Siricius, epist. I n. 14, Zosimo nostro ipsi infra n. 5 suffragante, præcipit, ut qui grandævus baptizatur, *statim lectorum aut exorcistarum numero socielur*, quasi alterutrum e duobus illis gradibus suscepisse satis esset, quo ad altiorem quis promoveretur. Quocirca neque exorcistæ Innocentius epist. 37, n. 6, meminit. Eadem ratione cum ipse, tum alii, ostiarii gradum silentio potuerunt præterire. Immo idem Innocentius, ibid., subdiaconum, et concilium Sardicense, can. 13, plures alios gradus tacent. Quod argumento est in his locis quærendum non esse ordinum omnium accuratum catalogum. Notatu dignum est, quod in antiquo Constituto Silvestri papæ nomine vulgato, et a nobis in Appendice tom. II edendo legitur. Quamvis enim c. 11, n. 16, ubi præscribitur quanto quisque tempore in singulis gradibus ministrare debeat, ut ad episcopatum pervenire possit, prætermittatur ostiarii gradus, in eodem tamen Constituto cap. 3, n. 6, de Silvestro dicitur : *Postea autem fecit gradus in gremio synodi, ut non presbyter adversus episcopum, non diaconus adversus presbyterum, non subdiaconus adversus diaconum, non acolythus adversus subdiaconum, non exorcista adversus acolythum, non lector adversus exorcistam, non ostiarius adversus lectorem det accusationem.*

[e] Apud Quesn. ut in ms. Corb. omittitur *enim*.

[f] Vocabulum *impune* suppressit Quesn. qui exinde cum editis aliis, necnon Dion. et Isid. præfert *posse tentari*, licet in veteribus exemplis Codicis, quem vulgavit, aliisque potioribus mss. absit *posse*.

[g] In Regio codice hic adjicitur particula *post*.

[h] Quod ab hinc ad finem usque epistolæ hujus sequitur, apud nostrum Edmundum Martene tom. II de Antiquis Eccl. ritibus, tum pag. 350, ex Egberti Eboracensis archiepiscopi pontificali libro, quem ille ante annos 900 exaratum putat, tum pag. 380, ex Caturcensi item pontificali, cum non paucis varietatibus exhibetur sub hoc titulo, *Incipit Sermo Innocentii papæ de septem gradibus Ecclesiæ ordinandis :* sed quid sunt duo illi libri, ut de auctoritate derogare valeant cæterorum, qui Zosimo totam epistolam summo consensu ascribunt?

[i] Prædicti pontificales libri Ebor. et Caturc., *nostra didicerit exempla, et inter lectores... perduraverit. Exinde si majori ætati accesserit*. In his corruptionem esse facile deprehendet, qui hunc locum cum altero contulerit epist. 1 Siricii n. 13 et 14, ex quo, ut infantes ecclesiæ ministeriis consecrati ab ipsa infantia lectorum munere initiarentur, usu receptum fuisse constat.

[j] Merl. et Quesn., *qui tamen post baptismum statim* (Quesn. *se*) *divinæ militiæ desiderat*. Editi cæteri, *ita tamen* (Crab. *quod*, alii *ut*) *post baptismum statim se divinæ militiæ desideret*. In omnibus autem mss. exstat, *ita tamen ut*, ac subinde *desiderat*. Unde ut

militiæ desiderat mancipari, sive inter lectores, sive inter exorcistas quinquennio teneatur : exinde acolythus vel subdiaconus quatuor annis; et sic ad benedictionem diaconatus, si meretur, accedat; in quo ordine quinque annis, [a] si inculpate se gesserit, hærere debebit. Exinde suffragantibus stipendiis, per tot gradus datis propriæ fidei documentis, presbyterii sacerdotium poterit promereri. De quo loco, si eo illum [b] exactior ad bonos mores vita produxerit, summum pontificatum sperare debebit. Hac tamen lege servata, ut neque digamus, [c] neque pœnitens, ad hos gradus possit admitti. Sane, ut etiam defensores ecclesiæ, qui ex laicis fiunt, supra dicta observatione teneantur, si meruerint esse in ordine clericatus. Data [d] IX kalendas Martias (*Anno* 418, *Februar.* 21) DD. NN. Honorio XII et Theodosio VIII augustis consulibus.

EPISTOLA X [e].

Adversus Proculi ausus et illicitas ordinationes.

ZOSIMUS PATROCLO episcopo Arelatensi.

Cum et in præsenti cognoveris, et frequentibus a nobis litteris ipse sis monitus, ut auctoritate metropolitani, quam tibi apostolicæ sedis pronuntiatione firmavimus, Proculi ausibus conatibusque illis, quibus adhuc se putat aliqua posse turbare, hujus rei [f] oppressu occurreres, renitens rigore censuraque, quam pro regularum confirmatione susceperas, quippe cum et tibi nostrum delegatum nosses officium, et illum scires esse damnatum : miror quid post ista Proculo liceat, aut vacet illa, quæ consueverat, aut pejora committere. [g] Cur non putat unde istam habeas potestatem tuam, frater charissime, ut censuerimus, censeamusque, quicumque ex illis ad nostras regiones veniunt, sine tua non suscipiendos esse formata, nec probandum quem non in provincia positus ipse probaveris? Post istam esse delegationem ad nos rumor advenit, Proculum quasi consuetis ludere et uti moribus suis, junxisse sibi quosdam idoneos turbationibus homines, et post illa quæ illi interdiximus ordinasse. Sed sciant quibus hanc epistolam volumus in notitiam pervenire, suscipi se nullatenus posse, [h] qui aut contra regulas repente, aut postquam illi interdiximus, sunt ordinati. Data [i] III nonas Martias (*Ann.* 418, *Martii* 5), Honorio XII et Theodosio VIII augustis consulibus.

EPISTOLA XI [j].

Patroclo commissum esse, ut Proculi loco alium episcopum accipiant.

ZOSIMUS [1] clero, ordini, et plebi consistenti Massiliæ.

Non miror Proculum in consueta adhuc fronte duluisse operæ pretium duxi, quo advertat quisque qui sanctorum scripta depravari, sicque fœdata nihilo minus cum auctoritate aliqua legi interdum contingat.

et ex epistola 1 Siricii n. 4 hic cum pervetusto codice Corbeiensi et Langobardico Colbertino *si militiæ* præferendum, nec *se militiæ* retinendum esse liquet. Eo pacto Zosimus una cum Siricio eis ad clerum videtur aditum negare, qui non statim a baptismo sese Ecclesiæ servitio manciparint. Verebantur nimirum, ne illi contra munditiem, quæ clericos decet, in negotiis sæculi quidquam admisissent. Quocirca laudanda modestia eorum, qui gravis alicujus criminis aliquando a se commissi conscii, a tam sancto statu ipsi se subducunt, eoque se indignos arbitrantur.

[a] In ms. Corb., *ista se gesserit*. In duobus Colb., *si inculpate gesserit*, sine *se*. In Eborac. et Caturc., *si inculpabiliter vixerit*. Tum apud Quesn. ut in codicibus coll. Hadr., *adhærere*, ubi rectius in aliis libris, *hærere*.

[b] Apud Rabanum, *auctior :* atque ita forte in mss. Ebor. et Caturc. legendum, non ut vulgatum est, *acutior*. Sed cum aliis libris retinendum *exactior*.

[c] Merl. et Quesn. cum Isid., *neque viduæ maritus, neque pœnitens*. Editiones aliæ post Rom. ordine inverso, *neque pœnitens, neque viduæ maritus*. Verba, *neque viduæ maritus*, absunt a Crab. et collectionibus Dion., Hadr., Hispana, Langob. necnon a mss. Regio, Corb., Fossat., tribus Colb., etc. At in mss. Ebor. et Caturc. quod superest ex hac epistola, ita interpolatum ac mutatum effertur : *Neque bigamus, neque revertens, neque pœnitens a maximis criminibus ad hos gradus possit admitti. Alioquin defensores ecclesiæ, qui ex laicis fiunt unius uxoris viri, si in supradicta observatione teneantur, et si vita et moribus et scientia Scripturarum meruerint, in ordine clericatus admittere debent*. Quædam alia codicum illorum menda annotare piguit : sed hæc prorsus non si-

[d] Editi cum ms. Pith. VIII *kal. Martias Honorio*. Ex aliis mss. restituimus IX et revocamus *DD. NN.* hoc est *dominis nostris*, non ut in ms. Fossat. expressum est, *domino nostro*. Longe pejus in Corbeiensi quatuor illis litteris substituta est vox *Nonas*. Apud Baronium ad annum 418 exstat Honorii imp. adversus Pelagianos Constitutio iisdem notis insignita in hunc modum : *DD. NN. Honorio* XII *et Theodosii* VIII *AA cons.*

[e] Ad Colbertinum codicem, in quo collecta asservantur Arelatensis Ecclesiæ privilegia, et ex quo in Annalibus Baronii primum prodiit, necnon ad alia duo exemplaria, unum ejusdem bibliothecæ, alterum Regiæ a nobis recognita est.

[f] Ita Sirm. At mss. Arel. et Colb. cum Baron. *oppressus*, Reg. *oppressos*. Antea solus Colb. *huic rei*, et post cum Reg. *retinens rigorem censuramque*.

[g] In vulgatis, *Quidnam putaret unde istam*. Colb. ms., *Cuinam putant dn̄ istam*. Reg., *Cuinam putandi istam*. Quod corrupte positum, resarciendum putavimus.

[h] Apud Baron. ut in ms. Arel., *quia aut*. Mox *repente*, id est quod in superiori epistola n. 2, *saltu*, et in epistola 7 n. 2, *saltu subito*. Istic quidem Zosimus pœnam silet, quam in ordinatorem non secus atque in ordinatos in duabus prædictis epistolis decernit. Verum hanc Proculo minime ab eo remissam fuisse ex epistola sequenti palam fiet.

[i] Reg. ms., IV *nonas*.

[j] Epistolam hanc ex iis ipsis fontibus, ex quibus superiorem, accepimus.

[1] Invehitur in Proculum, qui licet exauctoratus, tamen pro episcopo, ut antea, se gerebat, et inquietorum quorumdam auxilio fretus Ecclesiam turbabat. Significat se ipsorum curam Patroclo Arelatensi demandasse, ut ejus, velut episcopi sui, consilio et nutibus obtemperarent. Cesseritne Patroclo tandem Proculus, exploratum non est. Sed de Zosimo subit iterum mirari, qui factum sit, ut Proculo infensior videatur, quem sanctum pontificem Hieronymus appellat epist. 4, faveat contra Patroclo, cujus ad episcopatum Arelatensem fœdus aditus, fœdior administratio memoratur. Pulso siquidem a civibus Herote, ut Prosper in Chronico scribit, viro sancto et insonte, in ejus locum ordinatus est anno Christi 312, quod amicus et familiaris esset Constantii magistri militum, cujus per ipsum gratia quærebatur,

talibus ordinationibus, obsiste superbiæ et arrogantiæ venienti. Tecum faciunt præcepta Patrum, tecum apostolicæ sedis auctoritas. Si enim [a] officia sæcularia principem locum, non vestibulum actionis ingressis, sed per plurimos gradus [b] examinato temporibus deferunt : quis ille tam arrogans, tam impudens invenitur, ut in cœlesti militia, quæ [c] pensius ponderanda est, et sicut aurum repetitis ignibus exploranda, statim dux esse desideret, cum tyro ante non fuerit, et prius velit docere, quam discere? Assuescat in Domini castris, in lectorum primitus gradu divini rudimenta [*Merl.* rudimentis] servitii : nec illi vile sit exorcistam, acolythum, subdiaconum, diaconum per ordinem fieri : nec hoc saltu, sed [d] statutis majorum ordinatione temporibus. Jam vero ad presbyterii fastigium talis accedat, ut et nomen ætas impleat, et meritum probitatis stipendia anteacta testentur. Jure inde summi pontificis locum sperare debebit.

3. Facit hoc nimia remissio consacerdotum nostrorum, qui pompam multitudinis quærunt, et putant ex hac turba aliquid sibi dignitatis acquiri. Hinc passim numerosa popularitas etiam his locis, ubi solitudo est, talium reperitur, dum parœcias ex- A tendi cupiunt, aud quibus aliud præstare non possunt, divinos ordines largiuntur. Quod oportet districti semper esse judicii. Rarum est [e] enim omne quod magnum est.

Cap. II. — 4. Proinde nos, ne quid meritis dilectionis tuæ deregaremus, ad te potissimum scripta direximus, quæ in omnium fratrum et coepiscoporum nostrorum facies ire notitiam, non tantum eorum qui in ea provincia sunt, sed etiam qui vicinis dilectioni tuæ provinciis adjunguntur. Sciet quisquis hoc postposita Patrum et apostolicæ sedis auctoritate neglexerit, a nobis districtius vindicandum; ut loci sui minime dubitet sibi non constare rationem, si hoc putat, post tot prohibitiones, impune [f] tentari. Contumeliæ enim studio fit, quidquid [g] interdictum toties usurpatur (*Nicolaus I, epist. al.* 40, *n.* 4). B

Cap. III. — 5. [h] Hæc autem (*Dist.* 77, *c.* 2 ; *Rabanus de instit. cleric. lib.* I, *c.* 13) singulis gradibus observanda sunt tempora. Si ab infantia ecclesiasticis ministeriis [i] nomen dederit, inter lectores usque ad vicesimum ætatis annum continuata observatione perduret. Si major jam et grandævus accesserit, [j] ita tamen, ut post baptismum statim, si divinæ

gio, *Tecum faciant præcepta Patrum, tecum sit :* minus concinne. Adsunt reipsa decreta Patrum Nicænorum can. 2 et Sardicensium can. 13 verbis fulta Apostoli, qui neophytum ordinari prohibet. Eadem firmant et Siricius epist. 1, n. 13; epist. 6, n. 5, et epist. 10, n. 15, necnon Innocentius epist. 37, n. 6.

[a] Regius codex, uno Colb. favente, *officiales viri per officia sæcularia principalem locum, non per vestibulum actionis ingressi :* corrupte. *Officia sæcularia* hic intelliguntur administri et judices sæculares.

[b] Edit. Rom. et concil. post Isid., *examinatis temporibus.* Duo mss., *examinato tempore.* Nitidior est lectio quam exhibemus ex cæteris mss.

[c] In vulgatis ut in ms. Pith. et apud Isid., *propensius.* Præferimus cum Dion. aliisque mss., *pensius.*

[d] Reg. ms., *statis.* Tum Quesn. *majorum ordine.* Ut in epistola 1 Siricii n. 13 et 14, et in Innocentii epistola 37 n. 6, ubi varii recensentur gradus, quibus ad sacerdotii apicem ascendatur, ita et hic, nulla ostiarii fit mentio. Et is quidem ordo, ut ex libro VIII Constit. Apostol. c. 15, ex concilio Laodiceno can. 22, et ex octava synodo act. 8 cap. 5, colligitur, Græcis incognitus fuit, sed ejus munere apud eos cum diaconi tum subdiaconi fungebantur. Apud Latinos tamen receptum fuisse fidem faciunt concilium Carthaginense IV, can. 9, et Augustinus edit. nov. Serm. 46, n. 31. Ejusdem rei locupletior testis est Cornelius, qui epist. 9, n. 3, Romano in clero *exorcistas et lectores cum ostiariis quadraginta duos* recenset. An ideo memoratis in locis omissus fuit, quia non ab unoquoque, ut eo fungeretur, necessario exigebatur? Siricius, epist. I n. 14, Zosimo nostro ipsi infra n. 5 suffragante, præcipit, ut qui grandævus baptizatur, *statim lectorum aut exorcistarum numero socielur,* quasi alterutrum e duobus illis gradibus suscepisse satis esset, quo ad altiorem quis promoveretur. Quocirca neque exorcistæ Innocentius epist. 37, n. 6, meminit. Eadem ratione cum ipse, tum alii, ostiarii gradum silentio potuerunt præterire. Immo idem Innocentius, ibid., subdiaconum, et concilium Sardicense, can. 13, plures alios gradus *tacent. Quod argumento est* in his locis quærendum

non esse ordinum omnium accuratum catalogum. Notatu dignum est, quod in antiquo Constituto Silvestri papæ nomine vulgato, et a nobis in Appendice tom. II edendo legitur. Quamvis enim c. 11, n. 16, ubi præscribitur quanto quisque tempore in singulis gradibus ministrare debeat, ut ad episcopatum pervenire possit, prætermittatur ostiarii gradus, in eodem C tamen Constituto cap. 3, n. 6, de Silvestro dicitur : *Postea autem fecit gradus in gremio synodi, ut non presbyter adversus episcopum, non diaconus adversus presbyterum, non subdiaconus adversus diaconum, non acolythus adversus subdiaconum, non exorcista adversus acolythum, non lector adversus exorcistam, non ostiarius adversus lectorem det accusationem.*

[e] Apud Quesn. ut in ms. Corb. omittitur *enim.*

[f] Vocabulum *impune* suppressit Quesn. qui exinde cum editis aliis, necnon Dion. et Isid. præfert *posse tentari,* licet in veteribus exemplis Codicis, quem vulgavit, aliisque potioribus mss. absit *posse.*

[g] In Regio codice hic adjicitur particula *post.*

[h] Quod ab hinc ad finem usque epistolæ hujus sequitur, apud nostrum Edmundum Martene tom. II de Antiquis Eccl. ritibus, tum pag. 350, ex Egberti Eboracensis archiepiscopi pontificali libro, quem ille ante annos 900 exaratum putat, tum pag. 380, D ex Caturcensi item pontificali, cum non paucis varietatibus exhibetur sub hoc titulo, *Incipit Sermo Innocentii papæ de septem gradibus Ecclesiæ ordinandis :* sed quid sunt duo illi libri, ut de auctoritate derogare valeant cæterorum, qui Zosimo totam epistolam summo consensu ascribunt?

[i] Prædicti pontificales libri Ebor. et Caturc., *nostra didicerit exempla, et inter lectores... perduraverit. Exinde si majori ætati accesserit.* In his corruptionem esse facile deprehendet, qui hunc locum cum altero contulerit epist. 1 Siricii n. 13 et 14, ex quo, ut infantes ecclesiæ ministeriis consecrati ab ipsa infantia lectorum munere initiarentur, usu receptum fuisse constat.

[j] Merl. et Quesn., *qui tamen post baptismum statim* (Quesn. *se*) *divinæ militiæ desiderat.* Editi cæteri, *ita tamen* (Crab. *quod,* alii *ut*) *post baptismum statim se divinæ militiæ desideret.* In omnibus autem mss. exstat, *ita tamen ut,* ac subinde *desiderat.* Unde ut

militiæ desiderat mancipari, sive inter lectores, sive inter exorcistas quinquennio teneatur : exinde acolythus vel subdiaconus quatuor annis; et sic ad benedictionem diaconatus, si meretur, accedat; in quo ordine quinque annis, [a] si inculpate se gesserit, hærere debebit. Exinde suffragantibus stipendiis, per tot gradus datis propriæ fidei documentis, presbyterii sacerdotium poterit promereri. De quo loco, si eo illum [b] exactior ad bonos mores vita produxerit, summum pontificatum sperare debebit. Hac tamen lege servata, ut neque digamus, [c] neque pœnitens, ad hos gradus possit admitti. Sane, ut etiam defensores ecclesiæ, qui ex laicis fiunt, supra dicta observatione teneantur, si meruerint esse in ordine clericatus. Data [d] IX kalendas Martias (*Anno* 418, *Februar.* 21) DD. NN. Honorio XII et Theodosio VIII augustis consulibus.

EPISTOLA X [e].

Adversus Proculi ausus et illicitas ordinationes.

ZOSIMUS PATROCLO episcopo Arelatensi.

Cum et in præsenti cognoveris, et frequentibus a nobis litteris ipse sis monitus, ut auctoritate metropolitani, quam tibi apostolicæ sedis pronuntiatione firmavimus, Proculi ausibus conatibusque illis, quibus adhuc se putat aliqua posse turbare, hujus rei [f] oppressu occurreres, renitens rigore censuraque, quam pro regularum confirmatione susceperas, quippe cum et tibi nostrum delegatum nosses officium, et illum scires esse damnatum : miror quid post ista Proculo liceat, aut vacet illa, quæ consueverat, aut pejora committere. [g] Cur non putat unde istam habeas potestatem tuam, frater charissime, ut censuerimus, censeamusque, quicumque ex illis ad nostras regiones veniunt, sine tua non suscipiendos esse formata, nec probandum quem non in provincia positus ipse probaveris? Post istam esse delegationem ad nos rumor advenit, Proculum quasi consuetis ludere et uti moribus suis, junxisse sibi quosdam idoneos turbationibus homines, et post illa quæ illi interdiximus ordinasse. Sed sciant quibus hanc epistolam volumus in notitiam pervenire, suscipi se nullatenus posse, [h] qui aut contra regulas repente, aut postquam illi interdiximus, sunt ordinati. Data [i] III nonas Martias (*Ann.* 418, *Martii* 5), Honorio XII et Theodosio VIII augustis consulibus.

EPISTOLA XI [j].

Patroclo commissum esse, ut Proculi loco alium episcopum accipiant.

ZOSIMUS [1] clero, ordini, et plebi consistenti Massiliæ.

Non miror Proculum in consueta adhuc fronte duluisse operæ pretium duxi, quo advertat quisque qui sanctorum scripta depravari, sicque fœdata nihilo minus cum auctoritate aliqua legi interdum contingat.

et ex epistola 1 Siricii n. 4 hic cum pervetusto codice Corbeiensi et Langobardico Colbertino *si militiæ* præferendum, nec *se militiæ* retinendum esse liquet. Eo pacto Zosimus una cum Siricio eis ad clerum videtur aditum negare, qui non statim a baptismo sese Ecclesiæ servitio manciparint. Verebantur nimirum, ne illi contra munditiem, quæ clericos decet, in negotiis sæculi quidquam admisissent. Quocirca laudanda modestia eorum, qui gravis alicujus criminis aliquando a se commissi conscii, a tam sancto statu ipsi se subducunt, eoque se indignos arbitrantur.

[a] In ms. Corb., *ista se gesserit*. In duobus Colb., *si inculpate gesserit*, sine *se*. In Eborac. et Caturc., *si inculpabiliter vixerit*. Tum apud Quesn. ut in codicibus coll. Hadr., *adhærere*, ubi rectius in aliis libris, *hærere*.

[b] Apud Rabanum, *auctior :* atque ita forte in mss. Ebor. et Caturc. legendum, non ut vulgatum est, *acutior*. Sed cum aliis libris retinendum *exactior*.

[c] Merl. et Quesn. cum Isid., *neque viduæ maritus, neque pœnitens*. Editiones aliæ post Rom. ordine inverso, *neque pœnitens, neque viduæ maritus*. Verba, *neque viduæ maritus*, absunt a Crab. et collectionibus Dion., Hadr., Hispana, Langob. necnon a mss. Regio, Corb., Fossat., tribus Colb., etc. At in mss. Ebor. et Caturc. quod superest ex hac epistola, ita interpolatum ac mutatum effertur : *Neque bigamus, neque revertens, neque pœnitens a maximis criminibus ad hos gradus possit admitti. Alioquin defensores ecclesiæ, qui ex laicis fiunt unius uxoris viri, si in supradicta observatione teneantur, et si vita et moribus et scientia Scripturarum meruerint, in ordine clericatus admittere debent.* Quædam alia codicum illorum menda annotare piguit : sed hæc prorsus non si-

[d] Editi cum ms. Pith. VIII *kal. Martias Honorio*. Ex aliis mss. restituimus IX et revocamus *DD. NN.* hoc est *dominis nostris*, non ut in ms. Fossat. expressum est, *domino nostro*. Longe pejus in Corbeiensi quatuor illis litteris substituta est vox *Nonas*. Apud Baronium ad annum 418 exstat Honorii imp. adversus Pelagianos Constitutio iisdem notis insignita in hunc modum : *DD. NN. Honorio* XII *et Theodosii* VIII *AA cons.*

[e] Ad Colbertinum codicem, in quo collecta asservantur Arelatensis Ecclesiæ privilegia, et ex quo in Annalibus Baronii primum prodiit, necnon ad alia duo exemplaria, unum ejusdem bibliothecæ, alterum Regiæ a nobis recognita est.

[f] Ita Sirm. At mss. Arel. et Colb. cum Baron. *oppressus*, Reg. *oppressos*. Antea solus Colb. *huic rei*, et post cum Reg. *retinens rigorem censuramque*.

[g] In vulgatis, *Quidnam putaret unde istam*. Colb. ms., *Cuinam putant dn̄ istam*. Reg., *Cuinam putandi istam*. Quod corrupte positum, resarciendum putavimus.

[h] Apud Baron. ut in ms. Arel., *quia aut*. Mox *repente*, id est quod in superiori epistola n. 2, *saltu*, et in epistola 7 n. 2, *saltu subito*. Istic quidem Zosimus pœnam silet, quam in ordinatorem non secus atque in ordinatos in duabus prædictis epistolis decernit. Verum hanc Proculo minime ab eo remissam fuisse ex epistola sequenti palam fiet.

[i] Reg. ms., IV *nonas*.

[j] Epistolam hanc ex iis ipsis fontibus, ex quibus superiorem, accepimus.

[1] Invehitur in Proculum, qui licet exauctoratus, tamen pro episcopo, ut antea, se gerebat, et inquietorum quorumdam auxilio fretus Ecclesiam turbabat. Significat se ipsorum curam Patroclo Arelatensi demandasse, ut ejus, velut episcopi sui, consilio et nutibus obtemperarent. Cesseritne Patroclo tandem Proculus, exploratum non est. Sed de Zosimo subit iterum mirari, qui factum sit, ut Proculo infensior videatur, quem sanctum pontificem Hieronymus appellat epist. 4, faveat contra Patroclo, cujus ad episcopatum Arelatensem fœdus aditus, fœdior administratio memoratur. Pulso siquidem a civibus Herote, ut Prosper in Chronico scribit, viro sancto et insonte, in ejus locum ordinatus est anno Christi 312, quod amicus et familiaris esset Constantii magistri militum, cujus per ipsum gratia quærebatur.

rare, et [a] oblitum penitus pudoris quotidie digna damnatione committere, nec aliquando desistere, ut toties commonitus prohibitusque non cesset. Ecce cœtum vestræ dilectionis sua, qua sola notus est, turbatione confundit: nec Ecclesiam patitur esse concordem, cum suis id agat semper officiis, quatenus aggerens postrema prioribus, malum aliquod, quod ante commiserat, in pejus emendet. Cum ipse jam non sit [b] episcopus, episcopos facit, et humanus largitor aliis se dicit posse præstare, quod datum sibi aliquando immerito tenere non potuit. Addens sibi jungitque inquietæ mentis homines, et qui soli possunt favere damnato, per quos quæcumque turbarum studiosus cogitat, hac sua fidens societate conficiat. Sed habeo, fratres charissimi, vestri curam, moleste ferens quidquid ille quotidianis ausibus facit, id vos, Christianum populum, et qui in nostra charitate persistat, posse perferre, nec ejus obviare factis, aut repugnare conatibus. Idcirco curam vestri licet et prioribus commiserim litteris [c] vestræ metropolitano provinciæ fratri et coepiscopo nostro Patroclo, tamen iterum committo: ut ipsius tuti consilio et pro disciplinarum ratione formati, ejus obtemperantes nutibus, dignum possitis accipere sacerdotem. Data III nonas Martias (*Ann.* 418, *Febr.* 5), Honorio XII et Theodosio VIII augustis consulibus.

EPISTOLA XII [d].

Zosimus auctoritate sedis suæ pluribus explicata, certiores Afros facit, se non omnem, ut ipsis visum est, Cœlestii verbis fidem commodasse, aut ea immutasse quæ de illo a decessore suo statuta sunt.

Zosimus Aurelio ac cæteris, qui in concilio Carthaginensi adfuerunt, dilectissimis fratribus in Domino salutem.

1. Quamvis Patrum traditio apostolicæ sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet, idque per canones semper regulasque [*Supple*, eadem sedes] servaverit, et currens adhuc suis legibus ecclesiastica disciplina Petri nomini, a quo ipsa quoque descendit, reverentiam quam debet exsolvat: tantam enim huic Apostolo canonica antiquitas [e] per sententias omnium voluit esse potentiam, ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione, ut et ligata solveret, et soluta vinciret (*Matth.* XVI, 19); par potestatis data conditio in eos, qui sedis hæreditatem, ipso annuente, meruissent: habet enim [f] ipse, cum omnium Ecclesiarum, tum hujus maxime ubi sederat, curam; nec patitur aliquid privilegii aut aliqua titubare aura sententiæ, cui [g] ipsa sui nominis firma et nullis hebetata motibus constituit fundamenta, et quæ sine suo periculo temere nullus incessat: cum ergo tantæ auctoritatis Petrus caput sit, et sequentia omnium majorum [h] studia firmaverit, ut tam humanis quam divinis legibus et disciplinis omnibus firmetur Romana Ecclesia, cujus locum nos regere, [i] ipsius quoque potestatem nominis obtinere non latet vos, sed nostis, fratres charissimi, et, quemadmodum sacerdotes, scire debetis: tamen cum tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia; nihil egimus, quod non ad vestram notitiam nostris ultro litteris referremus; dantes hæc fraternitati, ut in

[a] Mss., *oblito penitus pudore*. Quantam sibi com parasset Proculus sanctitatis famam, Hieronymus sub finem epistolæ 4 ad Rusticum prodit his verbis: *Habes istic sanctum doctissimumque pontificem Proculum, qui viva et præsenti voce nostras schedulas superet, quotidianisque tractatibus iter tuum dirigat, nec patiatur te, in partem alteram declinando, viam relinquere regiam.* Sed quod sibi, etiam prohibitus, arrogare non destitit, quis excuset? Quamvis enim Taurinense concilium can. 1, uti superius est observatum, ei concesserit, ut episcopis, quos a se ordinatos dixerat, *tamquam pater filiis honore primatus assisteret*, illi tamen ut ordinationes novas faceret non permisit. Adeo difficile est intra æquos legitimæ potestatis limites se continere, aut eo absistere quod semel usurpatum longa consuetudo roborasse videatur.

[b] Quippe qui damnatus erat, ut in epistola 7 habetur.

[c] Litteræ illæ non exstant, quibus illud munus Patroclo in ecclesia Massiliensi delegatum erat, quod Gregorius Visitatoribus post amotum aut defunctum episcopum frequens committit.

[d] A Baronio e Vaticano codice eruta, atque Annalium tom. III, ad annum 418, primum vulgata est, et a nobis ad alterum Vatic. exacta.

[e] Garner. de suo substituit *super sententias*; ac mox, *Et ipsa quoque Christi Dei nostri promissio*. Hic *Eaque res*, inquit, *inter episcopos regionis illius magnarum discordiarum materia fuit*. De venditis autem ab eo sacerdotiis, in altero Prosperi Chronico Pithœano: *Patroclus Arelatensis episcopus infami mercatu sacerdotia venditare ausus*. Verisimile est prorsus, in hac tota Patrocli cum Proculo Massiliensi, Hilario Narbonensi, Simplicio Viennensi, et cum aliis, controversia, et in amplificandis honoribus Ecclesiæ Arelatensis, plurimum momenti apud Zosimum habuisse, ut de Patrocli artibus nihil dicam, Constantii magistri militum, mox Cæsaris, qui Patroclo et Arelatensibus favebat, auctoritatem et gratiam. De funesta vero Patrocli ejusdem cæde, Prosper idem agit in Chronico vulgari ad annum Christi CCCCXXVI.

per sententias omnium, pro *summo consensu omnium* commode intelligitur dictum. Is certe Zosimi scopus est, ut quæ sedi suæ *canonica antiquitas* tribuerit, vindicet.

[f] Garn. omisso *ipse*, subdit infra *sedit* pro *sederat*, et mox ante vocem *privilegii* addit *amittere*. Ibidem in altero ms. Vatic. adjicitur *sustinere*. Perspecta erit sententiæ hujus integritas, si construatur in hunc modum: *nec patitur aliqua aura titubare aliquid privilegii aut sententiæ*.

[g] Idem Garn., *cui vi ipsa sui nominis firma et nullis hactenus acta motibus*. Romanæ sedi fundamenta sunt Petri nomine insignita, quatenus ab hoc apostolo *apostolica sedes* nuncupatur: eoque firmior videri debet sedis hujus sententia, quod Petri sententia censeatur. Hoc itaque sibi vult Zosimus: Petrus est firma illa petra, cui velut fundamento Romana sedes innititur, quamque nec diris inferni motibus superandam esse Christus promisit.

[h] Alter ms. Vatic., *statuta*. Deinde legendum videtur, *et id... firmaverint*. Pro *firmaverit*, substituit Garn. *servaverint*.

[i] Editi, *et potestatem*. Majorem habet emphasim lectio, quam ex ms. Vatic. revocamus. Zosimus habere se dicit potestatem nominis Petri, quia, ut supra observavimus, ipsius sedes *apostolica*, hoc est Petri *sedes* appellatur.

commune consulentes, non quia quid deberet fieri nesciremus, aut faceremus aliquid, quod contra utilitatem Ecclesiæ veniens displiceret; sed pariter vobiscum voluimus habere tractatum de illo (*Scil. Cœlestio*) qui apud vos, sicut ipsi per litteras dicitis, fuerat accusatus; et ad nostram, qui se assereret innocentem, non refugiens judicium ex appellatione pristina [a], venerit sedem; accusatores suos ultro deposcens, et quæ in se crimina per rumorem falso dicebat illata condemnans. Omnem ejus petitionem prioribus [b] litteris, quas vobis misimus, putavimus ac novimus explicatam; satisque illis scriptis, quæ ad [c] illa rescripseratis, [d] credidimus esse responsum.

2. Sed post missæ per Marcellinum subdiaconum vestrum epistolæ omne volumen volvimus: quo aliquando perlecto, ita totum litterarum comprehendistis textum, quasi nos Cœlestio commodaverimus in omnibus fidem, verbisque ejus non discussis, ad omnem, ut ita dicam, syllabam præbuerimus assensum. Numquam temere quæ sunt diu tractanda [e] sinuntur; nec sine magna deliberatione statuendum est, quod summo debet disceptari judicio. Idcirco noverit vestra fraternitas, nihil nos post illas quas [f] superius vel litteras vestras accepimus immutasse, sed in eodem cuncta reliquisse statu, in quo dudum (*Scil.* sub Innocentio) fuerant, cum hoc nostris litteris vestræ indicavimus sanctitati, ut illa quæ a vobis ad nos missa erat, obtestatio [g] servaretur. Subscripsi. Bene valete. Data XII kalend. April. (*Ann.* 418, *Martii* 21), Honorio augusto XII consule. Accepta tertio kalendas Maias (*April.* 29).

EPISTOLA XIII.

SEU HONORII CONSTITUTIO AD AGRICOLAM PRÆFECTUM.

Ut septem provinciarum concilium singulis annis Arelate habeatur.

(Cum ad doctrinam Pelagianam spectet hæc epistola, cum melius est collocari inter monumenta ad hæresim pertinentia, quæ summe in uno ex inferioribus hujus sæculi tomis colligemus.)

EPISTOLA XIV.

SEU [h] COMMONITORIUM ZOSIMI PAPÆ PRESBYTERIS ET DIACONIBUS SUIS RAVENNÆ CONSTITUTIS.

[a] Quam tamen quinquennio et amplius præter leges neglexerat.

[b] Scilicet superiore epistola 2, cui et libellum sibi a Cœlestio oblatum Zosimus annecti curaverat.

[c] Legendum videtur *quæ de illo*: atque hic notari existimamus quæ Afri anno 416 ad Innocentium de Cœlestio rescripserant. Substituit autem Garnerius *quæ ad illas*. Is nempe, ex quo Afri superiorem Zosimi epistolam 2 acceperunt, et antequam plenarium isto anno 418 kal. Maiis concilium inchoarent, duplex ab iis concilium Carthagine celebratum esse pro certo ponit, unum ex quo obtestationem cum instrumentis de causa Cœlestii miserint, et alterum, ad cujus synodicam nunc Zosimus respondeat. Sed cum historica veritate opinio illius ægerrime componatur. Nam statim, ut priores Zosimi epistolæ 2 et 3 per Basiliscum diaconum anno 417 mense Octobri exeunte Afris redditæ sunt, hi litteris illis e Carthaginensi synodo rescribentes, scripta sua eidem Marcellino subdiacono tradiderunt, qui simul et Paulini libellum Novembris 8 die consignatum Romam perferendum suscepit. Atqui synodicis scriptis sibi per Marcellinum redditis Zosimus nunc respondet. Frustra igitur aliæ Afrorum ad Zosimum epistolæ excogitantur ante plenarium Africæ consilium missæ.

[d] In vulgatis, *credimus*, ubi *credidimus* restituendum esse, jam persuasum nobis erat, cum reipsa in Vatic. ms. *credidimus* haberi comperimus. Eo pacto, si antea legerimus *quæ de illo rescripseratis*, subaudierimusque deinde *ad Innocentium*; integra fiet ac perspicua Zosimi sententia. Afri enim ad Innocentium epist. 27 originale peccatum et gratiæ auxilium a Pelagio atque Cœlestio negari scripserant, addiderantque se eos in Ecclesia sanari malle, quam ab Ecclesia resecari. His eorum scriptis, in eo nominatim quod ad Cœlestium attinet, satis esse responsum hactenus credidisse se Zosimus significat, quippe qui certiores eos fecerit, illum Innocentii litteris, in quibus et gratiæ adjutorium et peccatum originis asseruntur, consensisse. Huc spectat quod Augustinus lib. II ad Bonifacium cap. 3, allatis Apostoli verbis, *Si quid aliter sapitis, id quoque Deus vobis revelabit*, subdit: *Hoc in illo* (Cœlestio) *factum putabatur* (a Zosimo) *quando se litteris beatæ memoriæ papæ Innocentii, quibus de hac re* (scil. de peccato originis) *dubitatio tota sublata est, consentire respondit.*

[e] Garnerius et hic, loco verbi *sinuntur*, de suo ponens *finiuntur*, sententiam induxit a veritate atque a Zosimi mente alienam. Perinde intelligendus est hic locus, ac si verbum *tractanda* repeteretur in hunc modum: *Quæ sunt diu tractanda, numquam temere tractanda sinuntur.* Ita probat Zosimus nihil a se temere factum, cum dilationem huic negotio permisit, nec finem ei imponere festinavit.

[f] Rursum Garnerius ex præjudicata opinione de duplici Carthaginensi concilio, a quo iteratæ ad Zosimum litteræ missæ sint, quod hic deest ita supplevit: *quas vel superius vel nunc*. Sed Zosimum alias ab iis, ad quas nunc rescribit, Afrorum litteras accepisse nullo monimento habemus. Nullum certe aut apud Augustinum aut apud Marium Mercatorem deprehenditur hujus rei vestigium. Superiores vero Zosimi litteræ id unum nos docent, ab ipso, antequam ullas ab Afris litteras accepisset, Cœlestii atque Pelagii causam fuisse cognitam, cognitionis hujus gesta per Basiliscum in Africam fuisse transmissa, hunc subdiaconum II Novembris die, statim, uti probabile omnino est, ab adventu suo, Paulinum Cœlestii accusatorem convenisse, ac sexto post die a Paulino per Marcellinum Romam missum esse libellum seu superiorem epistolam 8, tum vero primum Afros ad Zosimum scripsisse, atque eidem Marcellino subdiacono eas tradidisse litteras, quibus Zosimus modo respondet. Huic gestorum ordini consentaneum magis foret, *post illas quas scripsimus, vel litteras vestras quas accepimus.* Docet autem Zosimus res in eo statu, in quo erant antequam Cœlestii et Pelagii causa a se cognosceretur, remanere; adeoque illis communionem ecclesiasticam, qua privati fuerant, necdum redditam esse.

[g] Ita ms. Vatic. At alii libri, *remaneret*. Porro *obtestationis* nomine id, quod Innocentium rogarant, intelligere licet. Nam istud *ad nos* perinde atque *ad nostram sedem* interpretari nihil repugnat.

[h] In edit. Rom. notatur hæc epistola ut *ex Cresconio* descripta. Illam tamen in hujus scriptoris Breviario canonico ne citatam quidem invenimus. Neque eam etiam genuinum Dionysianæ collectionis exemplum Regium aut in generali titulorum Indice memorat, aut in ipso operis corpore exhibet. In ea autem collectione exstat, quam Carolo Magno Hadrianus I dedit, necnon in veteribus exemplis tum

De presbyteris quibusdam rebellibus, et iis qui se eorum societati adjunxerant.

Ex [a] relatione fratris nostri [b] Archidami presbyteri, qualiter suscepti sitis vel quid egeritis, cognovimus, vel qualiter illi suscepti sunt, qui contra canones adversum nos ad Comitatum, nescio qua audentes temeritate, ire voluerunt. Ad quos hæc, quæ nunc misimus, olim scripta feceramus, eorum quas injuriose miserant respondentes epistolis (*Sardicen. conc. c.* 8, 9, 10). Sed quoniam non potuerunt [c] rei in sua, hoc est, in nostra ecclesia Romana, cum nostris compresbyteris commorari, has ad vos illis tradendas litteras destinavimus, in quibus decreto nostro sanximus, memoratos perturbatores omnium ab apostolicæ nostræ sedis communione alienos fuisse, atque nostra subscriptione prolatam sententiam suscepisse. [d] Illos etiam, qui effrenato huic facto consilioque assensum commodare voluerunt, vestræ charitatis est æstimare qualiter habeantur. Quibus hoc objicere vos debetis, [e] quod juxta canonum præcepta fortiter incurrere, et qualiter presbyteros non decebat, rebelles [f] exstitere. Vos autem monemus in speculis esse debere, [g] ne quo eorum prorumpat audacia, quos anathematizatos [h] scit sancta et apostolica Ecclesia. De his vero, qui eorum se societati junxerunt, quid agere debeamus, cum reversi fueritis, consilio meliori tractabimus. (*Et alia manu:*) Data quinto nonas Octobris (*Octob.* 3, *ann.* 418), Honorio XII et Theodosio VIII augustis consulibus.

EPISTOLA XV.

SEU [i] COMMONITORIUM ZOSIMI PAPÆ AD LEGATOS SUOS.

I. *De appellationibus episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ sacerdotem.* — II. *De tractandis presbyterorum et diaconorum causis apud finitimos episcopos, si a suis excommunicati fuerint.*

Codicis a Quesnello vulgati, tum collectionis Hispanæ et Isidori, et quibusdam aliis mss. Male in exemplaribus coll. Hadr. inscribitur *epistola ad presbyteros Ravennæ*, et in titulorum Indice *de presbyteris Ravennatium* seu *Ravennantium.* Nec melius in coll. Hispan. et Isid. exindeque apud Merl. *ad clerum Ravennensem,* aut apud Crab. et in seqq. edit. concil. *ad clerum et ad presbyteros Ravennatium* prænotatur. Verior est hæc inscriptio, *presbyteris et diaconibus suis Ravennæ constitutis,* quam codicis a Quesn. vulgati exempla suppeditant. Inde omiserat mox memoratus Quesn. vocem *suis*, qua tituli ambiguitas solvitur. Neque vero commonitorium illud ad Ravennenses, sed ad Romanos presbyteros ac diaconos, quos Zosimus ad imperatoris Comitatum miserat, neque Ravennensium, sed Romanorum quorumdam rebellium clericorum causa missum est. Ad imitationem Zosimi saltem nonnulli e successoribus ejus operam dederunt, ut Ravennæ haberent aliquos, qui Ecclesiæ negotia curarent. Quocirca Gregorius lib. III, epist. olim 54, scribit, de mota quadam controversia inquisisse se et consuluisse *filios nostros Petrum diaconum atque Gaudiosum primicerium, necnon Michaelium defensorem sedis nostræ, qui pro diversis responsis Ravennam a nostris decessoribus sunt transmissi.*

[a] Apud Merl. ut in mss. coll. Hisp. et Isid. his præmittitur ista salutatio : *Zosimus episcopus urbis Romæ commonitorium presbyteris et diaconibus qui Ravennæ sunt*, nisi quod a prædictis mss. abest *commonitorium.* Cæteræ edit. concil. et Rom. cum. mss. coll. Hadr., *Zosimus* (in plerisque edit., *episcopus*) *commonitorium presbyteris*, etc. Si qua præligenda esset salutatio, hanc anteponeremus quam mss. Reg. et Colb. præ se ferunt, *Zosimus compresbyteris et diaconibus qui Ravennæ sunt.* Exempla cod. Quesn. in quibus nulla est, sequimur. Et quidem ab hujusmodi commonitoriis seu documentis, quibus quæ facienda sint legatis præscribuntur, ut in Hormisdæ scriptis visuri sumus, abesse solet.

[b] Apud Quesn., ut in uno ms. Colb., *Archiami :* refragantibus aliis libris. Archidamus iste non alius videtur ab eo, quem Innocentius epist. 14, Aurelio commendat.

[c] In mss. coll. Hadr., *non potuerunt compresbyteris commorari,* et in eorum uno *commemorari*, omissis intermediis. Baronius hos ideo reos dici putat, quia Pelagio faverent. At post edictum Honorii hoc ipso anno Aprilis ultimo die Ravennæ datum, quo Cœlestius et Pelagius ab Urbe jubentur expelli, eorumque fautores ad judicem deferendi quibusvis potestas datur, non intelligitur quo pacto Pelagii asseclis ad eumdem Imperatorem patuerit aditus, ut Zosimum accusarent. Rursum alia ratione, quam in notis sequenti ac subsequenti subjiciemus, eruditi viri conjectura refelletur.

[d] Solus Quesn., *Illi etiam*, haud dubie ut orationem ad grammaticæ leges accommodaret. Idem deinde, *qui effrenato horum facto concilioque*. In mss. coll. Hadr., *qui effrenato hujus consilio quæ*, nisi quod in Coislin. secundis curis exstat, *consilio cui.* Unus Colb., *effrenato hujus facto concilioque.* Satis placet quod in altero Colb., *effrenato hujus facti consilio*, sine conjunctione *que.* Hanc retinet Regius, qui etiam *effrenato hujus facti consilio* exhibet. Vulgata lectio, quam in hac varietate servandam duximus, est mss. coll. Hispan. et Isid. Si autem de Pelagii fautoribus hic sermo esset, non quod effrenato facinori, sed quod perversæ fidei assensum commodare voluerint, arguendi forent.

[e] In uno e mss. Harlæis, *debetis eos juxta;* atque huic præpositioni superscriptum est *vel contra.* Unde et Crab. e regione particulæ *juxta*, ad marg. annotavit *contra.*

[f] In vulgatis, *exsistere tentaverunt.* Abest *tentaverunt* a mss. coll. Hadr. Unde patuit et hic *exstitere* legendum , et supra *incurrere* idem esse quod *incurrerunt*, quomodo apud Merlinum habetur. Deinde edit. Rom. et concil. *Vos tamen monemus.* Nota et hic rebellionem, non temeratam fidem reis objectari.

[g] Merl., *neque.* Aliæ editiones concil. cum Rom. et pluribus mss., *ne qua.* Præferimus cum uno codice Colb. *ne quo,* quasi *ne aliquo,* faventibus aliis mss. Nam et istud *quo* retinent corruptæ illæ lectiones, quæ habentur in altero Colb. , *de quorum prorupta audacia* , etc.; in Regio, *de quo eorum prorupta audacia;* et in Pithœano *ne quorum prærupta audacia quos anathematizatos sciscitet apostolicæ Ecclesiæ.* Ex hac autem postrema lectione Quesnellus istam composuit, quæ videtur a Zosimi mente aliena : *ne aliquorum prærupta audacia, quos anathematizatos esse constat suscitet scandalum apostolicæ Ecclesiæ. De his vero.* Sane Zosimi non vaga de aliquibus, sed certa et fixa de iis, quos anathemate damnarat, hæc est admonitio.

[h] In duobus mss. Colb. et Regio, *scit apostolica.* In Pith. ut mox notatum, *sciscitet apostolicæ Ecclesiæ.* Restituendum videtur, *scitis ab apostolica ecclesia.*

[i] E gestis concilii, Carthagine anno 419, sub Maii exitum habiti, descriptum est hoc Commonitorium, seu potius Commonitorii fragmentum, cujusmodi ex-

Fratri FAUSTINO [a] et filiis PHILIPPO et ASELLO presbyteris ZOSIMUS episcopus.

1. Vobis commissa negotia non latent. Vos ita ut nostra, immo quia nostra ibi in vobis præsentia est, cuncta peragite; maxime cum et hoc nostrum possitis habere mandatum, et verba canonum, quæ in pleniorem firmitatem huic Commonitorio inseruimus. Ita enim dixerunt, dilectissimi fratres, in concilio [b] Nicæno, cum de episcoporum appellatione decernerent: « Placuit autem, ut si episcopus accusatus fuerit, et judicaverint congregati episcopi regionis ipsius, et de gradu suo dejecerint eum, et appellasse videatur, et confugerit ad beatissimum ecclesiæ Romanæ episcopum, et voluerit audiri, et justum putaverit ut renovetur examen; scribere his episcopis dignetur, qui in finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, et juxta fidem veritatis definiant. Quod si is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit episcopum Romanum, ut e latere suo presbyterum mittat, erit in potestate episcopi Romani quid velit et quid existimet. Et si decreverit mittendos esse qui præsentes cum episcopis judicent, habentes auctoritatem ejus a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit sufficere episcopos, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo judicaverit. » [c] (*Sardic. concil. c.* 7).

2. De appellationibus autem clericorum [d], id est minoris loci, quid acturi sitis, est ipsius synodi certa responsio. De qua re quid acturi sitis, credidimus inserendum: quod taliter dictum est. Hosius episcopus dixit: « Quid me adhuc movet, reticere non debeo. Si episcopus quis forte iracundus, quod esse non debet, cito aut aspere commoveatur adversus presbyterum sive diaconum suum, et exterminare eum de ecclesia voluerit, providendum est ne innocens damnetur aut perdat communionem. Habeat potestatem ejectus, ut finitimos interpellet, causa ejus audiatur et diligentius tractetur; quia non oportet negare ei audientiam petenti: et ille episcopus, qui juste aut injuste eum rejecit, patienter accipiat, ut negotium discutiatur, ut aut probetur ejus aut emendetur sententia, etc. » (*Sardic. concil. c.* 17).

3. (*His adjectum erat quartum caput*), de Urbano episcopo excommunicando, vel etiam Romæ vocando, nisi ea, quæ videbantur corrigenda, corrigeret (*Bonifac. I, epist.* I, *n.* 2).

EPISTOLA [e] XVI.

De spretis judiciorum regulis, adeo ut sacerdotes præsentibus laicis judicentur, et accusato imponatur necessitas adversarium suum quærendi et ad judicium deducendi.

stat Cod. can. Eccl. Afr., c. 1. Ejusdem præcipua capita Afri in epistola 1, ad Bonifacium, n. 3, summatim perstringunt. Illud *anno priore*, hoc est 418, scriptum esse, atque in gestis concilii Africani, in quo recitatum est, alligatum fuisse docent. De hoc autem concilio sic mense Maio anni 419 loquuntur, ut *nuper* celebrato. Unde colligere est, Commonitorium in eo recitatum ad annum 418 jam labentem pertinere.

[a] Potentinæ in Piceno ecclesiæ, quæ modo diruta est, episcopo.

[b] Hoc est Sardicensi, cujus canones etiamnum in veteribus codicibus Morbacensi, Fossatensi et Colbertino, Nicæni concilii titulo insignitos, seu Nicænis sub continuata numerorum serie proxime subjectos legimus. Porro hanc confusionem antiquam esse iste Zosimi locus argumento est. Innocentius tamen Zosimi decessor Sardicensia gesta minime pro Nicænis habuit, ut in ejusdem epistolam 7 observavimus. Verum inter tot ac tantos præsules, qui in Africa tum florebant, nullum exstitisse qui Sardicenses canones nosset, eo magis est mirum, quod Gratus Carthaginensis episcopus Sardicensi interfuerit synodo, ejusque auctoritatem in concilio Carthaginensi I, can. 5, commendarit. Jam ab anno 398 Augustinus epist. olim 163, nunc 44, n. 6, de Sardicensi concilio nihildum audisse se prodiderat. At in toto hoc negotio non minus Zosimum, quam Afros, bona fide egisse palam est. Satis illi erat Afris, qui in Carthaginensi II concilio, can. 10, profitentur, atque Cod. can. Eccl. Afr., c. 13, repetunt, *A nobis veterum statuta debere servari*, Sardicensis synodi proponere auctoritatem. Neque ipsi metuendum erat, ne decreta respuerent, quæ primatem suum præsentia sua comprobasse didicissent. Tantum ea de causa deerat s illis, quæ Zosimus Nicæna appellarat, concedere se non posse epist. 2, ad Cœlestinum, n. 4, scribunt, quia id, inquiunt, *in nulla invenimus patrum synodo scriptum*. Si igitur hoc tam gravi in synodo constitutum reperissent, eos statim Zosimi voluntati obsecuturos fuisse quis dubitet? Ex hujus controversiæ occasione illos operam dedisse observant eruditi, ut canones in ecclesia sua recepti in unum codicem, quem etiamnum habemus, colligerentur, quo nimirum nihil ab ipsis deinceps exigeretur, quod ecclesiæ suæ regulis ac disciplinæ consentaneum non foret.

[c] Hic, ut ex epistola 1 ad Bonifacium n. 2 discimus, sequebatur alterum caput, *Ne ad Comitatum episcopi navigent;* idque pariter Sardicensis synodi canone 8, fulcire Zosimus potuit, sicut et Innocentii litteris ea de re scriptis, quas concilium Carthaginense Cod. can. Eccl. Af., c. 94, confirmasse dicitur.

[d] Nomine clericorum *minoris loci* presbyteros ac diaconos a Zosimo intelligi liquet tum ex subnexo Sardicensi canone, tum ex Afrorum epistola 1, ad Bonifacium, n. 3, ubi hoc tertium Commonitorii hujus caput sic summatim exhibent: *Tertium de tractandis presbyterorum et diaconorum causis apud finitimos episcopos, si a suis excommunicati perperam fuerint.* His consentaneum est quod Afri anno 416 in Milevitano II concilio, can. 22, decreverunt, quodque Codici can. Eccl. Afr., c. 28, insertum est his verbis: *Placuit ut presbyteri, diaconi vel cæteri inferiores clerici in causis, quas habuerint, si de judiciis episcoporum suorum questi fuerint, vicini episcopi eos cum consensu sui episcopi audiant, et inter eos definiant ab eis adhibiti episcopi.* Sed in eodem canone subjecerunt: *Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam ad communionem admittatur.* Quod Romana sedes non probavit.

[e] Binius epistolam hanc ex antiquo Weingartensis monasterii codice eruit. Eam ipse ac post illum Labbeus a cæteris valde discrepantem, adeoque suspectæ fidei, judicarunt. Vereor tamen, ut hanc discrepantiæ speciem non auctoris, sed librarii imperiti stylus induxerit. In Zosimi ætatem convenit consularis ejus nota. Nec inficiandum est vim illam, qua Zosimus id quod non probat acriter reprehendere solet, ab ejus capite ad calcem apparere.

ZOSIMUS episcopis per [a] Byzacium constitutis dilectissimis fratribus in Domino salutem.

1. Miror vos nullam reverentiam nostri nominis præstare fastigio, nec honorem episcopatui talem deferre, qualis debet ab iis [*Forte*, debet iis] servari, quorum hic honor est. Judicaturi laici de episcopis [b] sedent, et hoc vestrum dicitis esse concilium, ubi non sacerdos laicum, sed laicus permissione vestra judicaturus interest sacerdotem. Non enim sibi poterit, quamvis honoratus fuerit, laicus tantum de quovis honore blandiri, ut merito interfuisse videretur [c], quod erat constitutum ecclesiasticum. Adde quod telonariorum sive [d] temonariorum etiam nomen inseritur, et judicium in episcopum ab hac congregatione collegitur. Sedent publicani homines, et auditur episcopus, et [e] talibus quid fas non est facientibus vobis auditur. Illud quoque quis non rideat, immo non doleat; cum taliter ecclesiasticam videat regulam [f] titubare, et vigorem canonum ad hoc esse dejectum? Quando hoc et ubi factum docetur? exemplum quæ ætas meminit, quis sacerdos audivit? cum fuerint innumeri, qui, amplissimis abdicatis honoribus, ita potentiam refutaverint sæcularem, ut vel minimi nominis clerici [g] maluerint sustinere, nec aliquid prioris dignitatis ambitu judicari, et cede judicibus vera et certa præscriptio. Quid vultis de consensu judicem laicorum? vel clerici, qui hoc solum nomen sine pristinas ne sæcularitates gloria erubes-

[a] In archetypo *Bysantium*, corrupte. Neque enim hic urbs, sed provincia designatur : et ut *Bysantium* mutato nomine Constantinopolis appellaretur, usu jam pridem receptum erat. In Africa autem celebris erat Byzacena provincia, in qua multa concilia circa hoc tempus habita Ferrandus diac. in Breviario citat, puta Suffutulense c. 2; Septimunicense c. 11, etc.; Marazanense c. 44, etc.; Themitanum c. 61, etc.; Zellense seu Teleptense hoc ipso anno 418 celebratum.

[b] In concilio Aquileiensi apud Ambrosium, n. 51, ipsius Ambrosii hoc fertur effatum : *Sacerdotes de laicis judicare debent, non laici de sacerdotibus* : necnon istud num. 52 : *Per hoc quoque et in hoc ipso damnandus est* (Palladius) *qui laicorum exspectat sententiam ; cum magis de laicis sacerdotes debeant judicare*. Idem præsul epist. 21, n. 2, Valentinianum seniorem laudat, *quod non solum sermone, sed etiam legibus suis sanxit, in causa fidei vel ecclesiastici alicujus ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis*. Quibus et illud addit : *Quin etiam si alias quoque argueretur episcopus, et morum esset examinanda causa, etiam hæc voluit ad episcopale judicium pertinere*. Jam antea Constantius imperator Cod. Th. lib. XVI, tit. 2, lege 12, anno 355, data constituerat, ne quis episcopos apud judices publicos accusaret, sed eorum causæ aliorum episcoporum judicio definirentur. Quam constitutionem Hilarii Pictavensis episcopi rogatu datam Baronius putat. Certe is Confessor libello 1, ad Constantium, n. 1, enixe eum deprecatur, *provideat et decernat, ut omnes ubique judices, quibus provinciarum administrationes creditæ sunt, ad quos sola cura et sollicitudo provinciarum pertinet, religiosa se observantia abstineant, neque posthac præsumant atque usurpent et putent se causas cognoscere clericorum*. Subinde et S. Martinus apud Treviros constitutus, Sulpitio lib. II teste, Maximo imperatori dixit, *Novum esse et inauditum nefas, ut causas Ecclesiæ judex sæculi judicaret*. Legenda Leonis Bituricensis episcopi et sociorum epistola a Sirmondo to. 1, concil. Gall. ad annum 454 relata, qua clericos ad examen sæculare transeuntes, ut sacræ legi et sacerdotali ordini contumeliosos, a sacris liminibus expulsos a cœlesti altari arcent. Specialis quidem hic notatur causa, non qua episcopi ad judicium sæculare provocentur, sed qua in judicio episcopali etiam laici inter episcopos judices sedeant. Sed et hoc reprobat concilium Hispalense II, c. 9, ubi postquam indecorum esse asseruit *sæculares in ecclesia judicare*, subdit : *In uno eodemque officio non decet dispar professio. Quod etiam divina lege prohibetur dicente Moyse : Non arabis in bove et asino simul, id est, homines diversæ professionis in officio uno non sociabis*.

[c] Supple *judicio*. Ivo p. 16, cap. 12, velut ex Cabilonensi concilio, c. 6, laudat hoc decretum : *Quando ea quæ canonica sunt ventilantur, vel quando regularia ventilantur, neque aliquos laicos nisi religiosos interesse oportet, et nisi hos tantummodo, qui in propria appellantur persona*. Ubi laici, ne ecclesiasticis judiciis intersint, non sine exceptione prohibentur.

[d] In vulgatis, *demonariorum* : restituendum fuisse *temonariorum* non ambiget, qui vocis hujus potestatem perspectam habuerit. Temonariorum mentio fit Cod. Th. lib. VI, tit. 4, leg. 21, et lib. VII, tit. 18, leg. 3. Eorum munus inter sordida censebatur, ut liquet tum ex his Arcadii imp. Cod. Th. lib. VI, tit. 26, leg. 14 : *Quamvis innumeris legibus scriniorum gloria decoretur, jubemus tamen ut primo sit eorum secura possessio ab omnibus sorditis muneribus... nec ullam temonis patiatur injuriam*; tum ex illis Constantini imp. ibid. tit. 35, leg. 3 : *Quibus omnibus condonamus ne exactorum vel turmariorum, quos capitularios* (quia censum exigunt capitum) *vocant, curam subeant; vel obsequium temonariorum* : sed maxime ex dictis Arcadii ibid. lib. XI, tit. 16, leg. 14 : *Eos qui ibidem peragendis signandisque responsis nostræ mansuetudini obsecundant, omnium vilium munerum ac totius capitulariæ, sive ut rem, quam volumus intelligi, communi denuntiatione signemus, temonariæ functionis fieri jubemus exsortes*. Quocirca *temonarii* commune est vectigalia exercentibus atque exigentibus vocabulum. Hinc Tillemontius episcopum illum, de quo Zosimi sermo est, non secus atque Paulum Cataquensem, cujus Augustinus epist. olim 124, nunc 96, n. 2, meminit, vectigalium fuisse censet redemptorem, ideoque hujusmodi hominum subditum esse examini, quo æquiorem possent episcopi de illo ferre sententiam, aut fraudes fisco factas Ecclesiæ non probari palam facerent. Quamquam Carthaginensi III concilio can. 15 cautum jam fuerat, *ut episcopi et presbyteri et diaconi vel clerici non sint conductores, neque procuratores; neque ullo turpi vel inhonesto negotio victum quærant : quia respicere debeant scriptum esse : Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus*. Sed aliquem, qui antequam in clerum promoveretur, hæc munia exercuisset, hic notari nihil repugnat.

[e] Legendum ni fallor, *et a talibus, quod fas non est, patientibus vobis auditur*.

[f] Verbi *titubare* idem usus cernitur in his Zosimi epist. 13, n. 1, ubi de sede sua dicit : *Nec patitur aliquid privilegii aut aliqua* TITUBARE *aura sententiæ*.

[g] Hunc locum, qui mancus in multis aut mendosus est resarciri sic liceret : *ut vel minimi nominis clerici honoris jacturam maluerint sustinere, nec a laicis prioris dignitatis ambitu judicari. Ecce judicibus vera et certa præscriptio. Quid vultis de consensu judicem laicum vos clerici, qui hoc solum nomen sine pristina sæcularitatis gloria erubescitis audire? Quid vultis, certe indulgete*, etc.

eti audite. Quid vobis, certe indulgete si dicam, cum judicaturi cum talibus consideletis?

2. Illud autem non nobis prætermittendum videtur, præsertim cum hoc nulla acerbitas fecerit judiciorum, nullus ordo meminerit, ut quærendi adversarium suum alicui necessitas imponatur, et ad judicium deducendi; cum ille ultro se debet [a] inferre qui arguit. Unde hoc invicem scriptum ad vestram transmisimus charitatem per fratrem et coepiscopum nostrum Numunianum. Bene valete, fratres, *et ad latus:* XVI kalendas Decembris (*Anno* 418, *Novemb.* 16), Honorio XII et Theodosio VIII consulibus augustis.

[a] Immo ipse accusator, si intra tempus legibus præscriptum *adesse neglexerit*, mulctatur Cod. Th. lib. IX, tit. 36, et concilium Carthaginense III, can. 7 episcopi accusatorem, qui causæ dicendæ præscriptis diebus defuerit, a communione removet.

APPENDIX
AD OPERA S. ZOSIMI PAPÆ.
NOTITIA
SCRIPTORUM NON EXSTANTIUM, QUÆ AD ZOSIMUM PAPAM ATTINENT.

(D. Coustant. Epist. Rom. Pont. tom. I.)

I.

Hic recolere satis est Pelagii litteras una cum libello fidei ipsius, necnon epistola Praylii Hierosolymitani episcopi ad Innocentium missas, sed eo defuncto successori illius Zosimo redditas, nec opus est repetere, quæ de illis ad calcem epistolarum Innocentii disseruimus.

II.

2. *Innocentio pontifice, uti jam observavimus, Cœlestius Carthagine accusatus, ibique communione ecclesiastica privatus, ab hac sententia credidit appellandum. Sed appellatione sua neglecta* (*Mar. Merc. Common., c.* 1), *Ephesum primum, ubi presbyterii locum per obreptionem petiit, tum Constantinopolim contendit. Tandemque fere post sexennium Romam se conferens, Zosimo pontificatum ineunti libellum obtulit, ab eoque petiit audiri. Hoc in libello cum fidem suam a Trinitate unius deitatis ad mortuorum resurrectionem, qualis futura est, explicuisset, ubi ad id, de quo agebatur, ejus pervenit sermo, præmisit:* Si quæ vero præter fidem quæstiones natæ sint, de quibus esset inter plerosque contentio, non ego quasi auctor alicujus dogmatis definita hoc auctoritate statui, sed ea quæ de Prophetarum et Apostolorum fonte suscepi, vestri apostolatus offerimus probanda esse judicio; ut, si forte ut hominibus quispiam ignorantiæ error obrepsit, vestra sententia corrigatur. *Eodem in libello, teste Augustino lib. de Gratia Christi c.* 33, *Cœlestius* parvulos et baptizari in remissionem peccatorum *confessus est, et negavit* ullum habere originale peccatum. *Ipsa verba, quibus id professus est, idem Doctor lib. de Pecc. Orig. c.* 5 *et* 6 *refert in hunc modum:* Infantes autem baptizari in remissionem peccatorum, secundum regulam universalis Ecclesiæ et secundum Evangelii sententiam confitemur: quia Dominus statuit regnum cœlorum nonnisi baptizatis posse conferri. Quod, quia vires naturæ non habent, conferri necesse est per gratiæ libertatem. In remissionem autem peccatorum baptizandos infantes non idcirco diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur; quod longe a catholico sensu alienum est: quia peccatum non cum homine nascitur, quod postmodum exercetur ab homine: quia non naturæ delictum, sed voluntatis esse monstratur. Et illud ergo confiteri congruum, ne diversa baptismatis genera facere videamur; et hoc præmunire necessarium est, ne per mysterii occasionem, ad Creatoris injuriam malum antequam fiat ab homine, tradi dicatur per naturam.

3. *Reliqua libelli hujus verba excidisse eruditorum, qui Joannem Garnerium præcesserunt, communis est sententia. Is tamen Dissert.* 5 *in Mar. Mercatorem, pag.* 313, *primam ac maximam ejus partem haberi putat Sermoni Augustini alias* 190 (*leg.* 191) *de Tempore insertam; adeo ut si huic parti subjungantur verba ex Augustino proxime descripta, nihil jam ipsi ad integritatem totius libelli desiderandum videatur. Alii quidem prædictam citati Sermonis partem ad Pelagii libellum pertinere censent: sed ille inter hanc portionem ac Pelagii libellum eas deprehendit diversitates, quibus, nec unum opus, nec unius esse judicat. Et ut id ipsum aliis persuadeat, libellum Pelagii in una columna, et quod Augustini Sermoni* 191 *de Tempore insertum est in altera e regione posita repræsentat, ac varietates utrobique occurrentes Italico charactere distinguit. Verum hæ adeo leves raræque sunt, ut in uno specimine purum Pelagii libellum, in altero vero eumdem libellum minus purum, et ab eo qui Sermonis memorati exordium composuit, interpolatum exhiberi merito quisque sentiat.*

III.

4. *Cum hunc Cœlestii libellum ac prædicta Pelagii*

scripta Zosimus accepisset, convocato clero, accitoque Cœlestio, ipsius ac Pelagii causam examinari atque ea de re acta confici præcepit. Gesta illa exinde Basilisco tradita, ut ea deferret in Africam, quo hunc subdiaconum anno 417, *ante* 2 *Novembris diem pervenisse ex epistola* 8, *n.* 4, *certum est. De his gestis Marius Mercator* (*Common. c.* 1), *qui eorum exemplaria penes se fuisse testatur, istud tradit :* Cœlestius interrogatus, cum ab illo cognitore (*Zosimo*) aliquatenus terreretur, crebris responsionibus et prosecutionibus suis spem præseminavit condemnare se capitula, de quibus apud Carthaginem (*a Paulino*) fuerat accusatus, promittens. Id enim et instantius jubebatur, ab eoque vehementius exspectabatur. *Eamdem rem pluribus prosequitur Augustinus lib. de Pecc. orig., c.* 7. *Sed ipsa gestorum verba, ad quæ uterque respicit, a Paulino diacono in superiori epistola* 8, *n.* 2, *referuntur, ubi cum unicuique illa consulere facile sit, ea hic repetere supersedemus.*

IV.

5. *Hilarius Narbonensis episcopus iniquo animo ferens quod Zosimus Patroclo Arelatensi antistiti non in Viennensi tantum provincia, sed et in duabus Narbonensibus episcopos ordinandi potestatem attribuisset, relationem ad eum misit* (*Epist.* 6, *n.* 1), *qua suum esse obtendebat, in Narbonensi I provincia sacerdotes ordinare. Neque tamen hoc jus veteri, ut exigebatur, consuetudine sibi vindicabat, sed quadam decoris et* honestatis specie, asserens in aliena provincia ab alio non debere fieri sacerdotes. *Hanc relationem Zosimus epistola* 6, *anno* 417, *Septembris* 29 *die data, refutat.*

V.

6. *Aurelius aliique Africæ episcopi, anno* 417, *circa mensis Novembris initia Carthagine congregati, de Cœlestio ad Zosimum papam rescripserunt, cum eo sic expostulantes, quasi hæretico huic in omnibus accommodasset fidem, atque illius verbis non discussis ad omnem syllabam assensum præbuisset. His in litteris sibi, utpote apud quos accusatus sit Cœlestius, notas esse memorabant illius artes. Tum præmonentes sinceram non esse illius fidem, Zosimum obtestabantur, ne illum præpropere absolveret, sed res in eo relinqueret statu, in quo ante novissimam cognitionem erant, hoc est, a communione, qua privatus ab Innocentio fuerat Cœlestius, alienum remanere interim sineret. Quod cum edisseruerint tam copiose ut eorum litteras voluminis nomine donare Zosimus non dubitarit, hoc tamen modeste adeo præstiterunt, ut hujus papæ animum in Cœlestii gratiam quantumvis propensum a præconcepta de illo opinione avocarent, ut ex epistola* 15, *qua ipsis rescripsit, liquet.*

7. *Nonnulli, quorum eruditioni deferimus plurimum, uni Zosimi epistolæ secundæ duas ab Afris redditas esse opinantur, unam videlicet e Carthaginensi concilio, quod Aurelius, ne duorum mensium a Zosimo præscriptum intervallum sine epistola elabi sineret, festinato congregarit; alteram vero ex altero concilio, in quo item* Carthagine *plures episcopi e diversis provinciis, ineunte mense Novembri anni* 417 *convenerint. Verum varios Augustini aliorumque Patrum locos, quibus sententiam suam fultam putant, si quis diligenter excusserit, nullum, qui ei reipsa faveat, deprehendet. Et ex iis quidem, quos ad concilium anno* 417 *habitum accommodant, nullus est, qui non ad concilium anno sequenti kalendis Maiis celebratum commodius referatur* (*Epist. al.* 47, *nunc* 215, *n.* 2). *Nominatim vero illud memorant Augustini :* Quod papæ Zosimo de Africano concilio scriptum est, ejusque rescriptum ad universos totius orbis episcopos, et quod posteriori concilio plenario totius Africæ contra ipsum errorem breviter constituimus, legimus. *Ubi negandum non est duo ab Augustino distingui concilia, quorum unum* Africanum, *alterum* plenarium *vocet. Sed ex his ne unum quidem, nedum ambo, ad annum* 417 *referri queat. Id certe, quod plenarium nuncupat, celebri illo Zosimi* ad totius orbis episcopos *rescripto posterius fuisse aperte docet. Neque ambiguum est, quin* Africani concilii *nomine synodum anno* 418 *kalendis Maiis habitam, quæ prædictum Zosimi rescriptum antecessit, idem Doctor intelligat. Quod confirmare licet cum ex his lib. de Pecc. Origin. cap.* 7 : Postea quam ex Africano episcoporum concilio rescripta directa sunt, quid fuerit consecutum ut justissime in eum sententia proferretur, cuncta legite, *tum ex istis ejusdem libri cap.* 21 : Post rescripta quippe Africani concilii..... cura fidelium patuerunt quæ litteris suis, quas conscripsit per orbem perferendas, papa Zosimus exsecranda adtexuit. *Augustino concinit Prosper lib. contra Collatorem, c.* 10, *seu* 5, *n.* 15. *Quippe quod ibi velut in Africano concilio constitutum laudat in hunc modum :* Erraverunt Africana episcoporum concilia, quæ decretis suis constituerunt utrumque Dei donum esse, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus, *totidem verbis definitum legere est in synodo Carthaginensi anno* 418 *kalendis Maiis habita, can.* 4, *seu* 5. *Nec movere quemquam debet quod ibidem subjicit Prosper :* Erraverunt CCXIV sacerdotes, qui in epistola, quam suis constitutionibus prætulerunt, etc., *quasi jam aliud concilium, memorare incipiat. Non enim his verbis aliud concilium, sed ejusdem concilii aliud scriptum, puta epistolam prædicti concilii decretis præfixam commemorat.*

8. *Sed et intra illud tempus, quo Zosimi de Cœlestio litteræ Afris traditæ sunt, et quo illi conscripserunt eas, quibus idem papa epist.* 12 *respondet, vix octo dierum excogitare licet intervallum. Nempe Basiliscus subdiaconus eas Zosimi litteras, quibus Cœlestii accusatores Romæ, ut eum ibi præsentem arguerent, intra secundum mensem sistere se jubebantur, in Africam perferendas suscepit. Nec dubium quin iste subdiaconus statim ab adventu suo specialem Cœlestii accusatorem Paulinum convenire non distulerit. Atqui Paulinus sese* 2 *Novembris die a Basilisco conventum ac verbo tenus Romam citatum testatus, sexto post die, hoc est Novembris* 8, *libellum ad Zosimum per Marcellinum Carthaginensis ecclesiæ subdiaconum misit. Cum igitur*

Zosimus epistola 15, n. 2, respondere se significet Afrorum litteris sibi per eumdem Marcellinum datis, consequens nobis videtur, ut hæ Afrorum litteræ una cum libello Paulini eodem 8 Novembris die Marcellino traditæ fuerint. Jam vero intra paucos illos dies, quibus et Basiliscus in Africam advenit, et Marcellinus inde Romam profectus est, in eadem civitate duas celebres synodos, a quibus seorsim litteræ ad Zosimum missæ sint, habitas esse quis sibi persuadeat? Et istud quidem observasse juverit, non modo ut historica illustraretur veritas, sed maxime ne crederetur Zosimus de rebus summi momenti, de quibus duo concilia copiose ipsi scripsissent, jejune omnino ac non sine quadam negligentiæ aut etiam superbiæ ac fastus nota rescripsisse. Ea enim suspicio prorsus evanescit, ubi una tantum admittitur Afrorum epistola, cui accurate pro tempore respondet. Fieri demum potuit, ut Afri, qui concilia frequenter celebrabant, Carthagine jam congregati, aut propemodum congregandi essent, cum secundam Zosimi epistolam acceperunt. Unde factum est ut ipsi citius rescriberent, quemadmodum anno sequente contigit.

VI.

9. *Tunc opportune accidit, ut Zosimi epistola* 12 *ab Afris* III *kalendas Maias anni* 418 *acciperetur. Ipsi enim triduo post, hoc est ipsis kalendis Maiis, Carthagine in basilica Fausti celeberrimum eadem de causa concilium habuerunt. In eo consederunt Aurelius episcopus Carthaginensis, Donatianus Teleptensis provinciæ Byzacenæ primas et alii* CCII, tam ex provincia Byzacena, quam Mauritania Sitifensi, Tripolitana, Numidia, Mauritania Cæsariensi et Hispania *congregati, ut in exemplaribus Codicis a Quesnello vulgati c.* 13 *legimus. Concilio huic Prosper lib. cont. Collat. c.* 5, *n.* 15, *et resp. ad object.* 8 *Gallorum, Prosperi item Chronico consentiente, episcopos quatuordecim supra ducentos, Photius vero codice* 53 *quatuor supra ducentos viginti interfuisse tradunt. Quamvis autem in codice Quesn.* plenarium *inscribatur, non aliud tamen ab eo esse jam probavimus, quod Augustinus lib. de Pecc. orig., c.* 8 *et* 21, *necnon lib.* II *ad Bonifacium c.* 3 Africanum *nuncupat.*

10. *Episcopi illic congregati octo canones, quales Codex Quesn. c.* 13 *exhibet, Milevitano* II *concilio perperam tribui solitos, condiderunt, eosque ad Zosimum præfixa illis epistola miserunt. Canones illos ipse adoptavit Zosimus. Certe in Tractoria, de qua mox dicturi sumus, tertium, quartum et quintum velut propria sedis apostolicæ decreta haberi voluit. Epistolæ autem eis adjunctæ fragmentum Prosper lib. cont. Collat. c.* 5, *n.* 15, *nobis asservavit et commendavit his verbis : « Erraverunt* CCXIV *sacerdotes, qui in epistola quam suis constitutionibus prætulerunt, ita ad apostolicæ sedis antistitem B. Zosimum sunt locuti :* Constituimus in Pelagium atque Cœlestium per venerabilem episcopum Innocentium de beatissimi apostoli Petri sede prolatam manere sententiam, donec apertissima confessione fateantur, gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum non solum ad

A cognoscendam, verum etiam ad faciendam justitiam, nos per actus singulos adjuvari : ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus. »

11. *De eadem epistola loqui videtur Augustinus lib.* II *ad Bonifac., c.* 3, *ubi ait : Ex Africa Romam litteræ postea venerunt id continentes :* Non sufficere hominibus tardioribus et sollicitioribus, quod se generaliter Innocentii episcopi litteris consentire (*Cœlestius*) fatebatur : sed aperte eum debere anathematizare quæ in suo libello prava posuerat ; ne si id non fecisset, multi parum intelligentes, magis in libello ejus illa fidei venena a sede apostolica crederent approbata, propterea quod ab illa dictum erat eum libellum esse catholicum, quam emendata propter illud, quod se papæ Innocentii litteris consentire ipse responderat: *Eodem spectare credimus quod idem Doctor ibid. cap.* 4, *ad calcem numeri* 6, *docet, Afros videlicet ad Zosimum rescribentes flagitasse, ut Cœlestius* ipsa omnino de hac quæstione (*originalis peccati*) verba commemorare et anathematizare, quæ in libello suo posuit (*quæque supra* § 1, *n.* 2, *retulimus*), cogeretur.

12. *Notat denique Augustinus lib. de Pecc. Orig. c.* 8, *istud in his litteris, quibus* venerabili papæ Zosimo synodus Africana respondit, commemoratum, quid *nimirum* de Palæstinæ synodi gestis, quibus se Pelagius absolutum esse gloriatur, sanctus papa Innocentius judicarit. *Unde et Africanæ synodi patres operam dedisse colligitur, ut latebras ac dolos, quibus hæreticus ille impietates suas operire solebat, retegerent. Marius Mercator de litteris illis hoc tantum indicare satis habet,* episcopos ex Africa rescribentes omnem causam, quæ apud eos (*de Cœlestio*) facta fuerat, missis etiam gestis quæ fuerant tunc cum illo vel de illo confecta, exposuisse.

VII.

13. *Omnibus Zosimi epistolis celebrior est ea, quam idem Marius Mercator edit. Baluz. pag.* 138 Tractoriam *nuncupari, ac* per totum orbem missam *esse observat. De eadem epistola Augustinus ad Optatum epist.* 190, *n.* 22, *sic scribit :* Exempla recentium litterarum, sive quæ specialiter ad Afros, sive quæ universaliter ad omnes episcopos de memorata sede manarunt, ne forte ad vestram sanctitatem nondum pervenerint, vobis curavimus mitti. *Quæ Augustini verba duplici ratione intelligere est : una nimirum, qua litteris a Zosimo universaliter ad omnes episcopos missis, quædam speciales ad Afros adjunctæ sint ; idque per se sonant allata hujus Doctoris verba, atque historica veritas confirmat : altera vero, qua quæ Afris specialiter inscriptæ fuerant* (*quia ipsis scribendis e Carthaginensi synodo kalendis Maiis habita rescribentes occasionem dederant*), *postmodum universaliter ad omnes episcopos missæ sint. Rei ordinem Mar. Mercator, pag.* 134, *narrat his verbis :* Episcopis vero ex Africa (*ubi kalendis Maiis convenerant*) rescribentibus, omnemque causam quæ apud eos facta fuerat exponentibus, missis etiam gestis exinde quæ fue-

rant tunc cum illo vel de illo (*Cœlestio*) confecta, vocatus ad audientiam pleniorem, ut quæ promiserat (*Zosimo anno* 417) festinaret implere, id est, ut damnatis prædictis capitulis (*quæ Paulinus ei objecerat*) sententia Afrorum qua fuerat (*anno* 412) communione privatus, absolveretur, non solum non adfuit, sed etiam ex memorata urbe profugit. Tunc ergo, *ut his annectamus verba Augustini lib.* II *ad Bonifacium, c.* 3, cum ejus præsentia posceretur ut certis ac dilucidis responsionibus vel astutia hominis vel correctio dilucesceret, et nulli ambigua remaneret, se subtraxit examini. Atque ob hoc, *prosequitur M. Mercator*, a beatæ memoriæ Zosimo episcopo scriptis amplissimis vel longissimis perdamnatus est, in quibus et ipsa capitula, de quibus (*a Paulino diacono*) fuerat accusatus, continentur, et omnis causa tam de Cœlestio B suprascripto, quam de Pelagio magistro ejus pravviore videtur esse narrata. Quorum scriptorum et nos hic habemus exemplaria, et ad Orientales ecclesias, Ægypti diœcesim, et Constantinopolim, et Thessalonicam, et Hierosolymam, similia eademque scripta (*hoc est quod vocant a* pari) ad episcopos transmissa esse suggerimus. *His autem litteris Pelagius et Cœlestius necdum absoluta ac citra omnem veniæ spem, sed* nisi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto christiano orbe damnati *ab Augustino epist.* 190, *n.* 22, *dicuntur. Unde et de iis idem Doctor lib. de Pecc. Orig., cap.* 22, *loquitur, ut* prius aut in locum pœnitentiæ redactis, aut, si id recusaverint, omnino damnatis.

14. *Sententiam illam Zosimus non solus, sed cum clero Romano, cum quo etiam anno superiore Cœlestium audierat, tulit. Quocirca Pelagiani prævaricationis notam modo clericis Romanis, ut apud Augustinum lib.* II *ad Bonifac. c.* 3 *videre est, modo Zosimo ut idem Augustinus lib.* VI *contra Julianum tradit, inurebant, quasi de Pelagio et Cœlestio aliud hoc anno, quam quod superiore, judicium per prævaricationem protulissent.*

15. *E clericis autem Romanis primum Xystum seu Sixtum tum presbyterum, ac Zosimi post Bonifacium et Cœlestinum successorem judicio huic subscripsisse Augustinus epist.* 194, *olim* 105, *n.* 1, *innuit. Idque eum fecisse notat,* cum, *inquit ipsum alloquens,* fama jactaret inimicis christianæ gratiæ te favere. Sed ut hæc tristitia de nostris cordibus tergeretur, D primo te priorem anathema eis in populo frequentissimo pronuntiasse eadem fama non tacuit. Deinde cum litteris apostolicæ sedis (*id est Zosimi*) de illorum damnatione ad Africam missis, tuæ quoque litteræ ad venerabilem senem Aurelium consecutæ sunt. *Has autem Xysti litteras per Leonem acolythum transmissas fuisse idem Augustinus epist.* 191, *olim* 104, *n.* 1, *auctor est. Ex quo et litteras Zosimi, siquidem simul missæ sunt, ejusdem Leonis opera perlatas fuisse conficitur.*

15. *Notæ non desunt, quibus dignoscatur tempus, quo illæ Zosimi litteræ vel Roma missæ, vel in Africa receptæ sint. Cum enim Carthaginensis concilii kalendis Maiis ann.* A 418 *habiti scriptis rescribantur, primo computandum est tempus, quo hujus concilii scripta Carthagine Romam potuerint perferri, et inde Zosimi litteræ Carthaginem referri. Istud porro certius, quod Augustinus Carthagine, memorati Carthaginensis concilii mandato delegatus* (*Cod. can. Eccl. Afr., c.* 127), *tum versabatur, cum eo Zosimi litteræ pervenerunt; iisque acceptis libros de Gratia Christi et de Peccato originali ante adornavit, quam inde in Mauritaniam Cæsariensem provinciam proficisceretur. Quapropter et hos libros in Retractationibus proxime ante Gesta, quæ ipso præsente apud Cæsaream Mauritaniæ civitatem hoc anno* 418 *Septembris* 20 *die confecta consignataque sunt, recenset. Si igitur tempus, quod huic itineri conficiendo ac prædictis libris concinnandis suffecerit, subtrahamus; litteras illas non serius Augusto mense in Africa acceptas esse, ac medio illo intervallo, quod a kalendis Maiis ad exitum Augusti excurrit, hoc est vel exeunte Junio, vel Julio ineunte conscriptas esse facile dabimus. Idipsum et quod § 8 sequenti in epistolam alteram, quæ cum hac Tractoria ad Afros missa est, dicturi sumus, confirmabit.*

16. *Celebris illa Zosimi epistola, per totum orbem Christianum missa, non ab Augustino tantum aut Mar. Mercatore, sed et a Prospero lib. contra Collat. c.* 5, *n.* 15, *in Cœlestini papæ epistola* 21, *c.* 8 *et* 9, *in Prosperi Chronico ad ann.* 418, *et a Gennadio lib. de Script. eccl. memoratur. Cum autem scriptum tam authenticum tamque necessarium, tanto studio per orbem transmissum, tantaque omnium Catholicorum lætitia ubique exceptum* C *intercidisse nescio quo fato audimus: tot alia monimenta vetera eamdem fortunam subiisse minus miramur. At si totum exhibere minime licet, vel saltem quasvis ejus particulas legere, et in unum collectas hic repræsentare aut indicare operæ pretium fuerit.*

17. *Marius Mercator, edit. Baluz. pag.* 134, *capitula sex, de quibus Cœlestius a Paulino accusatus fuerat, in Zosimi Tractoria contineri docet. Sed ea cum apud eumdem Mercatorem pag.* 3 *et* 133, *necnon apud Augustinum lib. de Gestis Pelagii, c.* 11, *n.* 23, *cuique obvia sint, hic reticemus. Alia quoque, teste Augustino lib. de Pecc. Orig., c.* 21, *n.* 24, cura fidelium fratrum, *qui Romæ versabantur, ubi Pelagius diutissime vixerat, ex ipsius Pelagii scriptis* prolata *sunt,* quæ litteris suis, quas conscripsit per orbem catholicum perferendas, papa Zosimus exsecranda attexuit. *Plura vero ex illis Mar. Mercator a pagina* 135 *ad* 138 *profert, tum ex Pelagii commentariis in Paulum apostolum, tum ex alio quodam ejusdem Sermone excerpta, quæ Tractoriæ Zosimi inserta fuisse pag.* 138 *prodit his verbis :* Quæ omnia suprascripta capitula, ut jam superius dictum est, continet illa beatæ memoriæ episcopi epistola, quæ Tractoria dicitur, qua Cœlestius Pelagiusque damnati sunt. *Inter ea autem quæ Mercator ibi ex commentariis Pelagii in Paulum describit, exstat ista hujus hæretici argumentatio, quæ et ab Augustino epist.* 190, *ad Optatum, n.* 22, inter alia ejus damnabilia etiam litteris

apostolicæ sedis adjuncta *prædicatur*. Si anima, *inquit*, ex traduce non est, sed sola caro tantum habet traducem peccati, sola ergo pœnam meretur. Injustum est enim, ut hodie nata anima, non ex massa Adæ, tam antiquum peccatum portet alienum : quia nulla ratione conceditur, ut Deus, qui propria peccata dimittit, imputet alienum.

18. *Hanc Pelagii argumentationem ideo referimus, quia præcipuum e tribus epistolæ Zosimi fragmentis, quæ supersunt, in eam maxime cadit. Nempe Augustinus in eadem epistola* 190, *n*. 23, *hæc præfatus :* Non est enim falsa etiam in parvulorum baptismate remissio peccatorum, nec verbo tenus dicitur, sed veraciter agitur, *subdit*. Nam ut jam verbis utar, quæ in epistola beatissimi antistitis Zosimi leguntur; *eaque verba profert in hunc modum.*

FRAGMENTUM I

Tractoriæ Zosimi.

Fidelis Dominus in verbis suis, ejusque baptismus re ac[a] verbis, id est opere, confessione et remissione vera peccatorum, in omni sexu, ætate, conditione generis humani eamdem plenitudinem tenet. Nullus enim, nisi qui peccati servus est, liber efficitur, nec redemptus dici potest, nisi qui vere per peccatum fuerit ante captivus; sicut scriptum est : Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis (*Joan*. VIII, 36). Per ipsum enim renascimur spiritaliter, per ipsum crucifigimur mundo. Ipsius morte mortis ab Adam omnibus nobis introductæ, atque transmissæ universæ animæ, illud propagine contractum chirographum rumpitur, in quo nullus omnino natorum, antequam per baptismum liberetur, non tenetur obnoxius.

Quibus dictis Augustinus istud ad sententiæ hujus laudem et apostolicæ sedis commendationem subjungit : In his verbis apostolicæ sedis tam antiqua atque fundata certa et clara est catholica fides, ut nefas sit de illa dubitare Christiano.

FRAGMENTUM II.

19. *Alterum fragmentum in epistola* 21 *Cœlestini, cap.* 9, *nobis asservatum est, ubi idem Doctor* (*Zosimus*) *cum ad totius orbis episcopos de divinæ gratiæ opitulatione loqueretur, memoratur scripsisse :*

Quod ergo tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus adjutor et protector orandus est. Superbum est enim, ut quidquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo : Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed contra principes et potestates aeris hujus, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus (*Ephes*. VI, 12). Et sicut ipse iterum dicit : Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus (*Rom*. VII, 24)? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (I *Cor*. XV, 10). Et iterum : Gratia Dei sum id quod sum, et gratia Dei in me vacua non fuit, sed plus illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum. Illud etiam, quod intra Carthaginensis synodi decreta constitutum est, quasi proprium apostolicæ sedis amplectimur, quod scilicet tertio capitulo definitum. *His adjiciuntur ejusdem synodi capitula* 4 *et* 5 *velut ejusdem apostolicæ sedis propria.*

20. *Generatim vero omnia concilii Carthaginensis kalendis Maiis anni* 418 *habiti decreta ad Zosimum perlata, et ab eo in Tractoria fuisse approbata Prosper in Chronico memoriæ mandavit his verbis :* Concilio apud Carthaginem habito CCXIV episcoporum ad papam Zosimum synodalia decreta perlata; QUIBUS PROBATIS, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est. *Quapropter ad eamdem Tractoriam ut Carthaginensia decreta approbantem Augustinus lib*. II *de Anima et ejus Origine, c*. 12, *n*. 17, *respicere non immerito videatur, ubi scribit :* Novellos hæreticos Pelagianos justissime conciliorum catholicorum et sedis apostolicæ damnavit auctoritas, eo quod ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis et salutis locum etiam præter regnum cœlorum. *His enim verbis, quæ Augustinus sub anni* 419 *exitum scribebat, notari pene non ambigimus hoc decretum, quod Binius inter cætera Milevitani concilii edidit; licet paucis in codicibus inveniatur :* Placuit, ut si quis dixerit, ideo dixisse Dominum : In domo Patris mei mansiones multæ sunt, etc., ut intelligatur quia in regno cœlorum erit aliquis locus medius, vel ullus alicubi locus, ubi beate vivant parvuli, qui sine baptismo ex hac vita migrarunt, sine quo in regnum cœlorum, quod est vita æterna, intrare non possunt, anathema sit. Nam cum Dominus dicat : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum (*Joan*. III, 5) , quis catholicus dubitet participem diaboli fore eum, qui cohæres non meruerit esse Christi? Qui enim dextera caret,

[a] Hinc colligitur cum in Romana tum in Africana ecclesia eam tunc temporis usitatam fuisse baptismi formam, qualis in antiquo Missali Gothico-Gallicano, quod Thomasius vulgavit, præscribitur his verbis : *Baptizo te ill. in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti in remissionem peccatorum, ut habeas vitam æternam*. Hinc, ut Augustinus lib. de Pecc. Orig., c. 5, scribit, coactus est Cœlestius confiteri, *infantes debere baptizari in remissionem peccatorum secundum regulam universalis Ecclesiæ*. Idem et profiteri compulsus est Pelagius : quem quidem Pinianus, Albina, et Melania cum audissent respondentem, *quod eisdem, quibus et majores, sacramenti verbis* (adeoque *in remissionem peccatorum*), *baptizantur infantes*, non mediocriter se lætatos esse, teste Augustino lib. de Pecc. Orig., c. 1, scripserunt. Verum subinde idem Doctor c. 21 observat hoc eum fallaciter respondisse, *tamquam infantibus remissio peccatorum verborum sonitu diceretur, non rerum ageretur effectu*. Cui fallaciæ Carthaginense concilium, Milevitani II nomine vulgatum, cujus decreta, uti jam observavimus, Zosimus approbavit, in Cod. Quesn. cap. 13 sic occurrit : *Placuit ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit* IN REMISSIONEM *quidem* PECCATORUM *eos baptizari, sed nihil eos ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur; unde fit consequens ut in eis forma baptismatis*, IN REMISSIONEM PECCATORUM, *non vere sed false intelligatur, anathema sit*. Eidem fallaciæ nunc quoque Zosimus omnem aditum claudit.

sinistram procul dubio incurret. *Quod si ita est, mutandus est ordo, quem idem canon apud Quesnellum Cod. cap. 13 inter Carthaginenses obtinet. Apud illum enim tertius est; quamvis alius sit ab eo, quem ipse Zosimus Carthaginensis concilii* tertium capitulum *vocat.*

FRAGMENTUM III.

21. *Tertium ejusdem Tractoriæ fragmentum Prosper lib. contra Collat. c. 10, seu 5, n. 15, ac Cœlestini epistola 21, c. 5, suppeditant. Istud relaturus Prosper ita præfatur : Erravit sacrosancta beati Petri sedes, quæ ad universum orbem papæ Zosimi ore sic loquitur. Eidem in epistola Cœlestini præmittitur hæc alia præfatio : In quam nos sententiam dirigit beatæ recordationis papæ Zosimi regularis auctoritas, cum scribens ad totius orbis episcopos ait. Tum subjiciuntur Zosimi verba :* Nos autem instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt unde nascuntur) ad fratrum et coepiscoporum nostrorum conscientias universa retulimus. *Quæ sententia quantum Afris placuerit, eadem epistola ibid. testificatur.*

22. *Nec siluit Mar. Mercator qua ratione totum illud Zosimi scriptum in universa Ecclesia exceptum fuit.* Beatæ, *inquit edit. Baluz. pag.* 138, memoriæ episcopi Zosimi epistola, quæ Tractoria dicitur, qua Cœlestius Pelagiusque damnati sunt, et Constantinopolim, et per totum orbem subscriptionibus sanctorum patrum est roborata. *Quod eleganter Prosper in libro contra Collat., n. 57, expressit his verbis :* Africanorum conciliorum decretis beatæ recordationis papa Zosimus sententiæ suæ robur annexuit, et ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit. *Verum, ut verbis utamur Marii Mercatoris eamdem rationem prosequentis, ei* Julianus cæterique complices ejus subscribere detrectantes, consentaneosque se nolentes iisdem Patribus facere, non solum imperialibus legibus, sed et sacerdotalibus statutis depositi atque exauctorati, ex omni Italia expulsi sunt. *Quod licet maxime sub Zosimi successore Bonifacio contigerit, uti suadet illud Prosperi citato loco,* Papa Bonifacius piissimorum Imperatorum catholica religione gaudebat, et contra inimicos gratiæ Dei non solum apostolicis, sed etiam regiis utebatur edictis : *hoc tamen factum esse constat, ut Zosimi Tractoriæ tota in Ecclesia receptæ auctoritas vindicaretur. Sed et hac de re, infra num. 30, paulo enucleatius tractandi erit locus.*

IX.

23. *Cum prædicta Zosimi epistola simul missæ sunt et aliæ speciales ad Afros litteræ, quibus Augustino aliisque in Mauritaniam Cæsariensem legatio propter alias quasdam Ecclesiæ necessitates injungebatur. Qua de re Augustinus epist. alias 157, nunc 190, ad Optatum n.* I *hæc scribit :* Litteræ, quas ad Mauritaniam Cæsariensem misisti, me apud Cæsaream præsente venerunt, quo nos injuncta nobis a venerabili papa Zosimo apostolicæ sedis episcopo ecclesiastica necessitas traxerat. *Quænam autem fuerit ecclesiastica* A *illa necessitas, nihilo magis idem Doctor in epistola 193, in qua eam rursus commemorat, aperit. Meminit et Possidius legationis hujus, atque collationis Augustinum inter et Emeritum Donatistam Cæsareæ in Mauritania anno 418 Septembris 20 die ex legationis hujus occasione habitæ : sed quæ illum necessitas huc traxerit, pariter tacet. Sic porro rem cap. 14 narrat:* Omnipotentis Dei præstitit auxilium, ut postea in Cæsariensi Mauritaniæ civitate constitutus (*sit*) venerabilis memoriæ Augustinus, quo eum venire cum aliis coepiscopis sedis apostolicæ litteræ compulerant, ob terminandas videlicet alias Ecclesiæ necessitates. Hac ergo occasione provenit, ut Emeritum ejusdem loci Donatistarum episcopum... videret. *Atqui ante hæc cum Emerito gesta Augustinus in Retracta-* B *tionibus lib.* II, *c. 50, libros proxime collocat* de Gratia Christi *et* de Peccato originali, *de quibus hæc habet :* Postea quam Pelagiana hæresis cum suis auctoribus ab episcopis ecclesiæ Romanæ, prius Innocentio, deinde Zosimo, cooperantibus conciliorum Africanorum litteris, convicta atque damnata est, scripsi duos libros adversus eos, unum de Gratia Christi, alterum de Peccato originali. *Ex quo sequitur, ut litteræ illæ speciales, quibus Augustino ac sociis in Mauritaniam legatio demandata est, litteris quibus Pelagius atque Cœlestius a Zosimo damnati sunt, non sint anteriores. Nec quomodo posteriores censeri queant, ulla ratione apparet.*

X.

24. *Episcopi Africæ, qui post concilium Carthagi-* C *nense kalendis Maiis habitum, ipsius concilii decreto, terni ex singulis provinciis Carthagine permanserant, cum ibi accepissent proximas Zosimi epistolas, adjunctis sibi ut videtur episcopis quos festinato vocare potuerunt, gratulatorias ad eumdem papam litteras rescripserunt, quarum fragmentum unum superest in epistola 21 Cœlestini sic laudatum : Hunc autem (Zosimi in Tractoria) sermonem sincerissimæ veritatis luce radiantem tanto Afri episcopi honore venerati sunt, ut ita ad eumdem virum scriberent :* Illud vero quod in litteris tuis, quas ad universas provincias curasti esse mittendas, posuisti dicens : Nos tamen instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt unde nascuntur) ad fratrum et coepiscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus, sic ac- D cepimus dictum, ut illos qui contra Dei adjutorium extollunt humani arbitrii libertatem, districto gladio veritatis, velut cursim transiens, amputares. Quid enim tam libero fecisti arbitrio, quam quod universa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti? Et tamen instinctu Dei factum esse fideliter sapienterque vidisti, veraciter fidenterque dixisti. Ideo utique, quia præparatur voluntas a Domino (*Prov.* VIII, *sec.* LXX), et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei (*Rom.* VIII, 14), ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, et in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.

Idem fragmentum totidem verbis refert ac laudat Prosper lib. contra Collatorem, n. 15. Ipsa autem epistola, ex qua excerptum est, ante videtur scripta, quam Augustinus ac socii in Mauritaniam se conferrent adeoque ante exitum Augusti.

XI.

25. *Sub idem tempus Julianus Eclanensis episcopus duas ad Zosimum papam epistolas scripsit, quæ ab ipsomet Juliano apud Augustinum lib. Op. imperf. c. 18 memorantur his verbis :* Ad Zosimum quondam illius urbis episcopum super his quæstionibus duas epistolas destinavi ; sed eo tempore quo adhuc libros exorsus non eram. *Una vero ex illis a Mario Mercatore non semel notatur. Et is quidem lib. subnotat. cap. 6, edit. Baluz. pag. 15, Julianum sic alloquitur :* Audi nunc quæ olim ipse pronuntiaveris in epistola videlicet tua, quam ad sedem apostolicam illo tempore ausus es mittere, quando conventus detrectasti cum universa Ecclesia Pelagium Cœlestiumque damnare. *Unde evidenter docemur, epistolam illam tunc fuisse scriptam, cum Julianus conventus ut Zosimi Tractoriæ per orbem missæ subscribens, Pelagium Cœlestiumque damnaret, id præstare detrectavit. Neque igitur multo postquam Zosimus mox dictam Tractoriam edidit, scripta est : sed paulo tardius huic papæ fuit reddita. Nam* antequam in manus sanctæ illius Romanæ ecclesiæ veniret antistitis, te agente, *inquit loco citato ad ipsummet Julianum Mercator,* a nonnullis a te deceptis per totam pene Italiam circumlata, et tamquam magnum aliquid multorum auribus insinuata cognoscitur. *Quocirca et Augustinus ait (Lib. I Op. imp., c. 18) :* Hæc epistola non est ad Zosimum, sed ad eos seducendos qui Romæ possent tali suasione seduci.

26. *Et in ea quidem epistola nondum hæreticum palam prodebat sensum, sed sub catholicis verbis, uti solent qui perversam doctrinam prædicare vel fovere incipiunt, ita velabat, ut famosa sex capitula Cœlestio objecta respuere ac damnare videretur. Ibi namque, Mario Mercatore teste, inter cætera aiebat (Ibid. paulo post).*

Qui est igitur assertor, quod neque per mortem Adæ omne genus hominum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgat, contra Apostolum sentit dicentem : Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur (I *Cor.* XV, 22). Jure igitur improbatur, qui huic sententiæ contradicit, quæ ait : Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum (*Ibid.*, 21). Item quod peccatum Adæ ipsum solum læsit, et non genus humanum. Et hæc sententia a nobis merito refellitur : non enim soli ipsi, sed generi humano obfuisse credendum est. Item, quod infantes in eo statu sint in quo Adam fuit ante prævaricationem, inter indisciplinatas reputo quæstiones. Non enim per omnia in eo statu sunt qui nascuntur hodie in quo Adam fuit ante peccatum, quamvis et istos opus Dei esse, sicut et ille, negari non possit. Item, Adam etiam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, fuisset moriturus, nec hoc esse ratione subnixum. Credendum est enim immortalem quidem factum, sed qui si non peccasset, per gustum ligni vitæ, virtutem posset immortalitatis adipisci. Male igitur dictum est, sive peccaret, sive non peccaret, fuisse moriturum.

27. *Ex his nonnulla rursum repetens ac perstringens idem Mercator ibid. cap. 9, pag. 30 et 31 ait :* In epistola tua, quæ, ut memoravimus, ad sanctæ memoriæ papam Zosimum missa est, displicet tibi, eumque condemnas, qui sentit Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, fuisset moriturus : et ais, nec hoc esse ratione subnixum. Credo enim esse, inquis, immortalem factum quidem, sed qui si non peccasset, per gustum ligni vitæ, posset virtutem immortalitatis adipisci. Adjungis etiam jure improbandum, qui prædicanti Apostolo contradicit dicenti : Sicut in Adam omnes moriuntur, ita omnes in Christo vivificabuntur. *Sed quam fallaciter ista depromeret, idem scriptor his ad eum verbis statim indicat :* Quæ cum simplex Christianus audit, nihil doli, nihil credens afferri fallaciæ, more quo ab Apostolis doceri solita est Ecclesia, optimum et suum arbitratus magistrum, intentusque ad reliqua ejusdem Apostoli, quæ in hac causa prosequeris, audienda decernit. Quis enim, *subdit paulo inferius*, te in superiore sententia tua vel suspicari posset aliud sentire, quam illi omnes, qui, sanctæ memoriæ papa Zosimo præsidente, Dei sacerdotes Pelagium, Cœlestiumque, teque damnarunt, super his omnibus de Adam capitulis, quæ a te antea improbata sunt et condemnata? *At eum aliud clausum pectore, aliud promptum in lingua tunc habuisse, ex alio opere, quod longe post Julianus elaborarit, Mercator ibidem demonstrat, utpote in quo ille doceat mortem in eos tantum pervadere (Mar. Merc. pag. 31),* quos prævaricationem Adæ viderit æmulatos : quæ prævaricatio licet non sit facta naturalis, fuit tamen forma peccati ; atque ob hoc licet non aggravet nascentes, tamen accusat imitantes ; *denique (Subnot. c. 6, pag. 12)* in omnes homines non peccatum transisse, sed mortem, illatam utique severitate judicii, prævaricationis ultricem. *Nec tacet ejus fallaciam, qua cum infantes, qui nascuntur hodie, non in eo per omnia statu in quo fuit Adam ante peccatum, esse fatebatur (Ibid., pag. 17), id recondito sensu prædicabat, nec statum* Adæ ante peccatum, sed exiguitatis et parvitatis in qua nascuntur infantes, *intelligebat.*

28. *De altera Juliani epistola nihil novimus, nisi forte hæc ipsa sit fidei expositio, quam a Jacobo Sirmondo e veteri codice Veronensi erutam Joan. Garnerius in editione Mar. Mercatoris part. I, pag. 319, in lucem emisit, quæque in appendice tom. X, nov. edit. Augustini pag. 110 recusa est. De titulo nihil in archetypo superest præter quasdam evanescentium litterarum figuras, quas ex eo explicare licet, quod ad calcem subjicitur in hunc modum :* Explicit libellus fidei S. J. E., *id est, ut in Augustini nova editione exponi-*

tur, sacerdotum Jesu Christi. *Hæc enim interpretatio magis probatur, quam Garnerii, qui tribus illis litteris S. J. C. vocem* Siculorum *designari existimavit. Tituli autem oblitterati loco Garnerius laudatus hunc substituit :* Libellus fidei a Juliano Eclanensi missus ad sedem apostolicam nomine XVIII episcoporum detrectantium subscribere damnationi Pelagii atque Cœlestii. *Nec apparet alia causa, cur hunc libellum nomine* XVIII episcoporum *oblatum vir eruditus affirmarit, nisi quia Augustinum legerit lib.* I *ad Bonifacium n. 3 respondere se testantem duabus Pelagianorum epistolis*, uni scilicet, quam dicitur Romam misisse Julianus . . . alteri autem, quam decem et octo velut episcopi participes ejus erroris non ad quoslibet, sed ad loci ipsius episcopum (*Rufum*) sua calliditate tentandum, et ad suas partes, si posset fieri, traducendum, ausi sunt Thessalonicam scribere. *Ex eo tamen, quod epistolam ad Rufum Thessalonicensem episcopum scripserint octodecim episcopi Pelagio addicti, non sequitur ut qui ad apostolicam sedem missus est libellus, a totidem episcopis fuerit conscriptus. Verum cum plurium nomine missum esse constet, hinc octodecimne, an plures vel pauciores fuerint, compertum habere aut nihil aut parum interest.*

29. *Certiora sunt argumenta, quibus hunc libellum epistolæ formam præ se ferre idem vir eruditus probat : neque obscurum est libellum seu epistolam istam episcoporum esse ad apostolicæ sedis præsulem scribentium, a quibus idem præsul et pater propter primæ sedis dignitatem, et frater propter episcopatus consortium compellatur. Si etiam vel cum paucis epistolæ Juliani ad Zosimum fragmentis, quæ ex Mario Mercatore proxime descripsimus, conferatur ; ea sese offeret styli consensio, qua utrumque scriptum ex eodem fonte prodiisse non immerito censeatur. Certe ut in his fragmentis Apostolo is adversari scribitur*, qui est assertor quod neque per mortem Adæ omne genus hominum moriatur, neque per resurrectionem omne genus hominum resurgat ; *ita in libello illo damnatur*, quicumque asserit quod neque per Adam omne genus hominum moriatur, neque per Christum omne genus resurgat. *Tum quod his statim subjicitur* : Vel si qua sunt alia, quæ vel contra catholicam fidem veniant, vel ad INDISCIPLINATAS pertineant quæstiones, simili exsecratione damnamus, *eumdem sapit stylum atque ista Juliani superius n. 26 relata :* Quod infantes in eo statu sint, in quo fuit Adam ante prævaricationem, inter INDISCIPLINATAS puto quæstiones. *Neque minus apertum est hoc eos scripsisse, cum ab eis exigeretur ut Pelagii ac Cœlestii damnationi subscriberent, idque detrectarent. Quocirca non sine industria in libello suo omnia exscribunt Scripturarum testimonia, quibus Zosimus epist. 3, ad Afros, n. 5, sententiam in absentes et inauditos minime dicendam esse probaverat. Tantum illud mirum, quod ea in re sese ab ipsomet Zosimo edoctos fuisse non jactitaverint. Verum id quod obtendebant, ne subscriberent, merum effugium fuit. Cum enim Pelagius atque Cœlestius sæpe fuissent auditi, eisque sive coram sive libellis in Palæstina, in Africa, in ipsa urbe Roma datus fuisset sese defendendi atque purgandi locus; post multas tergiversationes, quibus in unum contendisse convicti sunt, ut imponerent ac judicium eluderent, tandem eos a fide catholica alienos et damnatione dignos esse constitit. Tam solemni autem judicio subscribere dum Julianus ac socii eo obtentu nolebant, quod sibi in absentes, quos non audierant ipsi, sententiam dicere non liceret ; quis eos optima æquitatis lege perperam abuti non judicet ? In hoc quoque Juliani ac sociorum deprehenditur ingenium, quod expositioni fidei suæ in prædicto libello subjiciunt :* Hæc, ut nobis secundum catholicam fidem visum est, vestræ sanctitati conscripta transmisimus ; quæ si aliter putatis tenenda, rescribite : sin autem . . . certa sit sanctitas vestra nos ad audientiam plenariæ synodi provocare. *Ibi enim loquela dignoscitur ipsorum, qui et apostolicæ sedis judicium et orbis subscriptionem contemnentes, paulo post ad Rufum Thessalonicensem scripserunt :* Simplicibus episcopis, sine congregatione synodi, in locis suis sedentibus, extorta subscriptio est. *Quos refutans Augustinus inter alia dicit* (*Lib.* IV, *cont. Duas epist. Pelagian. c.* 12, *n.* 34) : Istorum superbia, quæ tantum se extollit adversus Deum . . . . hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis et Occidentis synodus congregetur. *Nil itaque repugnat, quominus prædictus libellus e duabus epistolis, quas Julianus a se ad Zosimum missas esse memorat, una censeatur post Pelagii quidem atque Cœlestii damnationem, sed antequam Julianus cum sociis e sedibus suis pelleretur, adeoque anno 418 conscripta.*

XII.

30. *An Julianus a Zosimo nominatim damnatus sit quæritur. Joan. Garnerius quominus illum ab hoc papa nominatim damnatum sentiat*, libello fidei, epistolaque ad Rufum Thessalonicensem aliisque pene infinitis sive Juliani, sive Augustini operum locis *prohiberi se scribit. Inficiari tamen nequit Julianum cum sociis Tractoriæ Zosimi subscribere nolentem ab episcopatu fuisse dejectum ; cum perspicua sint ea de re Mar. Mercatoris verba* (*Pag.* 138 *ed. Baluz.*) : Cui (*Tractoriæ*) Julianus et reliqui complices subscribere detrectantes . . . non solum imperialibus legibus, sed et sacerdotalibus statutis depositi atque exauctorati, et omni Italia deturbati sunt. *Ista autem*, sacerdotalia statuta, *quibus Julianus ac socii* depositi *sunt, in concilio cui Romanus pontifex præerat, sancita esse aperte docet idem Mar. Mercator præfat. in tractatus Nestorii* (*Edit. Baluz. pag.* 33), *ubi* Julianum ex episcopo Eclanensi cum participibus suis olim AB APOSTOLICA SENTENTIA exauctoratum atque depositum *memorat. Ibi quidem legit Garnerius* (*Pag.* 58) ab ecclesiastica sententia : *sed Baluzius*, ab apostolica sententia *ex archetypi fide restituit. Quocirca cum idem scriptor Julianum sic alloquatur* (*Edit. Baluz. p.* 119, *Garner. p.* 73) : Quis enim te in superiore sententia vel suspicari posset aliud sentire, quam illi omnes, qui sanctæ memoriæ papa Zosimo præsidente, Dei sacerdotes Pelagium, Cœlestium, TEQUE damna-

runt, *eum apostolicæ sedis præsulem, cujus sententia Julianum depositum dixit, non alium a Zosimo intelligere se satis significat. Quod tamen non eo sensu dictum, ut iisdem synodalibus statutis Pelagius, Cœlestius ac Julianus fuerint damnati; sed ut idem Zosimus, qui Pelagium Cœlestiumque damnarat, ac missa Tractoria damnari a cæteris præceperat, postmodum Julianum Tractoriæ huic ne subscriberet recusantem, ab episcopatu dejecit.*

31. *Quapropter et Augustinus* (*Lib.* I, *cont. Julian.*, *c.* 12, *n.* 13), *Mario Mercatori concinens, Zosimum Juliani* damnatorem *nuncupat. Ipsi quippe Zosimum prævaricationis accusanti respondet* : *Innocentii* successorem crimine prævaricationis accusas: quia doctrinæ apostolicæ et sui decessoris sententiæ noluit refragari. Sed de hoc interim taceo; ne animum tuum, quem sanare potius cupio, laudibus TUI DAMNATORIS exulcerem. *Sane pia illa Augustini affectio, qua Juliani animum demulcere ac sanare cupiens, eum exulcerare metuebat, ut ab invidioso* damnatoris tui *vocabulo se abstineret, exigebat, nisi judicii alicujus reipsa prolati veritas illud ab eo extorsisset. Ex iis autem, qui cum Juliano tunc condemnati sunt, nonnullos, Perfidium scilicet, Florum, Marcellinum atque Orontium Cœlestini papæ epistola* 20 *indicat. Hi porro primum Romana in synodo, Zosimo præsidente, statutis synodalibus de episcopatu dimoti, postmodum Bonifacio Zosimi successore agente, legibus imperialibus ex omni Italia deturbati sunt. Quæ duo Marius Mercator non satis distinguit.*

XIII.

32. *Zosimus anno* 418 *Octobris* 3 *die ad legatos, quos Ravennæ habebat, scribens, quorumdam rebellium clericorum suorum injuriosas adversus se memorat litteras, necnon sua ipsius scripta quibus* olim *litteris illis responderat* (*Zos. epist.* 14). *Sed quia illi, rebellione non absistentes, ad Comitatum præter canones perrexerant; idem papa, decreto edito, eos a communione sua submovit, atque hanc sententiam a se subscriptam una cum scriptis, quibus contumeliosas illorum epistolas olim refutarat, Ravennam ad prædictos legatos misit. Hæ autem clericorum rebellium epistolæ, Zosimi apologetica scripta, ejusdemque adversus illos prolata sententia interierunt.*

XIV.

33. *Neque ambigendum, quin aliquam Zosimus scripserit epistolam de Maximi Valentini episcopi causa, cujus cognitionem provinciali synodo* a successoribus suis *delegatam esse Bonifacius ipsius successor meminit* (*Bonifac.* I, *ep.* 3, *n.* 1).

XV.

34. *Ab Afris, uti vidimus, duo veluti Nicænis decretis præstituta Zosimus quæsierat: nimirum* ut Romam liceret episcopis provocare, et ut clericorum causæ apud suarum provinciarum episcopos finirentur. *Tunc illi, etiamsi nova et inaudita sibi viderentur, quæ Nicænæ synodi nomine proferebantur decreta* (*Bonifac.* I, *ep.* 1, *n.* 4), litteris *tamen* ad eumdem Zosimum datis rescripserunt, sese ea servare sine ulla ejus injuria paulisper sinere usque ad inquisitionem statutorum Nicæni concilii, *hoc est, decretis missis, donec Nicænorum explorata sit veritas, sese mortem gerere. An litteræ illæ Zosimo adhuc superstiti redditæ sint, necne, compertum non habemus. At illud certum, tempus ipsi defuisse quo causam istam finiret.*

XVI.

35. *Demum hæc Zosimo decreta Pontificalis liber attribuit :* Ut diacones lævas tectas de pallis linostimis haberent, ut per parochias licentia esset benedicendi cereum paschalem, ut nullis clericis poculum in publico propinaretur, nisi tantum in cellis fidelium, maxime clericorum.

DECRETA EX EPISTOLIS S. ZOSIMI EXCERPTA.

(Ex Coll. Concil. Mansi tom. IV.)

Apostolicæ sedis auctoritas contra sanctorum statuta aliquid concedere non valet.

(Ex Gratiano.)

Contra statuta Patrum concedere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem sedis potest auctoritas. Apud nos enim in convulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reverentiam.

EX EPISTOLA AD HESYCHIUM EPISCOPUM.

(Mansi tom. IV.)

I.

Si non fuerit doctus Scripturas non fiat episcopus.

II.

Qui ordinaverit non doctum episcopum deponatur.

III.

Si de infantia tonsus fuerit XX annorum, promoveatur.

IV.

Lector exorcista intra V annos, acolytus et subdiaconus III sint, diaconus V annos.

V.

Ordo clerici : lector, exorcista, acolytus, subdiaconus, presbyter, episcopus.

VI.

Bigamus vel pœnitens in clero non recipiatur.

EPISTOLA S. ZOSIMO PAPÆ ATTRIBUTA.

(D. Coust. Append. ad tom. I Epist. Rom. Pontif.)

CENSURA EPISTOLÆ.

Hanc primus Joannes a Bosco ad calcem Bibliothecæ Floriacensis vulgavit. Placet quidem atque antiquitatem redolere videtur ejus simplicitas. Sed eidem antiquitati primum adversatur usurpatum in ipsius inscriptione *archiepiscopi* vocabulum. Tum eorum, quæ in eadem asseruntur, falsitatem convincunt ipsius Zosimi epistolæ 5 et 6, « datæ III kal. « Octobris Honorio aug. XI et Constantio II conss., » in quarum prima Zosimus vehementer indignatur adversus Proculum Massiliensem, quod et ipse in synodo Taurinensi subripiendum id putavit, ut hæc synodus sibi præstaret ordinandorum in Narbonensi secunda provincia sacerdotum potestatem, et « socium sibi Simplicium Viennensis civitatis ascivit, qui non dissimili impudentia postularet, ut sibi quoque creandorum sacerdotum permitteretur arbitrium. » *Deinde ut id jus* « inviolabili in utraque Narbonensi et Viennensi auctoritate possideat metropolitanus Arelatensis civitatis episcopus, » constituit; quod et epist. 6 confirmat. An sententiam, quam a se « numerosa cognitione » præmissa pronuntiatam testatur, quarto post die mutasse dicendus est? Suspicionem hujusmodi tam a vero abhorrentem admitti prorsus non sinunt ejusdem pontificis epistolæ 10 et 11, Martii 5 die anni 418 consignatæ, ex quibus eum in prædicta sententia constantem fuisse exploratum est. Eo autem firmiora sunt ista falsitatis epistolæ hujus argumenta, quod ejus artifex litterarum Zosimi in Arelatensis episcopi gratiam scriptarum veritatem agnoscat ipse, ac pro certo habeat.

A AD SIMPLICIUM VIENNENSEM EPISCOPUM

Ut viciniores intra provinciam civitates, donec res plenius excutiatur, sibi vindicet. Lazarum damnatum esse.

ZOSIMUS episcopus SIMPLICIO, Viennensi archiepiscopo salutem.

Revelatum nobis est, qualiter in Taurinensi synodo causas tuæ diœceseos prosecutus fueris. Et licet Arelatensi episcopo, antequam legatus tuus venisset, propter reverentiam sancti Trophimi, jus et pontificium super tres provincias habere scripserimus: tamen si ita est, ut scripta tua nobis B missa continent, interim usque dum lucidius ventiletur, potestatem antiquam tibi manere permittimus: ut sicut in Taurinensi gravissimorum episcoporum synodo, pacis consilio decretum est, viciniores tibi intra provinciam civitates vindices, donec plenius rei ordinem charitas apostolica prosequatur. Lazarum indebite episcopum criminatorem fratris ordinatum, scias nostro judicio esse damnatum. Data sub die kalend. Octobris (*Octob.* 1 *ann.* 417), Honorio XI et Constantio consulibus.

ANNO DOMINI CCCCXVIII.

PAULINUS MEDIOLANENSIS.

(Biblioth. Vet. Patr. tom. IX.)

PROLEGOMENA.

1. Paulinum qui sancti Ambrosii res præclare gestas litteris consignavit, longe alium a Paulino episcopo Nolano fuisse, manifestissime docuit magnus Baronius (*a*), secus atque nonnulli postea existimarunt. Eum vero fuisse Mediolanensis ecclesiæ clericum, et quidem inferioris ordinis, ex ipsomet scriptore intelligimus (*b*); quippe qui *sub Casti diaconi cura degerat :* quemadmodum Majorinus, *qui lector in diaconio Cæciliani fuerat*, ut scribit Optatus (*c*). Quo quidem in munere, ad obitum usque beati antistitis cui erat a manu, ipsum permansisse, ex eodem compertum habemus. Ait enim (*d*): « Ante C paucos vero dies quam lectulo decumberet (Ambrosius), cum quadragesimum tertium psalmum dictaret, *me et excipiente et vidente*, subito in modum scuti brevis, ignis caput ejus cooperuit, atque paulatim per os ipsius tamquam in domum habitator ingressus est: post quod facta est facies ejus sicut nix, et postea reversus est vultus ejus ad speciem suam. Quod cum fieret, stupore perculsus obrigui, nec *potui scribere quæ ab illo dicebantur*, nisi postea quam visio ipsa transivit: dicebat enim in eo tempore testimonium Scripturæ divinæ, quod ego optime retinebam. Nam *scribendi vel dictandi ipso*

(*a*) Baron. ad ann. 397, § 46.
(*b*) *Paulin. Vit. S. Ambros.*, § 42.
(*c*) Optat. de Schism. Donat. lib. I, cap. 19.
(*d*) Paulin. l. c.

die finem fecit. . . . Ego vero id quod a me visum fuerat, *honorabili viro Casto diacono sub cujus cura degebam*, statim retuli. » Hæc ille. Deinceps vero diaconatus ordinem suscepisse Paulinum, ex Augustino (*a*) et Mario Mercatore (*b*) erudimur; quem videlicet eo in gradu adversus Cœlestium Pelagii hæresiarchæ collegam strenue insurrexisse produnt: ut propterea minus recte nonnulli existimarint (*c*), diaconum fuisse Ambrosii Mediolanensis episcopi eumdem Paulinum : cum constet, eum moriente Ambrosio minoris adhuc ordinis clericum exstitisse, ut modo ipsummet auctorem enarrantem audivimus. Decepti nimirum fuere viri doctissimi auctoritate Marii Mercatoris, qui parum caute illud tradidit (*d*); sed eo prudentior Augustinus, qui Paulinum Mediolani probe noverat, quique propterea B Hypodiaconum quidem, sed nusquam Ambrosii diaconum eum appellavit. Neque aliter sane Annalium ecclesiasticorum Parens, qui Paulinum *auctum* POSTEA *diaconatu* scribit (*e*). Porro scriptorem nostrum presbyterii honore fuisse præterea dignatum memoriæ prodidit Isidorus Hispalensis (*f*): quod tamen apud antiquiores nuspiam memoratum invenias.

2. Jam vero Paulini litterarum monimenta recenseamus. Is itaque hortatu sancti Augustini, quem noverit tum Mediolani cum istic ageret idem Augustinus, tum in Africa quo demum se contulit Paulinus, Vitam sancti Ambrosii conscripsit, ut ipsemet semel iterumque testatur (*g*). Neque vero statim ab obitu beatissimi præsulis qui anno 397 e vivis excessit, Paulinum ejusmodi scriptioni manum admovisse, vel eam saltem confecisse liquet. Scribebat enim post annum 400, quo ex hac vita sublato Simpliciano Ambrosii successore, in Mediolanensi cathedra sedebat Venerius, ut ex his ejus verbis colligimus (*h*) : *Defuncto eo* (Ambrosio) *non alius illi successit in sacerdotium, nisi is quem ille bonum senem trina voce signaverat. Cui Simpliciano Venerius. . . . successor fuit.* Quin et post Venerii mortem, quæ anno 408 aut 409 contigit, Vitæ Ambrosianæ conscribendæ operam adhuc dedisse Paulinum novimus: siquidem meminit Joannis præfecti prætorio, qui sub Honorio hanc dignitatem obtinuit annis 412, 413 et 422, ut ex προσωπογραφίᾳ Codicis Theodosiani constat (*i*). Auctoris verba sunt hujusmodi (*j*); *Postea vero quam directus est Joannes, tunc* D *tribunus et notarius, qui nunc præfectus est, ad tuitionem eorum qui ad ecclesiam confugerunt*, etc. Ex quibus ergo conficitur, non uno tenore, sed alternatim rem peregisse Paulinum. Nimirum opusculum istud hortante Augustino litteris tradere cœperit Mediolani; quod aliis curis supervenientibus intermissum, in Africa postea degens absolverit. Quæ quidem ipsemet palam professus esse perhibetur. Hæc enim habet (*k*) : *Nos tamen ea* (gesta) MEDIOLANI POSITI, *ipso Mascezele referente, cognovimus : nam et* IN HAC PROVINCIA IN QUA NUNC POSITI HÆC SCRIBIMUS, *plurimis hoc ipsum retulit sacerdotibus; quibus etiam referentibus, securius hæc nobis cognita*, HUIC LIBRO ADJUNGERE *arbitrati sumus.* Iterumque manifestius adhuc sub finem (*l*) : IN URBE ETIAM CARTHAGINIENSI, inquit, *cum apud Fortunatum diaconum fratrem venerabilis viri Aurelii episcopi*, AD CONVIVIUM CONVENISSEM *una cum Vincentio Colossitano episcopo, Murano etiam episcopo Bolitano, sed et aliis episcopis et diaconibus; tunc Murano episcopo detrahenti sancto viro* (Ambrosio) *retuli exitum presbyteri superius memorati.*

3. Porro ad hujusce Pauliniani opusculi pretium quod spectat, illud plane cum Baronio (*m*) aliisque post ipsum viris eruditis statuendum, nempe scriptoris fidem nemini licere in dubium revocare : « quæ enim vel ipse vidit, vel a sancta Marcellina de Ambrosio ejus fratre didicit, vel ex variorum epistolis post illius obitum datis de iis qui diversis in provinciis ipsum vidisse narrarunt, se scripsisse testatur. » Verumtamen illud in eo desideratur, ait vir doctus (*n*), quod in rebus enarrandis vix ullam C chronologiæ rationem habuit; neque (*o*) rebus ab Ambrosio gestis quæ posterorum memoriæ consignata reliquit, ullum scriptorum ejus indicem accuratum attexere studuit, quod quidem in Augustino præstitit Possidius. Hanc autem Ambrosii Vitam a Paulino contextam typis excudendam curavimus ex præclara editione Benedictinorum Parisiensi, qui eam ad codices sive mss. sive impressos summa diligentia exactum evulgarunt (*p*). Cæterum illud hic observare haud otiosum fuerit, Eugippium presbyterum et abbatem Lucullanensem, qui floruit ineunte sæculo VI, in Vita sancti Severini Noricorum apostoli narrationis meminisse, quam refert noster Paulinus (*q*). Quod propterea libuit annotasse, ut obviam iremus Tillemontio, qui hujusmodi Ambrosianam Vitam minus attente decurrens, narrationem illam ab Eugippio relatam in Paulini opusculo desiderari asseruit (*r*).

(*a*) Aug. de Peccat. Orig., num. 3, 8, tom. X, p. 254, 256; et contra duas Epist. Pelag. lib. II, num. 6, ibid. p. 435.
(*b*) Mar. Mercat. Common. sup. nom. Cœlest. § 1.
(*c*) Noris. Hist. Pelag. lib. I, cap. 4, opp. tom. I, p. 47; Benedictini ad opp. August., tom. X, p. 253, not. *a*; Constant. Epistt. Rom. Pont. p. 963; Ballerin. ad Opp. Noris. tom. IV, p. 861.
(*d*) Mar. Merc. l. c.
(*e*) Baron. ad ann. 397, § 47.
(*f*) Isid. Hisp. de Script. eccl., cap. 4.
(*g*) Paulin. l. c. § 1 et 56.
(*h*) Idem ibid., § 46.
(*i*) Cod. Theod. tom. VI, part. II, pag. 61.
(*j*) Paulin. l. c. § 31.
(*k*) Idem ibid., § 51.
(*l*) Baron. ad ann. 397, § 48.
(*m*) Nourr. Vit. S. Ambros. § 1 in append. ad tom. II, p. 31.
(*n*) Baron. l. c.
(*o*) Benedictini in append. ad tom. II Opp. Ambr. p. I—XIV. [*Init. tom.* XIV *Patrol. nost.*]
(*p*) Apud Bolland. tom. I Januar., pag. 494, num. 44.
(*q*) Paulin. Vit. Ambros. § 43.
(*r*) Tillem. Mem. eccles. tom. X, p. 81.

4. Alterum Paulini jam diaconi opusculum inscribitur : *Libellus adversus Cœlestium Zosimo papæ oblatus*. Hujus libelli auctorem esse Paulinum nostrum opinatur tantummodo Tillemontius (*a*) : sed eruditorum plerique rectius affirmant, Marii Mercatoris auctoritate (*b*) potissimum ducti, ut ex mox dicendis manifestius patebit. Scripti autem occasio ejusmodi fuisse intelligitur. Mediolano in Africam profectum Paulinum, Carthagine sedem posuisse, superius probe perspeximus. Illic vero degens, ubi detexit Cœlestium Pelagii comitem nova dogmata late per urbem spargere ac dissidiis cuncta complere, hæreticum hominem ad Patres Africanos synodum ibidem celebrantes oblato libello detulit. Prava dogmata quæ Cœlestio Paulinus objecit, recitant Augustinus (*c*) et Marius Mercator (*d*). Tum Cœlestius ab synodi Carthaginiensis Patribus dogmata illa damnare jussus, cum id recusasset, ab eadem synodo anathemate percussus, ex Africa fugiens in Asiam se contulit. Quomodo vero peracta res fuerit, idem Augustinus enarrat (*e*). Hæc porro accidisse anno 412 verno tempore, arguit vir doctissimus (*f*) ex litteris concilii Carthaginiensis ad Innocentium datis circa autumnum anni 416, ubi *ante ferme quinquennium* latam in Cœlestium ibidem fuisse sententiam Patres perscribunt. Aliter tamen censuere viri eruditi, qui haud ita pridem opera Norisiana illustrata junctim evulgarunt : anno videlicet 411 non vero 412 synodum Carthaginiensem in qua Cœlestius fuit damnatus illigantes (*g*).

5. Interea, teste Mercatore (*h*), ut contra se prolatum ab Africanis Patribus judicium declinaret hæreticus ille, ad Romanam sedem credidit appellandum : moxque appellatione neglecta Ephesum contendit, ubi et presbyter per obreptionem fuit ordinatus. Inde autem digressus post aliquot annos Constantinopolim petiit : unde ab Attico episcopo ejectus, Romam ubi Zosimus Innocentio successerat festinanter perrexit, ut ex appellatione pristina judicium subiret. Adit itaque pontificem, ejusque sententiæ acquiescere se velle simulans, Paulinum diaconum, jam ante quinquennium accusatorem suum, ad tribunal apostolicum provocat ; ac simulatione istiusmodi epistolam ad Afros a Zosimo impetrat (*i*) qua in Urbem vocantur Cœlestii accusatores qui ejus fidem coram redarguant. Hanc autem epistolam cum altera, Septembris 21 die anni 417 consignata, Basilisco subdiacono in Africam tradidit Zosimus perferendam. « Qui cum Carthaginem pervenisset, ait vir eruditus (*j*), Paulinum *quarto Nonas Novembris die* (*k*), haud dubie ejusdem anni 417, convenit, eum monuitque ut apostolicæ sedis judicio se sisteret. Paulinus vero vice sui libellum de quo hic sermo, VI idus Novembris, hoc est sexto postquam eum convenit Basiliscus die, adeoque anno 417 ad Zosimum misit. Porro in eo libello Paulinus Zosimo gratias agit, non quod Cœlestium damnasset, ut existimavit Baronius (*l*), sed quod in gestis Romæ anno 417 mense Septembri confectis instituisset, ut Cœlestius quæ ipsi a Paulino objecta fuerant capitula damnaret. Præterea eumdem libellum Romam pertulit Marcellinus subdiaconus (*m*), a quo nimirum litteras Afrorum se accepisse Zosimus epistola 11 Martii 22 die anni 417 reddita rescribit : ut propterea hunc Paulini libellum qui 8 Novembris die consignatur, anno antecedente 417 fuisse conscriptum constet, secus atque censet Annalium Parens, qui ad annum 418 eumdem libellum refert. » Hæc vir doctus. Quam tamen in sententiam de temporis notatione quo suum Paulinus libellum perscripsit, præiverant Norisius (*n*), Pagius (*o*) ac Tillemontius (*p*).

6. Verum iis adhuc superest occurrendum, quæ occasione hujusce libelli Pauliniani excogitarunt Quesnellius atque Norisius. Et ille quidem Paulini verbis relatis, quibus ait (*q*) se fuisse admonitum a Basilisco subdiacono, *ut adesset ad apostolicam sedem et Zosimi judicio* se sisteret, statim subdit (*r*), Paulinum vadimonio constituto obtemperare renuisse. Quæ sane Quesnelliana sententia nemini probanda videtur : « Neque enim renuit obtemperare Paulinus, ut jure arguunt viri eruditi (*s*), sed oblato excusationis libello, causas cur Romam non accederet, satis efficaces humiliter exposuit, quas a pontifice admittendas putavit. Inter has illam, quod nimirum hæc non amplius sua, sed totius ecclesiæ causa esset, ab Africanis Patribus approbatam tradit : nec ullum uspiam indicium est, ab iisdem Africanis Patribus prohibitum fuisse Paulinum, *ne ad diem dictum Romam iret :* quod censuit Quesnellius. Illud unum conjicere in promptu est, ipsis consentientibus eum non transmisisse, libellumque excusationis tradidisse, non Basilisco jamjam discessuro, sed Marcellino qui ad Africani concilii gesta Romam perferenda erat destinatus ; eo quod illi hæc omnia simul cum libello Zosimo exhibere crederent expedire. »

7. Ad Norisium quod attinet, existimavit ille qui-

(*a*) Idem ibid.
(*b*) Mar. Merc. Common. super nom. Cœlest. § 1.
(*c*) Aug. de Gest. Pelag., cap. 11, num. 23, tom. X, p. 204; et de Peccat. Origin., cap. 11, num. 12; ibid. p. 257.
(*d*) Mar. Merc. l. c.
(*e*) August. de Pecc. Orig., cap. 3, num. 3, ibid. pag. 254.
(*f*) Noris. Hist. Pel. lib. I, cap. 4, Opp. tom. I, pag. 47.
(*g*) Baller. Opp. Noris. tom. IV, pag. 577, in Hist. Donat. part. II, cap. 13, § 4.
(*h*) Mar. Merc. l. c. § 1 seqq.
(*i*) Zosim. epist. 2.
(*j*) Coustant. Epistt. Rom. Pontiff., p. 963.
(*k*) Paulin. libell. § 4.
(*l*) Baron. ad ann. 418, § 11.
(*m*) Paulin. libell. § 4.
(*n*) Noris. Hist. Pelag. lib. I, cap. 12, p. 121, 123.
(*o*) Pagius ad ann. 418, § 5.
(*p*) Tillem. Mem. eccl. tom. XIII, p. 1015, not. 70, sur S. Augustin.
(*q*) Paulin. l. c. § 4.
(*r*) Quesn. ad Opp. S. Leon., dissert. 13, § 10.
(*s*) Baller. Opp. S. Leon., tom. III, p. 786, not. 16.

dem (*a*), Paulinum, statim atque intellexit Cœlestium in synodo Carthaginiensi damnatum ad sedem apostolicam appellasse, Romam ex Africa se contulisse, ut contra eumdem hæreticum coram Innocentio Romano pontifice latam ab eadem synodo sententiam defenderet : quam in sententiam cardinalem amplissimum pertraxerunt ejusmodi Paulini verba (*b*) : *Ubi* (Romæ scilicet) *tunc ideo nihil agere potui, quia is qui ad sedem apostolicam provocaverat, defuit.* « Verum, inquiunt viri docti modo laudati (*c*), Paulini verba non illum sensum Norisianum necessario effundunt : nihil enim se apud sedem apostolicam potuisse agere Cœlestio absente, affirmare vere potuit, licet in Africa semper fuerit, propterea quod paratus erat eo pergere, si quidem Cœlestius *appellatione neglecta* Ephesum haud aufugisset. Etenim, subdunt, in judiciis sive civilibus, sive ecclesiasticis, hic ordo servatur, ut is qui appellavit judici se sistat, eoque instante, ille qui vicit citetur ; non vero victor altero fugiente judicem vocatus conveniat. Hinc idem Paulinus in laudato libello se protinus adfuturum ait, *si adversum me, et non pro me lata fuisset sententia.* His adde, quod si Paulinus ad Innocentium ex Africa accessisset, hæc Cœlestii appellatio non fuisset ignota eidem pontifici ; atque proinde in tribus ejus litteris quas post eam appellationem dedit ad Africanos Patres, aliquam ejus appellationis mentionem fecisset. Quibus porro adducti rationibus ii fuisse videntur, qui postea Pelagianam historiam diligentissime conscripsere, ut hanc Paulini transmissionem præterierint. »

8. Exstat denique tertium Paulini de quo loquimur opusculum *de Benedictionibus patriarcharum* inscriptum, quod cura et studio Joannis Aloysii Mingarelli V. C. e membraneo codice bibliothecæ S. Salvatoris Bononiæ descriptum dudum prodiit (*d*). Hujusmodi porro libellus haud latuit sanctum Isidorum Hispalensem. De eo enim deque illius auctore sic loquitur (*e*) : *Paulinus presbyter explicuit in benedictionibus patriarcharum triplici intelligentiæ genere libel-*
A *lum, satis succincta brevitate compositum. Idem etiam, petente Augustino, conscripsit Ambrosii Vitam, signis florentem atque doctrinis, et meritis Apostolorum non imparem.* Isidorum hic Paulinum Mediolanensem cum Nolano improvide miscuisse, nonnulli eruditorum censuere, quos inter Tillemontius (*f*) et Fontaninus (*g*). Sed prorsus immerito : quod videlicet Isidorianum locum minus attente perlegerint. Recte siquidem et apposite utrumque Paulinum distinguit sanctus præsul Hispalensis, ut probe perspexit solers Fabricius (*h*). Memorat enim, Paulinum nostrum Ambrosii Vitam scripsisse, quemadmodum *obitum* PAULINI *Uranius edidit* (*i*). Incusatur præterea Isidorus ab iisdem viris criticis, quod perperam Paulino Mediolanensi Rufini opus tribuerit *de Benedictionibus*
B *patriarcharum*, Paulino postea Nolano episcopo nuncupatum : perinde ac si huic vel illi scriptori haud liceat de eodem argumento disserere, quod alterum pertractasse noverit. Primus omnium enim vero *de Benedictionibus patriarcharum* scripsit sanctus Ambrosius (*j*), neque tamen ab ejusmodi scriptione retractanda Rufinum deterruit sancti antistitis Mediolanensis elucubratio. Quidni ergo post utrumque, Ambrosium et Rufinum, Paulino licuerit *Benedictiones patriarcharum* iterum exponendas suscipere, quemadmodum hujusmodi opus illum perscripsisse testatur Isidorus, exemplo videlicet doctoris sui Ambrosii potissimum excitato ? Quin nihil veritum antiquiores scriptores, in idem argumentum excutiendum deinceps incubuisse Alcuinum intelligimus (*k*). Neque
C minus a vero aberrasse novimus viros eruditos, qui opus Paulino ab Isidoro tributum, idem esse ac Rufinianum duxerunt : quam sane conjecturam omnino abjecissent, ut equidem existimaverim, si vel maxime collatione instituta utrumque opus diligenter evolvere ipsis licuisset. Cætera vero, neque plane levia, in eamdem sententiam videas apud cl. Mingarellium, qui pluribus in medium adductis, opusculi auctorem esse nostrum Paulinum luculenter comprobavit.

(*a*) Noris. Hist. Pelag. lib. I, cap. 4, p. 49.
(*b*) Paulin. l. c. § 4.
(*c*) Baller. lib. I cap. 4, Observ. ad Opp. Noris. tom. IV, p. 862.
(*d*) Vet. Patr. Latin. tom. II, part. I.
(*e*) Isidor. de Scrip. eccles. cap. 4.
(*f*) Tillem. Mem. eccl. tom. XII, p. 310.
(*g*) Fontan. Hist. litt. Aquil. lib. V, cap. 2, § 5, p. 219 seqq.
(*h*) Fabric. Schol. ad Isidor. in Bibl. eccl. p. 51, sub init.
(*i*) Isidor. l. c.
(*j*) Ambros. Opp. tom. I, p. 513.
(*k*) Apud Baron. ad ann. 418, § 79.

PAULINI DIACONI OPUSCULA.

I.

VITA SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI A PAULINO EJUS NOTARIO AD B. AUGUSTINUM CONSCRIPTA.

(Hoc opusculum videsis inter opera S. Ambrosii, tom. XIV nostræ Patrol., init.)

II.

LIBELLUS ADVERSUS COELESTIUM, ZOSIMO PAPÆ OBLATUS.

1. Beatitudinis tuæ justitiam obsecro, domine Zosime papa venerabilis. Numquam fides vera turbatur, et maxime in Ecclesia apostolica, in qua pravæ fidei doctores ut deprehenduntur facile, ita veraciter puniuntur : ut [a] moriatur in illis, si corrigant, quod male conceperant et deterius pepererant; et in illis vera sit fides, quam Apostoli docuerunt et Romana cum omnibus catholicæ fidei doctoribus tenet Ecclesia. Quod si, ut cæteri auctores hæreseos, qui jam dudum ab apostolica sede vel a patribus judicati, et extra sinum matris catholicæ Ecclesiæ effecti, perpetua morte [b] perierunt, etiam hi qui nunc deprehensi sunt, vel deprehenduntur, in perfidia sua permanent, spiritali gladio quo interimantur, tradantur : ut nunc Pelagius Cœlestiusque, qui a beatæ memoriæ prædecessore tuæ beatitudinis papa Innocentio, si rectam respuant fidem et in sua perversa doctrina perdurent, damnati sunt.

2. Cujus sententiam secuta Beatitudo tua, Cœlestio, cum a sede apostolica audiretur, inter cætera præcepit his verbis : *Damnas ergo illa omnia, quæ in* A *libello Paulini continentur?* hoc est de Quæstionibus [c]. Et in alio loco : *Cognovisti quales litteras dederit sedes* [d] *apostolica ad fratres et coepiscopos Africanæ provinciæ?* Et adjectum est : *Damnas illa omnia quæ damnavimus, et tenes quæ tenemus?* Et iterum : *Illa omnia damnas quæ jactata sunt de nomine tuo ?* Et iterum : *Vel ea quæ in libello suo exposuit Paulinus?* Et cum me diceret posse, ex iis quæ illi objecta sunt, hæreticum approbari : sancto repletus Spiritu, apostolica auctoritate respuisti [e] et repressisti insanientis et calumniantis verba, hujusmodi proferendo sententiam, qua ipse catholicus approbarer; illum, si sanari vellet, curares ; quæ hujusmodi est: *Nolo nos circuitu ducas ; damnas ea omnia quæ tibi objecta a Paulino, sive per famam jactata sunt ?* Cui B non sufficit ista sententia? Quis hanc tam salubrem, tam amplectibilem, tam piam respueret alius, nisi qui a fide devius est? Et ille, qui superius professus fuerat, se quæcumque illi objecta fuerant, si contra fidem [f] judicares, esse damnaturum, [g] audit, *Damna ;* et non solum non damnat, sed ad injuriam

[a] Baron. cum ms. Vatic., *ut moriantur.* Præferendum cum Lab., *ut moriatur.* Deinde idem Lab. post Baron. : *in illis, nisi correxerint quod deterius perpetrarant, ut in illis vera sit fides.* Archetypi lectionem, quæ integrior est, revocamus, verbum *sit* quod in eo desideratur, ante vocem *fides* supplentes.

[b] In vulgatis, *pereunt.* Concinnius in ms. Vatic., *perierunt :* hoc enim ad præteritos hæreseos auctores refertur. Ex ejusdem ms. fide mox restituimus *deprehenduntur* ubi editum erat *deprehendentur.*

[c] Seu capitulis objectis.

[d] In ms. Vatic. desideratur *apostolica.* Hic memorantur Innocentii ad duo concilia et ad quinque episcopos litteræ.

[e] Verba *et repressisti* in vulgatis prætermissa fuerant.

[f] Baron. et Lab., *vindicares.* Verbum *judicares* recte a nobis restitutum non negabit, qui apud Augustinum, lib. de Pecc. orig., c. 7, hæc ipsa legerit Cœlestii ad Zosimum verba : *Si forte ut hominibus quispiam ignorantiæ error obrepserit, nostra sententia corrigatur.*

[g] In vulgatis, *audi;* et mox, *tantam sedis.* At textus series *audit* postulat; et ut cum uno ms. Va-

tantæ sedis contendit. Unde jam non ignorat Ecclesia Romana reum suum, qui tam audaci spiritu ausus est contradicere, et non damnare quæ Beatitudo tua damnari decrevit.

3. Ego tamen Deo et Christo Domino gratias ago, quod Ecclesiæ suæ causam ita agi voluit, ut sedes apostolica, a qua oportuit ore duorum [a] suorum pontificum hæresim condemnari, ea damnanda præceperit, quæ a me Cœlestio fuerant objecta: cujus ego non damnationem, sed correctionem semper optavi et opto; cui nunc jam non mecum, sed cum universa Dei Ecclesia, causa est, sicut data ad Beatitudinem tuam [b] Afrorum episcoporum scripta testantur; cum contra apostolicam sententiam venire nititur negando originale peccatum, quod in omnes homines pertransiit, et usque ad finem mundi tenet hæreditatem Adæ illius, qui primus peccavit: quod in infantibus nisi per sacramentum Baptismi dimittatur, vitam æternam et regnum æternum habere non possunt. Contra quæ etiam magister suus litigat Pelagius, qui illa ipsa damnavit [c] in judicio orientali, quæ iste in sedis apostolicæ cœtu conatur astruere. Habet adversum se etiam veteres Ecclesiarum doctores catholicos plurimos, orientales et occidentales, meridianæ partis atque septentrionalis, qui in libris suis illum de originali peccato, si

A sanari desiderat, possunt docere. Habet beatum Cyprianum martyrem, beatum Ambrosium confessorem, Gregorium Nazianzenum, beatum papam Innocentium. Habet etiam qui in corpore sibi colluctentur, si tamen [d] se tanto certamini habilem judicat; aut certe quos sequi debeat, si vult magis recta discere, quam prava docere. Habet, quod primum est, beatitudinem tuam, cujus illum oportuerat obedire sententiæ, cum audiret, *Damna*. Habet postremo ipsos lactentes, quibus misereri debeat, si sibi non vult; quibus, ut verbis Martyris [e] utar, *non propria, sed aliena dimittuntur peccata.*

4. Unde oro beatum apostolatum tuum, ut hunc meum libellum suscipi jubeas, quo gratiam referam tantæ sedi, et sententiis justissimis pro parte mea

B latis: quem idcirco direxi, quia me, licet sermone, Basiliscus subdiaconus a tua beatitudine cum Gestis sedis apostolicæ [f] directis Carthagine convenit quarto nonas Novembris die, ut adessem ad apostolicam sedem et tuæ judicio sanctitatis, ad quam [g] me fugisse suggestum est, nec defuturum fore promittere, si adversum me, et non pro me, fuisset lata sententia. Ubi tunc [h] ideo nihil agere potui, quia is qui ad sedem apostolicam provocaverat defuit: [i] quem oportuerat utique merita suæ appellationis astruere, maxime cum nihil agente appellatore, secundum

tic. præferamus *tantæ*, suadet id quod habetur infra, *quo gratiam referam* TANTÆ *sedi*. Quæ autem a Paulino hic narrantur, confirmat et Augustinus lib. de Pecc. orig. c. 7. Ibi nominatim docet, Zosimum cum Cœlestio egisse, *ut ea quæ illi a Paulino fuerant objecta damnaret, atque ut sedis apostolicæ litteris, quæ a sanctæ memoriæ suo præcessore manaverant, præberet assensum. At ille*, inquit, *noluit quidem diaconi objecta damnare: sed beati papæ Innocentii litteris non est ausus obsistere, immo se omnia quæ sedes illa* C *damnaret, damnaturum esse promisit.* Hæc promissio qua ratione ab illo extorta sit, Marius Mercator sic explicat: *Crebris responsionibus et prosecutionibus suis spem præseminavit, condemnare se illa capitula de quibus apud Carthaginem fuerat accusatus, promittens; id enim et instantius jubebatur, ab eoque vehementius ut id faceret exspectabatur.* Eatenus igitur tantæ sedi reverentiam habebat, quatenus generatim omnia quæ illa judicaret damnanda, damnaturum se pollicebatur. At ubi instabat illa sedes, ut quæ a Paulino fuerant objecta damnaret, tum ad ejusdem sedis injuriam contendebat, tergiversabatur, et promissum quod animo nolebat implere, eludebat.

[a] Ex ms. Vatic. hic revocatur *suorum*, quod in prius vulgatis prætermissum fuerat.

[b] Et hic in editis omissæ erant voces *Afrorum episcoporum;* quæ ex eodem ms. restituuntur. Illa autem Afrorum scripta, quæ per eumdem Marcellinum, per quem et hic Paulini libellus perlatus est, transmissa fuerant, exciderunt: sed horum meminit Zosimus epist. 11.

[c] Istud Augustinus, lib. I cont. Julian. cap. 5, n. 19, memoriæ mandavit his verbis: *Nisi enim in eorum* (qui Diospoli judices sederunt) *conspectu audituque damnasset eos, qui dicunt quod peccatum Adæ ipsum solum læserit, et non genus humanum, et quod infantes nuper nati in eo statu sint, in quo Adam fuit ante peccatum, et infantes etiamsi non baptizentur, habere vitam æternam; nullo modo inde nisi damnatus exisset.* Verba ipsa, quibus Pelagius hæc damnavit, idem doctor, lib. de Gestis Pelagii cap. 11, n. 24, refert: sed illius hac in re professionem sinceram non fuisse lib. de Pecc. orig. cap. 6, monet.

[d] Editi, *si tamen hos tanto certamini habiles;* et mox *aut certe qui vos sequi:* emendantur ex ms. Vatic.

[e] Cypriani epist. edit. Pamel. 59, ad Fidum.

[f] Leg., *directus.*

[g] Verius ipsum Cœlestium ad eam sedem fugisse suggestum esset. Deinde legendum *nec me defuturum fore promitterem*, tametsi sermone tantum, non scripto conventum ac citatum, ad id nulla lex cogeret. Ad intelligentiam hujus loci nonnulla hic attexere juverit Marii Mercatoris verba. Primo quidem narrat, quo pacto in Africa anno 411, capitulis sex a Paulino objectis commoti *patres et episcopi regionis illius restiterunt Cœlestio, et jusserunt ut eadem damnaret, quia essent hæretici sensus.* Deinde subdit: *Sed Cœlestius nullo modo acquiescens, quin immo resistens, actis iisdem quibus frequenter auditus est, ecclesiastica communione privatus est: a qua sententia ad Romani episcopi examen credidit appellandum. Qua mox idem appellatione neglecta, Ephesum Asiæ urbem contendit, ibique ausus est per obreptionem presbyterii locum petere*, etc. Unde liquet 1° pro Paulino adversus Cœ- D lestium a Carthaginiensi concilio latam esse sententiam; 2°, Cœlestium ab hac sententia ad Romanum quidem provocasse pontificem, sed appellationi suæ intra tempus legibus præfinitum defuisse. Cavetur quippe Cod. Th. lib. XI, tit. 30, leg. 4, ut *appellationes transmarinæ intra anni spatium agantur*; Cœlestius autem tantum sexennio post, Romanum pontificem adiit. Postremo justa Paulino expostulandi causa exstitit, quod Cœlestius, spretis canonibus, presbyterii gradum Ephesi prius appetierit, quam Romæ se purgasset, aut communioni qua privatus erat, redditus fuisset.

[h] In vulgatis, *tunc igitur*. Concinnius in ms. Vatic., *tunc ideo*. Proxime antea *Ibi* mallemus, quam *Ubi*.

[i] Vid. Cod. Th. lib. XI, tit. 31, leg. 1.

etiam humanas leges, superior est semper ille qui vicit. Quid enim jam mea intererat, ut etiam apud vestram reverentiam pravæ ejus doctrinæ astipulator [a] exsisterem: de quo congaudere possem, si damnatis iis quæ illi a me objecta fuerant, [b] sic et apostolicæ sedis judicium roboraret, ut meruisset absolvi; nec prius se ordinari, quam purgari, pateretur.

5. Sed vulpecula fraudibus fuit semper studens: ingenium suum mutare nescit. Non se credidit posse A deprehendi: quoniam confidentiam semper in foveis habuit, in quibus demersum caput conscientiæ suæ nititur occultare. Quod jam diutius latere non potuit, sed manifestius publicatum, spiritali per tuam beatitudinem gladio resecatur: ne amplius ferinis dentibus grex Domini secetur in partes, quem pastor bonus sollicita et pervigili cautela custodit. Hunc autem libellum direxi beatitudini tuæ per Marcellinum subdiaconum ecclesiæ Carthaginiensis. Dat. VI idus Novembris.

[a] Vatic. ms.. *exsistere.* Edidit Baron., *exsisteret.* Sed orationis series *exsisterem* postulat, eamque lectionem prædictus ms. eo magis permittit, quod mox in eodem rursum *posse*, pro *possem*, occurrit. Porro illic *astipulator* non consentientem, sed testem sonat.

[b] In archetypo Vatic., *sicut apostolicæ sedis judicium roborari meruisse tam absolvi*, quod Baronius et ex eo Labbeus ita exhibuerunt: *sic ea per apostolicæ sedis judicium roborari meruisset absolvi.* Quod nobis minime retinendum duximus.

III.

DE BENEDICTIONIBUS PATRIARCHARUM LIBELLUS.

PRÆFATIO.

Sacrosancta atque præsaga sanctorum Patriarcharum benedictio, quæ per Spiritum sanctum atque os beati Jacobi singulis est competenti qualitate distributa, nec per omnia sensu litterario potest intelligi, maxime cum idem beatus Patriarcha dicat: *Ut annuntiem vobis quæ ventura sunt in novissimis diebus* (*Gen.* XLIX, 1): nec ita extenuanda per sensum allegoricum, ut omnino evacuari debeat sensus historicus: quia et quædam, uti post videbimus, sic eis prædicta sunt, ut quædam in proximo, quædam multo post venerint: tamen plura ex illis in finem futura servata sunt. Quæ ergo [a] historialiter in ipsis verbis intelligere possumus, primum, quasi fundamenta jaciendo, donante Domino, strictim pandamus: quæ autem omnimodis litteram refugiunt, ea per spiritalem intelligentiam, sicut et spiritali sunt intellectu carpenda, discutiamus.

CAPUT PRIMUM.

Benedictio Ruben.

1. *Ruben primogenitus meus; tu fortitudo mea, et principium doloris mei: prior in donis, major imperio* (*Ibid.*, 3). Patet litteræ sensus, quia beatus Jacob primum filium Ruben ex Lia uxore sua susceperit (*Gen.* XXXIX, 31, 32): qui si se digne tanto patre tractasset, ad eum primogenita regnumque pertineret. Unde dicit eum *primogenitum*, quasi cui deberentur dona primogeniti. Sed et *fortitudinem* suam eum nominat, eo quod robur imperii ad eum debuerit declinare. Hæc autem non ideo indicative protulit, quod ita futura esse vel prævideri, vel B voluerit; sed ut eum per hæc dicta ad pœnitentiam cohortaretur, cum recoleret, a quanta dignitate peccando decidisset.

2. Unde dicit: *et principium doloris mei.* Principium namque doloris ejus fuit, qui, ruptis castimoniæ habenis, infrenis irruit ad constuprandam conjugem patris (*Gen.* XXXV, 22): quæ res non mediocri dolore eum stimulasse credenda est. Bene autem dicitur *principium doloris* iste, quia et reliqui fratres accusati sunt a beato Joseph apud patrem crimine pessimo (*Gen.* XXXVII, 2).

3. Quod autem ait: *prior in donis*, ad primogenita pertinet, quæ illi tamquam primogenito debebantur. Quod vero subjungit: *major imperio*, aperte declaratur, ad eum pertinuisse, ut de ejus semine C reges reliquorum fratrum crearentur.

4. Quod vero ait: *effusus es sicut aqua*, hunc habet sensum: Sicut aqua quæ vase non cohibetur, quaquaversum fluit, et ubi declivior locus humiliorem se præbuerit, toto impetu decidit; ita tu nulla mensura conjugali libidinem cohibuisti, sed quo te impetus voluptatis allexit [b], eo sentinam tuæ concupiscentiæ diffudisti. Cum vero subjungit: *non crescas*, prohibet eum ulterius a tali et simili turpitudine. Unde et Dominus ad Cain: *peccasti? quiesce.*

5. Quo autem ista tendant, subjuncta verba testantur: *Quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus* (*Gen.* XLIX, 4). Manifeste enim iis verbis incesti crimen, quod ille in Balaam [c] concubinam patris sui commiserat (*Gen.* XXXV, 22), exaggeratur. Quod ne cui forsan violentum videatur, eo

[a] Martianæi codex mendose habebat *ego.*
[b] Martianæus legit *allexerunt.*

[c] Martian., *Balam.*

quod præmissum est: *annuntiabo vobis quæ ventura sunt in novissimis diebus*; audiat, quid liber Paralipomenon de hac re dicat: *Filii quoque Ruben primogeniti Israel: ipse quippe* [a] *fuit primogenitus ejus: sed cum violasset torum patris sui, data sunt primogenita ejus filiis Joseph filii Israel, et non est* [b] *reputatus in primogenitum* (I *Paral.* v, 1).

6. Typice autem Ruben iste primogenitus populum designat Judaicum, qui primogenitus fuit Dei, juxta illud quod de illo Dominus ad Moysem ait: *Filius primogenitus meus Israel* (*Exod.* iv, 22); et beatus Hieremias: *Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus* (*Jerem.* ii, 3). Qui *fortitudo* illius fuit, quando in Patriarchis et Prophetis, et cæteris quibuscumque fortissimis viris contra [c] idolatriam, et vitiorum omnium impuram catervam fortiter dimicavit.

7. Qui tamen *principium doloris* ejus postea exstitit [d], quando adveniente Salvatore in incredulitate permanens doctrinam illius suscipere [e] mente tumida recusavit. Unde Dominus videns civitatem Hierusalem, flevisse dicitur (*Luc.* xix, 41), et in Lazari resuscitatione pro ejus populi cæcitate lacrymatus esse perhibetur (*Joan.* xi, 38).

8. Cum autem dicitur *prior in donis*, ostenditur quidem præcessisse eumdem populum in [f] muneribus a Deo collatis: subsecuturam vero gentium Ecclesiam, quæ eisdem et multo potioribus esset donanda charismatibus. Cum vero subjungitur [g] *major imperio*, non mirum [h] si honoretur eadem gens, quæ prima credidit prærogativa patrum, quando beatus Paulus apostolus *multum per omnem modum amplius esse Judæo* dicat (*Rom.* iii, 1, 2).

9. Addidit interea: *Effusus es sicut aqua*, effrenationem illius populi mente considerans, qui nequaquam vase legis ac præceptorum divinorum coercitus est mensura; sed abjectis omnium præceptorum Dei vinculis, in Salvatoris necem toto conatu locutionis suæ rivos effudit. Nam quod per aquam locutio bona vel mala significetur, Scriptura testis est divina, quæ in bono dicit: *Aqua profunda verba ex ore viri* (*Prov.* xviii, 4); itemque in malo: *Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum* (*Prov.* xvii, 14). Quod vero subjungit: *non crescas*, ostendit eumdem populum, sicut et oculis cernimus, inter cunctas gentes paucissimo numero diminutum.

10. Quare autem ista perpessus sit, subjuncta verba testantur: *Quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus.* Per cubile patris [i] carnem Salvatoris insinuamus [j]. Nec mirum. Cubile patris ejus gentes, et corpus dominicum intelligit, quia ab

A eodem idem populus creatus est: nam scriptum est de eo: *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* i, 3). Per *stratum* vero idem corpus intelligitur, quod quasi a Judæis maculatum est, quando eorum acclamatione Dominus et in cruce suspensus, et lancea transverberatus est, atque cruore proprio perfusus est.

CAPUT II.

Benedictio Simeon et Levi.

1. *Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia* (*Gen.* xlix, 5). Patet litteræ sensus: quia hi duo fratres ob ulciscendum stuprum sororis sub ornata pace et fictis amicitiis deceperunt Sichem et Hemor patrem illius (*Gen.* xxxiv). Quos *vasa iniquitatis bellantia* nominat, quia iniquum valde fuit amici- B tiam prætendisse, et eam postea prodidisse.

2. *In consilio eorum ne veniat anima mea* (*Gen.* xlix, 6); videlicet exsecrans omnem simulatam pacem. Unde et beatus David [k] talibus quibusque fictis imprecatur: *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem sunt in cordibus eorum. Da illis secundum opera ipsorum* (*Psal.* xxvii, 3, 4). Quod vero subjungit: *Et in cœtu illorum non sit gloria mea*; nolebat utique tali victoria, et potius cæde gloriari, in qua non virtus bellatoris poterat laudari, sed potius falsitas deceptoris coargui.

3. *Quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum.* Per *virum* Sichem intelligi debet, et per eum omnes qui ejus causa peremti sunt. *Suffossio* autem *muri* non quidem in libro C Geneseos legitur ibidem fuisse patrata: sed tractum est hoc a consuetudine bellantium, qui a longe terra suffossa per cuniculos fundamenta murorum destruere atque ignem immittere solent, quo excocti lapides murorum firmitas ac stabilitas dejiciatur.

4. Quanta autem animadversione hoc factum feriat, videamus. *Maledictus*, inquit, *furor eorum, quia pertinax; et indignatio eorum, quia dura. Pertinax* namque *furor* illorum exstitit, quia nec blanditiis deliniri, nec donis potuit mitigari. Et *dura indignatio* comprobata est, quæ nec per illorum interfectionem qui piaculum perpetrarunt, potuit emolliri, sed super omnem civitatem potius non dubitavit grassari [l].

5. Quod autem ait: *Dividam eos in Jacob, et* D *dispergam illos in Israel*, proprie ad Levi pertinet, qui per totum Israelem dispersus est, non accepta propria hæreditate; sed in civitatibus atque suburbanis earum habitando, sicut hic dicitur, *dispersus est et divisus.* Moris est namque sacræ Scripturæ, dum de adhærentibus sibi loquitur, ea quæ non

[a] Codex noster mendose habet *quoque* pro *quippe*.
[b] Vulgatus interpres hic addit *ille*: quam voculam cum hic scripsisset librarius, eam postmodum delevit.
[c] Ita constanter librarius, pro *idololatriam*. Vide Trombellium in *Hilarii* epistolam not. 175.
[d] Voces *postea exstitit* omittuntur a Martianæo.
[e] Vox *suscipere* omittitur a Martianæo.
[f] Particula *in* omittitur a Martianæo.
[g] Martian., *subjungit*.
[h] Martianæi codex pro *non mirum* mendose habebat *nimirum*.
[i] Martianæus hic addit *tui*.
[j] Martianæus legit *insinuans*.
[k] Librarius mendose quidem, sed constanter scribit *Davit*.
[l] Codex habet *crassari*.

omnibus, sed quibusdam soleant evenire, generaliter tamen prædicere. Unde et Dominus Jacobo et Joanni: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Calicem quidem meum*, ait, *bibetis* (*Matth.* XX, 21, 24). Nec tamen Joannes calicem passionis sanguinem fundendo bibit.

6. Quantum autem ad futurorum pertinet prophetiam, per Simeon et Levi, Scribæ et Pharisæi designantur: ex Levi namque principes Sacerdotum fuisse patet. Qui *vasa iniquitatis bellantia* fuere, cor habentes, secundum Domini exprobrationem, *plenum iniquitate, et rapina* (*Luc.* XI, 39). Bellabant autem adversus Dominum non armorum pugna, sed versutia callida, quærentes quomodo veridica Domini verba et facta falsis expugnarent argumentis.

7. Quæ vir sanctus detestans ait: *in consilio eorum non veniat anima mea;* videlicet exsecrans illud consilium, quod Judæi colligentes dicebant: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit* (*Joan.* XI, 47)? et reliqua. Et *in cœtu illorum gloriam suam esse* nolebat; nolens videlicet in multitudine eorum gloriari, qui quo pluriores, eo erant deteriores: Scripturæ sensum jam tunc opere complens, quæ dicit: *Ne glorieris in filiis pessimis, si multiplicentur* (*Eccles.* XVI, 1).

8. Reddit autem causam, quare consilium et cœtum talium abominetur, dicendo: *Quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum.* In furore namque suo occiderunt Virum, videlicet Dominum Salvatorem, de quo Zacharias ait: *Ecce vir: Oriens nomen ejus* (*Zach.* VI, 12), clamando ad Pilatum: *tolle, tolle, crucifige eum* (*Joan.* XIX, 15). Et *in voluntate sua suffoderunt murum*, quia voluntatem suam complentes, Dominum et crucifixerunt, et latus ejus terebraverunt. Qui *murus* noster jure vocatur, quia munimine ejus ab adversitatibus hostium spiritalium custodimur. De quo sanctæ Ecclesiæ repromittitur his verbis: *Urbs fortitudinis nostræ Sion Salvator: ponetur in ea murus, et antemurale* (*Isa.* XXVI, 1).

9. Quod factum vir sanctus validissimo cuspide maledictionis confodit, dicens: *Maledictus furor eorum, quia pertinax; et indignatio illorum, quia dura.* Furorem namque pertinacem habuerunt, et indignationem duram; quia nec per miracula divina ad credendum eum Deum perduci potuerunt, nec tamquam innocenti homini et nihil eos lædenti, usque ad mortem persequendo pepercerunt.

10. Quod vero subjungit: *Dividam eos in Jacob, et dispergam illos in Israel;* hoc est, quod nunc videmus. Iisdem populus paterno solo exhæredatus in cunctas gentes, ob testimonium credulitatis nostræ, perfidiæ suæ pœnas luit. Quod et beatus David in psalmo ex persona Domini nostri prophetavit dicendo: *Deus meus demonstravit mihi super inimicos meos: ne occidas eos, ne quando obliviscantur legis tuæ: disperge eos in virtute tua* (*Psal.* LVIII, 12). Bene autem *dividi* dicuntur *in Jacob*, *et dispergi in Israel;* quia sancta Ecclesia quæ vitiorum supplantatrix est, Jacob jure vocatur; et quæ mentis puritate Deum videre nititur, Israelis vocabulo nuncupatur; per quam Judæi divisi et dispersi pererrant; quæ in quatuor cœli partibus diffusa eos vagabundos quotidie sustinet.

CAPUT III.

Benedictio Judæ.

1. *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum. Adorabunt te filii patris tui* (*Gen.* XLIX, 8). His verbis modestia hujus viri secundum litteram pariter, et virium copia demonstratur: quia videlicet et civiliter tractando cum fratribus, ea modestia visus [a] est, ut a cunctis laude dignus haberetur: quod difficile est; inter tot scilicet fratres omnium animos habere conciliatos. Sed et fortitudine adeo abundavit, ut cervices suorum flectere valeret inimicorum. Quod autem eloquentia plurimum valuerit, testatur oratio, qua suam suorumque coram Joseph allegavit necessitatem (*Gen.* XLII, XLIII *et* XLIV). Narrat præterea Josephus historiographus, verbis eum potuisse quam plurimum. Porro autem quod robore inter fratres suos eximius haberetur, testantur *Verba dierum*, quæ hoc modo referunt: *Porro Judas qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe ejus principes germinati sunt* (1 *Paral.* V, 2). Quod autem subjicit: *Adorabunt te filii patris tui*, aperte regnum quod Ruben abstulerat, Judæ concredidit dicens, eum a reliquis fratribus suis adorandum: quod regiæ utique congruit dignitati.

2. Mystice autem per Judam ille jam tunc præfigurabatur, qui de ejus stirpe secundum carnem natus est, Dominus et Salvator noster; quem laudant fratres sui omnes, videlicet in eum credentes: unde ipse primus in illis qui in eum crediderunt, a monumento per mulieres mandatum direxit, dicendo: *Ite, et dicite fratribus meis* (*Matth.* XXVIII, 10). Ne autem putemus, hanc dignitatem solis apostolis attributam, ut fratres ejus vocentur; ipse hac dignitate donandos omnes qui in eum credunt, testatur dicendo: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror et mater est* (*Matth.* XII, 50). Ipsum ergo laudant fratres; videlicet omnis Ecclesia, quæ adhuc a cœlesti hæreditate exsulat in terris, sive quæ jam præcessit [b] ad cœlos. Unde psalmus: *Laudent illum cœli et terra* (*Psal.* LXVIII, 35). Et in Apocalypsi Joannes: *Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus, et qui timetis eum, pusilli et magni* (*Apoc.* XIX, 5). Cujus [c] *manus in cervicibus inimicorum ejus sunt;* quia, secundum Evangelii testimonium: *Omnia dedit ei Pater in manus* (*Joan.* XIII, 3). Ipse etiam his verbis consentit,

[a] Fortasse legendum est *usus.*
[b] Vel *processit.*
[c] Nempe *Christi.*

dicendo : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII, 18). Et Pater ad eum loquitur : *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX, 1 ; *Matth.* XXII, 44 ; *Luc.* XX, 43). Quem *adorant filii patris ejus ;* omnes videlicet per eum adoptati in filiorum dignitatem, juxta quod Apostolus loquitur : *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum.*

3. Sequitur : *Catulus leonis Juda : ad prædam, fili mi, ascendisti : requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna : quis suscitabit eum ?* Quantum attinet ad superficiem litteræ, fortitudo regum a stirpe Juda descendentium per hæc verba præfiguratur : qualem beatum David fuisse legimus, et beatum Ezechiam, et cæteros quosque qui divinitati humillime famulantes, vires hostium, eo donante, instar leonis et leænæ subegerunt, et adeo terrori hostibus exstiterunt, ut nullus eos lacessire ad pugnam quasi quiescentes præsumeret : cujus rei testes sunt libri Regum.

4. Typice autem *catulum leonis* Dominum Salvatorem appellat, tamquam leonina ortum prosapia ; videlicet regia stirpe progenitum. Bene autem *catulus leonis* vocatur, cujus natura esse dicitur, ut nascens tribus diebus dormiat, deinde rugitu paterno excitatus assurgat. Quæ figura pulcherrime arridet Dominicæ dormitioni ; qua [a] tribus diebus dormiens ad Patrem clamat : *Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me* (*Psal.* XL, 11). Sed resuscitatus ad prædam ascendit ; quia exspolians infernum, justos quosque ad superna secum tamquam prædam egregiam triumphando evexit. Qui *ut leo*, et quasi *ut leæna accubuit ;* quia qui dormire per carnem in sepulcro voluit, quasi leo victor de hostibus triumphavit. Quod autem subjungit : *Quis suscitabit eum*, subauditur, *nisi Pater ?* Nullus enim non dicam hominum caducorum, sed nec quilibet Angelorum [b], nisi is de quo Petrus apostolus dixit Judæis : *Quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus* (*Act.* III, 15).

5. *Non auferetur sceptrum de Juda, nec dux de femoribus ejus, donec veniat qui mittendus est : et ipse erit exspectatio gentium* (*Gen.* XLIX, 10). Hæc sententia clarius luce a fidelibus intelligitur, quia tamdiu suæ gentis principibus ac ducibus iisdem populus regebatur, quousque Dominus et Salvator noster veniret, qui mittendus erat a Patre. Qui est *exspectatio gentium ;* quia videlicet tamdiu Deus Pater gentes ad pœnitentiam exspectavit, quousque per Filii sui adventum ad cognitionem suam ab idololatriæ cultura eos revocaret. Nam sive in Babylonem transducti fuerint Judæi, semper sibi præpositi ex sua gente fuerunt : seu reversi ex Babylone, quousque Herodes alienigena rex eis constitueretur : et per pontifices summa eorum regebatur, quousque ad Aristobulum ventum est, qui primus post reditum de Babylone, cum esset pontifex, sibi diadema imposuit et regem se declaravit. Itidemque successores ejus, usquequo rebus Judaicis lapsantibus, et Hircano ultimo rege Judæorum extremis malis [c] addito, regnum a Cæsare Augusto Herodes alienigena suscepit Judaicum. Cujus tempore, secundum hanc prophetiam et Evangelii testimonium, is *qui mittendus erat* (*Matth.* II, 1), Dominus et Salvator noster advenit.

6. *Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam* (*Gen.* XLIX, 11). Hac compositione verborum demonstratur, non ad Judam, beatum Jacob loqui, sed de eo utique, *qui mittendus erat ;* qui enim ad filium loquens, *o fili mi* dicit, et addidit *pullum tuum* vel *asinam tuam*, manifestissime de eo loquitur, quem superius mittendum prædixerat : Quem legimus (*Matth.* XXI, 5-7) venientem in Hierusalem in usus habuisse asinam et pullum, nec tamen eos ad vineam vel vitem fuisse colligatos. Restat ergo, ut in his verbis nihil historicum requiratur, sed totum typice dictum intelligatur. Ligavit enim Dominus et Salvator ad vineam pullum suum, quando populum nationum indomitum præceptis subdidit Apostolorum ex vinea Judaica procreatorum, de qua Isaias : *Vinea enim Domini sabaoth, domus est Israel* (*Isa.* V, 7). Alligavit etiam ad vitem, id est Ecclesiam, asinam suam, videlicet Synagogam, quam in fine sæculi a perfidia revocans jugo legis oppressam discipulatui eam subdet Ecclesiæ, atque ita *fiet unus grex, et unus pastor* (*Joan.* X, 16) ; et secundum beati Zachariæ testimonium, *duæ virgæ* [d] *illæ copulabuntur, et erunt in unionem in manu Domini.*

7. *Lavabit vino stolam suam, et sanguine uvæ pallium suum* (*Gen.* XLIX, 11). Idioma Hebraici constat esse sermonis, ut unam eamdemque rem diversis sermonibus repetat, ut hic. Quid est enim vinum, nisi sanguis uvæ ? Sed quantum litteræ superficies inconsequens est (nullus enim vel stolam, vel pallium vino lavat), tantum gratiori intelligentia interius commendatur. Salvator namque vino stolam suam, et sanguine uvæ pallium suum lavit, quia pendens in cruce proprio sanguine sacram carnem quæ stola illius fuit, perfundi voluit.

8. Sequitur : *Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores* (*Ibid.*, 12). Oculi Salvatoris pulchriores vino prædicantur, quia dona Spiritus sancti quæ per Christum conferuntur, speciosiora vino legali comprobantur. Nam quod oculi Salvatoris dona Spiritus sancti significent, Zacharias testatur propheta dicendo : *Super lapidem unum septem oculi sunt* (*Zach.* III, 9) ; quos Isaias enumerat dicendo : *Spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et spiritus timoris Domini* (*Isa.* XI, 2, 3). Qui pulchriores

[a] Vel *qui*, vel *quia*.
[b] Videtur verbum aliquod hic desiderari.
[c] Forte *addicto*.
[d] Vel *illi*.

sunt vino legali quod in nuptiis defecit (*Joan.* II, 3), quia *per legem cognitio peccati* (*Rom.* III, 20), per gratiam autem Spiritus sancti nobis ejus remissio condonatur. Et secundum Evangelium, *lex quidem per Moysem data est, gratia* autem *et veritas per Jesum Christum* (*Joan.* I, 17).

9. Quod autem dicitur : *Et dentes ejus lacte candidiores* : per *dentes* prædicatores novi Testamenti debent intelligi, qui cibos spiritales comminuendo, id est exponendo, multa nobis perutilia in ventrem memoriæ transmittunt. *Lac* autem doctrina veteris Testamenti non incongrue accipitur, quæ incipienti populo adhuc ad perfectum cibum invalido condita est. *Candidiores* ergo *lacte dentes* Jesus habet, quia Ecclesiæ suæ prædicatores puritatis munditia conspicuos perfecit. Nam quantum inter sectatores Evangelii et legales distet observantias, beatus Petrus testis est, qui ait : *Non potuistis in lege justificari : in hoc omnis qui credit, justificatur* (*Act.* XIII, 38, 39). Isti ergo dentes candidi sunt, quia fonte baptismatis abluti, a peccatorum nævis redduntur purissimi. De legis autem observatoribus nihil tale refertur : sed tantummodo dicitur, quia *Qui fecerit ea, vivet in illis* (*Galat.* III, 12). Insuper omnes qui legi carnaliter deserviunt, sub maledicto sunt, dicendo terribiliter eadem Lege : *Maledictus omnis qui non permanserit in mandatis legis hujus, ut faciat ea quæ in ea scripta sunt* (*Deut.* XXVII, 26).

CAPUT IV.

Benedictio Zabulon.

1. *Zabulon in littore maris habitabit, et in statione navium pertingens usque ad Sidonem* (*Gen.* XLIX, 13). Juxta historiam situs sortis illius quam in terra repromissionis Deo donante accepturus erat, prædicitur : quod scilicet terra possessionis ejus ab uno latere a mari inciperet, et torrente finiretur ab alio, sicut in libro Jesu Nave (*Josue* XIX, 11), ubi distributiones possessionum earum terminatæ sunt, manifeste declaratur : unde et Sidonis hic fit mentio, quæ contigua mari est.

2. Juxta mysticos autem intellectus, Zabulon primitias Ecclesiæ sanctæ designat ; ex cujus tribu aliqui sanctorum Apostolorum fuisse creduntur, quod in littore maris assidue morarentur, utpote ex eo victum manu et arte captantes a Domino ad apostolatus culmen vocati sunt, secundum prophetiam beati David dicentis : *Principes Juda duces eorum, principes Zabulon, principes* [a] *Nephthali* (*Psal.* LXVII, 28). Qui etiam in statione navium habitant, quia in Domino Jesu Christo fiducialiter secura pace requiescunt. Naves namque Ecclesiæ intelliguntur, quæ fidissima statione portum salutis suæ Dominum requirunt, et inveniunt. Et bene additur : *Pertingens usque ad Sidonem ;* quia videlicet eadem sancta Ecclesia non uno mundi coarctata est angulo, sed A crescendo usque ad populos devenit gentilium. Sidon enim *venatio* interpretatur, significans, ut dictum est, gentilitatem moribus ferinis idololatriæ cultum quasi lustra deserti sectantem. Quæ postea rete Dominicæ prædicationis, et latratu sanctorum Apostolorum intra consepta sanctæ Ecclesiæ [b] admitti meruit.

CAPUT V.

Benedictio Issachar.

1. *Issachar, asinus fortis accubans in terminos. Vidit requiem quod esset bona, et terram quod optima, et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens* (*Gen.* XLIX, 14, 15). Per hæc verba hæc tribus significatur doctrinæ legis operam datura, et promptius se ad mandata Dei scrutanda B translatura. Dicitur namque *vidisse requiem quod esset bona, et terram quod optima ;* id est, mente degustasse, quam esset dulce in Dei mandatis sensum occupare. Atque ideo *supposuisse ad portandum humerum* dicitur, id est, toto conamine ad scrutanda divini verbi eloquia mentem transtulisse : ac per hoc inferiores quosque ei munera et honorem tanquam magistro et præceptori detulisse. Concinit huic intelligentiæ liber Paralipomenon, qui de hac tribu ita dicit : *De filiis quoque Issachar viri eruditi, qui noverant singula tempora, ad præcipiendum quid facere debent principes ducenti* [c] (I *Paral.* XII, 32).

2. Typum autem gestat hic *asinus fortis* populi gentilis, qui antequam Dominum sessorem habuisset, C brutus erat, et frenorum impatiens propria libitu ferebatur. Postquam autem Dominum sessorem habere meruit, fortis asini nomen ab eo mutuavit. Qui *vidit requiem quod esset bona*, audiens a sessore suo : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos requiescere faciam* [d] (*Matth.* XI, 28). *Terram* autem *quod optima esset*, prospexit ; quia relictis philosophorum inanibus doctrinis, ad Scripturæ sacræ lectionem se studiosissime vertit. Unde quia didicit inter alia, *non auditores legis justificari*, subditur : *supposuit humerum suum ad portandum* (*Rom.* II, 13) ; id est, totum suum posse mandatis subjecit divinis, et maxime in dilectione Dei et proximi. Neque enim proximus diligitur, si non portetur. Et additur : *factusque est tributis serviens ;* D quasi enim quoddam tributum quotidie persolvit, audiens ab Apostolo : *Reddite omnibus omnia : cui timorem, timorem : cui honorem, honorem : cui vectigal, vectigal* (*Rom.* XIII, 7), et reliqua.

CAPUT VI.

Benedictio Dan.

1. *Dan judicabit populum suum, sicut et alia tribus Israel* [e]. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro. Salutare tuum exspectabo, Domine* (*Gen.* XLIX, 16-18).

[a] Codex habet *Neptalim.*
[b] Codex mendose habet *amitti.*
[c] Vulgata editio habet : *quid facere deberet Israel, principes ducenti.*
[d] Vulgata editio habet : *et ego reficiam vos.*
[e] Vulgata editio habet *in Israel.*

Historialiter quidem prænuntiatur [a] non solum de A aliis nobilioribus tribubus, sed et de Dan, principem futurum Israeli, et per modum descriptionalem, qualis futurus sit, designatur. Samson namque his verbis præfiguratur, qui more colubri serpentisque terribilis fuit: et quo terribilior insinuaretur, cornutus describitur propter eximiam potestatem atque fortitudinem. Hic ergo vias et semitas Israelitici regni tempore sui præsulatus obsedit, ne quis hostium vi terram ditionis illius invadere præsumeret. Sed et si quis immanior, et de propria tamquam equi [b] velocitate confisus et fortitudine, eum aggredi voluisset; mox corrosis plantis atque consumptis viribus stabilitatis, insectatorem suum ad terram perturbaret. Quem ne quis errore deceptus plus quam hominem æstimaret, mox qui vere princeps B exspectandus esset, adjecit dicens: *Salutare tuum exspectabo, Domine*; in cujus videlicet iste ex parte aliqua typo præcessit.

2. Præfigurat autem Dan iste Antichristum, qui futurus est velut *coluber in via*, et *cerastes in semita*: quia in via et semita mandatorum Dei ambulantibus, quantum in se est, obicem se præfert duplici armatus contra eos ingenio: in serpente namque calliditas illius præfiguratur, quia decipere astute quærit viam Domini gressu operum tenentes. In cornibus autem demonstratur furor illius, quo usurus est contra eos quos callida machinatione decipere nequiverit. *Cerasta* namque Græce, Latine cornua dicuntur; atque ideo serpens iste cornutus describitur. Cum C ergo Antichristus veniens ante oculos spectantium signa magna fecerit, ignem de sublimi deposuerit, *serpens in via* est (*Apoc.* XIII, 13). Cum autem se ad pœnas et tormenta sibi non credentibus infligenda verterit, *cerastes in semita* fit; quia per angustam Domini semitam gradientes, cornibus potestatis sibi subigere nititur. Qui dum *extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur* (II *Thess.* II, 4), *ungulas equi mordet, ut cadat ascensor ejus retro*: quia mundialem gloriam ad hoc sibi non acquiescentibus aufert, ut amore bonorum præsentium illecti ibi cadant, ubi non vident. Retrorsum enim cadere, est et hic desperaliter et inverecunde, ubi non videas, ruere, et post in exteriores tenebras devenire. Qui enim in faciem cadit, de retro actis erubescit; qui D autem retro decidit, ut jam præfati sumus, impœnitenti corde sibi iram in die iræ nutrit (*Rom.* II, 5). Ne quis porro pro miraculorum tanta sublimitate Antichristum pro Deo putaret colendum, addidit: *Salutare tuum exspectabo, Domine*; quasi diceret: licet Antichristus multis miraculorum fulgeat insignibus, mihi tamen *Salutare tuum*, quod hebraice dicitur *Jesus*, exspectandus est, ut veniens hujus potentiam æterna proterat animadversione, et me inter fideles suos reperiens beata donet mansione.

CAPUT VII.

Benedictio Gad.

1. *Gad accinctus præliabitur ante eum, et ipse accingetur retrorsum* (*Gen.* XLIX, 19). Patet litteræ sensus legentibus librum Jesu Nave; quia Gad qui trans Jordanem petivit et accepit a Moyse hæreditatem, ea conditione ejus [c] potiri meruit, ut accinctus armis ante Israel, juncto sibi Ruben et dimidia tribu Manasse, contra adversarios pugnando incederet (*Deut.* III, 18); quod postea sub Josue et fecit. Attamen subjugatis hostibus, cum retro ad possessionem propriam rediret, necesse habuit gentium finitimarum incursionibus insistere (I *Paral.* V, 18). Hoc est ergo quod ait, primum eum ante fratres suos accinctum præliatum fuisse, et postea iterum ad prælia reaccingi.

2. Significat autem spiritaliter electos quosque ex Judæis, qui populo novo quasi quidam præduces exstiterunt, et in terram olim promissam introduxerunt. Quales exstiterunt prophetæ et sancti patriarchæ, qui idololatriam cunctorum vitiorum matrem, et ejus innumeram prolem verborum suorum spiculis confoderunt. Qui tamen iterum sursum accingentur, quia in novissimis temporibus intrante plenitudine gentium ad redidiva suscitabuntur certamina, quæ eis cum Antichristo et ejus satellitibus futura erunt. Nunc enim non trans fluenta Jordanis habent hæreditatem, quia per Baptismi gratiam non intrant Ecclesiam, sed sequestratim extra fratres commorantur remanentes in cæremoniis legalibus.

CAPUT VIII.

Benedictio Aser.

1. *Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus* (*Gen.* XLIX, 20). Videtur quidem juxta litteram huic tribui ubertas terræ repromitti; habuit enim in sorte possessionis suæ Carmelum montem ubertate insignem; simulque mari conliminavit, ac per hoc delicias quibus ipse [d] abundabat, maris terræque, etiam regibus suis non est dubium eum obtulisse.

2. Prædicuntur autem per hæc verba sancti viri ex Synagoga futuri, quorum *panis pinguis* est; doctrinam videlicet propheticam sancti Spiritus sagina redundans. Quorum unus inexplebili aviditate succensus clamabat: *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* (*Ps.* LXII, 6). Qui *delicias* suas *regibus* ministrant [e]; quia illis qui in semetipsis et sibi subjectis regnum justæ moderationis tenere cupiunt, regiam normam præmonstrant.

CAPUT IX.

Benedictio Nephthali.

1. *Nephthalim, cervus emissus, et dans eloquia pulchritudinis* (*Gen.* XLIX, 21). Beato Hieronymo docen-

[a] Vel *pronuntiatur*.
[b] Codex ita scriptus est, ut legere etiam liceat: *et de potentia tamquam equus*.
[c] Codex mendose habet *ei*.
[d] Fortasse legendum est *ipsa*, et paulo post *eam*.
[e] Codex mendose habet: *ministravit*.

sunt vino legali quod in nuptiis defecit (*Joan.* II, 3), A quia *per legem cognitio peccati* (*Rom.* III, 20), per gratiam autem Spiritus sancti nobis ejus remissio condonatur. Et secundum Evangelium, *lex quidem per Moysem data est, gratia* autem *et veritas per Jesum Christum* (*Joan.* I, 17).

9. Quod autem dicitur : *Et dentes ejus lacte candidiores* : per *dentes* prædicatores novi Testamenti debent intelligi, qui cibos spiritales comminuendo, id est exponendo, multa nobis perutilia in ventrem memoriæ transmittunt. *Lac* autem doctrina veteris Testamenti non incongrue accipitur, quæ incipienti populo adhuc ad perfectum cibum invalido condita est. *Candidiores* ergo *lacte dentes* Jesus habet, quia Ecclesiæ suæ prædicatores puritatis munditia conspicuos perfecit. Nam quantum inter sectatores Evangelii et legales distet observantias, beatus Petrus testis est, qui ait : *Non potuistis in lege justificari : in hoc omnis qui credit, justificatur* (*Act.* XIII, 38, 39). Isti ergo dentes candidi sunt, quia fonte baptismatis abluti, a peccatorum nævis redduntur purissimi. De legis autem observatoribus nihil tale refertur : sed tantummodo dicitur, quia *Qui fecerit ea, vivet in illis* (*Galat.* III, 12). Insuper omnes qui legi carnaliter deserviunt, sub maledicto sunt, dicendo terribiliter eadem Lege : *Maledictus omnis qui non permanserit in mandatis legis hujus, ut faciat ea quæ in ea scripta sunt* (*Deut.* XXVII, 26).

CAPUT IV.

Benedictio Zabulon.

1. *Zabulon in littore maris habitabit, et in statione navium pertingens usque ad Sidonem* (*Gen.* XLIX, 13). Juxta historiam situs sortis illius quam in terra repromissionis Deo donante accepturus erat, prædicitur : quod scilicet terra possessionis ejus ab uno latere a mari inciperet, et torrente finiretur ab alio, sicut in libro Jesu Nave (*Josue* XIX, 11), ubi distributiones possessionum earum terminatæ sunt, manifeste declaratur : unde et Sidonis hic fit mentio, quæ contigua mari est.

2. Juxta mysticos autem intellectus, Zabulon primitias Ecclesiæ sanctæ designat ; ex cujus tribu aliqui sanctorum Apostolorum fuisse creduntur, quod in littore maris assidue morarentur, utpote ex eo victum manu et arte captantes a Domino ad apostolatus culmen vocati sunt, secundum prophetiam beati David dicentis : *Principes Juda duces eorum, principes Zabulon, principes* [a] *Nephthali* (*Psal.* LXVII, 28). Qui etiam in statione navium habitant, quia in Domino Jesu Christo fiducialiter secura pace requiescunt. Naves namque Ecclesiæ intelliguntur, quæ fidissima statione portum salutis suæ Dominum requirunt, et inveniunt. Et bene additur : *Pertingens usque ad Sidonem ;* quia videlicet eadem sancta Ecclesia non uno mundi coarctata est angulo, sed crescendo usque ad populos devenit gentilium. Sidon enim *venatio* interpretatur, significans, ut dictum est, gentilitatem moribus ferinis idololatriæ cultum quasi lustra deserti sectantem. Quæ postea rete Dominicæ prædicationis, et latratu sanctorum Apostolorum intra consepta sanctæ Ecclesiæ [b] admitti meruit.

CAPUT V.

Benedictio Issachar.

1. *Issachar, asinus fortis accubans in terminos. Vidit requiem quod esset bona, et terram quod optima, et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens* (*Gen.* XLIX, 14, 15). Per hæc verba hæc tribus significatur doctrinæ legis operam datura, et promptius se ad mandata Dei scrutanda B translatura. Dicitur namque *vidisse requiem quod esset bona, et terram quod optima ;* id est, mente degustasse, quam esset dulce in Dei mandatis sensum occupare. Atque ideo *supposuisse ad portandum humerum* dicitur, id est, toto conamine ad scrutanda divini verbi eloquia mentem transtulisse : ac per hoc inferiores quosque ei munera et honorem tamquam magistro et præceptori detulisse. Concinit huic intelligentiæ liber Paralipomenon, qui de hac tribu ita dicit : *De filiis quoque Issachar viri eruditi, qui noverant singula tempora, ad præcipiendum quid facere deberet principes ducenti* [c] (I *Paral.* XII, 32).

2. Typum autem gestat hic *asinus fortis* populi gentilis, qui antequam Dominum sessorem habuisset, brutus erat, et frenorum impatiens propria libitu ferebatur. Postquam autem Dominum sessorem habere meruit, fortis asini nomen ab eo mutuavit. Qui *vidit requiem quod esset bona*, audiens a sessore suo : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos requiescere faciam* [d] (*Matth.* XI, 28). *Terram* autem *quod optima esset*, prospexit ; quia relictis philosophorum inanibus doctrinis, ad Scripturæ sacræ lectionem se studiosissime vertit. Unde quia didicit inter alia, *non auditores legis justificari*, subditur : *supposuit humerum suum ad portandum* (*Rom.* II, 13) ; id est, totum suum posse mandatis subjecit divinis, et maxime in dilectione Dei et proximi. Neque enim proximus diligitur, si non portetur. Et additur : *factusque est tributis serviens ;* D quasi enim quoddam tributum quotidie persolvit, audiens ab Apostolo : *Reddite omnibus omnia : cui timorem, timorem : cui honorem, honorem : cui vectigal, vectigal* (*Rom.* XIII, 7), et reliqua.

CAPUT VI.

Benedictio Dan.

1. *Dan judicabit populum suum, sicut et alia tribus Israel* [e]. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro. Salutare tuum exspectabo, Domine* (*Gen.* XLIX, 16-18).

[a] Codex habet *Neptalim*.
[b] Codex mendose habet *amitti*.
[c] Vulgata editio habet : *quid facere deberet Israel, principes ducenti.*
[d] Vulgata editio habet : *et ego reficiam vos.*
[e] Vulgata editio habet *in Israel.*

Historialiter quidem prænuntiatur [a] non solum de A aliis nobilioribus tribubus, sed et de Dan, principem futurum Israeli, et per modum descriptionalem, qualis futurus sit, designatur. Samson namque his verbis præfiguratur, qui more colubri serpentisque terribilis fuit : et quo terribilior insinuaretur, cornutus describitur propter eximiam potestatem atque fortitudinem. Hic ergo vias et semitas Israelitici regni tempore sui præsulatus obsedit, ne quis hostium vi terram ditionis illius invadere præsumeret. Sed et si quis immanior, et de propria tamquam equi [b] velocitate confisus et fortitudine, eum aggredi voluisset; mox corrosis plantis atque consumptis viribus stabilitatis, insectatorem suum ad terram perturbaret. Quem ne quis errore deceptus plus quam hominem æstimaret, mox qui vere princeps B exspectandus esset, adjecit dicens : *Salutare tuum exspectabo, Domine*; in cujus videlicet iste ex parte aliqua typo præcessit.

2. Præfigurat autem Dan iste Antichristum, qui futurus est velut *coluber in via*, et *cerastes in semita* : quia in via et semita mandatorum Dei ambulantibus, quantum in se est, obicem se præfert duplici armatus contra eos ingenio : in serpente namque calliditas illius præfiguratur, quia decipere astute quærit viam Domini gressu operum tenentes. In cornibus autem demonstratur furor illius, quo usurus est contra eos quos callida machinatione decipere nequiverit. *Cerasta* namque Græce, Latine cornua dicuntur; atque ideo serpens iste cornutus describitur. Cum C ergo Antichristus veniens ante oculos spectantium signa magna fecerit, igneam de sublimi deposuerit, *serpens in via* est (*Apoc.* XIII, 13). Cum autem se ad pœnas et tormenta sibi non credentibus infligenda verterit, *cerastes in semita* fit; quia per angustam Domini semitam gradientes, cornibus potestatis sibi subigere nititur. Qui dum *extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur* (II *Thess.* II, 4), *ungulas equi mordet, ut cadat ascensor ejus retro* : quia mundialem gloriam ad hoc sibi non acquiescentibus aufert, ut amore bonorum præsentium illecti ibi cadant, ubi non vident. Retrorsum enim cadere, est et hic desperaliter et inverecunde, ubi non videas, ruere, et post in exteriores tenebras devenire. Qui enim in faciem cadit, de retro actis erubescit; qui D autem retro decidit, ut jam præfati sumus, impœnitenti corde sibi iram in die iræ nutrit (*Rom.* II, 5). Ne quis porro pro miraculorum tanta sublimitate Antichristum pro Deo putaret colendum, addidit : *Salutare tuum exspectabo, Domine*; quasi diceret : licet Antichristus multis miraculorum fulgeat insignibus, mihi tamen *Salutare tuum*, quod hebraice dicitur *Jesus*, exspectandus est, ut veniens hujus potentiam æterna proterat animadversione, et me inter fideles suos reperiens beata donet mansione.

CAPUT VII.

Benedictio Gad.

1. *Gad accinctus præliabitur ante eum, et ipse accingetur retrorsum* (*Gen.* XLIX, 19). Patet litteræ sensus legentibus librum Jesu Nave; quia Gad qui trans Jordanem petivit et accepit a Moyse hæreditatem, ea conditione ejus [c] potiri meruit, ut accinctus armis ante Israel, juncto sibi Ruben et dimidia tribu Manasse, contra adversarios pugnando incederet (*Deut.* III, 18); quod postea sub Josue et fecit. Attamen subjugatis hostibus, cum retro ad possessionem propriam rediret, necesse habuit gentium finitimarum incursionibus insistere (I *Paral.* V, 18). Hoc est ergo quod ait, primum eum ante fratres suos accinctum præliatum fuisse, et postea iterum ad prælia reaccingi.

2. Significat autem spiritaliter electos quosque ex Judæis, qui populo novo quasi quidam præduces exstiterunt, et in terram olim promissam introduxerunt. Quales exstiterunt prophetæ et sancti patriarchæ, qui idololatriam cunctorum vitiorum matrem, et ejus innumeram prolem verborum suorum spiculis confoderunt. Qui tamen iterum sursum accingentur, quia in novissimis temporibus intrante plenitudine gentium ad redidiva suscitabuntur certamina, quæ eis cum Antichristo et ejus satellitibus futura erunt. Nunc enim non trans fluenta Jordanis habent hæreditatem, quia per Baptismi gratiam non intrant Ecclesiam, sed sequestratim extra fratres commorantur remanentes in cæremoniis legalibus.

CAPUT VIII.

Benedictio Aser.

1. *Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus* (*Gen.* XLIX, 20). Videtur quidem juxta litteram huic tribui ubertas terræ repromitti; habuit enim in sorte possessionis suæ Carmelum montem ubertate insignem; simulque mari conliminavit, ac per hoc delicias quibus ipse [d] abundabat, maris terræque, etiam regibus suis non est dubium eum obtulisse.

2. Prædicuntur autem per hæc verba sancti viri ex Synagoga futuri, quorum *panis pinguis* est; doctrinam videlicet propheticam sancti Spiritus sagina redundans. Quorum unus inexplebili aviditate succensus clamabat : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* (*Ps.* LXII, 6). Qui *delicias* suas *regibus* ministrant [e]; quia illis qui in semetipsis et sibi subjectis regnum justæ moderationis tenere cupiunt, regiam normam præmonstrant.

CAPUT IX.

Benedictio Nephthali.

1. *Nephthalim, cervus emissus, et dans eloquia pulchritudinis* (*Gen.* XLIX, 21). Beato Hieronymo docen-

[a] Vel *pronuntiatur*.
[b] Codex ita scriptus est, ut legere etiam liceat : *et de potentia tamquam equus*.
[c] Codex mendose habet *ei*.
[d] Fortasse legendum est *ipsa*, et paulo post *eam*.
[e] Codex mendose habet : *ministravit*.

te [a], discimus, non haberi in Hebræo *cervus emissus*, sed *ager irriguus*, et significari per agrum irriguum ubertatem calidarum aquarum, quæ in suburbio Tiberiadis abundantissime exuberant. Attamen traditio Hebræorum est, hanc civitatem mandatorum divinorum fuisse studiosissimam; ac per hoc agrum irriguum significare docentium magistrorum uberrimam doctrinam, quæ ignorantium corda quasi quidam rivus ad proferendos intelligentiæ fructus inebriare soleret [b]; et hoc exponi in inferioribus, cum dicitur: *dans eloquia pulchritudinis*.

2. Nos autem per Nephthalim sanctos intelligimus prædicatores Ecclesiæ, qui missi ad sanctam Ecclesiam, more cervorum dare saltus intelligentiæ noverunt, atque contemplationis montes [c] intrepide conscendere, et sic populis *eloquia pulchritudinis dare*: ut quod illi in altitudine contemplationis sublevati didicerint, hoc inferius positis strenue ministrent.

CAPUT X.

Benedictio Joseph.

1. *Filius accrescens Joseph, filius accrescens, et decorus aspectu* (*Gen.* XLIX, 22; XXXIX, 6). Juxta litteram quidem beatus Jacob prævidebat, tribum Joseph innumera prole abundaturam; unde et duarum tribuum fuit pater, sicut eis superius benedicendo prædixerat. Unde quasi duabus tribubus benedicens repetivit: *filius accrescens*.

2. Joseph autem in typo præcessisse Salvatoris constat, quia Ægyptum fame deficientem frumento verbi Dei pascit: et venditus a fratribus suis Judæis usque hodie gentium nutrit Ecclesiam. Cui dicitur, *filius accrescens, et decorus aspectu*: ipse enim filius Dei, idemque filius hominis quodammodo accrevit, cum populum Israel per prævaricationem legis Deum inhonorantem, in Apostolis et reliquis illius temporis fidelibus sibimet adscivit. Idem *filius accrescens* est, cum etiam inter gentes nominis sui dilatavit cognitionem, et in eis usque mundi terminum crescit per fidei operumque illuminationem. Idem autem Joseph *decorus aspectu* est, quia *speciosus præ filiis hominum forma* (*Ps.* XLIV, 3).

3. *Filiæ discurrerunt super murum. Sed exasperaverunt eum, et jurgati sunt, invideruntque illi habentes jacula* (*Gen.* XLIX, 22, 23). Quantum quidem ad rem gestam pertinet, *filias*, fratres illius appellat propter dedecus inhumanitatis. Neque enim virilis et stabilis fuit consilii innocentem vel exstinguere voluisse, vel vendidisse fratrem; sed potius femineæ mobilitatis. *Super murum* autem *discurrerunt*, quia invictum se consilium super eo, ne eis futurus rex foret, invenisse putaverunt. *Exasperaverunt* autem *eum*, nudantes tunica polymita (*Gen.* XXXVII, 23), et indignis contumeliis afficientes. *Jurgati sunt* autem, *inviderunique*

A *illi habentes jacula: Numquid rex noster eris? aut subjiciemur ditioni* [d] *tuæ* (*Gen.* XXXVII, 8)? Unde superius dictum est: *Invidebant igitur ei fratres sui* (*Gen.* XXXVIII, 11). *Habebant* autem *jacula*; id est, corda ad nocendum parata. Unde de Judæis Dominum interficere cupientibus dicitur: *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum* (*Ps.* LXIII, 9).

4. Juxta mysticos autem sensus, *filiæ*, Judæi intelliguntur, qui feminea censentur appellatione, quia relinquentes [e] Dominum et Salvatoris nostri solidam doctrinam, et adhærentes Pharisææ superstitioni, mente turbati sunt. Nam illi quibus solidus sensus deest, et mens eorum varia fluctuatione vacillat, mulierum nomine ab Apostolo censentur, dicente de malis doctoribus: *Qui penetrant domos, et captivas*
B *ducunt mulierculas oneratas peccatis* [f], *semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes* (II *Tim.* III, 6). *Discurrerunt* autem *super murum*, quando munitissimum se invenisse putaverunt consilium, dicente Caipha: *Expedit vobis, ut unus moriatur pro populo homo, et non tota gens pereat* (*Joan.* XI, 50). *Exasperaverunt* autem *eum*, quando quodammodo tædio incredulitatis eorum commotus dixit: *O generatio prava, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar* (*Marc.* IX, 19)? *Jurgati sunt*, dicentes: *Quousque animam nostram tollis* (*Joan.* X, 24)? *Inviderunt-que illi*, dum dicunt in concilio suo: *Quid faciemus, quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum* (*Joan.* XI, 47, 48). Itemque: *Videtis, quia nihil proficimus? ecce mundus totus post*
C *eum abiit* (*Joan.* XII, 19). *Habebant jacula*, de quibus scriptum est: *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum* (*Ps.* LXIII, 9).

5. *Sedit in forti arcus ejus, et dissoluta sunt vincula brachiorum ejus, et manuum illius per manus potentis Jacob: inde pastor egressus est, lapis Israel* (*Gen.* XLIX, 24). Historicus quidem sensus, quantum intelligi datur, iste est. Per *arcum* intelligitur mens futurorum præscia. In arcu namque sagitta ponitur, ut eminus feriat: et mens futurorum præsaga longius sagittas sententiarum emittere solet. Tale ergo, quod dicitur: *sedit in forti arcus ejus*, quasi diceret: requievit mens illius undique tribulationibus afflicta: *in forti*, id est, in Deo solidata, atque sagittis sententiarum, quibus quod futurum esset, prænun-
D tians, tempora futura sterilitate feriret.

6. Quod autem ait: *Et dissoluta sunt vincula brachiorum et manuum illius*, ad tempus refertur quo, jubente Pharaone, solutus de carcere, et, sicut hic dicitur, *vincula brachiorum et manuum illius*, quibus vinciri in carcere jussus [g] fuerat, *soluta sunt per manus*, id est, per virtutem *potentis Jacob*, videlicet Dei omnipotentis, cujus adjutorio Jacob potentia claruit.

[a] In quæstionibus hebraicis in Genesim, pag. 377, 378, tom. IV Oper. Hier. editor. a Vallars.
[b] Codex mendose habet *solerent*.
[c] Codex mendose, ut puto, habet *mentes*.
[d] Codex mendose habet: *dictioni*.
[e] Forte *Domini*.
[f] In Vulgata editione hic additur: *quæ ducuntur variis desideriis*.
[g] Codex mendose habet *missus*.

7. Illud porro, quod subjungit : *inde pastor egressus est, lapis Israel*, ad Christum refertur, qui de Jacob egressus est, videlicet de eo originem trahens. Qui bene *lapis Israel* dicitur, quia fortitudo in se credenti sit.

8. Salvatori autem hæc sententia tali modo congruit. *Sedit in forti arcus ejus ;* id est, sententia animadversionis, qua feriri Judæi debebant qui eum recipere noluerunt, sed usque ad mortem persecuti sunt ; *in forti sedit*, id est, stabili cum Patre immutabilitate præfixa est, dicentis : *Amen dico vobis : non relinquetur hic lapis super lapidem* (*Matth.* XXIV, 2). Et : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, etc. (*Matth.* XXIII, 38).

9. *Dissoluta* autem *sunt vincula brachiorum et manuum illius per manus potentis Jacob*, cum vincula sepulcralia enodata sunt, atque illi *per manus potentis Jacob*, id est, per virtutem Patris resurrectio non est denegata.

10. *Inde* autem *pastor egressus est, et lapis Israel ;* id est, a Deo Patre Dominus et Salvator egressus, visibus se præsentavit humanis, sicut ipse dixit :

Exivi a Patre, et veni in mundum (*Joan.* XVI, 28).

11. *Deus patris tui erit adjutor tuus, et Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum et vulvæ* (*Gen.* XLIX, 25). Imprecatur filio suo adjutorium Dei patris sui, illius videlicet, cujus adjutorio tantis se exutum meminerat periculis, et quem omnipotentem per beneficia sibi præstita cognoverat. Quod autem ait : *benedictionibus cœli desuper*, ad pluviam aerisque pertinet temperiem, qua frugibus fecundatur terra, atque arborum nutriuntur proventus. Quod vero subjungit : *benedictionibus abyssi jacentis deorsum*, ad fertilitatem pertinet terræ, quæ abyssi vaporibus velut spongiæ concavitas irrigatur, ut non facile solis ignibus arefacta inutilis siccitate reddatur. *Benedictionibus uberum et vulvæ* eum benedicit, ut prole numerosa concrescat, ne videlicet sterilitate aut virorum aut mulierum damnetur.

12. Dicit autem : *Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus* (*Ibid.*, 26) ; ut videlicet non dubitaret Joseph illud eventurum, quod ei sanctus Jacob non tam ex sua quasi novitia benedictione proventurum repromittebat : sed quia ad patres ejus, id est, Abraham et Isaac, jamdudum promissa sunt. Hoc est enim quod ait : *benedictiones patris tui confortatæ sunt*, quasi diceret : non has benedictiones patris quasi proprias illius accipias, nec quasi semel datas : sed quia a Deo patribus meis primo datæ sunt, et non semel, sed crebro. Atque inde est, quod ego super te easdem benedictiones, quæ mihi et patribus meis promissæ sunt, ex auctoritate Dominica capiti tuo superfundo.

13. Domino autem et Salvatori Deus omnipotens et Pater adjutor exstitit clamanti in psalmo : *Adjuva* A *me, Domine Deus meus : salvum me fac secundum misericordiam tuam* (*Ps.* CVIII, 26). Qui enim individua deitate omnibus qui annuntiantur, auxilium præstat, ipse humanatus [a] et paulo minus ab Angelis minoratus (*Hebr.* II, 7), non modo paterno, sed etiam adjutorio indiguit angelico, propter videlicet manifestandam geminam in se substantiam. Inde est enim, quod clamat : *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me* (*Marc.* XV, 34) ? Et in Evangelio : *Apparuit ei Angelus de cœlo, confortans eum* (*Luc.* XXII, 43). Ipse autem Omnipotens benedixit illi dicendo : *Hic est mihi filius dilectus, in quo complacui* (II *Pet.* I, 17).

14. *Benedictionibus cœli desuper, et benedictionibus abyssi jacentis deorsum* illi benedixit, quando secundum Apostolum : *Dedit illi nomen, quod est super* B *omne nomen, ut in nomine ejus omne genu flectatur, terrestrium, cœlestium et infernorum* (*Philip.* II, 10). *Benedictionibus uberum et vulvæ* eum sublimavit, quando in filiis Ecclesiæ, aliis catechumenis, quasi adhuc intra matris ubera [b] jacentibus, aliis autem more jam genitorum ubera materna lambentibus, sibi præstat per orbem terrarum benedici. Nam qui necdum in fidei robur evaserunt, sed per doctores ad eam trahuntur, audiunt ab Apostolo : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis* (*Gal.* IV, 19). Qui autem jam quidem fidei rudimenta perceperunt, sed necdum plene in doctrinæ firmitate coaluerunt, audiunt ab eodem : *Lac vobis potum dedi, non escam : necdum enim poteratis : sed nec adhuc quidem potestis* (I *Cor.* III, 2).

C 15. Sequitur : *Donec veniret desiderium collium æternorum* (*Gen.* XLIX, 26). Hic nihil historicum, sed totum resonat divinum. Tamdiu namque his prænuntiat populum Israeliticum sustentandum benedictionibus, donec desiderium collium æternorum veniret. Colles namque, sancti intelliguntur in Ecclesia constituti, qui quamquam merito virtutum præcellant, tamen ex devotissima humilitate colles se esse meminerunt. Unde psalmus : *Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam* (*Ps.* LXXI, 3). Desiderium namque illorum, Domini Jesu constat fuisse semper adventum. Unde primus Moyses : *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es* (*Exod.* IV, 13). Et beatus Simeon *accepit responsum a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum* D *Domini* (*Luc.* II, 26). Qui *æterni colles* dicuntur ; quia videlicet ad æternitatem a Deo creati noscuntur. Non enim, sicut stultorum, eorum mutatur in diversa intentio ; sed semper ad æternitatem tendentes et æterno inhærentes, ipsi etiam ab eo æternitatis [c] mutaverunt nomen. De stultis enim dicitur : *Stultus enim ut luna mutatur* (*Eccli.* XXVII, 12) : de vere autem sapientibus : *Sapiens permanet ut sol* (*Ibid.*).

16. Sequitur : *Fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaræi inter fratres suos* (*Gen.* XLIX, 26). Hæ be-

[a] Codex habet *humanitus*.
[b] Legendum puto *uterum* aut *viscera*..

[c] Leg. *mutuaverunt*. Sic supra cap. 5, § 2, legimus, *fortis asini nomen ab eo* MUTUAVIT.

nedictiones fuerunt *in capite Joseph;* quia per Christum omnis laus et benedictio Patri redditur. Unde ipse Patri dicit : *Pater, clarifica Filium tuum, ut et Filius tuus clarificet te* (*Joan.* XVII, 1). Bene autem *in capite illius fieri* dicuntur; quia *caput Christi, Deus* (I *Cor.* XI, 3). Dicitur autem ipse filius Nazaræus [a] inter fratres suos; quia ipse speciali dignitate sanctus est, quod interpretatur *Nazaræus.* De quo veracissime Scriptura dicit, quod *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (I *Petr.* II, 22); et quem *unxit Deus* Pater speciali unctione *præ participibus suis* (*Hebr.* I, 9).

CAPUT XI.

Benedictio Benjamin.

1. *Benjamin* [b], *lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia* (*Gen.* XLIX, 27). Traditio Hebræorum etiam, et beati Hieronymi consensus habet, his verbis significari altare Hierosolymitanum, quod in tribu Benjamin constructum constat. Quod more lupi rapacis matutinum sacrificium ignis excoctione devorabat : vespere autem diei, consummatis sacrificiis et hostiarum cæremoniis, inter sacerdotes et levitas ea quæ residua erant igni, et per legis mandatum victui debebantur sacerdotum, inter eos dividere solebat.

2. Significatur autem per hanc scientiam beatus Paulus de eadem tribu futurus, qui more lupi rapacis, mane, id est, in adolescentia sua comedit; quoniam dum in nece beati Stephani consentiens, et a principibus sacerdotum atque majoribus natu populi Judaici epistolas in Damascum et ad cæteras civitates accipiens, quot sanctos diversa cæde laceravit, tot quasi lupus rapax prædas comedit. Attamen *vespere spolia divisit*, quando prostratus voce dominica et visione, fidelibus intra sanctam Ecclesiam constitutis congrua divinæ alimonia doctrinæ [c] distribuit : aliis, ut parvulis in Christo, lac dans sapientiæ; et quibusdam adhuc compatiens more parturientis condolet; perfectioribus autem solidum doctrinæ cibum contradens. *Spolia* namque divina significare mandata, testis est David, dicendo : *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa* (*Ps.* CXVIII, 162). Et beatus Isaias de Apostolis : *Lætabuntur coram te, sicut lætantur in messe ; sicut exsultant qui dividunt spolia* (*Isa.* IX, 3).

[a] Codex mendose habet *Nazarenus.*
[b] Codex mendose habet ubique *Benjamim.*
[c] Vox *doctrinæ* deest in Codice : addenda est tamen.

ANNO DOMINI CCCCXVIII.

SEVERUS MAJORICENSIS.

Nullam in variis Patrum Bibliothecis de hoc Severo mentionem expiscari licuit ; neque aliud de Vita ejus memoriæ proditum est, præterquam quod continet epistola sequens, ab Annalium auctore edita, Tom. IV, *ad annum* 418.

SEVERI EPISCOPI EPISTOLA DE JUDÆIS.

Datum est autem nobis ejusdem Protomartyris gratia, ut inter scribendas Vaticanæ bibliothecæ antiquitates, eamdem repererimus Severi epistolam integram in nullo detrimentum passam : quam (quod nesciamus ab alio editam) hic integram describere, ut egregium antiquitatis monumentum, dignum existimavimus; sic enim se habet :

Sanctissimis ac beatissimis dominis, episcopis, presbyteris, diaconibus, et universæ fraternitati, totius orbis terrarum, Severus episcopus misericordia Dei indigens et omnium ultimus, in Christo Redemptore nostro æternam salutem. *Intelligis consuetum hujus temporis symbolum catholicorum, qui ut se longe abesse a Pelagiana ingruente hæresi demonstrarent, se in ipso titulo gratia et misericordia Dei indigere profitentur. Sed ipsam reddamus epistolam :*

1. Cum Dei opera revelari et confiteri honorificum esse, Raphael archangelus moneat (*Tob.* XII) : profecto silere vel celare opera Christi periculosum est : in quibus tamen annumerandis major est gratia, si communi et simplici sermone referantur. Celatur enim quodammodo speciosissima pulchritudo virtutis, si abundantiori eloquio circumdata fuerit atque fucata. Quapropter ego quoque magnalia, quæ apud nos Christus operatus est, non composito, sed veridico sermone referre aggredior. Insula Minorica, una ex Balearibus insulis est, quarum nomen cunctis populis, sæcularium quoque auctorum litteris, pervulgatum est. Hæc inter Mauritaniam Cæsariensem et Hispaniam medio propemodum æquoris spatio sita, angustis admodum terminis clauditur, longitudinem triginta, latitudinem vero tria millia passuum habens. Quæ nunc idcirco commemoravi, ut agnosci possit, contemptibilia mundi a Domino non solum in hominibus, sed etiam in locis eligi (I *Cor.* I). In hac itaque insula, quæ omnium terrarum, parvitate, ariditate, asperitate, postrema est, duo parva oppida, quibus a Pœnis indita

nomina e regione fundata sunt: Jammona ad Oceanum, Magona ad Orientem spectat. In his mihi omnium mortalium ultimo nuper sacerdotalis officii pondus impositum est. Sed Jammona antiquum a Deo munus etiam nunc retinet, ut Judæi habitare in ea nequaquam possint. Multos siquidem id temere audentes, aut ægritudine præventos, aut repulsos, aut morte subitanea exstinctos, aut etiam fulmine trucidatos tradit vetustas: adeo ut celebris hujus rei fama ipsis quoque Judæis, ne id ultra temere audeant, metum fecerit. Nec hoc fide indignum ducimus, cum etiam lupos vulpesque et omnia noxia animalia deesse videamus: cum earum quæ ad vescendum bonæ sunt, ferarum copia magna sit. Illud etiam magis mirum est, quod colubri et scorpiones sunt quamplurimi, sed amiserunt omnino nocendi violentiam. Cum igitur Jammonam nullus Judæorum, qui lupis ac vulpibus feritate atque nequitia merito comparantur, ne hospitii quidem jure accedere audeat: Magona tantum veluti colubris et scorpionibus (ut tradebatur) fervebat, ut quotidie ab his Christi Ecclesia morderetur. Sed antiquum illud beneficium carnale, nuper nobis spirituale renovatum est; ut illa (sicut scriptum est *Luc.* III) *generatio viperarum*, quæ venenatis ictibus sæviebat, subito divina virtute compulsa, mortiferum illud virus incredulitatis abjecerit.

Namque diebus pene istis, quibus ego tanti sacerdotii nomen, licet indignus, adeptus sum: presbyter quidam sanctitate præcipuus, a Hierosolyma veniens, Magonæ non longo tempore moratus est, qui postquam transvehi ad Hispanias, sicut desiderabat, nequivit, remeare ad Africam denuo statuit. *Erat enim Hispania obsessa hoc tempore a Gothis, quod suo loco est demonstratum: et hic presbyter Hispanus erat Orosius. Sed pergit*: Tunc beati Stephani reliquias, quæ nuper revelatæ sunt, cum ad Hispanias portare constituisset: ipsas, sine dubio martyre inspirante, in memorati oppidi ecclesia collocavit. Quo facto, protinus ille ignis, quem Dominus venit mittere in terram, et quem valde ardere cupit, charitate ejus accensus est (*Luc.* XII). Statim siquidem tepor noster incaluit, et factum est cor nostrum (sicut scriptum est [*Luc.* XXIV]) ardens in via. Tunc enim ille in fide jam ardebat zelus, tunc spe salvandæ multitudinis erigebat. Denique statim intercisa sunt etiam salvationis officia, et non solum familiaritatis consuetudo divulsa, sed etiam noxia inveteratæ species charitatis ad odium temporale, sed pro æternæ salutis amore translata est. In omnibus plateis adversus Judæos pugnæ legis, in omnibus domibus fidei prælia gerebantur.

Judæorum populus maxime cujusdam Theodori auctoritate et potentia nitebatur, qui non solum inter Judæos, verum etiam inter Christianos ejusdem oppidi et sensu et honore sæculi præcipuus erat: siquidem apud illos legis doctor, et (ut ipsorum utar verbo) pater patrum fuit; in civitate autem cunctis Curiæ muniis exsolutus, et Defensor jam A exstiterat, et jam nunc patronus municipium habebat. Christiani autem ut corde, ita etiam et viribus humiles, sed veritatis robore superiores, patroni Stephani patrocinium deprecabantur: donec utrique exercitus, cum jam diem certaminis condixissent, datis tunc induciis discesserunt, Judæis id magnopere exspectantibus, ut scilicet Theodorus, in cujus se omnis synagoga viribus acclinabat, ex Majoricense insula reverteretur, ad quam, forte visendæ possessionis gratia, perrexerat. Qui quidem, statim ut ad eum missa legatio est, remeans, auctoritate sua multos terruit, sed non exstinxit, sed consopivit contentionis incendium: majore siquidem illico exardescens violentia, etiam vicinum oppidum fidei flamma corripuit. Et ut illud Salomonis impleretur: B *Frater fratrem adjuvans exsultabitur sicut civitas firma et alta* (*Prov.* XVIII); statuerunt multi famuli Christi, laborem itineris minime recusantes, cunctas animi vires huic bello tradere.

Pendente igitur prælio, nos quidem qualia præparaverimus arma, subditum huic epistolæ commonitorium probat; quod quidem non pro quorumdam instructione edi voluimus (quippe quia ea penitus egemus, et quam a beatitudine vestra magis speramus), sed ut animadverti possit, non minimam nos sollicitudinem secundum modulum possibilitatis nostræ suscepti habuisse certaminis; Christum vero, cujus regnum non in sermone, sed in virtute est, nobis ne verbum quidem proferentibus, suis omnia viribus consummasse, et absque ullo sudore certa- C minis exercitui suo hanc, quam nemo aut optare audebat, aut sperare poterat, victoriam concessisse. Judæi igitur exemplis se Machabæi temporis exhortantes, mortem quoque pro defendendis legitimis suis desiderabant. Itaque non solum libros revolvere, sed etiam saxa, sudes, jacula omniaque telorum genera ad synagogam conferre cœpere, ut Christianorum aciem virtute sancti Spiritus munitam (si ita res posceret) etiam corporis viribus propulsarent.

Interea dum hi apparatus gererentur, magnoque altrinsecus studio futurum instituitur bellum: utrinque exercitus inenarrabilibus et absolutissimis somniis commoventur: quorum si nullam penitus facerem mentionem, non minimam videbor partem divinæ gloriæ operuisse. Sic enim S. Apostoli Pauli D somnium Lucas (*Act.* XVI) sacræ historiæ inseruit, dicens, virum Macedonem astitisse in visione noctis, orantem ut juvaretur ab eo; et hac Apostolum visione præmonitum, itineris alio destinati cursum ad Macedoniam convertisse. Quanto itaque Domini nostri Jesu Christi major est gloria, quod id minimis atque indignis famulis revelare dignatus est, quod etiam beato Apostolo demonstratum Scriptura celare noluit! Igitur brevitatis causa, ne beatitudini vestræ fastidium fortasse gignatur, duo tantum somnia inseram.

Apud nos devota quædam religiosissima, nomine Theodora, quæ et virginitate corporis, et religionis propositi, et nominis interpretatione typum portare

Ecclesiæ mereretur, vidit in visione noctis viduam quam nobilissimam ad me, qui non pro merito, sed pro divini muneris largitate sacerdotio fungor, insertas litteras per se misisse [*Forte* præmisisse], quibus mihi cunctos agros suos ad seminandum suppliciter offerret. Simili etiam somnio me quoque ultimum peccatorum ad seminandum præcingere et commonere dignatus est. Vidua enim quædam altera nobilisssima, quam synagogæ speciem habuisse non dubium est, me, ut agros suos incultos susciperem, eosque quando tempus sementis urgeret, diligenter excolerem, deprecabatur. Quæ est autem altera nobilissima vidua, nisi illa, quæ Christum impie perimendo, semetipsam crudelissime viduavit? Hoc somnium utriusque unum est. Ante triginta ferme quam impleretur dies, et vidisse nos, et licet absolutionem ejus ignoraremus, tamen fratribus indicasse, manifestum est.

Apud Judæos quoque miro divinæ dispensationis ordine, ut et nominis Theodori, et officii mei in uno homine societas, conveniret, Theodorus qui summus sacerdos perfidi populi erat, somnium, quod viderat, non solum Judæis, sed etiam propinquæ cuidam matrifamilias primariæ ipsius civitatis, multisque etiam aliis Christianis, ante non parum quam adimpleretur tempus, his sermonibus propalavit: Eunti mihi (inquit) in synagogam, duodecim viri manus obvias obtulerunt, dicentes: Quo vadis? leo illic est. Cum ergo, audito leonis nomine, trepidare cœpissem; locum tamen, dum fugam paro, unde introspicerem, reperi, et vidi monachos illic mira suavitate psallentes: major mihi pavor illico adjectus est; et nisi in cujusdam nomine Ruben ingressus fuissem domum, et inde ad matrem propinquam cursu præcipiti convolassem, nequaquam curam mortiferi terroris evasissem. Illa me exanimem sinu suo confovens, a discrimine pariter et a metu eripuit. Hoc ejus somnium valde clarum est, et interpretatione non indiget. Quis enim leo, nisi ille de tribu Juda radix David (*Apoc.* v)? Quæ propinqua illa, nisi de qua scriptum est: Una est propinqua mea (*Cant.* vi)? Illud ergo solum videbatur obscurum, quod in domum Ruben Judæi, a leone cum terreretur, ingressus est: quod quidem nobis postmodum ab ipso leone, qui terruit, ut salvaret, evidentissime expositum est: quod dehinc suo explicabimus loco. Nunc autem cœptæ rei ordinem prosequar.

Ex Jammonensi civitate ad profectionem famulorum Christi multitudo convenit, quæ in ipso oppido putabatur consistere: tantaque difficillimi itineris laborem alacritate confecit, ut triginta millia passuum jucundius transvolaret, quam si ad suburbanum aliquod amœnissimum ad convivia epulaturi vocarentur. Igitur Magonam pervenimus. Statim ego, missis clericis, adventum meum Judæis nuntiavi, et ut Ecclesiam sanctam accedere dignarentur, poposci. Illi autem inopinatum nobis nuntium remittentes, mandaverunt, ecclesiam sibi (ne, credo, pollueretur) ingredi die eadem non oportere: esse enim diem sabbati, cujus festivitatem suis illi actibus corrupissent. Rursum ego expetivi, ut me ad synagogam, si mallent, opperirentur, quandoquidem ingressus ecclesiæ pollutio videretur: non utique eos a nobis in die festi sabbati ad opus servile compelli; futurum autem honestissimum de lege conflictum, nec excitandas lites et fabulas esse miscendas: aut, si non astute certamen fugerent, et simplicem afferrent excusationem, ostenderent præceptum, quod in eo die sermonem conferre prohibitum sit. Ad hæc cum illi in omnibus contradictionem obstinatissimam retulissent, tandem illius leonis terrore compulsi, ad domum, in quam hospitio accesseram, confluxerunt. Ibi ego: Quæso (inquam), fratres, quare quasi adversus latrones, præsertim in civitate Romanis legibus subdita, acervos saxorum, omniaque armorum genera congregastis? Nos acquirere cupimus, vos perdere desideratis? Non est (quantum arbitror) æquum, ut tam varia lite alterutrum laboremus: vos vero (ut video) sititis nostrum sanguinem, nos vero vestram salutem.

Ad hæc illi paululum territi, negavere factum: nostris affirmantibus ita se habere, etiam cum jurejurando renitebantur. Tunc ego, ut nodum cœptæ contentionis abscinderem: Ubi res (inquam) oculis probari potest, juratione quid opus est? eamus igitur ad synagogam, et utrum pro vitio an veritate vestra nitatur assertio, vobismetipsis testantibus, comprobabitur. Pergere igitur ad synagogam cœpimus, et hymnum Christo per plateam ex multitudine lætitiæ canebamus: psalmus autem, qui mira jucunditate etiam a Judæorum populis decantabatur, hic fuit: Periit memoria eorum cum strepitu, et Dominus in æternum permanet (*Ps.* ix). Sed antequam ad synagogam perveniremus, quædam Judææ mulieres (ordinatione credo Dei) audaciam præsumentes, ut scilicet nostrorum lenitas incitaretur, lapides in nos ex superiori loco immanissimos jactare cœperunt: qui (mirum dictu) cum super confertissimam multitudinem, grandinis instar, descenderent, neminem nostrorum non solum ictu, sed ne tactu quidem vexavere. Hic agnis suis leo ille terribilis mansuetudinem paululum abstulit: omnes siquidem, reclamantibus nobis, saxa corripiunt, et pastoris commonitione posthabita, cum unum potius consilium cunctis zelus potius Christi quam ira suggereret, lupos cornibus impetendos censuerunt; quamvis hoc illius, qui solus bonus pastor est, nutu factum esse, nulli dubium sit. Denique ne cruentam gregi suo videretur præstitisse victoriam, nemo Judæorum se contactum saltem fuisse, ne pro invidia quidem (ut mos est) simulavit. Sane quoniam omnimodis debemus vitare mendacium, unus ex omni Christianorum numero inventus est, qui cum Acham (*Josue* vii) illi similis esse vellet, qui sub Jesu Nave de anathemate spolia concupivit: nam servus cujusdam Christiani, solus, dum aliquid a synagoga diripere concupiscit, in lapidem offensionis incurrit:

Quidam vero nostrorum, quasi adversus Judæum, lapidem injecit : qui capiti ejus illisus, ut capitis sui, id est, Christi, meminisset, admonuit : quod vulnus, licet periculosum non fuerit, tamen et illum rapinæ suæ confiteri concupiscentiam compulit : et cunctos, ne similiter laberentur, præsenti terruit ultione.

Igitur postquam Judæis cedentibus, synagoga potiti sumus, nullus ex ea quicquam, non dico, abstulit, sed nec cogitavit diripere : omnia ejus ornamenta, exceptis libris atque argento, cum ipso pariete ignis absumpsit : libros sanctos ne apud Judæos injuriam paterentur, sustulimus : argentum vero, ne vel de præda nostra, vel de suo dispendio quererentur, ipsis reddidimus. Eversa itaque, cunctis Judæis stupentibus, synagoga, ad ecclesiam cum hymnis perreximus : et auctori victoriæ nostræ gratias referentes, effusis precibus poscebamus ut vera perfidiæ antra Dominus expugnaret, et tenebrosorum pectorum infidelitas coargueretur a lumine.

Ruben quidam Judæus a Domino, ut primogenitus omnium constitueretur, est electus : nam clamore sanctissimo lætificans corda multorum, absolvi se a vinculis Judaicæ superstitionis deprecabatur : statimque primitivus Jacob factus, signum salutare suscepit ; et inde nostris lateribus atque consiliis inhærens, obstinatissimam cunctorum duritiem nobiscum increpat. Triduum (ni fallor) emensum est, ex quo nostri in oratione, et Judæi in perfidia perstitere. Post hæc venit Theodorus, multitudinis suæ agmine circumseptus, ad locum, in quo soli synagogæ parietes (qui post hæc credentibus Judæis sunt subversi) superesse videbantur : ad quem locum Christianorum pariter multitudo convenit. Ibi Theodorus cum audacter de lege disserens, omnia quæ objiciebantur, irrideret atque perverteret : populus Christianus videns quod verbis superari non posset humanis, auxilium de cœlo imploravit. Omnes itaque pariter clamantes, cum summo unitæ vocis fragore dixerunt : Theodore, crede in Christum. Mira indulgentissimi Domini misericordia, adhuc parva petebantur, et majora concesserat. Immo non mirum est de omnipotente miraculum. Ipse etenim virtutem clamoris hujus in auribus Judæorum commutavit, qui olim effecit, ut quatuor leprosi regis Syriæ (IV *Reg.* VII), qui Samariam obsederat, castris potirentur, et qui per Gedeon Madianitarum agmina conturbavit, deditque trecentis ejus viris ingentem sine labore victoriam (*Jud.* VII), efficiens per terrorem, ut mutuis hostium multitudo vulneribus prosterneretur. Ita et nunc ista vox longe aliter a circumstantibus Judæis suscepta est, quam a nostris immittebatur : omnes enim putaverunt dictum : Theodorus credidit. Itaque existimantes principem perfidiæ suæ ad Christi fidem fuisse conversum ; cuncti pariter trepidi, ubi timor non erat, terrebantur : mulieres eorum, sparsis crinibus, occurrentes cum ferali ululatu nomen Theodori, repetitis vocibus, accusabant, dicentes : O Theodore, quid fecisti? Viri autem, alii ad devios saltus et fixuras montium confugere : alii per ipsius oppidi angiportus discurrebant, locum in quo delitescerent, invenire cupientes.

Ipse Theodorus stupore perculsus, divinam sententiam in plebe sua cernebat impleri. Fugit impius, nemine persequente (*Prov.* XXVIII); sed tamen non nemine : persequebatur enim eos ille leo terribilis, qui de synagogæ loco (sicut Theodoro fuerat revelatum) per monachos rugitum emiserat, quo resistentes tremefecit inimicos. Stabat igitur Theodorus in loco prorsus eodem, quo ei pridem per somnium terror fuerat leonis injectus : et cum causam tantæ trepidationis inquireret, et nomen solummodo nostri leonis audiret, nullam illic (sicut ferebatur) feritatem videns, tantum psallentes monachos intuebatur ; et ab omni suorum multitudine destitutus, atque elabi parans, etiam ipse pedum viam prospiciebat : quem cum horribili formidine apprehensum, non solum colore vultus, verum etiam vocis officio destitutum Ruben ille sanctissimus aspexisset, propere accedit, et trementem blando sermone compellans, ad Christi fidem cohortabatur ; atque ingerens ei pro suffragio metus suæ credulitatis exemplum, domus figuræ, ad quam pavore leonis confugeret, quodammodo satisfacere videbatur.

Verum, ut et nos fideliter universa narremus, et vos, qui non eloquii ornatum, sed veritatem quæritis, libentius audiatis : ipsius Ruben verba inferens, nihil ex simplicitate dictorum ejus subtraham. Aiebat enim : Quid times, domine Theodore? si vis certe securus et honoratus et dives esse, in Christum crede, sicut et ego credidi. Modo tu stas, et ego cum episcopis sedeo ; si tu credideris, et tu sedebis, et ego ante te stabo. Hos sermones Theodorus alta mente suscipiens, ad nos ait : Faciam quod vultis : tenete (inquit) promissionem hanc. Sed permittite mihi, ut prius alloquar plebem meam, ut majorem conversionis meæ etiam ex reliquis possim habere mercedem. Hæc ejus sponsio cum inexistimabili cunctorum exsultatione suscepta est : alii in eum amabiliter irruentes, os ipsius et colla mulcebant ; alii eum ulnis mollibus amplectebantur ; alii autem dexteram dexteræ adjungere, et sermonem conserere gestiebant.

Perrexit igitur Theodorus ad atrium suum quolibet officio nostrorum lætus, tamen anxietate non penitus carens. Nam licet in domum Ruben per promissionem suam jam veniretur, ingressus tamen et tunc trepidus erat, quia nondum ad propinquam venerat, quæ eum post triduum materno suscepit sinu, et ab omni perturbatione trepidationis absolvit. Nos autem ad ecclesiam cum hymnis ex more perreximus. Benedictus est pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui dedit capiti nostro aquam, et oculis nostris fontem lacrymarum, ut ploraremus vulneratos populi nostri (*Jerem. Thren.* I).

Peractis siquidem mysteriis, ecclesia egressi, non minimam in occursum nostrum Judæorum mul-

titudinem convenisse inspeximus. Omnes unanimiter deprecabantur, ut Christi characterem a me, licet indigno pastore, susciperent. Reversi itaque ad ecclesiam, et toto corde Domino gratias referentes, illico in frontibus eorum signum salutis impinximus. Quæ autem cum his qui ad silvas sive ad antra confugerant, Christi virtute gesta sint, quæ lingua effabitur? præsertim cum unusquisque eorum propriam conversionis suæ habeat historiam. Sicut itaque impossibile nobis est, omnia dicere; sic ingratum, cuncta præterire. Quapropter unum Christi miraculum, quod tum a Fidelibus probatissimisque viris comperimus, precibus vestris adjutus evolvam.

Duo quidam primarii Judæorum, Meletius Theodori frater, et Innocentius, qui Hispaniarum cladem nuper effugiens, cum famulis suis ad hanc insulam venerat (sicut nunc ipsi etiam cum sacramentorum terribili interpositione confirmant), ad unam speluncam vel potius rupem convenerunt, associando se duobus quibusdam Judæis humili loco ortis, qui istos communis fugæ principes legerant. Igitur cum in loco eorum trepidi anhelantesque paululum resedissent, duos illos, qui ætate alacres et audaces erant, explorandi gratia ad oppidum remittentes, soli derelicti sunt ibi. Tunc prior Meletius: Quid est (inquit), frater, quod verbum (sicut docet religio nostra) blasphemium avellere a corde meo nequeo? Ex quo enim fratrem meum conversum fuisse Christianorum populus inclamavit, nihil aliud mihi in corde suggeritur, nisi hoc verbum, mihi usque ad hunc diem penitus ignoratum, CHRISTE, IN NOMINE TUO. Quanto magis pulsare hoc ab animo meo nitor, tanto violentius tenaciusque inhærescit. Ad hæc Innocentius: Non (inquit) frustra hic sermo, quem cor tuum (ut apud cunctos probatissimum est) antea nec cogitavit, nec umquam protulit, hic præsertim menti tuæ (ut asseris) tam violenter insertus est, hoc ex Deo esse arbitror. Veruntamen elabora, obsecro, et fabulis his declinatis, interpellationem molestæ cogitationis expelle. Tunc Meletius ita obstrepere, et confusis clamoribus personare cœpit, ut eum cum sua mente luctari, non solum nutibus vultus, sed etiam totius corporis indicio Innocentius cerneret, quod posteaquam ne parum quidem proficere intellexit, et adjecit etiam illud, ut verba quædam profana et turpia loqueretur, et nunc naribus corrugatis, aerem sorbens inhonestos strepitus promeret, nunc fœtidis risibus cachinnaretur: sed hæc ab animo ejus nomen Christi exstinguere nequivit insania, quia jam cunctas ejus medullas sanitatis ignis pervaserat. Quid ergo (inquit), Innocenti frater? in contrarium verba ista vertuntur: abolitionem mihi nominis Christi, nec scurrilitate verborum, nec ipsis possum obscœni sonitus extorquere blasphemiis: aliud siquidem, mihi reddi [*Forte* mihi crede], sentio, quod cordis mei auribus, quas frustra obstruere nitor, Christi nomen ingerere, incessabili clamore non desinit. His Meletii verbis talia Innocentius retulit: Fratrem tuum Theodorum, doctrina, honore et ætate majorem, ad Christi fidem conversum, his auribus audientibus, plebs Christiana testata est: poteritne fieri, ut etiam tu germani constrictus exemplo religionem Judaicam deseras? Quid ergo in hac terribili solitudine diutius tempus terimus? quamdiu etiam inopia victus laborare poterimus? Quid causæ est, ut fame tabescamus, arescamus siti, obrigescamus algore? ad postremum (quod jam patimur) nostræ hujus solitudinis horribili teneamur silentio? Numquid latronum vincula, numquid barbarorum gladios fugimus? numquid sanguinem nostrum plebs tanta misericors, quam pro nobis flere conspeximus, concupiscit? recordemur, obsecro, quem umquam læserit vi nostrorum, vel saltem irrogaverit injuriam, revertamur ad innoxios, quos in nullo læsimus inimicos; et quod Deo placuerit, fiat.

Ad hæc Meletius: Ego te (inquit), Innocenti frater, quem non solum Latinis, sed etiam Græcis litteris eruditum scio, et legem jugiter meditari, oblitum reor, quod per Ezechielem prophetam Dominus ait: Anima quæ peccaverit, ipsa morietur (*Ezech.* XII). Si enim legisti hoc, cur me fratris mei Theodori exemplo attrahi posse ad fidem Christi existimas? Habet ille animam suam, ita et peccatum suum: quod quidem peccatum mihi, si Dominum Deum non relinquo, non nocebit. Testor autem illum, qui eduxit patres nostros de terra Ægypti, me, si hiemis violentia non obesset, abrepto quocumque navigio, ad quaslibet terras solum velle migrare: nec me possessionum amor, nec affectuum charitas detineret, quorum facilis mihi jactura est; tantum ne Deum patrum meorum negare compellar. Quod autem consilio inutili ad civitatem remeandum decernis: miror te prudentissimum virum non animo prævidere, quid de nobis futurum censeas, si Theodorus columna synagogæ nostræ, in quo omnem fiduciam reponebamus, apostatare compulsus est. Hoc ergo sanius est, ut eamus ad agrum meum, nec nos ultra Christianorum oculis ingeramus: possumus enim illic interim delitescere, donec opportuno tempore ad peregrina emigremus: quandoquidem in hac insula apud cunctos odium nostræ religionis increvit, ut qui patriam non reliquerit, fidem patrum tenere non possit. Cur itaque non voluntarium suscipiamus exsilium, ad quod (sicut res indicat) odiis civium, etiamsi nolumus, destinandi sumus? Hoc igitur consilio utriusque sententia confirmata, laborem destinati itineris arripiunt.

Sed dum per angustissimum ingrediuntur callem, cogitationum tenebris lucem obcæcantibus oculorum: ipsum quem inscii sequebantur tramitem, perdiderunt, et in locis desertis atque inviis remansere. Cum autem scinderentur sentibus, aut rupibus arcerentur [*Forte* vepribus lacerarentur], postquam corpus suum longis fœdavere vulneribus, ad tantam primo quidem anxietatem, deinde etiam ad desperationem atque formidinem venere, ut compelle-

rentur fateri, se ea judicio Dei justo ob incredulitatem perpeti. Igitur nomen Christi, quod ante se ultro ingerens repellebant, laceratis jam cruribus, invocantes, semitam, quæ eos contra voluntatem ac propositum suum ad oppidum retraxit, corripuerunt: sed cum ad civitatem inviti ac trepidi pervenissent, curiosius omnia percunctantes, audierunt Theodorum etiam nunc Judæum esse, nec ullam, sicut existimaverant, populi Christiani pertulisse violentiam. Stupentes autem, et quod ipsis acciderat, non credentes, ad domum Theodori iter dirigunt : ubi cum eos, jam pene exacto prandio, ille excepisset, illico inquirit causam, cur a se et a civitate abscessissent; universumque ordinem gestæ rei, magis cum risu, quam cum admiratione cognoscit.

Post triduum Theodorus cum concionari ad plebem suam, eosque ad fidem Christi provocare disponeret : ultro se offerentium ad confessionem Judæorum etiam seditionem pertulit. Nemo enim eorum ferme erat, qui non se palam sensisse Christi potentiam contestaretur. Nam primo in concilio eorum adolescens quidam ipsius Theodori consobrinus, nomine Galilæus, ut congruum (sicut dictum est) nominibus mysterium gestæ rei usque ad finem deduceretur, cum ingenti invidia proclamare hoc cœpit : Contestor (inquit) vos omnes, me Judæorum esse non posse in possessione; siquidem in ea Christianos consortes habeo, quorum odiis, si in Judaismo perseverare voluero, forsitan perimendus sum. Ego igitur vitæ meæ periculo consulens, ad ecclesiam jam pergam, ut necem, quæ mihi paratur, effugiam. Hæc Galilæus, cum ad tempus fugæ se pararet, quasi ut causas conversionis suæ reddidisse videretur, de futuri sæculi morte tunc nihil cogitans, veritatem inscius loquebatur. Huic sermoni, pene præteriens vir honestus, et non solum inter Judæos, verum etiam in civitate usque adeo præcipuus, ut etiam nunc Defensor civitatis electus sit, Cæcilianus, vera Galilæum dicere, seque similem habere causam, similia formidare attestabatur : quibus verbis tantam supra memorato juveni adjecit confidentiam, ut in conspectu omnium cursu rapidissimo ad percipiendum fidei bravium ad Galilæi nostri convolaret auxilium, et ab humilitate nostra, ut ejusdem inde nomine censeretur, expeteret.

Cæcilianus autem cum esset Judæorum pater, habito cum Florino fratre suo æque Judæorum patre seniore consilio, hujusmodi (sicut agnovimus) verbis synagogam adorsus est : Ego (inquit) cum sim in honore synagogæ post Theodorum primus, non sicut juvenis Galilæus, cunctos quasi trepidus consulo, contestorque; sed potius adhortor atque commoneo, denuntians, ut errore pravi itineris derelicto (si fieri potest), omnes pariter ad fidem Ecclesiasticam concurramus. Quod si vos ad Christum tanta virtus non attrahit; ego certe et Florinus frater meus, sicut recusantibus vobis tantam salutem vim inferre non possumus, ita nos cum universa A domo nostra religionis hujus, quam astruere non valemus, ludibria deserentes, Christianorum numero fideique sociabimur; qui numquam utique innumerabilibus Scripturarum testimoniis non solum te, frater Theodore, qui peritior reliquis videris, sed etiam cunctos convincerent, nisi veritatem, quæ vinci non potest, sectarentur. Tali Cæcilianum sensu plebem suam affatum comperimus, multosque Judæorum eadem die ad fidem Christi cum ipso concurrentes cum ineffabili exsultatione suscepimus.

Prodigia sane, quæ de cœlo tunc facta sunt, sicut eloqui digne non adeam [*Forte* addam], silere non audeo. Hora circiter septima missam dominicam solemniter cœpimus celebrare : nam dum nos adve- B nientes ad Christi fidem Judæos vel exhortamur, vel annotamus (siquidem nomina eorum scripsimus), populus autem tanti gaudii epulis saginatus carnalium non meminisset escarum, pars diei major excurrerat. Cum igitur in ecclesia, quæ paululum a civitate sequestri in loco sita est, in qua sancti martyris Stephani nuper reconditæ reliquiæ conquiescunt, nobiscum pariter plebs universa Missam opperiebatur; duo quidem monachi, quos Dominus testes suorum miraculorum prælegit, in campo qui ante fores ecclesiæ protenditur, in herbis accubabant. Vir autem honoratus, Julius nomine, cum alio quodam de civitate ecclesiam petens, cum per ipsos præterire cœpisset, respondente [*Al.* respiciente] uno ex monachis (viso mirabili signo) conturbatus, C confusum emisit clamorem; conversusque ad se, protensa manu, quæ verbo explicare non poterat, quid videret ostendit. Erat globus quidam candidissimi luminis, proceritate sui staturam quasi hominis adæquans, instar vasculorum quæ vulgo Orcæ appellantur, tantæ vero claritatis et fulgoris, ut visum fuit, quod fratri qui id prior notavit (sicut ipso referente cognovimus) sol decidere videretur. Hoc sicut istis visum est, quasi trans basilicam, in qua universus nobiscum populus consederat, lento lapsu demittebatur; verum ita propinquum putavere, ut se idem frater stupore percitus cursu præriperet, existimans id post basilicam decidisse : sed ab illo retractus fratre, gressum inhibuit : ille enim ita quidem etiam sibi visum, tamen longius fuisse non D quasi certus, sed ut æstimans, astruebat. Mulieres autem quædam tunc Judææ, inter quas matrona Meletii illius, cujus supra mentio habita est, de cœnaculo perspicientes, ita sibi id ipsum visum affirmabant, quasi supra basilicam decidisset. Verum hoc, utrum Angelus, an ipse Stephanus, quod visum est, fuerit, incertum est.

Eadem diei hora circiter quarta, id est, paulo antequam hoc signum demonstraretur, grando minutissima, quam incolæ insulæ illius gentili sermone Abgistinum vocant, non usquequaque copiosa defluxit : hæc, cum odor ex ea mellis fragrare cœpisset, a multis quos per viam verberaverat, degustata, dulcior melle comperta est. Multi itaque

titudinem convenisse inspeximus. Omnes unanimiter deprecabantur, ut Christi characterem a me, licet indigno pastore, susciperent. Reversi itaque ad ecclesiam, et toto corde Domino gratias referentes, illico in frontibus eorum signum salutis impinximus. Quæ autem cum his qui ad silvas sive ad antra confugerant, Christi virtute gesta sint, quæ lingua effabitur? præsertim cum unusquisque eorum propriam conversionis suæ habeat historiam. Sicut itaque impossibile nobis est, omnia dicere; sic ingratum, cuncta præterire. Quapropter unum Christi miraculum, quod tum a Fidelibus probatissimisque viris comperimus, precibus vestris adjutus evolvam.

Duo quidam primarii Judæorum, Meletius Theodori frater, et Innocentius, qui Hispaniarum cladem nuper effugiens, cum famulis suis ad hanc insulam B venerat (sicut nunc ipsi etiam cum sacramentorum terribili interpositione confirmant), ad unam speluncam vel potius rupem convenerunt, associando se duobus quibusdam Judæis humili loco ortis, qui istos communis fugæ principes legerant. Igitur cum in loco eorum trepidi anhelantesque paululum resedissent, duos illos, qui ætate alacres et audaces erant, explorandi gratia ad oppidum remittentes, soli derelicti sunt ibi. Tunc prior Meletius: Quid est (inquit), frater, quod verbum (sicut docet religio nostra) blasphemium avellere a corde meo nequeo? Ex quo enim fratrem meum conversum fuisse Christianorum populus inclamavit, nihil aliud mihi in corde suggeritur, nisi hoc verbum, mihi usque ad hunc diem penitus ignoratum, CHRISTE, IN NOMINE TUO. Quanto magis pulsare hoc ab animo meo nitor, tanto violentius tenaciusque inhærescit. Ad hæc Innocentius: Non (inquit) frustra hic sermo, quem cor tuum (ut apud cunctos probatissimum est) antea nec cogitavit, nec umquam protulit, hic præsertim menti tuæ (ut asseris) tam violenter insertus est, hoc ex Deo esse arbitror. Veruntamen elabora, obsecro, et fabulis his declinatis, interpellationem molestæ cogitationis expelle. Tunc Meletius ita obstrepere, et confusis clamoribus personare cœpit, ut eum cum sua mente luctari, non solum nutibus vultus, sed etiam totius corporis indicio Innocentius cerneret, quod posteaquam ne parum quidem proficere intellexit, et adjecit etiam illud, ut verba quædam profana et turpia loqueretur, et nunc naribus corrugatis, aerem sorbens inhonestos strepitus promeret, nunc fœtidis risibus cachinnaretur: sed hæc ab animo ejus nomen Christi exstinguere nequivit insania, quia jam cunctas ejus medullas sanitatis ignis pervaserat. Quid ergo (inquit), Innocenti frater? in contrarium verba ista vertuntur: abolitionem mihi nominis Christi, nec scurrilitate verborum, nec ipsis possum obscœni sonitus extorquere blasphemiis: aliud siquidem, mihi reddi [*Forte* mihi crede], sentio, quod cordis mei auribus, quas frustra obstruere nitor, Christi nomen ingerere, incessabili clamore non desinit. His Meletii verbis *talia Innocentius* retulit: Fratrem tuum Theodorum, A doctrina, honore et ætate majorem, ad Christi fidem conversum, his auribus audientibus, plebs Christiana testata est: poteritne fieri, ut etiam tu germani constrictus exemplo religionem Judaicam deseras? Quid ergo in hac terribili solitudine diutius tempus terimus? quamdiu etiam inopia victus laborare poterimus? Quid causæ est, ut fame tabescamus, arescamus siti, obrigescamus algore? ad postremum (quod jam patimur) nostræ hujus solitudinis horribili teneamur silentio? Numquid latronum vincula, numquid barbarorum gladios fugimus? numquid sanguinem nostrum plebs tanta misericors, quam pro nobis flere conspeximus, concupiscit? recordemur, obsecro, quem umquam læserit vi nostrorum, vel saltem irrogaverit injuriam, revertamur ad innoxios, quos in nullo læsimus inimicos; et quod Deo placuerit, fiat.

Ad hæc Meletius: Ego te (inquit), Innocenti frater, quem non solum Latinis, sed etiam Græcis litteris eruditum scio, et legem jugiter meditari, oblitum reor, quod per Ezechielem prophetam Dominus ait: Anima quæ peccaverit, ipsa morietur (*Ezech.* XII). Si enim legisti hoc, cur me fratris mei Theodori exemplo attrahi posse ad fidem Christi existimas? Habet ille animam suam, ita et peccatum suum: quod quidem peccatum mihi, si Dominum Deum non relinquo, non nocebit. Testor autem illum, qui eduxit patres nostros de terra Ægypti, me, si hiemis violentia non obesset, abrepto quocumque navigio, ad quaslibet terras solum velle C migrare: nec me possessionum amor, nec affectuum charitas detineret, quorum facilis mihi jactura est; tantum ne Deum patrum meorum negare compellar. Quod autem consilio inutili ad civitatem remeandum decernis: miror te prudentissimum virum non animo prævidere, quid de nobis futurum censeas, si Theodorus columna synagogæ nostræ, in quo omnem fiduciam reponebamus, apostatare compulsus est. Hoc ergo sanius est, ut eamus ad agrum meum, nec nos ultra Christianorum oculis ingeramus: possumus enim illic interim delitescere, donec opportuno tempore ad peregrina emigremus: quandoquidem in hac insula apud cunctos odium nostræ religionis increvit, ut qui patriam non reliquerit, D fidem patrum tenere non possit. Cur itaque non voluntarium suscipiamus exsilium, ad quod (sicut res indicat) odiis civium, etiamsi nolumus, destinandi sumus? Hoc igitur consilio utriusque sententia confirmata, laborem destinati itineris arripiunt.

Sed dum per angustissimum ingrediuntur callem, cogitationum tenebris lucem obcæcantibus oculorum: ipsum quem inscii sequebantur tramitem, perdiderunt, et in locis desertis atque inviis remansere. Cum autem scinderentur sentibus, aut rupibus arcerentur [*Forte* vepribus lacerarentur], postquam corpus suum longis fœdavere vulneribus, ad tantam primo quidem anxietatem, deinde etiam ad desperationem atque formidinem venere, ut compelle-

rentur fateri, se ex judicio Dei justo ob incredulitatem perpeti. Igitur nomen Christi, quod ante se ultro ingerens repellebant, laceratis jam cruribus, invocantes, semitam, quæ eos contra voluntatem ac propositum suum ad oppidum retraxit, corripuerunt: sed cum ad civitatem inviti ac trepidi pervenissent, curiosius omnia percunctantes, audierunt Theodorum etiam nunc Judæum esse, nec ullam, sicut existimaverant, populi Christiani pertulisse violentiam. Stupentes autem, et quod ipsis acciderat, non credentes, ad domum Theodori iter dirigunt: ubi cum eos, jam pene exacto prandio, ille excepisset, illico inquirit causam, cur a se et a civitate abscessissent; universumque ordinem gestæ rei, magis cum risu, quam cum admiratione cognoscit.

Post triduum Theodorus cum concionari ad plebem suam, eosque ad fidem Christi provocare disponeret: ultro se offerentium ad confessionem Judæorum etiam seditionem pertulit. Nemo enim eorum ferme erat, qui non se palam sensisse Christi potentiam contestaretur. Nam primo in concilio eorum adolescens quidam ipsius Theodori consobrinus, nomine Galilæus, ut congruum (sicut dictum est) nominibus mysterium gestæ rei usque ad finem dedeceretur, cum ingenti invidia proclamare hoc cœpit: Contestor (inquit) vos omnes, me Judæorum esse non posse in possessione; siquidem in ea Christianos consortes habeo, quorum odiis, si in Judaismo perseverare voluero, forsitan perimendus sum. Ego igitur vitæ meæ periculo consulens, ad ecclesiam jam pergam, ut necem, quæ mihi paratur, effugiam. Hæc Galilæus, cum ad tempus fugæ se pararet, quasi ut causas conversionis suæ reddidisse videretur, de futuri sæculi morte tunc nihil cogitans, veritatem inscius loquebatur. Huic sermoni, pene præteriens vir honestus, et non solum inter Judæos, verum etiam in civitate usque adeo præcipuus, ut etiam nunc Defensor civitatis electus sit, Cæcilianus, vera Galilæum dicere, seque similem habere causam, similia formidare attestabatur: quibus verbis tantam supra memorato juveni adjecit confidentiam, ut in conspectu omnium cursu rapidissimo ad percipiendum fidei bravium ad Galilæi nostri convolaret auxilium, et ab humilitate nostra, ut ejusdem inde nomine censeretur, expeteret.

Cæcilianus autem cum esset Judæorum pater, habito cum Florino fratre suo æque Judæorum patre seniore consilio, hujusmodi (sicut agnovimus) verbis synagogam adorsus est: Ego (inquit) cum sim in honore synagogæ post Theodorum primus, non sicut juvenis Galilæus, cunctos quasi trepidus consulo, contestorque; sed potius adhortor atque commoneo, denuntians, ut errore pravi itineris derelicto (si fieri potest), omnes pariter ad fidem Ecclesiasticam concurramus. Quod si vos ad Christum tanta virtus non attrahit; ego certe et Florinus frater meus, sicut recusantibus vobis tantam salutem vim inferre non possumus, ita nos cum universa domo nostra religionis hujus, quam astruere non valemus, ludibria deserentes, Christianorum numero fideique sociabimur; qui numquam utique innumerabilibus Scripturarum testimoniis non solum te, frater Theodore, qui peritior reliquis videris, sed etiam cunctos convincerent, nisi veritatem, quæ vinci non potest, sectarentur. Tali Cæcilianum sensu plebem suam affatum comperimus, multosque Judæorum eadem die ad fidem Christi cum ipso concurrentes cum ineffabili exsultatione suscepimus.

Prodigia sane, quæ de cœlo tunc facta sunt, sicut eloqui digne non adeam [*Forte* addam], silere non audeo. Hora circiter septima missam dominicam solemniter cœpimus celebrare: nam dum nos advenientes ad Christi fidem Judæos vel exhortamur, vel annotamus (siquidem nomina eorum scripsimus), populus autem tanti gaudii epulis saginatus carnalium non meminisset escarum, pars diei major excurrerat. Cum igitur in ecclesia, quæ paululum a civitate sequestri in loco sita est, in qua sancti martyris Stephani nuper reconditæ reliquiæ conquiescunt, nobiscum pariter plebs universa Missam opperiebatur; duo quidem monachi, quos Dominus testes suorum miraculorum prælegit, in campo qui ante fores ecclesiæ protenditur, in herbis accubabant. Vir autem honoratus, Julius nomine, cum alio quodam de civitate ecclesiam petens, cum per ipsos præterire cœpisset, respondente [*Al.* respiciente] uno ex monachis (viso mirabili signo) conturbatus, confusum emisit clamorem; conversusque ad se, protensa manu, quæ verbo explicare non poterat, quid videret ostendit. Erat globus quidam candidissimi luminis, proceritate sui staturam quasi hominis adæquans, instar vasculorum quæ vulgo Orcæ appellantur, tantæ vero claritatis et fulgoris, ut visum fuit, quod fratri qui id prior notavit (sicut ipso referente cognovimus) sol decidere videretur. Hoc sicut istis visum est, quasi trans basilicam, in qua universus nobiscum populus consederat, lento lapsu demittebatur; verum ita propinquum putavere, ut se idem frater stupore percitus cursu præriperet, existimans id post basilicam decidisse: sed ab illo retractus fratre, gressum inhibuit: ille enim ita quidem etiam sibi visum, tamen longius fuisse non quasi certus, sed ut æstimans, astruebat. Mulieres autem quædam tunc Judææ, inter quas matrona Meletii illius, cujus supra mentio habita est, de cœnaculo perspicientes, ita sibi id ipsum visum affirmabant, quasi supra basilicam decidisset. Verum hoc, utrum Angelus, an ipse Stephanus, quod visum est, fuerit, incertum est.

Eadem diei hora circiter quarta, id est, paulo antequam hoc signum demonstraretur, grando minutissima, quam incolæ insulæ illius gentili sermone Abgistinum vocant, non usquequaque copiosa defluxit: hæc, cum odor ex ea mellis fragrare cœpisset, a multis quos per viam verberaverat, degustata, dulcior melle comperta est. Multi itaque

sapientes, cum eadem die filios Israel ab Ægypto perfidiæ suæ atque a servitute egressos viderent, hæc quæ facta sunt, signis illis quæ in Exodo legimus (*Exod.* XVI), comparabant huic populo, qui Deum credulo corde intuens, verum etiam Israelis nomen meruit, manna crederent innovari: columnam quoque ignis, quæ patres in eremo præcedebat, ut etiam filiis a vera Ægypto atque fornace (sicut scriptum est [*Exod.* XIII], ferrea egressis, ducatum præberet ad vitam, ostensam fuisse existimarunt. Et revera (sicut lectione Exodi attestatur) similitudo signorum minime discrepat. Nam et illud quod nivem fuisse credidimus, semen coriandri minuti adæquabat, mellis saporem ferebat: et hoc quod apparuit, columnæ igneæ speciem habuisse, manifestum est. Utrumque autem signum etiam Jammonæ consistentibus fratribus revelatum fuisse cognoscimus: nam et pluviam mellis multi, quibus intellectus requirendi et per gustus agnoscendi datus est, probavere: et columna candidissimi illius luminis multorum, quos dignos Dominus judicavit, se ingessit aspectibus. Unde intelligi datur, Judæos per universum orbem fidei lumine visitandos: quoniam quidem nobis, qui in hac insula atque in hoc parvulo (ut ita dixerim) orbe consistimus, tantus cœlestis gratiæ splendor illuxit, ut usque ad extremos terræ vestræ terminos signorum visio perveniret.

Sequenti igitur die summa omnium exspectatio, ut Theodorus sponsioni suæ satisfaceret, admonebat: qui cum justis (quantum videbatur) allegationibus cunctorum vota crederet differenda, dicens matronam prius suam, quam in Majoricensi reliquisset insula, huc se velle deducere; ne forte, si absque consensu suo virum suum conversum fuisse agnovisset (sicut solet), pertinax perfidia esset, persuasione matris præcipue suæ, quæ adhuc supererat, et consiliis dementata, et a conjugio viri religione discederet. Cum hæc Theodorus Christianis jam acquiescentibus propalasset: Judæis, qui conversi fuerant, acerrima commotione resistentibus, amputata dilationis mora, ad matris propinquæ sinum festivus ipse, ut in somnis viderat, convolavit. Post quem omnis, tamquam remoto obice, ad Ecclesiam synagoga confluxit. Mirum dictu, inveterati illius legis doctores sine ulla altercatione verborum, sine ullo Scripturarum certamine crediderunt; tantum percunctati, an vellent fidem Christi suscipere: credere se in Christo, et Christianos fieri cupere profitebantur. Centum quidam et duos (ut asserunt) ætatis atque perfidiæ suæ habens annos, sine trium commutatione verborum, spe futuræ vitæ alacer, decrepitus, optare se ut in fine temporum suorum per fidem Christi ad spiritualem reverteretur infantiam; nobisque putrefacta jam senio membra, ut quantocius per baptismum regeneraretur, ingessit.

Fuerunt quidam Judæi, qui prætereuntes, illuc appulsi, opportunitatem temporis atque ventorum aucupabantur: qui, navigandi concessa opportunitate, credere maluerunt. Tres igitur tantum feminas, A sed nobilissimas Judæorum, ad virtutis suæ gloriam dilatandam, in duritie perfidiæ suæ Christus permanere aliquantulum passus est. Arthemisia siquidem Lectorii [*Ms.* Lettorii], qui nuper hanc provinciam texit, et nunc Comes esse dicitur, filia, conjugis Meletii conversione commota, cum una ferme amica et nutrice et paucis ancillis domum viri sui deserens, ad quamdam speluncam, licet in vinea, tamen remotiore paululum loco sita, oblita femineæ infirmitatis evasit. Erat in ea parvum novumque torcular, lacusque novus factus figuram quodammodo gerere credentis populi videbatur: non enim istos sicut utres veteres, sed sicut novos lacus mustum novi Testamenti recepisse, et credimus, et videmus. In eo igitur loco cum per biduum matrona a viro suo B offensa inexorabilis permansisset; ut primum tertia dies illuxit, famulæ aquam haurire imperavit: quam cum odore et sapore mellis dulcedinem referre sensisset, primo quidem ministræ succensere cœpit; et cur in eodem urceo mel injecisset, indignans, inquirebat: postquam autem, ut quasi negantem convinceret, ad lacum pergit, de quo paululum concavis manibus hauriens, reperit aquam, qua per biduum usa fuerat, in mellis suavissimi versam dulcedinem. Advocans itaque cunctas quæ aderant, ut gustarent rogat, ne forte fallax sapor in faucibus tantum ipsius suavitatem mentiretur. Omnes gustantes, mira oblectatione affectæ sunt, ut non aquam mellis sapore delibutam, sed mel sincerissimum, solum aquæ similitudinem censerent. Stupore igitur percitæ, C dum ad civitatem reverti parantur, curiosius agentes, etiam rorem qui in herbis plurimis erat, degustatum similem repererunt. Pergens itaque ad civitatem matrona memorata, hæc marito retulit, et per eum omnibus indicavit; statimque ad Christi fidem sine reluctatione consensit.

Verum eadem die, qua Meletii uxor amaritudinem incredulitatis abjicere ex melle compulsa est, eadem, inquam, die, qua memorata filia Israel, quasi in deserto posita, illum antiquum Mara lacum (*Exod.* XV), injecto Crucis ligno, obdulcescere persensit: ita mirifico vereque cœlesti omnis Ecclesia odore fragravit, ut præsentiam Spiritus sancti, quam et ante jam aliquoties, sed paucissimi senseramus, fraternitas pene universa sentiret: et mirum cunctis D illud fuit, quod per eosdem dies, serena propemodum jugiter permanente, creberrimi imbres demittebantur, et paulatim venientes ad fidem Christi Judæos pluvia præcedebat: ita ut hoc animadvertentes, vulgo inter nos et quasi joculariter diceremus: Ecce jam pluit, scitote quoscumque Judæos ad Christi fidem accessuros. Mirum dictu, frequenter, dum adhuc talia loqueremur, a quibusdam Judæis fidei janua pulsabatur: nec immerito, sicut scriptum est: Pluviam voluntariam segregabit hæreditati suæ Dominus (*Psal.* LXVII). Desuper erant feminæ, quæ in odorem unguentorum Christi currere recusabant.

Innocentii illius, cujus supra fecimus mentionem, matrona cum prole sua, venerabilis (sicut fama est)

vidua, illico ut Innocentium sororis conjugem conversum esse conspexit, navim conscendit, non solum permittentibus, sed etiam suadentibus nobis; quia ad fidem Christi nec verbis, nec miraculis flecterentur. Uxor autem Innocentii per quatuor fere dies verbum salutis, quod ingerebamus, obduratis auribus recipiebat. Hæc cum omnem respuens medicinam, insanabili incredulitatis valetudine opprimeretur, nullisque Innocentii conjugis vel minis, vel precibus, vel lacrymis moveri posset; universa, Innocentio rogante, ad domum in qua habitabat, fraternitatis multitudo convenit, habens magnum dolorem animi, quod tantæ lætitiæ plenitudini una mulier obsisteret, quia jam soror ejus manifeste putabatur. Cum igitur diu cassa verba surdis auribus ingerentes, nihil profecissemus; ad cognitum orationis præsidium convolavimus; precesque quas humana repellebat impietas, ad cœlestem misericordiam vertimus. Itaque usque in horam tertiam ferme hymnorum et orationum præliis adversus Amalech (*Exod.* XVII) hostem Jesu ducis nostri sudavit exercitus. Inde cum jam pene (quod fatendum est) desperantes, abscessionem moliremur; resumptis rursum viribus, orationem cunctis indiximus; soloque strati, diu flevimus: et cum in consummatione orationis, Amen, populus acclamasset; et illa credere se, et Christianam fieri velle, subjunxit. Nos itaque, hac etiam a diaboli laqueis eruta, læti ad habitacula nostra perreximus.

Sequenti, id est, octava demum die, qua veneramus Jammona, remeare statuimus, optima præclaræ victoriæ gaudia reportantes: sed cum jam in procinctu itineris constituti, civitate digrederemur, Dominus populo suo, quasi pro viatico, gaudium, quod solum deesse videbatur, adjecit. Alfinis siquidem Innocentii illa vidua de pelago reducta est: quæ subito se meis genibus advolvens, fidei nostræ auxilium cum lacrymis deprecabatur. Cui ego: Cur (inquam) mulier tanta animi levitate fratres tuos deserere voluisti? Ad hæc illa: Et Jona (inquit) propheta a facie Domini fugere voluit, et tamen voluntatem Dei, licet invitus, implevit (*Joan.* I). Suscipe ergo tu non solum me, sed et istas orphanas, A et Christo eas nutri. Et hoc miserabiliter acclamans, duas filias suas parvulas mihi cum fletibus ingerebat. Quis non præ gaudio flevit? Cui non extorsit lacrymas lætitiæ magnitudo? Suscepi plane ovem, quam ex omni numero solam errasse putabamus; eamque cum gemino fetu ad Christi ovilia revocavi.

Sane per hos, quibus hæc gesta sunt, dies, ante initium Quadragesimæ, Paschæ a nobis celebrata est festivitas: quingentas siquidem et quadraginta animas ad Ecclesiam constat adjectas. Inane autem et supervacaneum non reor, ut cum multa propter infinitam copiam prætermisero, in fine commemorem, neminem ex tanta Jammonensis populi multitudine, qui per triginta millia passuum ante tot dies venerat, aut curam domus suæ, aut provisionem B substantiæ, aut desiderii affectum huic operi prætulisse. Illud magis mirum, magisque gaudendum est, quod ipsam Judaicæ plebis terram diu inertem, nunc autem recisis incredulitatis vepribus, et recepto verbi semine, multiplicem fructum justitiæ germinare conspicimus: ita ut nobis in spe tantorum novalium gaudeamus, unde insignem perfidiæ eruimus silvam, illic fertilissima fidei opera pullulare. Primum enim ipsa synagogæ fundamenta evertere, deinde ad novam basilicam construendam non solum impendia conferunt, sed etiam humeris saxa comportant. Hæc beatitudo vestra die quarto nonarum Februalium virtute Domini nostri Jesu Christi arrepta, octo diebus ab eodem consummata esse cognoscat, post Consulatum domini Honorii undecimum, C et Constantio iterum victore. Quamobrem si indigni et peccatoris verbum dignanter admittitis, zelum Christi adversum Judæos, sed propter Deum, eorumdemque perpetuam salutem, suscipite. Forsitan enim jam illud prædictum ab Apostolo venit tempus, ut plenitudine Gentium ingressa, omnis Israel salvus fiat. Et fortasse hanc ab extremo terræ scintillam voluit Dominus excitari, ut universus orbis terrarum charitatis flagret incendio. *Hactenus Severi episcopi epistola: missa enim (ut diximus) hæc ad cunctos Christi fideles, inter alia loca, etiam Uzali in Africa, ubi Evodius episcopus erat, lecta est, ut ante meminimus.*

ANNO DOMINI CCCCXIX.

S. BONIFACIUS I, PAPA.

(Constant. Epist. Rom. Pont. tom. I.)

PROLEGOMENA.

1. Exsequiis Zosimo persolutis, altero die, hoc est Decembris 28 anni 418, in ecclesiam Theodoræ convenientibus cum plebe presbyteris Bonifacius vetus presbyter electus est, ac die sequenti 29, qui in Dominicam incidebat, in ecclesia S. Marcelli cum acclamatione totius populi ac meliorum civita-

tis consensu, subscribentibus plus minus septuaginta presbyteris, et novem diversarum regionum episcopis astantibus, Romanæ urbis episcopus invitus consecratus est.

2. Ipso autem exsequiarum Zosimi die, Eulalius archidiaconus cum diaconis aliis et paucissimis presbyteris et multitudine turbatæ plebis basilicam Lateranensem adiens, facto ibi biduo, die Dominico ab episcopo Ostiensi, quem reluctantem accersiverat, est ordinatus.

3. Eodem 29 Decembris die Symmachus Urbis præfectus de utraque ordinatione Honorium augustum ita certiorem fecit, ut Eulalio palam faveret. Rescripsit Imperator, Januarii 3 die anni 419, convenire votum ac studium suum circa Eulalium, utpote *cui competens numerus ordinantium legitimus, solemnitas temporis, locique qualitas recte venerandum nominis apicem contulerint; cum autem Bonifacio constet omnia defuisse, superflue exspectatam esse sententiam suam;* hunc itaque interdicta Urbe confestim prohibendum, aut si reluctetur, expellendum esse. Quod Honorii præceptum quomodo acceptum sit, Symmachus 8 Januarii die ipsi Imperatori renuntiavit.

4. Verum eodem tempore Romani presbyteri, sinceriorem ordinationis Bonifacii relationem ad eumdem imperatorem miserunt, rogantes ut duos electos cum auctoribus suis ad comitatum suum venire præciperet, quo rei veritatem explorare per se facilius posset. Et eorum quidem preces ipsi æquissimæ visæ sunt. Quocirca Januarii 15 die rescriptum alterum ad Symmachum dedit, quo suspensis iis, quæ prius decreta fuerant, Bonifacium et Eulalium cum suis Ravennam intra VI iduum Februarii jubebat maturare, atque interim competentem ex diversis provinciis episcoporum numerum, ut ea causa in synodo excuteretur, accivisse se significabat.

5. Tunc causa illa frequenti episcoporum examine cognita. Sed cum pertinaci partium altercatione finiri non potuisset, atque ipsi episcopi, qui convenerant, sese pauciores ad sententiam de re tanti momenti ferendam existimarent, instantibus præterea Paschæ diebus, qui præsulum in ecclesiis suis præsentiam desiderabant, totum hoc negotium post solemnitatem illam differendum esse pius princeps censuit. Interea decretum est, ut Achilleus Romam, Paschalia ibi solemnia celebraturus, se conferret; nec eo Bonifacius aut Eulalius accederent; nominatimque, ut loquitur Honorius, *ordinatione nostra, et sententia episcoporum, quorum in synodo major se multitudo collegerat, consensu etiam partium et professione, id fieri definitum est, ut sciret se specialiter esse damnatum, quicumque ad concitandum populum Urbem fuisset ingressus.*

6. Nihilo tamen minus Eulalius, cito professionis suæ oblitus, Martii 18 die Urbem ingressus est, ibique ingentes tumultus excitavit. Immo ipsis Honorii litteris ad Symmachum Martii 25 die consignatis ab Urbe abscedere jussus, præfracte in ea perstare non timuit. Sed ipse se condemnavit impatientia sua, et, ut recte judicavit Honorius, *probavit ex præsenti facto quale videatur habuisse principium.* Eam ob causam idem princeps hæc ad Symmachum 3 Aprilis die rescripsit: *Quoniam ergo recte hunc, post tot admissa, Urbe constat expulsum: Bonifacium venerabilem virum episcopum, ad cujus moderationem auctoritatem nostram recte censuimus jungendam, sublimitas tua Urbem ingredi debere nos statuisse cognoscat.* Statimque operam dedit, ut episcopi, quos e Gallicanis et Africanis regionibus ad concilium Spoleti intra diem iduum Juniarum habendum convocarat, de consumpto et absoluto negotio admonerentur, adeoque ab itineris hujus labore sibi parcerent. Qua de re Afros diligentia singulari certiores factos esse ipsorum ad Bonifacium epistola 11, Maii 31 die conscripta, probat. Monimenta autem omnia, ex quibus hæc prælibanda duximus, integra apud Baronium, ad annos 418 et 419, consulere licet.

7. Bonifacius, postquam ipsi adjudicatus atque confirmatus est Romanæ urbis episcopatus, plurimum ad id operæ contulit, ut in Illyrici provincias jus, quod nonnulli ad urbis Constantinop. antistitem transferre moliebantur, ecclesiæ suæ vindicaret.

8. Anno 422, et quidem, ut ferunt antiqua Hieronymi martyrologia, in quibus nullus deinceps successorum Bonifacii notatur, 4 Septembris die obiit. Cum hoc die apprime consentiunt plures veteres Romanorum episcoporum catalogi, qui pontificatum illius tribus annis, mensibus octo ac diebus sex aut septem definiunt. Nam a 29 Decembris die anni 418, quo Bonifacium ordinatum diximus, ad 4 Septembris anni 422 diem, totidem anni, menses ac dies numerantur. Prædictis quoque catalogis concinunt Latini Græcique scriptores, si Nicephorum excipias, ac nonnullas Prosperi editiones, in quibus Bonifacio quatuor anni tribuuntur. Quamquam et hoc, si quartum annum non completum intelligamus, commode cum aliis concilietur. Stare igitur nequit sententia Baronii, qui Bonifacii obitum non modo in annum 423, Chronicorum Marcellini et Prosperi ut sibi videtur auctoritate, sed et in diem VIII kalendas Novembris cum pontificalibus libris differt. Quippe licet prædictis in Chronicis Cœlestini, qui Bonifacio successit, in pontificatum ingressus cum anno 423 componi videatur, is tamen ante recensetur, quam Honorii mors, quæ in mensem Augustum anni 423 incidit, referatur.

S. BONIFACII I, PAPÆ,
EPISTOLÆ ET DECRETA.

MONITUM
IN TRES SUBSEQUENTES EPISTOLAS.

Monimenta varia, quæ ad Bonifacii electionem et ordinationem, et schismatis tunc nati originem attinent, primus Baronius e codice Vaticano descripsit, et ad calcem anni 418, aut ad initium 419, eo ordine, quo in archetypo scripta sunt, edidit. Primum antecedit Symmachi relatio anno 418, Decembris 29 die consignata, qua is præfectus Honorio persuadere conatur, Eulalium urbis Romanæ pontificem rite electum, «ac Bonifacium contra sacræ legis ordinem, et consuetudinis rationem» ordinatum esse. Deinde sequitur Honorii rescriptum ad eumdem Symmachum anno 419, Januarii 3 die datum, in quo ordinationem Eulalii ratam, ac Bonifacii irritam habere se declarat; ideoque huic Urbe interdicit, aut si non sponte obsequitur, «pertinacius resistentem invitum expelli» jubet. Rescriptum hoc excipit altera Symmachi relatio Januarii 8 die notata, qua Imperatori significat, se ipsius præceptum eo die accepisse, «quo sancti diei (Epiphaniæ) erat celebranda solemnitas,» ac sine mora, ut imperata perficerentur, operam dedisse; sed Bonifacium, ut ab indicta processione abstineret jussum, parere noluisse. Verum hinc nihil profecit Symmachus. Eum enim Imperatori diutius imponere non ferentes Romani presbyteri, mendaci illius narrationi sinceriorem opponendam duxerunt. Quapropter supplicem conscripserunt libellum, quem Honorius Januarii 15 die ad ipsummet Symmachum rescribens, a se acceptum testatur. Unde illum vel eo ipso die quo secunda Symmachi relatio, vel non multo serius, missum esse colligitur. Porro inter monimenta illa, quæ hac de causa scripta sunt, nullum hic referre pluris interest, quam mox dictum libellum, utpote in quo Bonifacii ordinatio ac dotes a proprio ipsius clero planius ac sincerius explicantur.

EPISTOLA I [a]

ROMANORUM PRESBYTERORUM AD HONORIUM IMPERATOREM, SEU EXEMPLUM PRECUM PRESBYTERORUM PRO BONIFACIO.

Bonifacii legitimam, Eulalii vero illegitimam fuisse ordinationem.

1. Petimus Clementiam vestram, piissimi et clementissimi imperatores Honori et Theodosi semper augusti. Post abscessum sancti Zosimi papæ Ecclesiæ catholicæ urbis Romæ, ut fieri mos volebat, atque ipsa religionis disciplina dictabat, plures in unum convenimus sacerdotes; ut de constituendo successore communi judicio tractaremus. Sed quoniam Lateranensem ecclesiam, obstructis pene omnibus ingressibus, archidiaconus Eulalius, contemptis impie summi sacerdotis [b] exsequiis, diaconibus et paucissimis presbyteris ac multitudine turbata plebis obsederat; altero die (Decemb. 28) ad eamdem ecclesiam, [c] ubi prius ab omnibus fuerat conventum, habita omnium collatione properavimus: ibique participato cum christiana plebe consilio, quem Deus jussit elegimus. Nam venerabilem virum Bonifacium, veterem [d] presbyterum, in lege doctissimum, ac bonis moribus comprobatum, et quod cum magis ornabat, invitum, acclamatione totius populi ac consensu meliorum civitatis [e] adscivimus divinæ institutionis ordine consecratum. Nam subscribentibus plus minus septuaginta presbyteris, adstantibus novem diversarum provinciarum episcopis, benedictionem competenti [f] tempore constat fuisse celebratam. Ac prius omnia, quæ solemnitas exigebat, [g] impleta sunt.

[a] Scripta anno 419, ante medium Januarium.

[b] Zosimi scilicet. Qua de re prima Symmachi relatio hæc habet: *Eulalius ad ecclesiam Lateranensem de exsequiis prioris episcopi a populo et clericis adductus, ibi per biduum cum maxima multitudine et cum pluribus sacerdotibus remoratus est, ut exspectaretur dies consuetus, quo posset solemniter ordinari.* Unde colligitur, Eulalium de spretis Zosimi exsequiis ideo hic argui, vel quia ab iis non sine tumultu abierit, vel potius quia eas prius, quam absolutæ essent, dimiserit. Hinc et Eulalius biduo exspectare compulsus est legitimum ordinationis diem, cum Bonifacius *altero die* ab exsequiis persolutis in locum condictum secedens, nullum alium diem exspectare coactus sit.

[c] Theodoræ nimirum nomine nuncupatam, ut prior Symmachi relatio docet. Verum Romani pontificis in Lateranensi basilica, si tum licuisset, ordinationem faciendam fuisse vel hinc discimus: idque confirmat Honorius, dum Eulalii ordinationem etiam hinc, quia eam *loci qualitas* commendet, probat.

[d] Is putatur Bonifacius presbyter, qui cum aliis legatis Honorii imperatoris epistolam, quæ apud Innocentium nona est, ad Arcadium augustum anno 406 pertulit; et ad quem, dum Constantinopoli legatione fungeretur, Innocentii epistola 23 exstat. Bonifacium in ecclesia Marcelli ordinatum esse, prior Symmachi relatio tradit.

[e] Editi, *asseruimus:* corriguntur ex archetypo Vatic.

[f] Honorius imp. primum Eulalii ordinationem et inde legitimam asseruit, quod servata sit *solemnitas temporis.* Antea Symmachus, uti superius audivimus, *diem consuetum, quo posset ordinari,* exspectatum esse scripserat. Nunc presbyteri Romani testificantur, Bonifacii benedictionem *tempore competenti* celebratam. Bonifacii etiam decessor Zosimus, epist. 4, n. 2, Lazari ordinationem hinc reprobandam censet, quod *ne dies quidem legitimus ordinationis adsciscitur.* Ex quibus testimoniis perspicuum est, ad legitimam ordinationem certum diem tunc temporis fuisse præscriptum. Hunc autem diem, quem illi silent, Leo in fine epistolæ 5 indicat, nempe Dominicum.

[g] Ita exemplar Vatic. At editi, *celebrata sunt.*

2. Sed cum supradictus Eulalius, qui antea per tres consacerdotes nostros fuerat ex multorum auctoritate conventus, ne quid sibi temere præter conscientiam cleri majoris assumeret, circumventis paucissimis presbyteris, male acceptis his ac diversæ custodiæ mancipatis qui ad prohibendum cum litteris venerant, exhibito etiam cum aliis Ostiensi [a] episcopo, quem prope mortuum constat accitum; nam tractum esse nolentem, senis ægritudo testatur; in locum sibi non debitum, incustodito religionis ordine, per ambitum proruisset: cœpit factum suum per homines disciplinæ inscios ac religionis ignaros [b] indecenter tueri; æstimans humanis perturbationibus se confundere sententiam posse divinam.

3. Et quoniam Clementiam vestram constat falsidica [c] relatione deceptam, ut nescio quid in injuriam [d] divini judicii sanciretis (nam divinum est quidquid tantorum firmat electio), petimus Pietatem vestram, ut removeri priora constituta [e] jubeatis, atque Eulalium, qui in locum subrepsit aliorum, ad comitatum [f] Perennitatis vestræ cum auctoribus suis debere adduci. Nos enim profitemur sanctum papam Bonifacium nostris cum sacerdotibus adfuturum. [g] Relictis enim singulis per titulos presbyteris omnes aderunt, qui voluntatem suam, hoc est Dei judicium proloquantur. Jubeat etiam vestra Clementia omnes adesse, quos causa constringit; ejici etiam civitate nolentes, qui se non patientur adduci. Invenietis, cum cœperit agitari interna discussio, [h] quod non solum divinis legibus abhorreat, verum etiam displicere possit humanis: quo hoc consecuti agamus æterno Imperio vestro maximas atque uberes gratias.

EPISTOLA II [i].

AB OMNI CONCILIO AFRICANO AD BONIFACIUM URBIS ROMÆ EPISCOPUM, [j] PER FAUSTINUM EPISCOPUM ET PHILIPPUM ET ASELLUM PRESBYTEROS, LEGATOS ECCLESIÆ ROMANÆ, DIRECTA.

De clericorum causis et de appellationibus episcoporum, id, quod Zosimi commonitorio continetur, servaturos se profitentur, donec authentica recognoverint Nicœni concilii exemplaria.

Domino beatissimo et honorabili fratri BONIFACIO AURELIUS VALENTINUS primæ sedis provinciæ Numidiæ, et cæteri qui præsentes adfuimus numero 217 ex omni concilio Africæ.

1. Quoniam Domino placuit, ut de his quæ nobiscum egerunt sancti fratres nostri, coepiscopus Faustinus, et compresbyteri Philippus et Asellus, non beatæ memoriæ episcopo Zosimo, a quo ad nos mandata et litteras attulerunt, sed tuæ Venerationi, qui in ejus locum es divinitus constitutus, humilitas nostra rescriberet; ea breviter insinuare debemus, quæ utrorumque [k] concordia terminata sunt, non ea quæ prolixis gestorum voluminibus continentur: in quibus salva quidem charitate, non tamen sine parvo altercationis labore demorati sumus, [l] ex gestis delibantes; quæ nunc ad causam pertinent.

[a] Videlicet ut hinc ordinationi suæ auctoritas accederet: quia, ut observat Augustinus, Brevic. coll. cum Donat. d. 3, c. 16, n. 29, *nec Romanæ Ecclesiæ* (præsulem) *ordinat aliquis episcopus metropolitanus, sed de proximo Ostiensis episcopus.*

[b] Tacito nomine Symmachum perstringunt, cujus pater a Christi cultu alienus contra Ambrosium pro ara victoriæ restituenda ac gentilibus superstitionibus revocandis decertarat, cujusque profanam religionem sequi se ipse filius prodit, cum in relatione ad Constantium a Baronio, ad ann. 419 edita, sese ad Lateranensem basilicam, ut Eulalium inde expelleret, ideo non contendisse testatur: *ne quis*, inquit, *mihi æmulus faceret invidiam religionis.*

[c] Scilicet Symmachi. Quocirca is præfectus in relatione VIII kal. Febr. data hæc Imperatorem rogat: *Superest ut apud Clementiam vestram nullis partium studiis famuli vestri appetantur absentia, semper Majestati vestræ puris servitiis approbati:* ubi se non obscure innuit insimulatum, quod in hac causa studio partium falsa retulisset.

[d] In vulgatis, *divini muneris*, præter archetypi fidem.

[e] Preci huic cedens Imperator, commonitorio misso, *declaravit, nulli parti præjudicium comparatum quod a nobis antea claruerat constitutum: cum et celeriter destinata jussa propter quietem populi, pietatis nostræ secuta auctoritate summota sint.*

[f] Ita ms. Vatic. At excusi, *serenitatis vestræ*. Postremis libelli hujus verbis, quibus *æterno Imperio*, non *sereno* gratias agunt, lectio nostra firmatur. Et hanc precum partem ratam habens Honorius, Bonifacium Eulaliumque cum omnibus, qui utriusque ordinationis auctores erant, intra diem VI iduum Februarii Ravennam convenire jussit, ea tamen conditione, ut simul accito e diversis provinciis competenti numero sacerdotum, qui de utriusque ordinatione judicarent, inter judices illos, ut in commonitorio constitutum est, non considerent, qui alterutrius ordinationi interfuissent ac postea subscripsissent.

[g] Editi, *relictis singulis titulis presbyteri omnes.* Archetypi lectionem revocamus.

[h] In vulgatis, *quod omnibus divinis*. In exemplari Vatic. *quod ns divinis*. Orationis series postulat legi *quod non solum divinis*, ita ut *non solum* primis tantum litteris expressa fuerint. Postea in eodem ms. exstat *horreat*, non *abhorreat*, quod verbum particulam *a* ante *divinis* præponi exigit.

[i] Scripta ann. 419 maii 31. In vetusto exemplari Colbertino Langobardicis litteris exarato, ut et in prima parte collectionis Dionysianæ locum obtinet. Codici canonum Ecclesiæ Afr., c. 134, tota inserta est. Afri post consulatum Honorii XII et Theodosii VIII, tertio kalendas Junias congregati, ut in ejusdem Codicis capite 133 legitur, Aurelio præloquente, hanc sibi postridie conscribendam decreverunt. Unde sequitur, ut anno 419, Maii mensis ultimo die, scripta sit.

[j] In ms. Colb. Langob. hic adjungitur, *scripta et cum gesta* (leg. *gestis*) *quæ ibidem apud Carthaginem confecta per Faustinum:* quod consentaneum est iis, quæ Afri n. 3 scribunt, ubi Zosimi commonitorium memorant, *gestis quæ secum* legati ad Bonifacium *deferunt, alligatum.*

[k] Hoc est, partium litigantium, Apiarii nimirum presbyteri, et Urbani Sicecensis episcopi, quorum nomina, quia Bonifacio aliunde satis nota erant, et mox appellanda sunt, hic silentur.

[l] Editi, excepto Crab., ac plerique omnes mss., *ea gestis deliberantes*. Conjecturæ, qua restituendum censebamus *ex gestis deliberantes*, postmodum accessit auctoritas unius Harlæi codicis et alterius Coislin., in quibus, ut apud Crab. *ea* (pro *ex*) *gestis delibantes* legitur.

Quamquam et ille, si adhuc esset in corpore, hoc acciperet gratius, quod videret pacatius terminatum, domine frater.

2. Apiarius presbyter, de cujus et ordinatione et excommunicatione et provocatione fuerat exortum non solum Siccensi, verum etiam totius [a] Africæ Ecclesiæ non leve scandalum, de omnibus erratis suis veniam petens, communioni est restitutus. Prior autem coepiscopus noster Siccensis Urbanus, quod in eo [b] corrigendum visum est, sine ulla dubitatione correxit. Quia vero paci et quieti Ecclesiæ non tantum ad præsens, sed etiam in posterum prospiciendum fuit, quoniam talia multa præcesserant, ut vel similia, vel etiam graviora deinceps præcaveri oporteret: placuit nobis, ut de Siccensi ecclesia, retento [c] scilicet honore gradus sui, presbyter removeretur Apiarius, et accepto [d] epistolio, ubicumque alibi vellet et posset, presbyterii munere fungeretur. Quod eidem ipsi per litteras proprias postulanti sine difficultate concessimus.

3. Sane priusquam hæc causa isto termino clauderetur, inter alia quæ diuturnis disceptationibus [e] versabamus, quia ratio ipsa poscebat, ut apud acta ecclesiastica a fratribus nostris Faustino coepiscopo, et Philippo et Asello compresbyteris quæreremus, ut promerent quidquid eis agendum nobiscum fuisset injunctum, nonnulla quidem sine ullo scripto prosecuti sunt verbis; sed cum id potius flagitaremus quod in litteris ferrent, commonitorium protulerunt, quod recitatum nobis, etiam gestis quæ secum ad [f] vos deferunt est alligatum. In quo eis quatuor quædam nobiscum gerenda mandata sunt: unum de appellationibus episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ sacerdotem; alterum ne ad Comitatum episcopi importune navigent, tertium de tractandis [g] presbyterorum et diaconorum causis apud finitimos episcopos, si a suis excommunicati perperam fuerint; quartum de Urbano episcopo excommuni-

A cando, vel etiam [h] Romam evocando, nisi ea quæ videbantur corrigenda corrigeret.

4. Quorum omnium de primo et tertio, id est, ut Romam liceat episcopis provocare, et ut clericorum causæ apud suarum provinciarum episcopos finiantur, jam priore anno etiam litteris [i] nostris ad eumdem venerabilis memoriæ Zosimum episcopum datis insinuare curavimus, ut ea servare sine ulla ejus injuria paulisper sineremus usque ad inquisitionem statutorum Nicæni concilii. Et nunc de tua poscimus Sanctitate, ut quemadmodum ea apud Nicæam a patribus acta vel constituta sunt, sic ea a [j] nobis facias custodiri, et ibi apud vos ista, quæ in commonitorio attulerunt, facias exerceri, id est: « Si episcopus accusatus fuerit, et judicaverint congreB gati episcopi regionis ipsius, et de gradu suo dejecerint eum, et appellasse videatur, et confugerit ad beatissimum Ecclesiæ Romanæ episcopum, et voluerit audiri, et justum putaverit ut renovetur examen; scribere his episcopis dignetur, qui in finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, et juxta fidem veritatis definiant. Quod si is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit episcopum Romanum, ut e latere suo presbyterum mittat; erit in potestate episcopi quid velit et quid æstimet. Et si decreverit mittendos esse qui præsentes cum episcopis judicent, habentes auctoritatem ejus a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit sufficere episcopos, ut negotio terminum imponant; faciet quod saC pientissimo suo consilio judicaverit. » Item de presbyteris et diaconis (*Sardic. conc. can.* 7): « Si episcopus quis iracundus, quod esse non debet, cito aut aspere commoveatur adversus presbyterum sive diaconum suum, et exterminare eum de Ecclesia voluerit; providendum est ne innocens damnetur aut perdat communionem: habeat potestatem ejectus, ut finitimos interpellet, [k] et causa ejus audiatur, et diligentius tractetur, quia non oportet [l] ei negari au-

[a] Solus Crab., *toti*, non male, si deinde cum edit. ac pluribus mss. præferatur *Africanæ*. Sed vox *totius* postulat *Africæ*. Græcus Codicis can. Eccl. Afr. interpres hæc ita reddidit: οὐ μόνον ἐν τῇ Σίκῃ, ἀλλὰ καὶ ἐν πάσῃ τῇ Ἀφρικῇ Ἐκκλησίᾳ.

[b] Istud *in eo* non de Apiario, sed de Urbano dicitur; atque ideo hujusmodi de episcopo illo testimonium dicunt Afri, quia eum Zosimus, ut infra n. 3, docetur, *nisi ea quæ videbantur corrigendu corrigeret*, excommunicandum præceperat.

[c] Augustinus hujusmodi temperamento erga Antonium, quem Fussalæ episcopum constituerat, usus est, eumque morem aliis exemplis in epistola alias 261, nunc 209, tuetur. Similem usum cum a concilio Ancyrano, can. 1 et 2, tum a Nicæno, can. 8. necnon in epistola synodica apud Theodoretum, lib. I, c. 9, qua Meletio *nudum honoris sui nomen* conceditur, approbatum esse Justellus in hunc locum observat.

[d] Eodem *epistolii* nomine utuntur Sardicensis synodus, supra, pag. 593, et Liberius, epist. 10, n. 1. Et ea quidem vox utrobique, quemadmodum hic, litteras communicatorias sonat.

[e] Codex Colb., *versabantur*.

[f] Græcus interpres legit *ad nos*. Subinde cum Reg. ms. et uno Harlæo magis placet *est alligatum*, et infra *alligaverunt*, quam cum aliis libris, *est allegatum* et *allegaverunt*. De gestis priore anno, cum Zosimi litteræ primum recitatæ sunt, hic videntur loqui.

[g] Vox *episcoporum* perperam in ms. Colb. hic præmittitur, nec eam patitur quod mox sequitur, *si a* D *suis*, supple *episcopis*.

[h] Ita sincerum Dionysii exemplar Regium cum Merl. et Crab. Alii vero libri, *Romæ vocando*. Ex hoc loco conjectat vir eruditus, Urbanum in judicando Apiario nonnihil contra judiciorum formam peccasse. Forte etiam totum illius peccatum in eo fuit, quod nullam et irritam habuerit Apiarii appellationem, hujusque rei causa paulo asperius cum hoc presbytero egerit.

[i] Non exstant.

[j] Colb. ms., *a nobis omnibus*.

[k] Uno vel altero post Sardicensem synodum anno, concilium Carthaginense sub Grato, can. 11, statuit, *ut a tribus vicinis episcopis, si diaconus est, arguatur, presbyter a sex audiatur*. Quod decretum Augustinus, epist. alias 236, nunc 65, n. 2, memorans, quid ex eo incommodi formidet non dissimulat.

[l] Regius codex, *oportet negari*, et infra cum Colb. *injuste rejecit*, omisso *eum*. quod etiam Græcus interpres non expressit.

dientiam roganti : et ille episcopus, qui aut juste aut injuste eum rejecit, patienter accipiat ut negotium discutiatur, ut aut probetur ejus, aut emendetur sententia » (*Can.* 17).

5. Hæc utique usque ad adventum, donec authentica Nicæni concilii afferantur exempla, verissimorum exemplariorum Nicæni concilii inserta gestis sunt, quæ [a] si ibi, quemadmodum constituta sunt, et quemadmodum ipso quod apud nos fratres ex apostolica sede directi allegaverunt commonitorio, continentur, eoque ordine vel apud vos in Italia [b] custodirentur, nullo modo nos talia, qualia commemorare jam nolumus, vel tolerare [c] cogeremur, vel intolerabilia pateremur. Sed credimus adjuvante misericordia Domini Dei nostri, quod tua sanctitate Romanæ Ecclesiæ præsidente, non sumus jam istum B typhum passuri ; et servabuntur erga nos, quæ nobis etiam non disserentibus custodiri [d] debeant cum fraterna charitate, quæ secundum sapientiam atque justitiam, quam tibi donavit Altissimus, etiam ipse perspicis esse servanda, [e] nisi forte aliter se habeant canones concilii Nicæni. Quamvis enim plurimos codices legerimus ; sed nusquam in Nicæno concilio in Latinis codicibus legimus, quemadmodum in supradicto commonitorio [f] inde directa sunt. Tamen quia hic in nullo codice Græco ea potuimus invenire, ex Orientalibus Ecclesiis, ubi perhibentur eadem decreta posse etiam authentica reperiri, magis nobis desideramus afferri. Pro qua re tuam quoque Venerationem obsecramus, ut scribere etiam ipse digneris ad illarum partium sacerdotes, hoc est Eccle- C siæ [g] Antiochenæ, Alexandrinæ et Constantinopolitanæ, et aliis etiam si tuæ placuerit Sanctitati, ut inde ad nos iidem canones apud Nicæam civitatem a patribus constituti veniant, te potissimum hoc beneficium cunctis Occidentalibus Ecclesiis cum Domini A adjutorio conferente. Quis enim dubitet, exemplaria esse verissima concilii Nicæni in Græcia congregati, quæ de tam diversis et nobilibus Græcis Ecclesiis allata et comparata concordant ? Quod donec fiat, hæc quæ in commonitorio supradicto nobis allegata sunt de appellationibus episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ sacerdotem, et de clericorum causis apud suarum provinciarum episcopos terminandis, nos usque ad probationem servaturos esse profitemur, et Beatitudinem tuam ad hoc nos adjuturam in Dei voluntate confidimus.

6. Cætera vero, quæ in nostra synodo gesta vel firmata sunt, quoniam supradicti fratres nostri Faustinus coepiscopus, Philippus et Asellus compresbyteri secum ferunt, si dignatus fueris, tuæ nota faB cient Sanctitati. *Et alia manu*, Dominus noster te nobis annos plurimos custodiat, beatissime frater. Subscripserunt quoque Alypius, Augustinus, Possidius, [h] Marianus et cæteri episcopi.

EPISTOLA III [i].

De Maximo Valentinæ civitatis episcopo diversis criminibus accusato, ut in synodo provinciæ illius causa discutiatur.

BONIFACIUS episcopus PATROCLO, REMIGIO, MAXIMO, HILARIO, SEVERO, VALERIO, JULIANO, CASTORIO, LEONTIO, [j] CONSTANTINO, JOANNI, MONTANO, MARINO, MAURICIO, et cæteris episcopis per Gallias et septem provincias constitutis.

1. Valentinæ [1] (*Ivo, p.* 5, *c.* 271) nos clerici civi- C tatis adierunt, proponentes per libellum crimina, quæ Maximum teste tota provincia asserunt commisisse ; delegata toties cognitione, illum [k] constituta semper subterfugisse judicia, nec confisum conscientia festinasse, ut si esset innocens, examinatis omnibus purgaretur ; quæ toties decreta, ex [l] nostra-

[a] Apud Merlinum et Justellum, ut in duobus mss. Regiis, uno Harlæo, necnon Colb. Corb., etc., *quæ sibi*. Magis placet cum Coislin. duobus Harlæis, Crab. et Lab., *quæ si ibi*, Græco consentiente, ἅτινα ἐὰν ἐκεῖ. Tum verba, *quemadmodum constituta sunt et*, in vulgatis ac plerisque mss. omissa, restituuntur unius Harlæi et alterius Colbertini auctoritate.

[b] Editi, *custodiuntur* : refragantibus magno consensu mss. e quibus Colbertinus hæc ita effert : *Eo ordine vel apud vos in Italia custodirentur, nos nullo modo talia commemorare nolumus.*

[c] Ita Merl., Crab. et unus Harlæus ms. Editi alii, *cogemur : sed*. Regius ms. *cogimur : sed*. Plerique D alii, *cogeremur : sed*. Colb., *cogemur*, *vel intolerabilia patiemur : sed.*

[d] Colb. ms., *custodiri in omnibus debeant.*

[e] Apud Merl., Crab. et Just. ut in mss. pluribus, consentiente Græco, *si forte* : quæ lectio primum arriserat hoc sensu : *Sed si forte aliter habeant canones Nicæni* (in verissimis exemplaribus), *credimus adjuvante misericordia Dei*, etc. Postmodum tamen cum ms. Colb. ac duobus Harlæis præferendum duximus, *nisi forte*. Apud Lab., *nisi si forte*, addito *si*, quod abest a nostris mss.

[f] In mss. Colb., *quæ inde* : non ita male.

[g] In eodem ms., *Constantinopolitanæ et Antiochenæ et Alexandrinæ et aliis.*

[h] Editi, *Marinus*; Regium exemplar, *Martinus* : cui favet Afrorum ad Cœlestinum de eadem causa epistola; quæ quidem omnium codicum consensu *Martini* præ se fert nomen. Ex uno tamen Harlæo et altero Colb. revocare placuit, *Marianus*. Nec enim is alius videtur a *Mariano* (seu ut in mss. pingitur, *Mauriano*), *Uziparensi*, qui in fronte concilii, ex quo hæc epistola missa est, proxime post legatos nominatur. Deinde subjicitur apud Merl., *cæteri episcopi* 214 *subscripserunt* ; et apud Crab., *et cæteri episcopi* 217.

[i] Beneficio collectionum Dionysii Exigui, Hadriani I, Hispanæ et Isidori ad nos pervenit.

[j] Regium coll. Dion. exemplar, *Constantio*, et infra *Maurentio*, pro *Mauricio*.

[k] In eodem codice, *tota semper*.

[l] Crab. ac deinceps editi libri, *vestrarum*. Rectius Merl. cum mss. *nostrarum*. Non enim chartis miserant episcopi, qui de hac causa nihildum noverant :

[1] Maximum Valentinæ civitatis episcopum, Manichæorum olim secta involutum, homicidiique in sæculari judicio damnatum, et multis insuper flagitiis coopertum, accusarant apud Bonifacium clerici ejusdem Ecclesiæ, asserentes illum delegatis constitutisque in provincia cognitionibus adesse minime voluisse, omniaque semper judicia subterfugisse. Pontifex, quia is Romam non venerat, intra provinciam judicandum decernens, synodum episcoporum die præfixo congregari jubet, in eaque Maximi causam discuti, et sententiam sive in præsentem, sive in absentem, proferri.

rum quoque chartarum instructione cognovimus. Qui econtrario probavit de se illa quæ dicta sunt, [a] qui ad ea confutanda, cum essent innumera, a decessoribus meis [b] provinciali delegata cognitione, conventus, etiam dicitur evitasse, et adesse minime voluisse (*Nicolaus* I, *epist.* 39). Et nullus dubitat, quod ita judicium nocens subterfugit, quemadmodum ut absolvatur qui est innocens quærit. Sed astuta cavillatio eorum, qui versutis agendum credunt esse consiliis, numquam innocentiæ nomen accipiet. Confitetur enim de omnibus, quisquis se subterfugere judicium dilationibus putat. [c] Veniat tamen aliquando ille, qui talis perhibetur, in medium : nec prodest illi, toties latuisse, toties subterfugisse, quem sui actus et commissa, quocumque fugerit, ea quæ objiciuntur illi, si vera sunt, crimina persequuntur. Debueram quidem jam nunc [d] dignam, pro ejus accusatis in nostro judicio actibus, qui cognitionem et decretum judicium sæpe declinando credidit illudendum, ferre sententiam : at ne aliquis [e] præcocem forsitan judicaret, et sibi qui absens est, licet sit quæsitus a nobis, reservatum esse nihil diceret ; maluimus intercapedine temporis data differri, cum hoc etiam ejus accusatores assererent, de [f] suis intentionibus et moribus sic securum Maximum, tanto magis damnanda committere, quanto tardius se constituto judicio [g] præsentaret. Quem Manichæorum involutum caligine, arguunt turpi secta olim ita, ne eum possit abluere, animum sordidasse, in probationem objectæ rei gesta synodalia proferentes ; et commissis involutum undique flagitiis, nullum eum sanitatis habuisse respectum. Quem furore suo et insana temeritate ad sæcularium quoque judicum tribunalia subditum quæstioni, quod in vili quoque persona turpissimum est, objicerent pervenisse, et homicidii damnatum [h] asserunt, gestis prolatis in medium : et hunc talem post tanta taliaque commissa episcopatus adhuc sibi nomen in suis latibulis vindicare in propriæ civitatis infamiam, nimiis doloribus conqueruntur, et sanctum nomen vindicando sibi velle polluere.

2. Ideoque, fratres charissimi, quia audiendus hic præsentare se noluit, ne convictus forsitan ab accusantibus se clericis, posset digna tandem aliquando, præsentatus episcopali judicio, pronuntiationis congruæ feriri sententia; (quamquam illi cum hæc [i] edicta fuerit, quæ potest hujus nominis esse jactura, qui (III, *quæst.* 9, *c.* 10 : *Ivo*, *p.* 5, *c.* 271, *et p.* 6, *c.* 338) pudorem numquam habuisse sacerdotii perhibetur, et locum suum ne modico quidem tempore custodisse ?) dilationem tamen dedimus, et decrevimus vestrum debere intra provinciam esse judicium, et congregari synodum ante diem kalendarum Novembrium : ut si adesse voluerit, præsens si confidit ad objecta respondeat ; si vero adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur. Nam manifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto et toties delegato judicio purgandi se occasione non utitur. Nihil enim interest, utrum in præsenti examine omnia quæ [j] dicta sunt comprobentur, cum ipsa quoque pro confessione procurata toties constet absentia. Nos autem per omnes provincias litteras [k] dirigimus, ne excusationem sibi ignorationis obtendat, ut ad provinciam venire cogatur, et illic se constituto præsentare judicio. Quidquid autem vestra Charitas de hac causa duxerit decernendum, cum ad nos relatum fuerit, nostra, ut condecet, necesse est auctoritate firmetur. Data sub die idus Junias (*Jun.* 13, *ann.* 419), Monaxio viro clarissimo consule.

MONITUM

IN DUAS EPISTOLAS SUBSEQUENTES.

1. Ambæ in Romano concilio sub Bonifacio II recitatæ, ejusque actis insertæ, postmodum a Luca Holstenio in collectione Romana bipartita vulgatæ sunt. Eas conscripsit Bonifacius ex occasione Perigenis, qui Corinthi natus, in eadem ecclesia renatus, ejusque clero adscitus, cum per omnes clericorum gradus meruisset, Patrensibus quidem a Corinthiorum præsule, totius provinciæ approbante synodo, ordinatus fuerat episcopus; sed a plebe repulsus, postmodum ab ipsis Corinthiis in episcopum cooptatus est. Postulationi eorum intercedebant nonnulli, apud quos ea obtinebat religio, ut canones, qui episcoporum translationes vetabant, violari timerent, si qui uni ecclesiæ semel ordinati, licet ab ea numquam suscepti, alteri præficerentur. Quam ob causam Corinthii sedem apostolicam

sed Bonifacio præsto erant chartæ decessorum suorum, qui ejus cognitionem delegarant. Has igitur recitari sibi jussit, et inde vera esse, quæ Valentini clerici asserebant, recognovit.

[a] Edit. Rom. post Crab., *cui :* refragantibus aliis libris. Plenior esset lectio in hunc modum, *utpote qui*, scilicet *conventus*.

[b] In iisdem edit., *provincialis est delegata cognitio*. Verbum *est* non exstat in mss. Quocirca magis placet cum Sirm., *provinciali delegata cognitione*. Jam superius legimus, *delegata toties cognitione*. Hujusmodi autem delegatio consentanea erat Sardicensis concilii canoni 7.

[c] Editi, *veniet tamen ;* et mox, Merlino excepto, *nec proderit :* corriguntur ex mss.

[d] In Reg. ms., *nunc umquam*, forte pro *nunc æquam*.

[e] Plerique mss., *præcoquem*. Alii duo cum Crab. Sirm. et Lab., *præcoquam*. Corrupte autem apud Merl., *hanc ne aliquis præco et quem judicaret*.

[f] In vulgatis, *de quorum intentionibus ac moribus sit securum*. Exstat quidem magno consensu in mss., *de cujus intentionibus et moribus :* sed cum in plerisque ac potioribus sequatur *sic securum ;* nos orationis series induxit, ut *suis* loco *cujus* restitueremus.

[g] Editi, *præsentarit :* emendantur ex scriptis. Deinde *Manichæorum* nomine Priscillianistas designari eruditi merito censent.

[h] Reg. mss. *asserent ;* Colb., *assererent*.

[i] Plures mss. cum excusis, *edocta fuerint*. Unus e Coislin., prima manu, *edocta fuerit*. Reg., *edicta fuerint*. E gemina illa lectione componitur sincera, *edicta fuerit*, scil. *sententia*.

[j] Regium exemplar, *posita sunt*. Non displiceret *proposita sunt*, maxime cum epistolæ hujus initio præmittatur, PROPONENTES *per libellum crimina*.

[k] Sic mss. At editi, *dirigemus*.

precibus datis adierunt, ut ejus auctoritate voti compotes fierent. Miratus est Bonifacius Corinthiorum precibus nullas Rufi adjunctas esse litteras, licet illius curæ Achaia una cum cæteris Illyrici provinciis commissa jam fuisset. Quocirca etiamsi æquam judicaret illorum petitionem, prius tamen, quam Rufi accepisset litteras, rescribere ipsis noluit, « ut et apostolicæ sedis auctoritas, et ejus vicario debita honorificentia servaretur » (*Epist.* 2, *n.* 4); nec non « ut nihil immaturum ab hac sede fieri videretur » (*Epist.* 15, *n.* 2). Ubi vero Rufi de Perigene accepit scripta, quæ desideriis omnino convenirent, tunc ad eumdem Rufum missa epistola « secunda, quæ universo presbyterio, » hoc est toti Romano clero, « complacuit » (*Ibid. n.* 3), Perigenem ecclesiæ Corinthiorum constituit pontificem.

2. Ex hac narratione cum constet, duas a Bonifacio de prædicto negotio scriptas esse epistolas, unam qua suspensam tenebat Corinthiorum exspectationem, alteram qua eorum postulatis Perigenem concedebat, e subsequentibus epistolis utra prior censenda sit, dijudicari facilius potest. Eam enim, quæ Romano in concilio prima recitata est, eo quoque ordine scriptam esse inde liquet, quod in ea periode loquatur Bonifacius, ut qui Rufo ecclesiarum per Achaiam atque Macedoniam nondum commisisset ipse curam, sed hanc ei a decessoribus commissam fuisse tantum e scrinii sui monimentis comperisset; ac deinde adjungat, hoc decessorum exemplo se adduci, ut Corinthiorum, qui Perigenem episcopum postulabant, preces Rufo notas faciat. Quibus verbis, ad hunc Thessalonicensem episcopum de Perigenis negotio tunc primum scribere se satis aperte indicat. Alteram vero tunc scriptam esse planum est, cum mutuas a se invicem Bonifacius ac Rufus accepissent litteras; ac non solum Rufus ad Bonifacium de ecclesiarum sibi commissarum statu scripsisset, sed et ab eo suscepisset responsa, « quæ in singulorum notitiam pertulerat » (*Epist.* 2, *n.* 2).

3. Tillemontii tamen judicio (*Till. tom.* XII, *pag.* 667), Bonifacius in priori epistola confirmare videtur Perigenis electionem, cujus primam notitiam in postrema epistolæ alterius parte sic Rufo dat, ut de illa nihil definire se voluisse significet, quoad ipsius super ea litteras accepisset. Unde motus vir ille doctus priorem illam epistolam falsi suspectam esse, nec ulla ratione defendi posse censet, nisi dicatur scripta quidem a Bonifacio, cum primo Corinthiorum petitionem assensu suo comprobare atque confirmare decrevisset; sed minime missa, quia deinde hujusmodi confirmationem, quoad sibi de hac re scripsisset Rufus, differendam duxerit. At quominus hoc dicatur aut sentiatur, prohibent cum ipsa Bonifacii epistola 15, ubi duplicis epistolæ ad Rufum de hac causa *directæ* mentio fit, tum Romani concilii sub Bonifacio II gesta, in quibus ambæ epistolæ memorantur, non ut e Romanæ Ecclesiæ scrinio prolatæ; sed ut ex Thessalonicensis ecclesiæ archivo Romam allatæ. Neque etiam suspecta potest haberi prior epistola, quin simul et altera, immo alia omnia scripta, quæ in eodem concilio recitata sunt, pari suspicione aspergantur. Non enim alia est unius aut alterius, sed æqualis omnium auctoritas. Singula quippe protulit Theodosius Echiniensis in Thessalia episcopus; quo quidem illorum fidem e sedis apostolicæ scrinio explorari postulante, idque annuente ac præcipiente Bonifacio II papa, recitata sunt et actis inserta. Verum ingens nobis suspicio est, duarum epistolarum sequentium confusum atque perturbatum esse finem. Certe si ab utraque distrahantur quæ cujusque numero quarto continentur, et quod uni male adsutum est, alteri vicissim restituatur; nihil jam erit, quod non apte sibi cohæreat. Neque mirum videri debet, in iis scriptis, quæ decurtata nonnumquam exhibentur, quædam etiam loco suo fuisse mota.

EPISTOLA IV.

Ut Corinthii Perigenem quem expetunt episcopum accipiant.

Dilectissimo fratri RUFO BONIFACIUS.

1. Beatus apostolus Petrus, cui arx sacerdotii dominica voce concessa est, in immensum gratulationis extollitur, quoties pervidet concessi sibi honoris a Domino intemeratæ se pacis filios habere custodes. Quid enim gaudio debeat majore pensare, quam quod agnoscit acceptæ potestatis illæsa jura servari? Vere namque immobile requirit a diversis destinata super negotiis quibusque consultatio fundamentum, quæ ejus consulit sedis arcanum, quam constat dignatione petræ spiritalis elatam.

2. Frequentia igitur, ut scrinii nostri monimenta declarant, ad charitatem tuam ex ejus fonte scripta [a] manarunt, quibus sollicitudinem ecclesiarum per Macedoniam et Achaiam sitarum Fraternitati tuæ, quam scimus ecclesiasticam disciplinam canonum notione servare, certum est esse commissam. Nec immerito id ducimus factum. Hanc enim gratiam Dilectioni tuæ apostolica sedes officio diligentis impertit. Unde fit, ut Sanctitatem tuam gnaram faciamus hujusce negotii, quod ex ea provincia auribus nostris ingeritur destinatum, cujus [b] prudentiæ tuæ dudum cura mandata est.

3. Corinthii enim olim beati Pauli prædicatione laudati, quorum preces subdendas magis credidimus esse, quam narrandas, Perigenem, sicut jam dudum a sancta synodo [c] super ejus nomine pagina directa testatur, sanctum et instituti optimi qualitate pollentem, civitatis suæ non tam accipere quam retinere desiderant sacerdotem. Cujus ordinationis seriem si integro ordine exponendam putavero, fiat necesse est ejus laudis augmentum; et huic nimium proficiet, si faciamus vel ordinantis [d], vel ordinati recto tramite mentionem. Quis enim dubitet ejus meritis deputari; quis renuit judicii fuisse divini, ideo hunc a Patrensibus in tempore non esse [e] susceptum, et diu super præmissa eccle-

[a] Etiamnum Innocentii habemus epistolas 13, 16 et 18, eidem Rufo inscriptas.

[b] Supple provinciæ, scilicet Achaiæ, cujus una cum cæteris Illyrici curam Rufo ab anno 412 demandatam esse liquet ex Innocentii epistola 13.

[c] Scilicet ab Achaiæ episcopis, qui convenientes in unum, Perigenem Patrensibus præficiendum atque ordinandum decreverunt, eumque tunc in epistola synodica ad apostolicam sedem missa *sanctum et instituti optimi qualitate pollentem* prædicarunt.

[d] Perigenem Patrensibus proprius metropolitanus, hoc est Corinthiorum antistes, episcopum ordinavit. Idcirco *in locum creatoris sui* postea subrogatus mox dicitur.

[e] Id quod Cœlestinus papa, epist. 4, n. 7, præcepit, *Nullus invitis detur episcopus, sed cleri, plebis et ordinis consensus ac desiderium requiratur*, antea usu receptum fuisse cum hoc exemplo, tum aliis constat; adeo ut populus etiam sibi ordinatum, quamvis inculpatæ vitæ, episcopum suscipere nol-

sit, magna deliberatione suspensum, ut hujus ovilis pastor fieret, in cujus caulis suam a cunabulis transegisset ætatem? *Judicia Dei abyssus multa* (*Psal.* xxxv, 7): quod congrue aptamus exemplum, et nemo crederet quod in ordinatoris aliquando locum subrogari posset,[a] quia fuerat ab aliis ordinatus. Non ambigo cœlestis tunc istud fuisse sententiæ.

4. Qua[b] vel consensu qui illic auctoritatem sedis apostolicæ præsentabant, eum in nostrorum numerum recipimus: et in eos necesse est vigorem censuræ, qui contra nostrum factum post hæc nescientibus nostris incitare dicuntur populos, si perstiterint, exseramus. Quod quidem et Dilectionem tuam in eos ex nostra præceptione facere volumus: ut eorum licentiam, quibus nihil tale B commisimus, refrenemus.

EPISTOLA V[c].

Rufi in implendo vicarii apostolicæ sedis officio vigilantia laudatur. Idem explicatur officium. Memorat Bonifacius plures episcopos, suas ipsius litteras Rufi opera ad eos perlatas comprobasse; eaque occasione in Perigenis laudem excurrit.

Dilectissimo fratri Rufo Bonifacius.

1. Credebamus, post epistolas nostras pro ecclesiasticæ disciplinæ observatione transmissas, omnibus aditum præsumptionibus præcludendum, cum ad consultationem Dilectionis tuæ præbuissemus debitum pro causarum æstimatione responsum; constituentes ea debere servari, quæ ecclesiastica C exigit disciplina. Sed quantum nunc tuæ Sanctitatis nobis relatio patefecit, apud plerosque valuisse quod scripsimus; apud quosdam autem admonitionem nostram inefficacem cognovimus fuisse. Nec hoc Fraternitati tuæ possumus imputare, cum te anxium pro commissa tibi ecclesiarum sollicitudine et rebus et litteris sentiamus. Vigilantiæ tuæ lauda- A mus industriam, qui ne videaris tibi commissa negligere, id non prætermittis litteris indicare, quod sedis apostolicæ debeat censura corrigere: hunc te Dei nostri habere professus timorem, quem prudentissimo inesse convenit sacerdoti; qui tunc tibi esse poterit gloriosus, si ea quæ curæ tuæ commissa sunt, prodesse ecclesiis fuerimus experti. Intuetur enim te, ut epistolis tuis ipse fideliter es locutus, beatissimus Petrus apostolus oculis suis, qualiter summi rectoris utaris officio. Nec potest tibi esse non proximus, qui pastor dominicarum ovium est perpetuus constitutus; aut aliquam ubivis positam ecclesiam non curare, in quo universalis ecclesiæ positum legimus fundamentum.

2. Te ergo, frater charissime, omnis cura respectat earum ecclesiarum, quas tibi vice sedis apostolicæ a nobis creditas recognosces: ut et prava corrigas, et dissipata componas; et si quæ inter episcopos eveniant causæ, sub divini judicii timore[d] distinguas: ut creditis tibi a sede apostolica gubernaculis contra omnes fluctus nascentium procellarum juste et prudenter utaris.

3. In notitiam singulorum, ad quos ante jam scripsimus quem deberent tramitem custodire, nostras te epistolas pertulisse dixisti: quibus debitum se commodare consensum plurimi sacerdotum sacrarum traditionum memores sunt professi; quos fraterna charitate (*Supple*, sumus) complexi. Tales esse cognoscimus coepiscopum nostrum Adelphium, vel fratrem Perigenem, cui beati sermo concilii[e] jam dudum adstipulator accessit. Ad episcopatus speculam jam vocabat[f] Dei, inquam, sententia, cujus beneficia sæpe credimus esse contraria; et in adversum vertimus, quæ post recognoscimus profuisse. Quam rem confirmat negotii præsentis exemplum. Tristis absque dubio coepiscopus noster Perigenes fuit, cum eum nemo susciperet ordinatum. Nonne huic hoc expediens erat, ut hunc civitate

nime cogeretur. Quo autem loco habendi essent episcopi illi ab ecclesiis, quibus ordinati erant, rejecti, concilium Ancyranum, can. 18; Antiochenum, can. item 18, et Neocæsariense, can. 36, præscripserunt.

[a] Legendum videtur, *qui aliis fuerat ordinatus*. Socrates, lib. VII, c. 36, aliquot prolaturus exempla, quibus episcopos aliquando transferri licere approbet, hoc primum ponit: *Perigenes Patris ordinatus fuerat episcopus: sed quoniam ejus civitatis incolæ illum admittere recusabant, Romanæ urbis episcopus eum in metropolitana sede Corinthi constitui jussit, mortuo illius episcopo.* Sed ex Occidente nullum aliud in medium affert. Anno 341, concilium Antiochenum, can. 16, vetuerat, ne vacans episcopus in vacantem ecclesiam prosiliret *absque integro perfectoque concilio*, simulque perfectum esse definierat illud concilium, *cui interfuerat metropolitanus antistes*. Si autem metropolitanus antistes cum sua synodo vacantem ecclesiam vacanti episcopo tribuere jure potuit, idipsum sane licuit et Romano pontifici in ea provincia, quæ ad specialem illius curam pertinebat. Eodem jure postea usus est Felix II papa, cum Joanni Talaiæ Alexandrina civitate per Petrum Mongum pulso, Nolanam ecclesiam vacantem, uti testis est Liberatus diac., c. 18 regendam dedit.

[b] Integra fiet sententia, si legatur in hunc modum: *Quare cum consensu eorum, qui illic auctoritatem sedis apostolicæ repræsentabant* seu *repræsentant*. Sed hæc cum subnexis ad finem subsequentis epistolæ pertinere, et quæ in eadem epistola toto numero 4 continentur, huc referenda esse jam superius præmonuimus.

[c] Si chronica epistolæ hujus nota, uti valde verisimile est, cum antecedentibus ad superiorem attinet, nihil erit unde tempus quo scripta est, certo definiamus, nisi quod ea, quæ ab exordio ad principium, num. 4, disseruntur, nullum permittunt dubitandi locum, quin proxima epistola 4 posterior sit. Eum etiam illi servamus ordinem, quo in concilio Romano recitata est.

[d] Labbeus *distringas* mallet. Sed ejus conjecturæ ne subscribamus, vetat similis locus Xysti III, epist. 10, n. 2, ubi is papa hanc Anastasio episcopo Thessalonicensi potestatem dedisse se scribit, ut *si quæ inter fratres nascantur actiones distinguat atque definiat*.

[e] A quo scilicet primum Patrensibus episcopus fuerat ordinatus, uti epist. 4, n. 3, disertius exponitur.

[f] Si suppleamus hic, *eum Dei sententia*, recte sequetur, *Dei, inquam*.

sua Patrenses populi unitæ voce contradictionis arcerent? Sed quanto [a] inclinatus fuit, cum eum ordinatum nemo suscepit, tanto sublimior nunc est, cum a suis poscitur, qui ab externis fuerat refutatus. Evidens enim Dei manifestumque judicium, qui cum id temporis voluit præstolari, quo mereretur huic ecclesiæ præsidere, in qua et natus asseritur et renatus.

4. Frater [b] charissime, quoniam prudentiæ tuæ injunctorum vel delegatorum pondus incumbit, [c] petitio supplicum vel diligentiæ tuæ electæ jamdudum vel vicinitatis ratione te respectat. Quam quidem petitionem non absque admiratione perlegimus, propterea quod tuis epistolis privaretur. Omnibus eo, quem res exigunt, ordine celebratis, aliqua ad nos scripta transmittas : nolumus enim coepiscopo Perigeni nostram paginam destinare prius, quam tuas accipiamus epistolas, cujus ordinationi videntur omnia delegata. Accelerabis id agere propter desiderium postulantium. Melius enim nosse dignaris, eos in hanc precem sola, ut arbitror, erga religionem devotione fervere : maxime cum irreprehensibiliter eum asserant per annos innumeros in presbyterii honore durasse, et non indebito saltu, sed ad summum gradatim venisse fastigium. Cui ad plenitudinem confirmationis episcopatus sui hoc solum residet, quod nostros in honore suo necdum suscepit affatus. Intelligere autem tuam non ambigo charitatem hoc non absque admiratione, quod et huic videmur nostram paginam non misisse, et (*Forte* nec) supplicibus præbuisse responsum. Actum a nobis est, ut et apostolicæ sedis auctoritas, et Dilectionis tuæ honorificentia servaretur. Data XIII kal. Octobr. (*Septemb.* 19, *ann.* 419) Monaxio v. c. consule.

EPISTOLA VI [d]

AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI AD BONIFACIUM PAPAM.

Augustinus, præmisso Bonifacii elogio, necessitatem exponit hæreticorum epistolis respondendi. Tum hoc opus ad illum potissimum, non ut disceret, sed ut examinaret, vel etiam emendaret, direxisse se significat.

1. Noveram te quidem fama celeberrima prædicante, et frequentissimis atque veracissimis nuntiis quanta esses Dei gratia plenus acceperam, beatissime atque venerande papa Bonifaci. Sed posteaquam te etiam præsentia corporali frater meus vidit Alypius, acceptusque a te benignissime ac sincerissime mutua miscuit dictante dilectione colloquia, tecumque convivens, et parvo licet tempore, magno tibi junctus affectu, se simul et me refudit animo tuo, teque mihi reportavit in suo, tanto major me tuæ Sanctitatis est facta notitia, quanto certior amicitia. Neque enim dedignaris, qui non alta sapis, quamvis altius præsideas, esse amicus humilium, et amorem rependere impensum. Quid est enim aliud amicitia, quæ non aliunde quam ex amore nomen accepit, et nusquam nisi in Christo fidelis est, in quo solo esse etiam sempiterna ac felix potest? Unde et accepta per eum fratrem, per quem te familiarius didici, majore fiducia, ausus sum aliquid ad tuam Beatitudinem scribere de his rebus, quæ hoc tempore episcopalem curam, si qua in nobis est, ad vigilantiam pro grege dominico stimulo recentiore sollicitant.

2. Novi quippe hæretici, inimici gratiæ Dei, quæ datur pusillis et magnis per Jesum Christum Dominum nostrum, etsi jam cavendi evidentius apertiore improbatione monstrantur, non tamen quiescunt scriptis suis minus cautorum vel minus eruditorum corda tentare. Quibus utique esset respondendum, ne se vel suos in illo nefando errore firmarent, etiamsi non metueremus ne quemquam Catholicorum verisimili sermone deciperent. Cum vero non desinant fremere ad dominici gregis caulas, atque ad diripiendas tanto pretio redemptas oves, aditus undecumque rimari, communisque sit omnibus nobis, qui fungimur episcopatus officio (quamvis ipse in ea præemineas celsiore fastigio), specula pastoralis : facio quod possum pro mei particula muneris, quantum mihi Dominus adjuvantibus orationibus tuis

[a] Subaudi *magis*. Hic autem *humilis*, id est quod humilis et abjectus.

[b] Cum antecedentibus nulla ratione cohærent subnexa : sed si eorum loco substituantur hæc superioris epistolæ num. 4 : *Quare consensu eorum qui illic auctoritatem sedis apostolicæ repræsentant, eum in nostrorum numerum recipimus*, etc., nihil erit quod non aptissime cohæreat.

[c] In vulgatis, *petitionis supplicum... vicinitatis ratione perspectat*. Manifestum est, *petitionis* loco, *petitio* restituendum esse. Item *perspectat*, pro *te respectat*, irrepsisse suadet illud num. 2 : *Te omnis cura respectat earum ecclesiarum*. Duplici igitur ratione Corinthiorum petitionem ad Rufum attinere Bonifacius docet, prima speciali, qua dudum ab Innocentio ad cognoscendas hujusmodi causas jam electus fuerat; altera communi, quatenus Corinthiis vicinus erat metropolitanus.

[d] Scripta anno 420. Est quidem exordium librorum quatuor, quos Augustinus contra duas epistolas Pelagianorum conscripsit, et Bonifacio nuncupavit : sed nihil vetat quominus appelletur epistola, maxime cum et epistolari ratione concinnatum sit, et epistolæ nomine donari soleant hujusmodi dedicationes. Ideo autem Augustinus opus, in quo duas Pelagianorum epistolas confutat, Bonifacio dicandum duxit, quia illas epistolas sibi ab eodem papa transmissas acceperat. Eas nimirum Bonifacius Alypio tradens Roma in Africam revertenti, ipsi Augustino, cujus nomen, ut lib. II *Retr.* c. 61 meminit, *calumniose interpositum offendebat*, noluit latere. Unde tempus colligere est, quo hæc epistola cum reliquo opere adornata sit. Alypius enim sub finem anni 419 Roma reversus dicitur. Et ordo quidem, quem in libris Retractationum Augustini obtinet hæc lucubratio, suadet eam ad annum 420 pertinere. Eam quoque per Alypium ad Bonifacium missam esse Julianus apud Augustinum, lib. I Op. imperf. c. 85, pro certo ponit.

dare dignatur, ut pestilentibus et insidiantibus eorum scriptis medentia et munientia scripta prætendam, quibus rabies qua furiunt, aut etiam ipsa sanetur, aut a lædendis aliis repellatur.

3. Hæc autem, quæ duabus epistolis eorum respondeo, uni scilicet quam [a] dicitur Romam misisse Julianus, credo ut per illam quos posset suos aut inveniret, aut faceret, alteri autem, quam decem et octo velut episcopi participes ejus erroris, non ad quoslibet, sed ad loci ipsius episcopum sua calliditate tentandum, et ad suas partes, si posset fieri, traducendum, ausi sunt Thessalonicam scribere: hæc ergo quæ istis, ut dixi, duabus epistolis illorum ista disputatione respondeo, ad tuam potissimum dirigere sanctitatem, non tam discenda, quam examinanda, et ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda constitui. Indicavit enim mihi frater meus, quod eas illi dare ipse dignatus es, quæ in tuas manus, nisi vigilantissima diligentia fratrum nostrorum filiorum tuorum, venire non possent. Ago autem gratias sincerissimæ in nos benevolentiæ tuæ, quod eas me latere noluisti litteras inimicorum gratiæ Dei, in quibus reperisti nomen meum calumniose atque evidenter expressum.

EPISTOLA VII [b],

Seu [c] supplicatio ut constituatur a principe, qualenus in urbe Roma per ambitum numquam pontifex ordinetur.

BONIFACIUS episcopus HONORIO augusto

Ecclesiæ meæ [d], cui Deus noster meum sacerdotium vobis res humanas regentibus deputavit, cura constringit, ne causis ejus, quamvis adhuc corporis incommoditate detinear, [e] conventus a sacerdotibus universis et clericis, et christianæ plebis perturbationibus agitatus, apud aures Christianissimi principis desim. [f] Si quid enim secus quam oportet eveniat, non vos id facere, qui cuncta æqua moderatione componitis; sed nos, per nostram tacentes desidiam, videbimur quod civitatis quietem et Ecclesiæ pacem pervertere valeat admisisse. Cum enim humanis rebus divinæ cultor religionis Domino favente præsideas; nostra culpa erit, si non id sub vestra gloria, quam certum est divinis semper rebus animo promptiore favisse, firmo et stabili jure custodiatur, quod per tot annorum seriem et sub illis etiam principibus obtinuit, quos nulla nostræ religionis cura constrinxit, [g] id est ethnicis, et sub vestræ Imperio Clementiæ minime quæ sunt illicita formidentur. Ipsa enim [h] Ecclesia devotionem tuam, christianissime Imperator, meo quidem sermone, sed suo [i] venerabilis appellat affectu, quam Christus Deus noster, vestri fidus rector et gubernator Imperii, uni desponsatam sibi et intactam virginem servat (II *Cor.* XI, 2), ne in eam aliquos patiamini insidiantium procellarum fluctus illidi, et quietam faciem tempestatis insolitæ tumore turbari, glorio-

[a] Hanc Juliano suam esse inficianti, Augustinus, lib. 1 Op. imperf. c. 18, istud respondere satis habuit: *Sed si eam non agnoscis, ecce non sit tua.*

[b] In Gratiani decreto, dist. 97, c. 1, tota descripta est. Exstat quoque in collectione Dionysii Exigui, Hadr. Hispana, Isidori, et alia Langobardicis litteris exarata. His in collectionibus superiori epistolæ 3 anni 419, mense Junio, consignatæ antefertur. Sed nihil inde juvatur opinio Baronii, qui hanc ad eumdem annum refert. Si enim anno 419 esset scripta, cum eam mense Julio datam esse constet, ut epistolæ mense Junio consignatæ postponeretur, temporis ratio postulabat. Si etiam occasionem qua scripta est, expendamus, eam ad annum 419 pertinere non posse facile conficietur. Illam quippe scripsit Bonifacius rogatu omnium sacerdotum ac clericorum suorum, qui *longa incommoditate* atque ægritudine ipsius territi, dum ejus vitæ metuerent, ne Eulalii recrudesceret schisma, prospiciendum duxerunt. Quamvis enim convalescere mox cœperit, nihil tamen censuit differendum, quominus Ecclesiæ unitati ac paci in posterum consuleret. At vero in superiori epistola 3 nihil deprehenditur, quod pontificem *longa incommoditate* laborantem spiret. Hæc igitur, de qua agimus, citius 1 die mensis Julii anni 420 consignari nequit. Cum solemni probatissimorum sacerdotum legatione missa est.

[c] Argumenti hujus, quod Dionysius Exiguus concinnavit, veritatem Honorii rescriptum probat.

[d] In ms. Navar. hic additur *Romanæ*: quod e marginali nota in textum videtur translatum. Hinc factum apud Merlin., *Ecclesiæ me Romanæ.*

[e] Editi cum coll. Dion. Hadr. Hispan. et Isid., *propter conventus qui a sacerdotibus... agitantur*: optimi codicis Colb. Langob. auctoritate castigantur. Neque vero qui essent illi *conventus a sacerdotibus universis et clericis et Christianæ plebis perturbationibus* agitati, facile quis explicet: maxime cum Symmachus Bonifacio quantumvis infestus, acceptis imperialibus edictis quibus hunc pontificem in urbem revocare jubebatur, ad Honorium rescripserit: *Tam grata universis quæ jussa sunt exstitere, ut hoc et ordo amplissimus, et Romanus populus comprobaret... Tantus fervor et lætitia totius exstitit civitatis, ut scilicet religionem redditam, et præstitam quietis securitatem omnes gratulatione congrua testarentur... Nec jam aliqua dissensio remanet populorum, et omnes divino judicio et majestatis vestræ acquieverunt voluntati. Cessantibus ergo studiis, omnes quod præcepto Dei admoniti statuistis, sentire cœperunt.* Ita rescribebat Symmachus sacræ epistolæ, quam anno 419, die 8 Aprilis, acceperat. Ubi igitur cessarant partium studia, schismaticos illos conventus agitare potuisse quis intelligatur? Sed et de unis perturbationibus prævertendis, quæ accidere in posterum possent, Bonifacium, cum a clero conventus ac rogatus esset, sollicitum fuisse tota supplicationis ipsius series atque Imperatoris rescriptum persuadent.

[f] In vulgatis, ut in scriptis Hadr. et Isid. exemplis, *siquidem*: verius in ms. Colb. Langob. ut in sincero Dion. exemplari Regio, *Si quid enim.*

[g] In exemplaribus Dion. et Hadr., *id est licitis*, nisi quod in uno Harlæo superscriptum est, *vel ideo licitis.* Isid. post Hispan. coll. substituit, *id est, ut fidens utatur licitis*: quod et Merl. arripuit. Edit. alii de suo posuerunt, *id est, ut fidens utar licitis.* Solus Gratianus exhibet, *id est, ut licita serventur.* In Langob. codice Colb. exstat, *id est de licitis,* Unde conficiendum nobis visum est, *id est ethnicis.* Ad hunc Bonifacii locum Honorius exigit verba sua, cum epist. 10 scribit: *Ne sub principibus christianis Romana perdat Ecclesia, quod aliis imperatoribus non amisit.*

[h] In ms. Colb. Langob. desideratur *Ecclesia.*

[i] Ita sincerum Dion. exemplar Regium cum Colb. At aliis in libris, *venerabili.* Tum duo mss. coll. Isid., *appellat affatu.*

sissime et tranquillissime Imperator auguste. Ipsa A ergo, quæ uni desponsata, vestra tamen mater est, Ecclesia hac pietatem vestram legatione, quam suis sacerdotibus commisit, appellat, præterita [a] præsentiaque repetit. Vobis, inquit, religiose imperantibus, [b] modo tutus est populus, tam fidus Deo, quam tibi, [c] principi christiano. Ecce enim inter ipsa mysteria, inter preces suas, quas pro vestri felicitate dependit Imperii, teste apud quem et de cujus sede agitur sancto Petro, sollicitis pro religionis ob errantia vocibus clamat: cum sollicita petitione miscetur oratio, ne [d] hos in varias res semel evulsa distrahat a cultu solito, tentatore sollicitante, discordia. [e] Ageret pluribus, princeps christianissime, nisi apud te suarum esset secura causarum, et in oppressionibus idolorum, in hæreticorum correctionibus, fide tua, divino cultu pariter cum Imperio semper florente vicisset. Habet refugium, tuæ mansuetudinis animum cum suæ religionis veneratione conjunctum: cum quidquid huic proficiat, vos agatis, [f] conferatis fratribus et consacerdotibus meis, probatissimis viris, a me et ab omnibus qui Ecclesiam faciunt [g] istam, ad te legatis: quibus, precamur, sacræ causam religionis prosequentibus, in urbe vestræ mansuetudinis hoc animo, quo postulatis annuitis, in perpetuum statui universalis Ecclesiæ consulatis. Data kalendis Julii (1 Julii ann. 420).

EPISTOLA VIII [h].

SEU RESCRIPTUM HONORII AUGUSTI AD BONIFACIUM PAPAM.

In quo statuit Imperator, ut si denuo Romæ duo episcopi ordinati fuerint, ambo de civitate pellantur.

Victor HONORIUS, inclytus triumphator, semper augustus, sancto ac venerabili BONIFACIO papæ Urbis [i] æternæ.

Scripta (*dist.* XCVII, *c.* 2) Beatitudinis tuæ debita reverentiæ gratulatione suscepimus [j], quibus recensitis, egimus omnipotenti Deo maximas gratias, quod sanctimoniam tuam post longum incommodum optatæ redditam didicimus sanitati. Et ideo [k] revertentibus venerabilibus viris, gaudium nostrum sacrorum apicum attestatione signamus, [l] ac petimus ut quotidianis orationibus apostolatus tuus studium ac votum suum circa salutem atque Imperium nostrum dignetur impendere. Illud autem B pietati nostræ satis placuisse cognosce, quod sanctimonia tua de ecclesiarum aut populi perturbatione sollicita est. Quæ ne aliqua ratione possit evenire, satis clementia nostra credidit esse provisum. Denique prædicante Beatitudine tua id ad cunctorum clericorum notitiam volumus pervenire, ut si quid forte religioni tuæ, quod non optamus, humana sorte contigerit, sciant omnes ab ambitionibus esse cessandum. Ac si duo (*Dist.* LXXIX, *c.* 8) forte contra fas temeritate [m] certantum fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitus sacerdotem; sed illum solum in sede apostolica permansurum, quem ex numero clericorum nova ordinatione divinum judicium et universitatis consensus elegerit. Unde id [n] observandum est, ut omnes tranquillam mentem et

[a] *Præterita* interpretari licet quæ sub Damaso Ursini factione, et *præsentia* quæ novissimo Eulalii schismate mala passa est Ecclesia.

[b] In vulgatis post Isid.: *Crevit meus qui modo tuus est populus:* glossema a Bonifacii mente alienum, quod ex Dion. aliisque potioribus mss. castigatur. De securitate populo præstita, non de ipsius populi incremento hic sermonem esse firmatur ex iis, quæ Symmachus statim post pacatum schisma scripsit, qui *religionem redditam et præstitam quietis securitatem omnes* gratularentur, luculenter exponens.

[c] Sic sinceriores mss. At unus Harlæus, *qui estis principes christiani*. Navar., *qui es princeps Christianorum*. Duo alii, *princeps Christi*. Merl., *qui es princeps Christi*. Cæteri libri, *qui es princeps christianus*.

[d] Posteriores edit. Concil., *ne nos*, et infra post Merl., *discordias* pro *discordia*. Gratianus vero ita decurtavit ac perstrinxit hunc locum: *ne humanas res solito tentatore occulto* (seu *occulte*) *sollicitante semel evulsa discordia distrahat*. Pronomen *hos* ad populum referre licet.

[e] Editi, excepto Merl.: *Augeretur pluribus, princeps christianissime, mater Ecclesia, nisi:* castigantur auctoritate mss.

[f] In vulgatis post Crab. *agatis et conferatis:* nullo suffragante ms. nisi quod in uno Harlæo secundis curis superadditum est *et*.

[g] Merl., *ista mundu legatione*. Editi cæteri *istiusmodi legatis*. Vetustior ms. Colb., *ista mandat lega tio*. Reliqui veteres codices, *ista munda legatio*. A mss. lectione propius abest quam restituimus. Illam etiam postulat orationis series. Nam, ut in exordio Bonifacius declarat, ipse conventus ac rogatus a sacerdotibus universis et clericis ecclesiæ suæ hanc legationem ad Honorium destinavit. Prudens autem non solum suo, sed et omnium qui ecclesiam suam C faciebant, nomine legationem mittit, quia liberam successoris sui electionem postulans, rem petebat quæ totius ecclesiæ suæ omnino intererat.

[h] In iisdem veteribus collectionibus, in quibus superior, ac præterea in Vaticano exemplari asservatur hæc epistola. Ex iis quæ Honorius in Bonifacii et Eulalii causa seu precibus, seu litteris ac relationibus ad se Roma missis rescripsit, tempus quo hæc scripta est, conjicere licet. Cum enim is imperator omnibus illis scriptis intra septem dies aut non multo serius rescripsisse reperiatur; cum etiam, quin hoc rescriptum daret, mensem Julium anni 420 elabi non sivisse merito censeamus.

[i] Merlin. ut in mss. Isid., *urbis Romæ*.

[j] In ms. Vatic., *suscepimus*, *omnipotenti Deo maximas gratias referentes quod*.

[k] Codex Remig. coll. Hadr. ab antiqua manu secunda, *reverentibus:* quam correctionem secutus est qui Laudunensem ex eo descripsit. Eadem lectio et D in mss. Isid. et apud Merl. obtinet, quamvis vox sequens eam exclusisse debuisset.

[l] In ms. Vatic. deest *ac petimus*.

[m] Ita cum Gratiano et Merlino mss. nostri, nisi quod in uno Colb. *certatim*. At editi alii, *certantes*, omisso *forte*, quod antiquioris ms. Colb. auctoritate revocatur. Ad Honorii legem quod attinet, erat quidem illa ad ambitiosos deterrendos idonea; sed eadem ad excludendos bonos abuti poterant pacis inimici. Sane si antea valuisset, Bonifacium ipsum ac Damasum inter pontifices suos Roma non recenseret. Sed quædam interdum exigit temporum iniquitas, quæ, hac sublata, prudenter removentur.

[n] Corb. ms. coll. Hadr. *Unde sedulo servandum est*. Unus Harl. secundis curis, *Unde id volo servandum esse*. Navar., *Unde id observandum esse volo*. Sincerior est vulgata lectio, eique plerique mss. astipulantur.

pacificos animos ex serenitatis nostræ admonitione custodiant, nec aliquid seditiosis conspirationibus tentare conentur, cum certum sit, nulli partium [a] sua studia profutura.

EPISTOLA IX [b].

Qua ecclesiæ Constantinop. jura in Illyricum propagantur.

THEODOSIUS aug. [c] PHILIPPO Pf. P. Illyrici.

Omni (*Ex Cod. Theod. lib.* XVI, *tit.* 2, *leg.* 45, *et Cod. Justin. lib.* I, *tit.* 2, *leg.* 6) innovatione cessante, vetustatem et canones pristinos ecclesiasticos, qui nunc usque tenuerunt, per omnes Illyrici provincias servari præcipimus : ut si quid dubietatis emerserit, id oporteat non absque scientia viri reverentissimi sacrosanctæ legis antistitis urbis Constantinopolitanæ, quæ Romæ veteris [d] prærogativa B lætatur, conventui sacerdotali sanctoque judicio reservari. Dat. prid. id. Jul. (14 *Jul. ann.* 421) Eustathio et Agricola coss.

EPISTOLA X [e].

SEU EXEMPLAR EPISTOLÆ PIISSIMI IMPERATORIS HONORII AD THEODOSIUM AUGUSTUM.

Ut superiorem constitutionem abroget.

Omnibus (*Ex Holstenii collect. Rom. pag.* 81) quidem causis, in quibus nostrum postulatur auxilium, intercessionem apud aures tuæ Clementiæ negare non possumus : sed his majorem necessario curam studiumque debemus, quibus sanctæ sedis apostolicæ desideria continentur. Nam cum favore divino nostrum semper gubernetur Imperium, procul dubio illius urbis ecclesia speciali nobis cultu veneranda C est, ex qua et Romanum principatum accepimus, et principium sacerdotium (*supple* accepit). Si quidem nihil aliud a pietate nostra postulaverit missa legatio, nisi quod catholicæ fidei disciplinæ et æquitati concordet. Petit enim ut hæc privilegia, quæ dudum a patribus [f] constituta usque ad tempora nostra servata sunt, inconcussa perdurent. In qua parte respicit Serenitas tua, nihil vetustis [g] decretis, si quæ canonum conscripta sunt regulis, penitus derogandum; nec tot jam sæculorum reverentiam novellis præjudiciis sauciandam, domine. Unde Majestas tua, recensitis nostræ pietatis affatibus, Christianitatis memor, quam pectoribus nostris misericordia cœlestis infundit, universis remotis quæ diversorum episcoporum [h] subreptionibus per Illyricum impetrari dicuntur; antiquum ordinem præcipiat [i] custodiri : ne sub principibus christianis Romana perdat Ecclesia quod aliis imperatoribus non amisit.

EPISTOLA XI.

SEU RESCRIPTUM THEODOSII AUGUSTI AD HONORIUM AUGUSTUM.

Se præcepisse ut remotis quæ sibi subrepta fuerant, illæsa servarentur Romani antistitis per Illyricum privilegia.

Dignum (*Ex eodem libro, pag.* 83) meretur judicium, quisquis perennis principis affatus ad nostram videtur deferre clementiam, domine sancte, pater auguste venerabilis, tum præcipue christianæ religionis intuitu, quæ venerandis sensibus Majestatis tuæ ita infusa est, ut per nostra corda latius porrecta servetur. Deus enim auctor ideo [j] præsules

[a] In ms. Vatic. desideratur *sua*.

[b] Hanc epistolam, ut quæ duabus sub sequentibus occasionem præbuerit, hic repræsentare visum est operæ pretium. Eam Attici persuasione datam esse Baronius, ad annum 421, putat. Et alia quidem lex, ne videlicet in Hellesponto aliisve regionibus præter sententiam episcopi Constantinop. ulla fieret sacerdotis ordinatio, teste Socrate, lib. VII, c. 28, solius Attici personæ concessa, hunc episcopum ab ambitione immunem non fuisse argumento est. Theodosius tamen, epist. 10, constitutionem hanc non tantum Attici, sed et *supplicantium episcoporum per Illyricum* precibus sibi subreptam fatetur.

[c] Ad eumdem Philippum alia legitur constitutio Cod. Th. lib. XVI, tit VII, leg. 21.

[d] Ea veteris Romæ prærogativa est, ut sit apostolica sedes. At civitas CP., ut Gelasius epist. 9, n. 6, loquitur, nullum inter sedes nomen accepit. Immo neque ex Regis præsentia ullam ecclesiis prærogativam accedere idem papa, epist. 23, n. 10, D asserit. Eam autem, qua Romanum pontificem gaudere Nicæna synodus, can. 6, observat, antistiti Constantinop. hic attribui obscurum non est. Quam novitatem a Theodosio admitti eo magis est mirum, quod in hoc ipso edicto omnem innovationem cessare se velle præloquitur.

[e] In Romano concilio, quod Lucas Holstenius in lucem emisit, hæc epistola subnexumque Theodosii rescriptum post tres ultimas Bonifacii nostri epistolas recitata sunt. His duobus monumentis suus hic locus merito datur, utpote quæ Bonifacio petente ad apostolicæ sedis jus vindicandum conscripta sint. Etsi tempus, quo scripta sunt non notetur, illud tamen ex superiore constitutione conjectare licet. Ubi enim hæc promulgari cœpit; valde probabile est Bonifacium minime quievisse, donec Honorii ope tam iniqua constitutio rescinderetur. Quocirca hæc tria scripta haud magno intervallo distrahenda sunt. Certe separanda non videntur, quæ re ac materia adeo sunt conjuncta.

[f] Etiam sub gentilibus imperatoribus, ut in epistolæ hujus clausula innuitur. Unde arguere liceat Romani episcopi jus in Illyricum non a Damaso cœpisse.

[g] Hæc opponit Honorius Theodosii dictis, quibus *vetustatem et pristinos canones* vindicare se jactitabat.

[h] Thessaliæ videlicet, qui vel Rufo invidebant concessam dignitatem, vel Attico occulte favebant.

[i] Bonifacius, epist. 7, ad Honorium scripserat : *Firmo et stabili jure custodiatur, quod per tot annorum seriem et sub illis etiam principibus obtinuit, quos nulla nostræ religionis cura constrinxit;* ac forte similia in libello, quo ejusdem Imperatoris intercessionem imploravit, repetierat. Certe hujusmodi verba ipse Honorius hic videtur imitari.

[j] Vopiscus, in Probo, Aureliani aug. ad Probum nondum imperatorem scribentis hæc verba recitat de decimanis : *Illi enim sunt qui quadam felicitatis prærogativa* PRÆSULES, *nisi futuros principes habere non norunt*. Jul. Capitolinus, in M. Antonio philosopho : *Fuit in eo sacerdotio et præsul et vates*. Lampridius quoque, in Juliano, meminit *præsulum regendæ reipublicæ* ab illo imperatore factorum. Ita HOLSTENIUS, qui et christianis principibus ab ecclesiasticis scriptoribus eamdem præsulis appellationem tributam observat. Re ipsa Gelasius papa, epist. 14, Imperatorum constitutionem indicans, de ea sic loquitur : *Præsulum nostrorum auctoritas*

fecit christianorum principum posteros, ut omni subreptione frustrata, id quod a majoribus nostris constitutum est reservetur. Et quamquam non solum in iis, quæ divina suffragia incorrupta servarunt, affatus Perennitatis tuæ a nobis observentur affectu celeri omnique veneratione suscepta, tum præcipue hæc res; quia sæculi totiusque regni nostri sospitatem illius inclytæ urbis nomen hactenus servat. Unde omni supplicantium episcoporum per Illyricum subreptione remota, statuimus observari quod prisca apostolica disciplina et canones veteres eloquuntur. Super qua re, secundum formam oraculi Perennitatis tuæ, ad viros illustres præfectos prætorii Illyrici nostri scripta [a] porreximus, ut cessantibus episcoporum subreptionibus, antiquum ordinem specialiter faciant custodiri : ne venerabilis ecclesia sanctissima Urbis privilegia a veteribus constituta amittat, quæ perenne nobis sui nominis consecravit imperium.

A

EPISTOLA XII [b].

BONIFACII I, PAPÆ, AD HILARIUM NARBONENSEM EPISCOPUM.

Ut in unaquaque provincia nemo, contempto metropolitano, episcopus ordinetur.

BONIFACIUS, episcopus urbis Romæ, [1] HILARIO episcopo Narbonensi [c].

1. Difficile [d] quidem fidem querimoniis commodamus, quarum sacerdotes Domini pulsat intentio, maxime cum eos loquuntur quidpiam contra patrum statuta tentasse : sed frequenter has asserit, sicut nunc, multitudo causantium. Ecce enim, ut charitas tua recognoscit ex subditis, [e] Lutubensis ecclesiæ cleri ordo, vel plebis, preces suas et lacrymas ad nos, quantum datur intelligi, magno cum dolore B miserunt, dicentes, coepiscopum (*Hæc citat Cœlestinus epist.* 4, *n.* 7) nostrum Patroclum, [f] sua petitione cessante, in locum decedentis episcopi, nescio quem in [g] aliena provincia prætermisso metropolitano

emanavit. Et hi quidem *præsules* non immerito dicuntur, quia præsunt reipublicæ, sicut episcopi vocantur præsules, quia præsunt ecclesiæ.

[a] Exciderunt scripta illa, tantumque in Theodosii ac Justiniani Codicibus exstat præceptum superius allatum, quod his rescissum fuit. Sed illorum veritatem vel id maxime firmat, quod Bonifacii successores pristinum jus in Illyrici provinciis sine ulla controversia retinuerunt.

[b] Non tantum in collectionibus Dion., Hadr., Hispana Isidori Mercatoris, sed et in Codice canonum, quem Pasch. Quesnellus edidit, habetur. Colbertinum hujus Codicis exemplar hanc in Indice generali C præ se fert falsam inscriptionem : *Bonifacii papæ ad Hilarium episcopum Narbonensem de Patroclo episcopo Luthebensi.* Verior ista foret : *de Patroclo Arelatensi, qui Lutubensem episcopum præter canones ordinavit.* Summam retinemus, quam Dionysius Exiguus ei præfixit. Privilegia Patroclo a Zosimo concessa Bonifacius hac epistola ita rescindit, ut nec illorum, nec decessoris sui, a quo concessa erant, mentionem faciat. In eo, quod metropolitanis jus a canonibus attributum restituat, a Cœlestino, epist. 4, n. 6, laudatur.

[c] In vulgatis secundum Isid. hic additur *salutem*, quæ vox abest ab antiquiorum collectionum exemplis.

[d] Editi, *Difficilem*, etc. Colb. ms., *Difficile quorumdam fidem querimoniæ commodamus.* Reg., *Difficile quidem querimoniis credidimus.*

[e] Merl., *Lucubensis.* Crab., *Luctenensis.*

[f] Vestustior codex Colb. *suas petitiones cassante.* Verior est aliorum librorum lectio, ex qua confirmatur usus, ne populis, *sua petitione cessante*, id est *præter petitionem suam*, episcopus ordinaretur, aut illi sic sibi ordinatum accipere inviti cogerentur.

[g] Sirm. et Lab. cum antiquiore ms. Colb., *in alia.* Alter Colb., *ex aliena*, minus apte. Quamvis enim istud quoque vetent Canones, ne ex aliena provincia, nisi in propria desit dignus, episcopus quæratur, de sacerdotibus tamen in aliena provincia non ordinandis tota nunc controversia est. Jam cum Patroclo, quod in aliena provincia sacerdotes ordinasset, ut in epistola 6 Zosimi, n. 1, habetur, expostularat Hilarius Narbonensis, *asserens in aliena provincia ab alio non debere fieri sacerdotes.* Cumque subinde unus e Patrocli successoribus Hilarius idem sibi privilegium arrogasset, hunc Leo, epist. 11, n. 7, corripuit his verbis : *Quid sibi Hilarius quærit in aliena provincia, et id quod nullus decessorum ipsius ante Patroclum habuit, quid usurpat ?* In toto hoc negotio quædam fuit apostolicæ sedis judiciorum species seu forma diversa. Primo enim Narbonensis antistes episcoporum in provincia Narbonensi I ordinandorum potestatem consecutus erat, ut e Zosimi epistola 6, n. 1, discimus. Tum is papa mox dicta epistola 6, hoc illi jus sustulit, ac transtulit in episcopum Arelatensem. Exinde Bonifacius abrogato Patrocli privilegio, Hilario Narbonensi episcopo ablatum jus restituit; quod et sequentes pontifices, ac nominatim Leo, epist. 11, n. 7, confirmarunt. In hac tamen diversitate omnes in unam conspirasse deprehenduntur sententiam : quatenus sedulæ canonum observationi inhærendum esse una voce conclamarunt. *Apud nos*, inquit Zosimus, epist. 5, *inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta patrum sanxere reverentiam.* In eo quoque et nunc Bonifacius, et postea Cœlestinus ac Leo cum illo concordarunt. Nam et ipsi sese canonum vindices summo consensu profitentur. Et vero Zosimus privilegium controversum Patroclo non adjudicavit, nisi postquam is decessores suos illo semper gavisos esse iis probavit argumentis, quæ Hilarius Narbonensis confutare tum D non valuerat. At si præsul idem postea, resumptis spiritibus, neminem ante Patroclum illud sibi arrogasse fidem fecit, minime mirum est eum impetrasse, ut id privilegii, sublata causa propter quam indultum fuerat, revocaretur atque abrogaretur. Zosimi ea de re judicium etiamnum defendit Pasch. Quesnellus Dissert. 5, in Leonem. Ab adversa autem parte stant Baronius, ad ann. 418 et 422, Petrus Marca, lib. de Primatu, § 71; ejusque continuator Steph. Baluzius, lib. v de Concord. sacerd. et imp., c. 30; necnon Tillemontius, tom. x, pag. 681 et seqq.

[1] Cum Lutevenses in prima Narbonensi provincia clerici conquesti apud Bonifacium essent, Patroclum Arelatensem, mortuo episcopo suo, alterum sibi, cum in alia sint provincia, prætermisso metropolitano suo, id est, Hilario Narbonensi, ordinasse : de ea re scribit ad Hilarium pontifex, mandatque ut Lutevam profectus, metropolitani jure arbitrioque utatur; et peractis omnibus, sedi apostolicæ renuntiet quid statuerit. Itaque rescindit quod Zosimus nuper decreverat, primæque Narbonensis ordinationem non ad Arelatensem, sed ad Narbonensem episcopum, velut metropolitanum, pertinere declarat.

contra patrum regulas ordinasse. Quod nequaquam possumus ferre patienter: quia convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes. Nulli etenim videtur incognita synodi constitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, ut eadem [a] proprie verba ponamus. Per unamquamque provinciam jus metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas [b] esse subjectas. Quod illi, quia aliter, credendum non est, servandum sancto Spiritu suggerente sibimet censuerunt.

2. Unde, frater charissime, si ita res sunt, et ecclesiam supradictam provinciæ tuæ limes [c] includit, nostra auctoritate commonitus, quod quidem facere sponte [d] deberes, desideriis supplicantium, et voluntate respecta, ad eumdem locum in quo ordinatio talis celebrata dicitur, metropolitani jure munitus, et præceptionibus nostris fretus, accede: intelligens arbitrio tuo secundum regulas patrum quæcumque facienda sunt a nobis esse concessa; ita ut peractis omnibus, apostolicæ sedi quidquid statueris te referente clarescat, cui totius provinciæ [e] ordinationem liquet esse mandatam. Nemo ergo eorum terminos audax temerator excedat, nec aliquis in illorum contumeliam partibus suis, quæ sibi [f] non videntur concessa, defendat. Cesset hujusmodi pressa nostra auctoritate præsumptio eorum, qui ultra licitum suæ limitem dignitatis extendunt. Quod idcirco dicimus, ut advertat charitas tua, adeo nos canonum [g] præcepta servare, ut ita constitutio quoque nostra definiat, quatenus metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper exspectet. Data [h] v idus Febr. (*Feb.* 9 *ann.* 422) dominis nostris Honorio XIII et Theodosio X augg. conss.

EPISTOLA XIII [i].

Rufum de concessa sibi vicarii B. Petri dignitate ac munere Bonifacius admonet, communicatque cum eo, et quid circa varia, quæ illis in partibus agitantur negotia, ad Thessalos scripserit, et quid ipsi agendum restet.

Dilectissimo fratri RUFO BONIFACIUS.

1. Retro majoribus tuis super provinciis apostoli-

[a] Apud Baron. ut in uno ms. Harl., *propria*. Quesnellus, dissert. 12, c. 7, pro *proprie* restituendum putat *prope*. Sed neque ipse in Nicænis canonibus aut verba quæ a Bonifacio laudantur, aut *prope eadem* invenit. Immo neque unde excerpta sint, inter eruditos convenit. Alii quippe e canonibus, qui exciderint, descripta esse arbitrantur. Alii multo plures Nicænum canonem 6 hic indicari existimant. Adversus quos mox memoratus vir clarissimus, ibid., cap. 6: *Nec ego*, inquit, *hunc notari puto: de majoribus enim diœceseon primatibus magis agit, quam de metropolitanis provinciarum episcopis. At de his*, infit, *ordinariis metropolitanis provinciarum episcopis sermo est in canone 4, qui est de ordinatione episcoporum.* Verum neque iste canon 4 etiam ex collectione quam *canonum ecclesiæ Rom. Codicem* inscripsit, *verba prope eadem*, atque ea quæ Bonifacius hic laudat, exhibet. Ita nempe illic enuntiatur: *Episcopum oportet maxime quidem ab omnibus qui sunt in provincia ordinari.... Potestas sane vel confirmatio pertinebit per singulas provincias ad metropolitanum.* Ad nos quod attinet, licet hunc canonem 4 a Bonifacio laudatum non negemus, nihil tamen vetare arbitramur quominus idem papa respexerit simul et ad eam canonis 6 partem, quæ in pervetusto codice Fossat. nunc Colb. sub hoc titulo, *De infirmanda ordinatione, quæ sine consensu metropolitani fit*, ita exprimitur: *Per omnia autem manifestum est hoc, quod si quis præter voluntatem metropolitani episcopi fuerit ordinatus, hunc statuit hæc sancta synodus non debere esse episcopum.* In illo etiam Codice, quem Quesnellus edidit, eadem est canonis 6 in duos distinctio, atque iisdem verbis postrema ejus pars effertur. Certe viro docto ægre concesserimus, hac postrema parte unam sedium, quas subinde patriarchales vocarunt, non cæterarum metropoleon præscribi potestatem. De intelligentia autem verbi *proprie* hæc nostra conjectura est, Zosimum non propria Nicæni concilii verba hic referre voluisse, sed verba, quæ forte in Lutubensium libello e Nicænis canonibus summatim expressa erant, repetiisse, ac velut sibi propria declarasse. Qua ratione Zosimus, ut in epistola 21 Cœlestini, n. 11, visuri sumus, Carthaginensis synodi decreta adoptavit his verbis: *Illud etiam quod intra Carthaginensis synodi decreta constitutum est, quasi* PROPRIUM *apostolicæ sedis amplectimur.*

[b] In edit. Rom. aliisque antiquioribus, ut in mss. coll. Hisp. et Isid. hic additur *posse*. Quod verbum rectius abest ab exemplaribus Dion. et Hadr. ejusque loco subauditur *debere*. Nam Alexandrino, Antiocheno, Thessalonicensi aliisve nonnullis antistitibus plures provinciæ tunc erant subjectæ, et ex sententia Innocentii (qui epist. 24, n. 2, rescribit, divisis imperiali judicio provinciis metropoles in ecclesia nequaquam dividendas, nec numerum augendum esse metropolitanorum) liquet fieri potuisse, ut uni metropolitano ecclesiastico duæ provinciæ civiles subjicerentur. Longe minus placet illud vetusti ms. Colb., *esse posse sedes subjectas*. Non enim de sedibus, sed de provinciis hic sermo est.

[c] Unus e mss. Colb., *inclusit*. Mox Merlin. ut in mss. Isid.: *communias*; editi vero alii cum exemplis coll. Hadr. *communitus* vel *communius*: ubi cum Dion. aliisque potioribus mss. restituimus *commonitus*.

[d] Unus codex Harlæus, secundis curis, *debueras*, favente Regio meram Dionysii collectionem continente, in quo exstat *deberes*.

[e] Crab. hic addidit *suæ*, ac deinceps retentum est hoc vocabulum, quod a Dion. Hadr. atque aliis potioribus mss. abest. Certe *tuæ*, non *suæ*, addendum fuisset.

[f] In edit. Rom. ut in ms. Pith. hic adjicitur *ab his*: quorum loco subaudiendum *secundum regulas patrum*. Eadem vox *patrum*, supra, cum in his *eorum terminos*, tum in istis *in illorum contumeliam*, pariter subauditur.

[g] Vetus codex Colb. ac Pith., *canonum cautius præcepta servare*. Tum nonnulli, sed non potiores, *ut ista*. Deinde Pith., *censio*, loco vocis *constitutio*. Nicænæ synodi canonem 4, quo *eorum, quæ in unaquaque provincia fiunt, confirmationem a metropolitano fieri* præcipitur, Bonifacius hic non obscure commendat ac firmat.

[h] In vetere ms. Colb., VI *idus Febr.* Deinde hæc verba *dominis nostris*, quæ in ms. Pith. desiderantur, in cæteris exprimuntur his notis *DD. NN*.

[i] Et hæc epistola, quæ et commonitorium merito vocetur, cum duabus subsequentibus in concilio Romano, quod Lucæ Holstenii opera in lucem prodiit, recitata est. Tria illa scripta idem Severus apostolicæ sedis notarius simul in Illyricum detulit. Unde cum Nicolaus I epistolam, quæ media est, sæpius laudat, etiam aliis duabus adjicit auctoritatem. Præterea iis, quæ de Perigene in illis litteris habentur, consentaneum est Socratis lib. VII, c. 36, de hoc præsule testimonium.

cæ sedis injunctum diligenter a tua charitate debet impleri. Causæ etenim ecclesiarum per eas provincias positarum pervigili sunt circumspectione curandæ. Ita quippe vice sua beatus apostolus Petrus ecclesiæ Thessalonicensi cuncta commisit, ut intelligat se sollicitudinem manere multorum : quam minorem facere nova [a], quæ vires habere non possunt, tentamenta non debent. Non est enim eorum cedendum studiis, quos novitas rerum, et indebitæ desiderium dignitatis accendit : sed elaborandum est, et Deo nostro favorem præstante certandum, ut quisquis contra licitum nititur, sibi per omnia recognoscat occursum. Quapropter, frater charissime, fretus jam dudum a te auctoritate suscepta, contra inimicas turmas idoneus Dei nostri miles armare. Nihil hic timebis dubii, nihil incerti formidabis eventus. Habes beatum apostolum Petrum, qui ante te pro sua possit vi repugnare. Nolo perturbatione maris conciti terrearis. Fidem quippe, quam in arcano tui pectoris portas, omnibus rebus certum est esse majorem. In nullo te turbo, in nullo penitus procella vexabit. Non patitur ille sedis suæ perire privilegium te laborante piscator. Omnis tumor fluctuum, omnis procella cessabit, eo favente nisibus tuis, cui soli mare pervium fuit. Aderit nimirum, et violatores canonum atque ecclesiastici juris inimicos Deo auctore compescet, qui talium mentium semper vota frustratur.

2. In cæteros etiam contumaces jus concessæ potestatis exerce. Nullum etenim locum vides a nobis otiosum relictum. Ad Thessalos comminationis et correptionis plenas litteras misimus. Ad synodum, quæ dicitur illicite (*Corinthi*) congreganda de causa fratris nostri et coepiscopi Perigenis, cujus scripsimus (*Vide Zosimi epistolam* 13, *n.* 1) statum nulla posse penitus ratione turbari, talia scripta direximus, quibus universi fratres intelligant, primo convenire se citra tuam conscientiam minime debuisse; deinde, de nostro non esse judicio retractandum. Numquam enim licuit de eo rursus, quod semel statutum est ab apostolica sede, tractari. In qua pagina nostra, ut condecuit, honorem debitum tuæ servavimus Sanctitati, sicut ejus charitas tua lectione cognoscet.

3. Perrevii autem coepiscopi nostri negotium, cujus nobis libellus ab eodem destinatus fecit indicium, cui consacerdotes sui molesti nimis esse dicuntur, ita ut eum ecclesia sua crederent esse pellendum, diligenter audire tuam volumus [b] charitatem, conventis supradictis coepiscopis nostris, quorum se vim sustinere deplorat. Tunc demum, ut intelligant, si quid a se factum est contra consuetudinem, prius esse cassandum, omnibus vestigatis ad nos tua charitas referre maturet; quatenus [c] prolatum a tua fraternitate judicium sententia nostra valeat roborari.

4. Sane in epistola Thessalis fratribus destinata id a nobis scriptum volumus recognoscas, Pausianum, Cyriacum atque Calliopum [d] a nostra communione penitus submovendos : ita ut remedium solum interventionis tuæ gratiam se habere cognoscant. Maximum autem, quem male tua charitas retulit ordi-

[a] Novorum illorum tentamentorum nomine intelligit Holstenius rescriptum Theodosii in favorem sedis Constantinop. contra jus Rom. sedis in ecclesias Illyrici anno antecedente extortum : eique favere videntur subnexa : *Non est enim eorum cedendum studiis, quos novitas rerum et indebitæ desiderium dignitatis accendit.* Nam illud *indebitæ desiderium dignitatis* ad unum Atticum attinet. Sed eorum nomine, *quos novitas rerum accendit*, intelligere licet Thessalos, qui Attico assentari studentes nova quædam tentarint, ob quæ sedis apostolicæ offensam et a Bonifacio *comminationis et correptionis plenas litteras* meruerunt. Neque vero, si integrum ac nondum rescissum tum mansisset Theodosii præceptum, quo apostolicæ sedis jus in Illyricum ad regiæ urbis antistitem transferebatur, Bonifacius, n. 2, tam fidenter Rufo fuisset dicturus : *In cæteros etiam contumaces jus concessæ potestatis exerce.*

[b] In Ephesino concilio, initio act. 1, inter cæteros episcopos notatur Perrebius episcopus *Farmuli* seu *Farmaci*, in uno codice *Firmaci*, in aliis *Farmalii*, ubi legendum *Pharsalii*, quæ urbs est Thessaliæ. In processu ejusdem actionis sententiam dicit apud Labb., tom. III, pag. 489, B. Perrebius *Thessalicorum saltuum*, Græce τῶν Θεσσαλικῶν σαλῶν [pro ἀλσῶν], episcopus : et apud eumdem, pag. 537, A. subscribit Perrebius *Thessalonicensium saltuum episcopus.* Quæ lectio et apud Marium Mercatorem, edit. Baluz. pag. 212, et in nova collectione Concil. quam idem Baluzius concinnavit, pag. 631, obtinet. In ejusdem collectionis pagina 610, *Parebius* Græce τῶν Θεσσαλῶν σαλτῶν, et Latine *Thessalonicensium saltuum episcopus* subscribit. Denique in eadem collectione, pag. 1148, inter Chalcedonensis concilii subscriptiones exstat : *Perrebius episcopus Thessalonicensium Sardorum.* Quem in locum Rusticus Vigilii papæ diaconus observavit, in Acumetensi codice *Saltuum*, loco *Sardorum*, præferri. In hac porro lectionum varietate, quæ anteponenda sit, ex hac et sequenti epistola dijudicatur. Cum enim in illis de Thessalis et ad Thessalos sermo sit : consequens est ut is Perrevius seu Perrebius Thessalicorum, non Thessalonicensium saltuum episcopus exstiterit, atque una eademque Thessaliæ urbs duplici, Pharsalii scil. ac Thessalicorum saltuum, nomine dicta fuerit. Illud præterea ex citatis locis conficitur, Perrevium ecclesia sua minime fuisse pulsum, siquidem et cum Ephesinis et cum Chalcedonensibus patribus ut episcopus consedit, eoque nomine concilio utrique subscripsit.

[c] Apud Holsten., *probatum.* Quod *prolatum* restituerimus; nemini non probandum putamus.

[d] De his tribus episcopis Holstenius dictum intelligit illud epistolæ sequentis, n. 2 : *Audio episcoporum quosdam, apostolico jure contempto*, etc. Præterea ab iisdem episcopis Maximum sine vicarii apostolici consensu ordinatum opinatur. Cui opinioni favet ternus numerus ad episcopi cujusque ordinationem requisitus. Si autem Maximum ordinassent, non tantum hic, sed et illi a sacerdotali honore submovendi erant. Certe de hujusmodi ordinationibus illud a Zosimo, epist. 7, n. 2, legimus constitutum : *Sciat* qui ordinaverit, *et se gradus sui subire jacturam, nec in illum*, quem ordinarit, *valitura esse quæ contulit.* Vide notam *a* in ejusdem papæ epistolam 9, n. 1. Bonifacius autem, in epistola seq., n. 2, eos a sua communione separari significat, quia ipsi *se ab apostolicæ sedis communione separare nituntur.* Apud Baluzium, nov. coll. Concil. pag. 699 et 886 : *Pausianus episcopus Hipatæ Thessaliæ*, qui Nestorii partibus addictus erat, inter subscriptiones legitur.

natum, in totum sacerdotii censemus honore privandum.

5. Tuæ charitatis est Severum apostolicæ sedis notarium, animis acceptissimum nostris, de nostro proprio latere [a] destinatum, peractis omnibus, tota celeritate dimittere; ut gestarum ordinem rerum, eodem festinius revertente, noscamus. Data v idus Martias (*Martii 3 ann.* 422), Honorio xiii et Theodosio x Augustis consulibus.

EPISTOLA XIV [b].

Concessa Rufo potestas, quam nonnulli contemnebant, asserta primum apostolicæ sedis auctoritate, confirmatur.

Dilectissimis fratribus universis episcopis per Thessaliam constitutis BONIFACIUS.

1. Institutio universalis nascentis Ecclesiæ de beati Petri sumpsit honore principium, in quo regimen ejus et summa consistit. Ex ejus enim ecclesiastica disciplina per omnes Ecclesias, religionis jam crescente cultura, fonte manavit. Nicænæ synodi non aliud præcepta testantur: adeo ut (*Citat Nicolaus I epist. al.* 42) non aliquid super eum ausa sit [c] constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri : omnia denique huic noverat Domini sermone concessa. Hanc ergo Ecclesiis toto orbe diffusis velut caput suorum certum est esse membrorum : a qua se quisquis abscidit, fit christianæ religionis extorris, cum in eadem non cœperit esse compage.

2. Audio episcoporum quosdam, apostolico jure contempto, novum [d] quidpiam contra Christi proprie præcepta tentare, cum se ab apostolicæ sedis communione, et, ut dicam verius, potestate separare nituntur, eorum [e] petentes auxilium, quos ecclesiasticarum sanctio regularum majoris esse non dedit potestatis. Leguntur etenim præcepta majorum ; et quibus in Ecclesias juris aliquid dederint invenimus. Jam temerator est ecclesiasticæ disciplinæ, quisquis in ejus leges, cum sibi nihil debeatur, irrepit, ea sibimet vindicando, quæ sibi a patribus negata videantur.

3. Accipite ergo admonitionem et correptionem nostram, ex quibus unam [f] pontificibus, alteram dissidentibus exhibemus. Nam ideo ait Apostolus : *Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in charitate et in spiritu mansuetudinis* (I *Cor.* IV, 21) ? Scitis enim beato Petro utrumque possibile, id est in mansuetudine mites, in virga superbos arguere.

4. Ergo servate honorem debitum capiti : quia nolumus ut intra se membra decertent, ita ut tendatur eorum ad nos usque certamen ; dum fratrem et coepiscopum nostrum Rufum dignum ducitis contemptu : cui nihil novum auctoritas nostra concedit, sequens priorum [g] gratiam, qua huic cura ecclesiarum sæpe videtur injuncta. Quod factum ita intemeratum servari volumus in futurum, sicut a patribus hujus dispositionis forma servata est. Non decet fratres alterius dignitate morderi. Certe si in quoquam ejus supra debitum fuit visa correptio, quoniam ideo tenet sedes apostolica principatum, ut querelas omnium [h] licentes acceptet ; interpellari nos super hoc missa legatione convenerat, quos curam omnium rerum manere videatis. Cesset novella præsumptio. Nemo audeat sperare quod non licet. Nullus ea quæ sunt a patribus gesta, et per tantum temporum custodita, temerare contendat. Ordinationi nostræ pareat quisquis se episcopum recognoscit. Episcopos per Illyricum citra conscientiam coepiscopi nostri Rufi

[a] Hoc est, unum ex iis qui lateri nostro adhærere solent, adeoque nobis noti, familiares, probati atque chari sunt. De vocis hujus antiquitate et usu plura in Leonis epistolam 51 dicturi sumus.

[b] Totum epistolæ hujus exordium, ut ab Holstenio est observatum, Hadrianus I, epist. 97, Codicis Carol. edit Grets., pag. 322, transcripsit. Prima ejus verba Nicolaus I, epist. al. 70, n. 8, et alibi, laudat. Ipse Bonifacius nonnulla in eo ad imitationem exordii epistolæ 25 Innocentii ad Decentium expressit.

[c] Scil. can. 6, ubi in veteribus codicibus legitur, *Ecclesia Romana semper habuit* (non, ut Quesn. prætulit, *habeat*) *primatum.* Quo respiciens Nicolaus I, epist. 8, ait : *Si instituta Nicænæ synodi diligenter inspiciantur, invenietur profecto, quia Romanæ Ecclesiæ nullum eadem synodus contulit incrementum : sed potius ex ejus forma, quod Alexandrinæ Ecclesiæ tribueret particulariter, sumpsit exemplum.* Eodem pertinet et quod Gelasius epist. 33, n. 1, scripsit : *Romana Ecclesia nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est : sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit. Ista igitur privilegia*, inquit Nicolaus I, aliquanto ante mox citata verba, *huic Ecclesiæ Christi a Christo donata, a synodis non donata, sed jam solummodo celebrata et venerata.*

[d] Ii nunc dicuntur *novum quidpiam contra Christi præcepta tentare*, quorum *nova tentamenta* in superiore epistola, n. 1, arguuntur. Ex quo colligitur, tentamenta illa nova non solius Attici, sed maxime nonnullorum Thessaliæ episcoporum fuisse ; atque hanc culpam non tantum in illegitima Maximi ordinatione, sed et in violatione juris apostolicæ sedis, quod Christi præceptis sit fultum, sitam esse.

[e] Attici scilicet, de cujus sede Gelasius papa, epist. 18, n. 10, hæc edisserit : *Si certe de dignitate agitur civitatum, secundæ sedis et tertiæ major est dignitas sacerdotum, quam ejus civitatis, quæ non solum inter sedes minime numeratur, sed nec*, ut habet Leo epist. 105, n. 3, quisquam *apostolicam facere potest sedem* ; immo ut prosequitur Gelasius, *nec inter metropolitanorum jura censetur.* Non immerito igitur Bonifacius nunc ei datum esse negat, *ut majoris esset potestatis.*

[f] Forte *participibus*, hoc est in nostra communione permanentibus, quibus opponuntur dissidentes, hoc est ab ipsius Bonifacii communione seu potestate separare se nitentes.

[g] Saltem Damasi, Siricii et Innocentii, ut etiam Nicolaus I, epist. 2, ad Michaelem, meminit. Ex quo perspicuum est, nonnullos Thessalonicensi episcopo concessam potestatem velut quid novum objecisse, indeque Theodosio datam esse occasionem, ut illam ad regiæ urbis episcopum transferret.

[h] Loco verbi *licentes* quod Holsten. ex archetypi fide retinuerat, substituit Lab. *licenter*. Non displiceret *gliscentes*. Sic tamen *licentes* accipere est, quasi *quæ liceant* ceu *quæ licitæ sint*. Observavit Holstenius, subinde Atticum Nicopolitanum episcopum, cum Anastasius Thessalonicensis potestate sua erga ipsum abusus esset, querelas suas ad Leonem papam, ut in ejus epistola 14 visuri sumus, detulisse, eumque æquum illarum judicem expertum esse.

nullus ordinare [a] præsumat, etc. Data v idus Martias, Honorio XIII et Theodosio X Augustis consulibus.

EPISTOLA XV.

Significat Bonifacius negotium Perigenis, quem Corinthiis non inconsulto episcopum dederat, Illyrici episcopis discutere ac recognoscere non licere; ac si qui id aggrediantur, in sua eos communione non permansuros. Rufi in easdem provincias potestatem identidem, disertius autem in fine, explicat.

Dilectissimis fratribus RUFO et cæteris episcopis per Macedoniam, Achaiam, Thessaliam, Epirum veterem, Epirum novam, Prævalin et Daciam constitutis, BONIFACIUS.

1. Manet beatum apostolum Petrum per sententiam dominicam universalis Ecclesiæ ab hoc sollicitudo suscepta; quippe quam, Evangelio teste (*Matth.* XVI, 18), in se noverit esse fundatam: nec umquam ejus honor vacuus potest esse curarum; cum certum sit summam rerum ex ejus deliberatione pendere. Quæ res animum meum usque ad Orientis [b] loca quæ per ipsam sollicitudinem quodam modo videmus, extendunt. Indesinenter enim ab unoquoque illinc veniente percontor de pace fratrum, id est, de quiete pontificum, quæ solet, quoties diabolus huic invidet, alicujus præsumptione turbari. Cum igitur ad nos ordine suo cuncta servari fama nunc usque detulerit, vehementer mirati sumus ejus rei stupentes, ut poscebat ratio relatorum, quam [c] in injuriam patrum intentio novella tentavit.

2. Certo enim cognovimus indice, apud Corin- A thum, quod exagitati dicimus, synodum congregandam super ejus discutiendo statu, quem Corinthiis apostolica sedes, examinatis omnibus atque discussis, constituit sacerdotem; secuta Dei voluntatem, quæ hunc ipsum [d], quantum docetur dilationibus temporum, ejus ovilis, in quo creverat et cui creverat, voluit esse pastorem. Cujus ordinationis si vestra esset charitas ignara, libenter ab origine sua quæ sunt in præterito de eo gesta [e] retexerem; ut his, quorum aspectus negotii ejus non per ignorantiam, sed per studium involvit obscurum, manifestatione clareret, sententiam de eo specialiter fuisse divinam, qua, ut diximus, Ecclesiæ Corinthiorum velut alumnum suum judicium cœleste servavit. Quam rem omnium civium et clericorum a nobis oppido postulavit assen- B sus. Nec tamen id abrupte præceptio nostra constituit: sed, ut ecclesiastica disciplina poscebat, diligentius fratrem et coepiscopum nostrum Rufum negotii jussimus interiora rimari, et petitionis summam sua de proximo moderatione pensare; ut nihil immaturum ab hac sede fieri videretur, quæ aliorum præsumptiones sæpe compressit. Ad nos post aliquanti temporis spatium super hoc prædicti episcopi nostri (Rufi), quæ præmissis desideriis convenirent, scripta venerunt: quorum evidentissimam rationem secuti, dedimus hunc Ecclesiæ illius esse pontificem, in qua per singulos honorum gradus præteritam quoque transegisset ætatem.

3. Quam ad rem faciendam memorato episcopo mea directa secunda protinus, quæ presbyterio uni- C verso complacuit, [f] auctoritate mandavi, retro ma-

[a] Hinc Bonifacius transisse videtur ad improbandam ac damnandam Maximi ordinationem, et ad ea quæ in superiori epistola n. 4 constituuntur, aliave decernenda. Unde non pauca hic prætermissa conjicias.

[b] Nominatimque in Illyrici provincias, quæ cum quondam ad Occidentis Imperium pertinuissent, inde, anno 379, a Gratiano in Theodosii gratiam distractæ, atque Orientis Imperio adjunctæ sunt.

[c] Præpositionem *in*, quam, ut sæpe fit, propter similem ejusdem soni syllabam subsequentem excidisse persuasum nobis est, supplendam duximus.

[d] Puta Perigenem. Unde vero tanta in illo repudiando pertinacia? Bonifacius quidem quid ipsi objiceretur silet. Minime tamen obscurum est, regiæ urbis episcopo ac cæteris ei addictis Perigenis rejiciendi non aliam fuisse causam, nisi quod olim Patrensium nominatus fuerat episcopus. Ea enim Orientalium nonnullorum animis insita erat opinio, quam et Antiocheni concilii canonibus 16 et 17 fultam putabant, cum scilicet, qui Ecclesiæ alicujus episcopus designatus, etiamsi ab ea nequaquam susceptus, fuisset, alteri præfici deinceps non posse. Hac de causa Proclus, ne regiæ urbi præficeretur, teste Socrate lib. VII, c. 35, aliquandiu prohibitus fuit. Eo quoque obtentu Bassianus, quod Evazorum denominatus fuisset episcopus, quamvis hujus Ecclesiæ regimen nunquam suscepisset, ab Ephesino dejectus est episcopatu, uti legere est in concilio Chalcedonensi act. 11, præsertim pag. 692. Displicuit pariter nonnullis, quod Gregorius, qui ordinatus a Basilio Sasimorum episcopus, hanc Ecclesiam obtinere nequiverat, in Constantinopolitana sede collocatus fuisset. Nec defuerunt inter Occidentales, qui eum in hanc sedem contra regulas elatum quererentur. Id vero censebant, non quia prius Sasimis fuerat ordinatus, sed quia subinde Nazianzi revera episcopum institutum fuisse arbitrabantur. Ad Bonifacium quod attinet, nihil contra regulas, quæ translationes episcoporum vetant, facturum se arbitratus est, si Perigenem a Patrensibus minime admissum, Corinthiis eum episcopum cooptantibus concederet. Hoc Bonifacii judicium approbans Cœlestinus, postea Perigeni ut Corinthiorum episcopo litteras misit. Unde et ii, qui Proclum regiæ urbis postulabant episcopum, adversus eos qui canonibus istud contrarium esse contendebant, Cœlestinum postulationi suæ suffragari comprobarunt, uti colligitur ex Socrate, lib. VII, cap. 40, quamvis ille hoc factum ex præjudicata mente valde adulteratum referat.

[e] Ejus scilicet synodi, quæ Perigenem Patrensium episcopum ordinarat, in cujus epistola præclarum exstabat de ipso testimonium, iterato jam rel tum. Mox D *quorum adspectus* perinde est atque *quorum mentes*, in accusandi casu pluralis numeri, ac subinde *obscurum* id quod *obscuritas*.

[f] In vulgatis, ut in archetypo, *auctoritatem*: lapsu librariis familiari, quod litteram, qua inchoatur vox sequens, geminare et antecedenti adjicere solent. Superiora hæc, *mea directa secunda*, necessario *auctoritate* postulant. Hic quippe *auctoritas*, ut sæpius in Romanorum pontificum scriptis, epistolam sonat. Hinc cum Zozimus de Perigene infra, n. 8, dicit, *Postquam episcopus nostris est auctoritatibus constitutus*, ibi *nostris auctoritatibus*, non aliud sibi velle intelligitur, quam hic *mea directa secunda auctoritate*. Præmittit, *quæ universo presbyterio complacuit*. Unde magis ac magis apparet, Romanos pontifices nihil illis temporibus præter conscientiam cleri sui in hujusmodi negotiis egisse. Rursum vero initio num. 9, ubi legi-

jores secutus, qui Ecclesiam Thessalonicensem sibi A semper familiarem et in collegii charitate famulantem, dignam, sicut fides asserit scriniorum, hoc honore duxerunt. Quem fratri Rufo apostolicæ etiam in posterum gratia sedis indulget; sequax Domini, qui exaltat humiliatos, et humiliat semper elatos; dum illis gratiam tribuit, his resistit (I *Pet.* v, 6).

4. Quantum est ergo humilitatis munus, quod gratiæ divinæ lance pensatur? Et quanta est pœna superbiæ, cui proprie totius mundi Dominus et rector obsistit? Melius autem Fraternitati vestræ intelligendum relinquo, quis humilitatis, et quis superbiæ sit magister. Sed absit hoc a Domini sacerdotibus, ut in hunc aliquis eorum cadat reatum, ut, nova quidpiam usurpatione tentando, inimica sibi faciat scita majorum: æmulum se illum specialiter B habere cognoscens, apud quem Christus noster sacerdotii summam locavit. In cujus contumeliam quisquis insurgit, habitator cœlestium non poterit esse regnorum. *Tibi*, inquit, *dabo claves regni cœlorum* (*Matth.* xvi, 19), in quæ nullus sine gratia janitoris intrabit. *Tu es*, inquit, *Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Ibid.*, 18). Quicumque igitur cupit etiam ante Deum nostrum sacerdotii dignitate censeri; quoniam ad Deum Petro suscipiente pervenitur, in quo Ecclesiam, sicut supra memoravimus, universalem certum est esse fundatam, debet esse mitis et humilis corde: ne incipiat discipulus contumax illius, cujus superbiam imitatus est, pœnam subire doctoris.

5. Congregatur ergo, ut redeamus ad causam hu- C jus injuriæ, synodus [a] cujus dilecto consultum semper superhabens concilii recognoscat arcanum: et fiet, quod quidem fieri per regulas omnino non poterit, fratris et coepiscopi nostri Perigenis honor dubius et incertus, quem in sede Ecclesiæ supradictæ nostra sententia collocavit. Quis ergo hunc rudis et peregre fortasse nunc demum rediens accusator incessit? Quis certe antistitum, ut fratrum conveniret turba, præcepit, lectis epistolis nostris? Quoniam locus exigit, si placet recensere canonum [b] sanctiones, reperietis quæ sit post Ecclesiam Romanam secunda sedes, quæve sit tertia. A quibus ideo ita rerum videtur ordo [c] distinctus, ut se Ecclesiarum pontifices cæterarum, sub uno tamen eodemque sacerdotio, habere cognoscant quibus charitate servata propter ecclesiasticam disciplinam debeant esse subjecti. Et quidem hæc sententia canonum a vetustate duravit (*Nicolaus* I, *epist.* 8, *Mich. imp.*), ut nunc usque, Christo nostro favente, perdurat. Nemo umquam apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit: nemo in hoc rebellis exstitit, nisi qui de se voluit judicari. Servant Ecclesiæ magnæ prædictæ per canones dignitates, Alexandrina et Antiochena, habentes ecclesiastici juris notitiam. Servant, inquam, statuta majorum, in omnibus deferentes, et ejus vicissitudinem recipientes gratiæ, quam se in Domino, qui pax nostra est, nobis debere cognoscunt.

6. Sed quia res postulat, approbandum documentis est, maximas Orientalium Ecclesias in magnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione majore, sedem semper consuluisse Romanam, et quoties usus exegit, ejus auxilium postulasse. Sanctæ memoriæ Athanasius et Petrus, Alexandrinæ sacerdotes Ecclesiæ, hujus sedis auxilium postularunt. Cum Antiochena Ecclesia per multum temporis laboraret, ita ut fierent illinc propter hoc ipsum sæpe discursus, primo sub Meletio, postea sub Flaviano, apostolicam sedem manifestum est esse consultam. Ad cujus auctoritatem post multa, quæ ab Ecclesia nostra gesta sunt, nemini dubium est Flavianum com-

mus, *Auctoritas nostra commonitione solita vacare non debet*, nomine *auctoritatis* epistolam intelligendam esse nemini non obvium est.

[a] Locus mendosus resarciri sic posset: *quæ de electo consultum superni insuper habens consilii recognoscat arcanum.* Expostulat quippe de episcopis, quod de Perigenis causa recognoscere vellent judicium apostolicæ sedis, quæ consulto ea de re cœlestis consilii arcano *secuta Dei voluntatem* erat, ut supra, n. 2, dicitur.

[b] Nicænorum videlicet, quorum sexto distinguitur ordo sedium, maxime secundum lectionem quæ in vetere codice olim Fossatensi, nunc Colbertino, et aliis nonnullis obtinet in hunc modum: *Ecclesia Romana semper habuit primatum. Teneat autem Ægyptus Libyæ et Pentapoli* (apud Quesn. *Pentapolis*) *primatum, ita ut episcopus Alexandriæ harum omnium habeat potestatem; quoniam et Romano episcopo hæc est consuetudo. Similiter autem et qui in Antiochia constitutus est. Itaque et in cæteris provinciis privilegia salva sint Ecclesiarum.* Ad eumdem canonem respicit Leo epist. 95, n. 3, ubi Anatolii, qui secundum in Ecclesia locum affectabat, ambitioni intercedit hac ratione: *Ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum, quæ in synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen spiritu Dei instruente sunt conditæ, me, quod absit, connivente violentur.* Quod autem Bonifacius, non alios hic indicet canones a Nicænis, rursum confirmatur, ex his ejusdem Leonis epist. 97, n. 3, ad Anatolium, verbis: *Doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, ut sacratissimas Nicænorum canonum constitutiones conareris infringere, tamquam opportune se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium sedes Alexandrina perdiderit, et Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit.* Et n. 4, approbat Leo legatos suos, qui in Chalcedonensi concilio vehementer obstiterant, ne tale privilegium Constantinop. sedi concederetur, *aperte reclamantes ne contra instituta Nicæna præsumptio reprobæ novitatis assurgeret.*

D [c] In prius vulgatis, *destructus*, mendum manifestum, quod non amplius sustinendum putavimus. Id quod de sacerdotii unitate paucis Bonifacius hic docet, Cyprianus sub initium lib. de Unit. Eccl. pluribus explicat. Ubi enim observavit Dominum parem quidem Apostolis omnibus potestatem tribuisse, verum *ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituisse, et unitatis ejus originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuisse*; post pauca subjicit: *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars una tenetur.* Eadem mente Augustinus ipsummet Bonifacium, supra, epist. 6, sic alloquitur: *Communis est omnibus nobis, qui fungimur episcopatus officio, quamvis in ea ipse præemineas celsiore fastigio, specula pastoralis.*

munionis gratiam [a] recepisse; qua in perpetuum A caruerat, nisi hinc super hoc scripta manassent. Clementissimæ recordationis princeps Theodosius Nectarii ordinationem propter ea, quia in nostra notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis e latere suo aulicis cum episcopis, formatam [b] huic a sede Romana dirigi regulariter depoposcit, quæ ejus sacerdotium roboraret. Ante breve tempus, id est, sub prædecessore meo beatæ recordationis Innocentio, Orientalium Ecclesiarum pontifices, dolentes se a beati Petri communione sejunctos, per legatos (*Vide Innocentii epistolas* 19 *et seqq.*) pacem, sicut charitas vestra retinet, poposcerunt. Quo tempore apostolica sedes omnia non difficulter indulsit, illi parens magistro qui ait (II *Cor.* II, 10, 11): *Si cui autem aliquid donastis, et ego; nam et ego si* B *quid donavi propter vos in persona Christi: ut non possideamur a Satana; non enim ignoramus versutias ejus* (*Nicolaus* I *hæc laudat in fine epist.* 42): id est, quia semper dissensione lætatur.

7. Quoniam igitur ad probandam veritatem arbitror quæ diximus, fratres charissimi, exempla sufficere, quamvis plura vestri notione teneantur; absque fraternitatis injuria conventui vestro volumus his litteris obviatum, quas a nobis per Severum, apostolicæ sedis notarium, animis acceptissimum nostris, e nostro latere destinatum videatis esse directas, convenientes, ut condecet, fratres, ne quis, volens in nostra communione durare, fratris et coepiscopi nostri Perigenis iterum ad discutiendum in medium nomen adducat: cujus sacerdotium apostolus Pe- C trus semel jam Spiritus sancti suggestione firmavit, nihil huic relinquens in posterum quæstionis, cui, dum constitueretur a nobis per ejus temporis spatium quo vacavit, nihil omnino constet objectum. Cesset accusatio, cujus invidiam probamus auctorem. Solvatur machina falsitatis in eum compositæ; quia ad sacerdotium, Dei nostri et omnium bonorum favore, pervenit.

8. Sane quoniam servandus accusatori locus est, ne [c] audentiam penitus incitare videamur, si quid ab eodem postquam episcopus nostris est auctoritatibus constitutus, contra disciplinam et propositum sacerdotii fertur admissum, coepiscopus noster Rufus, cui ad vicem nostram cuncta committimus, cum cæteris fratribus quos ipse [d] delegerit, negotium curabit audire; ad nostram relaturus omnia notionem, quæcumque cognitioni ejus rerum cursus et ordo monstrarit.

9. Illud etiam, quoniam auctoritas nostra commonitione solita vacare non debet, hortamur et repetito sæpius sermone præcipimus, ut in omnibus huic viro obedientiam dispositionibus commodetis. Nullus, ut frequenter diximus, alicujus ordinationem citra ejus conscientiam celebrare præsumat, cui, ut supra dictum est, vice nostra cuncta committimus. Sibi certe hujus præsumptionis auctores imputabunt in posterum, cum se viderint apostolicæ charitatis extorres. Data v idus Martias (*Mart.* 11 *ann.* 422), Honorio XIII et Theodosio X Augustis consulibus.

[a] Istud contigit proxime post ordinationem Joannis Constantinop. episcopi. Tunc enim Acacius, Berœæ episcopus, una cum Isidoro et aliquot aliis presbyteris ac diaconis Antiochensis Ecclesiæ, Romam veniens, non solum ordinationis Joannis decretum, sed et *Flaviani cum Theophilo communionem*, ut loquitur Palladius in dial. pag. 51, *attulit*. Hac occasione Romanus pontifex pacem a Theophilo compositam scriptis ad Flavianum datis confirmavit. Hæc autem scripta vel Siricio vel ejus successori Anastasio attribuenda esse, supra, pag. 707, § 14, observavimus. Recole et quæ ibid., § 13, ea de re disseruimus. Huic Flaviani exemplo adjicere potuisset Bonifacius alterum Porphyrii, qui cum paulo post ejusdem Flaviani vita functi locum usurpasset, teste Palladio dial. pag. 141, *ad Romanam Ecclesiam scripsit, et responso dignus habitus non fuit*; quia nimirum, ut idem Palladius pag. 28 narrat, *ordinationem ejus contra jus et fas factam Romano pontifici* Innocentio Antiochensis Ecclesiæ presbyteri nuntiarant. D Unde liquet simul et Porphyrium operam dedisse, ut Innocentius suam ipsius ordinationem ratam haberet, et Antiochenos presbyteros cavisse, ne idem papa illam admitteret.

[b] De hac legatione nihil apud ecclesiasticos scriptores legimus memoriæ mandatum. Tantum habemus supra, pag. 567, synodi Constantinopolitanæ epistolam Theodosio imp. præsente conscriptam, qua Damasus et socii de Nectarii ordinatione certiores fiunt, ac de illa gratulari rogantur. Forte cum id differret Damasus, existimavit Imperator formatam, quam expetebat, solemni legatione postulandam. Hic *formatæ* nomine intelliguntur litteræ communionis indices, quibus recentis episcopi ordinatio approbatur; quamvis hoc vocabulo intelligi soleant litteræ laicis vel clericis peregre abeuntibus datæ, ut eorum fidei vel ordinis seu gradus essent testes.

[c] Legendum forte, *ne audientiam penitus incidere*, hoc verbo posito pro abscidere ac negare.

[d] Subinde Leo, epist. 12, ad Anastasium, num. 14, hunc judicum delectum non uni Anastasio, sed metropolitanis permisit. Verum hoc decretum edidit Leo postquam Anastasius concessa sibi potestate abusus esset.

APPENDIX
AD EPISTOLAS S. BONIFACII I PAPÆ.
NOTITIA
SCRIPTORUM NON EXSTANTIUM QUÆ AD BONIFACIUM I PAPAM ATTINENT.

I.

1. *Ante mensem Junium anni* 419, *Valentinæ civitatis clerici Bonifacium convenerunt, eique porrexerunt libellum adversus Maximum, ipsorum episcopum, in qu*

diversa ejus crimina exponebant. Nominatim vero eum Manichæorum caligine involutum *esse* arguentes (*Epist.* 3), in probationem objectæ rei gesta synodalia proferebant. *Eumdem quoque* fúrore suo et insana temeritate ad sæcularium judicum tribunalia subditum quæstioni et homicidii damnatum *esse* gestis prolatis in medium *asserebant. His addebant eum, ab ipsius Bonifacii decessoribus delegata provinciali cognitione, semper decretum declinasse judicium, ac* nihilo *minus episcopatus sibi nomen in propriæ civitatis infamiam suis in latibulis vindicare. Huic libello Bonifacius, 13 junii die anni 419, rescripsit.*

II.

2. *Circa mensem Augustum ejusdem anni 419, accepit Bonifacius Corinthiorum preces, quibus Perigenem episcopum non tam accipere, quam retinere, se cupere significabant. His precibus subjecerant totius synodi Achaiæ, quæ pridem Perigenem Patrensibus episcopum ordinarat, super ejus nomine scriptam epistolam, in qua ordinationis illius tota enarrabatur series, ac nominatim* sanctus et instituti optimi qualitate pollens (*Epist.* 4, *n.* 3) *prædicabatur.*

III.

3. *Bonifacius, acceptis Corinthiorum litteris, Septembris 19 die prædicti anni 419, earum exemplum ad Rufum Thessalonicensem episcopum misit, Corinthios sic voti sui quam primum compotes fieri cupiens, ut id sine Rufi litteris, quæ præconceptam de Perigene opinionem confirmarent, perficere noluerit. Sed qui Rufo tunc scripsit:* Nolumus (*Epist.* 5, *n.* 4) coepiscopo nostro Perigeni nostram paginam destinare prius, quam tuas (*de eo*) accipiamus epistolas, *idem statim adjicit:* Accelerabis ergo id agere propter desiderium postulantium. *Rufus autem Bonifacii desideriis eo celerius paruit atque libentius, quod non alia esset ipsius atque Corinthiorum de Perigene sententia. Quod et Bonifacius testatur his verbis:* Post aliquanti temporis spatium (*Epist.* 15, *n.* 2) super hoc prædicti episcopi nostri (*Rufi*) quæ præmissis desideriis convenirent (*hoc est, quæ Perigenem honore ipsi delato dignissimum testificarentur*), scripta venerunt. *Sed hæc ad nos non pervenerunt.*

IV.

4. *Statim ut Bonifacius de Perigenis merito etiam Rufi testimonio certior factus est, secundam ad eumdem Rufum scripsit epistolam, qua suam ei vicem et auctoritatem ad Perigenem Corinthiorum episcopum constituendum demandabat. Hanc epistolam, quam ad exitum anni 419, aut ad initium anni 420, referri rerum gestarum series postulat, noluit Bonifacius mittere, quin convocato Urbis clero prælecta,* universo presbyterio (*Epist.* 15, *n.* 3) *complacuisset.*

V.

5. *Bonifacius, post susceptas Corinthiorum preces, quid summo jure posset, quidve ab ipso exigeret disciplinæ ratio perpendens, cum et ad Corinthios et ad Perigenem rescribere, eumque episcopum constituere illico potuisset, hoc sibi differendum duxit. Quocirca sic ea de re Rufum alloquitur:* Intelligeris autem

A (*Epist.* 5, *n.* 4) tuam non ambigo charitatem hoc non absque admiratione, quod et huic (*Perigeni*) videmur nostram paginam non misisse, et (*seu* nec) supplicibus (*Corinthiis*) præbuisse responsum. *Porro hac dilatione suspensa erat electio seu potestas Perigenis:* cui, *inquit Bonifacius* (*Ibid.*), ad plenitudinem confirmationis episcopatus ejus hoc solum residet, quod nostros in honore suo nondum suscepit affatus. *Cum igitur Bonifacius quominus epistolam suam ad Perigenem mitteret, eo uno detentum se testetur, quod nullas a Rufo litteras recepisset; ambigendum non est, quin ubi redditæ sunt ipsi Rufi litteræ, confestim et ad Perigenem dilatam paginam, et ad Corinthios responsa, adeoque una cum secunda ad Rufum epistola, miserit. Utrumque vero præstitum indicat his verbis:* Dedimus B hunc Ecclesiæ illius esse pontificem, in qua per singulos gradus præteritam quoque transegisset ætatem (*Epist.* 15, *n.* 2). *Ubi notandum verbum dedimus, quod præcipuam quamdam potestatem sonat. Et id quidem adeo necessarium videbatur, ut quam diu deerant litteræ quibus Bonifacius Perigenem episcopum constitui juberet,* ad plenitudinem confirmationis episcopatus ejus *aliquid* residere *judicaretur.*

VI.

6. *Una Bonifacii epistola* 5 *plura indicat scripta, quæ ad nos minime pervenerunt. In ea quippe memorat Bonifacius Rufi Thessalonicensis antistitis epistolam, qua ipsum de nonnullis ad Ecclesiarum sibi commissarum regimen pertinentibus consulebat. Tum huic Rufi consultationi* debitum (*Epist.* 5, *n.* 1) pro causa- C rum æstimatione responsum *dedisse se notat,* constituens ea debere servari, quæ ecclesiastica exigit disciplina, *hoc est a canonica seu apostolica traditione non recedendum esse. Simul eidem responsioni plures adjecisse se docet litteras, ad diversos Achaiæ ac Macedoniæ episcopos Rufi opera mittendas, quibus* quem deberent tramitem custodire (*Num.* 3) *præscribebat. Nec tacet quid rescripserit Rufus, nempe prædictas epistolas ad singulos fuisse perlatas, et admonitionem illius apud plerosque quidem, ac nominatim apud Adelphium et Perigenem, valuisse, sed apud nonnullos exstitisse inefficacem. In hac relatione ad injunctum officium sedulo implendum animari se dicebat Rufus intuitu beatissimi apostoli Petri, quem, qualiter ipse munus suum obiret, oculis cernentem considerabat.*

D 7. *Mutuæ illæ Bonifacii Rufique epistolæ, cum in una epistola* 5 *commemorentur, ejusdem epistolæ finem iis, quæ antecedunt, inconcinne adsutum esse, et ad anteriorem epistolam pertinere magis ac magis evincunt. Neque aliter sentiendum de nota chronica, qua eadem epistola clauditur. Cum enim quatuor epistolas prædictas diverso inter se tempore scriptas esse manifestum sit, quo pacto eæ omnes non dicam ante Septembrem anni 419, sed et ante anni ejusdem exitum scribi potuerint, si historicam consulamus veritatem, haud facile percipiemus. Sane veri est simile Rufum, ubi Bonifacii præventus est litteris, quibus vicarii sedis apostolicæ dignitas ipsi confirmabatur, tunc primum excitatum esse ut eumdem papam consuleret.*

VII.

8. *Vidimus supra, epist. 2, Afros ad Ecclesiarum orientalium, Alexandrinæ scilicet, Antiochenæ et Constantinopolitanæ, præsules scripsisse, quo ab eis authentica Nicænæ synodi exemplaria peterent. Soli rescripsisse leguntur antistites Alexandrinus et Constantinopolitanus. Scripta illa cum Dionysius Exiguus collectioni suæ, tum Afri Codici can. eccl. Afr., cap. 135, 136 et 137, inseruerunt. Et hujus quidem Codicis capiti 135 iis præfigitur hic titulus :* Incipiunt rescripta ad concilium Africanum Cyrilli Alexandrini episcopi, ubi authentica concilii Nicæni translata de Græco, per Innocentium presbyterum transmiserunt: quæ etiam epistolæ cum eodem concilio Nicæno per memoratum præsbyterum Innocentium et Marcellum, subdiaconum Ecclesiæ Carthaginensis, sancto Bonifacio, episcopo Ecclesiæ Romanæ, sub die VI kal. Decembris sunt directæ. *Capiti autem 137 hæc præmittuntur :* Incipiunt exemplaria concilii Nicæni directa sub die VI kal. Decembris post consulatum gloriosissimorum imperatorum Honorii XII et Theodosii VIII Augg., Bonifacio urbis Romæ episcopo. *Tum sequitur Nicæni concilii fides, cui hæc subjicitur annotatio :* Huic symbolo fidei etiam exemplaria statutorum ejusdem concilii Nicæni a memoratis pontificibus annexa sunt, sicut superius per omnia continentur, quæ nos hic iterum conscribi necessarium non esse credidimus. *Verum statuta illa seu canones, quorum causa Orientales Ecclesias sibi consulendas Afri censuerunt, non modo hic sunt prætermissa, sed etiam e locis citatis exciderunt. Porro ex hac inscriptione perspicuum est, Cyrillum et Atticum nequaquam ad Bonifacium, sed ad Afros unos scripsisse, et Afros quæ ab ipsis acceperant scripta, 26 Novembris die ann. 419, ad Bonifacium papam per Innocentium presbyterum et Marcellum subdiaconum transmisisse.*

9. *Hinc nulla fides habenda codici Colbertino Langobardicis litteris exarato, in quo præmissa superiore epistola 2 Afrorum ad Bonifacium, subjicitur :* Incipit epistola Attici episcopi Ecclesiæ Constantinop. ad Bonifacium urbis Romæ episcopum data cum exemplariis Nicæni concilii, de Græco in Latino translatis a beatissimis Cyrillo et Attico episcopis Alexandrinæ et Constantinop. Ecclesiæ, et directis per Innocentium presbyterum suum et Asellum subdiaconum Ecclesiæ Carthaginensis, ut superius recitatum est. Fides Nicæni concilii cum titulis XX. Epistola vero ita continetur :

Atticus, episcopus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, sancto fratri Bonifacio, urbis Romæ episcopo, salutem. Edidi canones sanctorum Patrum holographa manu, et subscriptos a me, Amen. Græca elementa litterarum numeros exprimere, nullus qui tenuiter vel Græci sermonis notitiam habet, ignorat, etc., *hoc est, omittuntur reliqua verba ejus scripti, quod* Formatæ *titulo insignitum in pluribus aliis libris circumfertur. Unde in illo exemplari apparet nonnulla confusio. Attici autem et Cyrilli ad Afros scripta, quæ*

A *ad Bonifacium transmissa sunt, etiamnum in Codice Africano, cap. 135 et 136, asservantur.*

VIII.

10. *Circa exitum anni 421, Lutubensis Ecclesiæ clerus ac populus preces ad Bonifacium papam miserunt, quibus de Patroclo Arelatensi episcopo expostulabant, quod,* petitione sua cessante, *seu se non petentibus,* in locum decedentis episcopi nescio quem in aliena provincia prætermisso metropolitano contra Patrum regulas ordinasset. *Hinc data occasio epistolæ 12 Bonifacii Februarii 9 die anni 422 consignatæ.*

IX.

11. *Non multo post, Bonifacius Perrevii, Pharsalii seu Thessalicorum saltuum episcopi, libellum accepit,* B *in quo de episcopis provinciæ suæ querebatur, quod ipsi molesti essent, adeo ut eum* ecclesia sua pellendum esse crediderint (*Epist.* 13, *n.* 3). *Tum is papa causæ hujus cognitionem Rufo committit, ab eoque prædictos episcopos sic conveniri jubet,* ut intelligant si quid a se factum est contra consuetudinem, prius esse cassandum. *Cum autem causæ hujus cognitio Martii 11 die anni 422 demandata sit, Perrevii libellum circa ejusdem anni initium scriptum esse haud temere conjectemus.*

X.

12. *Augustinus quemdam e clericis suis Antonium nomine Fussalensibus episcopum præposuerat. Sed cum ille indigne omnino se gereret, coactus est Augustinus una cum aliis episcopis sententiam adversus illum* C *dicere* (*August., ep.* 1, *ad Cœlestin., n.* 6, 9). *Tulit omni moderatione plenam. Neque tamen judicata re, cui primum assentiri visus est, stetit Antonius : sed* versuta suasione sanctum senem primatem *Numidiæ* gravissimum virum (*Valentinum videlicet Baianensem episcopum, qui superiori epistolæ 2 subscribit*) induxit, ut ipsum velut omni modo inculpatum venerando papæ Bonifacio commendaret. *Hujus rei gratia primatis sui epistolam consecutus, eam una cum libello, in quo quæ adversus se gesta erant, eo quo libebat modo enarrabat, ad Bonifacium misit.*

XI.

13. *Exinde rescribens Bonifacius saltem primati, Antonium sic absolvit, ut* pastorali vigilique cautela *in epistola sua de ipso loquens poneret ac diceret.* Si ordinem rerum nobis fideliter indicavit (*August., ibid., n.* 9). *Sed ne hunc rerum ordinem certius edisceret, mox interveniens vitæ finis prohibuit. Neque mirum videri debet, prudentissimum papam commendatitiis primatis litteris tantum detulisse, cum in judiciis episcoporum* (*Vide supra, pag.* 527, C, *et* 533, A) *nihil præter conscientiam metropolitani, cujus locum tenebat in Africa primus, agi soleret ; ac nominatim anno 397, in concilio Carthaginensi* III, *can.* 7, *Aurelio præloquente sancitum esset :* Quisquis episcoporum accusatur, ad primatem provinciæ ipsius causam deferat. *Sed ne quis Augustinum culpet, quod Antonii judicium non præmonito primate aggressus sit, meminerit istud etiam a Carthaginensi* II *concilio, can.* 10, *permitti,*

ut si quis episcopus in reatum aliquem incurrerit, et A fuerit ei nimia necessitas non posse plurimos congregare, ne in crimine remaneat, a duodecim episcopis audiatur. *Ad hæc Augustino subjectus erat quodam modo Antonius, utpote in ejus territorio ipsomet petente episcopus novissime creatus. Unde et illius nomen non ad primatem, sed ad Augustinum Fussalenses detulerunt.*

DECRETA EX EPISTOLIS S. BONIFACII I PAPÆ.

Sunt autem desumpta ex decretis Gratiani, et ex vetustis codicibus aliis.

I.

Ante annos triginta presbyter non ordinetur.

Si quis triginta ætatis suæ non impleverit annos, nullo modo presbyter ordinetur, etiamsi valde sit dignus. Et ipse Dominus tricesimo anno baptizatus est, et sic cœpit docere. Oportet ergo eum qui consecrandus est, usque ad hanc legitimam ætatem non consecrari. *Ex Can.* II *Conc. Neocæs.*

II.

Primati deferuntur negotia quæ metropolitanus explicare non valet.

Si inter episcopos ejusdem concilii dubitatio emerserit de ecclesiastico jure, et de aliis negotiis, primum metropolitanus eorum cum aliis quibusdam in concilio considerans rem dijudicet; et si non acquiescat utraque pars judicatis, tunc primas illius regionis inter ipsos audiat: et quod canonibus et legibus consentaneum sit, hoc diffiniat. Et nulla pars valeat calculo ejus contradicere. *Est excerptum ex Novell. Justiniani* 123, *cap.* 22.

III.

Quidquid Domino consecratur, ad jus pertinet sacerdotis.

Nulli liceat ignorare quod omne quod Domino consecratur, sive fuerit homo, sive animal, sive ager, vel quidquid fuerit semel consecratum, sanctum erit Domino, et ad jus pertinet sacerdotum (*Levit.* 27). Propter quod inexcusabilis erit omnis qui quæ a Domino et ecclesia cui competunt, aufert, vastat et invidat, vel eripit: et usque ad emendationem, ecclesiæque satisfactionem, ut sacrilegus judicetur: et si emendare noluerit, excommunicetur. *Est fere totum ex lib.* VI *Capitular. cap.* 405.

IV.

Nullus episcopus, neque pro civili, neque pro criminali causa apud quemvis judicem, sive civilem, sive militarem, producatur, vel exhibeatur. Magistratus enim qui hoc jubere ausus fuerit, amissione cinguli condemnatione plectetur.

V.

De episcopis qui fratribus nocere desiderant.

Sicut *omnis qui diligit fratrem suum, ex Deo natus est* (I *Joan.* IV), ita et omnis qui odit proximum, ex diabolo est. Dilectione enim sola discernimus, qui ex quo genitus approbetur, dicente Joanne: *In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli: omnis qui non facit justitiam, et qui non diligit fratrem suum, non est ex Deo: quoniam hæc est annuntiatio, quam ab initio audistis, ut diligamus alterutrum* (I *Joan.* III). Et post paululum: *Omnis qui odit fratrem, homicida est.* Et: *Scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem* (*ibid.*). Ecce homicida esse probabiliter declaratur, qui a fraterna societate dividitur. B Nam etsi manus non moveat ad occidendum, pro eo tamen quia nititur ad nocendum, jam a Deo homicida tenetur. Vivit ille, et iste jam interfector convincitur. Cum igitur his præceptis B. Apostolus Paulus consona prædicatione concordet, dicens: *Non occidat sol super iracundiam vestram*; Et, *Nolite locum dare diabolo* (*Ephes.* IV); relatæ sunt nobis quorumdam sacerdotum personæ in tantam obstinationis efferbuisse discordiam, ut non solum illos ab ira occasus solis non revocet, sed ne annosa quidem transactio temporis ad bonum charitatis reclinet, quippe in quorum cordibus idem sol justitiæ Christus occubuit, ut ad lumen charitatis redire vix possint. Horum igitur et similium discordantium fratrum oblationes, juxta antiqui canonis diffinitionem, nullo modo recipiendas esse censemus. C Personis tamen discordantibus, id speciali diffinitione præcipimus, ut eos ante reconciliatio vera innectat, quam ullus eorum accedere ad altare Domini audeat, vel gratiam communionis sanctæ percipiat: sed geminato tempore per pœnitentiam compensabunt, quo discordiæ servierunt. Quod si unus eorum, alio contemnente, ad satisfactionem charitatis cucurrerit, ex eo tempore jam pacificus intra Ecclesiam recipietur, ex quo ad concordiam festinasse convincitur; sententia tamen superiori servata, ut tempus quod in ira expendit, geminatum pœnitentiæ satisfactione persolvat.

VI.

Si episcopus expulsus ausus fuerit ingredi civitatem.

D Si episcopus expulsus ausus fuerit ingredi civitatem qua expulsus est, vel exire de loco in quo degere jussus est, jubemus eum in monasterio, in alia provincia constituto, tradi, ut qui in sacerdotio peccavit, degens monasteria corrigatur.

VII.

Ad Eleutherium comitem.

Requisivit tua pia intentio qualiter oblationes et decimæ fidelium debeant dispertiri. Decessorum itaque nostrorum statuta sequentes, jubemus de decimis et oblationibus quatuor fieri portiones, videlicet ut sibi primam episcopus habeat, secundam Ecclesiæ tribuat, tertiam vero pauperibus concedat, quartam autem clericis noverit erogandam; ita scilicet ut pro persona, et loco, et merito fiat illis dis-

tributio partium, inde in majoribus ecclesiis militent, sive in civitatibus et villis ministrent. Si enim unius Ecclesiæ filii sunt, et unam matrem habent Ecclesiam, cur non omnes unius matris stipendia sortiantur? Una mater Ecclesia sicut unus Dominus et una fides et unum baptisma, licet ubique sit per orbem terrarum diffusa, licet pro locorum diversitatibus, A et majorum constitutionibus diversas sit dignitates sortita, ut aliæ dicantur matrices Ecclesiæ, aliæ matricibus quasi matribus filiæ subditæ. Quæ cum ita sint, cur non omnes clerici unius matris bonis communicent, quos constat unius matris filiabus utiliter ministrare?

EPISTOLÆ S. BONIFACIO I ATTRIBUTÆ,

ET NUMQUAM ANTE MANSI EDITÆ.

EPISTOLA I.

AD JUSTUM DOROBERNENSEM EPISCOPUM,

Cui pallium transmittit.

Dilectissimo fratri JUSTO, BONIFACIUS.

Pallium per latorem præsentium fraternitati tuæ benignitatis studiis invitati direximus, concedentes etiam tibi ordinationes episcoporum, exigente opportunitate, Domini præveniente misericordia, celebrare: ita ut Christi Evangelium plurimorum annuntiatione in omnibus gentibus, quæ necdum conversæ sunt, dilatetur, etc.

EPISTOLA II.

AD EPISCOPUM ET PRESBYTEROS VICARIOS A PAPA ZOSIMO AD AFRICANAM SYNODUM DIRECTOS.

BONIFACIUS episcopus FAUSTINO episcopo et PHILIPPO et ASELLO presbyteris.

Dilectionis vestræ pagina teste presbyterio recensetur etiam portitorum relatione noscetis, quantum gavisus est omnis chorus fraternitatis, et exsultavit in Domino turba sanctorum, postquam auribus suis suspensum diu nuntium super incolumitate vestræ charitatis accepit. Consonante etiam voce laudata est intellecta per litteris (*sic*) sui capitis sollicitudo membrorum. Vobis igitur, et desideriis vestris Christus arrisit, qui dignatus est et in unam revocare divisas, et scissa sarcire, quod fratribus et compresbyteris venientibus cito Dulcitio, et Felice ne- B cesse est vobis melius intimetur. Data VI kal. Maii, Monasio V. C. Cons.

JOANNIS DOMINICI MANSI

In superiorem Epistolam Adnotatio.

Hæc epistola, quæ nunc primum comparet, debetur eruditioni et humanitati P. Forbenii Forster, qui in vetustissimo Frisingensi codice illam nactus ad nostras misit manus in hac collectione edendam. Summo in pretio habendam fore ab eruditis censeo; ex ea enim constat dissidium illud, quod ante hos annos Ecclesias Romanam et Africanam inter se commiserat sub Bonifacio Papa sublatum fuisse; atque inter duas illas insignes ecclesias optime tandem convenisse. Id vero qua tandem ratione accide- C rit, incompertum mihi esse fateor; quamquam suspicor Africanos potius cessisse Romanis in causa appellationum, quam Romanos Africanis; nam Romania Ecclesia juri primatus sui adeo tenaciter insistebat, ut nemini persuaderi possit quicquam de illo decedere voluisse in gratiam Africanorum.

ANNO DOMINI CCCCXX.

SANCTUS GAUDENTIUS,

BRIXIÆ EPISCOPUS.

PROLEGOMENA.

(Biblioth. Schœnn. tom. I.)

§ I. *Vita S. Gaudentii.*

Patria Gaudentii incerta est. Nisi Brixianus fuit, certe diu Brixiæ Philastrii jam temporibus vixit, alumnus ejus atque ecclesiastica disciplina ab eo imbutus. Quo tempore magnum sibi apud populum et clericos favorem conciliavit. Quippe qui dum in Orientem religionis causa peregre profectus esset, Philastrio interim mortuo, populo flagitante et suf- D fragio aliorum episcoporum, cui magnum ex Ambrosii Mediolanensis auctoritate pondus accedebat, Brixiæ episcopus electus est. Ac Gaudentius quidem, nuntio hoc accepto, nihil intentatum reliquit, quo onus istud declinaret. Sed Ambrosius cæterique antistites sacramento, quo fortasse Brixiani cives se obligaverant, nullum alium episcopum se accepturos astricti tales ad ipsum epistolas cum legatione ci-

vium miserunt, ut diutius resistere religioni sibi duceret, præsertim cum ab ipsis episcopis Orientalibus, nisi reditum ad Brixianos polliceretur, communio negata esset. Initium episcopatus ejus pariter ac dies emortualis prædecessoris ejus latet. Nulla in episcopatu re gesta magis inclaruit, quam suscepta pro Joanne Chrysostomo legatione ad Arcadium imperatorem, anno 405, Æmilio et Cythegio comitibus. Quæ quamvis eventu fuerit destituta, constantiæ tamen et magnanimitatis laude eum nobilitavit, atque disertissimum hac de re præconium ipsius Chrysostomi testimonia præbent. Quando obierit Gaudentius æque incertum est, aliis ad annum 427, aliis, in quibus Tillemontius, majori probabilitate ad annum 410 obitum ejus referentibus.

§ II. *Scripta S. Doctoris.*

Ad *genuina* Gaudentii *scripta*, præter *Paschales decem sermones cum præfatione* ad Benivolum, *quatuor* de diversis capitulis Evangelii et *quintus* de Machabæis martyribus ex ipsius Gaudentii verbis in eadem Præf. ad Benivolum pro veris agnoscuntur. *Quatuor* alii, nempe *de Ordinatione sui*, *de Dedicatione basilicæ*, itemque *ad Serminium et Paulum Diaconum*, qui posteriores epistolæ potius quam sermones sunt, cum argumenti tum orationis similitudine Gaudentii esse probantur. His insuper in Galeardi editione addi vides *duo*, *de Petro et Paulo* alterum, alterum *de Vita et Obitu Philastrii, prædecessoris sui.*

Intercidisse nonnullos Gaudentii tractatus, ex ipsis qui supersunt discimus, ut Galeardus ad tract. 14 annotavit, ubi etiam locum ex serm. 8 affert, qui si quis alius ingenio hominis declarando inservit Dupiniumque a temeritatis crimine vindicare potest. *Disseruimus, ut meministis*, inquit Gaudentius, *omnem textum lectionis ejus, quæ cœnantem describit in Bethania Dominum, explanantes discubitum Lazari, rationem loci et temporis, Marthæ ministerium, sororis ejus obsequium, unguenti virtutem, rationemque crinium, quibus Maria pretioso myro unctos Christi tersit pedes!*

Nec *supposititia* desunt, *Rhythmus de Philastrio*, *liber de Singularitate Clericorum* alioquin modo Origeni, modo Cypriano aut Augustino tributus, ab Oxoniensi autem Cypriani editore Gaudentio ascriptus, quamquam in notis ad Bedæ tempora revocat. Præterea *Commentarii in Symbolum*, quod vulgo *Athanasii* appellatur, auctorem Gaudentium facit Elias Capreolus l. III Hist. Brix., et ex Capreolo Ughellus. Quod cum errore manifesto factum sit, tum nihil etiam ejusmodi Commentarii exsistit, nisi forte, quod commode Galeardo succurrit, pro *Commentario in Symbolum Athanasii* intelligenda sit Expositio Rufini in Symbolum, quæ a multis Hieronymo et Cypriano temere ascripta, aliquando etiam Gaudentio tributa fuerit.

§ III. *Editiones scriptorum S. Gaudentii.*

Gaudentianorum scriptorum specimen, ut pridem observavit Galeardus, primus edidit *Capreolus* lib. III

A Hist. Brix. excerpta nempe *Sermonis de Philastrio* circa annum 1500, aut paulo serius. Deinde circa annum 1554, Aloysius Lipomanus, Veronensis episcopus, protulit *Sermonem* integrum *de Philastrio*, *Sermonem de Dedicatione basilicæ*, itemque excerpta ex *Præfatione ad Benivolum*, in *Vitis SS.* tom. IV, a p. 52, 4 *editionis Venetæ*, ubi p. 1 et p. 15 opera Gaudentii nondum excusa dicuntur. Collecta primum edita sunt in *Orthodoxographis Grynæi* anno 1569, eodemque ordine ac numero sæpius deinde in *Bibliothecis* PP. repetita, mendis tamen aspersa quamplurimis et duobus carentia sermonibus, qui in novissima demum eaque prima, quæ seorsim prodiit et accurata dici possit, *Galeardi* editione anni 1720, additi inveniuntur. Eamdem postea ab editore retractatam
B Quiriniana Operum Brixianorum episcoporum Collectio accepit. De singulis singulatim.

SÆCULO XVI.

1569. *Basileæ, ap. Henric. Petri. in fol.* Gaudentii episcopi Brixiensis tractatus in *Monumentis S. Patrum Orthodoxographis*, tom. VI, p. 1793-1860. Exhibentur XVII *tractatus* cum *responsionibus* duabus *ad Serminium* et *Paulum Diaconum*, nec non *præfatio* ejusdem *ad Benivolum.*

1575. *Parisiis, apud Mich. Sonnium, in fol.* Gaudentii Brixiensis sermones et tractatus; in *Bibl. PP. Bigneana*, tom. VII.

1579. *Coloniæ, in fol.* Gaudentii episcopi Brix. sermo de Philastrio ep. Brix.; in *Vitis Sanctorum Surii*, tom. IV, a pag. 225.

C 1589. *Parisiis....*, in *fol.* Gaudentii episcopi Brixiani in varia Scripturæ loca sermones, sive tractatus varii; in *Bibl. PP. Bign. ed. secunda*, tom. II, *col.* 209 sqq.

SÆCULO XVII.

1610. *Parisiis, in fol.* Gaudentii Brix. tract. et sermones aliquot; in *Bibl. PP.*, tom. II.

1618. *Coloniæ, in fol.* Gaudentii Brix. ep. tractatus aliqui in varia Scripturæ loca; in tomo IV *Bibl. PP.*

1624. *Parisiis, in fol.* Gaudentii tract. et sermones aliquot in *Bibl. PP.* tom. II, *col.* 1 sqq.

1644 (1654). *Parisiis, apud tres Bibliopolas, in fol.* Gaudentii episc. Brix. in varia Scripturæ loca sermones sive tractatus, etc.; in tomo II *Bibl. PP. Bign.*
D *ed. quintæ.*

1662. *Parisiis, ap. Ant. Bertier. in fol.* S. Gaudentii ep. Brix. sermones aliquot in *Franc. Combefisii Bibl. PP. Concionatoria.*

1677. *Lugduni, apud Anissonios, in fol.* Gaudentii Brix. ep. tractatus in varia Scripturæ loca; in tomo V *Max. Bibl. PP. col.* 942 sqq.

SÆCULO XVIII.

1720. *Patavii excudebat Jos. Cominus, in 4°* S. Gaudentii Brixiæ episcopi sermones qui exstant nunc primum ad fidem mss. codd. recogniti et emendati. Accesserunt Ramperti et Adelmanni Venerabil. Brixiæ episcoporum opuscula. Recensuit ac Notis illustravit *Paulus Galeardus* canon. Brixian.

Suscepit Galeardus Gaudentii edendi consilium A suasu ac impulsu præsulis *Jo. Franc. Barbadici*, recens tunc a Veronensi episcopatu ad Brixianum translati, qui et opibus et nulla non opera eum juvit meritoque nomini suo inscriptum vidit. Nactus vero editor præclara ex codd. mss. Vaticanis, Florentino, Urbinate, et Brixianis subsidia assiduo studio emendationi auctoris depravatissimi vacavit, ita tamen ut, ubicumque aliquid innovatum esset, de eo lectorem admoneret. In variantibus lectionibus apponendis et recensendis religiosior pene fuit: maluisse enim inquit sedulitatem suam delicatis hominibus nimiam aut morosam videri, quam fidem apud studiosos et doctos lectores periclitari. Animadversiones rariores adjecit, in quibus ea, quæ locutionibus illustrandis inserviunt, comparatione B fere locorum similium apud alios scriptores occurrentium constant, nonnullæ res ecclesiasticas attingunt, utrumque genus haud magnæ lectionis eruditionem prodit. Tanto vero insigniora sunt quæ in præfatione de Vita, virtutibus et laude, qua apud æquales et posteros claruerit Gaudentius, de scriptis ejus genuinis et supposititiis, eorumque indole disseruit. Qua occasione (§ II) graviter etiam in Dupinium, iniquius, ut ipsi visum est, de Gaudentio statuentem, invehitur. Postremo de consilio et ordine hujus editionis, superiores breviter perstringens, lectores admonet. His omnibus insuper testimonia de Gaudentio, necnon index locorum SS. addita sunt. Rerum vero index Rampertum simul et Adelmannum complectitur. C

1721. *Hamburgi, in* 8°. Vita S. Philastrii episcopi Brix. per S. Gaudentium ejus successorem conscripta quæ habetur in libro vetusto Sacrarii ecclesiæ Brixiensis, estque sermo habitus in anniversario die solemnitatis ejus: *cum Philastrio, ed. a Jo. Alb. Fabricio.*

1738. *Brixiæ, ex typogr. Jo. Mariæ Rizzardi, in fol.* S. Gaudentii Brixiæ ep. sermones qui exstant, ad fidem mss. codd. recogniti et emendati; in *Collectione Vet. PP. Brix. Ecclesiæ* Quiriniana, a p. 185 usque ad 379. Recensuit denuo et Notas secundis curis auctas adjecit *Paulus Galeardus*, can. Brix.

Quid novæ hujus editionis occasione a Galeardo præstitum est, ipse quidem modestia in Italis scriptorum ecclesiasticorum editoribus sequentium temporum raro obvia indicat, inspersas esse novas huc D illuc textui Gaudentiano notationes, nonnullas etiam ex prioribus in melius reformatas dicens. Sed primo statim obtutu unusquisque facile animadvertet, quam sæpe illud et quam præclare factum sit. Imprimis autem de codice non magnæ quidem antiquitatis, sed egregiæ lectionis et emendationibus Octavii Pantagathi Brix. manu ascriptis repente sibi oblato lætatur, ex quo innumera sibi restituta esse affirmat.

1757. *Augustæ Vindelicorum sumpt. Ignatii Adami et Franc. Ant. Veith. in* 4° S. Gaudentii Br. ep. sermones, etc. Editio Patavina ad unguem expressa.

Codices, qui Galeardo auxilio fuerunt, partim universa opera usque tum edita, partim unum vel alterum recens additorum sermonum singulatim complectebantur. Illorum *quinque* erant, horum *quatuor*.

1° *Codices mss. Bibl. Vaticanæ* n. 1243 et 4580, uterque papyraceus.

2° *Codex ms. Urbinatensis* membranaceus n. 75, elegantissimus, litteris initialibus pictis et deauratis.

Cæterum non vetustate quidem præstare hosce codices, præclara tamen plurimis in locis ad Gaudentii emendationem contulisse, Galeardus scribit. Excerpendi curam, postquam potestas a P. S. Clemente XI facta esset, Franciscus Blanchinus et Carolus Majellus, Bibl. Vat. præfectus, uterque P. M. ab honore sacri cubiculi sustinuerant.

3° *Codex mss. Florentinus* bibliothecæ S. Marci chartaceus, cujus Joan. Mabillonius in Itin. meminit. Collationem curaverat atque variantes lectiones diligenter excerptas editori transmiserat P. Albertus Salvi, ejusdem Monasterii S. Marci Florentiæ Prior.

4° *Codex ms. Octavii Pantagathi* Brixiani, magni ævo suo inter Litteratos nominis viri (a). Qui quamquam nec ipse magnæ vetustatis erat, attamen, quod contra opinanti Galeardo accidit, lectiones optimas a superioribus discrepantes frequentes suppeditavit. Præterea Pantagathi illius manu passim emendationes margini erant ascriptæ, quibus haud modicum statuit pretium editor.

5° *Codex ms. Urbinas* n. 150, membranaceus.

6° *Codex ms. Vaticanus* n. 1235, membranaceus pariter. Uterque ex his duobus *Sermonem Gaudentii de Petro et Paulo* exhibentibus Zenonis etiam Sermones continebat.

7° *Codices mss.* duo *Brixiani* membranacei, quorum antiquior præfert notam sæculi XI, *Sermonem de Vita et Obitu B. Philastrii* exhibentes.

[a] Coævorum de eo testimonia haud prætermisit Galeardus, nempe *Lil. Greg. Giraldi* Dial. 2 de Poet. sui æt.; *August. Thuani* Comm. de Vita sua lib. 1; *Onuphrii Panvinii* ad lib. Pastorum, p. 390.

PRÆFATIO P. GALEARDI

IN EDITIONE OPERUM S. GAUDENTII.

1. Gaudentius, Brixiæ episcopus, sub finem quarti sæculi floruit, eo scilicet tempore quo aurea Ecclesiæ ætas Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, aliosque præstantissimos viros tulit. Eum in Orientem religionis causa peregre profectum, Philastrio episcopo vita functo, Brixianus populus successorem expetivit, accedente suffragio episcoporum, atque in primis Ambrosii Mediolanensis antistitis, cujus ea

tempestate auctoritas summa erat. Gaudentius, sacerdotii pondere deterritus, imperitiam contra obtendere, ætatemque immaturam cœpit, ut se ab impositi muneris sarcina subduceret. Verum Ambrosius, cæterique antistites, sacramento Brixianorum adstricti (quo fortasse sese obligaverant, nullum alium episcopum præter Gaudentium accepturos fore) hujusmodi ad eum litteras una cum Brixianorum civium legatione miserunt, ut earum gravitate et vi permoti Orientales episcopi communionem Gaudentio denegarent, nisi rediturum se, atque imperata facturum polliceretur. Itaque Gaudentius, redire compulsus, Brixianæ Ecclesiæ regimen suscepit, non sine magna virtutis ac modestiæ laude; cum non solum absenti ac repugnanti episcopalis dignitas delata fuerit, verum etiam, quod rarum est, expugnari se non aliter passus sit, quam ecclesiasticis minis perculsus, *et*, ut ipse ait, *auctoritate sanctorum præsentium subjugatus*.

2. Hæc omnia ab ipso Gaudentio discimus *in sermone de Ordinatione sui*, qui habitus est coram Ambrosio Mediolanensi antistite; atque ab eodem sermone testimonium desumpsit Baronius cum Gaudentii electionem enarrat ad A. C. 386, n. 7, ubi tamen sensum verborum Gaudentii, *sacramento quo temere vos ipsos obligastis, astricti*, non videtur assecutus, dum episcopis jusjurandum attribuit, quod fuerat civium. Gaudentius enim cives alloquitur, non episcopos, ut patet: (a) *Sed beatus pater Ambrosius, cæterique venerandi antistites, sacramento quo temere vos ipsos obligastis, astricti, tales ad me epistolas cum vestra legatione miserunt, ut sine damno animæ meæ ultra jam resistere non valerem.* Quare licet jusjurandum episcopos compulisset ad revocandum Gaudentium, tamen verba illa Gaudentii, *sacramento quo temere vos ipsos obligastis*, nullo modo ad episcopos, sed ad cives tantummodo referuntur.

3. Dum in Oriente versaretur Gaudentius, ac per Cappadociæ urbes Jerusalem pergeret, in ipsa præcipua Cappadociæ urbe Cæsarea, a quibusdam sacris virginibus Basilii neptibus in monasterio degentibus (b) reliquias sanctorum 40 martyrum, qui in Armenia sub Licinio passi fuerant, accepit, quas olim sibi traditas ab avunculo suo Basilio, ejusdem civitatis episcopo, testabantur. Has una cum aliis sanctorum reliquiis, Joannis Baptistæ, Andreæ, Thomæ, ac Lucæ, Brixiam devectas, in ecclesia a se dedicata collocavit Gaudentius, additis præterea sacris lipsanis Gervasii, Protasii, atque Nazarii, itemque Anaunensium martyrum, Sisinnii, Martyrii, et Alexandri; laudatisque pro concione martyribus, ecclesiam ipsam *concilium sanctorum* nuncupandam esse decrevit; ut habemus *in sermone de Dedicatione basilicæ*. Ex hoc præclaro Gaudentii facto valde confirmatur antiquus reliquarum cultus, eoque propterea utitur apposite Baronius ad A. C. 316, n. 44, ubi de sanctis 40 martyribus agens, Gaudentianum sermonem laudat. Meminit ejusdem ad A. C. 387, n. 7, ac præter Baronium Papebrochius in Actis SS. Martii, tom. II, pag. 14, n. 7, itemque Ruinartus in Actis Martyrum.

4. Quo anno Gaudentius episcopatum susceperit non satis liquet. Videtur id factum fuisse circa annum 387, quam sententiam recentiores fere omnes probant. Vossius sane, ac Labbeus, Caveus item, et Natalis Alexander, in hunc annum initium episcopatus Gaudentii conferunt. Vossii verba hæc sunt, lib. III de Hist. Lat. (c): *Gaudentius Brixiensis episcopus memoriæ prodidit Vitam S. Philastrii, cui successerat in episcopatu. Obiit autem Philastrius anno 387, unde Gaudentii ætas satis patet.* Profecto si de anno obitus Philastrii constaret, nulla de initio episcopatus Gaudentii esset quæstio; quod autem conjectura saltem assequi possumus, hoc est, Philastrium post annum 384 diem suum obiisse. Nam Augustinus, qui Roma Mediolanum venit anno 384, ibique commoratus est usque ad annum 387, scribit (d) se Mediolani Philastrium Brixiensem episcopum apud Ambrosium vidisse. Itaque fieri potest, aliquem, ac fortasse postremum ex his tribus annis fuisse Philastrio emortualem, cum certe ante Ambrosii obitum (qui anno 397 assignatur) Gaudentius factus fuerit Brixiæ episcopus. Hoc autem videtur accidisse plures ante annos quam Ambrosius ipse decederet; nam sæpius de eo verba facit, ac præsentem quandoque compellat *sermone de Ordinatione sui*, et *sermone de Petro et Paulo*, quorum prior Brixiæ, alter vero Mediolani a Gaudentio est habitus.

5. Jam vero quanta doctrinæ atque eloquentiæ laude floreret Gaudentius noster, ex eo luculenter colligitur, quod ejus sermones passim a notariis excipi solerent, dum ipse ad populum verba faceret. Solemnis enim ea tempestate mos fuit, ut si quis ecclesiasticorum tractatorum dicendo excelleret, ejus conciones appositis notariis, scripto celeriter exciperentur; de quo plura diximus in notis Gaudentianæ Præfationis *ad Benivolum*. Hinc tituli illi semel atque iterum Gaudentianis sermonibus præfixi: *Incipiunt excepti tractatus de diversis capitulis*; et, *Tractatus ejusdem exceptus die Dedicationis basilicæ*; et, *Incipit tractatus quem prima die ordinationis ipsius, quorumdam civium notarii exceperunt*. Moleste quidem hos sermonum suorum *exceptores* eo usque ferebat Gaudentius, ut quæ ab hujusmodi operis descripta fuerant, sua esse diffiteretur. Sic enim ipsemet in *Præfatione ad Benivolum*: *De illis vero tractatibus*, inquit, *quos notariis (ut comperi) latenter appositis, procul dubio interruptos, et semiplenos, otiosa quorumdam studia colligere præsumpserunt, nihil ad me attinet. Mea jam non sunt quæ constat præcipiti exci-*

(a) Gaud., tract. de Ordin. sui.
(b) Gaud., tract. de Ded. basil., eas *monasterii sanctarum virginum dignissimas matres* appellat.
(c) Pag. 744, edit. Lugd. Bat., 1651.
(d) Lib. de Hær., init.

pientium *festinatione esse conscripta*. Verum quandoque etiam hujusmodi tractatus aliorum rogatu emendavit, idque præsertim quoad quatuor breviores tractatus *de diversis capitulis Evangelii*, ac subsequentem *de Machabæis martyribus* præstitisse se Benivolo petente, inibi testatur: quare pro sinceris et Gaudentianis habendos, nihil est quod dubitemus. At quo magis perspicuum fiat quam præclare de Gaudentii eloquentia ac doctrina, eo adhuc superstite et incolumi, homines sentirent, quantaque esset jam tum Gaudentiani nominis celebritas, operæ pretium erit, integrum hic Rufini locum describere *in Præfatione ad Gaudentium episcopum*, quæ libris Recognitionum Clementis, ab ipso Latine conversis, præfixa est. Locus est hujusmodi: *Tibi quidem, Gaudenti, nostrorum decus insigne doctorum, tantus ingenii vigor, immo tanta spiritus gratia est, ut si quid a te etiam quotidiani eloquii more dicitur, si quid in ecclesia declamatur, id in libris haberi, et ad instructionem tradi posteris debeat.* Vides hic non obscure adumbratam, ut puto, Gaudentianorum sermonum collectionem, jam tum per notarios, eo concionante, fieri cœptam. Nec ullo modo ambigendum est, Rufinum de Gaudentio nostro hic loqui, quamvis ecclesiæ titulum prætermiserit; certa enim prorsus et indubitata sunt indicia quæ id ostendant, eaque infra mox proferemus, cum de tempore obitus Gaudentii nobis agendum erit.

6. De patria Gaudentii quid certi affirmem non habeo. Mansisse eum Brixiæ, antequam in Orientem proficisceretur, compertum est; ait enim *in sermone de Ordinatione sui: Ut sine damno animæ meæ ultra jam resistere non valerem, cui ab Orientalibus quoque episcopis, nisi meum ad vos reditum pollicerer, salutaris communio negaretur.* Reditus porro aut patriam, aut saltem domicilium designat. Nec facile fuisset Gaudentius a Brixianis civibus tam vehementer ad episcopatum expetitus, ubi iisdem eximia ejus virtus, vel propter communem patriam, vel propter diuturnam in eadem urbe stationem, non fuisset plane perspecta. *In Præfatione* quoque Benivolum alloquens: *Sicut honoratorum nostræ urbis*, inquit, *ita etiam Dominicæ plebis, Domino annuente, dignissimum caput es*: quare Brixiam *urbem nostram* vocans, ejusdemque *honoratos* (qui præcipuus dignitatis ordo erat) appellans, patriam quodammodo videtur profiteri. Hæc tamen levia omnino, et incerta sunt. Nam et urbem in qua episcopus erat, *nostram* appellare potuit, et ibi domicilium habuisse, licet alieno solo natus. *In sermone de Philastrio*, posteaquam enumeravit Philastrii labores, quibus Brixianam ecclesiam excoluerat, se quoque partem ejus operis esse dicit: *Ego autem minima ejus pars.* Nisi igitur fuerit Gaudentius patria Brixianus, Philastrii alumnum, atque ab eodem ecclesiasticis disciplinis imbutum, et enutritum, affirmare oportet; quod quidem postremum Tillemontio (*a*) placuisse video.

7. Plures fuere Gaudentii a nostro ætate non multum dissiti, episcopatus munere pares, ac proinde cum eo non temere confundendi. Fuit nempe, Constantio imperante, Gaudentius Ariminensis præsul, qui Acta Ariminensis concilii soluta synodo rescidit, propterea a Proconsulis militibus gladio confossus. Fuit et Gaudentius Donatistarum Tamugadensis in Africa episcopus, cujus duas epistolas ad Dulcitium tribunum, itemque ad se responsionem, totidem libris luculenter confutavit Augustinus. Fuit eodem ferme tempore quo noster, Gaudentius Novariensis episcopus, Eporediæ ortus, Eusebii Vercellensis discipulus, atque exsilii comes. Duo tantum Gaudentii, scilicet Ariminensis et Novariensis, memorantur apud Volaterranum (*lib.* XVI *Comment. pag.* 476, *edit. Gryph.*), ubi Brixianum scriptis, ac nominis fama clarum, incuriose nimis prætermittit. Nomen item Gaudentii frequens occurrit in lapidibus Brixianis. Nam apud Octavium Rubeum, Brixianarum Inscriptionum collectorem, pag. 246, habetur Cornelius Gaudentius, Corrector Venetiæ, et Histriæ, sic:

COR GAVDEN
TIVS VP COM ET
CORR VEN ET
HIST CVRAVIT

et pag. 296, Gaudentius Nusiæ maritus:

NVSIAE CONIVGI
SANCTISSIMAE
INCOMPARABILI QVAE
VIXIT ANN. XXIII.
M. VII GAVDENTIVS
MARITVS BENEMERENTI (*b*)

Sed redeamus ad nostrum.

8. Præeunt cæteris Gaudentii sermonibus paschales decem; quos non ante annum 387 conscriptos fuisse, recte annotavit Labbeus, (*c*) cum in Præfatione eorumdem mentio fiat turbarum quas Ariani in urbe Mediolanensi adversus Ambrosium concitaverunt anno 386, Justinæ Augustæ auctoritate freti. Ego quidem aliquanto serius conscriptos puto; fortasse post annum 390, eo quod in eadem Præfatione, loquens Gaudentius de persecutione illa Arianorum adversus Ambrosium mota, videatur tempus paulo remotius designare: *Nostri namque temporis Regina Jezabel, cum beatissimum persequeretur Ambrosium, te quoque* EA TEMPESTATE *Magistrum memoriæ* (Benivolum scilicet) *oblitum salutaris fidei arbitrata, contra catholicas dictare Ecclesias compellebat.* Deinde cum iisdem paschalibus, quos nuper in ecclesia habitos ad Benivolum

(*a*) Mémoires pour l'Hist. Eccl., tom. X, p. 584, edit. Paris.

(*b*) Postquam hæc Patavinis typis vulgata fuerant, Gayni in Riperia Salodii apud Tusculanum inventus est lapis qui inscriptionem eamdem exhibet paulo aliter, hoc modo: LORENIAE VENVSTAE CONIVGI SANCTISSIMAE QVAE VIXIT ANNOS XXIII M VIIII GAVDENTIVS MARITVS BENEMER

(*c*) De Scr. Eccl., tom. I, pag. 338.

mittit, quatuor breviores tractatus adjiciat, ac insuper quintum de Machabæis martyribus; hosque apud eumdem Benivolum olim se locutum fuisse perhibeat, (*a*) satis prodit, se, priusquam hos paschales recitaret, multo antea in episcopatus ac prædicationis munere esse versatum. Porro paschales hosce sermones, Benivolo petente, ac pene cogente, ad eum misit, Præfatione ad ipsum Benivolum inscripta; ejusque rogatu etiam quinque subsequentes paschalibus adjectos, quos a notariis exceptos, idem Benivolus Gaudentio emendandos tradiderat, emendavit; (*b*) quo fit ut potiorem, ac majorem, quæ ad nos pervenit, Gaudentianorum sermonum partem Benivolo debeamus.

9. Benivolum hunc, qui Brixianæ urbis civis erat, Gaudentius summis laudibus ornat. Nam Mediolani apud Valentinianum Augustum *Magistri memoriæ* munus cum exerceret, a Justina Valentiniani matre compulsus, legem dictare qua Ariminensis concilii fides confirmabatur, non solum constanter restitit, sed etiam sponte se aulicis honoribus abdicavit, *magis eligens*, ut noster inquit, (*c*) *privatus vivere, quam mortuus militare.* Rem narrat Sozomenus lib. VII Hist. Eccl., c. 13, H, Valesio interprete: *Justina, accito Benivolo, qui tunc scriniis memoriæ præsidebat, præcepit ut confestim legem dictaret qua fides in Ariminensi concilio olim recitata confirmaretur. Quod cum ille facere recusaret (erat enim catholicæ communionis), eum regina altioris gradus pollicitatione demulcens, cæpit hortari. Nec tamen ei persuadere potuit. Nam Benivolus detractum sibi cingulum ante pedes reginæ abjecit; nec præsentem dignitatem, nec ullam aliam majorem, pro mercede impietatis, se velle suscipere affirmans.* Eximiam Benivoli constantiam, atque animi magnitudinem, laudant præter Sozomenum, Ecclesiasticæ Historiæ scriptores Rufinus, ac Nicephorus. At legem illam quam Benivolus dictare renuit, inventi sunt qui scriberent. Exstat autem in Codice Theodosiano, lib. XVI, tit. *de Fide Catholica*, his verbis: *Damus copiam colligendi his qui secundum ea sentiunt quæ temporibus divæ memoriæ Constanti, sacerdotibus convocatis ex omni orbe Romano, expositaque fide ab his ipsis qui dissentire noscuntur, Ariminensi concilio, Constantinopolitano etiam confirmata, in æternum mansura, decreta sunt. Conveniendi etiam quibus jussimus patescat arbitrium: scituris his qui sibi tantum existimant colligendi copiam contributam, quod si turbulentum quippiam contra nostræ tranquillitatis præceptum faciendum esse temptaverint, ut seditionis auctores, pacisque turbatæ Ecclesiæ* (*d*) *etiam majestatis, capite ac sanguine sint supplicia luituri. Manente nihilominus eos supplicio qui contra hanc dispositionem nostram obreptive, aut clanculo, supplicare temptaverint. Dat.* X *kalen. Febr., Med. Honorio NB. P. et Evodio Coss.* (386.). Miratur Valesius in

A notis ad Sozomenum, qua ratione factum sit, ut supradicta lex in codicem Theodosianum irrepserit, quæ manifeste Arianis favet; Gothofredus autem notat, abesse hanc legem a Codice Justiniani, velut improbatam. Porro munus illud *Magistri memoriæ*, quo Benivolus fungebatur, præcipuum fuisse, ostendimus in notis Gaudentianæ Præfationis, ubi etiam plura de Benivolo. *Memoriales*, et *Agentes in rebus*, palatina fuisse officia, memini me legere apud Ambrosium in epist. ad Marcellinam: *Memoriæ* vero, et *Memorialia scripta* appellantur veterum historiæ apud Arnobium advers. Gent. lib. VI, et Minucium Felicem in Octavio.

10. Cæterum Gaudentiani sermones, pietatem non minus, quam eruditionem spirant; quantoque B usui sint ad muniendam et illustrandam Ecclesiæ doctrinam, ex eorum lectione facile patet. Nam et serm. 2 expresse designatur disciplina Arcani; et Eucharistiæ mysterium tam apte, tam copiose, tam perspicue exponitur, ut plane videam paucos ex antiquis qui apposite magis ad dirimendas nostrorum temporum controversias, in hujusmodi argumento versati fuerint. Usi sunt testimoniis ex hoc sermone depromptis, ad asserendas catholicæ Ecclesiæ veritates, Joannes Stephanus Durantus, in libris de Ritibus Ecclesiæ catholicæ, Romæ excusis in Typographia Vaticana, 1591; Ludovicus Bail Abavillæus, in Bibliotheca Concionatorum edita Parisiis, apud Joannem de la Caille, 1666; Ferrarius, de Ritu Sacrarum Ecclesiæ Concionum; Joannes C cardinalis Bona, aliique non pauci ex nostris, quibus Gaudentiana scripta evolvere, operæ pretium fuit. Præclarum est præterea Gaudentii testimonium de Reliquiis, et Invocatione Sanctorum; quam luculenter astruit *in sermone de Dedicatione basilicæ, in sermone de Petro et Paulo*, et *in sermone de Vita et Obitu Philastrii prædecessoris sui.* Hunc sermonem afferens Alanus Anglus adversus Historiæ Ecclesiasticæ oppugnatores, dial. 3, cap. 4, pag. 319, edit. Plantinianæ 1566, Gaudentium nostrum recenset inter illos Patres quos Magdeburgenses prætermisere, quique intra primos quingentos a Christo nato annos, scripsere de fide primæ Ecclesiæ, in causa de Reliquiis et Invocatione Sanctorum. Tractatu nono incorruptam Matris Dei virginitatem eloD quenter ac studiose propugnat; et tractatu octavo, quamvis parentes imperare filiis perpetuam continentiam vetet, attamen virginitatem nuptiis docet esse meliorem. Tractatu quinto circa finem, notabilis valde est locus *de baculo*, ubi baculum apostolicis sacerdotibus, id est episcopis, ad subditorum correptionem tributum esse significat. Hinc videtur parari posse subsidium antiquo usui baculi, de quo Isidorus lib. II de off. Eccl., c. 5. Sane antiqui Ægypti Monachi baculum ferebant, ut ex Cassiano patet lib. I de Instit. Cœnobiorum, c. 9:

(*a*) *Quos apud te olim fuisse me locutum prodidisti.* Gaud. in Præf. ad Beniv.
(*b*) *Emendatos tibi, quoniam cogis, remittam.* Gaudent. in Præf. ad Ben.
(*c*) Ibidem.
(*d*) Al., *et læsæ etiam.* Valesius.

cujus gestatio, inquit, *spiritaliter monet*, *nunquam* A *debere eos*, *inter tot oblatrantes vitiorum canes*, *et invisibiles nequitiarum spiritalium bestias*, *inermes incedere*. At longum esset ire per singula: quare suffecerit, summa quædam rerum capita delibasse, quibus perspectis lector de utilitate ac momento Gaudentianorum sermonum facile judicare possit.

11. Cum autem Gaudentiano ævo, nempe circa A. C. 405, magnæ essent in Oriente lites, eo quod Joannes Chrysostomus, e Constantinopolitana sede exturbatus, pulsus fuisset in exsilium; congregati Italiæ episcopi sub Innocentio I, ab Honorio Imperatore, impetrarunt ut scriberet Arcadio fratri suo, postulans Thessalonicæ concilium fieri, quo facilius possent pro sarcienda Ecclesiæ pace, una utræque partes, Orientis Occidentisque convenire. Legati B porro, qui ad Arcadium proficiscerentur, delecti, teste Palladio (*a*), sancti viri Æmilius, Cythegius, et Gaudentius. Hi, acceptis una cum Valentiniano, Bonifacioque presbyteris, Imperatoris Honorii, et Papæ Innocentii, Italiæque episcoporum, Chromatii Aquileiensis, et Venerii Mediolanensis, ac reliquorum episcoporum epistolis, necnon commonitorio concilii totius Occidentis, conditionibus publicis, Constantinopolim concessere. Verum tot curis, tantoque labore suscepta legatio, infelicem plane exitum habuit; nam cum episcopi ab Italia profecti, ineunte vere A. 406, ad Græciæ oras appulissent, Athenis a tribuno militum comprehensi, navibusque impositi sunt, ac Constantinopolim delati. Eo cum pervenissent, urbe exclusi, at- C que ad oppidum Thraciæ cui Athyra nomen, in custodiam conjecti, incredibile est quot quantisque malis vexati fuerint, quantaque eos perferre oportuerit, ut traditum sibi munus ea qua par erat constantia, tuerentur. Nam et per calumniam illis objectum est, quod ditionem alienam ultra terminos suos turbarent, et cum Orientalis imperii contumelia ibi adessent. Deinde seorsim quisque in custodias inclusi, ac torti, et plurimis ærumnis affecti, ut mandata ac epistolas proferrent. Cum vero nulla vis eorum animum frangeret, litteræ iis quas ab Occidente detulerant, quasque præter Imperatorem, nemini ulli se reddituros affirmabant, per vim ereptæ. Blanditiis demum, atque auro tentati, ut cum Attico qui Joannis Chrysostomi sedem occupaverat, D communicarent. Sed enim cum promissionem illi nullam, aut conditionem sibi oblatam reciperent, contra vero reditum ad Romanam urbem precibus peterent, Valerianus quidam ad male agendum strenuus, immunde eos, et vetustate squalido navigio commissos, exitium nempe eis struens, Romam reverti jussit. Illi, summo cum periculo navigantes, ægre Lampsacum appulerunt. Inde, navi mutata, quatuor mensibus elapsis Romam pervenere, ubi singillatim Innocentio Papæ quæ ipsis acciderant, renuntiarunt. Hæc summa illius legationis fuit, ex qua quantum ad Gaudentii laudem accedat, nemo non videt.

12. Præclari sunt laudum tituli quibus Chrysostomus ipse hos episcopos exornat, ut patet ex ejus epistolis *ad episcopos qui ex Occidente venerant* 156, 157, 158, 159, editionis Frontonis Ducæi 1636, in quibus *præclarissimum eorum zelum*, *animique pro veritatis defensione alacritatem*, alibi *studium*, *et promptitudinem quam ad Ecclesiarum detrimenta sarcienda præstiterant*; *firmam etiam ac sinceram benevolentiam*, *fortitudinem*, *animi constantiam*, *ac tolerantiam*, alibi vero *diligentiæ magnitudinem*, *vigilantiam*, *curam*, *ac sollicitudinem* prædicat. Sed cæteris laudibus præclarius omnino est testimonium ejusdem Chrysostomi de Gaudentio nostro, quem fortasse dignitate præcipuum inter episcopos qui legatione illa fungebantur, indicare videtur, dum ejus solius nomini aliam epistolam inscribit. Est hæc 184, quæ sic habet, eodem Frontone Ducæo interprete:

GAUDENTIO *episcopo* BRIXIANO.

Nihil nos latet rerum tuarum, sed tamquam præsentes probe novimus studium tuum, vigilantiam, curas, labores quos pro veritate suscepisti; tibique ingentes gratias agimus, neque mediocrem, in tanta degentes solitudine, consolationem haurimus ex tuæ charitatis ardore, ac sinceritate; cujus dum hic periculum fecimus, istic quoque integram illam vigere cognovimus; nec ullo modo aut temporis diuturnitate, aut itineris longitudine, debilitatam fuisse. Quo nomine multam tibi gratiam habemus, teque hortamur ut in instituto pergas, et idem semper studium præ te feras. Non enim ignoras quot Ecclesiarum salus nunc agatur, et quam eximium futurum sit hoc recte factum. Hæc igitur cogitans, domine mi reverendissime ac religiosissime, in eodem studio perseverare dignare; sic enim fiet ut, exiguis laboribus exantlatis, immortalia vobis pro his præclaris certaminibus, in cælo præmia recondantur.

Constat ex hac epistola, quantum diligentiæ ac studii Gaudentius ad sublevandas Chrysostomi ærumnas contulerit; quantamque laudem ex hujus legationis laboribus, pro sarcienda Ecclesiæ pace fortiter susceptæ, merito consecutus sit. Quamvis autem apud veteres ecclesiasticarum rerum scriptores, excepto Æmilio quem Beneventanum vocant, cæteris episcopis qui legationi huic præfuerunt, minime sedis titulus apponatur; nemo tamen Gaudentium hunc Brixianum esse jure in dubium revocet, ubi tam luculentum exstat Chrysostomi testimonium. Alibi etiam Gaudentii labores idem Chrysostomus prædicare videtur in epistola 100, *ad episcopum qui ab Occidente venerat*; valde enim mihi probabile fit, hanc quoque epistolam ad Gaudentium nostrum pertinere, in qua sudores eos *quos et domi et in tam longa peregrinatione pro Ecclesiæ commodis* subierat, commemorare pergit. Fortasse nec promptior Gaudentio nostro, nec aptior legationi huic suscipiendæ destinari poterat; quippe qui alias in

(*a*) Pallad., de Vit. S. Joan. Chrys., cap. 4. Eadem tradit Nicephor. l. XIII, c. 33.

Oriente versatus, magnum sibi pietatis religionisque nomen quæsisse putandus est apud illius regionis episcopos, qui eidem non nisi terrore excommunicationis injecto, suadere poterant ut ad episcopatum veniret. Itaque recentiores fere omnes qui post Baronium scripsere, quique rem totam magis perspectam habuerunt, Gaudentio Brixiano legationis hujus laudem deferunt, inter quos numerantur Moreriis, Caveus, Dupinius, ac præ cæteris solertissimus Tillemontius.

13. Quandonam Gaudentius diem obierit, incertum. Rejiciunt id nonnulli in annum 410; alii vero, inter quos Cl. Labbeus, (a) in annum 427. Vixisse Gaudentium usque ad annum 410, probabiliter opinatur Tillemontius, (b) eo quod Rufinus Aquileiensis presbyter, circa id tempus, Libros Recognitionum Clementis, a se Latine conversos, ad eum miserit. Huic versioni ab ipso Rufino Præfatio hujusmodi præponitur: *Ad* GAUDENTIUM *episcopum. Tibi quidem, Gaudenti, nostrorum decus insigne doctorum, tantus ingenii vigor, immo tanta spiritus gratia est, ut si quid a te etiam quotidiani eloquii more dicitur, si quid in Ecclesia declamatur*, id in libris haberi, *et ad instructionem tradi posteris debeat*. Et post non multa: *Æquum est sane tibi*, qui hæc etiam Græce legeris, *ne forte in aliquibus minus a nobis servatum translationis ordinem putes, interpretationis nostræ indicare consilium*. Hæc quam bene omnia Gaudentio nostro conveniant, cujus tractatus, tamquam eximii et eloquentis viri, passim ab exceptoribus colligi solebant, quique Græcæ linguæ peritia instructus erat, uti ex ejus sermonibus patet, facile intelligitur. Ratio quoque temporum optime consentit, nam Rufinus non ante annum 410 Aquileia ab Alarico vastata, in Siciliam profugit, ubi eodem vel sequenti anno interiisse videtur. Itaque licet Rufinus sedis titulum prætermiserit, hæc de nostro dicta esse nullus dubito. Alibi etiam versionem hanc Librorum Recognitionum Clementis, ut Gaudentio episcopo debitam, memorat Rufinus in peroratione post translationem Commentariorum Origenis in Epistolam ad Romanos, his verbis: *Post hoc sane vocat nos opus quod olim quidem injunctum est, sed nunc a beato Gaudentio episcopo vehementer perurgetur; Clementis scilicet Romani episcopi, apostolorum comitis, quorum ut successoribus darem cognitionem, libri a nobis in Latinum vertuntur*. (c) Offenderat Cotelerius in not. ad Clementis Recognitiones in Patribus Apostolicis, pag. 485, edit. Antuerp. 1698, Gaudentium hunc intelligens esse *Novariensem*; sed protinus in viam rediit, reponens *seu potius Brixiensem*.

14. Porro versionem hanc Recognitionum Clementis, a Silvia virgine jampridem sibi imperatam, A *hæreditario jure* a Gaudentio exposci, affirmat Rufinus in eadem Præfatione: *Opus quod olim venerandæ memoriæ virgo Silvia injunxerat, ut Clementem nostræ linguæ redderemus, et tu deinceps* hæreditario jure *poscebas*. Quænam hæc virgo Silvia fuerit, implexa admodum est quæstio. Brixiæ in Ecclesia S. Joannis Evangelistæ, olim *deforis Brixiam* nuncupata, exstat corpus beatæ Silviæ virginis, cujus memoria recolitur die 15 Decembris. Hanc nonnulli ex Brixianis scriptoribus matrem, nonnulli sororem Gregorii Magni appellantes, vehementer decepti sunt; nam quomodo ad Gregorii Magni familiam pertinere possit, non video. Profecto ex illius genere claras feminas, præter Silviam ejus matrem quam Romæ jacere compertum est, (d) atque B ipsius amitas, Tarsillam et Æmilianam, ab iisque degenerem valde Gorgoniam, (e) nullas alias invenio. Quare nominis similitudine factum puto ut vulgari errore, cujus nec patria satis nec genus compertum foret, in urbem Romam, atque in ipsam Gregorii Magni familiam traducta fuerit. Eamdem esse Silviam hanc quæ Brixiæ jacet cum ea quæ a Rufino memoratur *in Præfatione ad Gaudentium*, videtur indicare tum id quod Rufinus ait, nempe versionem sibi a Silvia imperatam, *hæreditario jure* a Gaudentio expeti; tum locus sepulturæ, in eadem Ecclesia atque ara, et Silviæ et Gaudentio communis; quorum utrumque ostendit fuisse hanc Silviam Gaudentio nostro charitate, fortasse etiam sanguine, conjunctam. Cotelerius (f) Silviam a Rufino memoratam C eamdam esse existimat cum Salvia, de qua Palladius Historiæ Lausiacæ, cap. 143. Tillemontius (g) autumat fortasse esse posse Silviam Rufini Orientis præfecti sororem, quæ, ex Oriente in Occidentem regressa, Brixiæ obierit. Ego, in tanta rerum obscuritate, nihil certi affirmare ausim: quin potius ubi aliquis ex ecclesiasticæ historiæ penu meliora ac certiora protulerit, minime repugnabo, immo magno me beneficio sibi devinctum habebit.

15. Ex huc usque dictis colligitur, satis recte cum Tillemontio affirmari posse, Gaudentium inter vivos egisse usque ad annum 410. An vero cum Labbeo et Ughello dicendum sit, vixisse eum usque ad annum 427, ignoro. Quod certum est, quatuordecim annos jam se in episcopatu exegisse, tradit idem Gaudentius *in sermone de Vita et Obitu Philastrii prædecessoris sui*. Ac potuisse quidem illum vitam longius ducere post annum 406, quo Orientali legatione functus est, putandum videtur, ex eo quod valde juvenis, et immatura ætate, ad episcopatum provectus fuerit. Sed Tillemontius observat (h), Optatianum, quatuor interpositis episcopis, Paulo nempe, Theophilo, Silvino, et Gaudioso, Gaudentii successorem,

(a) De Script. Eccl. tom. I, pag. 338.
(b) Mémoir. pour l'Hist. Ecclés., tom. X, pag. 588.
(c) Al. *comitis, ac successoris, de Recognitione libri, ut in Latinum vertantur*. Cotelerius.
(d) Bar. ad A. C. 604, n. 30.
(e) Bar. ad A. C. 581, n. 4.
(f) In PP. Apostol. not. ad Clem. Recogn., p. 485.
(g) Mémoir. pour l'Hist. Eccl., tom. X, p. 589, et tom. XI, S. *Olympiade*, art 1, p. 418. De Silvia Rufini præfecti Orientis sorore Bar. ad A. C. 395, n. 28.
(h) Mémoir. pour l'Hist. Ecclés., tom. X, p. 601.

inveniri subscriptum epistolæ synodicæ concilii Mediolanensis ad Leonem pontificem anno 451. Quare non valde credibile esse inquit, tam modico temporis spatio, quatuor nempe et viginti annis, qui ab anno 427 ad annum 451 intercedunt, quatuor episcopos sedere potuisse; ideoque Gaudentii obitum rectius statui circa annum 410, quam circa annum 427. Jacet autem Gaudentii corpus Brixiæ in ecclesia S. Joannis Evangelistæ, olim *deforis Brixiam* nuncupata, in eodem sacello una cum Theophilo, ejus post Paulum episcopum in sede Brixiana successore, et Silvia virgine, de qua paulo ante diximus. Horum corpora in eum locum translata ac deposita fuere anno 1595, cujus translationis seriem narrant Acta SS. ad diem 27 Aprilis, pag. 494. Porro Gaudentii nomen in Martyrologium Romanum relatum est die 25 Octobris, hoc addito elogio: *Sancti Gaudentii episcopi, eruditione et sanctitate conspicui*; quod sane Gaudentio convenire, tum ejus scripta christianæ pietatis imaginem ubique referentia, tum insignis animi moderatio qua invitus ac reluctans ad episcopatum accedere coactus est, tum ab eo pro Ecclesiæ pace restituenda fortiter gesta, manifeste indicant. Atque hæc de Gaudentio; modo de scriptis ejus, tam genuinis quam supposititiis, nobis agendum est.

§ I. *De scriptis Gaudentii genuinis, et supposititiis.*

16. Ad recensenda genuina Gaudentii scripta, non multum curæ, aut laboris, impendere nobis opus erit, quippe quod de iis aut parva admodum, aut nulla sit inter doctos controversia. Quare *paschales decem sermones cum Præfatione ad Benivolum*, genuinum esse Gaudentii fœtum, nemo umquam dubitavit, itemque subsequentes *quatuor de diversis capitulis Evangelii, et quintum de Machabæis martyribus*, de quibus exstat ipsius Gaudentii testimonium in eadem *Præfatione ad Benivolum*, his verbis: *Quatuor præterea breviores tractatus, quos de diversis capitulis Evangelii apud te olim fuisse me locutum prodidisti, et quintum de Machabæis martyribus, emendatos tibi, quoniam cogis, remittam.* Videtur ex hoc Gaudentii loco conjici posse, paschales quidem sermones habitos fuisse a Gaudentio in ecclesia, subsequentes vero privatim apud ipsum Benivolum recitatos; ait enim: *Quos apud te olim fuisse me locutum prodidisti.* Idem indicare videntur Rufini verba *in Præfatione ad Gaudentium*, paulo supra allata: *si quid a te etiam quotidiani eloquii more dicitur, si quid in ecclesia declamatur*; quibus et privatas disputationes, et publicas conciones a Gaudentio habitas, non obscure designat. Fortasse cœtus Christianorum apud Benivolum fieri solebant, in quibus non aleæ et compotationibus, sicuti hodie mos est, sed divinarum quæstionum, et pietatis studio jugiter vacarent; iisque se facilem ad docendum præbebat Gaudentius, ut uberiorem doctrinæ suæ ac laboris fructum referret. Cæteri vero Gaudentii sermones, nempe *de Ordinatione sui*, *de Dedicatione basilicæ*, itemque duo sequentes, quorum prior ad *Serminium*, alter vero ad *Paulum Diaconum* inscribitur, facile cum ex argumenti ratione, tum ex orationis colore, et similitudine, Gaudentii esse deprehenduntur, ideoque pro Gaudentianis semper in Bibliothecis Patrum una cum aliis excusi.

17. Quoniam autem huic nostræ editioni duorum præterea sermonum accessio facta est, æquum erit de iis consilium nostrum lectori indicare, rationesque aperire quibus permotus eos tamquam genuinos, cæteris Gaudentianis adjecerim. Cum editionem hanc Gaudentii animo versarem, forte fortuna incidi in editionem sermonum S. Zenonis episcopi Veronensis, quæ Veronæ prodiit, jussu Augustini Valerii cardinalis Veronæ episcopi, *apud Hieronymum Discipulum* anno 1586. Eam curiosius pervolutanti mihi occurrit in Præfatione locus quo curatores, ac recognitores illius editionis lectorem monebant, *prætermissum esse S. Gaudentii episcopi Brixiensis sermonem, qui excusis sermonibus* (prioris editionis) *S. Zenonis fuerat additus, quod in vetusto ms. Codice* (s. Zenonis) *non reperiretur.* Avide arripui oblatam occasionem alterius, si quis forte esset, Gaudentiani sermonis nanciscendi; ac diligenter conquisitam priorem sermonum Zenonis editionem adeptus, quæ Venetiis pervulgata est anno 1508, in ea libro tertio optatum sermonem inveni hoc titulo inscriptum: *Sancti Gaudentii Brixiani de Petro et Paulo sermo* 48. Stylus quoque Gaudentio conveniebat; quare jam non invitus, aut nutans, eum parenti suo asserere cogitabam: hoc tantum in votis erat, ut alicujus ms. Codicis auctoritas suffragio nostro accederet. Cumulate desiderio meo satisfactum est; nam consultus a nobis, per litteras illustrissimi ac præclarissimi viri Joannis Francisci Barbadici Brixiæ episcopi, doctissimus atque humanissimus vir Carolus Majellus, Bibliothecæ Vaticanæ præfectus, confestim ad nos ejusdem sermonis apographum misit, exscriptum e Codice Urbinate 150, pag. 146, et collatum cum Vaticano 1235, pag. 197, in quorum utroque Gaudentii nomen præ se fert. Igitur bini Codicis præsidio, ubi non modo huic sermoni auctoritas, sed etiam variantes lectiones accesserunt, libenter eum in familiam aliorum Gaudentianorum sermonum induximus, ac post vulgatos in cæteris editionibus, locum tenere jussimus.

18. Alter Gaudentii sermo, qui postremo loco positus est, sæpius prodierat apud Lipomanum, et Surium in Vitis SS., die 18 Julii, præfixo Gaudentii nomine, sub hoc titulo: *Vita beati Philastrii episcopi Brixiensis, per divum Gaudentium ejus successorem descripta.* Equidem titulus iste non omnino videbatur antiquam simplicitatem præferre; sed cum Lipomanus et Surius testarentur, se hunc sermonem accepisse a vetusto libro Sacrarii Ecclesiæ Brixianæ, non diffidebam collatione ms. Codicis, non modo titulum, sed ipsum quoque sermonem, qui nonnihil depravatus erat, fieri posse emendatiorem. Utrumque præstitum est auxilio duorum Brixianorum Codicum mss., in quibus hic sermo habetur,

hac præmissa inscriptione : *Sermo beati Gaudentii episcopi de Vita et Obitu beati Philastrii episcopi, prædecessoris sui.* Exstat autem de hoc sermone præclarum testimonium Ramperti, Brixiæ nono sæculo episcopi, qui ejus locum profert in *sermone de Translatione beati Philastrii*, cap. 5, his verbis : *Veluti in edito sermone a præsule Gaudentio, vitæ scilicet beatissimi Philastrii pontificis legitur, fuisse eum omni ætati, et conditioni, et sexui, stupenda benignitate communem.* Proinde miratus omnino sum, Ludovicum Ellies Dupinium Gallum, Bibliothecæ Ecclesiasticæ scriptorem, quæstionem de hoc sermone movere Gaudentio potuisse. Alibi etiam Rampertus ejusdem sermonis auctoritate utitur, nempe cap. 9, ac post Rampertum utuntur Baronius, Alanus Anglus, Labbeus, Vossius, Caveus, aliique recentiores; quod B cum animadverterem a Bibliothecæ Patrum collectoribus non fuisse satis observatum (hunc enim sermonem prætermiserant) cum idcirco veluti sincerum, ac legitimum Gaudentii opus, cæteris Gaudentianis sermonibus accensere, meum esse duxi.

19. Atque hæc quidem sunt Gaudentii genuina, quæ exstant; nam et intercidisse non pauca notavimus ad tract. 14. Nunc de supposititiis dicam. Ac primo occurrit *Commentarius in Symbolum* quod vulgo *Athanasii* appellatur; hujusmodi enim Commentarii licet omnino, quod sciam, nihil exstet, Gaudentium auctorem faciunt Elias Capreolus, lib. III Hist. Brix., et ex Capreolo Ughellus, aliique. At falsa persuasione deceptos manifeste liquet; cum Symbolum illud, quod circa finem quinti sæculi a C Vigilio Eapsensi, aut alio quopiam Scriptore conditum esse, constat inter eruditos, minime Gaudentio innotuisse potuerit, qui quarto sæculo vixit, aut vix demum initia quinti sæculi vidit. Hunc eorumdem Scriptorum errorem expunximus in annotationibus ad Ughellum, (*a*) nec quomodo falsus rumor obtinuerit video, nisi forte pro *Commentario in Symbolum Athanasii*, intelligenda sit expositio Rufini in Symbolum, quæ a multis Hieronymo et Cypriano temere adscripta, aliquando etiam Gaudentio Brixiano tributa fuerit. Inter Gaudentii supposititia numeratur deinde *Rhythmus de Philastrio*, quem aliquando Gaudentium auctorem præ se tulisse, testatur nobis Rampertus *in sermone de Translatione Philastrii.* Verum stylus aperte, ac Latinæ linguæ D color, ad sequiora tempora pertinent; nec aliquid in eo rhythmo Gaudentianum videtur, præter sententias quas rhythmi auctor a Gaudentio *in sermone de Philastrio* mutuatus est; quare, accedente etiam ipsius Ramperti calculo, libenter rhythmum illum Gaudentio adjudicavimus. Vide porro ea quæ fusius præfati sumus ad eumdem rhythmum in calce sermonum Gaudentii.

20. Ad Gaudentii supposititia referri item potest celebris *liber de Singularitate Clericorum*, modo Origeni, modo Cypriano, aut Augustino tributus; qui cum hucusque certum auctorem non agnoscat, inter adespota scripta a Deherra numerandus erat. Hunc Gaudentio Brixiano adscribi posse censuit Joannes Fellus *in Præfatione* ad nuperam Cypriani editionem : *De Singularitate Clericorum*, inquit, *opusculum locum aliquem habeat, ea lege, si aut Origenes, aut* Gaudentius Brixianus, *aut alius aliquis circa sæculum millesimum scriptor, quo tempore lis ista in Occidente maxime ferrebat, pro suo agnoscere sustineant.* At quisnam iste *circa sæculum millesimum scriptor?* Plane ignotum. Idem Fellus deinde in notis ad eum tractatum, auctorem ad Bedæ tempora, id est ad sæculum octavum, revocat, his verbis : *Videtur circa Bedæ popularis nostri tempora, quando de cœlibatu clericorum maxime fervebat, præsertim in Occidente, controversia, conscriptus liber, cui sæculo respondet a revelatione desumptum argumentum.* Desideravi profecto, cum in hæc incidissem, docti viri judicium; nam quæ umquam nota est, quæso, quæ opusculum illud *millesimo sæculo* (decimum dicere voluit) *aut Bedæ temporibus* tribuendum indicet? Ab episcopo conscriptum, ubi forte videret nemo, notavit Erasmus (*b*) ex iis verbis quæ auctor operis apponit : (*c*) *Vos autem, filii charissimi, non tantum persuasione, sed potestate convenio.* Verum quæ in hoc opere de martyrio disputantur (*d*) nullo modo Bedæ temporibus, immo nec Gaudentii, nec Augustini ævo convenire possunt; quando nempe, pace Ecclesiæ data, jam non amplius frequens suberat martyrii occasio. Itaque mea quidem sententia, libellus iste vel ad Origenis, vel ad Cypriani tempora referendus. Vidit procul dubio Felli lapsum Guillelmus Caveus, dum Cypriani Opera recensens, illius sententiam de hujus opusculi auctore enarrat : (*e*) *Doctissimi* (Cavei verba sunt) *editionis Oxoniensis curatores, circa Bedæ ætatem scriptum esse arbitrantur.* Sed, ut homines sumus, puduit reprehendere, quamvis paulo antea, scilicet in Origene, (*f*) libelli hujus auctorem, *non contemnendæ vetustatis, Hieronymi saltem ævo non inferiorem*, pronuntiet. Cæterum libellus ille nihil omnino continet quod controversiæ de cœlibatu clericorum aptari possit, quamvis eorumdem cum feminis contubernium, ac familiaritatem redarguat; cui profecto argumento congruum auctorem quærere sæculo decimo minime oportebat. Sane Cyprianus ipse, (*g*) aliique ea ætate Patres, sæpius in eodem argumento versati sunt, canonesque Conciliorum multis egerunt, ut, ablata hujusmodi corruptione quæ Ecclesiæ mores fœdabat, integra servaretur ecclesiastica disciplina.

21. Hæc de Gaudentii scriptis tam genuinis, quam

(*a*) Tom. IV, edit. Ven. col. 528.
(*b*) Edit. Veneta Cypriani cum scholiis Erasmi, 1547, n. 8.
(*c*) Edit. Amstelod. Cypriani 1700, pag. 151, col. 2.
(*d*) Ibid., p. 150, col. 2.
(*e*) Hist. litter. sec. 3, pag. 80.
(*f*) Ibid., pag. 76.
(*g*) Epist. 4, edit. Amstel. 1700.

suppositiliis. Nihil enim morari nos debet anceps Barthii testimonium, quo Gaudentium una cum Euchero, Maximo, Cæsario, aliisque hujusmodi scriptoribus, unum atque eumdem sub diversis nominibus auctorem esse, ex argumenti, aut styli similitudine, suspicari videtur. Sic ille lib. XLII Advers. c. 18: *Illud de his talibus scriptoribus monere non supersedeo, tam non raro inter se similes esse sermones quos Valeriani, Eucherii, Maximi, Cæsarii*, Gaudentii, *Eligii, et aliorum talium nominibus perscriptos habemus, ut magna suspiciosit, velstylum majorum minores æmulatos esse, vel paucorum scriptorum operibus, diversos a librariispro favore locorum titulos esse impositos.* Quid sibi velit Barthius non intelligo. Aut enim Gaudentio aliorum sermones tribuere vult, aut aliis Gaudentianos. Si primum, non video quam facile cæteris suasurus sit: mihi certe non persuadet. Nam ut aliquando similis forte locus in eodem argumento a duobus scriptoribus usurpatus occurrat, non ideo statim unus atque idem utriusque operis auctor fuisse censendus est. Nihil enim frequentius quam ut scriptor quispiam alterum ejusdem argumenti scriptorem imitari, ejusque sententias totidem quandoque verbis referre soleat. At vero si Gaudentii Sermones alterius scriptoris esse, significare voluit Barthius, omnino doctum virum desipuisse oportuit, cum luce clariora sint judicia in singulis fere Gaudentianis sermonibus, quæ Gaudentium sermonum istorum genuinum verumque auctorem ostendant. Hæc singillatim enumerare superyacuum duco, cum ea studiosus lector non magno negotio possit animadvertere; nec Barthium de Gaudentio nostro loquentem tam graviter aberrasse, alicui mirum sit, cum fuerit vir doctus nimium in judicando præceps, quapropter *Criticus minorum gentium* audit a Cotelerio(*a*). Occurrit etiam quædam Octavii Rubei narratio, *in Vita SS. Faustini et Jovitæ*, pag. 40, qua is, Gaudentio teste, porphyreticam quamdam nobis urnam memorat, in qua aliquando sanctorum eorumdem martyrum corpora jacuisse refert: at Gaudentius nusquam hujusmodi aliquid, quod sciam, scriptis prodidit; suntque hæ gerræ meræ, ac nugæ, quas Rubeus e vulgi quisquiliis collegit, atque ut aliquam iis fidem faceret, Gaudentio supposuit. Itaque iisdem aut recensendis, aut refellendis, diutius immorari piget; quare, Rubeo dimisso, ad alia transeamus.

§ II. *Judicium nuperi scriptoris de Gaudentio expenditur.*

22. Inter quamplurimos hujus ætatis scriptores qui ecclesiasticæ historiæ studiis egregiam navarunt operam, præcipuum sibi locum vindicat Ludovicus Ellies Dupinius, Bibliothecæ Ecclesiasticæ auctor, quam jugi studio, ac diuturno labore confecit. Is dum Gaudentii scripta recenseret, adeo huic nostro durum se, atque infensum præbuit, ut si quis, minime lecto Gaudentio, Dupinium adeat, ejusque dictis fidem adjungat, Gaudentium ipsum nullius momenti scriptorem censeat oportet, cujus proinde lectioni si quis forte tradere se velit, oleum sane et operam perdat. Porro ut lectori penitus compertum sit quam non æquam Dupinius de Gaudentio sententiam tulerit, liceat hic mihi ipsius Dupinii Gallica verba afferre, quibus perspectis, lector ipse hac de re, quod justum fuerit, statuet. De primo Gaudentii sermone hæc habet (*b*): *Il commence le premier de ces sermons par une pensée qui a plus de subtilité que de solidité, pour rendre raison de ce qu'on célèbre la pâque au printemps, après le mauvais temps de l'automne, la rigueur de l'hiver, et avant l'ardeur de l'été. C'est, dit-il, pour montrer que Jésus-Christ, qui est le Soleil de justice, dissipe par ses lumières les ténèbres de l'erreur des Juifs, et amollit la dureté des cœurs des païens, en prévenant par ses rayons l'ardeur du feu du jour du jugement. Il ajoute que le monde ayant été créé au printemps, il était juste qu'il fût réparé dans la même saison.* Utrum reprehendendus sit hoc loco Gaudentius, nec ego satis dispicio, nec quispiam fortasse alius alter viderit. Scilicet non omnibus datum est lynceis Dupinii oculis uti. At enim si aptas temporum rationes quærere, quibus Dominica mysteria gesta sunt, si rerum convenientias subtiliter investigare, alicui absurdum videatur, is antiquitatem omnem sibi posthabeat necesse est, atque Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, levitatis, et inficetiarum accuset. Nec si quid ingenio permisit Gaudentius, *Christum justitiæ Solem* appellans, atque ad hujusmodi imaginem varias temporum vices conferens, ideo parum solide locutus est; nam, ut ipse Dupinius notavit, statim subdit aptiorem rei rationem paulo infra, ubi ait (*c*): *Filius ergo Dei, per quem facta sunt omnia eodem die, eodemque tempore, prostratum mundum propria resurrectione resuscitat, quo eum creaverat ex nihilo, ut omnia reformarentur in Christo, quæ in cœlis sunt, et quæ in terra sunt.* Hæc autem Gaudentii sententia, qua mundum verno tempore conditum affirmat, Græcis, et Latinis, ea tempestate communis erat, ut observavimus in notis ad hunc Gaudentii locum.

23. Pergit deinde Dupinius de secundo Gaudentii sermone loqui in hunc modum: *Après avoir ainsi expliqué très-clairement le mystère de l'Eucharistie, il parle des dispositions dans lesquelles on doit être pour s'en approcher. Il les trouve toutes figurées par les cérémonies avec lesquelles les Juifs mangeaient l'agneau pascal. Mais il tire ces convenances de si loin, que l'on aurait de la peine à les remarquer. Car qui croirait que la ceinture de peau avec laquelle les Israélites se ceignaient, ait été la figure de la mortification des vices? Qui pourrait deviner que quand il est défendu*

(*a*) In not. ad Hermam in PP. Apost., pag. 75, edit. Antuerp. 1698.

(*b*) Dupin. Biblioth. Eccl., siecl. v, part. I: *Gaudence, évêque de Bresse.*

(*c*) Tract. 1, pag. 26.

de rompre les os de l'agneau, cela veut dire que l'on doit observer les préceptes qui sont dans l'Écriture? Qui s'imaginerait que quand il est dit qu'il faut brûler les restes de l'agneau, c'est pour signifier que l'on doit consumer par une foi vive les doutes que l'on peut avoir sur le mystère de l'Eucharistie? Ces allégories, et d'autres semblables qui sont en cet endroit, sont un peu violentes, et je doute fort qu'elles soient du goût de bien des gens. Summa hujus Dupinianæ reprehensionis in eo versatur quod Gaudentius intemperanter allegoria usus sit; videtur enim hoc interpretationis genus vehementer Dupinio displicuisse; nam et de duobus aliis tractatibus paulo post ait: *Ces deux instructions* (octava nempe ac nona) *sont pleines de plusieurs allégories.* Verum causa hæc Gaudentio communis est cum omnibus fere antiquis Patribus, quibus, in exponendis Scripturis, etiam ubi res per se aperta esset et perspecta, nihilominus allegoriam negligere religio fuit. Notum est illud Augustini (a): *Dominus noster Jesus Christus ea quæ faciebat corporaliter, etiam spiritaliter volebat intelligi. Neque enim tantum miracula propter miracula faciebat: sed ut illa quæ faciebat, mira essent videntibus, vera essent intelligentibus.* Gregorius quoque, hom. 2 in Evang.: *Miracula Domini et Salvatoris nostri sic accipienda sunt, ut et in veritate credantur facta, et tamen per significationem nobis aliquid innuant* (b). Neque ego valde pugnem, leviora aliquando fuisse quæ in hujusmodi genere dicebantur, cum ea sit figurata loquendi ratio, ut sæpius dicentem in angustias, ac salebras compellat, et alienissimis sententiis rem propositam explicare cogat: sed fortasse hujusmodi oratio populo valde placebat, qui plerumque non tam gravem ac disertum, quam admirabilem et acutum oratorem quærit. Ideo antiqui Patres, qui debitores se esse sapientibus, et insipientibus, pro charitatis lege scirent, eo dicendi genere utebantur quod plane agnoscerent ad alliciendum, continendumque populum, aptius esse atque utilius. Nec alioqui Gaudentii allegorias inusitatas omnino, aut inauditas Dupinius dixerit; nam, ut alias præteream, sententia illa qua docet, quæ ex agno superfuerant ideo comburenda fuisse, ut intelligeremus (c), *si qua mysteriorum superaverint, quæ capere modo non possumus, hæc igni cremanda esse, id est divino tradenda Spiritui, ut ea quorum rationem modo non capimus, ardentis fidei spiritu consumantur*; hæc eadem Gregorii Magni fuit, hom. 22 in Evangelia: *Quod ex agno remanet, igne comburimus, quando hoc quod de mysterio ejus penetrare non possumus, potestati sancti Spiritus humiliter reservamus.* Hæc eadem habetur apud Arnoldum Abbatem Bonævallis Tract. de ultimis verbis Domini: *Ossa* (agni) *igne comburimus, quia sacramenta quidem* (*quæ quasi divinæ virtutis caro sunt, et veritatis integumenta*) *visibiliter secundum suam speciem percipimus, et sumimus: ipsam vero substantiam nec frangimus, nec minuimus, sed flammis injicimus, id est spiritualibus intelligentiis commendamus, quod spiritus et vita sint in divinis mysteriis.* Imo invenitur etiam apud Gozechinum Scholasticum in epistola ad Valcherum (d): *Isti* (nempe Berengarii Turonensis asseclæ) *eumdem agnum paschalem, qui eudem sacramenta in seipsum ineffabiliter transformans nobis condidit, et consecravit, crudum vel coctum aqua, non assum igni comedunt; et quod ejus residuum est, et semper erit* (*quia nullus unquam mortalis, quantumlibet sciens, ad incarnati Verbi arcanum plena intelligentia in hac vita penetrare potuit, aut poterit*), *igni non comburunt.* Quod igitur a nemine cogitari posse affirmavit Dupinius (e), idem illud dixerunt tres isti auctores, quos doctos, graves, et honestos viros fuisse, ac præsertim mentis bene sanæ, Dupinius ipse, ut arbitror, non negaverit (f).

24. At hæc fortasse omnia ignosci Dupinio a nobis poterant, modo ubi tractatum illum de Gaudentianis scriptis concludit, graviores multo ac sæviores in Gaudentium iras minime exeruisset. Audiamus porro criticum nostrum de tota Gaudentiana oratione sententiam ferentem: *Il n'est pas nécessaire* (inquit Dupinius) *de dépeindre le caractère de saint Gaudence, on le connaît assez après ce que nous en avons dit. Son style est simple et négligé, il est plein d'allégories forcées, de pensées extraordinaires, d'allusions éloignées. Ses sermons sont secs, stériles, ils instruisent très-peu, et ne touchent point du tout. Enfin ils n'ont ni la force, ni l'éloquence, ni la beauté, ni l'exactitude des prédications des auteurs Grecs dont nous venons de parler.* Ita Dupinius de Gaudentio, et quidem, ni fallor, parum benigne. Ut vero aperte cognoscat lector quam injuste ac perperam eum reprehendat, quantaque fuerit Gaudentio ubertas, doctrina, ac dicendi vis, mihi constitutum est, nonnulla hic Gaudentianorum sermonum specimina afferre, ex quibus facile intelligat quisque, quodnam fuerit genus istud orationis tam acriter a Dupinio reprehensum. Gaudentius, Tract. 1, Christianos Judæis ac Gentilibus comparans, hæc habet: *Et modo quidem ad comparationem Judæorum atque Gentilium, qui in profunda nocte incredulitatis demersi noscuntur, et ad eorum comparationem qui in hæreseon caligine ac nocte luxuriæ demorantur, nos videmur esse, et plane sumus in luce: sed ipsi dies nostri quibusdam nebulis prætexuntur, et non habent serenitatis lætitiam, dicente Propheta: Dies mei sicut umbra declinaverunt.* Tract. 4, neophytos alloquens, ait: *Vos igitur, neophyti, qui estis ad beatæ hujus ac spiritualis paschæ epulas invitati, videte quomodo ab omni pollutione escarum quas superstitio gentilis infecerit,*

(a) Serm. 44, de verb. Dom., post init.
(b) Confer. August., xv de Civ., c. 27.
(c) Gaud. tract 2, pag. 40.
(d) Apud Mabillon., tom. iv Analect., pag. 384.
(e) *Qui s'imaginerait..?*

(f) Habetur hæc eadem sententia apud Eligium Noviomensem, hom. 15, quamvis ibi non loquatur de residuis agni paschalis, sed de ipso corpore Christi.

vestras animas conservetis. Deinde, nonnullis interjectis : *Servate, neophyti, ornamentum gratiæ salutaris : sobrii estote per omnia, ne illud inebriati perdatis : solliciti convenite ad ecclesiam : orationibus, hymnis, psalmis et canticis spiritualibus nobiscum vigilanter incumbite. Hæc sint otii vestri opera; quibus debitum reddentes Christo Domino famulatum, mercedem vitæ æternæ consequi ab ipso possitis. Sint igitur convivia vestra sobria, casta cubilia : sit modestus animus, sermo placidus, mitis incessus.* Hoccine illud est aridum, et inane dicendi genus, doctrinæ prorsus atque ornamenti totius expers (*a*)? Tract. 7, ut legem de non comedendo fermentato a sævitiæ nota, ob mortis pœnam inobedientibus propositam, excuset : *Si fermentatum fieri jussisset,* inquit, *diligentia illic necessaria fuerat, ne deesset : quod jussit, desidiæ est, non* B *laboris. Negligentiam jubet, ut obedientiam probet; et non vis ut damnet illam animam quæ diligentiam commodaverit ut contemnat?* Tract. 11, explicans illud Joann. VII, *Nolite secundum faciem judicare,* sic disserit : *Generalis ista sententia est, retinendæ æquitatis magistra, omnibus posita, multis nota, paucis dilecta. Præcipitur enim ne hujus sæculi divitum personis adulantes, iniquissimo judicio faveamus incredulis; et impios, crudeles, rapaces, luxuriosos, inhonestos, non solum timido silentio nutriamus, verum etiam omni reprehensione dignos, injustis laudibus prædicemus : vel, quod est omni fœditate deformius, turpia lucra captantes, alienæ pecuniæ notabiliter serviamus, christianæ libertatis obliti.* Num sane Gaudentii oratio omnibus ornamentis ac luminibus caret? an vero e C contra splendore, succo, ubertate redundat? Atque hæc omnia etiam Dupinio obvia erant, ex quibus cum Gaudentii doctrinam, tum eloquentiam, et ingenium perspicere poterat, nisi pravum animum, et infensum, ad eum legendum attulisset. Tillemontius quidem, qui tali morbo minime laborabat, aliter de Gaudentio censuit, cujus verba, ut Gallum Gallo opponam, hic libenter describo (*b*) : *Quoique son style* (Gaudentii nempe) *paraisse assez simple, néanmoins il a de l'élégance, et l'on y voit un génie fort doux, et en même temps fort agréable. Mais pour le fond des choses, la doctrine et les instructions en sont excellentes.*

25. At pergamus adhuc parumper Gaudentium D audire. Nemo enim ipso strenue magis ejus causam tuetur. Tract. 5, ad fin., de correptione subditorum loquitur in hunc modum : *Quod si lupus desinat esse lupus, et cum agno pascatur, ut ait Propheta ; et si leo, desinens esse leo, cum bove manducet paleas; baculo opus non est. Si enim feralium morum nequitia in tantam vertatur mansuetudinem, ut cum oviculis innocentibus, ac mundis Christi operariis, vitæ pabulum mites quærant, et capiant ; dicitur a Christo apostolicis quibusque sacerdotibus, ut neque baculos correptionum portent in via, quando in discipulis obedientibus ac modestis terram sanctam possidere jam cœperint.* Et tract. 3, animadvertenda maxime est pars illa quæ incipit : *Nec illud otiosum putes;* ubi tam luculenter disputat de libertate arbitrii, ut elegantius nihil aut doctius fieri possit. In Præfatione autem totus ille locus (*c*) : *Pietatis vero cultores quod interdum vel corporis doloribus, vel variis tribulationibus afflictantur, triplex esse ratio invenitur : prima correctionis, secunda purgationis, tertia probationis :* adeo eloquenter ac docte explanatus est, ut plane in eo regnare Gaudentius, atque omni laude superior esse videatur. Sic paulo infra (*d*): *Probationis igitur gratia mirificus Job,* Jobi historiam pluribus rerum, ac verborum ornamentis describit ; quare nullus omnino esse potest tam crassa Minerva, tamque hebeti sensu, si unum excipias Dupinium, qui Gaudentianæ orationis eloquentiam, et vim non sentiat. Sed frustra sim profecto, si omnia recensere velim; nec sane Gaudentius longiore indiget defensione, apud eos maxime quibus Gaudentiani sermones in manibus sunt. Itaque ad hos lectorem remitto, ut, iis pervolutis, de Dupiniana reprehensione, quod æquum videbitur, judicet.

§ III. *De consilio et ordine editionis Patavinæ anni* 1720.

26. Plures fuere post typographiam inventam usque in hanc diem Gaudentii editiones, quarum tamen nulla accurata, aut integra, hactenus dici potuit. Gaudentianorum sermonum specimen primus edidit Elias Capreolus, lib. III Hist. Brix., excerpta nempe *sermonis de Philastrio*, circa annum 1500, aut paulo amplius. Deinde circa annum 1554, Aloysius Lipomanus, Veronensis episcopus, protulit *sermonem* integrum *de Philastrio*, *sermonem de Dedicatione basilicæ*, itemque excerpta ex *Præfatione ad Benivolum*, in Vitis SS., tom. IV editionis Venetæ, ubi, pag. 1 et pag. 15, Opera Gaudentii nondum excusa dicuntur. Prodiit postea anno 1555, Basileæ, apud Henricum Petrum duobus tomis opus inscriptum *Orthodoxographa*, sed in eo quidem Gaudentii exstat nihil; in altera vero ejusdem operis impressione, denuo in eadem urbe pluribus tomis aucta anno 1569, tom. VI, fol. 1799, habentur Gaudentiani sermones, eodem ordine, ac numero, quo sæpius repetiti postea sunt in Bibliothecis PP.; quare hanc primam fuisse Gaudentianorum sermonum editionem satis probabiliter puto.

27. Prodierunt postmodum variæ Bibliothecæ PP. editiones, post primam Parisiensem anno 1576 a Margarino Bignæo procuratam. In iis omnibus excusus semper est Gaudentius; sed ut fatum est magnarum hujusmodi collectionum, scatebat passim mendis non minimis, quæ medicam manum exspectabant : ac præterea duobus sermonibus carebat, qui, extorres facti, longius a parente suo vagabantur ;

(*a*) *Son style est simple et négligé. Ses sermons sont secs, stériles ; ils instruisent très peu.*

(*b*) Mémoire pour l'Hist. Eccl. tom. X, pag. 586.

(*c*) Præf. ad Beniv.

(*d*) Ibidem.

sermo nempe *de Petro et Paulo*, *et sermo de Vita et Obitu beati Philastrii*. Itaque omnino operæ pretium erat novam Gaudentii editionem aggredi; cum prætera, quod sciam, numquam seorsim editus fuisset atque ad ingentes illas Bibliothecæ PP. collectiones tractandas pauci admodum accederênt, magna operis mole deterriti. Dum eo in loco res esset, ac male a typographis acceptus jaceret pene in tenebris Gaudentius noster, accidit peropportune, atque, ut ita dicam, cum bonis ominibus, ut anno 1714 præstantissimus atque immortalitate dignissimus præsul Joannes Franciscus Barbadicus, a Veronensi episcopatu ad Brixianum esset translatus, qui statim ab inito Brixianæ Ecclesiæ regimine, consilium edendi Gaudentii sponte sua cepit. Hujus summi viri erga editionem hanc, a nobis ipsius jussu lubenti animo susceptam, beneficia connumerare si velim, nullum profecto dicendi finem faciam; nam et opera, et opibus juvare numquam destitit, præsertim ut variantes mss. Codd. lectiones nobis suppeterent; summoque animi studio, ubicumque opus esset, paratus semper fuit auctoritatem suam, atque officia, benigne impendere. Quin et industriam nostram non semel humaniter excitare, ut propositum urgeremus, et operis ipsius specimina rudia adhuc, et impolita, suismet oculis percurrere: demum editionem ipsam tueri constanter, ac fovere nullo modo umquam intermisit, quoadusque in lucem prodiret; collatis etiam liberaliter pecuniis ad typorum impensas.

28. Ut autem lector sciat quibus subsidiis ad hanc editionem parandam usi simus, præsto nobis fuerunt ex Vaticana Bibliotheca collationes trium mss. Codd.: nempe Vaticanorum duorum 1243 et 4580, quorum uterque papyraceus; itemque elegantissimi Urbinatis membranacei 75, cujus initiales litteræ pictura et auro convestitæ sunt. Quamvis Codd. isti non magnæ sint antiquitatis, eximiam tamen nobis opem plurimis in locis ad Gaudentii emendationem contulerunt, ut passim legentibus manifestum erit. Eorum ut variantes lectiones minore negotio, ac promptius excerperentur, potestatem fecit, venia etiam data ut e Vaticana Bibliotheca Codices ipsi ad Palatium Quirinale transferri possent, pro sua effusa in omnes clementia ac benignitate SS. D. N. Clemens XI, pontifex Maximus, quo sedente, ac sospite, numquam bonæ litteræ sine pretio erunt. Excerpendi autem sibi curam humaniter susceperunt clarissimi, atque doctissimi viri Franciscus Blanchinus, et Carolus Majellus Bibliothecæ Vaticanæ præfectus, uterque ejusdem SS. D. N. Clementis papæ XI, ab honore sacri cubiculi; quorum proinde officiis immortales gratias me semper habiturum, hoc loco libenter profiteor. Accessit tribus hisce Codd. mss. alter Florentinus chartaceus Bibliothecæ S. Marci, cujus meminerat summus vir Joannes Mabillonius in Itinere Italico, pag. 178; hujusque variantes lectiones accurate describendas, atque ad nos mittendas curavit adm. rev. Pater Albertus Salvi, ejusdem Monasterii S. Marci Florentiæ prior. Cum istis quatuor Codd. collati sunt priores decemnovem Gaudentii tractatus, itemque Præfatio ad Benivolum; ad quorum pariter tractatuum emendationem contulimus tres editiones Bibliothecæ PP., nempe Parisiensem anni 1589, Coloniensem 1618, et Lugdunensem 1677. *Sermo de Petro et Paulo*, qui in prædictis quatuor Codd. mss. minime habetur, collatus est cum alio Urbinate membranaceo 150, ac Vaticano pariter membranaceo 1235. Uterque ex his duobus Codd. continet sermones etiam Zenonis episcopi Veronensis; eorumque ætas videtur pertingere ad quingentos annos. Præter duos istos Codices, usi sumus ad collationem *Sermonis de Petro et Paulo* antiqua item Veneta editione sermonum sancti Zenonis episcopi Veronensis anni 1508, in qua sermo hic primum prodiit, minime dissimulato Gaudentii nomine, ut in notis ad eumdem sermonem monuimus. Pro *sermone* autem *de Vita et Obitu beati Philastrii*, variantes nobis lectiones suppeditarunt duo Brixiani Codd. membranacei, quorum antiquior præfert notam sæculi XI; ac binam insuper editionem adhibuimus, nempe Venetam Lipomani 1554, et Coloniensem Surii 1579, a quibus in Vitis SS. vulgatus fuerat. Cum præterea scirem exstare in Ambrosiana Mediolanensi Bibliotheca primam (ut ego quidem puto) Gaudentii editionem, quæ prodiit anno 1569, in Orthodoxographis PP., ejus quoque variantes lectiones priorum decemnovem Gaudentianorum tractatuum, qui in ea cusi sunt una cum Præfatione ad Benivolum, descriptas habui a cl. Josepho Antonio Saxio ejusdem Bibliothecæ præfecto, eruditionis eximiæ, ac summæ humanitatis viro; sed cum hæc editio consentire fere omnino videatur cum mendis aliarum editionum, ideo nullus nobis ejus usus fuit.

29. Ordo Gaudentianorum sermonum, sive tractatuum, idem apud nos servatus est, qui in aliis quoque editionibus occurrit. Nam *sermo de Ordinatione sui*, qui prior cæteris a Gaudentio est habitus, primus quoque ordine esse debuerat; sed *Præfatio* paschalibus præposita hos priores fecit, in qua quia mentio est de *quatuor sequentibus*, et *quinto de Machabæis martyribus*: ideo in hac editione eum ordinem tenuimus quem Gaudentius ipse in Præfatione nobis statuit, atque in aliis editionibus receptus est. Gaudentianos sermones subsequitur *rhythmus de Philastrio*, de quo consule ea quæ diximus in admonitione eidem rhythmo præposita in calce sermonum Gaudentii.

30. Visum est deinde Rampertum, atque Adelmannum, Gaudentio adjungere ejusdem Ecclesiæ episcopos, doctrina non minus quam pietate conspicuos. Atque Adelmanni profecto integram epistolam dandi non modica me incendebat cupido, ne dicam spes; quam tamen omnino frustra animo conceptam vix demum ægre sensi, cum omnes conatus nostros cedere incassum vidi. Rampertus vero non uno in loco a magnis plagis convaluit quas acceperat, atque in

sectiones accurate distinctus est, auxilio duorum Brixianorum codd. qui paulo ante laudati sunt, quique maximo nobis usui fuerunt ad hanc nostram editionem parandam. In iis enim præter Rampertum, cujus frustra alibi exemplar ms. requiras, exstat sermo Gaudentii de Philastrio, itemque rhythmus in honorem ejusdem Philastrii ex Gaudentiani sermonis sententiis compactus. Sane Brixiana Ecclesia florentem aliquando habuit mss. codd. Bibliothecam, ejusque etiam nunc reliquiæ nonnullæ supersunt, inter quas ms. codex *Augustini de Civ. Dei* membranaceus in fol. majoris formæ, uti et ejusdem molis, ac notæ, *Collectio sermonum et sententiarum in omnes D. Pauli Epistolas* ex Operibus Augustini, quæ Bedæ olim adscripta, nunc Floro Lugdunensi tribuitur. De Brixiana porro Bibliotheca præclarum est S. Caroli Borromæi testimonium *in actis Visitationis Apostolicæ* civitatis Brixiæ, ab ipso habitæ anno 1581, quæ mss. exstant in episcopali tabulario Brixiæ, his verbis: *Ecclesia Brixiensis, Dei beneficio multis exculta ornamentis, hoc etiam ad pietatis insigne habere debet, ut antiquorum Patrum monumenta, præsertim recte exarata, quæ olim impense conquisita diu asservavit de gremio suo, si quando usuvenerit, proferat ad Codices aliquos ecclesiasticos, temporum injuria, aut hæreticorum corruptelis depravatos, quam rectissime emendandos.*

31. Itaque hæc nobis fuerunt subsidia ad hanc Gaudentii editionem instruendam; in qua quid a nobis præstitum sit, scire si cupiat lector, malim hoc ex opere ipso intelligat, quam a verbis meis cognoscat. Porro in eo potissimum versatus est noster labor, ut Gaudentii textum quam emendatissimum daremus, idque præsertim auxilio et ope mss. codd., ac lectore, ubi quid innovatum est, singulis locis admonito; ne, quod admodum docti improbant, censoriam virgulam sumere, ac pro arbitrio cuncta immutare velle videremur. In variantibus lectionibus apponendis et recensendis, fere me diligentiorem præstiti; (quis autem omnia recensere, vel annotare possit?) sed malui tamen sedulitatem nostram delicatis hominibus nimiam, aut morosam videri, quam fidem apud studiosos et doctos lectores periclitari. Nec sum nescius, quam difficilem provinciam ceperim, veterem scriptorem emendare, atque edere aggressus eo præcipue in loco, ubi, præter alia impedimenta, maxima laboramus meliorum librorum inopia; at constitutum fuit, aliquid potius tentare, rude licet, et imperfectum, quam Gaudentium nostrum diutius in tenebris neglectum relinquere. Atque utinam aliquando in hisce regionibus aliquis horum studiorum gustus exoriatur, nec semper, ut contingit, heterodoxi homines edendorum veterum laudem, quæ jam dudum Italis ingeniis propria fuit, nobis præripiant, quod satis callide hucusque fecerunt in Cypriano, Sulpicio, Eginharto, ac pluribus aliis; ut, eorum auctoritate in pravum detorta, causam nostram validioribus munimentis, veterum scilicet subsidio destitutam, facilius labefactarent. Sane quantum his historiæ ecclesiasticæ studiis, quod veterum scriptis potissimum innititur, vigere apud nos displiceat, vel una illa vox prodit quam invitis etiam ab hostibus expressam libentissime accipimus: *Plus Annales Baronii quam Controversiæ Bellarmini nocuerunt* (a). Nec fortasse aliquis futilem atque inanem operam putet quæ ponitur in emendandis veterum libris; nam audiendus omnino est hac de re summus vir Joannes Mabillonius in Præfatione ad editionem S. Bernardi: *Ex variis lectionibus eas seligere, et in textum restituere, quæ accommodatiores* (videantur) *res est quæ usum veterum librorum pene assiduum, gustum usu acquisitum, maturiusque judicium exigit quam litteratorum vulgus opinatur, qui aranearum telas captare nos existimant, dum has quas putant minutias consectamur. Verum sentiant id genus homines de nobis quidquid volent, modo operam nostram approbet non hominum plausus, sed publica Ecclesiæ reique litterariæ utilitas.*

32. Antequam finio, æquum est ut quorum officiis, aut opera potissimum usus sum ad hanc Gaudentii editionem apparandam, erga eos aliquod grati animi testimonium exstet. Ac primo quidem, præter illos de quibus suo loco jam diximus, recensendus hic mihi occurrit cl. vir Alexander Burgos, eximius non magis litterarum, quam veræ pietatis cultor, qui instructissimam librorum Bibliothecam undique collectam publicæ utilitati destinat, eamque, dum Patavii agerem, usibus meis patere semper voluit. Multum quoque debere me profiteor nobili, et egregiæ indolis viro Francisco Josepho a Curte, Brixianæ ecclesiæ canonico, ac Julio fratri meo, studiorum meorum socio, qui in exemplarium et variantium lectionum collatione, operam suam humaniter mihi impendere minime gravati sunt. Scripturarum syllabum contexuit, et in ordinem redegit adm. rev. Antonius Piccoli archipresbyter ecclesiæ S. Mariæ Terentiani Brixianæ diœcesis. Si quid præterea nitidum, si quid emendatum in hac editione offendet lector, totum id acceptum ferat Joanni Antonio, et Cajetano Vulpiis fratribus, quorum industria ac labore id assequimur, ut elegantia aut diligentia peregrinarum editionum non valde nobis in posterum desideranda sit.

§ IV. *De consilio et additionibus hujus novæ editionis.*

33. Atque hæc quidem sunt quæ præfatus fueram in editione Gaudentii Patavina anni 1720; modo quid a nobis præstitum sit occasione novæ hujus Brixianæ editionis, paucis accipiet lector. Plura siquidem Gaudentium relegenti mihi jamdudum occurrebant, quæ secundas curas postulare viderentur, iisque non invitus manum admovere paratus eram, ut si quando novæ editionis daretur occasio, ea non veteri solum apparatu, sed recentioribus

(a) Georgius Hornius, in Præf. ad Sulp. Sever. edit. Amstel. 1665.

quoque additamentis instructa in lucem prodiret. Accessit opportune auctoritas eminentissimi viri Angeli Mariæ Quirini S. R. E. cardinalis bibliothecarii, ac Brixiæ episcopi; quem statim ac novæ hujus editionis consilium agitare sensi, intelligebam profecto quænam essent officii mei partes, quidve mihi præstandum foret summi præsulis voluntati, cujus non jussis modo, sed etiam nutibus obtemperare magno mihi honori ducebam. Itaque dum in eo essem, ut Gaudentiano textui novas huc illuc notationes inspergerem, nonnullas etiam ex prioribus in melius, ut mihi quidem videbatur, reformarem; ecce mihi ex insperato objicitur ms. Gaudentii sermonum codex, non magnæ ille quidem antiquitatis, ut scripturæ specimen et parva litterarum forma ostendebat; sed cui pretium conciliaret, quod fuisset olim in libraria supellectile doctissimi viri Octavii Pantagathi, ut emendationes in margine libri ejus manu passim appositæ, noto mihi litterarum ductu indicabant. Quis porro fuerit Octavius Pantagathus Brixianus, magni ævo suo inter litteratos nominis, neminem qui vel mediocri polleat eruditione latere puto. Quamvis enim nullum prorsus ingenii sui monumentum quoad vixit in vulgus dare, nullum lucubrationum suarum fructum posteritati constare voluerit, eximia nihilominus doctrinæ fama viguit, eoque nomine celebratur scriptis fere omnium qui ejus ætate vixerunt, cujus rei testimonia apud illius temporis scriptores frequentia occurrunt. Nam præter alios bene multos Lilius Gregorius Giraldus, dialogo 2 de Poet. nostr. temp., sic de Pantagatho : *Brixia multos habet eruditos, sed non et poetas, ut ejus filia Verona. Inter eruditos quidem magnus ubique Pater Octavius, nisi quod stylo abstinet nec suas opes publica taberna venditat.* Paria facit Jacobus Augustus Thuanus, lib. I Commentar. de Vita sua his verbis : *Jam Octavianus Pantagathus ad meliorem vitam migraverat, cujus magnum in litteris nomen, et dignus tanto magistro discipulus Onuphrius Panvinius.* Nemo autem prolixior et uberior in laudibus Pantagathi, quotiescumque de eo incidit sermo, quam idem ipse Panvinius, cujus ut loca plura transmittam in quibus summo eum loco habere testatus est, unicum adscribo 2 Comment. ad librum Fastorum p. 390, ubi de origine indictionum verba faciens hæc habet : *Quod quo tempore, qua ratione, et a quibus factum fuerit, atque unde ego illud acceperim demonstraturus, cogor ante pauca proponere de laudibus ejus, cujus potissimum industria rem obscurissimam, ac tenebris antiquitatis oppressam, atque a nemine hactenus cognitam illustravi, et in lucem produxi. Etenim ingenui ac grati animi esse existimo, unde aliquid acceperis, per quem profeceris indicare, neminemque justo laudis præconio spoliare, et præsertim eum hominem, a quo omnium quæ in toto hoc opere elaborate, accurate, perfecteque concinnavi, initia hauserim. Hic est autem P. Octavius Pantagathus, qui nisi hoc nomen haberet, prænomem merito habere potuisset; cujus de laudi-*

A *bus etsi pauca, aut obiter dicere nefas esse existimo, vix enim integris voluminibus explicari possent, tamen ob singularem meam erga illum observantiam, hoc loco mihi temperare non potui, in quo ea explicanda sunt quæ de illius præcipue ingenii acumine, judicii acrimonia, reconditiorisque eruditionis varietate, atque præstantia, tanquam purissimo fonte manarunt, quin breviter de tanto viro et vere quæ sentiam dicam; ut et qui eum noverunt, quod eum noverint in magna felicitatis parte ponant; qui autem ignorant, ii hominis cum optimi, tum doctissimi, notitiam a me accipiant. Sic enim sentio, neminem nostra ætate, vel ingenio, vel diligentia, vel doctrina præstantiorem haberi.* Atque hæc haetenus de Pantagatho.

B 34. Ut autem ad codicem tanti possessoris nomine commendatum veniam, mox ut cœpi eumdem cum editis contendere, cognovi statim quanta esset ejus utilitas, et præstantia. Dubitaveram nempe prima facie descriptum fortasse ab aliquo ms. exemplari, illorum scilicet quibus fueram in priori editione usus; ideoque nullum ex eo fructum perceptum iri, quin potius in hujusmodi scripto excutiendo horas collocare, idem omnino esse ac oleum et operam perdere. Verum nihil minus; patuit enim parvo negotio illum neque a Florentino neque ab Urbinate, aut Vatt. duobus desumptum esse a quibus sæpissime discrepat, quod a me notatum tract. 5, ad illud : *Quasi in occulto ascendet*; et tr. 10, ad fin., in illis verbis : *Pastorem simul et pascua*; C immo potius iisdem meliorem et emendatiorem deprehendi ex iis quæ ejusdem codicis ope aut restituta, aut asserta, aut in melius conformata annotavi tr. 4, ad finem, in illa verba : *Spiritum sitiré balbutiunt*; tr. 9, circa medium, ad verba : *Ergo cum consideremus*; tr. eod., in fin., not. ultima, ut etiam tr. 13, non uno in loco. Jam porro non pauca etiam loca librariorum culpa desperata, et afflicta, quibus in priori editione mss. codd. nihil subsidii attulerant, libri hujus auxilio convaluerunt, cujus rei pulchrum specimen apparet tr. 3, post med., de duplici Ninives eversione; ut etiam tr. 6, ante med., in illis verbis : *Quoniam filii Ægyptiorum intusa.* Illud quoque non pauci momenti est tr. 4, ubi reposuit, *assumeret secum vicinum proximum* D *suum*, pro eo quod corrupte habebat in cæteris libris, *assumet secum vicinus proximum suum*; et tr. 8, post med., ubi *cum libertate divini amoris* male legebatur pro *cum liberalitate divini amoris*, quam lectionem suppeditavit cod. Pantagathi; ut alia non pauca prætercam, quæ diligens lector suapte cura, et studio facile comperiet. Itaque opera Julii fratris adhibita, qui librum ipsum auro contra æstimandum invenerat, et comparaverat, a capite ad calcem codicem hunc Gaudentianis sermonibus contuli, variantesque lectiones, et emendationes in sua loca diligenter conjeci; ex quibus si nonnihil splendoris ac lucis Gaudentio additum prudens lector judicabit, omnino operæ pretium fecisse me, et

non modicum laboris mei fructum percepisse statuam : sin minus, novo hoc erga Gaudentium nostrum sedulitatis et observantiæ meæ testimonio contentus ero.

TESTIMONIA DE GAUDENTIO.

S. Joannes Chrysost. epist. 184, edit. Frontonis Ducæi, Parisiis 1636.

GAUDENTIO EPISCOPO BRIXIANO. Nihil nos latet rerum tuarum, sed tamquam præsentes probe novimus studium tuum, vigilantiam, curas, labores quos pro veritate suscepisti ; tibique ingentes gratias agimus, neque mediocrem in tanta degentes solitudine consolationem haurimus ex tuæ charitatis ardore, ac sinceritate ; cujus dum hic periculum fecimus, istic quoque integram illam vigere cognovimus, nec ullo modo aut temporis diuturnitate, aut itineris longitudine, debilitatam fuisse.

Palladius dial. de Vita S. Joan. Chrys., cap. 4, edit. Emerici Bigotii, Parisiis 1680.

Cum igitur sanctus Æmilius Beneventi episcopus, et Cythegius, et GAUDENTIUS, una cum Valentiniano et Bonifacio presbyteris, accepissent litteras imperatoris Honorii, Innocentii, et Italorum episcoporum Chromatii Aquileiensis, et Venerii Mediolanensis, atque aliorum, nec non Commonitorium Synodi totius Occidentis, publica evectione Constantinopolim profecti sunt.

Rufinus in Præf. ad versionem librorum Recognitionum Clementis.

Tibi quidem, GAUDENTI, nostrorum decus insigne doctorum, tantus ingenii vigor, immo tanta spiritus gratia est, ut si quid a te etiam quotidiani eloquii more dicitur, si quid in ecclesia declamatur, id in libris haberi, et ad instructionem tradi posteris debeat.

Martyrolog. Rom. 25 Octob.

Brixiæ natalis sancti GAUDENTII episcopi, eruditione, et sanctitate conspicui.

Rampertus in Serm. de Translat. Philastrii, cap. 5.

Veluti in edito Sermone a præsule GAUDENTIO, vitæ scilicet beatissimi Philastrii pontificis, legitur.

Ibidem cap. 9.

Cujus vitæ, sanctitatisque eum sapuit episcopus GAUDENTIUS, successor suus, qui per quatordecim annos, forsan et plus, diem transitus ejus feriatum ducebat, populo siquidem de eo sermonem faciens ?

Nicephorus Callistus lib. XIII Histor. Eccles., cap. 33, edit. Paris. 1630, ex recens. Frontonis Ducæi.

Insuper synodi decreto, quæ Joannis causa in Italia coacta fuit, in manus recepto, Dei amans Æmilius Beneventi episcopus, Cathegius (*sic*) et GAUDENTIUS, cum Valentio, et Bonifacio presbyteris, Roma Byzantium profecti sunt.

Petrus Crinitus lib. VIII Commentar. de hon. discipl., cap. 1.

Ex nostris Tertullianus, Hilarius, Cyprianus, Augustinus, Hieronymus, Rufinus, Ambrosius, GAUDENTIUS ; nam horum quidem Commentarii perinde mihi atque thesauri videri solent, in quibus tam varia, tam multiplex doctrinæ rerumque omnium cognitio est, ut universam prope antiquitatem, legesque omnes, et philosophiæ placita contineant.

Elias Capreolus lib. II Hist. Brix.

GAUDENTIUS continuo post Philastrium præsul noster, qua doctrina, quibus consiliis, et gravitate polluerit, ex ejus de Philastrio oratione vel maxime intelligi potest.

Aloysius Lipomanus in Præf. tom. IV.

Si vis scire quis fuerit GAUDENTIUS episcopus Brixiensis, et quantæ in Ecclesia auctoritatis, et reverentiæ, ex ejus scriptis facile recognosces. Temporibus enim D. Ambrosii floruit, et ipsomet teste, successor fuit Philastrii episcopi magnæ sanctitatis viri, qui D. Augustini tempora præcessit, et librum de Hæresibus scripsit. Synchronus etiam fuit GAUDENTIUS Benivoli sanctissimi viri, tam in Ecclesiastica, quam in Tripartita Historia celebratissimi, ad quem etiam quædam sua scripta dirigit.

Possevinus in Appar. Sacr.

GAUDENTII Brixiensis episcopi, qui Philastrio successit, opera D. Ambrosii, cujus ætate vixit, quique in Cappadociam iter suscepit, ut reliquias martyrum inde adveheret, et suum [*Forte* suam Ecclesiam] eisdem reliquiis nobilitaret, exstat oratio habita in dedicatione basilicæ, ubi de iisdem martyribus plura. Exstant item tractatus, seu sermones, quibus utilem, et lectu dignam præfationem ascripsit.

Baronius ad A. C. 386, n. 7.

GAUDENTIUS, haud pridem defuncto Philastrio, quem vidimus interfuisse cum Ambrosio Aquileiensi concilio, in locum ejus subrogatus est, licet immatura ætate, sed præstans doctrina, atque virtutibus : verum quali, quantave adhibita vi, ipse declarat in Sermonis exordio quem de sua Ordinatione tunc habuit.

Idem ad A. C. 451, n. 16.

Fuerunt sane iidem florentissimarum Ecclesiarum antistites : quarum Brixiana nobilitata sanguine martyrum, sanctis quoque episcopis, Philastrio, GAUDENTIO, et aliis pluribus illustratur.

Bellarminus de Script. Eccles.

GAUDENTIUS, successor Philastrii in episcopatu Brixiæ, scripsit utilissimos tractatus de variis argumentis, qui exstant.

Labbeus de Script. Eccl. tom. I, pag. 337.

GAUDENTIUS, Philastrii in Brixiano episcopatu ab anno 387 successor usque ad initia sæculi quinti, et annum vel 410, ut quidam, vel 427, quantum quidem ex ejus successoris Pauli initiis datur intelligi, quem Ferdinandus Ughellus tom. IV Italiæ sacræ docet episcopalem dignitatem adeptum anno 427:

GAUDENTIUS vero obiit die 25 Octobris, conditus Brixiæ in Basilica sancti Joannis Evangelistæ.

Caspard. Barthius lib. XVIII *Advers. cap.* 1.

GAUDENTII Tractatus in Exodum perspicue boni sunt.

Ferdinandus Ughellus tom. IV *Ital. Sac., Edit. Ven., col.* 528.

Satagente deinde Ambrosio Mediolanensium sanctissimo præsule (*Brixiani*) ad hanc sedem (*Brixianam scilicet*) provexere sanctum GAUDENTIUM, adhuc florentis ætatis, anno 385 in Oriente ad sacra loca peregrinantem; doctrina, ac sanctitate virum insignem.

Philippus Ferrarius in Catal. SS. Ital. 25 *Octobr.*

GAUDENTIUS, S. Philastrii discipulus et successor, juvenis ad episcopatum Brixiensem, et invitus assumptus est; a S. Ambrosio episcopo Mediolanensi, cui familiarissimus erat, consecratus. Is in Palæstinam peregrinatus, multis et præclaris reliquiis suam ditavit Ecclesiam, quarum partem ex Palæstina, partem vero ex Cæsarea Cappadociæ a S. Basilii neptibus monialibus, alias Roma, alias Mediolano accepit. Plura scripsit, doctrina enim excelluit, ex quibus aliqua in Bibliotheca Patrum leguntur, insignem illius eruditionem testantia.

Aubertus Miræus in Auctar. de Script. Eccl.

GAUDENTIUS, Brixiensis in Italia episcopus, Philastrio illa in cathedra suffectus est, procurante Ambrosio episcopo Mediolanensi, ut ipse GAUDENTIUS testatur in sermone quem de ordinatione sua habuit. De peregrinatione in Orientem a se suscepta idem ipse agit in sermone de dedicatione ecclesiæ. Scripsit tractatus varios quos Bellarminus in Catalogo recenset; exstantque in Bibliotheca veterum Patrum.

Joannes Cardinalis Bona in Præf. lib. de divina Psalmod.

GAUDENTIUS, episcopus Brixiensis, pietate, et sapientia illustris.

Acta SS. 10 *Martii, pag.* 14, § 1, *n.* 7.

Inter antiquiores Patres Latinos floruit S. GAUDENTIUS, satagente S. Ambrosio episcopus Brixiensis circa annum 385 creatus: inter cujus Opera exstat homilia de sanctis XL martyribus, habita die dedicationis basilicæ ad honorem illorum a se erectæ. Retexitur ab eo historia martyrii, indicaturque occasio reliquiarum ab se ex Oriente ad suam Ecclesiam delatarum, quam saltem partem mox proferemus. In aliis sanctum Basilium ferme secutus est.

Gerardus Joan. Vossius lib. 3 *de Hist. Lat., cap.* 2.

GAUDENTIUS, Brixiensis episcopus, memoriæ prodidit vitam S. Philastrii, cui successerat in episcopatu. Habes eam apud Surium tom. IV, die 18 Julii. Obiit autem Philastrius anno 387: unde GAUDENTII ætas satis patet.

Natalis Alexander Select. Hist. Eccl. Sec. IV, *cap.* 6, *art.* 34.

GAUDENTIUS, Philastrii in Brixiensi episcopatu successor, ab anno 387 usque ad initia sæculi quinti floruit. Plures tractatus, seu sermones, habuit variis de argumentis, qui exstant in Bibliothecis Patrum.

Guilielmus Caveus Histor. Litter. Eccles. Script. Sec. IV.

GAUDENTIUS, cujus aut nulla, aut rara admodum apud Veteres memoria [a], dum provincias Orientales religionis ergo peragraret, et circa annum 387 Cæsareæ Cappadociæ hæreret, mortuo interea temporis Philastrio Brixiæ episcopo, ei ab Ambrosio, aliisque provinciæ Cisalpinæ episcopis, successor absens designatur; neve electio alicujus fraude incassum cederet, singulorum juramento confirmatur. Cumque hæc audisset GAUDENTIUS, et in Occidentem reditum detrectaret, missa est ab episcopis ad ipsum legatio, et ad Orientis etiam Antistites, qua rogarunt ut renitentem reverti GAUDENTIUM ecclesiasticis censuris compellerent. Factum id; coactusque redire GAUDENTIUS, sanctorum XL martyrum reliquias, a sacris virginibus S. Basilii neptibus Cæsareæ agentibus acceptas, secum detulit, et Ecclesiæ Brixianæ regimen suscepit. Anno 405, synodi Romanæ, et Honorii imperatoris nomine legationem una cum aliis quibusdam episcopis obiisse videtur, ut Arcadium imperatorem Chrysostomo subinfensum, pacatiorem redderet. Quo anno e vivis ereptus sit, parum liquet.

NOTA. *Quanti autem faciendum sit viri clariss. Sebastiani Tillemontii testimonium superius allatum in Præfatione num.* 24, *quod hujusmodi est :* Quoique son style (*Gaudentii nempe*) paraisse assez simple, néanmoins il a de l'élégance, et l'on y voit un génie fort doux, et en même temps fort agréable. Mais pour le fond des choses, la doctrine et les instructions en sont excellentes, *asserat ipsemet Dupinius, cujus audax de Gaudentianis scriptis judicium eo testimonio retunditur. Hæc habet de Tillemontio in Biblioth. sua Ecclesiastica Dupinius :* Les Mémoires sont d'une recherche presque infinie, et composés avec toute l'exactitude possible.... Les notes qui sont à la fin de chaque volume sont excellentes, et d'une critique très-exacte.

Hoc monitum pro Testimoniorum de Gaudentio coronide adjiciendum jussit Eminentissimus editionis hujus Mecœnas, ut Gaudentianis scriptis magis magisque sua staret auctoritas, quam temere conatus est lædere Dupinius.

[a] An a Caveo recte hoc dici potuerit, satis colligitur ex Veterum testimoniis, Joannis Chrysostomi, Palladii, Rufini, et aliorum, quæ supra attulimus.

SANCTI GAUDENTII

BRIXIÆ EPISCOPI

TRACTATUS VEL SERMONES

QUI EXSTANT

Præfatio.

SERVO CHRISTI BENIVOLO GAUDENTIUS [a].

217 Communis voti fuerat, ut ea quæ de divinis eloquiis [b] per paschales dies proxime præteritos explanavi, coram valuisses audire. Cum enim semper, tum præcipue diebus festis præsentia tua nobis merito grata est in ecclesiæ Brixianæ conventu. Nam sicut [c] honoratorum nostræ urbis, ita etiam

[a] (Galeardus hunc titulum sic ediderat : *Ad Servum Christi Benivolum Gaudentii episcopi Præfatio. Servo Christi Benivolo Gaudentius*; addens notas sequentes.) *Ad Servum Christi*. Titulum hunc ex librarii ingenio appositum verba hæc manifeste arguunt, ab usitato epistolarum inscribendarum more prorsus aliena : deest etiam in mss. duobus, Florentino et Urbinate; verum cum in exemplaribus editis, quæ nobis videre contigit, constanter habeatur, retinendum censuimus. Codex Florentinus sic habet : *Servo Christi Benivolo Gaudentius*, itemque Urbinas; quam inscriptionem genuinam esse nullus dubito, eamque propterea Præfationi huic præfigendam curavi. Eamdem profert ms. cod. qui fuit doctissimi viri Octavii Pantagathi conterranei mei, iisdem omnino verbis : *Servo Christi Benivolo Gaudentius*; nam Urbinas paululum immutat : *Servus Christi Benivolo Gaudentius*. Porro quamvis sciam stylum hujus Operis ab epistolari penitus abhorrere, attamen paschales quoque Cyrilli Alexandrini sermones, habitos quidem ex suggesto ad populum, sed postea in epistolarum figuram conformatos, quemadmodum et Gaudentii nostri, et aliorum, sæpius fuisse, jam docuit Ferrarius lib. 2 de Rit. sacr. Eccl. concionum, cap. 3. Salvianus Præfationem librorum de Gubernatione Dei ita inscribit : *Sancto episcopo Salonio Salvianus salutem in Domino*, et Gaudentius ipse, tract. 18, ad Serminium, de Villico iniquitatis : *Servo Christi Serminio Gaudentius episcopus.— Benevolum*. Uterque Vaticanus codex sic legit : *Ad servum Christi Benivolum*; Flor. vero : *Servo Christi Benivolo*; in Urbin. his in ipso limine *Benivoli* appellationem deprehendimus. Itaque ad exemplarium mss. et Parisiensis editionis consensum editionem nostram conformavimus. In alias editiones irrepserat *Ad Servum Christi Benevolum*; sed hanc quæ a nobis edita est fuisse veteribus scribendi rationem, probat antiqua inscriptio apud Rubeum, pag. 263, M. Aurelio Dubitato et C. Centullo Fortunato posita :

INDVSTRIO AC BENIVOLO
PLVRIMIS MILITIAE HONORIBVS
FVNCTO
PRO SVAE PIETATIS MERITO
M. AVR. DVBITATO V. I. PATRI
ET C. CENTVLLO FORTVNATO
ADVLESCENTI (*sic*) CLARISSIMO

Confer præterea Valesium in not. ad Sozomenum, lib. VII Hist. Ecclesiast., c. 15. De Benivolo plura in- A fra, ad verba illa Gaudentii : *Magistrum memoriæ. — Gaudentii episcopi Præfatio*. Codex Flor. titulum hunc præfert : *Gaudentii episcopi Brixiensium conciones*. In Cod. Urb. : *Tractatus Gaudencii ad Benivolum incipit feliciter*. Vide annot. 1, serm. sequentis.

[b] Paschales octo dies neophytis olim solemnes; immo et Christianis omnibus, utpote in quibus Resurrectionis laudibus, et sacrosanctæ prædicationi jugiter instarent, antiqua veterum monumenta produnt, apud quos passim leguntur sermones per eam hebdomadem ad Neophytos habiti. Joan. Chrysost., hom. 33 in cap. XIII Gen., Frontone Duceo interprete : *Illucescente Resurrectionis die necessarium erat, ut de Resurrectione Domini Charitatem vestram doceremus, et sequentibus diebus propter miracula quæ tunc facta sunt, Resurrectionis demonstratio iterum afferenda erat. In quibus etiam in manus accepimus Apostolorum Acta, inde vobis continua componentes convivia, et crebris, quotidianisque admoni-* B *tionibus eos qui nuper Baptismi gratiam acceperant, exhortantes*. Hinc Aug., in procem. lib. de Octo Quæst. ad Dulcitium, eos *dies sanctos* appellat, et Valentinianus inter festos dies a jure dicendo feriatos recenset l. II de Feriis, Cod. Theodos.; quod Valentiniani Decretum confirmatur etiam in edicto Theodorici regis, cap. 154; apud Cassiod. synodus Trullana can. 66 : *A sancta Resurrectionis die usque ad novam Dominicam tota septimana ecclesiis vacare fideles jugiter oportet, psalmis, et hymnis, et spiritualibus canticis, in Christo gaudentes, festumque celebrantes, et divinarum Scripturarum lectioni mentem adhibentes, et sanctis mysteriis jucunde et laute fruentes*. Sic etiam Gaud. infra : *Quid unaquaque die illius sacratissimæ hebdomadis sanctæ fraternitati a me expositum meminissem*.

[c] *Honorati* sunt, qui civiles dignitates gessere, vel in urbe, vel in provinciis, aut etiam qui honores in militia adepti sunt, vel militari dignitate perfuncti, ut docet Vales. in not. ad Marcellin. pag. C 15. *Honorati* etiam vocati sunt apud Alciat. l. I Prætermiss., qui palatinam, aut curialem dignitatem habuissent, sed tamen administratione abstinerent, de quibus fortasse intelligit Ambrosius in Oratione de Obitu Valentiniani : *Jam promiseram me profecturum respondens vel honoratis petentibus, vel præfecto, ut tranquillitati Italiæ consuleretur*. Vide Petr. Nann., in Schol. ad Ambros. l. v, ep. 33, n. 4, ed. Froben. *Honorati* appellatio satis conveniebat Benivolo, qui *Magister memoriæ* in palatio fuerat apud Valentinianum, inf. pag. seq.

Dominicæ plebis, [a] Domino annuente, dignissimum A caput es, quia non minore diligentia servare studes Dei præcepta, quam discere: robustam catholicæ fidei professionem præclaræ vitæ meritis æquiparare [b] contendens, ut habeat sincera fides **218** opera suæ puritatis nitore condigna. Qua in re maximus docentis fructus est, et immortalis utilitas audientis, dicente Apostolo: *Non auditores tantum, sed factores legis justificabuntur* [c] *apud Deum* (*Rom.* II). Nec mirum si hodie taliter in timore Domini converseris, qui, [d] necdum percepta Baptismi gratia, ita pro fidei cœlestis veritate pugnasti, ut imbutum te admirabilibus doctrinis Apostolici per omnia viri [e] patris nostri Philastrii, tantæ constantiæ [f] testimonium approbaris. Nostri namque temporis [g] Re- B gina Jezabel, Arianæ perfidiæ patrona simul [h] ac socia, [i] cum beatissimum persequeretur Ambrosium, Ecclesiæ **219** Mediolanensis antistitem, te quoque ea tempestate [j] Magistrum memoriæ, oblitum salutaris fidei arbitrata, contra catholicas dictare Ecclesias compellebat, quod ne faceres, ultro et [k] promotionis pollicitæ dignitatem, et ambitionem sæculi, gloriamque mundanam, pro Dei gloria contempsisti, magis eligens [l] privatus vivere, quam mortuus militare. Vere enim moritur apud Deum, qui ab apostolicæ fidei veritate discedit, cui Christus Deus, qui vita est, imputatur, dum [m] æternæ Trinitatis homoousion deneganti subtrahitur. Sed ut ad propositam causationem redeam, ex ingenti ægritudine meum [n] tunc adhuc corpus invalidum, ad supradictas

[a] Cod. Florent. Urb. ac Vatt. duo, *Deo annuente*.

[b] In mss. sic legitur: *contendens. Habeat sincera fides*, quod tamen non probo.

[c] Et ita legit Vulgata etiam apud antiquos Patres. Cod. Flor. ac Vatt. duo, *apud Dominum*; at ms. Cod., qui fuit olim præclarissimi viri Octavii Pantagathi Brixiani, *apud Deum*; ubi etiam paulo supra pro *maximus docentis fructus*, occurrit *maximus dicentis fructus*, quæ melior ac fortasse verior est lectio.

[d] Ex hoc loco discimus Benivolum, quando Justinæ Augustæ mandatis restitit, fuisse adhuc catechumenum; quod ex Rufino, Sozomeno, ac Nicephoro non liquet.

[e] Philastrium patrem vocat, cujus ipse in Brixiana sede successor fuerat. Sic etiam in Serm. de Vita Philastrii: *Ego autem minima ejus pars omnibus votis exopto, ut agrum bene a patre consitum, et non satis idonea successione susceptum, quoquo modo tueri prævaleam*. Plura ibi de Philastrio.

[f] Flor. et Urb., *testimonio approbares*; itemque cod. ms. Octavii Pantagathi, quod quidem videtur melius, licet mutare noluerim, cum et vulgata lectio æque bona sit.

[g] Justinam innuit Valentiniani majoris uxorem, ac Valentiniani II matrem. Vide Notas sequentes.

[h] Sulp. Sever., dial. 2, de Valentiniano loquens, sic ait: *Ad animum illius immitem, ac superbum uxor accesserat Ariana*. Nempe Justina. Hæc autem vivo marito Orthodoxis parum nocuit, quo vita functo maximas turbas excitavit. Rufin. lib. II Hist. Eccl., cap. 15, edit. Froben. 1523: *Justina, Arianæ hæreseos alumna, impietatis suæ venena, quæ vivente viro suppresserat, filio facile decepto fidenter aperuit*. Socrat. lib. IX Hist. Trip., c. 20: *Justina, Valentiniani mater, cum esset Ariana, vivo quidem marito lædere non valuit Orthodoxos. Eo mortuo, et filio valde juvene, Mediolanum veniens Ambrosio episcopo erat infesta*.

[i] De Justinæ persecutione in Ambrosium mota, videndus Paulinus in Vita Ambros., immo Ambrosius ipse l. V, ep. 33, ad Marcellinam sororem, ubi Justinam, sicuti et Gaudentius noster, Jezabel nomine indicat dicens: *Quid dicam, quod etiam Eliam Jezabel cruenta persecuta est? Quod Joannem Baptistam Herodias fecit occidi? Singulæ tamen singulos: mihi quo minora longe merita, eo tentamenta graviora*. Plura de Justina quærentibus occurret Zosimus lib. IV, et Valesius in not. ad Marcellinum, pag. 611, ubi etiam Socratis fabulam de Justina refellit. Mortua est in exsilio, ut colligitur ex Rufino, lib. II, cap. 17.

[j] Benivolum hunc Rufinus, Eccl. Hist. l. II, c. 16, memoriæ scriniis præsidentem appellat; Niceph. vero, l. XII Hist., c. 19, in Scribarum decuria, in sacrarum Constitutionum tabulario militasse ait. De scriniis principum multa est mentio in Cod. Theodos. quibus qui præerant, et primum locum tenebant, magistri vocabantur, ut optime notat Vales. notis ad Marcell., pag. 253. Erant autem scrinia capsæ, seu plutei, in quibus commentarii, et libelli, hoc est monumenta litteraria custodiebantur, ac quatuor præcipue fuerunt, *libellorum*, *memoriæ*, *dispositionum*, *et epistolarum*, ut tradit Salmas. ad Hist. August. in Alexand. Severo. Hinc singulis scriniis qui præfecti erant, vocabantur a suo quisque scrinio *Magister a libellis*, *a memoria*, aliquando etiam absolute *a libellis*, *a memoria*, ut apud Lamprid. in Alex. Severo: *Post meridianas horas subscriptioni, et lectioni epistolarum semper dedit operam, ita ut ab epistolis, et libellis*, *et* a memoria *semper assisterent*. Nonnumquam *Magister libellorum*, *Magister memoriæ* nuncupati sunt, ut hoc loco apud Gaudentium. Item apud Marcell., l. XXIX, Festus quidam ex advocato consularis Syriæ, ex consulari *Magister memoriæ*, deinde proconsul Asiæ fuisse dicitur.

C [k] Locus emendatus ex consensu mss. Editi habent *politicæ*, quo nihil ineptius. Favet emendationi Rufinus, dicto l. XI, c. 16: *Ne inceptum reginæ frustrari* (Benivolus) *videretur*, *celsior ei honor promittitur. Ille qui nobilior esse in fide, quam in honoribus cuperet: Quid mihi, ait, pro impietatis mercede altiorem promittitis gradum? Hunc ipsum, quem habeo, tollite: tantum mihi conscientia fidei duret illæsa. Hæc dicens ante pedes impia præcipientium cingulum jecit*.

[l] Præclarum Benivoli facinus narrant scriptores ecclesiastici locis supranotatis. Sozomenus vero, lib. IX Hist. Trip., c. 20, et lib. VII Hist. Eccl., c. 13, qui, Rufino et Nicephoro consentiens, ait, eum ne fidei causam desereret, *detractum sibi cingulum* ante pedes reginæ abjecisse. Porro *militare cingulum abjicere* pro Christi fide ad constantiam ostendendam, in gemitum Imperatorum, aliorumque præsidum contemptum, christianis militibus solemne fuisse, D pluribus colligitur ex actis SS. quæ protulit Gallonius in libro de Martyrum Cruciatibus, cap. 4, pag. 191, edit. Antuerp. 1668. Confer quæ de Victricio Rothomagensi habet Martyrologium Romanum, 7 Aug.; de Armonis militibus 5 Sept., et de Menna Ægyptio 11 Nov.

[m] In mss. Flor. et Urb. legitur *coæternæ*. Editio Paris. *eo æternæ*, male. Vocabulum illud ὁμοούσιον, itemque voces οὐσίας, ὁμοουσίας, sæculo Gaudentii valde impugnabant Ariani; de quo vide Sulp. Sev. lib. II sac. Hist.; Hieron. in epist. ad Damas., ed. Bened. tom. IV, ep. 14.

[n] Ita in mss. quatuor codd., in editis legitur *meum*; at Cod. Pantagathi *tuum tuno*, prout etiam in sequenti *dolebas omnino*; mox infra *propterea velut*, quæ postrema vox valde huic loco accommoda deest tam in editis quam in mss.

festivitati interesses, inhibuit, unde vehementer [a] dolebas, omnino fraudem tibi spiritualium bonorum reputans peccatis urgentibus irrogatam: ac propterea singulare quoddam dispendii memorati remedium magnopere exegisti, ut scriberem quid unaquaque die illius sacratissimæ hebdomadis, sanctæ fraternitati a me expositum meminissem. Quod plane ego mediocritatis meæ conscius, litteris credere non auderem, nisi tu [b] religiosa instantia 220 compulisses, satis est enim mihi, si instruere commissam plebem viva saltem voce sufficiam. Sciens itaque [c] verum divinæ sapientiæ amatorem non super assertione inutilium rerum inanis eloquentiæ pompam quærere, sed salutarem de Scripturis sanctis explanationum congruentium desiderare doctrinam, scribere tibi aggrediar omnino iisdem sensibus, et fortasse etiam verbis, quibus me in Ecclesia locutum esse reminiscor, ut loquelam meam, qualiscumque est, facile, cum legeris, recognoscas. [d] Quatuor præterea breviores tractatus, quos de diversis capitulis Evangelii apud te olim fuisse me locutum prodidisti, et quintum de Machabæis martyribus, emendatos tibi, quoniam cogis, remittam, ut eos, si ulla utili memoria dignos arbitraris, in postrema parte [e] schedulæ hujus simul transcribendos adjungas. De illis vero tractatibus, quos [f] notariis (ut comperi) latenter appositis, procul dubio interruptos, et semiplenos otiosa quorumdam studia colligere præsumpserunt, nihil ad me attinet. Mea jam non sunt, [g] quæ constat præcipiti excipientium festinatione [h] esse conscripta: vereor tamen, ne aliqua sub [i] sermonis mei titulo sanæ fidei inimica alieni errores involvant, et efficiantur sempiterni criminis rei, qui fuerint incautæ 221 præsumptionis auctores. Ergo quoniam desiderio tuo negare operam non potui postulatam, breviter tibi prius ostendam, non semper ægritudinum plagas pro peccatorum cumulo nostris corporibus irrogari. Humani corporis natura, ex quo sententiam mortalitatis excepit: *Tu terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III), infirmitatibus variis subjacet, sine discretione cujusquam; et quamvis peccatores nos esse salubriter fateamur, non tamen vel ex vigore, vel ex debilitate carnis, meritorum ponderandæ sunt qualitates, cum frequenter idolorum cultores sanitate corporis, ac bonis hujus sæculi perfruantur, et e contra divino cultui inhærentes ægritudinum, ac tribulationum vexatione quassentur. Nam legimus Abimelech gentilem regnasse (*Gen.* XX), et Abraham sanctum peregrinationis molestias pertulisse (*Gen.* XII): et illius Laban Syri [j] idololatræ mercenarium fuisse sanctum Jacob (*Gen.* XXIX, 30): et Moysen

[a] Receptam lectionem exturbare nolui, licet mss. codd. magno consensu legant *dolebas animo*. Nescio an fortasse scribendum *dolebas ex animo*; at verbum *vehementer*, quod præcedit, prohibet quidquam immutari.

[b] Consentiunt in hanc lectionem mss. Codd., et ita omnino legendum videtur, ut conveniat illud quod supra dixit *magnopere exegisti*. Infra etiam: *Quatuor præterea breviores tractatus, emendatos tibi, quoniam cogis, remittam*. In editis *religiosa constantia*, quod nullo modo putavimus retinendum, quamvis vulgatam lectionem tueatur liber Octavii Pantagathi paulo ante laudatus.

[c] In mss., *virum*. Quod sequitur, *inanis eloquentiæ pompam quærere*, observavit Barthius, in Animadvers. ad lib. I Philippidos Gulielmi Britonis, in sequiorem sensum accipi, ut *pompa sæculi*, *pompa dæmonum*. Vide annotata ibi a Barthio, p. 11. Sic etiam Cic., II Fam. ep. 16: *Accedit etiam molesta hæc pompa lictorum meorum;* et IV Tusc.: *Illa quidem ex rhetorum pompa, ardores animorum, cotesque virtutum*. Hinc *pompatice ingredi*, Amos VI.

[d] Horum primus est de Paralytico, qui in ordine censetur undecimus, cum tribus sequentibus. Itaque sermones paschales priores decem.

[e] Cod. Flor. legit *schidæ*, Vat., uterque *schedæ*. Hier. Epitaph. Nepot.: *Nepotianus noster aurum calcat, schedulas consectatur*. Et Præf. in Job.: *Mihi, meisque permittant pauperes habere schedulas, et non tam pulchros codices, quam emendatos. Scheda, et Schedium*, apud Barthium, lib. XII Advers., c. 18, ubi etiam hunc Gaudentii locum affert.

[f] *Notariis latenter appositis*. Scripto excipiebantur olim ab auditoribus, et clam, et palam dicentium conciones, de quo insignis valde est locus Gregorii Nazianzeni, Orat. ad 150 episcopos, J. Billio interprete: *Valete, sermonum meorum amatores, et cursus, et concursiones, et calami tam perspicui, quam occulti;* quo in loco perspicuos, et occultos calamos nihil aliud significare, quam *notarios*, qui, sive clam sive palam positi, quæ diceret Nazianzenus scripto velociter exciperent, recte opinatur Ferrar. l. II de Rit. sacr. Eccl. Conc. c. 28. Hic obiter annotaverim locum Nazianzeni male a Birkeimero fuisse acceptum; nam ubi in Græcis habetur, καὶ γραφίδες φανεραὶ, καὶ λανθάνουσαι, *et calami tam perspicui, quam occulti*, ipse interpretatus est, *nec non calumniatores manifesti, et occulti*, qua inepta versione totam Gregorii sententiam labefactavit. De exceptoribus videsis quæ diximus supra in Præf. ad Gaudentium, n. 5. Plures sunt Gaudentii tractatus a notariis excepti, ut ex eorum titulis infra patebit; hujusmodi autem sermones postea quam excepti essent, solebant concionantes ipsi a notariis accipere, et majori cura, ac solertia emendare, ut liquet ex eodem Gaudentio, et Gregorio Magno, qui suas in Ezechielem homilias ad Marianum episcopum mittens sic scribit: *Homilias, quæ in beatum Ezechielem prophetam, ut coram populo loquebar, exceptæ sunt, multis curis irruentibus in abolitione reliqueram. Sed post annos octo, petentibus fratribus, notariorum schedulas requirere studui, easque, favente Domino, transcurrens, in quantum ab angustiis tribulationum licuit, emendavi*. Gaudentius ipse paulo supra: *Quatuor præterea breviores tractatus, quos de diversis capitulis Evangelii apud te olim fuisse me locutum prodidisti, et quintum de Machabæis martyribus, emendatos tibi, quoniam cogis, remittam*. Porro istos Gaudentii tractatus, qui post paschales habentur, a notariis exceptos fuisse, titulus indicat: *Incipiunt excepti tractatus de diversis capitulis*. Verum non omnium passim, aut discrimine nullo, conciones excipi solebant, sed eorum tantum qui in dicendo excellerent, ut ex Ferrario habetur. De *notariis*, et eorum notis vide Lips. in epist. ad Leonard Less., cent. 1, ad Belgas ep. 27.

[g] Cod. Flor., *quæ constet*.

[h] Mss. codd., *concisa*. Respondet illud quod supra dixit *interruptos, et semiplenos*. Cod. Octavii Pantagathi legit *esse concisa*, sicut etiam in superiori *quæ constet*.

[i] Ita cod. Flor., Vatt. duo, itemque editio Parisien. et Colonien. In editione Lugdunensi deest *mei*.

[j] In ms. Floren. legitur *ydolatræ*. Jampridem ob-

justum, regnante impio Pharaone, latuisse metuentem in terra Madian (*Exod.* II, III) : et Eliam mirificum a facie persequentis Reginæ Jezabel fugisse ad solitudinem (III *Reg.* XVIII, XIX). In novo autem Testamento Joannes, Prophetarum maximus, post longum squalorem feralis custodiæ (*Matth.* XIV), post iniquas contumelias vinculorum (*Marc.* VI), [a] decollatur in carcere : et Herodes sacrilegus, qui cum jussit occidi, epulatur cum principibus suis, et tribunis, et [b] primoribus Galilææ discumbens : ebrius non solum vino, sed ipsius etiam cruore Baptistæ. [c] Et sicut in Apocalypsi de Babylone scribitur, vel urbe, vel gente, vel unaquaque anima, errorum caligine, vitiorumque carnalium permixtione confusa ([d] interpretatur enim confusio Babylon): *Et vidi*, inquit, *mulierem ebriam de sanguine sanctorum* (*Apoc.* XVII). Verum hæc Dei patientia quorsum evadat, ipse Salvator docet [e] in Evangelio, dicens : [f] *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura,* **222** *et bysso, et epulabatur quotidie splendide : pauper autem quidam, nomine Lazarus, jacebat ad januas ejus ulceribus plenus,* [g] *et cupiebat saturari de his quæ cadebant de mensa divitis* [h] *: sed et canes veniebant, et lingebant ulcera ejus. Factum est autem ut moreretur pauper, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ : dives vero mortuus sisteretur* [i] *ad inferna supplicia* (*Luc.* XVI) ; et obsecraret istius pauperis tincto [j] in aqua digito refrigerari linguam suam, quod tamen promereri non potuit, in tormentis flammæ inexstinguibilis constitutus. [k] Ad hanc servatur pœnam prosperitas impiorum ; et e contra ad illam beatitudinem perducitur justorum tribulatio, ut cum sancto Abraham Patriarcha, in æterna vita requiescere mereantur, qui angustias vitæ hujus fideli patientia tolerantes, de sæculo isto migraverint. Unde dicebat Dominus : *Intrate per angustam portam, quia lata, et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per illam* (*Matth.* VII). *Quam angusta est porta, et arcta est via, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam* (*Luc.* XIII). Propter hoc et sanctus Apostolus gloriari se in infirmitatibus suis prædicat : *Cum enim infirmor*, ait, *tunc potens sum* (II *Cor.* XII). Sanctum quoque Timotheum assiduis ægritudinibus laborasse, idem beatissimus prodidit apostolus Paulus scribens ad eum : [l] *Noli amplius aquam bibere; sed vino modico utere, propter stomachum, et frequentes tuas infirmitates* (I *Tim.* V). [m] Quærat fortasse quispiam divitum, dicens : Ergo malitiose Deus dedit divitias, [n] si propter eas divitem torquet. Vult enim videri humanus error, non modo cum venia, [o] sed etiam cum ra-

servavit Baluzius, in not. ad Salvian. pag. 237, Latinos codices fere semper habere *idolatria*, raro *idololatria*. Porro etiam cod. Pantagathi hic habet *idolatræ*, quod Baluzii observationem confirmat. Vide, inf., serm. 4, in illud *idololatriæ tramites ;* et serm. 9, ad verba *repudiata ob idololatriæ adulterium plebe Judaica*.

[a] Sic habet cod. Urb. et Vaticanus uterque. In editis *decollatus*.

[b] Vox illa *primoribus* in mss. desideratur. Fortasse abstulerunt librarii, putantes supervacuam, dixerat enim *principibus*. Verum textus Evangelicus Marc. VI, vers. 21, et principes, et primos memorat : *Herodes natalis sui cœnam fecit principibus, et tribunis, et primis Galilææ*. Græca editio : Ἡρώδης τοῖς γενεσίοις αὐτοῦ δεῖπνον ἐποίει τοῖς μεγιστᾶσιν αὐτοῦ, καὶ τοῖς χιλιάρχοις, καὶ τοῖς πρώτοις τῆς Γαλιλαίας.

[c] In cod. Urb. deest particula conjunctionis, quæ fortasse in editis superfluit.

[d] Ita in mss. omnibus. In editis deest *Babylon*. Vide Hieron. in libr. de Nomin. Hebr.

[e] Verba quæ sequuntur, *in Evangelio dicens*, desunt in codd. Vatt. et Flor. Urbinas, *Salvator in Evangelio docet*. Cod. Octavii Pantagathi, *ipse Salvator docet*.

[f] Narratio hæc utrum historia sit, an parabola, plurima est quæstio apud expositores. Irenæus, Tertullianus, Ambrosius, historiam esse volunt : Joannes Chrysostomus, Cyrillus, Theophilactus, Beda, parabolam. Quid senserit Gaudentius, ex hoc loco non liquet.

[g] In mss. *cupiens saturari*, cui lectioni consentit Vulgata editio.

[h] Ita editi omnes. In mss. subditur *et nemo illi dabat*, quod fortasse librarii adjecerunt ex Vulgata. Græca exemplaria : καὶ ἐπιθυμῶν χορτασθῆναι ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τοῦ πλουσίου· ἀλλὰ καὶ οἱ κύνες ἐρχόμενοι : *et cupiebat saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis. Sed et canes venientes.* Consentit huic lectioni antiquissimus codex ms. Evangeliorum monasterii S. Juliæ civitatis Brixiæ, aureis et argenteis grandioribus litteris in membranis violaceis exaratus, qui tamquam pretiosum antiquitatis κειμήλιον apud hujus cœnobii moniales asservatur. Eodem modo vertit Isidorus Clarius Brixianus episcopus Fulginas. Porro antiquissimos codices, puris prasineo et cyaneo coloribus tinctos, auro et argento conscriptos, in monasterio S. Juliæ Brixiæ asservari memorat Capreolus lib. V Hist. Brix., pag. 27.

[i] Hanc lectionem exhibet Flor. cod. itemque edit. Parisien. Colonien. et Lugdunen. In mss. Vatt. et Urb. *in sinu inferni*. Græca exemplaria : ἀπέθανε δὲ καὶ ὁ πλούσιος, καὶ ἐτάφη. Καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ. *Mortuus est autem et dives, et sepultus est. Et in inferno elevans oculos suos.* Concinit ms. cod. Brix. Evangeliorum monasterii S. Juliæ, quem mox laudavimus, itemque versio Isidori Clarii. Hanc porro interpungendi rationem, quæ Græco textui inest tamquam Apostolico dogmati de Christi descensu ad inferos magis consonam observat, et probat doctissimus auctor operis de Moderatione ingeniorum adversus Joannem Phereponum, lib. III, c. 9, p. 412, edit. Venet.

[j] Mss. codd. *in aquam*. In his quæ subjicit Gaudentius non textum κατὰ πόδα secutus est, sed potius sensum expressit.

[k] In mss. *Ad hanc enim*, et paulo post desunt verba illa *et econtra*.

[l] Vatt. duo, atque Urb., *noli adhuc ;* cui lectioni favet etiam Vulgata.

[m] Frigida lectio videtur si spectemus ea quæ sequuntur, inducit enim divitem secum loquentem. Vatt. duo, atque Urb., *Quæratur fortasse*, quod magis omnino convenit, quamvis mutare noluerim.

[n] Ita reposuimus ex quatuor mss. Codd. Editi, *si propterea*.

[o] Flor. et Urb. *sed jam cum ratione.* Elegans hæc Gaudentii sententia apposite profertur a celeberrimo nostrorum temporum oratore, initio secundi eorum sermonum, qui editi sunt in calce tractatus doctissimi Polyhistoris Ludovici Antonii Muratorii *della Carità Cristiana*, Mutinæ 1723.

tione peccare. Non malitiose, sed providenter [a] te fecit 223 Deus divitem, ut per opera misericordiæ invenires peccatorum tuorum vulneribus medicinam. *Eleemosyna quippe a morte liberat, et ipsa mundat ab omni peccato* (*Tob.* XII). Non enim ob hoc cruciatur ille quia dives fuit, sed quoniam ipso epulante pauper Lazarus esuriit. Cæterum et ipse sanctus Abraham dives fuerat, sed peregrinorum, [b] indigentiumque mancipium. Sanctus quoque [c] Job regnum tenebat Arabiæ, sed (ut scriptum est) nulla vidua, nullus pauper, domum ejus sinu vacuo exibat. Denique in doloribus constituto exprobrantur per mulierem opera misericordiæ, quæ frustra exercuerit : [d] *Et ecce*, inquit, *quæ pateris* (*Job.* II). Heu venenata diri serpentis astutia ; quoniam a bonis operibus famulum Dei revocare non valuit, incumbebat ut benefacti pœnitudine fructum perderet pietatis ! Caveant ergo infructuosi locupletes terribile exemplum illius sine misericordia Divitis collegæ sui, ne ad similia tormenta ducantur : magis autem faciant eleemosynas largiter, frequenter, gratulanter. *Hilarem enim datorem diligit Deus* (II *Cor.* IX). Distribuant opes suas egenis, acquirant sibi thesauros in cœlo, *ubi neque ærugo, neque tinea corrumpit, neque fures effodiunt et furantur* (*Matth.* VI) : ut de hoc sæculo exeuntes possint invenire refrigerium in sinu illius vere divitis Abrahæ. Hæc ad quæstionem, [e] quæ occurrerat, breviter respondisse sufficiat. Illa autem quæ superius comprehensa sunt idcirco memoravi, ut [f] nemo nostrum scandalizetur in cogitatione sua, nemo nostrum murmurare audeat contra Deum, si videamus injustos, idololatras, blasphemos, continua [g] salubritate corporis 224 frui, florere honoribus mundi, [h] caducis opibus redundare; e contrario nos tribulationibus variis confici, doloribus carnis affligi, paupertatis necessitatibus subjacere. Novit universorum arbiter Deus qua providentia suos verberet ; et qua ratione parcat impiis in hoc mundo. Nec plane ignoramus ab Apostolo beatissimo [i] nos eruditi, quod longa erga iniquos bonitas Dei aut ad conversionem provocat sentientes, aut ad justiorem pœnarum sententiam reservat ingratos : *An*, inquit, *divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis, ignorans quod bonitas Dei* [j] *ad pœnitentiam te invitat? Tu vero secundum duritiam tuam, et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus* (*Rom.* II). Reservatur enim in diem judicii illa retributio generalis : in hoc autem sæculo idcirco interdum quidam vel blasphemi, vel apostatæ, tormentis insanabilibus consumuntur, ut cæteri eorum suppliciis terreantur. Pietatis vero cultores, quod interdum vel [k] corporis doloribus, vel variis tribulationibus affligantur, triplex esse ratio invenitur : [l] prima correctionis, secunda purgationis, tertia probationis. Hominem fidei apostolicæ inhærentem, si frequenter in quibusdam peccare videat Deus, [m] sic peccatorem suum verberat ut emendet, ut [n] salutari admonitione flectat ad pœnitentiam : negligentem, ne tolerabili ultione dilata, gehennæ inextinguibili fiat obnoxius. Eum quoque quem pudice conversantem, ac juste, quædam tamen improbarum cogitationum maculæ resperserunt, idcirco Dominus nunc et tribulationum et ægritudinum flagello castigat, ne in illo aliquid sordium futurus ignis inveniat, sed ut

[a] Flor. cod atque editio Parisien. sic habent, et ita omnino legendum videtur, respondet enim objectioni divitis. Vat. duo, *te Dominus divitem fecit.* In edit. Colonien. et Lugdun. deest *te;* at cod. Octavii Pantagathi, *providenter te Deus divitem fecit.*

[b] Locus iste mihi suspectus est. Cod. Flor. sic legit : *Indigentiumque multa largitur mancipium.* Urb. et Vatt. duo, *indigentium quam multa largitur mancipium.* Has autem lectiones nolo excutere, quia nihil subesse video. In cod. Pantagathi ad oram paginæ ipsius Pantagathi manu scriptum est *indigentium cum multa largitate.*

[c] Hunc Gaudentii locum protulit Pineda ad confirmandam illorum sententiam qui censent Job regem fuisse, inter quos numerantur LXX, et Græci fere omnes, quorum auctoritatem fortasse secutus est Gaudentius. Ad regionem quod attinet, Eusebius, lib. IX Præp. Evang., c. 4, profert Aristæum in Judaica Historia scribentem, Jobum *habitasse in Idumææ atque Arabiæ finibus.* Consentit antiquissima appendix addita ad librum Job in fine versionis LXX, quæ tradit *eum habitasse Ausitide in finibus Idumææ et Arabiæ.* Vide Grot. in not. ad Sulpic. Sev., pag. 65. Miratus sum, clarissimum Job commentatorem, terram Hus a Plinio ac Ptolemæo in Arabia sitam affirmasse; nam Ptolemæus quidem Ausitas memorat Arabiæ Desertæ incolas, quod jampridem annotatum doctissimo Bocharto, Phaleg. lib. II, cap. 8, et lib. IV, c. 9, itemque Spanhemio, Historiæ Jobi cap. 3 ; eosque ab Uts Nachoris filio, de quo Gen., XXII, 21, originem duxisse volunt. At Plinio altum prorsus de hac regione silentium.

[d] Verba hæc non exstant in Vulgata, nec apud LXX. Fortasse fragmentum est ex antiqua Itala cujus hodie paucæ nobis laciniæ supersunt.

[e] Ita in mss. editi, *quæ occurrerant.*

[f] Sic mss. quatuor codd. summo consensu supplent. Editi antea legebant *nemo nostrum murmurare;* cætera exciderant oscitantiæ librariorum.

[g] Et hic quoque mss. consentiunt in hanc lectionem. Editi legebant *salubritate corporis uti.*

[h] Sic legit editio Paris. aliæ duæ editiones *caducis operibus.* Male.

[i] In mss. deest *nos.*

[j] Lugdun. editio ac Vatt. codd., *ad pœnitentiam te adducit*, quibus consentit Vulgata. Græca exemplaria εἰς μετάνοιάν σε ἄγει, *te adducit*, *te allicit*, *te invitat.* In Floren. cod. et Colon. ac Paris. edit. irrepsit *ad patientiam* mendo librariorum, quod σφάλμα occurrit etiam in mss. Pantagathi; verum ejusdem Pantagathi manu in margine scriptum est *pœnitentiam.*

[k] Mss., *corporeis.*

[l] De triplici hoc tentationum genere in eumdem sensum studiose disserit Joan. Cassianus, Collat. VI, c. 11, ubi divisionem hanc videtur ex hoc Gaudentii loco desumpsisse. Vatt. Codd. in margine adscriptum habent : *Hic multa desunt;* nec fortasse omnino improbabile est, quamvis statim singulas divisionis partes subsumat. Lector perpendat ; quamvis postquam hæc jam vulgata fuerant, omnem mihi scrupulum ademerit cod. Octavii Pantagathi, in quo continuato ordine hæc ita conscripta sunt, ut nulla defectus suspicio relinquatur.

[m] Cod. Flor. et Urb., *si peccatorem.*

[n] Flor. et Urb., *salutari admonitu.*

per exiguas plagas brevissimi temporis, ab omnibus purgatus maculis securior ad æternam migrare requiem mereatur. Hæc est amantis Dei consulta erga peccatores suos, ac pia severitas. Scriptum est enim : *Quoniam* [a] *quem diligit Deus, verberat : flagellat autem omnem filium, quem recipit* (*Hebr.* XII). Unde merito misericordem Deum quisque nostrum prædicat Prophetæ [b] doctus **225** eloquio : *Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me* (*Ps.* CXVII). Justos vero, et inculpabiles quosque, sicut sanctum Job (de quo scribitur (*Job.* I) quod fuerit homo sine querela, verus Dei cultor), hac de causa Deus omnipotens vel damnis facultatum, vel orbitatibus charorum, vel angustiis persecutionum, vel dolorum carnalium stimulis tentari permittit, ut probet. Probat autem non sibi, qui ante novit universa quam fiant, sed Angelis, et hominibus, ut eos ex factis probos noverint, quoniam conscientias intueri non possunt, quas solus novit *scrutans corda et renes Deus.* Ipse enim novit occulta cordis, ut Prophetæ sermo testatur (*Ps.* VII). Et ideo forsitan beatus Apostolus, inter multiplicium tribulationum, persecutionumque tentacula constitutus, aiebat : *Quoniam spectaculum facti sumus huic mundo, et Angelis, et hominibus* (I *Cor.* IV). Angelis quidem justos suos Deus probari ideo vult, ut consummatam sanctorum justitiam lætantes agnoscant. *Lætantur* enim beati *Angeli in cœlo*, ut ait Dominus Jesus, etiam *super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc.* XV). Hominibus autem probatam esse vult perfectionem justorum, ut ad perseverantiam dilectionis Dei eorum provocentur exemplo. Diabolo etiam probatam vult ingerere Deus sanctorum justitiam, [c] ut eos bonorum operum meritis debita ad amicitiam Dei, et ad regnum cœli unde ipse cecidit, doleat esse provectos [d]; doleat, indignetur, invideat, ingemiscat, nec tamen audeat quidquam de judicio divino causari. [e] Probationis

A igitur gratia mirificus Job (*Job.* I), ex opulento repente inops efficitur, ex patre decem natorum sine filiis invenitur, ex vegeto [f] ac sano vulneratus, ex florentissimo [g] vermibus exaratus aspicitur, ex glorioso opprobriis expositus reperitur : opprobriis autem et amicorum exprobrantium, et (quod esset gravius) propriæ conjugis, quæ non ad solatium dolorum ejus, sed ad ultimam tentationem docetur esse servata. Nam cogebat eum loqui verba blasphemiæ [h] replicans ei **226** justitiæ ejus opera [i] quæ incas sum gessisset, qui ad tot miseriarum genera pervenisset. Quapropter inquit : *Dic aliquem sermonem contra Dominum, et morere* (*Job.* II). Mortem blasphemanti debitam pro remedio ærumnarum suggerit acquirendam callidus iterum per mulierem serpens ;
B ut palmam patientiæ auferat fortissimo bellatori, et interitum congerat victo, quia blasphemantis furor non medelam doloribus præstat, sed cruciatum mortis accumulat : illius quippe mortis quæ nec finem miseriis tribuat, et exordium sit pœnarum, quas ultor Deus blasphemantibus præparavit. At ille beatissimus intelligens callido antiquæ artis argumento, diabolum rursus per mulierem venenum mortis ingerere, sic respondit : *Velut una*, inquit, *ex insipientibus mulieribus locuta es* (*Ibid.*), pulsans videlicet unam, [j] de qua omnis. Et adjecit : *Si bona suscepimus de manu Domini, mala cur non tolerabimus?* Et in alio loco : [k] *Nudus exivi de utero matris meæ, nudus iterum revertar in terram : Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est,*
C *sit nomen Domini benedictum* (*Job.* I). Inter dispendia omnium facultatum, inter funera tot natorum, inter atrocissimos sui corporis cruciatus, et intestinos dolores opprobrii conjugalis, laudat et magnificat omnipotentem Dominum verus Dei cultor. Et nos itaque si cultores [l] Dei sumus, imitemur patientiam triumphalem, quam solam spoliatus universis non solum facultatibus, atque [m] pignoribus,

[a] Flor. et Vatt. duo *quem diligit Dominus*, et sic fore semper legunt ubicumque occurrat *Deus.*

[b] Valde arridet lectio utriusque Vat. cod., *ductus eloquio*, quam lectionem habet etiam cod. Pantagathi, sed in margine ipsius Pantagathi manu adscriptum est *doctus.*

[c] Ita legunt Flor. cod. et Vatt. duo, quorum lectio magis convenire visa est, quam ea quæ habetur in editis sic : *ut e bonorum operum meritis*, quamvis et hæc non omnino mala sit. Porro cod. Pantagathi ut hic habet, *ut eos bonorum operum meritis*, sic in sequenti, *doleat esse provectos.*

D [d] Ita cod. Urb. et Vatt. duo, ex quorum consensu locum hunc genuinæ lectioni restituimus. Flor., *pervectos*. Editi, *perfectos*, omnino male. Legitur etiam in tribus illis codd. *unde ipse excidit*, pro *unde ipse cecidit.*

[e] In codd. Urb. et Vatt. duobus : *Probationis ergo.*

[f] Verbum illud *ac sano* non habetur in mss.

[g] *Exarare* est terram sulcis proscindere, quod aliquando etiam ad corpus humanum transfertur. Horat. Epod. 8 :

. . . . Et rugis vetus
Frontem senectus exaret.

Convenit illud Virg. Æn. VII :

. . . Et frontem obscœnam rugis arat.

Ambrosius, lib 1 Offic. c. 12 : *Inopem factum ex divite, orbatum liberis ex fecundo parente, perfusum ulceribus, exaratum vulneribus a capite usque ad pedes videbant.* Victor Vitensis, Persec. Vandal. lib. I : *Frontem in qua vexillum Christus suæ fixerat crucis, rugatam magis quam exaratam, discindentes, atque mugientes ostenderent nervi.* Auctor vitæ B. Fulgentii, cap. 11 : *Recrudescit iterum manus vesana tortoris, flagellisque innumeris beatus Fulgentius exaratur.*

[h] Mss. quatuor, *replicans* illi.

[i] In mss., *quæ incassum gesserit*; videtur tamen librarii erratum.

[j] Scilicet mulier; quamvis et numero plurium sæpius usi fuerint veteres. Vide eminentissimum Norisium, Diss. 4, ad Cenot. Pis., c. 3, et Stephanum Balusium, in not. ad Lupum Ferrariensem, ep 1. In mss., *de qua omnes.*

[k] Cod. Urb. et Vatt. duo, *nudus exivi, ait, de utero.*

[l] Sic habent mss. codd. Editi minus apte, *cultores Domini.*

[m] *Pignora* pro *liberis* in usu esse apud Salvianum, observavit Baluzius ad pag. 78, quod tamen frequens etiam antiquis. Quintilianus, lib. VI, cap. 1 : *Quare et obsecratio illa judicum per charissima pignora, utique si et reo sint liberi, conjux, parentes, utilis erit;*

sed ipsis etiam corporis sui carnibus, inconcussa fide, possidet verus Dei cultor. [a] Verus enim Dei cultor ille est, cujus fides inter adversa non deficit, cujus lingua benedicere nomen Domini sui in omni angustiarum tempore, [b] in omni tribulationum plaga non desinit, dicens : *Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* (*Ps.* XXXIII). Si peccator es, agnosce pro correctione **227** tua esse quod cæderis, vel certe pro purgatione, sicut supra disserui. Si autem justus es, nomen quidem justi præsumere non audebis, intelliges tamen ad gloriæ tuæ probationem evenire quod pateris. Scriptum est enim : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (*Eccl.* XXVII). Ideo sanctus quoque Apostolus dicit : *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit* (*Rom.* V). Ergo quoniam vel ad probationem justis, vel ad emendationem peccatoribus, vel ad pœnam sacrilegis, varii cruciatus in hoc sæculo irrogantur; et quibusdam mortiferæ sunt istæ plagæ, quibusdam salutares : propterea cum distinctione summa scribitur in libro Psalmorum, de pertinacibus quidem malis ita : *Mors peccatorum pessima, et qui oderunt justum delinquent* (*Ps.* XXXIII); utique eorum [c] peccatorum pessimam testatur mortem, qui in scelere delictorum perma- A nere cupientes, oderunt verberantem justum; de emendabilibus autem, *Multa*, inquit, *flagella peccatorum* (*Ps.* XXXI) : de sanctis vero, *Multæ*, ait, *tribulationes justorum* (*Ps.* XXXIII). Nec difficile omnino est unicuique [d] spirituali, ut hanc diversitatem ex fructibus cujusque dijudicet, dicente Domino : *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII, 20). Nam [e] confusa esse apud nos omnia, philosophi Gentilium judicant; cum *spiritualis homo discernat, et dijudicet omnia*, ut ait Apostolus, *ipse autem a nemine judicetur* (I *Cor.* II). [f] Nonnulli enim prudentium sæculi, sapientiæ cœlestis ignari, dum volunt [g] fortuita astruere universa quæ creator omnium Deus justo moderamine providenter exercet, ita loquuntur : [h] Si Dei providentia gubernaretur hic mundus, num- B quam promiscue bonos, et malos tribulationum, dolorum, ærumnarum, atque ægritudinum plagæ conficerent, quia divinæ æquitatis non esset, disparibus meritis plagas irrogare consimiles : sed [i] problematis **228** hujus invidia [j] facile evacuatur usitato veritatis exemplo. Notum namque est omnibus, quod et ferri acies, et ignis ustio, vel ad interitum irrogantur, quando pœnam exigit puniendi criminis qualitas, vel ad curam proficiunt, cum sanandi gratia medicinaliter adhibentur. Ita igitur Deus omnipotens easdem plagarum species, pro qualitatibus

et paulo supra : *Affert in his momentum et ætas, et sexus, et pignora* (agit de peroratione), *liberi dico, et parentes, et propinqui*. Ovid. III Trist. 11.

Quod patria careo, pignoribusque meis;

itemque Claudian. I in Eutrop. 222 :

Quo struis hos auri cumulos? quæ pignora tantis
Succedent opibus?

Aug. serm. 1 de Innocentibus : *Pignora sunt non credita, sed creata; non deposita, sed exposita*. Ambrosius, II de Fide, ad Gratianum, cap. 2 : *Desideriis licet fessa maternis charissimorum pignorum tolerabat absentiam*. Gaudentius ipse, tract. de Machabæis martyribus : *Tot martyria pertulit, quot pignora consecravit;* et paulo post : *Octava et ipsa accessit numero, ad octavum Christi Resurrectionis diem cum charis pignoribus occursura*. Adi sis Albericum Gentilem, de Nuptiis lib. II, cap. 3; et Berneggerum, ad Sueton. Aug., cap. 21.

[a] In mss., *possidet. Verus enim Dei cultor*. Cætera desunt etiam in libro Pantagathi; prout ea quoque quæ paulo post sequuntur *in omni angustiarum tempore*.

[b] Et hæc quoque verba abstulerunt librarii de mss.

[c] In edit. Lugdun. deest vox *peccatorum*.

[d] Sic editi, et mss. omnes, excepto Flor. in quo legitur *spiritali*, sed hoc loco tantum; alibi *spirituali*, et *spiritualis;* at Cod. Pantagathi tum hic, tum alibi, *spiritali* et *spiritalis*.

[e] Vana ac demens superstitio a Gentilibus passim vocabatur christiana religio, Christianique stulti, athei, ac nullius numinis cultores; ideoque Gaudentius ait : *Confusa esse apud nos omnia philosophi Gentilium judicant*. Res nota est, ac frequenti Scriptorum calamo trita, qui dementissimæ calumniæ invidia christianum nomen laborare noluerunt. Vide Tertull. in Apologet., Minutium in Octavio, Justinum in utraque Apologia; Lactantium, l. V, cap. 14, 15 et 18. Philosophi vero potissimum Christianis infensi apud Justinum, Apol. I.

[f] Epicureorum sententiam convellit, qui casu omnia regi volebant. Præclare Sen. de Provid., cap. 1 : *Supervacuum est ostendere non sine aliquo custode tantum opus stare, nec hunc siderum certum discursum fortuiti impetus esse*. Minuc. in Octavio : C *Mihi videntur qui hunc mundi totius ornatum non divina ratione perfectum volunt, sed frustis quibusdam temere cohærentibus conglobatum, mentem, sensum, oculos denique ipsos non habere. Quid enim potest esse tam apertum, tam confessum, tamque perspicuum, cum oculos in cœlum sustuleris, et quæ sunt infra, circaque lustraveris, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur?*

[g] Vera lectio, quam exhibet Flor. cod., cujus auctoritate locum hunc emendavimus. Urb. et Vatt. duo : *fortuita adstruere*, adjecta post primam quarta littera. Cod. Octavii Pantagathi, *fortuita astruere*, ut ex consensu etiam aliorum Codd. præter Florentinum vera lectio constet. Editi, corrupte, *fortunæ adstruere universa*.

[h] Hoc idem Epicureorum objectum diluit Seneca toto lib. de Providentia, quem librum laudans Lact. V Instit. cap. 23, apposite ad hunc locum ait : D *Si quis volet scire plenius, cur malos et injustos Deus potentes, beatos et divites fieri sinat, pios contra humiles, miseros, inopes esse patiatur, sumat eum Senecæ librum, cui titulus est :* Quare bonis viris multa mala accidant, cum sit providentia; *in quo ille multa non plane imperitia sæculari, sed sapienter, ac pene divinitus, elocutus est*. Vide Lips. Physiol. lib. I, dissert. 16. Hunc Gaudentii locum adversus Atheos indicat Elmenhorstius in not. ad Minuc. Fel., pag. 12.

[i] Apud philosophos proprie problemata appellantur rerum abditarum perquisitiones et conjecturæ, quibus magis animi quodam acumine, quam certa indagine remotiora naturæ arcana explorantur, cujusmodi sunt apud Aristotelem, et Plutarchum. Judic. XIV, vocatur problema, quod Samson proposuit in convivio Philistinorum.

[j] In mss. quatuor codd., *facillime evacuatur* Flor. et Urb., *visitato*, quemadmodum etiam liber Octavii Pantagathi : verum ejus manu ad oram paginæ scriptum est *usitato*.

temperat meritorum: quosdam quidem puniens, quosdam vero vel emendans a vitiis, vel emundans, vel certe ad ampliorem gloriam promovens. Quod ut adhuc planius intelligi queat, pauca adjiciam sanctarum testimonia Scripturarum. Legimus enim: *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis* (*Ps.* cxxx). Et alio in loco: *Sicut sagittæ in manu potentis: ita filii excussorum* (*Ps.* cxxvi). [a] Filios excussorum beatos Apostolos prædicat, quos electos ad fidem (patribus eorum a gratia Dei, ob incredulitatem suam, procul excussis) manus omnipotentis Domini Jesu, sicut sagittas velociter pervolantes, in universum [b] direxit orbem, ut prædicatio eorum (juxta beatissimi Pauli doctrinam) *aliis quidem* fieret *odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam* (II *Cor.* II). Doctrina enim veritatis obedientes vivificat, rebelles interficit; vitia prosternit, virtutes erigit; incredulos dejicit, fideles extollit: quoniam Christus Jesus, qui ab Apostolis prædicatur, ut Simeon sanctus in Evangelio ait: *Positus est in ruinam* [c] *et resurrectionem multorum* (*Luc.* II). Ut autem noveris Apostolos (qui ex officio sortiti vocabulum, Latino sermone destinati [d] nuncupantur) filios esse Judæorum a Dei gratia excussorum; ausculta quid ipsis blasphemantibus Judæis responderit Christus: *Si ego*, inquit, *in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri* (*Luc.* XI), id est Apostoli [e] ex vestra electi progenie, **229** *in quo ejiciunt?* Et ut apertius ostenderet, de quibus loqueretur, adjecit: *propterea*, inquit, *ipsi judices erunt vestri.* Nam dicit alio in loco Apostolis: *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in resurrectione cum venerit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et ipsi super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX). *Sicut sagittæ* ergo, inquit, *in manu potentis: ita filii excussorum* (*Ps.* cxxvi). [f] Statimque adjicitur: *Beatus qui implebit* [g] *desiderium suum ex ipsis*, ut evidenter intelligas, quod sagittæ Dei interdum mortem inferunt, interdum beatitudinem præstant, sicut Jobo sancto ac beatissimo præstiterunt, qui ait: *Sagittæ enim Domini in corpore meo sunt, quarum ira bibit sanguinem meum. Cum enim incipio loqui stimulant me* (*Job* VI). Et post pauca: *Quod si tribuat Dominus, et veniat petitio mea, et spem meam det mihi Dominus; qui cœpit Dominus vulneret me, sed non in perpetuum interficiat me.* Sunt et plurima istiusmodi sparsa per totum corpus sanctarum Scripturarum, quæ studio brevitatis [h] securus prætereo, quoniam scienti Legem loquor, qui ex paucis instructus testimoniis facile possis similia exempla colligere, [i] quibus documentis et bonitatem Dei provida castigatione suos famulos vel corrigentis a delicto, vel promoventis ad gloriam, plenius intelligas approbari; [j] et ejusdem debitis cruciatibus pertinaces impios punientis, veram justitiam recognoscas, docente etiam beato Apostolo: *Numquid injustus Deus, qui infert iram* (*Rom.* III)? in eos videlicet qui veritatem in injustitia detinent. De nostra autem castigatione, qua verberamur a Deo, ita testatur: *Cum judicamur*, inquit, *a Domino corripimur,* [k] *ne cum hoc mundo damnemur* (I *Cor.* XI). De justis vero sic loquitur: *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: dejicimur, sed non perimus: semper mortem Domini nostri Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu Christi in corpore nostro manifestetur* (II *Cor.* IV). Et alibi idem beatus apostolus Paulus, postquam raptum se dixerat [l] usque in tertium cœlum, et in paradisum, **230** ubi ineffabilia [m] verba audierat, ita continuo addit: *Ne eminentia*, inquit, *revelationum me extollat, datus est mihi stimulus carnis angelus Satanæ, qui me colaphizet, ut non extollar. Propter hoc ter Dominum rogavi ut discederet a me, et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII). Et alia Scriptura huic sensui concordans [n] evidentius loquitur: [o] *Quomodo in igne probatur*, ait, *aurum, et argentum, ho-*

[a] Verba hæc adjecimus ex fide optimorum codd. Urbin. et Floren., quæ in editis desiderabantur, non parvo loci hujus detrimento. Eadem exhibet liber quoque Octavii Pantagathi; at in Vatt. duobus ordine paululum immutato: *beatos Apostolos prædicat filios excussorum.* Filios excussorum Apostolos intelligit etiam Augustinus in psal. cxxvi.

[b] Ita mss. cod. summo consensu. Editi, *direxerit.*

[c] Flor. et Vatt. duo, *et in resurrectionem.*

[d] Hoc est *missi;* destinare enim nuntios est mittere, ut apud Suet. Galb. cap. 16: *Statimque legationem ad prætorianos cum mandatis destinaverunt. Apostoli* græca vox ab Ἀποστέλλω, quod est cum mandatis aliquem mitto, ideoque Gaudentius dicit Apostolos ab officio nomen sortitos. Idem Gaudentius, tract. de Dedic. basil.: *Apostolus est qui missus a Deo est: destinatus enim nuncupatur apostolus.* Utrumque Gaudentii locum profert Barthius, l. XLIII Advers. c. 8; verum de apostoli appellatione et officio confer Casaubonum, exercit. 13, ad Baronium, § 4, ubi etiam hic Gaudentii locus poterat non incommode recenseri. Vide porro, si vacat, Isidorum quoque, l. I Offic. c. 17.

[e] Hæc verba non habentur in mss., quæ tamen necessario duximus retinenda.

[f] In mss. Flor., *statimque dicitur*, ut et in cod. Octavii Pantagathi, qui mox in sequenti, *Beatus qui implebit.*

[g] Editi duo sic legunt; Urbinas, *qui implevit.*

[h] Vatt. duo, *secure prætereo.*

[i] Flor. cod., *a quibus documentis bonitatem.*

[j] Laborabat non mediocri vitio hic locus. Editi namque sic legebant: *et eisdem debitis cruciatibus*, ex quo videbatur absurde inferre Gaudentius Deum punire impios cruciatibus debitis justis. Itaque fidem quatuor mss. secuti veram lectionem restituimus, quæ fulcitur etiam auctoritate cod. Octavii Pantagathi hoc modo, *et ejusdem Domini debitis cruciatibus.*

[k] Mss. cod., *ut non cum hoc mundo*, quam lectionem exhibet etiam Vulgata. Deprehendimus non semel librarios ad consensum Vulgatæ textus suos reformasse.

[l] Mss. cod., *usque ad tertium cœlum.*

[m] Sic editi. Flor. et Urb., *audierit.* Vatt. duo *audivit.*

[n] Ita reposuimus ex quatuor mss. Editi, *evidentia.*

[o] Videtur vera lectio cod. Flor., *Quoniam in igne.*

mines autem justi in camino humiliationis (*Eccli.* II); [a] utique ut æstum perpessi tentationum, et tribulationum onere inclinati, minime in superbiam justitiæ suæ meritis erigantur, aliquid se contra actuum suorum dignitatem pati mussitantes injustum; quos non multo post immortalis præmii retributio subsequatur; sed potius ut in humilitate spontanea permanentes, [b] sanctis scilicet virtutibus præditi, et humiles corde, probabiliores efficiantur in Christo. Sicut etiam venerandi martyres exstiterunt, qui cum beato Apostolo fideliter præsumentes, *non esse condignas passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quæ revelabitur* (*Rom.* VIII) in sanctis, universa supplicia [c] pro Domini Christi nomine, omnesque irrogatos corpori cruciatus æquissimo animo susceperunt, ipsum Dei Filium remuneratorem victricis patientiæ habituri, qui regnum cœlorum servis suis usque in finem fidelibus largietur. Cujus sempiterna virtus atque divinitas, cum Patre et cum Spiritu sancto permanet in omnia sæcula.

[a] Auctoritate quatuor mss. freti, qui miro consensu sic legunt, vulnus ab imperitia librariorum huic loco inflictum abstulimus. Editi enim sic habent: *Ut utique gustum*, omnino male. Decepti fuerant librarii similitudine litterarum, accipientes *æ* pro *g*, *u* autem de suo addiderunt. Porro frustra est Barthius, qui, l. XXII Advers. c. 15, depravatam lectionem *ut utique gustum* congestis veterum exemplis conatur asserere. Sane conjecturam nostram de ratione qua ortus est librariorum error, firmat perbelle antiqua Basileensis editio, anni 1569, cui titulus: *Monumenta Patrum Orthodographa*, inter quæ Gaudentius etiam noster primum lucem aspexit; in ea enim sic legitur: *utique ut gustum*, quod jampridem monitum in Italis Ephemeridibus litteratorum, tom. XXXVI, pag. 38. Ms. codex qui fuit Octavii Pantagathi, hoc loco pro *æstum* legit *actum* mutata *e* in *c* atque *s* omissa; quod facile fuit partim properantibus librariis, partim ex similitudine litterarum *c* pro *e* scribentibus. Porro ne quid dissimulem, in eodem ms. superiori lineæ spatio conscripta est littera *r*, ut legatur *utique ut arctum perpessi tentationum;* quæ licet emendatio a vera lectione plurimum distet, scriptoris nihilominus solertiam commendat.

[b] Edidimus lectionem mss. cod. Aliæ editiones: *Sancti (scilicet virtutibus præditi, et humiles corde) probabiliores.*

[c] Mss. quatuor sic habent: *pro Dei Christi nomine*, quæ lectio occurrit etiam in cod. Pantagathi.

INCIPIUNT [a] TRACTATUS VEL SERMONES.

SERMO I.

DE EXODI LECTIONE PRIMUS.

[b] *Nocte vigiliarum* [c] *de Paschæ observatione.*

231 Opportuno tempore Dominus Jesus beatissimam festivitatem Paschæ voluit celebrari, post autumni nebulam, post horrorem hiemis, ante æstatis ardorem. Oportebat enim Solem Justitiæ Christum, et Judæorum caliginem, et rigorem Gentilium, ante ardorem futuri judicii, placido Resurrectionis suæ

[a] (In editione Galeardi inscribitur: *Incipit tractatus primus in Exodum;* cui titulo hæc appenditur nota.) Flor. cod. hunc titulum præfert: *Incipit primus in Exodum nocte vigiliarum de pasce observatione tractatus*, cui consonat liber ms. Octavii Pantagathi, sed pro *pascæ* habet *Paschæ*. Urbinas vero: *Primus in Exodum nocte vigiliarum de Paschæ observatione tractatus incipit*. Tres editiones: *S. Gaudentii Brixiensis episcopi primus tractatus in Exodum, nocte vigiliarum, de Paschæ observatione*. Mirum est, quanta fuerit in hujusmodi titulis pervertendis et conturbandis librariorum licentia. Solebant autem veteres conceptis verbis *Incipit*, et *Explicit*, initium, finemque cujuslibet Operis designare; ut præter alios observavit eruditissimus Baluzius not. ad Salv. p. 30, qui etiam Vincentii Lirinensis Commonitorium, ex fide veterum exemplarium, edidit in hunc modum: *Incipit tractatus Peregrini pro catholicæ fidei antiquitate et universitate*. Ita in sequentibus codd. nostri Flor. et Vatt. duo sic habent: *Finit primus, Incipit secundus;* quod cum in mss. ad septem priores tractatus de Exodo eodem modo annotatum sit, hoc loco semel monitum volui. At si quis hæc fortasse, tamquam levia, a nobis maluerit prætermissa, sciat nos ex antiquitate, ut ait idem Baluzius, amare etiam quisquilias et semesos lapides; ac præterea meminerit, id a nobis susceptum esse, ut integras variantes lectiones mss. codd. quam diligentissime exhibeamus.

Tractatus, et *tractare*, allocutiones ad populum, sacrasque conciones appellabant prisci Patres. Vide Ferrar. lib. I de Rit. sacr. Eccl. Conc., c. 2; ubi non semel Gaudentium laudat.

[b] De nocte vigiliarum auctor concionis ad Catechum. contra Judæos. (inter Opera Augustino ascripta, edit. Bened. t. VIII, in append.): *Exigit a nobis ratio hujus tantæ congregationis, et noctis transactæ vobis reddere rationem, et istius diei de tanto Sacramento percepto veram, sempiternamque demonstrare salutem. Si enim, dilectissimi, opera tenebrarum transactæ noctis consideremus et quid egerimus, Domino donante, explicare voluerimus, inveniemus nos in nocte non opera noctis, sed diei peregisse.* Solemne itaque erat Christianorum pervigilium in nocte Paschæ, quam Gaudentius antonomastice *noctem vigiliarum* appellat; unde Tertull. l. II, c. 4, ad Uxor. ait: *Quis nocturnis convocationibus, si ita oportuerit, a latere suo* (uxorem) *eximi libenter feret? Quis denique solemnibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit?* Rationem porro hujusce tam solemnis pernoctationis profert Hieron. lib. IV in Matth. c. XXV, edit. Bened. t. IV, p. 120: *Traditio Judæorum est, Christum media nocte venturum in similitudinem Ægyptii temporis quando Pascha celebratum est, et exterminator venit, et Dominus super tabernacula transiit, et sanguine agni postes nostrarum frontium consecrati sunt. Unde reor et traditionem apostolicam permansisse, ut in die* vigiliarum Paschæ, *ante noctis dimidium, populos dimittere non liceat, exspectantes adventum Christi. Et postquam illud tempus transierit, securitate præsumpta festum cunctos agere diem.* Item Lact. lib. VII, c. 19: *Hæc est nox quæ a nobis propter adventum regis ac Dei nostri, pervigilio celebratur. Cujus noctis duplex ratio est, quod in ea et vitam tum recepit cum passus est, et postea orbis terræ regnum recepturus est.* Hanc eamdem quam Gaudentius, *noctem vigiliarum* appellat Ado Viennen. in Chron.: *Desperatione deposita reditur ad Ecclesiam, in eaque, vigiliarum nocte sancti Paschæ, concepit animo Rogationes.* Et Alcimus Avitus de prima festi Rogationum institutione: *Tracta sunt hæc inter timores publicos, et rumores privatos usque ad imminentem* vigiliarum *solemnium noctem, qua celebrari festum Dominicæ Resurrectionis annua consuetudo poscebat.* Vide Lindenbrogium, Observat. ad Marcell. pag. 545.

[c] Ita passim nomen *Paschæ* inflectebant veteres,

lumine dimovere, cunctaque in statum tranquilli A
232 primordii revocare, quæ fuerant [a] velamine tetro confusa ab illo principe tenebrarum. Nam [b] veris tempore Deus condidit mundum. Martio enim mense dixit per Moysen Deus: *Mensis hic vobis initium mensium, primus est in mensibus anni* (*Exod.* XII). Quem mensem verax [c] utique Deus primum non diceret, [d] nisi primus esset; sicut septimum diem non diceret sabbatum, nisi Dominicus primus esset. Filius ergo Dei, *per quem facta sunt omnia* (*Joan.* I), eodem die, eodemque tempore, prostratum mundum propria Resurrectione resuscitat, quo eum prius ipse creaverat ex nihilo, ut omnia reformentur *in Christo quæ in cœlis sunt,* [e] *et quæ in terra sunt* (*Ephes.* I, 10); *quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia,* ut ait Apostolus; *ipsi gloria in sæcula* (*Rom.* XI, 36). Nec turbari quisquam nostrum debet, si interdum secundo mense, id est Aprili, Pascha nos celebrare lunaris ratio, et dies cogit Dominicus. Secundum lunæ enim cursum numerantur in Scripturis divinis dies. Cæterum Calendas, et Idus, et Nonas, et [f] mensium nomina ac dierum Gentiles posuerunt, [g] ut puta, quem vetustas humanæ memoriæ primum mensem tenebat, Paganus [h] hunc a Marte Martium 233 nuncuparet: et diem sabbati, [i] quem septimum rationabilium corda servabant, [j] ille Saturni

cujus exempla cuilibet obvia sunt. *Paschatis* pro eo nunc magis obtinet, sicuti observavit Voss. l. I de Analog. c. 20, estque tertiæ inflexionis, eodem B modo quo *ænigma*, *dogma*, aliaque verbalia a Græcis accepta, quamvis τὸ πάσχα non a Græcis, sed ab Hebræis derivatum, nisi alia probarent, certe doceret locus insignis Greg. Naz. Orat. 2, in sanctum Pascha, qui Jacobo Billio interprete sic habet: *Hoc* Pascha, *hoc, inquam, magnum, et venerandum* phaska *ab Hebræis juxta eorum linguam, nominatur, quæ vox transitum sonat, historica quidem ratione, propter Israelitarum ex Ægypto in Chananæam regionem fugam, et migrationem; sin autem spiritualem sensum spectemus, propter nostram ex his inferioribus ad superiora, atque ad promissionis terram progressionem et ascensum. Quod vero in permultis Scripturæ locis accidisse comperimus, ut nomina quædam ab obscuriori sensu ad apertiorem, atque a duriori sono ad elegantiorem, honestioremque immutata sint, idem hic quoque contigisse animadvertimus. Quidam enim salutiferæ passionis nomen hoc esse arbitrati, ac deinde per litteræ φ in π, et κ in χ mutationem, hanc vocem ad linguam Græcam accommodantes, hunc diem* Pascha *nominarunt. Atque hæc vox postea consuetudine atque usu confirmata est, multitudine videlicet hoc verbum, ut magis pium, calculo suo comprobante.* Codex Flor. legit *de pasce observatione.*

[a] Imitatur Ambrosium in lib. de Mysterio Paschæ cap. 2: *Est enim Pascha vere anni principium, primi mensis exordium, novella germinum reparatio, ac tetræ hiemis nocte discussa, primi veris restituta jucunditas.* In codd. Flor., Urb. et Vatt. duobus legitur, *velamine retro confusa.* Locus hic displicuit nupero cuidam critico, quem satis imperite locutum ostendimus in Præfatione ad Gaudentium. Videndus porro Gaspar Barthius, lib. XVIII Advers. c. 1, ubi totum hunc locum, aliaque non pauca Gaudentiani hujus tractatus, docte et accurate discutit.

[b] Secutus est Gaudentius consensum Patrum tum Græcorum, tum Latinorum, qui veris tempus mundo D condito assignant. Instar omnium erit Ambrosius, quem Gaudentii patrem καὶ διδάσκαλον jure optimo vocare possumus. Hic l. I Hexam. c. 4, ait: *In hoc ergo principio mensium cœlum et terram fecit, quod inde mundi capi oportebat exordium, ubi erat opportuna omnibus verna temperies.* Et in lib. de Myster. Paschæ c. 2: *Hoc tempore* (veris nempe) *visibilium et invisibilium conditor Deus defixa humo cœli machinam suspendens, diem solis ardore radiavit, splendorem lunæ solatio noctis attribuit, pendentem cœli cameram splendentium siderum decoravit ornatu.* Hanc eamdem sententiam Ethnicis quoque placuisse ostendit præter alia celebre illud carmen a Pithœo vulgatum:

Ver novum, ver jam canorum, vere natus orbis est;

si tamen vera sit ejus carminis emendatio quam exhibet Lips. l. I Elect. cap. 5. Qui magis autumno favent, rationem petunt a maturitate frugum, inter quos principem locum obtinet Josephus Scaliger l. V de emend. temp., nescio vetustatis potius, an novitatis amore. Certe in hoc non solum ab aliorum, sed etiam a patris sui sententia descivit. Cod. Flor., Urb. et Vatt. duo pro *veris tempore* legunt *veris temperie*; iisque consentit cod. Pantagathi, qui in sequenti etiam habet *verax utique.*

[c] Flor. codex, Urb. et Vatt. duo sic habent. Tres editiones, *ubique.*

[d] Latenter carpit sententiam Rabbinorum, qui initium Anni civilis conferebant in neomeniam mensis Thisri, æquinoctio autumnali proximam; et sic annum ordiebantur non a mense Nisan, qui Martio nostro respondet, sed a mense septimo post conditas fruges. Pluribus eos refellit Ricciol. l. I Chronol. Ref. c. 1, contendens hoc esse recentium Rabbinorum inventum, odio mensis Paschalis, quo Christus passus fuerat: vereor tamen quin satis tueri sententiam suam possit; quandoquidem opinio de duplici anno veterum Hebræorum, naturali scilicet, et C sacro, quos diversis temporibus inchoabant, jampridem certis argumentis fere apud omnes obtinuit. Vide Sig. lib. III de Rep. Hebr. c. 1 et 9, Buxtorf. Synag. Jud. cap. 17.

[e] Cod. Flor., *et quæ in terra.* Vatt. duo, *quæ in cœlis exstant, et quæ in terra.* In mss. Pantagathi paulo antea illud *quo eum prius* male habebat *quo enim prius;* at ipsius Pantagathi manu reformatum est *quo etiam prius.*

[f] Macrob. l. I, c. 12 et 15; Joan. Rosin. l. IV Antiq. Rom. c. 7; Hadrian. Jun., de Annis et Mensibus.

[g] Ita in mss. Flor. et Urb. editi, *utpote.*

[h] Notum est illud Ovidii III Fast.:

A te principium Romano ducimus anno,
Primus de patrio nomine mensis eat.

Aug. l. XVIII contra Faust. Manich. c. 5: *Diebus istis, quorum septenarius numerus in orbem redit, deorum suorum nomina Gentes imposuerunt, sed et mensibus; propter honorem quippe Romuli, quia eum Martis filium crediderunt, primum mensem Marti dicantes Martium vocaverunt.*

[i] Barthius, l. XVIII Advers. c. 1, ad hunc Gaudentii locum: *Rationabiles,* inquit, *vocat Judæos, quia Gentiles orbi vera luce, velut animalia bruta palabantur.*

[j] Hinc *Saturniacas catenas* Christianis inditas calumniabatur Faustus, quem sic explodit Aug. lib. XVIII contra Faust. c. 5: *Nec nos terret insultatio tua, quod sabbatorum otium catenas Saturniacas appellas. Vana est enim, et inepta, nec tibi hoc dicere venisset in mentem, nisi quia vos in die quem dicunt Solis, solem colitis. Sicut autem nos eumdem diem Dominicum dicimus, in eo quod non istum solem, sed Resurrectionem Domini veneramur: sic otium sabbatorum sine Saturni veneratione a patribus observatum est, cum sic illud observari oportebat.*

diem statueret appellandum. Scripturæ autem sanctæ cum de temporibus aliquid vel referunt, vel jubent, ita loquuntur: [a] *Decima die mensis secundi*, *et luna decima*, aut *quinta die mensis septimi;* aut *vicesima die mensis noni*, aut *quartadecima die mensis primi*, ut in Exodi libro pariter nunc audivimus (*Exod.* XII; *Levit.* XXIII); ubi observatio Paschæ describitur, et septem diebus ejusdem solemnitatis azyma comedenda [b] mandantur. Præcipit tamen Deus et hoc, ut si quis primo mense, vel immundus in anima hominis, id est mortui attactu pollutus, vel extra electum [c] sacrificii Hierosolymæ locum, in longinquo itinere constitutus Pascha [d] non potuit celebrare, [e] secundo mense celebret. Prævidens quippe Deus Gentium populos tunc adhuc hominum mortuorum simulacris immundos, et extra sanctum locum Ecclesiæ in longinquo positos, utique nos *qui eramus longe*, *et facti sumus prope in sanguine Christi* (*Ephes.* II, 13); dat licentiam, ut si primo mense nobis non occurrit [f] et dies Dominicus, et congruus lunæ numerus, secundo mense celebremus. Et ideo nec intra quartamdecimam lunam, nec ultra vicesimam primam celebrare possumus, quia septem tantum dies sunt azymorum paschalium, in quibus Dominicum quærimus diem. Vult enim nos Christus promulgator Legis et Gratiæ, neque legitimos juxta lunæ cursum computatos præterire dies, neque diem suæ Resurrectionis otio ingrato transcendere. Nam [g] sexta feria qua hominem fecerat, pro eodem passus est; et die Dominica quæ dicitur in Scripturis prima sabbati (*Matth.* VIII; *Gen.* I), in qua sumpserat mundus exordium, resurrexit; ut qui prima die **234** creavit cœlum, et terram (unde postea hominem faciens figuravit), prima etiam die omnem repararet hominem, propter quem fecerat mundum. Hæc breviter dixerim de ratione Paschali. Sed jam tempus est, ut virtutem eorum quæ in libro Exodi audivimus, [h] edisseramus. Ac primum, quid sit Exodus, advertamus. Exodus egressio appellatur. Egressio autem fuit de captivitate Pharaonis, [i] et Ægyptiorum, populi tunc Israel, [j] non nostri. Tibi ergo ut quid legitur, si aliis tantum profuit? Quid ad te, quod non pro te? Sed jam disce ab Apostolo magis universa pro te, quam pro illis esse quæ scripta sunt. *Lex*, inquit, *umbra erat futurorum bonorum* (*Hebr.* X); eorum quippe bonorum quæ in nobis completa sunt. Veritas enim Christus adveniens, bona quæ ante Judæis fecit umbratiliter, nobis nunc in veritate largitus [k] est, cum dicit ad discipulos: *Amen dico vobis, multi Prophetæ, et justi desideraverunt videre quæ videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt. Vestri autem beati oculi, qui vident; et aures, quæ audiunt* (*Matth.* XIII). Exodus ergo [l] beate atque perfecte consummatur in nobis quando [m] verus Moyses de Jordanis aqua sumptus, et [n] natura, non

[a] Vatt. duo atque Urb.: *Decima die mensis septimi, id est luna decima.* Flor., *mensis secundi, id est luna decima*, cui concinit ms. liber Octavii Pantagathi; quare in textu abjecta particula conjunctionis ita omnino legendum videtur: *Decima die mensis secundi, id est luna decima.*

[b] Cod. Urbin., *mundantur. Præcepit.*

[c] Flor. Cod., *sacrificiis yerosolyme.* Urb., *sacrificiis Hierozolymæ.* Vatt. duo, *Hierosolymæ sacrificiis locum.* Hunc locum Hierosolymæ sacrificiis destinatum fuisse templum, recentiores non pauci contendunt, ita ut extra illud Pascha celebrari non posset; a quibus aperte dissentit Gaudent., tract. seq., ubi de agno paschali hæc habet: *Singuli enim occidebantur per domos.* Vide observata nostra in eum locum.

[d] Flor., *non potuerit.*

[e] Kalendarium Judaicum die decima quarta mensis Ijar, sive Aprilis: *Pascha secundum celebrandum ab iis quibus non licitum fuerat, vel non potuerant Pascha celebrare mense primo.* Vide Num. IX.

[f] Adjecimus particulam conjunctionis, quam habent mss. codd.; in editis autem deest. Porro hæc eadem de tempore celebrandi Paschatis disciplina, agnoscitur a Philastrio, cap. 58, ubi Quartadecimanis succensens, qui mense Martio semper celebrandum Pascha asserebant, et hoc facientes diem Dominicam Paschæ non custodiebant, sed secunda, aut tertia, aut quarta, aut quinta, aut sexta die celebrabant, subdit: *Ex hoc errore non cognoscunt diem Paschæ Domini nostri veram et salubrem, unam orbi terrarum statutam et confirmatam a Domino, cursu numerali lunæ, mensibus, et embolismis; et cum hæc non computant, ignorant quid celebrent.* Adi, si lubet, notas Fabricii ad hunc Philastrii locum.

[g] Hunc Gaudentii locum profert Feu-ardentius in notis ad Irenæum, lib. V adversus hæres. c. 23, ad hæc verba: *In illa die mortem sustinuit Dominus obediens Patri, in qua mortuus est Adam inobediens Deo. In qua autem mortuus est, in ipsa et manducavit. Dixit enim Deus: In qua die manducabitis ex eo, morte moriemini. Hunc itaque diem recapitulans in semetipsum Dominus, venit ad Passionem pridie ante sabbatum, quæ est sexta conditionis dies, in qua homo plasmatus est; secundam plasmationem, eam quæ est a morte, per suam Passionem donans.* Ex hoc Irenæi loco colligitur, Adam manducasse, et mortuum fuisse sexta feria, quod tamen non dicit Gaudentius; sed tantum quod Deus sexta feria qua hominem fecit, pro eodem passus sit. Sexta feria, hoc est die Veneris, hora nona, Adam et Evam rebellasse, expulsosque fuisse e paradiso, affirmat etiam Eutychius Patriarcha Alexandrinus tom. I Annal. p. 15.

[h] Flor., cod. *disseramus*, itemque liber Pantagathi. Non est autem cur vulgatam lectionem mutemus. *Edissero* enim est *explano*, *declaro*. Cic. de clar. Orator.: *Quis docendo, edisserendoque subtilior?* Sed et *dissero* quoque eadem significatione accipitur. Hier. epist. ad Asellam: *Divinos libros, ut potui, nonnullis sæpe disserui.*

[i] Deest particula in mss. Sæpenumero voculas istas negligere properantes operæ nihil pensi habent, quod jam ter unica pagina deprehendimus.

[j] Vaticani duo, *nunc nostri*; σφάλμα est, ut statim a Gaudentio subjecta indicant. Liber Pantagathi habet, *non nostri.*

[k] Vocula *est* desideratur in quatuor mss. ut et in libro Pantagathi, sed voci *largitus* manu ipsius superscribitur *r* quo fiat *largitur.* In eodem libro paulo ante pro *umbratiliter* habetur *umbraliter.*

[l] Flor. cod. et Urb., *beata, atque perfecta*, ut etiam cod. Pantagathi. Vatt. duo, *benedicta atque perfecta.*

[m] Barthius, l. XVIII Advers. c. 1, ad hunc Gaudentii locum: *Sumptus de Jordane dicitur Christus per Baptismum; qua sumptione completur quod typo Moysis figuratum erat, quem infantem filia regis fluvio exemit. Hæc addenda existimavi, ne quem insolentius dictum sumptus de Jordane offenderet, cætera hujus Scriptoris sine offensione legentem.*

[n] Sic etiam serm. sequenti: *Quomodo natura unus*

positione, Deus, Dominus noster Jesus Christus, virga crucis suæ nos per aquam Baptismi de captivitate Pharaonis diaboli educit, ac de omni tenebrarum ejus Ægypto eripit, evocans nos in lucis opera de tenebris actuum **235** mundanorum, ubi aliquos adhuc positos increpat beatissimus Paulus : *Debueratis*, [a] inquiens, *de hoc mundo exisse ; nunc autem scripsi vobis non commisceri* (I *Cor*. v). Consideremus nunc quid audiant a Deo qui educuntur ex Ægypto : *Mensis hic vobis initium mensium, primus est*, ait, *vobis in mensibus anni* (*Exod*. XII). Legimus in Numerorum libro (*Num*. XXX) quod quicumque voverit votum, ut abstineat se [b] aut ab usu conjugali, aut a deliciis quibuslibet vel cibi, vel potus, usque ad præfinitum tempus, [c] et violaverit quocumque lapsu, dies præteritos ei non imputandos ; sed ut ab initium redeat. Sic non sunt imputati Israelitis illi dies quos consumpserunt in Ægypto : sed quando ingemuerunt [d] ad Dominum conversi ab operibus duris, et Dominus (*Exod*. II, XII) percussit [e] primogenita Ægyptiorum qui eos servire Domino non sinebant, tunc audierunt : *Mensis hic vobis initium mensium, primus est vobis in mensibus anni* (*Exod*. XII). Sunt enim quidam superstitionum dies, et menses, et anni, quos abrogat cum reprehendit [f] Apostolus (*Galat*. IV). Sunt alii, quos præcepit Deus, et imputat. Eramus et nos aliquando in Ægypto nescientes Deum, ac luminis et veritatis ignari, quos urgebant immundi spiritus, veri Ægyptii, laterem facere, terrenis videlicet inservire figmentis: at ubi conversi ad Deum sumus reclamantes ab operibus duris, verberati sunt Ægyptii multiplicibus plagis, et primitiva eorum percussa sunt. Salus enim nostra dæmonum pœna est. Nos autem respiravimus, et vivificati sumus; [g] neque enim vivebamus prius in illis diebus quibus mortui mortuos colebamus. **236** Tunc igitur opportune audivimus : *Mensis hic vobis initium mensium, primus est in mensibus anni* (*Exod*. XII). Quando novus nobis illuxit *dies* ille *quem fecit Dominus* (*Ps*. CXVII), quando cognovimus [h] mensem novorum sanctum, et annum Domini acceptum, et diem re-

Deus est, positione plures. Philastrius quoque cap. 134 : *Quid sit imago Dei natura proprietatis, et quid positionis sit gratia* ; et paulo post : *paternæ substantiæ, ac sempiternæ imago genita proprie, non positione servitutis creata ex nihilo*. Gaspar Barthius, lib. XVIII Advers. c. 1 : Ponere *contrarium est veritati, et imaginariam solum sanctionem notat. Estque ductus hic usus a calculo, qui summa imaginaria posita veram componit. Petronius Arbiter : Si recte calculum ponas, ubique naufragium est. Juvenalis Sat*. 9 : ... *ponatur calculus, adsint cum tabula pueri*. Hæc a Barthio. Est etiam Latinæ linguæ formula dicendi non insolens : *Pone eum esse victum*, pro *Finge eum esse victum* ; ut apud Terent. Phorm. act. IV, sc. III, 25

Verum pone esse victum eum : at tandem tamen
Non capitis ejus res agitur, sed pecuniæ.

[a] Mss. codd. *inquit*.

[b] Totum hoc deest in mss. Locus libri Numerorum sic habet : *Si voverit, et juramento se constrinxerit, ut per jejunium vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam*. Profecto Aug., qu. 59 super Num. t. IV, contendit hunc locum nullo modo intelligendum esse de abstinentia a concubitu. Fortasse legendum *ut abstineat se a deliciis quibuslibet vel cibi, vel potus*. In ms. Pantagathi habetur : *abstineat se aut a deliciis, aut cujuslibet vel cibi, vel potus*, sed videtur aliquid deesse. Legesis Barthium, l. XVIII Advers. c. 1, ubi locum hunc diligenter expendit.

[c] In mss., *violaverit illud*

[d] Mss., *ad Deum*

[e] *Primitiva* summo consensu habent mss. quatuor codd. Sic etiam infra : *primitiva eorum percussa sunt*, et hanc lectionem utrobique retinet etiam liber Pantagathi.

[f] Locus Apostoli hic est : *Dies observatis, et menses, et tempora, et annos. Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis*. De his superstitionum diebus auctor Comment. in Epist. ad Galat., inter Opera Ambros., t. V, edit. Froben: *Dies observant qui dicunt, ut puta, crastino proficiscendum non est : post crastinum enim non debet aliquid inchoari ; et sic solent magis decipi. Hi autem colunt menses, qui cursus lunæ perscrutantur, dicentes, ut puta, septima luna strumenta confici non debent. Nona iterum luna servum emptum, ut puta, domum duci non oportet ; et per hæc facilius solent adversa provenire. Fastos et Nefastos* dies antiqui vulgo appellabant (similitudine ab jure ducta, quod certis diebus dici fas, vel nefas erat), ut habet Suet. Tiber. c. 53, quamvis eum loquendi morem improbet Gellius l. V, c. 17. Horatius II, Carm. 13 : *Ille et nefasto te posuit die* ; et Liv. l. I, c. 20, de Numa : *Nefastos dies, fastosque fecit : quia aliquando nihil cum populo agi utile futurum erat*. Ominosi autem isti atque atri dies quinam essent, notat tum Gellius eodem loco, tum Virgilius Georg. I, 276 :

Ipsa dies alios alio dedit ordine luna
Felices operum. Quintam fuge........

et paucis interjectis :

Septima post decimam felix, et ponere vitem,
Et prensos domitare boves, et licia telæ
Addere ; nona fugæ melior, contraria furtis.

Vopiscus in Tacito : *Nec unquam noctem intermisit, qua non aliquid vel scriberet, vel legeret, præter posterum Calendarum diem*. Quem in locum Salmasius : *Posteri dies Calendarum, Nonarum, Iduum, veteribus infausti, atque atri habebantur*. In mss. legitur *quos abradit cum reprehendit Apostolus*.

[g] In mss., *non enim videbamus*.

[h] Ita Flor. cod. et Parisien. editio, quæ mihi verior lectio videtur. Exod XXIII : *septem diebus comedes azyma tempore mensis novorum* ; et cap. XXXIV : *Solemnitatem azymorum custodies in tempore mensis novorum*, scilicet fructuum. Rationem appellationis hujus tradit Ambros. l. X, ep. 83, de celebritate Paschali ad episcopos per Æmiliam constitutos : *Nec absurdum arbitror, ut inde observandi mensis trahamus exemplum, ubi primum Paschæ celebratum est Unde et majores nostri in tractatu concilii Nicæni ipsum* mensem novorum *recte custodierunt, quia in Ægypto hoc primo mense secantur frumenta*. Plinius, l. XVIII, c. 18 : *Inarari certum est abjecta prius semina in limo digressi anni* (de Nilo loquitur), *hoc est Novembri mense incipiente : postea pauci runcant, quod botanismon vocant : reliqua pars nonnisi cum falce arva visit paulo ante Calendas Aprilis. Peragitur autem messis Maio*. Vide Sigon. l. III de Rep. Hebr. c. 9, edit. Colon. : *Mensem novarum*, id est frugum: ut Exod. XIII : *Egredimini mense novarum frugum*; et Deut. XVI : *Observa mensem novarum frugum*. Edit. Lugdun., inepte, *mensem novatum* ; at Cod. Octavii Pantagathi, *mensem novorum*.

tribulationis. Opportunius autem congruit expositio A ista fidelibus : nam catechumenis adhuc tantum primitiva dæmonum sunt interfecta ; his vero qui ad gratiam merentur Baptismi cœlestis accedere, totus exercitus diaboli submergitur, ac necatur, ut vere ac merito audiant in Christo renati : *Mensis hic vobis initium mensium, primus est in mensibus anni* (*Exod.* XII). Congruit et pœnitentibus hæc explanatio, quos iterum tenebræ criminum, et Ægypti hujus caligo possederat. Nam si ingemiscant ad Dominum [a] resipiscentes et fugientes ab operibus nequissimis tenebrarum, lumen cœlestis indulgentiæ consequentur, et ad æternam lucem redibunt, et salutem. Scriptum est enim : [b] *Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris, et scies ubi eras* (*Is.* XXX, 15, *sec.* LXX), cum confidebas in illis. *Scies*, inquit, *ubi eras*. Tunc enim se homo in erroribus Ægypti B tenebrarum fuisse intelligit, cum ad lucem veritatis regreditur, atque justitiæ. Potest etiam pio sensu [c] hæc eadem oratio accipi de illa luce perpetua, quæ post consummationem sæculi, justis, ac fidelibus tribuetur ; quando penitus fuerit devicta mortis nox a Sole justitiæ, ut tunc audiant : *Mensis hic vobis initium mensium, primus est in mensibus anni* (*Exod.* XII) : tunc utique [d] quando interibit tota potestas Ægyptiorum, et liberati de hac Ægypto, verum manna comedemus, et de petra ipso Christo bibemus adhærentes Agni immaculati vestigiis, ac dicentes : *Adhæsit anima mea post te, me vero suscepit dextera tua* (*Ps.* LXII). Et ideo sanctus quisque adhuc in sæculo constitutus [e] suspirat ad illam quam mundus modo capere non potest, futuram lucem 237 dicens : *Sitivit anima mea ad Dominum vivum : quando veniam, et apparebo ante faciem Domini* (*Ps.* XLI) ? *Nunc enim videmus per speculum in ænigmate*, ait sanctus Apostolus, [f] *tunc autem facie ad faciem* (I *Cor.* XIII). Et modo quidem ad comparationem Judæorum, atque Gentilium qui in profunda nocte incredulitatis demersi noscuntur, et ad eorum comparationem qui in hæreseon caligine, ac nocte luxuriæ demorantur, nos videmur esse, et plane sumus in luce : sed ipsi dies nostri quibusdam nebulis prætexuntur, et non habent serenitatis lætitiam, dicente Propheta : *Dies mei sicut umbra declinaverunt* (*Ps.* CI). Ibi vero erit nobis ipse Dominus lumen æternum ; ut jam non tantum in umbra ejus salvemur, sed vivamus semper in splendore claritatis ejus : cui [g] omnis honor, virtus, et gloria, cum Patre, et Spiritu sancto, ante omnia, et nunc, et semper, et in cuncta sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

DE EXODI LECTIONE SECUNDUS.

[h] Egressis a fonte neophytis.

[i] *De ratione Sacramentorum quæ catechumenos audire*

[a] Hanc lectionem, quam exhibent Vatt. duo, et C Urbinas, prætulimus vulgatæ, quæ legit *respicientes, et fugientes*. Porro *resipiscentes et fugientes* habet etiam liber Pantagathi.

[b] Locum hunc, quem Gaudentius profert ex versione LXX, frustra requiras in Vulgata, quæ sic legit : *si revertamini, et quiescatis, salvi eritis*. Porro eodem modo quo Gaudentius, hoc Isaiæ testimonio utuntur Cyprianus in tract. de Lapsis, et ep. 34, edit. Amstelod. 1700, itemque Hieron. in ep. ad Sabinianum Diac. et in ep. ad Rusticum de pœnitentia.

[c] Mss. : *Hæc eadem ratio*.

[d] Mss. quatuor codd. legunt *quando interierit*.

[e] Mss. codd., nullo discrimine, *suspirat illam*, quod quidem videtur magis Latine dictum, licet receptam lectionem exturbare noluerim. Hieron., ad Heliodorum : *Ecce donativum quod militaturus acceperas, hostilia castra suspirant*. Passio S. Vincentii apud Ruinart. in Actis Martyrum : *ut vel sic possis probatam suspirare veritatem*. Ennodius Ticinensis, l. IV, ep. 34 : *Ego casum meum versa æstimatione suspiro*. D

[f] Sic legit Flor. cod. ; editi, *tum autem*.

[g] Flor. cod., *omnis honos*. Solemnis hæc est Gaudentio finiendi formula in cunctis fere tractatibus. Conciones porro veterum Patrum sub divinæ ac sanctissimæ trinitatis invocatione et glorificatione passim conclusas, pluribus ostendit Ferrar. l. I de Rit. sacr. Eccl. Conc. c. 32.

[h] In editis codicibus male omnino sic legebatur : *A regressis e fonte neophytis*. Nos idcirco lectionem Florentini ac duorum Vatt. bona fide expressimus. Carmen de Resurrectione quod vulgo sub Lactantii nomine circumfertur :

Candidus egreditur nitidis exercitus undis.

Egredi nempe de lavacro dicebantur recens baptizati, sicut *ingredi* qui ad Baptismum accedebant. Cyrillus Hierosol. Catech. Mystag. 1, Joan. Grodecio interprete : *Primum ingressi estis in porticum domus baptisterii* ; et Catech. Mystag. 2 : *Statim igitur ut ingressi estis, vestem exuistis*. Lectio quoque Urb. non displicet : *Regressis a fonte neophytis*, eamque Gaudentius ipse firmare videtur ad finem hujus tract., ubi de Baptismo Christi sic ait : *Aquas Baptismi, ut consecraret ingreditur, et exinde plenus Spiritu sancto, qui super eum in figura columbæ descenderat, a Jordane* regreditur, *testante Evangelista : Jesus autem plenus Spiritu sancto* regressus *est ab Jordane*.

[i] Hæc verba desunt in Vatt. duobus. In Flor. ad oram paginæ ascripta sunt. Habentur autem in tribus editionibus Paris, Colon. et Lugdun. Urbin. Cod. sic legit : *Regressis a fonte neophytis, quæ catechumenos audire non congruit, licet eadem scripta in Evangeliis patere omnibus videantur. De ratione Sacramentorum*, ac ferme eodem modo habet liber Pantagathi, nisi quia pro *regressis* legit *egressis*, quod nos quoque edidimus. Sacramenta quæ catechumenos ac nondum baptizatos audire, religio erat, duo potissimum : Baptismus et Eucharistia. De Baptismo Cyrillus Alexandr., l. VII advers. Julian. : *Dicerem sane de his* (nempe de Baptismi mysteriis) *etiam multa alia, et vera, demonstrans per Moysen et Prophetas præfiguratum esse hoc Sacramentum, et non novum, vel nuper ortum, nisi, sicut jam prædixi, revererer non initiatorum aures*. De Eucharistia Joan. Chrysost. hom. 72, in Matth., Frontone Ducæo interprete : *Eucharistiæ mysterium quanta misericordia plenum sit, initiati solummodo noverunt*. De utroque vero Sacramento acturus Ambrosius lib. de iis qui mysteriis initiantur, cap. 1, sic præfatur : *Nunc de mysteriis dicere tempus admonet, atque ipsam Sacramentorum rationem edere : quam ante Baptismum si putassemus insinuandam nondum initiatis, prodidisse potius, quam edidisse æstimaremur*. Et Cyrill. Hierosol. in Præfat. Catechės. : *Catecheses istas accedentibus quidem ad Baptismum, et his qui hoc lavacrum habent jam fidelibus, legendas exhibeas. Catechumenis vero et aliis qui non sunt Christiani, ne dederis : alioquin reddi-*

non congruit, licet eadem scripta in Evangeliis patere omnibus videantur.

Resurgente Christo a mortuis, ultio in Ægyptios per Sacramentum Baptismi facta est; pavescentibus inferis, ipso ad suscitationem sui corporis revertente; inimici Dei, hostes quippe populi ejus, exstincti **238** sunt. Clamat enim spiritus Propheticus: *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus; et fugiant qui oderunt eum a facie ejus; sicut deficit fumus, deficiant; sicut liquescit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei, et justi epulentur* (*Ps.* LXVII). *Redemptionem misit* pius Pater *populo suo, memor testamenti sancti sui* (*Ps.* CX), quod disposuit patribus nostris *Abrahæ et semini ejus in sæcula* (*Luc.* I). [a] Potens enim Deus suscitavit *de lapidibus istis* quondam durissimis (Gentibus) *filios Abrahæ* (*Matth.* III; *Luc.* III). Nunc *dicant omnes qui redimuntur a Domino, quos redemit de manu inimicorum, et de regionibus* [b] *congregavit eos a solis ortu, et occasu, ab aquilone et mari, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus* (*Ps.* CVI). Nam *in exitu* illius *Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro, Judæa* tantum *facta est sanctificatio ejus* (*Ps.* CXIII); nunc autem *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus* (*Ps.* CXXVII). *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Ps.* XXXI). *Non enim est distinctio Judæi, et Græci: idem namque Dominus, dives in omnes* [c] *qui invocant illum* (*Rom.* X.); quia, sicut scriptum est: *Omnis* [d] *quicumque invocat nomen Domini, salvus erit* (*Ibid*). Quotquot igitur invocantes Dominum salutem recipimus exstinctis Ægyptiis, discamus manducare pascha, non sicut insipientes Judæi, qui post adventum veritatis adhuc umbram sequuntur, [e] ovem quisque per unamquamque domum quartadecima die mensis primi [f] occidens, et comedens. **239** Ex quo enim venit, cujus umbra fuerat ista ovis (*Joan.* V), verus ille Agnus Dei Dominus Jesus, qui tollit peccata mundi, et dixit: *Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI) ipsis; frustra jam Judæi carnaliter exercent, quod nisi nobiscum [g] spiritualiter fecerint, habere in se vitam non poterunt. *Lex enim spiritualis est* (*Rom.* VII), ut ait Apostolus, et *Pascha nostrum immolatus est Christus* (*I Cor.* V). Quæ vero virtutes præfiguratæ sunt spiritales in ipsa historia Exodi (*Exod.* XII), ubi [h] celebratio paschæ narratur, qui sit decimus dies, qui quartus decimus, quæ immolatio perfecti, masculi, anniculi agni ad vesperam, qui sanguis liniendus in postibus, quæ convocatio vicinorum, quæ [i] calciamenta, qui baculi, quod fermentum, [j] quæ azyma, necesse est ut adjuvante Domino a die crastina incipiamus exponere. Modo autem ea solum de ipsa lectione carpenda sunt, quæ præsentibus catechumenis explanari non possunt, et tamen necessario sunt aperienda neophytis. In umbra illius legalis paschæ non unus agnus occidebatur, sed plures; [k] singuli enim occidebantur per domos, nam

turus es Domino rationem. Hæc erat autem disciplina Arcani, qua arcebant Patres nondum initiatos a mysteriorum conspectu, ut sacrorum nostrorum majore desiderio accenderentur. Vide Ferrar. lib. II de Rit. sacr. Eccl. Conc. c. 18; Bona lib. I Rer. Liturg. cap. 16. In hoc tractatu Gaudentius latenter agit de Eucharistia, unde paulo inferius ait: *Modo ea solum de ipsa lectione carpenda sunt, quæ præsentibus catechumenis explanari non possunt, et necessario tamen sunt aperienda neophytis.* Hunc Gaudentii locum laudat Bona dicto lib. I, cap. 16.

[a] Irenæus, lib. IV advers. hær. cap. 16, edit. Feu-ardentii Parisien. 1576: *Hoc autem fecit Jesus a lapidum religione extrahens nos, et a nostris duris et infructuosis cogitationibus transferens nos, et similem Abrahæ fidem in nobis constituens.* Quem in locum sic Feu-ardentius: *Locum hunc eodem sensu et iisdem fere verbis interpretatur Clemens Alexandrinus, Deum ex lapidibus filios Abrahæ suscitasse, cum justitiam et cordis duritiem eorum qui lapidibus duriores evaserant adversus veritatem, excitavit semen pietatis in Deum, virtutem sentiens ex lapidibus illis, nempe Gentibus, quæ crediderunt lapidibus* (*Orat. ad Græcos. Eodem pacto et Gaudentius Brixianus tract. 2 in Evang.*). Male citat, nam est tract. 2 de Pasch. sive in Exodum.

[b] In duobus Vatt. sic legitur: *Filios Abrahæ, quos redemit de manu inimicorum, de regionibus congregavit eos a solis ortu.* Cætera omissa sunt a librario; qui quidem defectus occurrit etiam in mss. Octavii Pantagathi, non parvo hujus loci detrimento.

[c] Duo Vatt., *qui vocant.*

[d] Duo Vatt., *quicumque invocaverit*, ut etiam cod. Pantagathi. Flor., *quicumque invocaverit.*

[e] Hoc loco alta erat nox, nisi facem prætulissent duo Vatt. codd. atque Urb. quorum lectionem sincere exhibuimus. In editis pessime legebatur *quem quisque*, at cod. Pantagathi *ovem quisque*, sicuti etiam in sequenti *occidens, et comedens*; quapropter recta lectio tam sæpe asserta, de bonitate hujus Codicis nos dubitare non sinit.

[f] Ut totus hic locus vitiosus esset, in editis exstabat *occidebant, et comedebant.* Reposuimus *occidens, et comedens* ex Flor., Urb. et Vatt. duobus. Itaque integrum locum emendatum Urbinati et Vatt. codicibus debemus.

[g] Vatt. duo, *spiritaliter*, sicuti infra *spiritalis* et *spiritales*, quæ lectio est etiam alibi in libro Pantagathi. Vide, supra, Præf. ad Benivolum pag. 227, et serm. 11 extremo, ad verba *ut spiritualibus inhærere.*

[h] In utroque Vat. cod., *immolatio pascæ.*

[i] Tres editiones, *calceamenta.* Flor., *calciamenta*, quam meliorem lectionem opinor. Est item Salvianica dictio l. I de Gubernat. Dei, *calciamenta non rupta*: et Baluzius in not. ad Salv., pag. 46, pro *excalceatos* reposuit *excalcios. Calciari et calciare* apud juniorem Plinium et Suetonium observavit Voss. lib. VII de Vitiis sermonis. Sic etiam Gaudentius, infra, *calciati*, et *calciamenta*, non uno in loco.

[j] Ita Flor. et Vatt. duo. Editi atque Urb., male, *quæ azymæ.* Infra, tract. 7, *azyma cum amaritudine manducanda.* Vide quæ ibi annotavimus.

[k] Non ergo in templo, ut quidam ex recentioribus volunt. Sic etiam supra: *Ovem quisque per unamquamque domum occidens et comedens.* Et, inf., tract. 4: *Non omnis Synagoga occidebat unum, sed pauci singulos per unamquamque domum.* Philo, lib. III de Vita Mosis, Gelenio interprete: *Quo tempore* (loquitur de festo Paschæ) *non ut alias plebeii homines victimas adducunt ad altare mactandas a sacer-*

sufficere unus non poterat universis, quoniam figura erat, non proprietas Dominicæ Passionis. Figura etenim non est veritas, sed imitatio veritatis; nam et homo ad imaginem Dei factus est, nec tamen idcirco Deus est : tametsi ea ratione qua imago Dei [a] dicitur, dicatur et Deus; quomodo natura unus Deus est, positione plures. Ergo in hac veritate qua sumus, unus **240** pro omnibus mortuus est; et [b] idem per singulas ecclesiarum domos, in mysterio panis ac vini, reficit immolatus, vivificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus. Hæc Agni caro, hic sanguis est. Panis enim qui de cœlo descendit, ait : *Panis quem ego dabo, caro mea est pro sæculi vita* (*Joan.* VI). Recte etiam vini specie [c] sanguis ejus exprimitur, quia cum ipse in Evangelio dicit : *Ego sum vitis vera* (*Joan.* XV), satis declarat sanguinem suum esse omne vinum quod in figura Passionis ejus offertur : unde beatissimus patriacha Jacob de Christo prophetaverat dicens : *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ amictum suum* (*Gen.* XLIX). Stolam quippe nostri corporis [d] indumentum suum, proprio erat sanguine abluturus. Ipse igitur naturarum creator et Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus (quia et potest, et promisit) efficit proprium corpus : et qui de aqua vinum fecit, [e] facit et de vino sanguinem suum. Qualiter itaque manducari debeat Agnus iste, ex ipsa lectione debemus advertere. *Non edetis quid ab eo crudum, neque coctum in aqua, sed assatum igni : caput cum pedibus, et interaneis* (*Exod.* XII). Duæ sunt spirituales intelligentiæ in his dictis, quarum si unam sequaris, ambas noveris. Omne corpus divinæ Scripturæ tam veteris quam novi Tastamenti, Filium Dei continet; vel venturum promittens in hominen, vel jam venisse declarans. [f] Unde beatus Philippus inventus a Christo invenit Nathanael, et dicit ei : *Quem scripsit Moyses* [g] *in Lege, et Prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth* (*Joan.* I). Et quid plura, charissimi? [h] In ipso continetur omnis Lex et vetus, et nova : et ut sic dixerim, ipse est anima Legis. Ipse enim per Moysen locutus est, [i] cum dixit illi : *Ego aperiam os tuum, et inspirabo quæ debeas loqui* (*Exod.* IV). Ipse et per Prophetas, cum dicit, *Qui loquebar in Prophetis, ecce adsum* (*Is.* LII). Ipse etiam per Apostolos, cum dicit Paulus apostolus : *An experimentum quæritis ejus* [j] *qui in* **241** *me loquitur, Christus* (II *Cor.* XIII)? Has igitur immaculati Agni carnes, id est doctrinæ ejus viscera, neque cruda sine interpretatione sumi oportet, neque cocta in aqua, id est eorum dissertione dissoluta, atque decocta, qui velut aqua deorsum fluunt, nihil supernum sentientes; sed assata, inquit, igni, id est spiritu divino solidata atque tosta. Ignis enim sursum versum tendit. Unde dicebat Dominus Judæis : *Vos de inferioribus estis, ego de supernis sum* (*Joan.* VIII). Ergo quoniam membra Agni Dei Scripturas ejus diximus, videamus quid est caput cum pedibus, et interaneis, videlicet ut [k] in capite divinitatem accipias in quatuor Evangelistarum testimonio : [l] pedes ad incorporationem sumimus,

dotibus, sed jubente Lege tota gens sacrificat, dum pro se quisque mactat hostiam suis manibus. Et in tract. de Decal : *Pascha dicitur, quando populariter singuli sacrificant, non exspectatis sacerdotibus, ipsi permissu Legis fungentes sacerdotio quotannis per unum diem.* Ut Philonis auctoritatem elevet, Natalis Alexander, t. I. Hist. Eccles. Vet. Testam. p. 280, ait, ipsum *oratorio more* fuisse locutum. At Lamy, in tract. de Veteri Judæorum Paschate Gallice edito, pag. 134, Philonem explodit, eo quod Alexandrinorum schismati faveret. Profecto istorum auctorum rationes et argumenta valde roborantur testimonio Zenonis Voronensis episcopi, qui serm. 7 de Exodo hæc habet : *Pharisæus quemadmodum legitimum Pascha possit celebrare non video, cujus eminens famosumque illud templum, miserabili vastatione campis æquatum, suo pulvere jacet sepultum.* Et serm. 13 de Exodo : *Judæos legitimum Pascha celebrare non posse paucis accipe, Christiane. Salomonis templum hostili vastatione subversum cum ruina sua jaceat sepultum, ubi sacrificant?* Item Hier. in epist. ad Nepotian. : *Nec immolemus agnum, nec mysticum Pascha celebremus, quia hæc absque templo fieri Lege prohibentur.*

[a] In editis *dicunt*. Quamvis hoc loco vitium per se pateat, tamen officii nostri est monere *dicitur* legi in codd. mss.

[b] Totum hunc Gaudentii locum, ubi tam perspicue disserit de veritate Sacramenti Eucharistiæ, protulit illustrissimus de Marca, dissert. de Sacram. Eucharistiæ, Gaudentium referens inter antiquos Patres, qui veritatem hujus mysterii aperte ac luculenter professi sunt.

[c] Editi, *tum sanguis ejus*. Abjecimus otiosam illam particulam, cum non exstet in mss.

[d] Et hic quoque non modicum latebat vitium, quod sanavimus freti subsidio mss. Editi nempe legebant : *Stolam quippe nostri corporis indumentum, suo proprio erat sanguine abluturus*, qua lectione nihil ineptius. Flor., *indumentum suum, proprio erat sanguine abluturus;* Vatt. duo, *indumentum suum, proprio erat sanguine diluturus*; eodemque modo etiam cod. Octavii Pantagathi.

[e] Exciderat verbum *facit* in editis, quod supplevimus ex Flor. et Vatt. duobus. Habet illud etiam liber Pantagathi.

[f] Flor., Urb. et Vatt. duo legunt : *Unde beatus Andreas dicebat ad fratrem suum Simonem Petrum, Quem;* atque his codd. consentit liber Pantagathi. Utraque lectio Evangelico textu fulciri potest.

[g] Editi, corrupte, *in Lege et Prophetis*. Flor. et cod. Pantagathi, *Prophetæ*. Exigua quidem emendatio, sed valde necessaria; nihil enim scripsit in Prophetis Moyses.

[h] Unus ex Vatt. duobus, *in Christo;* alter, *in ipso Christo*. Aptior autem omnino videtur lectio hujus loci quam suppeditat liber Octavii Pantagathi : *Et quid plura? clarissime in ipso continetur.*

[i] Vat. uterque, ac Flor., *cum dicit*.

[j] Mss., *ejus qui in me loquitur, Christi*.

[k] Parisien. et Colon. editio *in capita*. Male. Lugd. et Flor. cod., *in capite*. Recte.

[l] Scilicet ad incarnationem, quam *corporationem* Hilarius quoque appellavit in Prol. super Psalm. Philastrius vero *incorporationem* vocat cap. 69 : *Alii sunt qui circa* incorporationem *aberrant*. Item Cassiodor. l. II Divin. lect. c. 32 : *qui humano generi tam magna largitus est, ut per* incorporationis *beneficium rumperet vincula peccatorum*; et Gaudentius ipse tract. 14 : *Si omnia opera in fide, quanto magis istud opus sacratissimæ* incorporationis *ejus!* Et tract. 19 : *Aliter futuræ* incorporationis *suæ humilitatem*

circa finem sæculi celebratam. Pedes enim extremæ partes sunt corporis: in interaneis autem percipias occulta mysteria. *Et non relinquetis*, inquit, *ex eo usque in mane, et os* [a] *non confringetis ex eo. Quæ autem superfuerunt ex eo usque in mane, igne cremabitis* (*Exod.* XII): hoc est, si qua mysteriorum superaverint, in mane illius futuræ resurrectionis manifestanda, quæ capere modo non possumus. *Modo enim scio ex parte*, inquit Apostolus, *tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum* (I *Cor.* XIII). Hæc igni cremanda sunt, id est divino tradenda spiritui: ut ea quorum rationem modo non capimus, ardentis fidei spiritu consumantur. [b] Quod autem dixit, *os non conteritis ex eo* (*Exod.* XII): hoc præcipit, ut omne quod est in Scripturis robustius, atque validius, non comminuatur, neque quassetur, sed solidum maneat; quod præceptum non custodientes, merito væ excipiunt ab eo cujus ossa comminuunt. *Væ vobis*, inquit, *Scribæ, et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, et anethum, et* [c] *cyminum, et reliquistis quæ fortiora sunt Legis, judicium, et misericordiam, et fidem* (*Matth.* XXIII). Hæc sunt ossa agni. Et alibi ad ipsos: *Irritum facitis*, inquit, *verbum Dei, ut traditiones vestras statuatis* (*Matth.* XV). Adjicit vero Deus in Exodo superioribus dictis hæc: *Sic autem comedetis illum* (agnum videlicet): [d] *lumbi vestri præcincti*, **242** *et calciamenta vestra in pedibus vestris, et baculi in manibus vestris, et edetis* [e] *illud festinanter. Pascha enim est Domini* (*Exod.* XII). De calciamentis, et baculis [f] longa ratio est, quæ alio tempore dissere-tur. De præcinctione lumborum, quod frequenter [g] a me latius dictum est, breviter nunc dicetur. Scribitur in Jeremia: *Et tu præcinge lumbos tuos, et dices ad populum* (*Jerem.* I). Et ad sanctum Job: *Præcinge tamquam vir lumbos tuos: interrogabo autem te, tu* [h] *vero respondeas mihi. Ubi eras cum ego fundarem terram* (*Job.* XXXVIII, XL)? et reliqua. Apostoli quoque audiunt: *Sint lumbi vestri præcincti* (*Luc.* XII); et cur

A istud tantopere jubeatur, in Joanne Baptista cognoscitur, qui zona pellicea præcinctus erat circa lumbos suos (*Matth.* III). Lumborum ratio quæ sit, significat Apostolus ad Hebræos: *Adhuc*, inquit, *in lumbis patris erat Levi*, id est [i] sacerdotale genus, *quando occurrit illi Melchisedech* (*Hebr.* VII). *Illi:* cui? sancto utique Abrahæ. Zona ergo pellicea circa lumbos, mortificationem significat vitiorum. Pellis enim quæ aptatur in usum, nonnisi mortui animantis est. Oportet ergo nos ex præcepto Dei mortificare prius concupiscentias carnis; et sic accipere corpus Christi, qui pro nobis servientibus [j] in sæculi Ægypto, est immolatus. *Propter quod probet se homo*, ut ait Apostolus, *et sic de isto pane manducet, et de calice bibat* (I *Cor.* XI). Quod autem di-
B cit cum festinatione illud manducandum, præcipit, ne lento corde, et ore languido, Sacramentum Dominici corporis sumamus, et sanguinis; sed cum omni aviditate animi, quasi vere esurientes, et sitientes justitiam. *Beati* enim, dicit Dominus Jesus, *qui esuriunt et sitiunt justitiam, quia ipsi saturabuntur* (*Matth.* V). Concludens autem proposita lectio, præclara quæ dixerat, fine dignissimo, ait: *Pascha est enim Domini* (*Exod.* XII). [k] *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei* (*Rom.* XI)! [l] *Pascha est*, inquit, *Domini*: hoc est transitus Domini; ne **243** terrenum putes quod cœleste effectum est per eum qui transit in illud, et fecit illud suum corpus et sanguinem. Nam quod supra generaliter exposuimus de edenda carne agni, specialiter in degustan-
C dis servandum est iisdem mysteriis Dominicæ Passionis: ut neque crudam carnem, crudumque sanguinem, sicut Judæus, esse putes, et respuas dicens: [m] *Quomodo potest iste* [n] *dare carnem suam manducare* (*Joan.* VI)? neque in olla cordis carnei, humoribus per naturam semper obnoxii, ipsum decoquas Sacramentum, [o] commune illud et terrenum esse existimans; sed ut per ignem divini spiritus id

designat. Ex hac Gaudentii sententia videtur desumptum illud quod habetur in libro de Essentia Divinitatis (inter Opera Augustino adscripta, edit. Ben. t. VIII, quisquis tandem illius libri auctor sit) in hunc modum: *Aliter pedes Filii Dei, incarnatio ejus intelligitur, quæ divinitati subjecta est, tamquam capiti pedes. Sive pro eo quod circa finem mundi ipsa incarnatio facta est. Sicut enim per caput* (*ut dictum est*) *divinitas, ita per pedes figuraliter humanitas ejus exprimitur.* Vat. duo, Urb. et cod. Pantagathi legunt *pedes ad incorporationem sumas.*

[a] Mss. codd., *non comminuetis;* et paulo post, *quæ autem superfuerint.*

[b] Iterum *dicit* pro *dixit* in Mss.

[c] Uterque Vat., *cuminum*, mutata *y* in *u*, ut sæpe fieri solebat. Vide Cassiod. Orthogr. cap. 1 et 4. Vatt. consentit liber Pantagathi.

[d] Ita in editis et mss. Lugdun. editio, *Sint lumbi vestri.*

[e] Sic habent mss. et editi. Unus ex Vaticanis, *illum.*

[f] In editis sic legitur. Mss. vero *longa ratio est, alio tempore.* Infra, tract. 5.

[g] Flor. et Vatt. duo, *latius vobis dictum est.*

[h] Mss. codd., *tu vero responde.*

[i] Flor. cod. et Urb. restituerunt hunc locum, qui nedum in editis, verum etiam in mss. mendose legebat *sacerdotali genere;* at in cod. Octavii Pantagathi, *sacerdotale genus.*

[j] Vox *sæculi* deerat in editis, eamque addidimus ex Urb. et Vatt. duobus; occurrit etiam in libro Pantagathi, sed modico librarii vitio pro *sæculi Æ-*
D *gypto* legitur *sæculo Ægypti.*

[k] Totum hoc usque ad illud, *Nescit mendacium veritas*, protulit Marca Dissert. de Sacram. Eucharistiæ; qui locus cum adeo præclarus sit, merito hunc Sermonem Scriptoribus nostris ad asserendum et propugnandum Eucharistiæ mysterium, maximo usui fuisse indicavimus in Præf. ad Gaudentium n. 10.

[l] Ex Vatt. unus: *Pascha est enim, Dominus inquit, id est.* Alter: *Pascha est enim, inquit, Domini.* Flor.: *Pascha est, inquit Dominus.* Cod. Pantagathi cæteris melius: *Pascha est, inquit, Domini.*

[m] Unus ex Vatt. *Quomodo posset.*

[n] Lugdunen. editio, *dare carnem suam ad manducandum.* Reliquæ editiones, ac mss. codd., *dare carnem suam manducare.*

[o] Unus ex Vatt. et Flor., *commune illud æternum.* Vat. alter, *illud, et terrenum;* quæ quidem verissima est lectio, et consentit quod supra dixit, *ne terrenum putes quod cœleste effectum est.* Urbin., *commune illud terrenum.* Editi, *commune illud ac terrenum.*

effectum quod annuntiatum est; credas: quia quod accipis, corpus est illius panis cœlestis, et sanguis est illius sacræ vitis. Nam cum panem consecratum et vinum discipulis suis porrigeret, sic ait: *Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus* (*Matth.* XXVI; *Luc.* XXII). Credamus, quæso, cui credidimus. Nescit mendacium veritas. Ideo cum de corpore suo manducando et sanguine suo bibendo turbis loqueretur stupentibus ac mussitantibus; *Durus est hic sermo, et quis eum potest audire* (*Joan.* VI, 61)? ut abstergeret per ignem cœlestem eas cogitationes quas vitandas esse prædixi, sic adjecit: *Spiritus est qui vivificat, nam caro nihil prodest. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt* (*Joan.* VI, 64). Et idcirco caput divinitatis ejus cum pedibus incorporationis et interioribus simul jubemur manducare B mysteriis, ut pariter universa, quemadmodum tradita sunt, credamus, non infringentes os ipsius illud solidissimum: *Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus* (*Matth.* XXVI; *Luc.* XXII). Si quid autem [a] superfuerit etiam nunc in uniuscujusque sensu, quod expositione ista non ceperit, ardore fidei concremetur: quoniam *Deus noster* [b] *ignis consumens est* (*Heb.* XII, 29), purgans, erudiens, et illuminans corda nostra ad intelligentiam divinorum, ut et ipsius a Christo instituti sacrificii cœlestis causam rationemque noscamus, inenarrabili dono ejus sine fine gratias relaturi. Nam vere istud est hæreditarium munus Testamenti ejus novi, quod nobis ea nocte qua tradebatur crucifigendus, tamquam pignus suæ præsentiæ dereliquit. Hoc illud est viaticum nos- C tri itineris, quo in hac via vitæ alimur ac nutrimur, donec ad ipsum pergamus de hoc sæculo recedentes; unde dicebat idem Dominus: *Nisi manducaveritis meam carnem, et biberitis meum* **244** *sanguinem, non habetis vitam in vobis* (*Joan.* VI) ipsis. Voluit enim beneficia sua permanere apud nos, voluit animas [c] pretioso sanguine suo sanctificari per imaginem propriæ Passionis; et ideo discipulis fidelibus mandat, quos [d] primos Ecclesiæ suæ constituit sacerdotes, ut indesinenter ista vitæ æternæ mysteria exercerent, quæ necesse est a cunctis sacerdotibus per singulas totius orbis Ecclesias celebrari, usquequo iterum Christus de cœlis adveniat, quo et ipsi sacerdotes, et omnes pariter fidelium populi, exemplar Passionis Christi ante oculos habentes quotidie, et gerentes in manibus, ore etiam sumentes ac pectore, redemptionis nostræ [e] indelebilem memoriam teneamus, et contra venena diaboli dulcem medicinam sempiterni tutaminis consequamur; sicut Spiritus sanctus hortatur: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (*Ps.* XXXIII). Quod autem Sacramenta corporis sui, et sanguinis, in specie panis et vini offerenda constituit, duplex ratio est. Primum ut immaculatus Dei Agnus hostiam mundam mundato populo traderet celebrandam, sine ustione, sine sanguine, [f] sine brodio, [g] id est jure carnium, et quæ omnibus ad offerendum prompta esset ac facilis. Deinde quomodo panem de multis tritici granis in pollinem redactis per aquam confici, et per ignem necesse est consummari; rationabiliter in eo figura accipitur corporis Christi, [h] quem novimus ex multitudine totius humani generis unum esse corpus effectum, per ignem sancti Spiritus consummatum. [i] Natus est enim de Spiritu sancto; et quoniam sic eum decebat implere omnem **245** justitiam, aquas Baptismi ut consecraret ingreditur, et exinde plenus Spiritu sancto, qui super eum in figura columbæ descenderat, a Jordane regreditur, testante Evangelista: *Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est ab Jordane* (*Luc.* IV). Similiter et sanguinis ejus [j] vinum ex pluribus acinis,

Cod. Pantagathi, *commune illud, et terrenum.*

[a] In mss. tribus codd., *superavit.* Sic etiam Gaudentius, supra: *si qua mysteriorum superaverint.*

[b] Vat. uterque, *ignis comburens.* Urb. quoque.

[c] Flor. cod. et Urb. addunt *redemptas.*

[d] Sic legitur in Vatt. duobus, et Urb. Editi, male, *primos et Ecclesiæ suæ.* Liber Pantagathi, *primos Ecclesiæ suæ.*

[e] Restituerunt lectionem Flor. cod. et Urb. Irrepserat namque tam in editiones quam in mss., *indelebili memoria.* Sed liber Pantagathi retinet *indelebilem memoriam.*

[f] Novum vocabuli genus, quod fortasse non intelligentes librarii supposuerunt. *Sine bromo* in Flor., Urb. et Vatt. duobus. Et quidem *sine bromo* legit etiam liber Octavii Pantagathi, a quo item abest glossema sequens, *id est jure carnium.* Bromos, Græce βρῶμος, Plinio lib. XXII, cap. 25, *semen est spicam ferentis herbæ, nascitur inter segetes avenæ genere*; et lib. XVIII, c. 11, *Bromos siligo exceptitia*; ita ut *hostia sine bromo* idem sit Gaudentio ac sine ulla aliena mixtura, quod optime convenit Eucharistico pani; proinde non immerito quis putet, *sine bromo* veram esse lectionem ex consensu mss.

Vocem *brodium* ex Gaudentio desumptam, inter Italicæ linguæ Origines retulit Octavius Ferrarius, ac præter eum de Italica lingua inter Gallos optime meritus Ægidius Menagius. Lingua vero Italica, uti observavit Lipsius de recta pronuntiat. Lat. linguæ c. 3, mille annos ante ipsius ævum nata. Equidem pergaudeo, Italicæ linguæ jam tum exordientis semina apud Gaudentium nostrum inveniri; quamvis non ideo Latina lingua, ejusque usus Gaudentii ætate omnino jam desiisse putandus sit; nam uti animadvertit Janus Rutgersius lib. I var. Lect. c. 13: *si quod verbulum jam inclinante Latini sermonis puritate, ex alterius linguæ fæce Romanæ adhæserit, non ex eo statim sequitur universam interiisse.* Vulgarem D porro linguam ex Latina male pronuntiata, et prave constructa ortam, atque exinde, secundum diversam regionum et populorum indolem, in varias dialectos divisam, insinuat Fontaninus de Horta Colon., in append., pag. 332, 333. Utrum recte, an secus, aliorum esto judicium; nec ego magnopere intercedo, quin cuique prout lubet, hac de re sentire liberum sit.

[g] Videtur glossema hoc a librariis additum. Deest quoque in mss.

[h] Sic emendandus videbatur omnino hic locus, etiamsi ita in Flor. et Urb. non exstaret. Editiones et Vatt. duo præferunt *qui novimus.*

[i] Reddidimus integra fide lectionem Flor. cod. et duorum Vatt. In editis ab his verbis usque ad illud *Similiter* ita omnia inversa ac perturbata sunt, ut nemo queat veram sententiam elicere; at liber Octavii Pantagathi rectam lectionem præferens, Florentino et Vatt. duobus perfecte consentit.

[j] Præclarus D. Augustini locus, tract. 26 in

[a] id est uvis vineæ ab ipso plantatæ, collectum, in A torculari crucis exprimitur, et per capacia vasa fideli corde sumentium propria virtute fervescit. Hoc sacrificium [b] Paschæ salutaris omnes de potestate Ægypti et Pharaonis diaboli exeuntes, tota nobiscum religiosi cordis aviditate percipite, ut ab ipso Domino nostro Jesu Christo, quem Sacramentis suis inesse credimus, viscerum nostrorum sanctificentur interna : cujus virtus inæstimabilis permanet in omnia sæcula.

SERMO III.

DE EXODI LECTIONE TERTI

(*Prima dominica Paschæ.*

Deus loquitur per prophetam : *Ecce ego facio cœlum novum, et terram novam : et luna lucebit sicut sol, et sol septies tantum* (*Isa.* LXVI, XXX). Quamvis B elementorum futuram renovationem prædicet [c] post hujus sæculi finem, *ipsa utique creatura*, ut ait Apostolus, *liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei* (*Rom.* VIII). Neque enim, charissimi, vel elementa sic deficient, ut non sint, [d] vel nos sic moriemur, ut non meliorati surgamus: tamen et hoc die promissionem Domini cernimus esse completam; renovatas ad instar cœli et terræ neophytorum animas intuentes, et corpora. Lunam quoque, id est Ecclesiam, quæ in pace crescit, in persecutione minuitur (minuitur autem globo plenitudinis, non lumine claritatis), nunc eam sicut solem cernimus per totum splendere orbem. Cæterum quod Sol justitiæ Christus **246** septies tantum terris hodie luceat, quam lucebat, radii ejus testes C sunt, *qui illuminant omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I). Nunc enim coruscat ex ipso [e] igneus ille Spiritus septiformis, qui *velut ignis sedit super Apostolos* (*Act.* II), et ardet hodie in unoquoque credentium. Nam priusquam pateretur ac resurgeret Christus, *notus* erat tantum *in Judæa Deus* (*Ps.* LXXV), nunc in omnes gentes fulgor claritatis Dominicæ pertransit. *A summo* enim *cœli egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat a calore ejus* (*Ps.* XVIII). Ergo, quoniam reparatus est hodie mundus, agamus exsultantes natalem reformationis mundi. *Hic est dies quem fecit Dominus ; exsultemus, et lætemur in eo* (*Ps.* CXVII). Mundi vero natalem cum dico, nostrum dico, qui renati sumus in Christo, qui eramus ante viventes quidem peccato, mortui autem justitiæ, et nunc iniquitatibus criminum mortui pristinorum, [f] vivere Deo jam cœpimus, conformes effecti primum mortis, deinde resurrectionis Christi. Consepulti enim sumus cum ipso per Baptismum in mortem; ut quemadmodum Christus resurrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitæ ambulemus diem festum celebrantes, et gloriantes in cruce Domini nostri Jesu Christi, [g] qui acceptus decima die mensis primi, quartadecima die ad vesperum mundi a Judæis immolatus est. Sed quid significet ille decimus dies, quid quartus decimus, ut promissioni hesternæ satisfaciam, prout Dominus largiri dignabitur, explanabo. Ait Deus sancto Moysi : *Loquere ad omnem synagogam filiorum Israel, dicens : decima mensis hujus sumat unusquisque ovem per domos familiarum, ovem per singulas domos. Quod si pauci erunt in domo, ita ut non sufficiant ad ovem, assumet secum vicinum proximum suum, secundum numerum animarum : unusquisque quod sufficiat sibi computabit in agno. Agnus autem perfectus, masculus, anniculus erit vobis : ab agnis, et hædis sumetis : et erit vobis servatus usque in quartam decimam mensis hujus : et occident illum omnis* **247** *multitudo synagogæ filiorum Israel ad vesperum. Et sument de sanguine, et imponent super duos postes, et super limen in domibus, in quibus manducaturi sunt eum* (*Exod.* XII). Multiformis sapientia Dei ita per Legem loquitur, ut iisdem dictis futura præ-

Joan., sub finem : *Dominus noster Jesus Christus corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis conficitur, aliud in unum ex multis acinis confluit.*

[a] Hoc item glossema deest in mss.

[b] Ita Vatt. duo, Flor. et Urb. Editi, *Paschæ Salvatoris* : σφάλμα librariorum, quod abest a ms. Pantagathi.

[c] Videtur hic locus nonnihil χιλιασταῖς favere; sed videsis Hier. in Jerem. c. XIX, et Aug. l. XX de Civ. Dei c. 7, ne simul cum Gaudentio Irenæum, Justinum, Lactantium, aliosque summi nominis viros, immerito erroris accuses. Duplex enim fuit Chiliastarum genus, unum spirituale, carnale alterum. Facit ad hunc Gaudentii locum Lact. l. 7 Div. Inst. c. 24 : *Tunc auferentur a mundo tenebræ illæ quibus offundebatur atque obcæcabatur cœlum; et luna claritudinem solis accipiet, nec minuetur ulterius. Sol autem septies tanto, quam nunc est, clarior fiet.*

[d] Nonnullæ editiones paulo ante habent *vel elementa sic deficiunt*, hic vero in mss. *sic morimur.* Liber Pantagathi ut prius *sic deficiunt*, ita hic quoque *sic morimur.*

[e] Ita lego in Flor. et Urb. Editi, *igneus ipse.*

[f] Cod. Flor., *vivere Deo accepimus*, itemque unus ex Vatt.; alter, *vivere Deo cœpimus*. Urb., *vivere Deo jam accepimus* : Cod. Octavii Pantagathi, *vivere Deo accepimus*; sed ipsius manu ad oram paginæ scriptum est *cœpimus*.

[g] Quamvis hæc infra Gaudentius de Christo allegorice intelligat, tamen abs re non putamus hic annotare, recte quidem observatum a doctis viris, a Lap. in Joan. c. XII, et Reizio in notis ad Goduvinum, pag. 244, edit. Ultrajecti 1698, Christum illa D ipsa die Hierosolymam ad festum, et Pascha suum σταυρώσιμον venisse, qua Deus agnum in Ægypto seponi jusserat, nempe decima die mensis Nisan. Etenim sex ante pascha diebus venit Bethaniam (Joan. XII, 1), id est die nono mensis Nisan; postero vero die profectus est Hierosolymam (v. 12), ut offerendum se sisteret Deo. Prior utroque idem observaverat Eligius Noviomensis episcopus, hom. 14, ubi disserens de paschæ præcepto Judæis tradito in Lege veteri, hæc habet : *Quæ cuncta in vero Dei Agno Jesu Christo adimpleta, et suo nostroque Paschæ sunt coaptanda, ut quod tunc agebatur figurate, nunc fiat in veritate. Agnus denique ille, ut diximus, Christus est, qui decima die primi mensis Hebræorum, qui apud illos Nisan, apud nos Martius vocatur, Hierosolymam passurus venit.*

nuntiet, quibus fieri salubriter jubet instantia. Judæos tunc in his observationibus secuturæ veritatis umbra salvavit: significans pariter quod eorum posteri, beneficiorum immemores divinorum, ipsum advenientem trucidaturi essent, cujus sub umbra salvati sunt. Ab ipsis enim Christus in hunc mundum veniens, *sicut ovis ad victimam ductus est* (*Isa.* LIII); cujus Agni nos sanguinem (signum videlicet Passionis) vel in duobus postibus, seu fide, et opere, seu corde, et ore; [a] vel in liminaribus habentes nostrarum frontium ab omni incursu sævientis plagæ protegimur. Quod autem decima die agnus accipitur, et quartadecima immolatur, [b] hoc significari perspicio, quia Judæorum populus Filium Dei in Decalogo Legis acceptum, et post transmigrationem Babylonis, (sicut scriptum est (*Matth.* I), quartadecima generatione nascentem, crucifixurus esset ad vesperum. Ad vesperum autem, sive hujus mundi, quia novissimis temporibus sæculi passus est; sive etiam ad ipsius solis occasum, quoniam crucifixo Domino occidit sol. Meridie namque *ab hora sexta tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam* (*Matth.* XXVII). Quid potuit esse tam vesperum? Nec illud otiosum putes, quod cum superius imperativo modo dictum sit, *sumant ovem per domos*, infra indicativo modo pronuntietur, *occident eum omnis multitudo synagogæ filiorum Israel* [c] *ad vesperam. Occident*, ait; non, *occidant.* Synagoga quippe Judæorum quod erat crudeliter factura, prædictum est; non, ut fieret, jussum est: [d] nec ideo factum est, quia prædictum erat; sed ideo prædictum est, quia erat futurum; ut præscientiam suam Deus in his quæ per libertatem arbitrii hominum futura erant, ostenderet. Libertatem diximus arbitrii, quia voluerunt Judæi facere quod fecerunt: et utique [e] si noluissent, non fecissent. Certe ingentis sacrilegii

A est vel cogitare, quod Deus, qui non solum bonus et justus, sed ipsa bonitas est, [f] et ipsa justitia; vel jubeat **248** aliquid, vel cogat fieri, [g] quod factum damnet. An fortasse putamus, [h] quia si pœnituissent Israelitæ, aliter omnipotens Filius Dei salvare non potuerit mundum? *Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit* (*Rom.* XI, 34)? Considera in Evangelio, quomodo exspectaverit Christus pœnitentiam Judæorum; ubi exprobrat civitatibus in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quod non egerint pœnitentiam: *Væ tibi*, inquit, *Chorozaim! væ tibi, Bethsaida! quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim utique in cilicio et cinere sedentes pœnitentiam egissent. Verumtamen dico vobis: Tyro et* B *Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis. Et tu, Capharnaum, quæ usque in cælum extolleris, usque in infernum demergeris*, inquit; *quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, mansissent utique usque in hodiernum diem; sed tamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam vobis* (*Matth.* XI; *Luc.* X). [i] Præscientia quidem Dei non fallitur; sed nec homini concessa semel voluntatis libertas aufertur, ne nihil [j] de eo judicare possit qui liber non fuerit in agendo. Pertinaciam mali damnat Deus conversionem pœnitentis amplectitur. Sed dicas: Numquid mentiri [k] potuit Deus, qui facturos eos prædixerit quod fecerunt? Quanta sit virtus omnipotentiæ ejus [l] non assequimur, qui *vocat ea quæ non sunt* C *tamquam quæ sunt* (*Rom.* IV, 17). Mentiri eum putaremus potuisse, si ea quæ prædixit, impleta non fuissent. Ergo et Ninivitis mentitus est? Dixit enim, *adhuc triduum, et Ninive* [m] *evertetur* (*Jonæ* III, *sec.* LXX): et eversa non est, quia pœnitentiam egit in prædicatione Jonæ. [n] Sed intellige. Sermo Dei gladius est ex utraque parte acutus (*Hebr.*

[a] *In liminibus* legunt Vatic. uterque, Flor. et Urb.; qui profecto codd. consensus monuisse debuerat etiam in priori editione pro *liminaribus*, quod barbare dictum, supponendum esse *liminibus*. Infra quoque, serm. 6 init. habet, *quod illud limen*, et ad fin. *in limine frontis*; quare a mss. lectione non est recedendum. Cod. Octavii Pantagathi pro *liminibus* lapsu librarii scribit *luminibus*; sed etiam hoc modo genuinam lectionem asserit.

[b] In mss. *hæc significari.*

[c] Uterque Vat., Urb. et Lugdun. editio *ad vesperum*, siculi etiam Gaudentius ipse paulo antea non una vice. Vatt. item supra et Urbinas quoque *istius solis*, pro *ipsius*; quæ esto levia sint, tamen duximus non prætermittenda.

[d] Hæc verba desunt in mss. vitio certe librariorum, aliter enim sententia non constat; qua culpa non caret etiam liber Octavii Pantagathi.

[e] Sic Florentinus. Vatt. duo atque editi *voluissent*. Male. In ms. Pantagathi *si noluissent non fecerant*, at ipsius manu in margine rescriptum est *facerent.*

[f] Vatt. duo, *et in opere justitia.*

[g] Nescio quomodo huc irrepserit verbum *admirabiliter*, quod legitur in mss. Scriptum erat fortasse ad oram paginæ ab aliquo, cui totus hic Gaudentii locus valde placuerat; dein librariorum inscitia illud admisit in textum; eodemque vitio laborat etiam liber Pantagathi.

[h] Pantagathus in margine rescripserat *quin si*; et in eodem libro ubi inferius editi habent *usque in hodiernum diem*, legitur ibi tantum *usque in hodiernum.*

[i] Hunc locum designavit, ubi de præscientia Dei D verba faciens, nonnullos ex Patribus laudat, inter quos et Gaudentium Brixianum, doctissimus auctor Operis de Moderatione ingeniorum adversus Joannem Phereponum, lib. III, cap. 7, p. 385, edit. Venet.

[j] Flor. cod. *judicari*, quæ fortasse est vera lectio, mihique magis arridet, licet mutare noluerim. *Judicari* legit etiam cod. ms. qui fuit olim Octavii Pantagathi.

[k] Lectio utriusque Vat. et Urb., *poterat Deus, qui facturos eos prædixerat*, quibus accedit etiam cod. Pantagathi.

[l] Ita in mss. Editi, mendose, *non consequimur.*

[m] *Subvertetur* habent mss. codd., cui lectioni favet Vulgata. At triduum porro, ut ait Gaudentius? Sic profecto legunt LXX, itemque Augustinus lib. XVIII de Civ. Dei c. 44. Vulgata vero *adhuc quadraginta dies*. Videndus Melchior Canus de loc. Theol. l. XI, c. 5.

[n] In mss. *intellige quia sermo Dei.*

iv). Ninive aliter evertenda fuerat, et [a] eversa est aliter. Evertenda fuerat excidio, si permansisset in sua nequitia: [b] eversa est iniquitas **249** ejus, quia pœnituit. *Sicut distat cœlum a terra*, dicit Deus hominibus, *ita distant sensus mei a sensibus vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris* (*Is.* LV). Scriptum est: *Altiora te ne quæsieris, et sublimiora te ne scrutatus fueris; multos enim supplantavit suspicio eorum* (*Eccli.* III, 22). Justum itaque [c] crede Dominum, charissime, et verum, et pium in omnibus dictis, atque operibus suis, ut perfectam sapientiam consequaris. *Agnus* enim *perfectus, masculus*, inquit, *anniculus erit vobis* (*Exod.* XII): ut nihil mediocre de perfecto sentias, nihil infirmum de masculo, nihil de anniculo semiplenum. Perfectus est, *quia in eo habitavit omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II). Masculus est, [d] quippe quia vir nasci dignatus est ex Virgine, ut sexui utrique consuleret. Anniculus est, quia post illud Baptismum [e] quod pro nobis in Jordane susceperat, [f] usque ad Passionis suæ diem unius anni tempus impletur; et ea tantum scripta sunt in Evangeliis quæ in illo anno vel docuit, vel fecit, nec ipsa tamen omnia. Sic enim dicit Evangelista Joannes: *Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum*, [g] eorum quippe quos post Baptismum scribitur elegisse, *quæ non sunt scripta in hoc libro: hæc autem scripta sunt, ut* **250** *credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes, vitam æternam habeatis in nomine ejus* (*Joan.* XX). De his autem quæ ante illum gessit annum, sic idem Joannes in postremis sermonibus libri testatur: *Sunt autem et multa alia quæ fecit Jesus; quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos libros qui scriberentur* (*Joan.* XXI). Solus plane Lucas evangelista memoravit præteriens, quod [h] duodecim annorum prædictus Dominus Jesus in templo repertus sit a parentibus, sedens in medio doctorum, audiens eos, et interrogans, et quod dixerit parentibus: *Quid quærebatis me? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse* (*Luc.* II)? Hic est annus Domini acceptus, quem [i] ex Isaiæ libro de persona sua scriptum in synagoga legens Dominus Jesus ait: *Hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris* (*Luc.* IV, 21). Hic est annus, cujus coronam (victorialem quippe circulum operibus bonitatis Christi benedicendum) Propheta lætus nuntiavit in psalmo: *Benedices*, inquit, *coronam anni benignitatis tuæ, et campi tui replebuntur ubertate* (*Ps.* LXIV): corda nempe credentium populorum, percepto semine verbi vitæ, fructu etiam centesimo redundabunt. Quod si in cruce simul cum Christo pendentium latronum fractis cruribus, ideo Salvatoris crura fracta non sunt, sicuti sanctus evangelista testatur; *ut Scriptura impleretur, quæ ait: Os* [j] *non confringetur ex eo* (*Joan.* XIX): debuit juxta prædictam rationem Agnus iste

[a] Amiserat leporem omnem locus iste vitio malæ interpunctionis, eumque restituimus subsidio unius cod. Octavii Pantagathi, qui solus hoc modo recte distinguit. Editi hucusque inepte habuerunt *et eversa est. Aliter evertenda fuerat*: at puncto interposito, vox *aliter* in alienam sedem transducta, elegantiæ non modo, sed et perspicuitati officiebat, quæ loco suo reddita locum ipsum genuinæ puritati atque integritati reddidit. Hæc autem emendatio, quamvis apta adeo ac facilis, fugerat in priori editione indaginem nostram, conniventibus pariter et vitium tuentibus editionibus simul ac mss.

[b] Egregie in hunc sensum Aug. in ps. L: *Stetit Ninive, an eversa est Ninive? Aliter quidem videtur hominibus, et aliter visum est Deo. Ego autem puto impletum fuisse quod Propheta prædixerat. Respice quæ fuit Ninive, et vide quia eversa est. Eversa in malo, ædificata in bono.*

[c] Deerat in editis vox *crede*, licet ad fulciendum totum hunc locum omnino necessaria. Reposuimus eam ex duobus Vatt. et Urb. eamdemque exhibet etiam liber Octavii Pantagathi hoc modo: *Justum crede Deum, charissime;* qui deinde in sequenti annotatione habet: *quippe qui vir fuerat nasci dignatus ex Virgine.*

[d] In utroque Vat. Urb. et Flor. sic legitur: *quippe qui vir fuerat nasci dignatus ex Virgine.*

[e] *Baptismum* recto casu pro *Baptismus* semel observat Voss. lib. III, de Vitiis serm. c. 2, quod tamen dubitat esse librarii erratum. Sed præter hunc Gaudentii locum, qui usus est neutro genere, invenitur etiam in Decreto Anastasii papæ apud Agobardum, de privileg. et jure sacerdotii cap. 17: Baptismum *sive ab adultero, vel a fure fuerit datum, ad percipientem munus pervenit illibatum.* Et apud Petrum Damiani in libro qui appellatur *Gratissimus*, cap. 9: *Tria profecto præcipua Sacramenta in sancta frequentantur Ecclesia;* Baptismum *videlicet, corporis quoque et sanguinis Dominici salutare mysterium, et ordinatio clericorum.*

[f] Fuerunt in hac sententia complures ex antiquis Patribus, præsertim qui mortem Christi anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris duobus Geminis coss. consignarunt, eoque in numero censentur Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Lactantius, Augustinus, Hieronymus. Quid contra alii senserint video. Feuardentius præ cæteris in not. ad Irenæum l. I, c. 1, satis fervide protulit, clarissimos Patres, Clementem Alexandrinum, Tertullianum, et Gaudentium nostrum (de reliquis tacet) fervore disputationis alterius abstractos, non satis animadvertisse locum Irenæi, quo Valentinum, ejusque sectatores, similem fere sententiam secutos reprehendit. Poterant hæc parcius (pace boni viri dictum sit) a Feu-ardentio hujusmodi viris objici. Nobis hic tantum monuisse liceat, Gaudentium nostrum videri hæc a Philastrio mutuatum, qui cap. 106, *de annis et tempore Christi* sic habet: *Dominus quæ in uno anno gessit, et docuit, hæc sola præcepit conscribi. Nam quæ ante facta sunt ab eo, ac dicta primis triginta annis* (subaudi *scripta non sunt*) *secundum beatum Joannem, qui dicit mundum non capere posse, si universa scriberentur quæ fecerat.*

[g] In libro Pantagathi, *eorum quippe quos post Baptismum in Scriptura legis*, subaudi, *elegisse*, aut *vocasse.*

[h] Male omnino legunt exemplaria edita *duodecim annorum præditus.* Emendavimus autem ex Flor. et Urb., in quibus *duodecim annorum prædictus;* iisque concinit etiam cod. Octavii Pantagathi.

[i] Editi omnes ac mss., *de Isaiæ libro ex persona sua.* Prorsus repugnat illud *ex persona sua*, itaque reposuimus *ex Isaiæ libro de persona sua*, quam emendationem cuilibet cordato lectori probatam iri confidimus.

[j] In utroque Vat. ac Flor., *non confringetis*, quam lectionem habet etiam cod. Pantagathi, ut et in sequenti *cujus est omnis honor.*

Dei anniculus immolari, ut omnia quæ de illo scripta sunt, complerentur in ipso, [a] cui est omnis honor, virtus et gloria, cum Patre, et cum Spiritu sancto, ante omnia, et nunc, et semper, et in cuncta sæcula. Amen.

SERMO IV.

DE EXODI LECTIONE QUARTUS.

251 Carnalem [b] Judaici paschæ observantiam, [c] spiritualibus typis refertam, trino jam tractatu docuimus; semel hesterno die, et [d] bis in vigiliis allocuti charitatem vestram; evidenter probantes, quod immolatio carnis et sanguinis [e] umbraliter jussa, recte cessaverit adveniente Agno Dei Christo; qui juxta apostolum, *finis Legis est, ad justitiam omni credenti* (*Rom.* x). Nam et ipse beatissimus Paulus [f] cum esset adhuc in Ægypto, cum Judæis pascha ritu Judaico celebrabat: *Sed postquam placuit ei qui segregavit me de utero matris meæ*, inquit, *et vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, continuo non* [g] *adquievi*, ait, *carni et sanguini* (*Galat.* I). Ergo quoniam non oportet rebus carnalibus immorari eum cui Filius Dei fuerit revelatus, quæramus reliquas mysteriorum spiritualium partes, in visceribus propositæ lectionis. *Ab agnis*, inquit, *et hædis sumetis* (*Exod.* XII). Hinc advertere Judæi debuerant, Legem Dei spiritualiter [h] intelligendam, quoniam ab agnis et hædis sumendum legerunt agnum qui immolandus erat; cum sit istud naturæ contrarium, ut si agnus est, ab agnis sit pariter et ab hædis. Sed hæc est omnis ratio in ambiguitate sermonis, quod iste immaculatus Agnus Dominus Jesus, et justorum, et peccatorum carnem suscipere sit dignatus ex Virgine: corpus

A enim non solum de patriarchis et prophetis, sed ex totius humani generis massa suscepit. Justos autem comparari agnis, et peccatores hædis, ipse in Evangelio declaravit, dicens agnos a dextris vocandos: [i] *Venite, benedicti* (*Matth.* XXV), inquit; hædos **252** vero a sinistris pellendos: *discedite, maledicti*. Hunc ergo ab agnis, et hædis sumptum, omnis multitudo Synagogæ filiorum Israel interfecit, [j] cum clamarunt omnes Pilato: *Crucifige eum* (*Matth.* XXVII; *Joan.* XIX). Cæterum juxta historiam legalis paschæ, non omnis Synagoga occidebat agnum, sed pauci singulos per unamquamque domum. Ibi vero principes sacerdotum et seniores persuaserunt populo, ut peterent [k] concedi sibi latronem Barabbam, Jesum vero perderent. Perdiderunt enim B Salvatorem Christum, et ex ore suo judicati sunt, ut moreretur in eis verbum Dei, id est eloquium Prophetarum, per quos ipse locutus est: et sicut scriptum est [l] in Prophetis, deficerent in eis sapientes, viveret vero in illis Barabbas ille latro diabolus, quem tantopere poposcerunt. [m] Quod autem vivat in illis seditiosus ille, et homicida, seditiones ipsæ testantur quas contra Apostolos commoverunt, et quas nunc usque contra omnes sanctos exercere non desinunt, ubi tempus invenerint. Nobis autem vivit Christus. Resurrexit enim nobis, quia non est ultra visus Judæis; neque intravit post resurrectionem synagogam Judæorum, sed ad congregatos discipulos introivit (*Joan.* XX; *Luc.* XXIV). [n] Ingreditur et ad nos, qui sumus in domo Ecclesiæ congregati, et C ostendit nobis venerandi sui corporis veritatem, si tamen vel meruimus, vel meremur ejus esse discipuli. Etenim beati Apostoli, quibus vere commis-

[a] Vat. duo, *cujus est*. Doxologia hæc porro fuit Patribus perquam familiaris, ut notavimus etiam supra in calce sermonis I, inter cæteros præsertim Antiocho Monacho, quem nullam non suarum 130 homiliarum absolvisse, nisi desineret εἰς τοῦ Θεοῦ δοξολογίαν, observat Tilmannus Bibl. PP. edit. Lugdun. t. XII, p. 215; quod de Gaudentio item nostro, de Cyrillo Hierosolymitano aliisque non paucis affirmari potest.

[b] Ita Flor. cod. et Lugd. editio. Sic etiam Eligius Noviomensis, hom. 14: *Neminem nostrum ab hac mystici paschæ festivitate vult exceptum haberi*. Cæteræ editiones, *Judaicæ paschæ*. At Vossius, lib. I de Analog. c. 20, τὸ πάσχα Hebræis, et Chaldæis masculinum esse affirmat; Græcis Latinisque neutrum.

[c] Vatt. cod., *spiritalibus*, et infra *spiritalium*, *spiritaliter*, ac *spiritalis*, quod etiam alibi annotavimus. Urb. quoque retinet eamdem lectionem, prout etiam cod. Octavii Pantagathi.

[d] Utitur hoc Gaudentii loco Ferrarius lib. III de Rit. sacr. Eccl.Conc. c.18, ut ostendat veteres nonnumquam eadem die populum bis allocutos.

[e] Sup., tr. 1, p. 234, *bona quæ fecit Judæis umbratiliter*; sed eo quoque loco notavimus in cod. Pantagathi pro *umbratiliter* legi ut hic habetur, *umbraliter*.

[f] Flor. et Vatt. duo, *dum esset*; quibus accedit cod. Pantagathi.

[g] Sic legunt Urb. et duæ editiones, juxta priscam scribendi formam qua *ad* ante *q* retinebant, ut notavit *Cellarius Orthogr.* Lat. p. 29, edit. Patav. 1724. Edit. Lugd. ac tres mss., *acquievi*. Apud Varr. l. V, de Lin. Lat., *adquirere*, ab *ad*, et *quærere*, et apud Ald. in Orthogr., *adscisco*, non *ascisco*; quamvis in Cenotaphio Lucii Cæsaris legatur *aspiciendi*, non *adspiciendi*, quod certe a Grammaticorum consensu recedit, licet ejusdem tuendi causa Dausquium improbet Norisius Cen. Pis. diss. 4, c. 6, p. 485, cui *Adspicio*, *Adspiro*, *Adscendo*, a Dausquio allata displicuerant. Frequens est apud Salvianum in libris de Gubernatione Dei *Adfligo*, *Adgravo*, *Adquiesco*, et similia; nisi tamen hoc sit librariorum manuum, non auctoris fidem implorare, ut Scaliger ait l. I de Causis L. L. c. 19.

[h] In mss. quatuor codd. ut et in libro Pantagathi, *sentiendam*.

D [i] In Vatt. duobus et Urb., *Venite, benedicti*; *hædos a sinistris*, quibus consentit liber Pantagathi. Flor. autem, *benedicti*, *hædos a sinistris*.

[j] Mss. codd., *cum clamarent*, et paulo post, *Crucifige, crucifige*.

[k] Ita in mss. Editi, *concedi latronem*.

[l] Mss. codd., *in propheta*, quæ lectio est etiam in cod. Pantagathi. Locus est Isaiæ III: *Ecce dominator Dominus auferet ab Jerusalem, et ab Juda validum, et fortem, et judicem, et prophetam, et sapientem de architectis, et prudentem eloquii mystici*.

[m] Sic legunt mss. quatuor codd.; at liber Pantagathi: *Quod autem viveret*; nolui porro ejicere vulgatam lectionem propter consensum aliorum mss., licet hoc modo respondeat melius ad id quod prius dixerat, *viveret vero in illis*.

[n] Sic mss. codd. Editi, *Ingreditur ad nos*.

sum est præparare in superioribus [a] pascha Domini, A quoniam paucos viderunt ex Judæis in domo Ecclesiæ qui non sufficerent ad consummandum paschæ sacrificium, convocaverunt vicinos ex Gentibus, secundum quod præceptum fuerat in Lege : *Quod si pauci erunt*, inquit, *in domo, ita ut non sufficiant ad ovem* [b] *assumet secum vicinus proximum suum*, etc. (*Exod.* XII), nam vere non sufficiebant ad eum qui [c] pro totius mundi peccatis mori sustinuit. Pauci enim crediderunt ex Judæis in Jesum Dominum; unde Apostolus : *Ita*, inquit, *in hoc tempore* (non dubium quod sicut tempore Eliæ, cui ait Deus (III *Reg.* XIX) : *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt* **253** *genua ante Baal*); *ita* ergo, inquit, *in hoc tempore* (sub adventu quippe Christi) *reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt* (*Rom.* B XI), ex populo utique Judæorum : de tanta enim multitudine vix pauci ad Christi fidem inveniuntur fuisse conversi. Propter quod et de istis reliquiis Domini et misericordiæ Dei Isaias propheta testatur dicens : *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen*, *sicut Sodoma facti essemus* (*Is.* I), *et sicut Gomorrha similes fuissemus*. Vos igitur, neophyti, qui estis ad beatæ hujus ac spiritualis paschæ epulas invitati, videte quomodo ab omni pollutione escarum quas superstitio gentilis infecerit, vestras animas conservetis. Nec sufficit ut a mortifero dæmonum cibo vitam suam custodiat Christianus; sed ut omnia abominamenta Gentilium, et omnes [d] idololatriæ tramites, sicut quædam serpentis diaboli venena, diffugiat. Partes enim idololatriæ sunt veneficia, [e] præcantationes, [f] suballigaturæ, vanitates, auguria, sortes, [g] observatio omnium, [h] parentalia, inquam, unde idololatriæ malum extulit caput erroris. Nam gulæ suæ causa primum cœperunt homines prandia mortuis præparare, quæ ipsi comederent; [i] post hoc etiam sacrificia ausi sunt eis sacrilega celebrare, **254** [j] quamvis nec ipsi mortuis suis munus sacrificent qui exercent parentalia, [k] dum super sepulcrorum mensas tremulis ebrietate ma-

[a] In tribus mss., *pascam Domino*, quam lectionem habet etiam cod. Pantagathi; Urb. vero, *pascha Domino*; et paulo infra Vatt. duo, *pascæ sacrificium*, at cod. Pantagathi, *paschæ sacrificium*.

[b] Cod. Pantagathi, *assument secum vicinum proximum suum;* et ita omnino legendum videtur, dissentientibus licet cæteris libris mss. et editis; nam pauci de domo assumere debuerunt vicinum, non vicinus proximum. Vulgata sic habet : *Assumet vicinum suum qui conjunctus est domui ejus*. Gaudentius pariter, supra, p. 246 : *Adsumet secum vicinum proxi-* C *mum suum*.

[c] Mss. quatuor itemque cod. Pantagathi, *pro totius mundi vita*, quod profecto Gaudentianæ elegantiæ magis congruit.

[d] Cod. Flor. bis hic habet *idolatriæ*, eique consonat hoc item loco liber Pantagathi, quod etiam supra monuimus; quapropter gaudeo Baluzii observationem a nostris codicibus confirmatam. Vide not. ad Præf. p. 221.

[e] Præcantationes veneficiis adhiberi solitæ. Quintil. Decl. 14 : *Virus diris carminibus et feralium præcantationum terrore permixtum;* et Solin. cap. 30, de Africa : *Herba præcantationibus legitimis consecrata*. Hinc *Præcantatrix* apud Plautum Mil. Glor. Act. III, Sc. I, 98.

[f] Virg. Pharmaceutr.

Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores;
Necte, Amarylli, modo, et Veneris dic vincula necto.

Quas *suballigaturas* vocat hic Gaudentius, *alligaturas*. Philastrius dixit cap. 21 : *Alligaturas et tatamina* D *suo portabant et portant in pectore. Ligaturæ* sunt Augustino II de Doctr. Christ. 20 : *Ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ, atque remedia quæ medicorum quoque disciplina condemnat, sive in præcantationibus, sive in quibusdam notis quas characteres vocant*; et tract. 7 in Joannem : *Cum caput tibi dolet, laudamus si Evangelium ad caput tibi posueris, et non ad ligaturam cucurreris*.

[g] Flor., *observatio hominum*, ubi procul dubio legi debet *ominum*; aspiratio namque addita fuit perperam ab imperito librario, quæ eodem modo occurrit etiam in cod. Octavii Pantagathi. Editi hucusque legerunt satis inepte *observatio omnium*, quæ dicendi forma Gaudentiano ingenio prorsus indigna est.

Hæc erat vulgata lectio, quæ hucusque nobis obtrudebatur; at porro similiter *omnibus* pro *ominibus* corrupte habet etiam præstantissima Livii editio ex recensione Danielis Heinsii cusa Amstelodami apud Elzevirios, 1634, ubi in Præf. ad lib. I, pag. 5, *cum bonis potius omnibus pro cum bonis potius ominibus*. Sic in editione Eginharti Amstelodamensi, curante Joan. Hermanno Schminkio, 1711, pro *superiora omina* typographi errore legitur *superiora omnia*; additque Schminkius in corrigendis : *lege* omina, *duæ enim hæ voces sæpissime inter se confunduntur*. Victorius et Lambinus locum Ciceronis IV Famil. 4 : *Cæsar laudata honorificentissime et æquitate tua, et prudentia, repente præter spem dixit se Senatui roganti de Marcello, ne hominis quidem causa negaturum*, legendum censuerunt *ne ominis quidem causa*; at ingeniose magis quam vere, ut putavit Gebhardus; quare Græviana editio, itemque Lipsiensis Cellarii 1708, adhuc priorem lectionem retinent, *ne hominis quidem causa*.

[h] Dies, et festivitates inferiarum. Hier. In Jerem. lib. III, c. 16 : *Moris autem est lugentibus ferre cibos, et præparare convivium : Quæ Græci περίδειπνα vocant, et a nostris vulgo appellantur* parentalia; *eo quod parentibus justa celebrentur*. *Charistia* vocantur apud Ovid. Fast. II, *Parentalia* apud Ausonium in lib. Parentalium. Vide Rosin. IV Antiq. Rom. c. 9.

[i] August. l. XXII contra Faust. cap. 17 : *Prævaricatores Angeli, quorum duo maxima vitia sunt, superbia atque fallacia; quod uni vero Deo deberi noverant, hoc sibi a suis cultoribus exegerunt, a quibus dii putari voluerunt, dante sibi locum vanitate cordis humani : maxime cum ex desiderio mortuorum constituerentur imagines, et majore adulatione divini honores deferrentur tamquam in cœlum receptis, pro quibus se in terris dæmonia colenda supponerent, et sibi sacrificari a deceptis et perditis flagitarent*. Minuc. Fel. in Oct. : *Majores nostri improvidi, creduli, rudi simplicitate, dum reges suos colunt religiose, dum defunctos eos desiderant in imaginibus videre, dum gestiunt eorum memorias in statuis detinere, sacra facta sunt, quæ fuerant assumpta solatia*. Confer Sapientiæ c. XIV, 15.

[j] Corruptus erat omnino hic locus, cujus emendationem Vatt. codd. exhibuerunt. Editi legebant *quamvis nec ipsi mortuis suis minus sacrificent parentalia*, quod ænigma nec Œdipo conjectore intelligas. Flor. et Urb., *minus sacrificent qui exercent parentalia*, quemadmodum etiam cod. Pantagathi. Non satis recte. Quare lectionem utriusque Vat. bona fide expressimus.

[k] Hunc gentilitatis morem invaluisse potissimum in die festo Cathedræ S. Petri, discimus ex Aug. serm. 15, de Sanctis, ubi de ea die loquens hæc

nibus vina fundentes, [a] spiritum sitire balbutiunt. [b] Cavete, quæso, ab his omnibus, ne indignatus Deus contemptores et inimicos suos, qui noluerunt eum regnare super se, tradat illis inferni tortoribus : *illic erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* VIII; *Luc.* XIII). Servate, neophyti, ornamentum gratiæ salutaris : sobrii estote per omnia, ne illud inebriati perdatis: solliciti convenite ad ecclesiam : orationibus, hymnis, psalmis, et canticis spiritualibus nobiscum vigilanter incumbite. Hæc sint otii vestri opera ; quibus debitum reddentes Christo Domino famulatum, mercedem vitæ æternæ consequi ab ipso possitis. [c] Sint igitur convivia vestra sobria, casta cubilia : sit modestus animus, sermo placidus, mitis incessus. Orate ut beneficia gratiæ suæ Deus conservet in vobis, et fides vestra magis magisque proficiat, largiente Christo Domino Salvatore, cui una virtus eademque divinitas cum Patre et cum Spiritu sancto, ante omnia, et nunc, et semper, et in cuncta sæcula. Amen.

SERMO V.

DE EXODI LECTIONE QUINTUS.

255. Ordinem lectionis Exodi, ubi lex [d] celebrandi pascha describitur, idcirco præposteravimus, [e] ut in mysteriis reserandis, debitæ reverentiæ ordinem teneremus; quia oportebat [f] in illa splendidissima nocte vigiliarum, secundo tractatu, non dictorum sequentia, sed congrua neophytis explanari; ut edendi paschalis sacrificii disciplinam rudes neophyti discerent, instructi fideles agnoscerent. Quibus pariter et de habitu edentium, unam speciem tempori aptam disserui, duas tam ipsis, quam catechumenis reservavi. Ait enim : *Sic autem comedetis illum*, id est agnum : [g] *Lumbi vestri præcincti, et calciamenta vestra in pedibus vestris, et baculi in manibus vestris* (*Exod.* XII). Tunc de præcinctione lumborum diximus, nunc de calciamentis et baculis exponamus. Quæ ideo hodie proponuntur, quia tunc sequenti die, et tertio, illa prius quæ de principiis lectionis consulto prætericram, necesse fuerit explicari. Agnus Dei verus, quem Joannes Baptista demonstrat, Christus est. *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I). Hujus carnem tam fideles in mysterio [h], quam simul universi credentes in fide, ita debemus edere, nostrique cordis [i] interioribus commendare, ut non solum præcinctos [j] habeamus castitate lumbos, verum etiam *calciati simus*, ut ait Apostolus *in præparatione Evangelii pacis* (*Ephes.* VI). Sicut enim calciamenta terrestria carnalium pedum munimina sunt, et vel asperitati frigoris, vel serpentum mor-

habet : *Cum solemnitatem hanc Ecclesiis merito religiosa observatio introduxerit, miror cur apud quosdam infideles hodie tam perniciosus error increverit, ut super tumulos defunctorum cibos et vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant. Silicernia* vocabantur prandia hæc mortuorum; unde Tertullianus, Apolog. 13 : *Quo differt ab epulo Jovis silicernium?* Vide porro, si lubet, Servium ad illud Æn. V.: *Libavitque dapes*; Josephum Scaligerum, castigat. ad Festum ; et quæ viri docti notaverunt ad Terentium in Adelphis IV, sc. II; prout etiam quæ clarissimus Joannes Antonius Vulpius deduxit ad Catullum, carm. LIX, 3.

[a] Et hic locus pessime acceptus erat non solum in editis, sed etiam in mss. Editi enim sic habebant, *vina fundentes spiritum balbutiunt. Balbutire scaurum* dixerat apposite Horat. I, Serm. 3; *balbutire spiritum* quid sit, non assequor. Vatt. duo, *spiritum siti balbutiunt.* Flor. et Urb., *Spiritum siti rebalbutiunt*, ubi manifestum est scriptoris mendum qui syllabam *re* finem prioris dictionis, initium sequentis fecit. Itaque bini codicis præsidio, et modica conjectura usi restituimus, *spiritum sitire balbutiunt.* Florentino et Urbinati concinit ms. cod. qui fuit Octavii Pantagathi, quo in loco Vatt. duobus præstare deprehenditur.

[b] Habebat hoc Gaudentius ex disciplina Ambrosii qui ad memorias Sanctorum *pultes*, *et panes*, *et merum* afferri prohibuerat, teste Augustino VI, Conf. 2; quare paulo post subjicit : *Sobrii estote per omnia : solliciti convenite ad ecclesiam.* Augustinus ipse eod. serm. 15 : *Parare aliquis suis charis dicit quod ipse devorat; quod præstat ventri, imputat pietati. Cessate ergo, fratres, ab hoc gentili infidelitatis errore;* et paulo post : *Animæ fratrum parentumque nostrorum minime cibis carnalibus delectantur. Offendi his magis possunt quam delectari.*

[c] De convivali veterum Christianorum temperantia et frugalitate Minuc. Fel. in Octavio : *Convivia non tantum pudica colimus, sed et sobria; nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, sed gravitate hilaritatem temperamus.* De publicis et privatis veterum Christianorum conviviis plura Elmenhorstius, not. ad Minuc. Fel. pag. 308.

[d] In mss. Flor., Urb. et Vatt. duobus, *celebrandæ paschæ*, cui lectioni accedit cod. Pantagathi.

[e] Editi inepte legebant, *ut mysteriis reservandis.* Vatt. duo, *mysteriis reserandis.* Particula *in* addita est ex Flor. et Urb.; eamque suppeditat etiam cod. Pantagathi, sed mox cum Florentino et Urb. in editionum errorem consentit, legens *in mysteriis reservandis.*

[f] Splendidissimam vocat, quia accensis facibus atque ignibus eam celebrare veteres Christiani solebant. Greg. Naz. Orat. 2 de Pasch., J. Billio interprete : *Præclara quidem nobis fuit hesterna splendoris luminumque solemnitas, quam privatim juxta publiceque peregimus, omne genus hominum ferme, atque omnes magistratu et dignitate insignes, copioso igne noctem collustrantes.* Quem in locum sic Nicetas : *Præclara*, inquit, *etiam fuit hesterna luminum celebritas, hoc est cœtus ille qui ad vesperam magni Sabbati celebrabatur. Pervigilem enim noctem traducebant usque ad horam septimam, cantantes ac lampades accendentes, atque imminentem Servatoris nostri resurrectionem exspectantes.* Sic etiam Zeno Veronensis, serm. 1 ad neophytos : *Post devotissima completa expiationis sacræ casta jejunia, post clarissimæ noctis suo sole dulces vigilias.* De nocte vigiliarum vide quæ supra observavimus ad tract. 1, p. 231.

[g] Editio Lugd. subdit *erunt*; at liber Pantagathi, *Lumbi sint vestri.*

[h] Hoc est in Sacramento; *Sacramentum* enim et *Mysterium* apud veteres Patres idem significat, de quo plura exempla proferre possumus. Zeno Veronensis, serm. 1 de Abraham : *Festinet denique implere sacrificium : ne mora faciat peccatum, necessariis sacramentis præparatur.* Quæ *Sacramenta* hic dixit, post paulo vocat *Mysteria;* itaque hæc duo synonyma facit. Vide Cangii Glossarium.

[i] Unus ex Vatt., *interioribus condere;* at liber Pantagathi, *interioribus commendare.*

[j] Sic Paris. edit. et mss. codd. Duæ editiones, *cinctos.*

sui, vel spinarum resistunt aculeis : ita Legis **256** divinæ præcepta, quibus gressus nostrarum mentium munire præcipimur, repugnant et serpenti diabolo, et asperrimo Aquiloni Gentilium, et hæreticorum undique compungentium spinis ac tribulis. Hujusmodi ergo calciamentis uti debemus quotquot pascha Dominicum celebramus. *Quoniam Lex*, ut Apostolus ait, *spiritualis est* (*Rom.* VII); Et *pascha nostrum immolatus est Christus* (I *Cor.* V). Itaque et lumbi nostri præcincti esse debent, et calciati pedes. Quid enim prodest homini, si solam corporis habeat castitatem; et incautus, et [a] sine instructione calciamentorum Legalium, malis fuerit supradictis obnoxius : vel quod quotidie in usu est cordis sui calcaneum patens præbeat comestioni serpentum? Si cogitet mala, si concupiscat aliena, [b] si dolum meditetur, si nutriat iram, si insidietur proximo, si mendacio studeat, si comedatur livore, si tabescat invidia, si venenato ore detrahat bonis; et dum mendacis [c] linguæ spiculo lacerare nititur innocentes, morsibus dæmonum, qui per ipsum loquuntur, ipse potius lanietur? Quid profuit præcinctos habuisse lumbos, si divinorum mandatorum calciamenta non servans, gressus cordis tui (id est animæ tuæ bases) crudelissimæ concisioni tradideris? Contrarium forsitan videatur aliquibus, quod cum hic tantopere calciatos esse debere a Deo jussum sit, alibi ab eodem Domino Deo jubeatur sancto Moysi, et [d] sancto Josue : *Solve calciamenta de pedibus tuis* (*Exod.* III; *Jos.* V). Ingens quidem ratio est, et multiplicium propositionum ambagibus præstruenda : sed quia brevitas congruit et prædicantis labori, et memoriæ auditoris, nolo vos longius trahere. Ibi solvitur quæstio, ubi calciamenta solvuntur, dum statim causa adjicitur : *Solve*, inquit, *calciamenta de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est* (*Exod.* III; *Jos.* V). Ostenditur ergo terra Ægypti, ubi datur præceptio illa superior, sancta non esse, et ideo ibi habenda mandantur calciamenta; in sancta autem

A terra decernuntur esse solvenda : quas tamen ob causas, evidenter est exponendum. Quamdiu in hujus sæculi Ægypto conversamur, oportet nos pascha Domini celebrantes, calciamentis uti sanctarum Scripturarum; quia tutus non potest esse gressus noster, nisi mandatis Dominicis contegatur, usquequo intremus in illam sanctam promissionis terram quæ justis est præparata. *Beati* enim *mites*, **257** ait Dominus Jesus, *quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matth.* V); non utique istam terram quam possident peccatores, sed illam in qua non sunt spinæ, et tribuli : in qua non sunt serpentes, et scorpii : quippe ubi diabolus cum cæteris immundis spiritibus non accedit. Erit enim [e] tunc una cum suis satellitibus in igne æterno, quem paravit [f] Deus utique diabolo,
B et angelis ejus (*Matth.* XXV). Habemus et [g] Joannem Baptistam, qui dixerit de Salvatore humani generis Domino Jesu : *Cujus ego non sum dignus*, inquit, *corrigiam calciamentorum solvere* (*Joan.* I). Sed alia in Christo ratio est. Ille non propter se calciatus est, sed propter nos; quoniam terra sustinere non poterat majestatis ejus nuda vestigia. Calciamenta cum dicit, gressus ostendit sanctarum Scripturarum, quibus graditur, et circuit [h] notitia ejus in omnes qui habitant super terram. Et ideo Joannes Baptista in Evangelio negat vel idoneum se esse, vel dignum, qui solvat corrigiam calciamentorum ejus, id est, sermonem ejus; sive ut edisserat unum de mandatis ejus; sive ut nudare valeat, et evidenter ostendere [i] calciati adhuc in isto sæculo Verbi Dei veneranda
C vestigia. *Modo enim per speculum videmus in ænigmate*, inquit, *tunc vero facie ad faciem* (I *Cor.* XIII) : ubi *non erit aliquid occultum quod non revelabitur, nec absconditum quod non scietur* (*Matth.* X) : quando ad illum futurum diem festum Dominus Jesus (*Joan.* VII), non sicut sub incredulis, [j] quasi in occulto ascendet; sed sicut scriptum est : *Deus palam veniet, et Deus noster, et non silebit* (*Ps.* XLIX). Propterea et Apostoli in Evangeliis alibi prohibentur portare cal-

[a] Editio Lugd., male, *sine constructione*.

[b] Ita cod. Flor. et Urb. In editis deest *si;* quæ tamen particula habetur etiam in libro Pantagathi.

[c] In tribus. mss., *linguæ spiculis;* et hanc lectionem habet etiam liber Pantagathi.

[d] Tres mss., *sancto Jesu Nave*, iisque consonat liber Pantagathi; et fortasse hoc modo Gaudentius scripserat, at librariorum inscitia, quibus porro ignotum erat hoc item nomine vocari sanctum Josue, notiori appellatione uti maluit. Eccli. XLVI : *Fortis in bello Jesus Nave successor Moysi*. Hieron. in cap. II Matth. : *Lege librum Jesu filii Nave*. Aug. de Civ. lib. XVIII, cap. 11 : *Moysi successit Jesus Nave*. Philastrius, cap. 17 : *Et Josiam, et Jesum filium Nave;* et cap. 27 : *Post Moysi defunctionem, successionemque Jesu filii Nave*. Gaudentius ipse, tr. 11 : *Septem diebus filius Nave*.

[e] Sic reposuimus ex Florent. et Urb. cum in editis legeretur *tum;* sed *tunc* est etiam in cod. Pantagathi.

[f] Flor. Urb. et cod. Pantagathi, *utique ipsi diabolo*. Vatt. duo, *Dominus utique ipsi diabolo*.

[g] Tres mss. codd. ita legunt : *Habemus et sanctum Joannem Baptistam dixisse*.

[h] Sic tres mss. codd. et Paris. editio. Aliæ duæ editiones non habent τὸ *ejus*, quam voculam retinet etiam liber Pantagathi.

[i] Frequens hæc locutio est apud Patres, qua Verbum Dei carne indutum *calciatum* appellabant. Ambros. serm. 17 in ps. CXVIII, edit. Frob. t. IV, pag.
D 725 : *Per femur insigne generationis agnoscimus, juxta illud : Accingere gladium tuum circum femur, potentissime; quo significatur, quod Filius Dei, cum semetipsum exinanisset, Verbi accinctus divinitatem, et generationem* calciatus *humanam, prodierit ex Virgine omnibus daturus salutem*. Greg. hom. 7 in Evang. : *Incarnatus Dominus veniens quasi* calciatus *apparuit, quia in divinitate sua morticina nostræ corruptionis assumpsit*. Et paulo infra : *In Idumæam ergo Dominus calciamentum suum se extendere asserit, quia dum per carnem Gentibus innotuit, quasi* calciata *ad nos divinitas venit*.

[j] Sic emendavimus freti auctoritate Urb. et utriusque Vat. codicis. Flor., *quia in occulto ascendet*. In editis corrupte legebatur, *quia in occulto ascendit*. Cod. Pantagathi, *quasi in occulto ascendet;* quare hic discrepat a Flor., supra vero a Vatt., alibi ab Urbinate; idcirco ab horum codd. nullo desumptum esse oportet, qui ab iis tam sæpe dissentit.

ciamenta in via, dum dicitur eis in Evangelio Matthæi a Domino : *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via*[a], *neque duas tunicas, neque calciamenta, neque virgam; dignus enim est operarius mercede sua* (*Matth.* x). Alibi autem jubentur habere, **258** ut Marcus evangelista describit : *Et circuibat*, inquit, *castella Jesus docens. Et convocatis illis duodecim, misit eos binos, dans illis potestatem fugare spiritus immundos; et præcipiens illis, ne quid secum tollerent in via, nisi virgam tantum; non peram, non panem, neque nummos in zonis, sed*[b] *calciatos caligulis, et ne induerent*, ait, *duas tunicas* (*Marc.* vi). Propter incredulos, et parvæ fidei homines, jubentur in via prædicationis, calciamenta habere Apostoli, ut Verbum Dei calciatum, et contectum in mysterio, propter spinas et tribulos blasphemantium prædicent. Ad eos autem qui fideli mente audiunt, quasi jam in sancta terra, perfecti quippe cordis in fide, ubi nuda de Deo securi possent proferre testimonia; jubentur non portare calciamenta, videlicet ut aperta figant illic vestigia divinitatis ejus. Et ideo beatus Petrus calciavit se in carcere[c] calciamentis suis (*Act.* xii) : et sic exiit iterum ad hostes Judæos et adversarias potestates, ut calciatus pedes in præparatione Evangelii, calcaret *super serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici* (*Luc.* x). Et Moyses dicit in benedictionibus, vel ad unumquemque fidelem, vel ad personam potius Christi : *Ferrum*, inquit, *et æs calciamentum tuum* (*Deut.* xxxiii); utique ut confringat capita draconum super aquas, id est ut conterat principatus dæmonum draconum, qui sunt super

A aquas Gentilium populorum. Aquæ vero quod populis compararentur et Gentibus, in Apocalypsi[d] revelatur Joannis : *Aquæ*, inquit, *quas vidisti, super quas sedet meretrix Babylon, populi et Gentes sunt* (*Apoc.* xvii).

Opus mihi est et baculo[e], pascha adhuc in Egypto celebranti; ut **259** si imitator sum sancti Moysi[f], Hebræum meum (id est intellectum Israelitem, qui Deum videre promeruit) ab interitu liberem, percusso Ægyptio. Hoc propter seipsum quisque[g], quamdiu servit Legi. Si quis vero est Apostolicus, et per Jesum prostrato Ægyptio, magnus factus, ac potens; non jam propter se[h] baculum portat, sed propter eos quibus dici necesse est : *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate,*
B *et spiritu mansuetudinis* (I *Cor.* iv)? Portat et propter eos *qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, ab intus autem sunt lupi rapaces* (*Matth.* vii). Quod si lupus desinat esse lupus, et cum agno pascatur, ut ait Propheta (*Is.* xi); et si leo desinens esse leo, cum bove manducet paleas; baculo opus non est. Si enim feralium morum nequitia in tantam vertatur mansuetudinem, ut cum oviculis innocentibus, ac mundis Christi operariis, vitæ pabulum mites quærant, et capiant, et[i] tales utique sint qui in charitate, et spiritu mansuetudinis ad perfectum debeant erudiri; dicitur a Christo (*Matth.* x) apostolicis quibusque sacerdotibus, ut neque[j] baculos correptionum portent in via, quando in discipulis obedientibus, ac modestis terram sanctam possidere jam cœperint.
C Quod annuat de vobis[k] pusillitati meæ Salvator humani generis, Deus Dominus Jesus. Cui una Deitas,

[a] In tribus mss. additur *neque duas tunicas habeatis*, quam vocem exhibet etiam liber Pantagathi; sed abest a Vulgata, nec in Græco Matthæi occurrit *ἔχοιτε*.

[b] Vatt. duo, *calciatos caligulas*, ut et liber Pantagathi. Flor., *galligulas*, ubi positum videtur *g* pro *c* initio dictionis. *Gallicam* nihilominus fuisse quoddam calceamenti genus, pedibus muniendis institutum, viatorium potius quam urbanum, diserte docuit Julius Nigronus de Caliga Veter. cap. 2, § 17, ubi etiam, § 18, hunc Gaudentii locum laudat. Apud Rosweydum in Onomast. ad vitt. Patrum invenitur *gallica*, et *gallicula*, pro *caliga*, et *caligula*. *Caligula*, parva caliga, vetus sandalii genus, quod ad mediam tibiam ascendisse volunt, ex cujus usu nomen accepit C. Cæsar Germanici filius. Vide Voss. l. i de Vitiis serm. c. 29.

[c] Flor. et Vatt. duo, *calciamenta sua*. Urb. quoque et liber Pantagathi.

[d] Vatt. duo, *revelatur Joanni*. Flor. *revelatur Johannis*. Liber Pantagathi, *revelatur Joannis*. Utrum huic voci ante tertiam litteram ascribenda sit aspiratio, docebit clarissimus Cellarius Orthogr. Lat. pag. 43, edit. Patav. 1724.

[e] Præter ea quæ de baculo attulimus in Præf. ad Gaudentium n. 10, nonnulla hic de ejus antiquitate et usu notanda sunt; ac primo antiquitatem commendat non solum præclarus hic Gaudentii locus, sed etiam alter in vita Cæsarii Arelatensis apud Mabillonium, sec. i Benedictin., ad diem 27 Augusti, l. ii, n. 17 : *Clericus cui cura erat baculum illius portare*, et in Vita S. Burchardi apud Surium, 14 Octobris, cap. 4 : *Constat quanto pretiosior sit coram illo qui humilia respicit et alta a longe cognoscit, Pastor Burchardus cum sua pastorali virga, modernis pastoribus qui pascentes semetipsos, vix in ipsis baculis suis aliqua carent pompa*. Formam describit Isidorus, c. 219; usus vero ad subditorum correptionem significandam, insinuatur hic a Gaudentio : *Quod si lupus desinens esse lupus, et cum agno pascatur; et si leo desinens esse leo, cum bove manducet paleas; baculo opus non est*. Et paulo post : *dicitur a Christo Apostolicis quibusque sacerdotibus, ut neque baculos correptionum portent in via, quando in discipulis obedientibus ac modestis, terram sanctam possidere jam cœperint*. Isidorus item de eccl. Off. l. ii, c. 5, de episcopi ordinatione : *Huic dum consecratur, datur baculus, ut ejus indicio subditam plebem vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat*. Plura dabunt Thomassinus par. i, lib. ii, c. 58, et Macrius Hierolexico, ver. *Baculus*; at neutri tam præclarus iste Gaudentii locus agnitus est.

D [f] Irrepserat in priorem editionem *Moysis* perperam pro *Moysi*, quod vetera exemplaria habent, atque omnino retinendum est juxta priscum secundi casus efferendi morem; ut *Ulyssi*, *Achilli*, pro *Ulyssis*, *Achillis*, de quo Vossius l. iv de Art. Gramm. c. 9, aliique allati apud clarissimum Fabricium, not. ad Philastrium, pag. 19, edit. Hamburg., hujus vero p. 7.

[g] Subaudi *opus habet*, ut ex sequentibus liquet.

[h] In mss. *baculum portat si portat*, quæ tamen postrema verba absunt a cod. Pantagathi.

[i] Sic mss. In editis, male, *tales utique sunt*.

[j] Editio Lugd. et Colon. depravate legunt *corruptionum*. Paris. et Vatt. duo, *correptionum*, quam lectionem habet etiam cod. Pantagathi.

[k] Sic lego in Urb. et Vatt. duobus. Tres editiones, male, *pusillanimitati meæ*; sed *pusillitati* præ-

eademque omnipotentia, cum Patre, et Spiritu sancto, ante omnia, et nunc, et semper, et in cuncta sæcula. Amen.

SERMO VI,

DE EXODI LECTIONE SEXTUS.

Quantum Deus Pater per virtutem suam, et spiritum suum pro captu virium nostrarum revelare dignatus est; quantum Patris, et Filii, et Spiritus sancti coæqualis omnipotentia tribuit; [a] quantum sempiternæ, ac sine principio Trinitatis una eademque divinitas inspiravit, aperuimus dilectioni vestræ a primis vigiliis Paschæ usque in hanc diem, **260** quæ esset ratio nominis libri Exodi; quæ virtus paschæ, [b] cujus ibi observatio primum custodienda decernitur; et quamobrem mensis iste in quo Deus hoc observandum præcipit, primus dicatur in mensibus anni; [c] quæ esset Ægyptus; quid significaret ille decimus, vel quartus decimus dies; quis esset [d] agnus immolationis, et cur assumendus esset ab ovibus, et ab hædis; quæ vespertina diei, quod illud limen, [e] qui illi postes, quis ille sanguis: et quam ob causam neque crudas carnes, neque in aqua coctas, sed assatas igni, et caput cum pedibus et interaneis festinanter comedere jubeantur; quod ex eo os non confringendum, quæ reliquiarum crematio, et quid mysterii figuratum sit vel in calciamentis pedum, [f] et baculis manuum, vel in præcinctu lumborum. Restat ut disseramus percussionem primitivorum Ægypti, et azyma cum amaritudine, et septem dies azymorum. *Transibo*, inquit, *in terra Ægypti hac nocte, et percutiam* [g] *omne primogenitum in terra Ægypti ab homine usque ad pecus: et in omnibus diis Ægyptiorum faciam vindictam, ego Dominus. Et erit sanguis vobis in signo in domibus* [h] *in quibus vos eritis ibi: et videbo sanguinem, et protegam vos: et non erit in vobis plaga contritionis cum percutio Ægyptum. Et erit hic dies vobis in memoria* (*Exod.* XII). Percussit quidem Deus in illa nocte tunc temporis [i] primogenita omnia Ægyptiorum, sicut per Moysen comminatus fuerat Pharaoni, [j] cum noluit dimittere populum Israel, quem populum idem Dominus primitivum nuncupare filium dignabatur; quando perculsi tantorum repente funerum strage Ægyptii, Israelitas quos tamquam captivos dudum relaxare noluerant, noctis medio expulerunt. Sed quoniam multo majora fecit idem Deus pro nostro populo contra veros Ægyptios, et in nobis completa sunt quæ tunc temporis umbraliter contingebant; redemptionis nostræ memores, non debemus dona pietatis ejus ingrato occultare silentio. Die qua immolatus est Agnus Dei Dominus Jesus, ad vesperum (imminentibus quippe jam tenebris, quæ statim crucifixo eo [k] cooperuerant omnem terram [*Matth.* XXVII]), in illius diei nocte percussit primitiva Ægyptiorum dæmonum, id est simulacra hominum mortuorum, quæ ipsi prima in hoc **261** mundo creaverant, ut per ea colerentur. Sed cum ibi adjicitur, *in omnibus diis Ægyptiorum faciam vindictam* (*Exod.* XII), fortasse dicas: qui sunt isti Ægyptiorum dii, [l] si dæmones quos pagani deos putant, ipsi sunt Ægyptii? Audi ergo, non solum dæmones Ægyptios esse; sed etiam cultores eorum, quicumque pertinaciter in incredulitate versantur, filii tenebrarum cum sint, Ægyptii sunt: [m] quoniam filii Ægyptiorum natura, filii sunt dæmonum. Unde dicitur universis incredulis: *Vos de diabolo patre estis* (*Joan.* VIII). Sicut enim *quotquot spiritu Dei ducuntur, hi filii Dei sunt*, secundum doctrinam Pauli apostoli (*Rom.* VIII), ita quoque quotquot spiritu diaboli abducuntur, filii dæmoniorum sunt. Ideo autem Scriptura divina diabolum et exercitum ejus, Ægyptios nuncupat, quia a Deo, qui lux est, alieni sancti sunt, contra Creatorem proprium rebellando. Nam sanctus Apostolus dicit: *Quid mirum si Satanas transfigurat se* [n] *in Angelum lucis* (II *Cor.* XI)? Probans utique eum esse angelum tenebrarum, qui se quasi Angelum lucis ostentare conetur, ut fallat. Simili ratione et omnes increduli adversantes Deo, et a luce divi-

fert liber quoque Octavii Pantagathi.

[a] Ita legunt Flor. et Vatt. duo, quorum lectioni accedit cod. Pantagathi; idemque, initio sermonis, pro *Quantum Deus Pater*, ex ipsius Pantagathi emendatione habet, *Quantum Deus potens*. Editi porro legebant hoc loco, *quantum sempiterna, ac sine principio Trinitas inspiravit*.

[b] Sic mss. tres codd. Editiones autem, *et quæ observatio ibi;* paulo post vero pro *mensis iste* cod. Pantagathi legit *mensis ipse*.

[c] Ita in tribus mss. Editi, male, *quæ esset Ægyptiis*, sed facilis fuit error permutationis *u* in *ii*. In libro Pantagathi *quæ esset Ægyptus*.

[d] Unus ex Vatt., *agnus immolandus*. Liber Pantagathi, *agnus immolationis;* et paulo post, *qui illi postes*.

[e] Tres mss. sic legunt. Editi, *quid illi postes*.

[f] Flor. cod., *vel in baculis*. Item Urbinas, et cod. Pantagathi.

[g] Tres mss. et liber Pantagathi, *omnem primogenitum*.

[h] Adjecimus particulam ex mss. quam editi non habent.

[i] Duo Vatt. legunt, *percussit quidem in illa nocte tunc temporis primonatos*. Sic etiam Urb.; sed pro *primonatos* habet *priminatos*, uti et cod. Octavii Pantagathi.

[j] In tribus mss., *cum nollet*.

[k] Vatt. duo et Urb., *cooperuerunt*. Flor., *cohoperuerant*.

[l] Totum hoc desiderabatur in editis; verum credibile est verba hæc prætermissa fuisse a librario, cum exstent in quatuor mss. eaque agnoscat etiam liber Octavii Pantagathi; quare tum consensus mss., tum etiam totus Gaudentianæ sententiæ contextus, monuerunt in locum suum reponenda.

[m] Ita reponendum jubet cod. Pantagathi, qui solus hoc loco veram lectionem habet. Editi quippe nullo sensu legebant *quoniam filii Ægyptiorum sunt, filii sunt dæmonum;* sed ablata voce *natura*, quis Gaudentii sensum percipiat? Videtur etiam paulo ante pro *quicumque* legendum *qui cum*, ut integer sensus constet. Flor. et Urb. pro *filii Ægyptiorum natura*, legunt *filii Ægyptiorum nam;* sed hoc quoque modo librarii ineptia confirmat emendationem nostram.

[n] Mss., *velut angelum lucis*.

nitatis ejus extorres, Ægyptii appellantur; quos tamen hortatur ipse Dominus ad salutem, dicens : *Dum habetis lucem, credite in lucem, ut filii lucis sitis* (*Joan.* XII). Itaque [a] si voluntaria fides potest eos filios lucis efficere, hoc quod tenebrarum filii sunt, vitium voluntatis est, non naturæ. Nocte ergo qua corpus exanime relinquens in cruce Dei Filius, transiit cum anima ad Ægyptum inferiorem, ut animas in inferno positas visitaret; tunc fecit vindictam in omnes immundos spiritus Ægyptiorum deos, interficiens in primogenitis vires principatus eorum. Nam Passioni proximus dicit Dominus Jesus : *Nunc judicium est hujus mundi, nunc hujus mundi princeps ejicitur foras. Et ego* [b] *cum exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum* (*Joan.* XII). Revocavit itaque omnem creaturam suam ad se Dominus Jesus, quam B sibi [c] iniquissimi usurpatores divinitatis rebelli spiritu manciparant; ut ipsius ditioni subjecta essent omnia, per quem facta sunt universa; et qui protexit [d] **262** ac proteget credentes in se a plaga contritionis, per signum crucis suæ, cum dicitur : *Et erit vobis sanguis in signo* [e] *in domibus : vos eritis ibi : et videbo sanguinem, et protegam vos* (*Exod.* XII). Quærendum tamen, priusquam transeamus ad cætera quæ sequuntur, quomodo dicat, *Protegam vos* quasi ab alio exterminatore : et iterum Moyses, *Transibit Dominus percutere,* ait, *Ægyptios, et videbit sanguinem in limine, et in utrisque postibus, et pertransibit ostium* (*Exod.* XII). Quid ergo est? Dominus transiit percutere Ægyptios in manu exterminatoris? Absit. Nam post pusillum dicit : *Et non dimittet exterminatorem intrare in domos vestras.* Si ipse percutit, quomodo dicitur, *non dimittet intrare exterminatorem?* Hoc itaque in textu ipsius lectionis sollicitus, lector, considera, quod ubi dicit [f] percuti Ægyptios, non dicit, ab exterminatore : ubi autem dicit, Hebræos protegendos qui percussit Ægyptios, [g] sed ab exterminatoris. Exterminator autem non percutit Ægyptios, quorum amicus et princeps est; quoniam, sicuti ait Dominus in Evangelio Marci beatissimi, *si*

A *Satanas insurrexit adversus seipsum,* [h] *divisus est; hoc,* inquit, *facere non potest, aut finem habet* (*Marc.* III). Sed utique, charissimi, percutere vult exterminator Hebræos, Deo percutiente Ægyptios. Nam retributionem molitur in servos Dei, satellites suos ab eo percussos indignans; quoniam diabolus tunc maxime accenditur, cum exstinguitur. Tunc enim sævit in Dei famulos, quando prima virtus ejus [i] in primogenitis occiditur, dum vel idololatriam, vel superstitionem, vel cæteros principales errores dæmonum [j] Deus disperdit ex nobis. Dicit enim ille nequissimus murmurans contra Deum : Tu propter Hebræos tuos percutis meos Ægyptios, et ego [k] propter Ægyptios meos persequar, et interficiam Hebræos tuos. Nam *dixit inimicus, persequens comprehendam* [l] *pariter spolia, replebo animam meam, interficiam* **263** *gladio meo, dominabitur manus mea* (*Exod.* XV, 9) : sed frustratur ejus minacitas, si præcepto Domini, quo nos tutos esse posse [m] præmonuit, gnaviter pareamus. Adjicitur enim, *et custodies sermonem hunc legitimum tibi ipsi et filiis tuis usque in æternum* (*Exod.* XII, 24) : scilicet ut semper solliciti simus pascha Domini legitimo studio celebrare, et vigilanter facere ea quæ nobis præcepta sunt, ne per contemptum nostrum, aut negligentiam nostram, exterminator aditum grassandi reperiat, Dei protectoris tuitione cessante. Sit ergo unusquique nostrum in parte Domini, qui percussit Ægyptios; sit Israelita, Deum semper mente aspiciens, ut protegatur a plaga exterminatoris. Habeat, quinimo C habeamus in utrisque postibus, scilicet in corde, et in ore, salutarem Domini Passionem. Quomodo? sicut docet Apostolus : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit in salutem* (*Rom.* X). Habeamus [n] et in limine frontis signum sanguinis Agni, ut non sinat exterminatorem Deus introire ad nos : neque enim solummodo tunc istud factum est vel in historia Legis, vel in tempore crucis Domini Jesu, sed et nunc semper Deus ultor populi sui percutit Ægyptios : semper exterminator diabolus intrare

[a] Sic legendum esse docuit consensus mss. pro eo quod in editis occurrebat, *voluntatis fides;* quam lectionem abrogat etiam cod. Pantagathi, præferens *voluntaria fides.*

[b] In tribus mss. et libro Pantagathi, *cum exaltatus fuero a terra.*

[c] Tres mss. codd., *nequissimi usurpatores.*

[d] Mss. quatuor, *protegit,* quibus suffragatur cod. Pantagathi.

[e] Flor., Urb. et Vatt. duo, *in domibus in quibus vos eritis;* eodemque modo cod. Pantagathi, cui lectioni favet Vulgata.

[f] Sic tres mss. Editiones legebant *percutiam Ægyptios;* at *percuti Ægyptios* habet etiam liber Pantagathi.

[g] Urb. cod. et Lugd. editio, *ab exterminatore,* quomodo habet etiam cod. Pantagathi.

[h] Sic editi. In quatuor mss. et libro Pantagathi, *divisus est, inquit, stare non potest, finem habet.*

[i] Iterum *primonatis* habent mss.; et paulo post., Flor. et Urb. pro *vel idololatriam, vel superstitionem,* legunt *vel ydolatriæ superstitionem.* Liber Pantagathi, *idolatriæ superstitionem.*

[j] Tres editiones, male, *disperdet.*

[k] Sic mss. codd. Editi vero *propter Ægyptios.* Huic Gaudentianæ interpretationi obstare videtur locus Sap. XVIII, 15, 16, ubi innuit *exterminatorem* fuisse a Deo missum ad percutiendos Ægyptios : D *Omnipotens sermo tuus de cælo a regalibus sedibus, durus debellator, in mediam* exterminii *terram prosilivit. Exterminator* pariter vocatur qui perdidit in deserto murmurantes contra Dominum. Judith. VIII, 25 : *Qui improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt, exterminati sunt ab* exterminatore. Et I Cor. X : *Sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab* exterminatore.

[l] Sic editi. Flor., Urb. et Vatt. duo, *partibor spolia,* quibus accedit liber Pantagathi. Gaudentius quoque, tract. 12, *partibor spolia.* Vulgata editio ac LXX, *dividam spolia.*

[m] Emendavimus locum hunc ex fide Urb. et Vatt. codd. Parisiens. editio legit *præmonui,* male. Colon., *præmonui graviter,* deterius. Lugdun., *præmonui, graviter pereamus,* pessime. Mss. codd. concinit liber Octavii Pantagathi.

[n] Addidimus particulam conjunctionis ex mss., quæ in editis deest.

in domos Israelitarum nititur cupiens eos occidere: semper Dei Filius tuetur suos, et protegit eos, ubi signum suæ Passionis cognoverit. Ipsi gloria cum Patre, et cum Spiritu sancto per omnia sæcula. Amen.

SERMO VII,

DE EXODI LECTIONE SEPTIMUS.

Discussis validioribus mandatorum paschalium membris, tres adhuc superfuisse de proposita lectione Exodi species, die hesterno prædiximus: quarum primam de interfectione primitivorum Ægypti, statim, prout potuimus, interpretati sumus; duas nunc residuas de prohibitione fermenti, et de septem diebus azymorum, Domini gratia largiente, proponimus explanandas. *Septem diebus*, inquit, *azyma edetis: a primo autem die* [a] *exterminabitis fermentum de domibus vestris: omnis qui* **264** *manducaverit fermentum a primo die usque in septimum diem*, [b] *disperiet anima illius ex Israel* (*Exod.* XII). Hæreticorum veterum quidam, ex quibus sunt insanus Marcion, et exsecrabilis Manichæus, quoniam spiritu erroris inducti Scripturas omnes veteris Testamenti respuendas esse contendunt; per multa Scripturarum capitula, Deum Legis antiquæ malum conantur asserere, quasi aut alius sit Deus novi Testamenti quam qui ex Lege utique prænuntiatus advenit, aut in comparatione bonitatis Dei, aliquis legitime bonus esse possit: cum vel Angeli, vel homines hinc habere judicentur aliquod participium bonitatis, si bonum Deum sciant, adorent, venerentur, ac diligant; perhibente Domino Jesu, quod [c] *bonus homo de bono thesauro cordis sui proferat bona* (*Matth.* XII). [d] Sed Deus Dei Filius, perfectam bonitatem cum Patre, et Spiritu sancto possidens, et unam sciens esse bonitatem Trinitatis, sicut unam divinitatem; indigne tulit, bonum se juxta conditionem creabilium bonorum nuncupari, et ait: *Quid me dicis bonum* (*Matth.* XIX)? Hoc est: Nolo dicas bonum, quem nescis; scito prius, [e] qui sim, et cum Deum verum cognoveris, amplector ut dicas bonum, quia *nemo bonus, nisi unus Deus* (*Matth.* XIX). Ille enim Judæus, Filio Dei (Deo et homini) velut homini tantum cuidam, sane bono doctori, dixerat: *Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam possideam* (*Ibid.*)? Et idcirco Dominus ad illum, *quid me dicis*, ait, *bonum? nemo bonus, nisi unus Deus*. Unus est enim Deus ubi Deitatis nulla divisio est. Per omnes libros sanctorum Scripturarum, et Patrem Deum, et Filium Deum, et Spiritum sanctum Deum legimus, non deos, quia deos non sinit dici Unitas majestatis; est enim sola in Trinitate personarum distinctio, non naturæ diversitas. Quod si Marcion et Manichæus meruissent advertere, numquam profecto dixissent, unum quidem Deum novi Testamenti bonum, alium vero malum, qui per Legem veterem sit locutus. [f] Ausi sunt et in supradicta Lege azymorum adscribere ei sævitiam, dicentes, hominis animam disperdi propter **265** fermentum panis, quo nihil possit esse crudelius. Vecordes enim non intellexerunt, vel quanta esset in mandato utilitas, vel quod Deus majorem causam tunc ulciscendi habeat, si in exiguis rebus (ubi nulla difficultas est observandi) pervicaci tantum spiritu contemnatur. Facilius necessitati [g] ignoscit Deus quam præsumptioni. Denique sancto David non imputatur ad peccatum, quod in necessitate famis constitutus manducaverit sanctos panes, quos non licebat manducare nisi solis sacerdotibus (I *Reg.* XXI). Hic vero videamus, quid potuit necessitatis incumbere. Jussit Deus Israelitis ut septem diebus paschæ, fermentatum sibi panem non facerent (*Exod.* XII). Si fermentatum fieri jussisset, diligentia illic necessaria fuerat, ne deesset: quod jussit, desidiæ est, non laboris. Negligentiam jubet, ut obedientiam probet; et non vis ut damnet illam animam quæ diligentiam commodaverit ut contemnat? Sed jam videamus, [h] quæ fuerit in ipsa præceptione utilitatis ratio vel Judæis historialiter usque ad Christi præsentiam, vel nobis hodie quæ ædificatio sit juxta intelligentiam spiritualem. Filii Israel cum premerentur in Ægypto gravibus captivitatis injuriis, gementes proclamaverunt ad Dominum Deum ut eos eripere dignaretur (*Exod.* III). Elegit

[a] Vatt. duo, *exterminabitur fermentum*. In Kalendario Judaico die decimaquarta mensis Abib, sive Nisan: *Pascha, exterminatio fermenti*. Hujus autem exterminationis quatuor erant gradus, nempe: *Expurgatio fermenti, inquisitio fermenti, exterminatio fermenti*, et *exsecratio fermenti*. Videsis Buxtorf. Synag. Jud. cap. 17.

[b] Unus ex Vatt. itemque Florent., *disperiat;* cod. vero Octavii Pantagathi, *dispereat anima illa*. Hæc autem pœna eadem est quam comminatus est Dominus circumcisionem negligentibus, Gen. XVII, vocaturque *animæ excisio ex Israele;* de qua quam varie sentiant interpretes vide apud Constantin. l'Empereur, in not. ad Bertram., de Rep. Hebr. lib. I, c. 2; Goduvin., l. III, c. 4, vers. 19. Prioris verba hæc sunt: *Theologi nostri ut plurimum ejectionem e cœtu Ecclesiæ ac fidelium ista phrasi designari autumant. Pauciores supplicium capitale huc revocant. Ego in hac varietate, eorum sententiam minime absurdam sentio qui mortem præmaturam indicari arbitrantur.*

[c] Adjecimus τὸ *bonus* ex mss., in quibus habetur *quod bonus de bono thesauro*, quem in modum legit etiam cod. Pantagathi. Editi, *quod homo de bono thesauro*. Lectionem a nobis editam tuetur Vulgata.

[d] Sic Flor., Urb. et cod. Pantagathi. Duo Vatt. vero, *Sed Dominus*. Lectio editionum erat: *Sed dicas: Dei Filius*.

[e] Editi legebant *qui sum*.

[f] In mss., *Ausi sunt enim et*, quam lectionem habet etiam cod. Pantagathi. Poterat autem totus hic Gaudentii locus proferri ad illustrandum Philastrium, ubi agit de Marcione et Manichæis, cap. 45 et 61; plenius enim et distinctius eorum errores explicat, prout monuimus etiam in Spicilegio ad notas Fabricii, supra, pag. 175.

[g] Vatt. duo, *ignoscit Dominus*. Liber Pantagathi, *ignoscit Deus*. Editi, *ignoscat;* et paulo supra ubi legitur *pervicaci tantum spiritu*, cod. Pantagathi reponit *pervicaci tamen spiritu*, quod procul dubio melius.

[h] Sic Vatt. duo, et liber Pantagathi; in editis, *quæ fuerat*, et paulo post reposuimus *quæ ædificatio sit* ex mss., licet verbum *sit* non exstet in editis.

ex ipsis continuo Deus Moysen et Aaron; per quos A conveniret Pharaonem regem Ægypti, ut dimitteret illos. [a] Cum non dimitteret, multiplicibus plagis cum suo populo verberatus, hanc excepit pœnæ ultimam plagam, ut omnium [b] primogeniti Ægyptiorum illa nocte percussi divinitus interirent, qua Judæos necesse fuit ex mandato Dei paschæ sacrificium celebrare. Media igitur nocte clamor factus est, et ululatus in tota Ægypto; nulla enim domus erat in qua non esset mortuus. Tunc Ægypti rex metuens ne et ipse, et omnis populus ejus similiter disperiret, compulit Moysen, et Aaronem, ut illa hora noctis educerent omnem plebem de Ægypto. Qui cum perurgerentur exire, quid fecerint advertamus. *Et sumpsit*, inquit, *populus conspersam farinam priusquam fermentaretur massa illorum, et ligaverunt in vestimentis suis, et imposuerunt super humeros suos. Egressi autem, cum venissent in Socoth, coxerunt*, inquit, *conspersum quod extulerant de Ægypto*, [c] *subcinericia azyma* (*Exod.* XII). Ut ergo memores essent hujus necessitatis, **266** et beneficiorum Dei, jussit eos septem diebus primi mensis ita celebrare pascha, ut fermentatum panem non ederent (*Exod.* XIII), et ut semper indicarent filiis suis causam pro qua istud facere jussi essent; scilicet ut ingratus ipse populus, vel imagine rerum gestarum admonitus, liberatori suo gratias agere cogeretur. Et ideo tantopere eis præcipitur: *Septem diebus azyma edetis: a primo autem die exterminabitis fermentum de domibus vestris: omnis qui manducaverit fermentatum a primo die usque in septimum diem, disperibit anima illa ex Israel* (*Exod.* XII). Fecit et alia plurima pro illis Deus, et in mari Rubro, et in deserto: sed immemores misericordiarum Dei (ut de cæteris malis eorum taceam) præter illud quod fecerant caput vituli aureum, et quod adorantes illud dixerunt: *Isti sunt dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti* (*Exod.* XXXII): [d] Jesum quoque Filium Dei qui eorum liberator exstiterat, venientem ad se sacrilegis mentibus respuerunt. Unde sanctus evangelista Joannes non sine querela commemorat: *In propria venit, et sui eum non receperunt* (*Joan.* I); id est, ad eos venit quos de servitute Ægypti liberarat; quos per mare Rubrum vestigio sicco transduxerat; in quorum conspectu Pharaonem et Ægyptios resolutis aquarum circumstantium muris obruerat; quos manna cœlesti satiaverat in deserto; quibus de rupe arida [e] fontes produxerat; quibus eloquia Legis crediderat; quibus adventum suum secundum carnem vaticinio prænuntiaverat Prophetarum; ad quos præcipue venerat, dicens: *Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israel* (*Matth.* XV). Isti non modo eum suscipere noluerunt, sed et crucis supplicio trucidarunt; qui tamen idcirco susceptum corpus mori sustinuit, ut et suæ majestatis omnipotentiam propria virtute B resurgendo monstraret, et ut [f] in sublata, ac devicta morte vitam credentibus redderet, et plenam crucifigentium nequitiam condemnaret. Quapropter resurgens tertio die, transtulit se ad Gentes, sicut dudum fuerat comminatus: [g] *Auferetur a vobis regnum, et dabitur genti facienti fructus ejus* (*Matth.* XXI, 43). Ergo quoniam nobis, qui fideliter Christum sequimur, datum est cognoscere **267** mysteria regni Dei, videamus quid idem noster Dominus et Magister de hoc fermento intelligendum docuerit. *Attendite*, inquit, *vobis et cavete a fermento Pharisæorum, et Sadducæorum* (*Matth.* XVI; *Marc.* VIII; *Luc.* XII); quod cum clarius iterasset, intellexerunt Apostoli non a fermento panis esse cavendum, sed a corrumpentis doctrinæ nequitia. C Unde idoneus Evangelii prædicator apostolus Paulus nobis clamat: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Nam et pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque diem festum celebremus*, inquit, *non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ: sed in azymis sinceritatis et veritatis* (I *Cor.* V). Caveamus ergo a fermento malitiæ; [h] ubi enim apparuit fermentum nequitiæ confectum a diabolo de conspersione peccatorum, et iniquitatum, [i] ibi animæ illi appropinquat interi-

[a] Flor. *qui cum remitteret*. Vatt. duo, *qui cum reniteretur*; prout etiam cod. Pantagathi.

[b] Hic quoque in mss. *primonati*, ut etiam alibi.

[c] Sic etiam versio LXX ἐγκρυφίας ἀζύμους vocat *subcinericia azyma*, quamvis contra Hebræi contendant, vocem illam ἐγκρυφίας, *subcinericia*, in Hebraico textu non haberi, ne morem suum hodier- D num azyma furnacea coquendi auctoritati sacræ paginæ repugnare fateantur. Profecto id nonnumquam in quadam Italiæ synagoga servatum, ut azyma subcinericia manducarentur, diserte testatur Julius frater meus, vir non tam mihi sanguinis vinculo, quam studiorum similitudine conjunctissimus; sed fortasse recentiores Hebræi, quemadmodum in cæteris pluribus, ita etiam in hoc a veteri consuetudine defecerunt. De azymo Athen. l. III, c. 25, ubi ἄρτον ἄζυμον vocat infermentatum, fermento carentem, qui forte Plinio lib. XVIII, c. 11, *speusticus* a festinatione dictus est; ex quibus locis merito conjecerunt viri docti, non solum Judæos, sed etiam alias gentes azymo pane usas.

[d] Mss. quatuor legunt *ipsum quoque*; et prorsus videtur ita legendum; nam Filius Dei nondum fuit Jesus appellatus, nisi postquam carnem sumpsit ex Virgine. Etiam in libro Pantagathi occurrit *ipsum quoque*.

[e] Sic Vatt. duo, et liber Pantagathi. Editi, *fontes duxerat*.

[f] Flor. ac Urb., *in illata*, quibus consentit cod. Pantagathi. Ex Vatt. unus, *in allata*; alter, *in mutilata, ac devicta*. Lusus operarum.

[g] Tres mss. codd. habent *tolletur vobis*, iisque consonat liber Pantagathi. Urb., *tolletur a vobis*.

[h] Vatt. duo *ubi enim paruerit*. Sic etiam Urb. et cod. Pantagathi.

[i] Ita legunt duæ editiones, Coloniensis nempe et Lugd., quibus concinunt quatuor mss. codd. Editio Paris., *appropinquat interius*, scilicet diabolus; quæ lectio non prorsus improbabilis est propter ea quæ sequuntur: *Scito quod intravit ibi ille qui fermentum mortis facere consuevit*. Sed unius editionis auctoritas tanti visa non est, ut ab editorum et mss. consensu recederemus; cum habeat etiam cod. Pantagathi *appropinquat interitus*.

tus. Cum ergo videris in animam tuam [a] intrasse cogitationes pravas, machinantes ut te a Dei cultu detorqueant, aut ut facias aliquod peccatum, scito quod intravit ibi ille qui fermentum mortis facere consuevit : propterea cave, ne inveniatur tale fermentum in te, et disperdatur anima tua a Deo. *Nescitis*, inquit Apostolus, *quia modicum fermentum totam massam corrumpit* (I *Cor.* v ; *Galat.* v)? Videte itaque, [b] ne vel in modico suadeamini acquiescere aut errori Gentilium, aut iniquitati Judæorum, aut hæreticorum nequitiæ, qui fermento diaboli totam fidei massam [c] perfidiæ rancore corrumpunt. Quod autem dixit [d] azyma cum amaritudine manducanda, docuit, neminem posse sine tristitia carnis sinceram vitam **268** ducere. Amaritudo videtur jejunium, et omnis abstinentia deliciarum carnalium ; sed pascha Domini non aliter celebratur ; sed sinceritatis azyma [e] aliter non eduntur. Cum vero exieris de Ægypto hujus mundi actu, vel corpore, mannæ pabulum manducabis ; panem cœli accipies, et [f] in illam sanctorum terram repromissionis inductus, amœnitate simul paradisi, et æterna suavitate ipsius Domini perfrueris. Dulcis amaritudo est, quam sequitur tantæ retributio suavitatis. A prima igitur die vel regenerationis nostræ, [g] vel conversionis, ejiciamus fermentum nequitiæ de propriis domiciliis terrenæ hujus habitationis ; et per septem dies totius vitæ nostræ, quia iidem revolvuntur in sæcula, sinceritatis puritatisque azyma comedamus, ut cœlestium promissionum munera consequi mereamur, quæ nobis largiri dignetur Deus Pater omnipotens, per coæternum Filium suum viventem secum regnantemque cum Spiritu sancto, ante omnia, et nunc, et semper, et in cuncta sæcula. [h] Amen.

SERMO VIII,

[i] DE EVANGELII LECTIONE PRIMUS.

Post illius finem tractatus quem dilectioni vestræ intulimus usque ad hesternum diem de Exodi libro, ubi Lex celebrandæ paschæ describitur ; nunc aliquid de Evangelii lectione, quæ paulo ante decursa est, adjuvante Domino, disseramus : ut eumdem Deum tam veteris esse Instrumenti auctorem, quam novi, rebus ipsis testantibus comprobemus. Audivimus enim quod Salvator humani generis Jesus [j] ierat invitatus ad nuptias, ibique aquam in vini saporem, naturamque convertit. Habet plane et ipsa historia ordinem veritatis. Nam et nuptias idem qui ab initio instituerat, benedixit (*Gen.* II) ; et creaturam quam fecerat, in id **269** quod voluit, sua potestate convertit. Ac de virtute quidem Dei omnipotentis nulla in facto dubietas poterit animæ fideli subrepere : [k] isse tamen illum

[a] Manifestum est hanc esse veram lectionem, quam exhibent mss. codd., nam paulo post subdit *scito quod intravit*. Editi legunt : *in anima tua intra te cogitationes pravas*. Videtur quoque dicendum *in animam tuam*, licet mss. habeant *in anima tua*. Liber Octavii Pantagathi : *Cum ergo videris in anima intrasse cogitationes pravas*.

[b] Sic mss. quatuor quorum lectionem hoc loco reponere libuit. Editi, *ne vel modica mala suadenti animo acquiescere velitis* ; at liber Pantagathi mss. quatuor consentit.

[c] Deest in tribus mss. vox *rancore*, relicto tamen intervallo in hunc modum *perfidiæ... corrumpunt*. Utinam semper lacunæ designarentur in mss. Codex Urb. legit *totam fidei massam perfidia eorum corrumpunt*, sed vulgatam lectionem prætulimus. Cod. Pantagathi, *totam fidei massam perfidia corrumpunt*.

[d] Mss. Codd. Flor. et Vatt. duo sic habent : *in amaritudine manducanda*. Editi legebant *azyma cum amaritudine manducandum*. Supra quoque dixit *subcinericia azyma*, et Ecclesia in antiquo hymno paschali :

Et pura puris mentibus
Sinceritatis azyma.

Sic Lev. II : *Lagana azyma oleo lita* ; et Lev. VII : *Offerent lagana azyma uncta oleo*. Quod autem cum amaritudine manducarentur, præceptum erat Exod. XII, 8, ut azymi panes manducarentur cum lactucis agrestibus, seu satura olerum amarorum ; quem Legis ritum quomodo Hebræi in cœna paschali observarent, late explicat Scaliger de Emendat. temporum lib. VI, pag. 572. Has porro amaras herbas intingebant in pulmentum crassiusculum sinapi instar ; dicuntque hoc pulmentum esse signum luti in quo laborarunt patres eorum in Ægypto. R. Maimon. de Ferment. et Azym. cap. 8, sect. 7 : *Solebant panem azymum intingere in pulmento* charoseth, *et tum vesci ; deinde immittebant herbas amaras in* charoseth, *vescebanturque iis*. Vide Buxtorf. Synag. Jud. c. 18 ; Godouv. Mos. et Aaron l. III, c. 4, v. 6 et 16. Sic etiam in antiquo Hebræorum libro Rituali, qui laudatur apud Baron. ad A. C. 34, n. 45, in paschali secunda mensa cum distribueretur torta azyma, hæc verba paterfamilias dicebat : *Iste est panis ærumnæ, quem comederunt patres nostri in terra Ægypti. Quisquis esurit, accedat, et peragat pascha* ; quamvis hæc a Baronio nec rite, nec recte prolata esse contendat idem Buxtorfius, diss. de cœna Dom., thesi 1, § 14, n. 7. Deuter. XVI, 3, panis azymus vocatur panis afflictionis: *Septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem*.

[e] Vatt. duo. In editis, *aliter non editur*.

[f] Flor., *in illa sanctorum terra*, uti et cod. Pantagathi. Sæpe numero in mss. detrita superne lineola quæ addi solet, de quarto casu fit sextus ; quod etiam supra conspicati sumus. Vide Lips. lib. II ; Var. cap. 12.

[g] Editi inepte legebant *vel conversationis* ; restituimus autem *conversionis* ex Vatt. duobus, atque in eumdem modum legit etiam cod. qui fuit Octavii Pantagathi.

[h] In Flor. et Urb. subditur : *Finit septimus de lectione Exodi*.

[i] Legitur in editione Galcardi : *Incipit de lectione Evangelii tractatus primus*, atque hæc subjunguntur : Ita duæ editiones Paris. et Colon. Flor. codex : *Incipit de Evangelii lectione primus, qui est in ordine octavus*. Liber Pantagathi : *Explicit tractatus septimus de lectione Exodi. Incipit de Evangelii lectione primus, qui est in ordine octavus*. Duo Vatt. hæc tantum : *Primus qui est in ordine octavus*. Urbin. : *De Evangelii lectione primus, qui est de ordine octavus, incipit*. Editio Lugdun. : *De lectione Evangelii tractatus octavus*.

[j] Mss. *ierit* ; sicut etiam paulo post *in vini saporem, naturamque converterit*.

[k] Deerat vox *isse* in tribus editionibus, quam supplevimus ex Flor. et Vatt. duobus. Eam exhibet etiam ms. liber Octavii Pantagathi, deest vero in

ad festivitatem nuptiarum, id est in domo epulationis, quispiam nostrum non sine ratione mirabitur. Enimvero, charissimi, pene omnis Evangeliorum textus, Dominum Christum inter homines conversantem desperatis rebus opem contulisse insinuat, et quam maxime mœroribus adfuisse : dum blasphemantes Judæos increpat, dum Scribas et Pharisæos fallaciæ, doli, avaritiæ reos, vanitatisque coarguit (*Luc.* XI); dum civitatibus exprobrat incredulis, ac minatur (*Matth.* XI); dum spiritus torquet immundos (*Luc.* VIII), ut [a] imagini suæ captivatæ subveniat, et expulsis dæmoniis salubritati restituat mentes obsessas; dum leprosos supplicantes emundat (*Luc.* XVII); dum paralyticos, linguæ solius qua precarentur viventes officio, reformat potius, quam curat (*Matth.* IX); dum tempestate maris periclitantibus, ipse super aquas ambulans, securus tranquillator adventat (*Matth.* XIV); dum vel cæcatis oculis donum lucis amissæ redintegrat, vel a nativitate cæcis novum lumen infundit (*Luc.* XVIII; *Joan.* IX; *Matth.* IX); dum inter mœstas ægrotantium turbas medendi peritus adsistit; dum luctus varios obsecrantium parentum dimovet, vel morientes eorum charos sanitati restituens, vel mortuos vitæ (*Luc.* VII; *Joan.* XI). Ad hoc enim Filius Dei, sine initio Deus, in fine sæculi initium carnis sumpsit ex Virgine, et inter homines conversari dignatus est, ut huic mundo succurreret pereunti; quoniam, ut ipse ait, *non erat opus sanis medico, sed male habentibus* (*Matth.* IX). Medicus enim mœstitudinis domum potius, quam lætitiæ ingredi consuevit. Aut enim vulnerum dolore afflictis necessarius est, aut [b] ægritudinis morbo laborantibus, [c] aut lenta viscerum tabe defectis; quia medici officium prosperitas non requirit. Quid est ergo, quod ista Evangelii lectio quæ hodie recitata est, festivitati nuptiali interfuisse Dominum perhibet invitatum, nisi quod ibi vinum, id est virtus lætitiæ spiritualis, defecerat, et languebant [d] sitientium convivarum ora vini lætificantis inopia; quoniam *vinum lætificat cor hominis*, ut ait Propheta (*Ps.* CIII). **270** Sed priusquam [e] spiritalem scientiam revelemus, rationem facti historialiter exponamus. Ideo nuptiarum celebritatem non aspernatur Christus, ut eumdem se esse testetur Deum, qui de limo terræ figuraverit ab initio virum et feminam, iisdemque licentiam tribuerit conjugalem, dicens : *Crescite et multiplicamini, et implete terram* (*Gen.* I). Quod Manichæis perditis adeo displicet constitutum; quibus ego ob immunditiam suam puto non utique rem nuptialem displicere, [f] sed legem, quæ non multas feminas uni viro, neque unam feminam multis viris, [g] sed unam feminam uni viro conjungit. Nolunt enim vivere ipsi exsecrabiles Manichæi juxta apostoli Pauli doctrinam, ut *unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum* (I *Cor.* VII). Benedixit ergo quod constituerat a primordio legitimum Christus conjugium, dum pergere ad nuptias non renuit invitatus : et tamen virginitatem docuit esse meliorem, dum magis per eam nasci dignatur. Probavit sanctam Virginem suum esse domicilium Deus, [h] ubi columen pudoris perpetuum servet ingressus, dum sine detrimento integritatis maternæ nascitur, sine corruptela conceptus. Ideoque vas electionis Apostolus, ad istud bonum quod consecutus fuerat, cæteros invitabat, dicens innuptis : *Bonum est illis si sic permanserint, sicut ego* (I *Cor.* VII). Exemplo felicitatis hortatur, non legis potestate compellit, *de virginibus*, inquiens; *præceptum Domini non habeo : consilium autem do, quasi misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis; quia expedit homini sic esse* (*Ibid.*). Et post longam monitionem, qua castimoniæ beatitudinem conditioni prætulit nuptiarum, [i] sententia postrema conclusit : *Igitur et* [j] *qui dat virginem suam nuptui, bene facit; et qui non dat, melius facit* (I *Cor.* VII, 38). Quod ego arbitror non parentibus virginum fuisse a beato Apostolo dictum, quos constat alienæ voluntatis arbitrio dominari non posse; sed unicuique homini tam viro, quam feminæ, optionem fuisse ab eodem sancto propositam, ut virginem suam (hoc est carnem suam, virginem natam) aut integritati conservet, meliorem partem, liberamque eligens, aut agnita conditione, nuptui eam, si se non continet, tradat. Parentes autem, vel

Urbinate. *Festivitatem nuptiarum* hic a Gaudentio dici notavit Savaro ad Sidonium, lib. I, ep. 5, similemque locum protulit Optati et Sidonii; qua in significatione *festivitatis* verbum festivum ait esse et lepidum.

[a] Sic editi pariter ac mss.; at cod. Pantagathi, *imagini suæ captivitatem;* fortasse legendum *imagini suæ captivitati.*

[b] Vatt. duo, *ægritudinum.*

[c] Sic Vatt. duo, Flor. et Urb., quibus concinit liber Pantagathi. Dicitur autem satis Latine *lenta viscerum tabe defectis*, pro *deficientibus*, ut apud Colum. de Re rust. lib. V, c. 6 : *Arborem senio defectam tollere;* et Quintil. lib. III, cap. 8 : *Obsessi, et impares, et aqua, ciboque defecti.* Salvianus quoque, lib. V de Gubern. Dei : *Si quando defectis urbibus minuendas in aliquo tributarias functiones, potestates summæ existimaverint.* Editiones absurde legebant, *longa viscerum tabe desertis.*

[d] In mss., *sitientium turbæ vocatorum.*

[e] Sic Vatt. duo et Urb. Ed., *spiritualium scientiam.*

[f] In ms. Pantagathi sic legitur : *sed legem. Legem quæ non multas feminas uni viro, sed unam feminam*, verum excidit librario κῶλον *neque unam feminam multis viris;* quare prætulimus aliam lectionem quæ plenior est, fulciturque consensu editionum et mss.

[g] Expunximus τὸ *etiam*, cum non habeatur in tribus mss. In editis, inepte, *sed etiam unam feminam.* Consule D. August. de moribus Manich. cap. 18 et 19, ubi non pauca ad illustrandum hunc Gaudentii locum.

[h] *Lumen pudoris* legunt tres editiones. Flor. cod., *columen pudoris;* cui lectioni vulgatam posthabuimus; dein *columen pudoris* invenimus etiam in libro Panthagati.

[i] In Vatt. duobus, *sententiam postremo conclusit;* at cod. Pantagathi, *sententia postremo conclusit.*

[j] Unus ex Vatt., *qui dat virginitatem suam;* quod videtur suppositum a librario, propter ea quæ sequuntur.

consanguinei **271** quique virginum, tam puerorum, quam etiam puellarum, nolo sibi de supradicta libertate arbitrii blandiantur, quod alienis mentibus eos dominari non posse tractavimus. [a] Imperare quidem perpetuam continentiam non possunt, quia res esse noscitur voluntatis: sed [b] voluntatem tamen in melius nutrire possunt, et debitores sunt ut moneant, ut hortentur, ut foveant, ut pignora sua Deo magis gestiant obligare, quam sæculo, ut de propinquis seminis sui vel in cleri ordine dignos altari divino ministros exhibeant, vel in sanctarum numero feminarum puellas castimoniæ dicatas enutriant; ut Ecclesiam Dei talibus nutrimentis ornantes, beatitudinem debitam consequantur. [c] Scriptum est enim: *Beatus qui habet semen in Sion, et domesticos in Jerusalem.* Inest autem præclaro huic eloquio prophetali et sublimior intellectus, suo in loco plena disputatione pandendus. Sed quia in hunc tractatum salubriter sumus pertracti studio castitatis, dum rationem pandimus cujus intuitu perrexerit Salvator ad nuptias, breviter interim neophytis nostris salutare consilium suggeramus, spiritalem scientiam lectionis hujus figuraliter explanandam dictis subsequentibus ostensuri.

Regeneratos vos esse per Baptismum, et renatos, nuncupatione ipsa qua infantes vocamini, potestis advertere. Si qui igitur vestrum conjugio alligati, A servare virgines suas magis quam nuptui dare desiderant, sic habeant conjuges, quasi non habentes; et erit illis retributio magna **272** apud Deum Dominum nostrum, quod talem suam carnem servaverint, qualis Baptismi sacramento renata est. *Hæc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam* (I *Cor.* VII); nam etsi conjugio servieris legitimo post lavacrum, non peccasti. Cave solum [d] ut aliter non derelinquas fidem, ut a fornicationibus fugias, jam fidelis effectus. Hoc autem custodire ita demum poteritis, si ebrietatem devitetis, et convivia inhonesta, ubi turpium feminarum [e] colubrini gestus concupiscentiam movent illicitam; ubi lyra sonat, et tibia; ubi omnia postremo genera musicorum inter cymbala saltantium concrepant. Infelices illæ do- B mus sunt quæ nihil discrepant a theatris. Auferantur, quæso, universa ista de medio. Sit domus Christiani ac baptizati hominis immunis a choro diaboli, sit plane humana, sit hospitalis; orationibus sanctificetur assiduis; psalmis, hymnis, canticisque spiritualibus frequentetur: sit sermo Dei, et signum Christi in corde, in ore, in fronte, [f] inter cibos, inter pocula, inter colloquia, in lavacris, in cubilibus, in ingressu, in egressu, in lætitia, in mœrore; ut juxta beatissimi Pauli doctrinam, *sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid facitis, omnia in nomine Domini*

[a] Objurgat aperte Gaudentius ævi sui disciplinam, qua pueri, ac puellæ, non solum *ab incunabulis*, ut ait Salvianus lib. II adversus avaritiam, sed etiam antequam exirent ab utero, Ecclesiæ, ac virginitati perpetuo destinari solebant. Hinc Hier. ad Lætam: *Propositum mihi erat docere, quomodo instituere Paulam nostram debeas, quæ prius Christo consecrata est quam genita; quam ante votis quam utero concepisti.* Et paulo post: *Offerre, necne, filiam potestatis tuæ fuit; quamquam alia sit tua conditio, quæ prius eam vovisti quam conciperes: ut autem oblatam non negligas, ad periculum tuum pertinet.* Præclara quædam in hanc rem sequioris ævi monumenta publici juris fecit eruditissimus Baluzius, not. ad Salvianum pag. 243, quibus ostendit, hunc morem in Ecclesia viguisse posterioribus etiam sæculis, donec totum hoc patriæ potestatis jus in filios sublatum est a Cœlestino III, cujus decretum refertur cap. *Cum simus* de Regular. Exstat ea de re can. 48 concilii Toletani IV, rel. 20, qu. 1, c. *Monachum;* itemque can. 5 concilii Vormaciensis. Sed videsis eminentissimum cardinalem Bona, non magis purpura quam doctrina insignem, l. II Rer. liturg. c. 7, n. 6, quem propterea libentius hoc loco honoris causa nomino, quod a recentiore quodam scriptore, ejus nomine quidem suppresso, at postea in indicem relato, prænot. Mystagog. pag. 178, parum candide appellatus fuerit *homo pervulgaris, quamcumque ille postmodum dignitatem adeptus sit, minimi plane nominis dum vixit, nullius post obitum.* Porro Gaudentii placitum hodie totius Ecclesiæ doctrina est. Quod autem dixi paulo supra, morem destinandi pueros ac puellas perpetuæ virginitati viguisse in Ecclesia non solum antiquis, sed etiam posterioribus sæculis, illustrari potest monumentis quoque ac *formulis oblationis puerorum in monasteriis*, quas profert Mabillonius t. III Analect. pag. 469. Videndæ item observationes ejusdem Mabillonii ad formulas prædictas eodem t. III, pag. 473.

[b] Placuit substituere lectionem mss. Editi legunt *voluntatem tunc.*

[c] Quonam in loco testimonium istud habeatur, quod minime annotaveram in priori editione, docuit me præclarissimus Vossius in scholiis ad Ephrem Syrum; hic enim cum parænesi 16, pag. 287, edit. C Antuerp. 1619, hoc testimonio usus esset his verbis: *Scriptum quippe est: Hæc vero dicit Dominus: Beatus qui habet semen in Sion, et familiares in Hierusalem;* Vossius hæc subjecit: *Locus iste est Isaiæ* XXXI, *secundum* LXX, *quibuscum hic Auctor in lectione concordat. At in Vulgata sic: Cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Hierusalem; ubi etiam Symmachus: Qui habet ignem in Sion, et clibanum in Hierusalem; et Aquila ac Theodotion:* φῶς αὐτῷ ἐν Σιών, *id est lumen ei in Sion, et clibanus in Hierusalem. De qua varietate agit S. Hieronymus in epist.* 101, *quæ est ad Pammachium de optimo genere interpretandi.* Hæc a Vossio.

[d] Tres mss., *ut aliter non delinquas, id est ut;* eodemque modo habet etiam cod. Pantagathi, et fortasse lectio hæc verior ac melior, quamvis vulgatam exturbare noluerim.

[e] Plautinum vocabulum Trucul. act. IV, sc. III, 6: *Quamquam vos colubrino ingenio ambæ estis.* Quod sequitur, *ubi lyra sonat, et tibia; ubi omnia postremo genera musicorum;* ostendit Christianorum conviviis D adhibitos fuisse cantores, ut patet etiam ex Hieronymo, de suspecto vitando contubernio: *Personabit interim aliquis cantor ad mensam, et inter psalmos dulci modulamine currentes, quoniam alienas non audebit uxores, te, quæ custodem non habes, sæpius respectabit.* Prudentius, Hamartigenia, 316, morem hunc vehementer reprehendit:

Num propter lyricæ modulamina vana puellæ,
Nervorumque sonos, et *convivale* calentis
Carmen nequitiæ patulas Deus addidit aures?

eamdemque consuetudinem Gaudentio valde displicuisse, sequentia verba indicant: *sit domus Christiani ac baptizati hominis immunis a choro diaboli.*

[f] Verba hæc *inter pocula, inter colloquia,* quæ addidimus ex Flor. et Vatt. duobus, desunt in editis; eadem vero suppeditat etiam cod. Pantagathi. Abstulimus quoque particulam *et*, quam mss. non habent, ad illa verba *in ingressu, et in egressu,* licet eam exhibeant tres editiones.

Jesu Christi, qui vos vocavit ad gratiam, faciatis A (I *Cor.* x). Ipse enim et præteritis peccatis indulgentiam tribuit, et emendatæ vitæ præmia pollicetur. Sed his pro communi ædificatione moraliter expositis, jam venio ad promissas allegorias ipsius Evangelicæ lectionis. Et licet ad explanationem mysteriorum Christi idoneum me esse non arbitrer, qui necdum merear beatissimi Pauli auctoritatem præsumere dicentis: quoniam *loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus*, [a] *spiritualibus spiritualia comparantes* (I *Cor.* II); desidero tamen ex [b] ea divini Evangelii lectione cœlestem vobis atque arcanam, prout Dominus largiri dignabitur, intelligentiam revelare. Paulo ante enim, dum propositi sermonis principium disserui, causam pandens propter quam **273** Salvator ierit invitatus ad nuptias, tran- B scendi ad prædicabilem virginitatis conservandæ tractatum, ibique aliquantulum videor immoratus. Nunc autem replicabo ipsam narrationem beati evangelistæ, ut intellectum spiritualem opportunius requiramus in verbis. *Et die tertia*, inquit, *nuptiæ fiebant in Cana Galilææ: et ibi erat mater Jesu. Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus ad nuptias. Et vinum non habebant*, [c] *quoniam consummatum erat vinum nuptiarum* (*Joan.* II). Veram rei gestæ historiam, ut oportuit, cognoscentes, jam quis iste sit dies tertius, in quo factæ nuptiæ memorantur, spiritualiter exponamus. Dies lucis est, fratres charissimi; et ideo præceptis Domini, qui verum lumen est, æquissime comparatur, testante Propheta: *Præceptum Domini lucidum, illuminans* C *oculos* (*Ps.* XVIII). Et alibi iterum: *Quomodo lux*, inquit, *mandata tua super terram* (*Prov.* VI). Unde bene Salvator Dominus admonebat, in luce esse ambulandum, dicens: Quod *si quis ambulat in die, non offendit, quia lucem mundi hujus videt* (*Joan.* XI). Vere enim si quis ambulaverit in luce præceptorum Dei, offendere nequaquam potest. Dies itaque fuit in mandato primus, ab Adam usque ad Moysen: secundus dies fuit sub Lege Moysi: tertius dies est sub Gratia Salvatoris. [d] In quo die Sponsus ipse cœlestis, amator animarum credentium Dominus Jesus, sponsam sibi ex Gentibus conjunxit Ecclesiam, cui annulum signaculi sui, et inaures fidei tribueret pretiosas (*nam fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei* (*Rom.* x), videlicet Filium; quia *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* [*Joan.* I]), [e] cui sponsæ idem Dei Filius Deus Verbum, aurea quoque donaret dextralia, probabilium quippe operum, dextrorumque factorum, nec non etiam cætera singillatim pretiosa monilia largiretur, quæ spiritualium sunt ornamenta virtutum. Et ut agnosceres tertia hac die spirituales istas a Christo nuptias in plebe gentium celebrari, non in Judæa fiunt, sed in Cana Galilææ: quod præter testimonium sancti Isaiæ (*Is.* IX), qui Galilæam Gentium memoravit, ex interpretatione ipsorum nominum clarius ostendetur. **274** [f] Cana enim possessio dicitur; et Galilæa vel volubilis, vel rota nuncupatur, ex Hebræo interpretata sermone. [g] Constat autem populum Gentium ex errore idololatriæ, in quem fuerat olim devolutus, nunc ad christianæ veritatis cultum [h] celeritate rotæ cujusdam properare currentis. Unde etiam figuraliter cecinit propheta David locutus ad Deum: *Vox tonitrui tui in rota* (*Ps.* LXXVI). Intonuit enim e cœlo Deus, et Altissimus dedit vocem suam, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene placui: hunc audite* (*Matth* XVII). Cujus tonitrui vox hæret in cordibus plebis hujus, quæ ex gentili superstitione ad fidem Domini Jesu, tamquam rota currens, velociter properavit. Quam ob causam etiam beatos Apostolos digne arbitramur a Christo filios tonitrui [i] nuncupatos (*Marc.* III), Boanerges. Nam legimus alio in loco Evangelii, quosdam ex Gentibus desiderantes appropinquare Christo, aditum quæsisse per apostolum Philippum, qui erat a Bethsaida Galilææ civitate; ut opinor, familiaritate confisos: *Domine*, inquiunt, *volumus Jesum videre. Venit Philippus, et dicit Andreæ: Andreas et Philippus vadunt, et di-*

[a] Vatt. codd. constanter retinent *spiritalibus spiritalia*, sicut infra *intellectum spiritalem;* iisque consonat liber Pantagathi, quod monuimus etiam supra ad tract. 2, pag. 259.

[b] Mss., *ex eadem.*

[c] Reddidimus hoc loco lectionem Flor. et duorum Vatt. Irrepserat enim perperam interrogatio in D exemplaria edita, quæ sic legebant: *Quomodo consumptum erat vinum nuptiarum? Verum rei gestæ historiam.* Itaque totus ordo perturbatus et corruptus erat; nam de proposita quæstione videbatur statim ad aliam transire. Hanc autem esse veram lectionem ipse quoque Gaudentius indicat ad finem tractatus, ubi totum locum denuo exponens, sic legit quemadmodum edidimus. In mss. quatuor habetur etiam *veram gesti historiam;* sed nos vulgatam lectionem prætulimus; porro *veram gesti historiam* præfert liber quoque Octavii Pantagathi; imo Gaudentius ipse, initio sermonis sequentis, *primum juxta historiam gesti;* et circa medium, *ministros autem non illos secundum rei gestum.*

[d] Ita reposuimus ex Flor. Editi, *in quo hodie.*

[e] Placuit hæc lectio ex tribus mss. desumpta. Editi, depravate, *cujus sponsus idem Dei Filius Deus Verbum;* at clausula distinctionis, seu parenthesis finitio transposita vitium et obscuritatem auxerat. *Cui sponsæ idem Dei Filius Deus Verbum* absque ulla distinctionis clausula legit cod. ms. Pantagathi.

[f] Consule Hier. in lib. de Nom. Hebraic. Hæc interpretandi ratio, ab etymologiis petita, nonnullis valde displicuit; quæ tamen se magnorum nominum exemplo et auctoritate tuetur.

[g] Expressimus lectionem Vatt. codd. et Urb. quorum subsidio totus hic locus non parum indigebat.

[h] Sic Vatt. codd. et Urb. Editi autem, *celeritate rotæ cujusdam currentis se præparare.* Male; nam paulo post subdit *tamquam rota currens velociter properavit;* ex quo satis constat quænam sit vera lectio præsentis loci, eamque tuetur etiam optimus liber Octavii Pantagathi.

[i] In quatuor mss. *nuncupatos, quod dicitur Hebræo sermone, Boanerges*, prout et in libro Pantagathi.

cunt [a] *ad Jesum* (*Joan.* XII). His cohærent ea, quæ suo in loco, ut meminit dilectio vestra, minutatim disserui, ubi confestim Dominus legatos Gentium gratulanter amplectens, et in paucis credentibus fidem prævidens innumerabilium populorum, dixit Apostolis: *Venit hora ut glorificetur Filius hominis* (*Joan.* XII). Et post pauca, vocem convertens ad Patrem, inquit: *Pater, glorifica nomen tuum. Statimque vox de cœlo veniens ait: et glorificavi, et iterum glorificabo.* Quam vocem Dei Patris [b] circumstantium Judæorum turba audiens, de excelsis cœlorum sedibus resultantem, tonitrum putat, quia verba non assequitur: populus enim, secundum prophetiam sancti Isaiæ (*Is.* VI), aure audiens et non audiens, sonum tantummodo divinæ vocis audierat, sine intellectu sermonum. Ideoque Dominus [c] et in Evangelio ad omnes, et in Apocalypsi post doctrinam **275** cœlestem, clamat: *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Luc.* VIII; *Apoc.* XIII). Noverat quippe universis inesse aures, sed non omnibus audiendi: neque enim computabitur audisse qui cordis hebetudine obtusus, quid audivit ignorat. Apostoli autem, et per Apostolos ad fidem Christi currentes, qui audiendi habebant aures, meruerunt intelligere divina eloquia, pro magnitudine sui, sicut in Apocalypsi legimus (*Apoc.* IV, VI, VIII, X), tonitruis comparata; quandoquidem digni habiti sunt, ad salutarem notitiam veritatis, paterno testimonio cœlitus erudiri. Cana autem parva civitas est in Galilæa Gentium, in cujus Galilææ partibus sita est et civitas Capharnaum, ubi beatus evangelista Matthæus Christum testatur habitasse dicens: *Cum audisset Jesus quia Joannes traditus est, secessit in Galilæam; et relicta civitate Nazareth* (*Matth.* IV), alterius scilicet Galilææ, *venit*, inquit, *et habitavit* [d] *Capharnaum, maritimum oppidum in finibus Zabulon, et Nephthalim;* ut adimpleretur quod per Isaiam prophetam dictum erat: *Terra Zabulon, et terra Nephthalim, via maris trans Jordanem Galilææ Gentium. Populus qui sedebat in tenebris, lucem vidit magnam: et qui sedebant in regione et umbra mortis, lux orta est illis* (*Is.* IX). Joannes quoque evangelista beatissimus memorat, quod Dominus Jesus reliquerit terram Judæam, et abierit iterum in Galilæam. *Oportebat autem transire*, inquit, *illum per Samariam* (*Joan.* IV, 4), ubi eum causa mulieris Samaritanæ, aliquantisper in ipso transitu remoratum describens, consequenter adjecit: *Post biduum autem exiit inde et abiit in Galilæam. Ipse enim Jesus testimonium perhibuit*, inquit, *quia propheta in patria sua honorem non habet. Cum autem venisset in Galilæam*, inquit, *susceperunt eum Galilæi, visis omnibus signis quæ fecit Hierosolymis in die festo: et ipsi enim venerant in diem festum. Venit ergo*, inquit, *iterum in Cana Galilææ, ubi fecit de aqua vinum. Erat autem quidam regulus, cujus filius infirmabatur in Capharnaum. Hic cum audisset quia Jesus advenit a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, et rogabat ut descenderet et sanaret filium ejus incipientem mori* (*Ibid.*, 43). Quem statim virtute sermonis sui, tamquam medicus cœlestis, cum sanasset absentem, taliter sanctus evangelista conclusit: *Hoc iterum secundum signum fecit Jesus, cum venisset a Judæa in Galilæam* (*Ibid.*, 54). Ergo ut ad interpretationem nominum, rationemque figuralem redeam; in Cana Galilææ, id est in possessione Gentium, spirituales sub Christi præsentia nuptiæ celebrantur. [e] Propheta ex ejus persona loquente ad Ecclesiam in Canticis **276** Canticorum: *Veni a Libano, sponsa: veni a Libano* (*Cant.* IV); id est a thurificatione illa gentili. Nam Libanum thus interpretamur ex græco, quod magi illi ex Gentilitate venientes (*Matth.* II), Christo potius offerendum esse crediderunt. Libanus denique et mons esse arduus apud Phœnices cernitur, superbo imperio Gentium comparatus: unde vel maxime [f] sponsa evocatur Ecclesia, audiens vocem Christi dicentis: *Veni a Libano, sponsa: veni a Libano* (*Cant.* IV); id est venies, et transibis ab initio fidei, *capite Sanir, et Hermon:* [g] *et a cubili leonum, a montibus leopardorum;* scilicet ut horrentis idololatriæ silvas deserens, et stabula immanium ferarum, dæmonum quippe cubilia, derelinquens, ad omnipotentis Dei cultum properet, ejusque complectatur fidem qui eam divini amoris gratia sponsam vocare dignatur. Sed dicat aliquis: Si Deus, juxta Apostoli doctrinam, *omnes homines vult salvos fieri, et ad notitiam veritatis venire* (I *Tim.* II); cur apud Gentes potissimum in consummatione sæculi istæ salutares nuptiæ celebrantur, et superioris ævi plebes divino non sunt copulatæ conjugio? Ostendam tibi, dilectissime, et ipsum protoplastum Adam divinæ familiaritati fuisse conjunctum, perceptis ab ipso sponso imaginis divinæ insignibus, sapientiæ, et intellectus, vitæque perpetuæ ornamentis. Sed postquam lenocinante diabolo fides est adulterata mandati, immortalitas pariter cum [h] libertate divini amoris ablata est: fuit tamen usque

[a] In cod. Pantagathi legitur: *dicunt ad Jesum, et cætera his cohærentia;* deinde, *quæ suo in loco, ut meminit dilectio vestra, minutatim disserui*, quomodo habetur etiam in editis. Ex his Gaudentii verbis aperte liquet nonnullos ejus tractatus intercidisse, quod notatum etiam alibi, tract. 14, init., et Præf. ad Gaudentium, n. 19.

[b] Sic Flor. cod. et Parisiens. editio. Aliæ editiones, Coloniens. quippe, et Lugd., *circumdantium Judæorum.*

[c] Deest in editis particula conjunctionis, quam adjecimus ex mss.

[d] Flor., *Capharnaum maritimam in finibus Zabulon.* Unus quoque ex Vatt. et cod. Pantagathi. Sic etiam Vulgata: *habitavit in Capharnaum maritima.*

[e] Ita ex Vatt. unus: alter, *Prophetia ex ejus persona.* Editi autem, corrupte, *Prophetia et ejus persona.*

[f] Ita Flor. cod. Editiones duæ, *sponsa hæc vocatur Ecclesia;* sed lectio nostra multo melior, et aptior. Edit. Paris., *sponsa hæc evocatur Ecclesia.* Cod. Pantagathi, *hæc sponsa evocatur Ecclesia.*

[g] Mss., *a cubilibus leonum.* Versio Aquilæ, κατοικητηρίου, *habitaculo leonum.* LXX, *a latibulis leonum.*

[h] Ita hucusque legerunt tam editi quam mss., utique male; sed in libro Pantagathi pro *libertate*, quod verbum ibi prius occurrebat, ipsius Pantagathi manu

ad diluvium, et usque ad ipsam Legem, justorum A quorumdam redivivus amor erga Deum, et Dei erga paucos sanctos reformata conjunctio. Verum quia præter raros quosque, ut prædixi, sanctos, fornicabatur omnis terra a Domino, et vesana libidine innumeros sibi idolorum deos generatio humana conjunxerat, elegit continuo Deus [a] stirpem justi seminis Abrahæ; et legitimas conjunctionis tabulas digito suo præscriptas, inter se et illam plebem, Moysi ministro firmavit (*Exod.* xx). Exinde illa plebs divina præcepta concipiens, et [b] fœcunda prole sanctorum, cœpit Deo, [c] cujus copulam meruerat, esse charissima. Sed **277** processu temporis, nimium sibi de Dei amore præsumens, per delicias ad luxuriam declinavit, et per luxuriam ad contemptum, rebellionemque prorupit; itaque verberata est et frequenter, et varie, quod B adulteriis succubuerit idolorum. Nam sæpe gladio, sæpe captivitati est tradita, sed, sicut scriptum est, noluit recipere disciplinam; propter quod ad eam Deus loquitur per Prophetam: *Non vocaberis ultra mollis et delicata: sed sede*, inquit, *in terra, et accipe molam, et mole* (*Is.* XLVII). Et quid post hæc omnia? *Apparebunt*, ait, *opprobria tua*. Et iterum conqueritur de ea Dominus apud Prophetam: *Vidisti*, inquit, *quæ fecit mihi habitatio domus Israel? abiit super omnem montem excelsum, et subtus omne lignum nemorosum, et fornicata est illic in idolis:* [d] *et mœchabatur*, inquit, *lignum et lapidem. Et dixi, postquam hæc omnia fornicata est: Revertere ad me: et non est conversa. Et dimisi eam, et dedi ei libellum repudii* (*Jer.* III). Fugiamus, obsecro, ab C idolis, [e] ne repudiati similiter mereamur audire. Quem tamen acceperit Judæa plebs libellum repudii, audiamus: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos qui ad te mittuntur, quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Matth.* XXIII). Post passionem quoque Domini plenior libellus repudii ab Apostolis datur Synagogæ Judæorum, cum dicitur: *Vobis oportebat primum annuntiari verbum Dei: sed quoniam repulistis illud, et indignos vos judicastis æterna vita, ecce convertimur ad Gentes, sicut mandatum est nobis* (*Act.* XIII). Deserta igitur ac repudiata Judæorum plebe, nostra ex Gentibus sumitur in conjugium plebs: [f] *Vocabo enim non plebem meam, plebem meam; et non dilectam, dilectam* (*Osee* II). Prædixerat Dominus per Prophetam sane, quoniam primo die sub mandato, et secundo sub Lege, celebratæ, ut exposui, nuptiæ fuerant. Ideo sanctus evangelista non absolute ait, *die tertia nuptiæ fiebant;* sed conjunctione præposita loquitur, *et die tertia nuptiæ fiebant in Cana Galilææ: et erat mater Jesu ibi* (*Joan.* II). Ubi? utique apud Gentes; nam beatam Mariam constat de gente Moabitarum ex matre traxisse originem. *Booz enim genuit Obed ex Ruth*, utique illa muliere Moabitide. *Obed autem* **278** *genuit Jesse: Jesse genuit David regem* (*Matth.* I); de cujus semine nascitur Joseph, cui desponsata virgo Maria (ejusdem quippe tribus, quia aliter non licebat) quæ genuit Jesum, qui dicitur Christus. Ibi ergo erat mater Jesu: *vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus ad nuptias* (*Joan.* II). Magnum mysterium pietatis! Ipse qui sponsus est, invitatur: invitatur autem vocibus Prophetarum ita precantium: *Domine, inclina cœlos tuos, et descende* (*Ps.* CXLIII). Et iterum: *Excita potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos* (*Ps.* LXXIX). Et his multæ sunt orationes consimiles suppliciter invitantium Prophetarum. Invitantur etiam sancti una cum Christo discipuli, velut amici fideles ejusdem sponsi cœlestis, cum dicitur per Prophetam: *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum* (*Ps.* XVIII). Nam Spiritu sancto repleti (*Act.* I), linguis erant variarum Gentium locuturi. Unde spiritus prophetalis ea quæ indubitanter futura erant, quasi jam facta pronuntians, addidit: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Ps.* XVIII). Et ut ostenderet clarius, qui essent isti, et cujus essent præcones, adjecit: *In sole posuit tabernaculum suum: et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Deinde sequitur evangelistæ narratio: *Et vinum non habebant* (*Joan.* II). Quod consummatum erat vinum nuptiarum, quia vinum sancti Spiritus non haberent Gentes evidenter expressit. Quod autem dicit, *quia consummatum erat vinum nuptiarum*, id est defecerat; [g] non absolute dixit, ut tu credas his forsitan de-

repositum est *liberalitate.* Certa autem omnino est D emendatio; non enim libertas periit nobis lapsu primi parentis, sed divinæ liberalitatis insignia a Gaudentio paulo ante enumerata, *sapientiæ* quippe, *et intellectus*, *vitæque perpetuæ ornamenta*, miseranda illa jactura perierunt.

[a] Unus ex Vatt., *stirpem justissimam seminis Abrahæ:* alter, *stirpem justi scilicet Abrahæ.*

[b] Sic Vatt. duo et Urbin., nec aliter omnino legendum est, cum totus locus loquatur de sponsa, conjugio et nuptiis. Editi absurde habent *secuta prole sanctorum.* Hanc porro et sequentem emendationem exhibet etiam liber Octavii Pantagathi.

[c] Et hic quoque magnum insederat vitium, quod emendavimus ex Flor. Urb. et Vatt. duobus. In editis, pessime, *cujus poculum Deo meruerat.* Eat nunc aliquis, et dicat, otiosum esse totum hunc laborem emendandi ex mss.

[d] Sic mss., pro eo quod in editis habetur, prorsus male, *machinabatur lignum, et lapidem.* Vulgata editio, *mœchata est cum lapide, et cum ligno.* LXX, *mœchata est lignum, et lapidem.*

[e] Tres editiones constanter sic legunt; ideoque mutare noluimus. Mss. melius, *ne repudiari similiter mereamur. Quem tamen.*

[f] Locus Osee hic designatus, sic habet: *Et dicam non populo meo, populus meus es tu: et ipse dicet: Deus meus es tu.* Verum in ep. ad Rom. IX, 25, idem testimonium profertur hoc modo: *Sicut in Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam; et non dilectam, dilectam.* Videtur Gaudentius desumpsisse ex novo Testamento.

[g] Mendis scatebat hic locus in editis, quem reformavimus ex Flor. et Vatt. duobus; ut et proxime sequentem.

fecisse quibus adhuc datum non fuerat. Nec enim A dixit, *defecerat eis vinum nuptiarum*, sed, defecisse tantummodo ait, vinum nuptiarum; tamquam si diceret nuptiale. Quapropter defecisse intelligitur vinum, non [a] istarum, sed præcedentium nuptiarum; defecerat enim nuptiale vinum Spiritus sancti, [b] cessantibus Prophetis qui ministraverant in populo Judæorum. Omnes enim Prophetæ, et Lex, usque ad Joannem prophetaverunt; nec erat quisquam qui spirituali vino Gentes potare sufficeret sitientes: sed exspectabatur Dominus Jesus, qui novo vino utres per Baptismum novos impleret. Nam *vetera*, inquit, *transierunt : ecce facta sunt omnia nova* (*Matth.* IX; II *Cor.* V). Sic tamen facta sunt omnia nova, ut origo maneret ex veteri, cum non ex nihilo vinum, sed ex antiquo aquæ gignitur ele- B mento. Nec **279** Legem litteræ existimes esse temnendam, unde Spiritus sanctus, Jesu operante, per fideles ministros hauritur; et idcirco in diluvio antiquo homines perierunt, et nunc in Baptismo renascuntur; quia *littera occidit, spiritus autem vivificat* (II *Cor.* III). Sola quippe interficit littera, et Spiritu sancto temperata regenerat. Perisse autem constat in illo diluvio omnes ipsius temporis homines, præter eos qui intra Arcam (*Gen.* VII), quæ typum gerebat Ecclesiæ, reperiri meruerunt. Nam similiter etiam nunc omnino salvi esse non poterunt qui ab apostolica fide et ab Ecclesia catholica fuerint alieni. Elaboret ergo omni studio [c] unusquisque vestrum permanere in domo Domini, exercens opera perceptæ gratiæ congrua. Oportet enim, in novum C renatos hominem a peccatis pristinis jam cavere. Servate, quæso, utres novos, neophyti; ne vitam veterem repetentes, vinum novum disrupti perdatis; *rumpet* enim *vinum novum utres veteres, et vinum effundetur, et utres peribunt* (*Marc.* II; *Luc.* V). [d] Custodite igitur regenerati hominis integram novitatem, et [e] cœleste vinum in vestris utribus conservate, ut vos ipsa fides custodita conservet per Salvatorem generis humani Christum Jesum Dominum Deum nostrum, regnantem cum Patre, et cum Spiritu sancto, ante omnia, et nunc, et semper, et in cuncta sæcula. [f] Amen.

SERMO IX,

DE EVANGELII LECTIONE SECUNDUS.

Explanavimus hesterno die charitati vestræ ex lectione evangelica quæ Salvatorem nostrum perhibet de aqua vinum fecisse in nuptiis, primum juxta historiam gesti, quam ob causam ire dignatus sit: deinde secundum spiritalem cœlestis mysterii intellectum, [g] quid esset dies, et quis **280** esset primus dies, qui secundus, qui tertius, quæ nuptiarum ratio, qui sponsus ille esset, quæve illa sponsa, qui locus ubi fiebant [h] illæ nuptiæ, et quod non primæ illæ nuptiæ factæ sint, et quamobrem ibi fuisse dicta sit Mater Domini Jesu: deinde cur ipse sponsus invitetur ad nuptias, vel a quibus; quomodo etiam discipuli pariter invitentur: deinde quid esset illud vinum quod non habebant, et quæ fuerit vini nuptialis defectio; et quemadmodum [i] repudiata ob idololatriæ adulterium plebe Judaica, Ecclesia Gentium divino fuerit amori conjuncta. Unde cavendum nobis est, [j] omni genere charissimi, ne aliquo rursus idololatriæ contagio violemur, et non solum repudiari, sed et damnari in perpetuum mereamur; quoniam *si quis templum Dei violaverit*,

[a] Totum hoc deest in editis, qui sic legunt, *intelligitur vinum, non enim nuptiale vinum;* quanto loci hujus detrimento, lector facile judicabit. Porro in hoc supplementum Flor. et Vatt. duobus consentit etiam liber Octavii Pantagathi.

[b] Flor. et Vatt. duo, *cessantibus jam Prophetis*, prout etiam cod. Pantagathi.

[c] Sic mss. codd.; editi vero, *unusquisque nostrum;* et paulo post mss., *in novum renatos homines*, quod tamen adoptare noluimus. Liber Pantagathi, utrobique recte, *unusquisque vestrum ;* et, *in novum renatos hominem.*

[d] Lectionem Vatt. duorum et Flor. integra fide expressimus, quorum ope totus hic locus sanatus est; nam primo in editis habebatur *regenerati homines*, deinde pro *in vestris utribus* duæ editiones ineptissime legunt *in vestris vitibus ;* postremo, *et vos ipsos fideles custodite, et conservate*, cujus loco in mss., *ut vos ipsa fides custodita conservet ;* et mss. consensui favet etiam liber Octavii Pantagathi.

[e] Videtur oblique carpere ineptam prorsus ac stolidam Ascodrogitarum hæresin, de qua Philastrius, cap. 75, et Augustinus, de Hæres., ad Quodvultdeum, cap. 62, cui tamen non *Ascodrogitæ*, sed *Ascitæ* vocantur: *Ascitæ ab utre sic appellati sunt ; ἄσκος enim Græce, Latine uter dicitur: quem perhibentur inflatum, et opertum circumire bacchantes, tamquam ipsi sint evangelici utres novi, vino novo repleti.* Non abludit Gaudentius paulo ante, ubi ait: *Servate, quæso, utres novos, neophyti ; ne vitam veterem repetentes, vinum novum disrupti perdatis ;* et supra, hoc eodem serm. p. 278 : *Exspectabatur Dominus Jesus, qui novo vino utres per Baptismum novos impleret.*

[f] In duobus Vatt. subditur: *Finit de Evangelii lectione primus.*

[g] In editis verba illa *quid esset dies* non habentur, sed tantum *quid esset primus dies ;* quæ tamen optime conveniunt, cum supra in præcedenti tractatu, primo loco explicaverit ἀλληγορικῶς quid sit dies. Sic autem legunt Vatt. duo, Flor. et Urb., quomodo nos edidimus ; iisque accedit cod. etiam Octavii Pan- D tagathi.

[h] Sic mss. tres codd. Editi, *istæ nuptiæ.*

[i] Editt. Colon. et Lugd., male, *repudiat ob idololatriæ adulterium plebem Judaicam.* Paris., *repudiat ob idololatriæ adulterium plebe Judaica :* quæ genuinæ lectioni propius accedit. Secuti autem sumus auctoritatem mss.[1], quamvis expungendo tam manifesto errori non esset necessaria. Et hic Flor. cod. constanter retinet *idolatriæ*, ut etiam liber Pantagathi. Vide quæ notavimus supra in Præf. Gaudentii ad Benivolum, p. 221.

[j] In ms. Pantagathi, ejus manu, pro *omni genere*, quod prorsus ineptum est, reponitur *omnigenæ ;* idque omnino placeret, si Latine *omnigena* diceretur, non vero *omnigenus*, ut exempla ex Lucretio, Gellio aliisque petita apud lexicographos ostendunt; quamvis et *indigena*, et *alienigena* etiam Latina verba sint. *Verbigena* dixit Prudentius, Cathemer., hymn. 3, 2; et *Christigena*, Hamartig. 789. *Nubigena et Phœbigena* occurrunt apud Virgilium, Æn. VII.

disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, ait Apostolus, *quod estis vos* : cavete attentius, *ne sicut serpens decepit Evam astutia sua, corrumpantur sensus vestri a castitate, quæ est in Christo Jesu* (I *Cor.* III), sicut admonet idem beatissimus Paulus (II *Cor.* XI); et repellamur ab eo qui nos dilexit, et dedit pignus sancti Spiritus in cordibus nostris. Teneamus ergo gratiam Spiritus sancti, largo munere Sponsi cœlestis infusam, ne ad inopiam pristinam revertamur. De qua inopia tunc in ænigmate ait Mater Domini ad eum, *vinum non habent* (*Joan.* II). Sed jam quid Dominus ei responderit, [a] attonitis mentibus audiamus. Ait illi Jesus : *Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea.* Juxta intellectus simplicis rationem probare suffecerit, beatam Mariam virginem sexus causa mulierem nuncupatam, sicut in Genesi de Eva scribitur : *Et injecit Dominus soporem in Adam; et obdormivit : et sumpsit unam de costis ejus, et supplevit carnem in loco ejus. Et ædificavit Dominus Deus costam, quam sumpsit ab Adam, in mulierem : et utique in virginem figuravit illam, et adduxit eam ad Adam. Et dixit Adam : Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea : hæc vocabitur* [b] *virago*, **281** *quia de viro suo sumpta est* (*Gen.* II). Sed dicat fortasse aliquis parvæ fidei, ac parum prudens, virginem quidem Mariam non ex viro concepisse Christum, sed [c] de Spiritu sancto, ut in Evangelio (*Luc.* I) ad eam loquitur archangelus Gabriel ; [d] nato tamen Christo virginem dici ultra non posse quam constet edidisse partum ; et ideo non dixisse Christum, *Quid mihi et tibi est, virgo?* sed *quid mihi et tibi est, mulier?* Audi ergo divinam rationem spei communis, ac vitæ. Nascitur Christus non sibi, sed nobis. Nascitur enim qui semper erat : nascitur qui in principio erat et Filius Dei, et Verbum Dei, et Deus. Hic ideo prope finem sæculi ex Virgine natus est, *ut Verbum caro factum habitaret in nobis* (*Joan.* I), permanens tamen Deus esse, quod semper. Nascitur autem Filius Dei in homine, ut vel ita conditorem suum intueri [e] caperet mundus : et nascitur de Spiritu sancto ex Virgine, ut hominem, quem de limo terræ plasmaverat, sancto Spiritu ex massa eadem reformaret. Si credimus conceptum Virginis, credere debemus et partum : utrumque impossibile videtur homini, sed est omnipotentiæ divinæ parvum. Quid enim Deo magnum (ut omittam sublimiora ejus opera) qui ex nihilo fecit terram, et de terræ limo carnem, et de carne viri feminam? ita ut neque pars reliqua terræ aliud esset quam fuerat ; neque Adam minus haberet quod Deus abstulerat ; neque femina hoc esset tantum quod ex viro sumptum fuerat. Integer Adam ossa sua, et carnem recognoscit in femina, dicens : *Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea* (*Gen.* II) ; et tu non vis, ut eum [f] qui hæc operatur, integra Virgo filium recognoscat? Qui sine corruptela matris conceptus creditur, cur non etiam sine corruptela editus præsumatur? Incorrupta Virgo peperit, [g] quod intacta Virgo concepit. Integritatem nascendo violare non potuit, qui venerat redintegrare naturam. Cujus facti fidem si quis adhuc terrena cogitatione depressus, sensuque carneo præpeditus, tardiore gradu sequitur, ac de Dei omnipotentia infideli corde cunctatur, discat ex Evangelio Joannis (*Joan.* XX), eumdem Deum post resurrectionem suam, bis ad Apostolos, ubi erant in domo congregati propter metum Judæorum, clausis utique januis introisse : et certo introgressus. Ne autem non in carne vera esse, sed in phantasmate putaretur, manus suas, cæteraque membra Thomæ apostolo attrectanda ingerit dubitanti. Similiter **282** et in Evangelio beati Lucæ simul discipulis omnibus contestatur ingressus : *Palpate me, et videte, quoniam spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV). O miranda fides ! reseratæ non sunt januæ, et ipse intrinsecus cum vero corpore apostolicis non solum videtur oculis, sed et manibus pertractatur ! Veritas mirabilis facti, cujus rationem non nisi sola fides assequitur, omnipotentiam clamat auctoris : nec ideo negabitur factum, quia magnitudinem divini operis pusillitas mentis humanæ [h] non tenuerit. Eadem ergo divinitatis virtute per inviolabilem feminam, mundi hujus intravit hospitium, claustrum virginei pudoris etiam nascendo conservans, [i] qua et post resurrectionem januis obseratis, domum potuit corporeus introire. Illud etiam quæstioni huic solvendæ quam maxime congruit, quod Apostolus Christum memorat *editum de muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant, redimeret* (*Gal.* IV). Utique ut sic illa, cum Virgo sit, mulier appelletur, veritate sexus, non detrimento integritatis ; quomodo Deus Dei Filius ob dispensationem salutis nostræ sub Lege factus esse prædicetur, cum dator ipse sit Legis. Hoc totum pro beatitudine Mariæ dixerim, [j] cum illam Christus mulierem nuncupaverit, quæ divino partu sic cœpit esse mater, ut virgo sacratior permaneret. Quod vero ait : *Quid*

[a] In Ms. Pantagathi ipsius manu ascriptum est ad oram paginæ *attentis*, quod certo melius ; cum et ibi sicut et in cæteris libris legeretur *attonitis*.

[b] Mss. quatuor codd., *vocabitur mulier*, quibus consonat liber Pantagathi.

[c] Reddidimus voculam *de* ex mss., quæ non habebatur in editis.

[d] Sic legunt mss. codd., quorum consensum secuti sumus. Editi *non tamen a Christo virginem dici ultra posse*.

[e] Sic Paris. editio. Colon. et Lugd., *cuperet*. Flor. cod., *ouperet*.

[f] In mss., *qui hæc operatus est, intrgra Virgo filium*. Editi, *integra Virgo ut filium*.

[g] In ms. Pantagathi, ipsius manu rescriptum est *quem intacta*.

[h] Vatt. duo et Flor., *non invenit*. Urb. quoque et cod. Pantagathi.

[i] Sic mss. quatuor codd. et liber Pantagathi. In editis, *qui post resurrectionem*.

[j] Tres mss. nempe duo et Flor., *cur illam*.

mihi et tibi est? nondum venit hora mea (*Joan.* II); A non mihi videtur [a] ista responsio ad illam suggestionem Mariæ sensibiliter convenire, nisi in mysterio locutus esse spiritualiter Dominus dicatur; ut quoniam vinum Spiritus sancti ante passionem Christi, ac resurrectionem, gentibus dari non poterat (evangelista testante, *nondum erat Spiritus datus, quia Jesus necdum fuerat glorificatus* [*Joan.* VII, 39]), merito tunc inter initia signorum, matri responderit: *Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea;* tamquam si diceret: Quid tam præpropera est tua, o mulier, suggestio, cum hora passionis meæ nondum advenerit, qua perfectis omnibus vel doctrinæ, vel operationum divinarum virtutibus, pro vita credentium mori disposui? Post passionem resurrectionemque meam, B cum ad Patrem rediero, tunc eis donabitur vinum Spiritus sancti. Quapropter et ipsa beatissima, agnito responsionis hujus profundo mysterio, intellexit, non suggestionem suam præsentem aspernanter acceptam, sed secundum illam spiritualem rationem in mysterio tunc dilatam. Cæterum numquam mandaret ministris, *Quodcumque* **283** *dixerit vobis, facite* (*Joan.* II), nisi Spiritu sancto post partum divinum plena, non solum responsionis Christi virtutem cognovisset, verum etiam faciendi ab eo tunc ex aqua vini universum ordinem prævidisset. Quid enim lateret Sapientiæ matrem, capacem Dei, [b] ædem dignissimam tantæ virtutis? Veritate facti historialiter approbata, figuras nunc spiritualiter propositas persequemur; sicut enim C intellexisti sponsum et sponsam, diem et dies, nuptias et locum, indigentiam vini et cujus vini; ita etiam matrem Domini figuraliter accipe, sanctorum Patriarcharum, et Prophetarum, justorumque omnium plebem, unde originem carnis nostræ idem Dominus traxisse in Evangelio perhibetur (*Matth.* I). *Liber* enim *generationis Jesu Christi* scribitur *filii Abraham*, et sequentium reliquorum. Hæc ergo mater Domini, generatio Patriarcharum et Prophetarum, intercessit pro nobis gentibus apud æternum Filium Dei, [c] et suum secundum carnem natum, ut donaret nobis indigentibus cœlestis vini lætitiam. [d] Sunt autem similia illis dictis quæ Apostoli suggerentes pro Chananæa, gentili quippe muliere, audierunt: *Non est bonum tollere panem filiorum, et dare canibus* (*Matth.* XV), [e] id est Gentilibus qui prius in superstitione positi, canum more consueverant immundum sanguinem [f] idolothytarum lambere victimarum, contra Dominum Deum non agnitum ore rabido oblatrantes. Nam canes eramus nos quondam Gentes, et filii erant aliquando Judæi; et idcirco nolebat Dominus tollere panem filiorum, et dare canibus: sed postquam panis ipse cœlestis *in sua venit, et sui eum non receperunt* (*Joan.* I); postquam cognoscitur idem Dominus noster ab Gentibus quondam canibus, **284** et blasphemo ore contra eum latratur a filiis; postquam Pilato resistenti ne Christum, qui rex eorum crederetur, crucifigendum pronuntiaret, pariter clamaverunt, *nos non habemus regem, nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX); causatur de illis iterum sic per Prophetam Deus: *Filios genui, et exaltavi, ipsi autem me spreverunt* (*Is.* I). Sed *convertentur ad vesperum*, quomodo Propheta ait, *et famem patientur ut canes* (*Ps.* LVIII). Convertentur quippe et ipsi Judæi, sero tandem, ad vesperum scilicet mundi. Nam scriptum est: *Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, residui salvabuntur* (*Is.* X; *Rom.* IX, 27; *Osee* I, 10): et apostolus Paulus cæcitate percussum fatetur populum Judæorum, donec introeat Gentium plenitudo (*Rom.* XI, 25). Convertentur autem in consummatione sæculi, et famem verbi Dei patientur ut illi canes qui cupiebant saturari de micis cadentibus de mensa dominorum suorum (*Matth.* XV). Adoptantur igitur Gentes, prius canes, in filios, et filii canibus comparantur: belluæ quippe sunt omnes increduli, non natura, sed moribus; [g] quoniam *homo in honore constitutus non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Ps.* XLVIII). Licet ergo Judæi,

[a] Sic mss. tres iidem. cod. Editi vero, *illa responsio ad istam.*

[b] Laborabat manifesto interpunctionis vitio hic locus, quem sic distinximus; nam in editis interrogatio protrahitur usque post verba sequentia, hoc modo, *veritate facti historialiter approbata?* quod librarii erratum in interpungendo, sententiam non modo obscuram, sed et ineptam reddebat. Nostram porro interpunctionem exhibet liber quoque Octavii Pantagathi.

[c] Τὸ *suum* apposuimus ex duobus Vatt.

[d] Flor., Urb. et Vatt. duo, *Audit similia*, prout etiam cod. Pantagathi; quod quidem satis apposite respondet κώλῳ *quæ Apostoli suggerentes audierunt.*

[e] In Florent. et Vatt. duobus legitur *id est Gentibus quæ prius.*

[f] Sic Flor. Vatt. duo, et Parisiens. editio. Coloniens. vero et Lugdun., absurde, *idolatrarum*. Similiter in serm. de Machabæis martyribus, mss. legunt *carnes idolothytas inter supplicia respuerunt*, ubi editi habent *idolothyta*. Vigebat tum maxime in Ecclesia doctrina de non comedendis immolatitiis, ab apostolica institutione manans; unde idem Gaud., supra, tr. 4, p. 253: *Videte quomodo ab omni pollu-* D *tione escarum quas superstitio gentilis infecerit, vestras animas conservetis;* et Augustinus, Gaudentio coævus, in lib. de Bono conjugal. c. 16: *Satius est fame mori, quam idolothytis vesci.* Abhorrebant autem Christiani eo usque ab idolothytis, ut non solum eorum esum, sed etiam figuram quamlibet et imaginem detestarentur; quare Tertullianus reprehendens Christianum pædagogum, in lib. de Idololatr. cap. 10: *Ipsam*, inquit, *primum novi discipuli stipem, Minervæ et honori et nomini consecrat, ut etsi non profanatus alicui idolo, verbo tenus de idolothyto esse dicatur;* quem locum male in editis acceptum purgavit Rigaltius. Hinc est quod Imperatores, christiani nominis hostes, ut facilius fideles detegerent, immolatitia manducanda edicto proponebant. Lactant. de Mort. persecut. cap. 37, de Maximino loquens: *Hoc primus invenerat, ut animalia omnia quibus vescebatur, non a coquis, sed a sacerdotibus immolarentur, nihilque prorsus mensæ apponeretur, nisi aut delibatum, aut sacrificatum, aut perfusum mero; ut quisquis ad cœnam vocatus esset, inquinatus inde, atque impurus exiret.* Vide Baluzii et Cuperi notas ad hunc Lactantii locum.

[g] Editi legunt, *et homo.*

majore cum scelere, sacrilegis olim Gentibus similia perpetrassent; Christus tamen eos quos non jam suo, sed Patrum justorum merito, diligebat, [a] licet jam indignos, adhuc tamen ut converteret, filios appellabat (*Matth.* xv), et paterna pietate misericors nolebat relinquere. Nolebat se panem cœlestem, vitæ principem, ab ipsis cito subtrahere, et Gentibus commodare; donec pertinax fides Gentilium illorum perfidiam confutaret, et donec ipse in carne adveniens doceret eos et instrueret: verberaret curationum beneficiis: quia ingrati exsisterent, [b] judicaret divinis virtutibus: quia flecti ad fidem negligerent, condemnaret: et ita demum consummata in Passione sua eorum nequitia, post resurrectionem propriam migraret ad Gentes, quibus se ipsum panem vitæ tribueret, et per aquam Baptismatis poculum sancti Spiritus propinaret. Jam vero quibus ministris dicat mater ista Domini Jesu, *quodcumque dixerit vobis, facite* (*Joan.* ii); et quid imperatum, quidve factum sit, videamus. [c] Illuminante oculos cordis nostri ipso Domino Salvatore, qui lumen est æterni luminis coæternum, præter beatam [d] Mariam **285** proprie matrem, cognovimus, sanctorum Patriarcharum et Prophetarum plebem, originis Christi causa, esse matrem, quæ legatione apud eum functa sit pro nostra inopia: nunc advertamus, quibus ministris loquatur, *quodcumque dixerit vobis, facite.* Ministros autem non illos secundum rei gestum solos accipio qui tunc in illo nuptiarum convivio ministrabant; sed [e] juxta spiritalis convivii rationem, primo ministros novi Testamenti intelligo esse Apostolos; deinde apostolicos sacerdotes, quibus et Lex, et omnis sanctorum Prophetarum doctrina insinuat, ut quidquid præceperit eis Dominus Jesus, obsequio prompto perficiant. Jam quid ab illo jubeatur ministris, sequens loquitur sermo. Interim quid

A evangelista interloquatur, ausculta: *Erant*, inquit, *ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas, vel ternas* (*Joan.* ii). Nuptiæ istæ quamvis in Galilæa Gentium gererentur, et haberent figuram quam diximus, tamen Judæis tunc agebantur; et erant ibi vere [f] hydriæ sex positæ secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas, aut ternas. Nam Judæi id moris habebant, [g] ut priusquam synagogam ingrederentur, vel de publico regressi domum priusquam panderent, cutem corporis sui aqua abluerent. Erat autem mensura aquæ ad abluendum corpus sufficiens [h] vel duæ metretæ, vel tres, pro quantitate scilicet magnitudinis corporum. Non possum parcere transiens purificationi
B Judæorum immundæ. Lavant polluta corpora, abluta statim polluunt: semper lavant, semper impuri sunt; et, ut dici solet, laterem lavant. Illum laterem quem paraverant in Ægypto Pharaoni diabolo (*Exod.* i), exhibentes seipsos arma iniquitatis peccato, ad constructionem hostilium civitatum. Terrei enim sunt, et igneo Spiritus sancti calore nequaquam solidati. **286** Quapropter usquequo deliquescant in mortem, laterem suum non desinunt lavare polluendum. Quinimo porcorum more, de aqua in cœnum redeunt. Isti sunt porci quos iratus Dominus legioni dæmonum tradidit (*Matth.* viii), ut præcipitarentur in lacum morte necandi perpetua. Fugite immunditiæ exemplum, neophyti, ne pœnæ participes exsistatis. Unum Baptisma nobis Apostoli [i] juxta
C divinam sententiam decreverunt; ait enim: *Qui biberit ex ista aqua, non sitiet in æternum* (*Joan.* iv). Abluti semel estis Baptismo salutari: nolite de fonte in cœnum regredi; servate donatam munditiem. Non potest iterari [j] quod semel est amissum.

Sed jam videamus, quæ sint apud Gentes per al-

[a] Vulgata exemplaria habent *quo scilicet jam indignos;* mss. vero, *quos licet jam indignos.* Hanc porro lectionem elegimus, verbo *quos* abjecto quod furtim irrepserat.

[b] Sic tres mss. pleno consensu, pro eo quod in editis est, *juvaret.* Opinor autem hanc esse veram lectionem, quia judicium sequitur damnatio; unde statim subditur *quia flecti ad fidem negligerent, condemnaret.* Cætera loci hujus ad fidem mss. sunt reformata.

[c] Male prorsus editi, *illuminante oculos carnis.* Itaque expressimus lectionem Vatt. codd. Florentinus legit *oculos cordis tui.* Cod. Pantagathi, *oculos cordis nostri.*

[d] In ms. Pantagathi additur *matrem Domini*, quod certe melius; deinde paulo post pro *originis Christi causa esse matrem*, pauca, sed apta transpositio, *originis causa, Christi esse matrem.*

[e] Sic Vatt. duo. Flor. vero, *spiritalis convivi.* Tres editiones, inepte, *juxta spiritalis rei commutationem.*

[f] Paulo ante cod. Pantagathi habet *a Judæis*, addita præpositione; hic vero Flor. et Vatt. duo, *hydriæ sex lapideæ positæ*, quibus concinit idem codex. Oveti in Hispania, Ravennæ in Italia, atque alibi, nonnullas ex his hydriis porphyreticas summa cum veneratione asservari, perhibent testes laudati a Dominico Macrio in Hierolexico. Porro de Ravennate quid habeat testes autoptes Bernardus de Montfaucon. invenies Diar. Ital. p. 101. Ejus mensuram et capacitatem per Gabrielem Naudæum sibi impetrandam curaverat summus vir Nicolaus Fabricius Peireskius, ut suum de ponderibus et mensuris quem parabat tractatum eruditissimum rarioribus monumentis instrueret, narrante Petro Gassendo in ejusdem Peireskii Vita, lib. v, sub anno 1633.

[g] Ita lectio unius ex Vatt. Urbinatis ac Flor., quam prætulimus cæteris, tamquam aptiorem et meliorem, eamque habet etiam cod. Pantagathi. Vat. alter, *priusquam synagogam ingrederentur, vel*
D *de publico regressi domum pranderent.* Editi vero, *priusquam synagogam ingrederentur, de publico regressi domum priusquam pranderent.* De hac Judæorum purificatione, seu lotione, Goduvin. l. iii, c. 2; Stuckius, in lib. Antiquit. convival.

[h] Ejecimus hinc ineptum glossema, quod nullus ex mss. codd. præfert, sed editi solummodo in hunc modum: *Vel duæ metretæ, vel tres, id est amphoræ duæ, vel tres.* Metreta autem, μετρητὴ, erat mensura Attica congiorum decem, hoc est duodecim sextariis amphora major, ut tradit Bud. l. v de Asse, p. 580, edit. Gryph. Lugdun. 1542. Errat tamen dicens amphoram metretam a Cratino appellatam, ut recte ostendit Jungermannus ad Jul. Poll. lib. x, cap. 20.

[i] Tres codd. mss., *juxta divinam sententiam tradiderunt*, iisque accedit etiam liber Pantagathi.

[j] Liber Pantagathi non habet τὸ *amissum*, quod

legoriam sex illæ hydriæ lapideæ, capientes singulæ [a] metretas binas, vel ternas. In unoquoque hominum sex quædam inesse numerantur : visus oculorum, auditus aurium, odoratus narium, loquela oris, attrectatio manuum, incessus pedum. Hæc omnia, cum essemus Gentes, lapidea erant in nobis, et mortua, sicut sanctus propheta David exsecrando testatur : *Simulacra Gentium argentum et aurum* (*Ps.* CXIII). Studio tacuit cæteras viliores materias metallorum, ut in pretiosis multo magis damnaret et vilia. Simulacra ergo Gentium ut quo sensu vituperata sunt, edicamus, quando satis opulentos fabricatores habuerunt : Erunt, inquit, insensibilia metalla, *argentum et aurum, opera manuum hominum. Os habent, et non loquentur ; oculos habent, et non videbunt ; aures habent, et non audient ; nares habent, et non odorabunt ; manus habent, et non palpabunt ; pedes habent, et non ambulabunt* (*Ibid.*). Et quid ? [b] *similes illis fient qui faciunt ea ; et omnes qui confidunt in eis.* [c] Ergo cum confideremus in idolis, erant in nobis isti sensus sex, juxta sententiam prophetæ, emortui atque lapidei, [d] sine officio competenti, sine motu congruo ; at ubi in Deum vivum a simulacris mortuis conversi credidimus, vivificati sumus, audientes ab ipso , *quia ego vivo, et vos vivetis* (*Joan.* XIV , 19). Et iterum : *Ego sum resurrectio , et vita ; qui credit in me, etsi* **287** *mortuus fuerit, vivet : et omnis qui vivit,* id est qui jam credit, si usque in finem crediderit, *non morietur in æternum* (*Joan.* XI). Conversi igitur ad fidem, et vivificati per Baptismum, oculos levamus ad Dominum, odorem notitiæ ejus insatiabili spiritu trahimus, tacitoque testamur affectu, quoniam *odor unguentorum tuorum super omnia aromata* (*Cant.* IV). Lectiones divinas aure percipimus, ore Dominum confitemur, laudamus, benedicimus, obsecramus ; manus supplices ad cœlum tendimus, pedibus ad ecclesiam currimus, et unam Trinitatis Deitatem flexis ad terram genibus adoramus. Vocatis ergo Jesus ministris, Apostolis videlicet, et eorum successoribus qui sunt per singulas Ecclesias sacerdotes, dicit eis : *Implete hydrias istas aqua* (*Joan.* II) ; hoc est : *Baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæ ego mandavi vobis* (*Matth.* XXVIII). Et plane quia audierant iidem ministri dicentem venerabilem Mariam : *Quodcumque dixerit vobis, facite ;* impleverunt eas usque ad summum : plenitudine quippe doctrinæ infusum Baptisma cumulantes. Bene autem dixit, *vocatis ministris ;* nam *Paulus vocatus apostolus, segregatus in Evangelium Dei* (*Rom.* I) est : similiter et omnes Apostoli vocati sunt : *Venite post me, et faciam vos piscatores hominum* (*Matth.* IV). *Quos enim prædestinavit, hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit,* [e] *hos glorificavit* (*Rom.* VIII). Vocatis igitur Jesus ministris injunxit opus celebrandi Baptismatis. Nec illud in postrema parte hujus sermonis prætereo, quod istæ hydriæ nostræ capientes esse dicuntur singulæ metretas binas , vel ternas. Super hoc aliqui nostrorum dixerunt, [f] metretas duas, vel tres, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum : et [g] quosdam quidem ex Gentibus baptizandis Patris, et Filii tantum scientiam posse capere, quosdam vero capaciores etiam Spiritus sancti : sed ego arbitror, quod qui Spiritum sanctum non **288** capit, neque Filium capiat, neque Patrem. Neque enim baptizari quis potest, nisi in integram atque inseparabilem Trinitatem , quoniam *nemo confitetur* proprietate naturæ esse, ut oportet, *Dominum Jesum Christum, nisi in Spiritu sancto* (I *Cor.* XII). Et, *nemo vadit ad Patrem, nisi per Filium* (*Joan.* XIV) , ut ipse testatur : *Nemo venit ad Filium, nisi Pater eum pertraxerit* (*Joan.* VI).

profecto amittere nihil detrimenti affert, cum hoc modo *semel est* refertur ad Baptismum, de quo dixit paulo antea : *Unum Baptisma nobis Apostoli juxta divinam sententiam decreverunt.*

[a] Sic habet lectio Florentini cod., uti et liber Pantagathi. Vatt. duo, *metretas binas, vel tres.* Editiones, *metretas binas, et ternas.*

[b] Vatt. duo, Flor. et Urb., *similes illis fiant omnes, ait, qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.* Ita quoque liber Pantagathi.

[c] Pulchra emendatio quam obtulerunt Vatt. codd., cum locus iste mirum in modum fuisset corruptus. Cusi nempe sic legebant : *Ergo unum consideremus.* Deceptus fuerat imperitus librarius similitudine ductus litterarum ; vel quia detrita lineola quæ *f* mediam secat, *s* apparebat. Flor. et Urb. legunt : *Ergo cum consideremus,* at cod. Octavii Pantagathi, recte, *confideremus ;* quo in loco cum Florentino et Urbinati præstare deprehendatur, scriptoris diligentiam commendat.

[d] Tres mss. codd. ita legunt. Editi vero, *sine officio, sine motu congruo, sine officio competenti ;* quod fuit librarii vel typographi erratum. Cod. Pantagathi quoque, *sine officio competenti, sine motu congruo.*

[e] In duobus Vatt. et Flor. legitur *hos et clarificavit,* quibus consentit liber Pantagathi. Sed Vulgata retinet *glorificavit ;* itemque Græca editio, quæ habet τούτους καὶ ἐδόξασε.

[f] In cod. Pantagathi non habentur priora illa verba, sed tantum hæc postrema *metretas duas, vel tres ;* deinde *Patrem scilicet, et Filium,* quod equidem puto esse librarii erratum.

[g] Hoc porro errore laborabant Macedoniani , seu Pneumatomachi, qui Philastrio *Semiariani,* cap. 67 : *Semiariani sunt quoque qui de Patre, et Filio bene sentiunt, unam qualitatis substantiam unam divinitatem esse credentes : Spiritum autem non de divina substantia, nec Deum verum, sed factum atque creatum prædicantes.* Error hic haud ita pridem damnatus fuerat in concilio Cpolitano, A. 381, ubi apud Baronium, n. 30, extrema exsecratione ac detestatione damnatur impia opinio Semiarianorum, seu Pneumatomachorum. Joan. Albertus Fabricius, in testimoniis ad Philastrium, ex auctore Prædestinati, cap. 52, hæc profert : *Philaster scribit, Macedonium Spiritum sanctum Deitatem Patris, et Filii dicere, quo dicto videtur proprietatem suam sancto Spiritui denegare.* Deinde addit : *Hæc nusquam apud Philastrium leguntur, sed ex Augustini cap. 52, petita sunt, ut Cotelerius, t. I Momument., p. 773, recte annotavit.* Vide etiam, si lubet, eumdem Philastrium, cap. 86, ubi de quibusdam aliis hæreticis loquens (fortasse Adelophagis) eadem fere habet quæ supra dixerat de Semiarianis, seu Pneumatochis : *Hi de Patre et Filio bene sentiunt, de Spiritu autem non recte accipiunt, creatum credentes esse , et factum sanctum Spiritum.*

Igitur [a] qui unam Trinitatis adorandæ personam minuerit, denegavit integram Trinitatem. Ergo cum non sit plus et minus in confessione fidei, quæ traditur per Christi ministros in sacramento Baptismatis, videamus, hydriæ nostræ quas metretas singulæ capiant, [b] vel binas, vel ternas. Sanctus apostolus Paulus scribens ad Corinthios, inter cætera spiritualium genera virtutum, [c] quæ aboleri profectu meliorum necesse sit, mansura in æternum tria hæc perhibet, spem, fidem, et charitatem. *Manent*, inquit, *spes, fides, et charitas : tria hæc : major autem horum est charitas* (I *Cor*. XIII). Fides est, qua Trinitatem unius substantiæ confitemur : spes est, qua resurrectionem carnis, et præmia pro meritis futura speramus : charitas est, qua ita Christum diligimus, ut pro ejus nomine interfici æquo animo patiamur. B Sed quia omnes in fide apostolica baptizati, credunt quidem in Trinitatem, et sperant futura, non tamen omnes cum sancto Apostolo ex affectu dicere ausi sunt : *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius* (*Rom*. VIII)? idcirco quædam hydriæ nostræ binas metretas capiunt, quædam vero etiam ternas. Largiatur autem Dominus Jesus dives in omnes, et super omnes qui invocant eum, ut ternas metretas, perfecti in charitate ejus, etiam sine aperto persecutionis prælio capiamus; ut in dilectione Dei paratis mentibus ad omnem præsentium pœnarum tolerantiam, [d] constantes possimus ex occulti certaminis triumpho illustrem coronam victricis conscientiæ promereri. Ergo postquam C beatissimi Apostoli (*Act*. II, VI), fidelium ministrorum functi officio, repleverunt hydrias credentium popu-

A lorum aqua venerandi Baptismatis, et Dominus Jesus invisibili virtute hanc aquam convertit in vinum, ita ut baptizati ab illis, confestim divini Spiritus in se
289 operantis saporem repentina linguarum gratia testarentur; ex quibus prior Stephanus martyr [e] plenus gratia et veritate faciebat signa, et prodigia magna in populo, in nomine Domini nostri Jesu Christi. *Tunc ait ipse Dominus Jesus iisdem ministris : Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt*. [f] *Ut autem gustavit architriclinus*, inquit, *ex aqua vinum factum, et nesciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam; vocat sponsum architriclinus, et dicit ei : Omnis homo prius vinum bonum ponit, et cum inebriati fuerunt, id quod deterius est : tu servasti bonum vinum usque modo* (*Joan*. II). Explanemus primum facti ipsius historiam, et ita ad propositam rationem spiritualis intelligentiæ redeamus. Nuptiæ apud Judæos cum fierent, unus (quantum traditione comperimus) dabatur de sacerdotali ordine, qui morem disciplinæ legitime gubernaret, pudorisque curam gereret conjugalis; simul etiam conviviorum apparatui ministros, atque ordinem dispensaret, et [g] pro hoc officio architriclinus, id est triclinii præpositus, dicebatur. Huic ergo gustum vini ex aqua facti jubentur conviviorum ministri portare. Gustat architriclinus nesciens unde esset; et, vocato sponso, laudat ei saporem vini usque in illud temporis reservati. His omnibus gestis probatur virtus Salvatoris in hoc etiam signo non phantasma fuisse, sed veritas; quando præpositus convivii non modo vinum, sed et bonum vinum testatur esse quod ei gustandum ministri, Domino jubente, portaverunt. Jam nunc [h] ad spiri-

[a] Vaticana lectio, quæ cæteris præstare omnino visa est; cod. vero Octavii Pantagathi, *qui unam Trinitatis adorandæ personam denegavit, denegavit integram Trinitatem*. Urb. et duæ editiones legunt *qui unam Trinitatis adorandæ personam irrenuerit*, male. Lugdun., *qui unam Trinitatis adorandæ personam renuerit*. Codex Flor., *Qui unam Trinitatis adorandæ personam minuerit, denegabit integram Trinitatem*. Porro *denegabit* habent etiam tres editiones.

[b] Sic mss. Editi autem, *vel binas, vel trinas*. Cod. Pantagathi paulo ante pro *quas metretas* legit *quot metretas*.

[c] Editi legebant *quæ aboleri profectu meritorum necesse sit*; at quodnam umquam genus virtutum est quod profectu meritorum aboleatur? Itaque reposuimus lectionem Florentini cod. Urb. et duorum Vatt. qui habent *profectu meliorum*. Est etiam convenientior sententiæ Apostoli, qui paulo ante dixerat : *Æmulamini autem charismata meliora*.

[d] Sic editi. mss. legunt, *stantes*.

[e] Urbinas, *plenus gratia, et virtute*, ut etiam liber Pantagathi.

[f] Sic habent duæ editiones. Flor. vero, *Ut autem gustavit architriclinus, inquit, aquam vinum factum*. Editio Lugdun., *Architriclinus aquam vinum factum*. Vatt. duo, *aquam vinum factum, et nesciebat unde est*, pro *unde esset*, et ita habet etiam cod. Pantagathi.

[g] Locum hunc immerito notavit Casaubonus Exercit. 13, in Baron., § 19, ubi Gaudentium culpat, quod architriclinum confuderit cum præfecto *morum*. *Tria* enim fuisse dicuntur officia illorum qui excipiebant in conviviis : 1° paterfamilias; 2° dominus convivii, qui et ἀρχιτρίκλινος, seu præfectus triclinii; 3° præfectus morum, qui Græcis οἰνόπτης, *œnopta*, quasi *vini inspector*, dictus est; ejusque erat munus animadvertere ne convivæ bibendo plus nimio excederent. De œnoptis Athen. lib. X, cap. 7, qui etiam aliud œnoptarum officium ex Philino assignat, dum tradit *œnoptas tres fuisse, qui cœnantibus lucernas, ellychniaque suppeditarent*; quod cum apud Petron. in Satyr. etiam tricliniarchæ, seu architriclino tributum fuerit, *jam et tricliniarches experrectus lucernis occidentibus oleum infu-* D *derat*; non video cur aliquando œnoptæ officium unum atque idem cum architriclino esse non potuerit. Tricliniarchæ officium omisit Popma recensere in libello de Operis servorum edito ex officina Plantiniana 1608, quod jam annotatum in pluteis Ciuellianis XIX, pag. 105, de quo extat etiam inscriptio Petronii commentariis adscripta : M. VLPIO. AUG. LIB. DIVI. TRAIANI AUG. A. POTIONE. ITEM. A. LAGUNA TRICLINIARCH. Quod vero subdit Casaubonus, nusquam se legere meminisse hunc fuisse Judæorum morem, ut œnoptam unum eumdemque cum architriclino statuerent, abreptus est vir summus nimio Baronium redarguendi studio, qui Gaudentii auctoritate usus fuerat : nec ulla prorsus causa est cur non potius hac de re Gaudentio affirmanti, quam Casaubono neganti assentiamur.

[h] Urb. et Vaticanus uterque sic habent, iisque consentit liber Pantagathi. Editi, *ad spirituales litteras*; quæ manifesta est antilogia.

tales lineas recurrentes, quis iste sit architriclinus advertamus. Architriclinum puto esse beatissimum Moysen, virum de tribu Levi, fidelem Dei dispensatorem in tota domo ejus; qui non solum in illis antiquis nuptiis illius plebis Israel quæ repudiari postea **290** meruit, præpositus fuit, sed etiam in istis quæ celebrantur in Gentibus. Quis enim nostrum sine architriclino Moyse discere potuit, quoniam Dominus Deus noster, Deus unus est, et non dii? Et [a] ne absolutum putes esse quod dicitur unius Deitatis, ab ipso ibi Trinitas prædicatur siquidem Dominum dicit Deum et Dominum. Non enim simpliciter dixit: *Audi, Israel, Deus tuus unus est:* sed quid? [b] *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Dominus unus est* (*Deut.* VI); hoc est dixisse, unus est in Trinitate Deus, una est Divinitas, ac dominatio Trinitatis, manente vera distinctione subsistentium personarum. Sicut etiam [c] duæ alæ Seraphim, imaginem gerentes tam Legis et Prophetarum, quam veteris et novi Testamenti, [d] hymnum referunt adorandæ Trinitatis, et jugiter clamant: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Dominus*, non *Domini* (*Is.* VI): neque enim recipit pluralem numerum, Patris et Filii, et Spiritus sancti una eademque Divinitas. Deinde quis nostrum, ut dixi, sine architriclino Moyse cognoscere valuit, quod in principio fecerit Deus cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ sunt in eis; et unde homo figuratus sit vir, unde etiam femina, ex quibus universa generis humani propago multiplicata noscatur? Deinde quæ fuerit prima indulti beatitudo paradisi, [e] quod exordium culpæ hominis Deum provocantis offensa; denique quænam generationes fuerint justorum, quæve iniquorum; et cur, vel quando diluvium, et cætera quæ in Lege scripta sunt Moysi, acciderint; et, ut breviter dicam, [f] cujus nostrum anima divino Amori, et Sponso cœlesti Christo conjungi promeruit, sine hujus architriclini apparatu? Ipse enim Moyses, qui prænuntiaverat adventum Christi populo Israel, dicens: *Prophetam suscitabit Dominus Deus noster de fratribus vestris, sicut me: illum audite per omnia quæcumque locutus fuerit ad vos. Erit autem omnis anima, quæ-*

A *cumque non audierit Prophetam illum, disperiet de plebe* (*Deut.* XVIII). At ubi vidit, illos contra Christum, quem prædicaverat, repugnare, contulit se ad Gentes, et una cum sanctis Apostolis exprobrat populo Judæorum: *Vobis oportebat,* **291** *prius annuntiari verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, et indignos vos judicastis æterna vita, ecce convertimur ad Gentes; sic enim mandavit nobis Dominus* (*Act.* XIII): [g] *Posui te in lucem Gentium, ut sis ad salutem usque ad ultimum terræ* (*Is.* XLIX). Ergo posteaquam de aqua vinum fecit in nobis Dominus Jesus, *ut ostenderet*, sicut ait Apostolus, *divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ* (*Rom.* IX); [h] et baptizatos quosque sancti Spiritus sapore condivit, aquam legalis litteræ per corda credentium convertens in sapientiam spiritualem; tunc ait ministris:
B *Haurite nunc, et ferte architriclino* (*Joan.* II). Hauriunt Apostoli de hydriis baptizatorum Gentilium Evangelici vigoris [i] spiritalem saporem simul et gratiam: saporem in fide, gratiam coloris in opere: unum sentitur, alterum cernitur; et portant ad Moysen. [j] Quis enim sacerdotum ministrantium Christo, non omnem novi Testamenti sapientiam cum Lege conferat Moysi: quod ipsum Dominum et mandasse audiat, et fecisse perspiciat? Nam cum leprosum virtutis suæ attactu mundasset, illico eum transmisit ad Legem, dicens: *Vade, ostende te sacerdoti, et offer pro emundatione tua munus, quod præcepit Moyses in testimonium illis* (*Matth.* VIII). Gustavit architriclinus occultum Christi a sæculis sacramentum,
C [k] *quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis ejus Apostolis et Prophetis in Spiritu. Esse Gentes cohæredes, et concorporales, et participes promissionis ejus in Christo Jesu per Evangelium: cujus factus sum ego*, inquit Paulus, *minister* (*Ephes.* III). Participes igitur factæ sunt Gentes per unumquemque Apostolum Evangelicum ministrum, promissionis Dei in Christo: illius nempe promissionis quam priores consecuti sunt ipsi Apostoli, qui postea cæteris ministrarent. Nam cum conversaretur cum illis Christus post resurrectionem suam per dies quadraginta, sicut in principiis Actuum Apostolorum Lucas evan-

[a] Lectio Florentini Codicis, Urbinatis, et unius ex Vatt. locum restituit; eamdemque emendationem suppeditat etiam cod. Pantagathi. Editi mendose legebant *quod dicitur minus Deitatis*.

[b] Ita Paris. editio, et mss. codd. In editt. Col. et Lugd. deest *Dominus*; sic enim legunt: *Audi, Israel, Deus tuus, Dominus unus est*; qui verbi unius defectus totam sententiam evertit.

[c] Sic Vatt. duo. Flor. *due ale seraphyn*; cod. Pantagathi, *duæ alæ Seraphin*; editi, *duæ alæ eraphini*.

[d] Expressimus vulgatam lectionem, quamvis mss. quatuor eodem modo legant, *hymnum referunt adorandæ Trinitati*, uti habet etiam liber Pantagathi, qui mox pro *et jugiter clamant* subdit *jugiterque conclamant*.

[e] Cod. Pantagathi legit *Dei provocantis offensam*; hoc est indignationem, quomodo etiam Ambrosius, de Noe et Arca IV *Ut exprimatur peccatorum nostrorum acerbitas quæ divinam meruerit offensam*; quamvis secundum Latinæ linguæ genium offensa facien-
D tis sit, non accipientis; quod pluribus exemplis probare possumus.

[f] Vatt. duo: *Cujus nostrum anima divino Agno, et Sponso cœlesti.*

[g] Vatt. duo, et liber Pantagathi: *Posui te in lucem Gentibus, ut sis in salu em.*

[h] Sic tres mss. Editi, *baptizatos quoque*.

[i] Sic Flor. et Vatt. duo, qui loco huic miram lucem affulserunt, nam editi legebant *spiritalem saporem in fide, gratiam coloris in opere*; et ita loci hujus gratia, color, venustas, lepor, culpa librariorum omnino perierat. Vatt. et Florentino consonat cod. Octavii Pantagathi.

[j] Sic tres mss. Editi vero, corrupte: *Quis enim sacerdotum ministrantem Christo omnem.*

[k] In tribus mss. legitur *quod aliis nationibus*; hoc tamen nullo modo convenit, cum paulo post dicat *sicut nunc revelatum est*; τὸ *generatio* stat loco temporis.

gelista testatur: *Præcepit eis ne ab Hierosolymis discederent, sed exspectarent promissum Patris, quod a me audistis, inquit; quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem Spiritu sancto* [a] *baptizabimini non post multos hos dies* (*Act.* I). In Evangelii quoque sui fine ita eumdem Dominum loqui ad ipsos Apostolos memorat: *Ecce ego*, inquit, *mitto promissionem* **292** *Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ab alto* (*Luc.* XXIV). Quamquam ergo nesciat architriclinus Moyses, ex Baptismatis dono tantam gratiam fuisse collatam, quam non ignorabant Apostoli, qui fuerunt ministri sermonis; [b] admiratus tamen saporem Spiritus sancti hydriis inesse Gentilium, laudat sponsi munificentiam, qui tale vinum servaverit Gentibus. Quod vinum anterioribus nuptiis [c] Judæi habentes, non ad salubritatem suam biberunt, sed inebriati sunt, et perniciosa gravedine sauciati; [d] imbecilliores quippe mentibus, et virtutem divini Spiritus non ferentes: qui autem robustus in fide est, repletus Spiritu sancto, non inebriatur. Ideo enim præclarum est poculum Dei inebrians (*Ps.* XXII), quoniam sobrias efficit bibentium mentes divini potus ebrietas; unde Apostolus ait: *Nolite inebriari vino, sed replemini Spiritu sancto* (*Ephes.* V). Nam et Stephanus Spiritu sancto plenus, non ebrius, *vidit cœlos apertos,* [e] *et Jesum ad dexteram Dei* (*Act.* VII). Propterea et beatissimus Petrus ebrietatem detestatus est, dicens (*Act.* II): *Non enim, sicut vos putatis*, inquit, *hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia, sed hoc est quod dictum est per Joel Prophetam: Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ: juvenes vestri visiones videbunt, et seniores vestri somnia somniabunt* (*Joel* II). *Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ*, id est in possessione Gentium; *et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus* (*Joan.* II). Nec hoc otiosum est, quod *discipuli* ait, non *Apostoli*. Nam ut multitudinem credentium declaret, discipulorum nomen posuit, non Apostolorum. Sunt enim omnes qui credunt, ejus discipuli; sed, ut ait beatus Paulus, *numquid omnes Apostoli* (I *Cor.* XII)? Studeamus nunc, et precemur, charissimi, ut post hoc initium signorum quod fecit Dominus Jesus, dando Spiritum Sanctum in cordibus nostris, cætera quoque in nobis perficiat signa virtutum; *alii datur enim sermo sapientiæ, alii verbum scientiæ secundum eumdem Spiritum: alii fides in eodem Spiritu:* [f] *alii sanitas in uno Spiritu: alii operatio virtutis, alii discretio spirituum,* **263** *alii prophetia, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus et idem Spiritus, dividens unicuique prout vult* (I *Cor.* XII). *Has igitur habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, perficientes sanctificationem spiritus* [g] *in timore Dei* (II *Cor.* VII). Sanctum vero Spiritum idcirco ex propriæ auctoritatis arbitrio distribuere munera cœlestium gratiarum prædicavit Apostolus dicens: *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens unicuique prout vult*, et non *prout jubetur* (I *Cor.* XII); ne quis inimica persuasione suspicari audeat in illa Trinitatis adorandæ substantia aliquid esse subjectum, vel minus potens, vel sibimetipsi contrarium; cum sit Patris, et Filii, et Spiritus sancti, una in omnibus et voluntas pariter, et potestas per omnia sæcula. Amen.

SERMO X.

IN EXODI LECTIONE OCTAVUS.

Explicitis hic quæ proposueram disserenda, tam de Exodi quam de Evangelii lectione, congruens aliquid diei Dominico reservavi, quod Deus in postrema parte illius lectionis ubi primum legem paschæ annuntiat, scribitur præcepisse. Nam post [h] interminationem quam dixerat: *Omnis qui manducaverit fermentatum a primo die usque in septimum diem, disperiet anima illa ex Israel* (*Exod.* XII, 15): et adjecit dicens: *Et primus dies vocabitur sanctus, et septimus dies vocatus sanctus erit vobis: omne opus servile non facietis, præterquam quod faciendum erit omni animæ* (*Ibid.*, 16). Primum diem sæculi esse Dominicum diem, dies sabbati septimus probat, in quo requievisse perhibetur Deus, dicente Scriptura: **294** *Et benedixit Deus diem septimum, et sanctificavit eum, quia in eo requievit ab omnibus operibus suis, quæ cœperat Deus facere* (*Gen.* II). Caute loquitur Scriptura divina, non absolute dicens, requievisse Deum ab operibus suis, sed ab operibus quæ cœ-

[a] Ita mss. codd., recte quidem; quibus concinit Vulgata. In editis, *baptizamini*, fortasse mendo typorum.

[b] Editi legebant *admirati autem;* quod delevimus, reponentes lectionem quatuor mss. cum quibus facit etiam liber Pantagathi.

[c] Retinuimus lectionem vulgatam, nam mss. habent *Judæi bibentes;* sed quæ sequuntur mutavimus ex Flor. et Vatt. duobus, cum editi legerent *sed inebriati sunt etiam perniciosa.*

[d] Vatt. duo *imbecilles quippe mentibus*. Flor. *imbecillis quippe mentibus*, et hoc modo habet cod. Pantagathi, qui etiam post pauca pro *repletus Spiritu sancto non inebriatur*, substituit *repletur Spiritu sancto, et non inebriatur.*

[e] Mss. codd. *et Jesum stantem a dextris Dei.*

[f] Vatt. duo et Flor., *alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutis, alii prophetia, alii discretio spirituum*, quam lectionem exhibet etiam cod. Pantagathi.

[g] Sic legunt duo Vatt. At Vulgata lectio, corruptissime, *in timore Dei secundum spiritum. Idcirco ex propriæ auctoritatis arbitrio;* quo nihil absurdius cogitari potest, dum apostolo Paulo virtutem et potestatem Spiritus sancti attribuere videtur Flor. Codex, *in timore Dei. Secundum vero Spiritum idcirco ex propriæ auctoritatis arbitrio.* Haud multo felicius. Recte porro liber Octavii Pantagathi, *in timore Dei, Sanctum vero Spiritum;* notavimus autem etiam paulo supra hoc eodem sermone, codicem hunc videri Florentino meliorem. Habet quoque infra, *ne quis inimica persuasione deceptus suspicari;* ubi editi, *inimica persuasione suspicari.*

[h] Cod. Pantagathi melius *interminationem qua dixerat;* et paulo post, abjecta copula, *ex Israel, adjecit.*

perat Deus facere, ne omnipotentem, et imperio sermonis cuncta facientem, laborasse existimes, [a] cum requievisse audis; sed ut intelligas quod perfectis omnibus hujus mundi rebus, a quibus requievisse, id est cessasse, describitur, alia voluntati suæ placita operari non desinat: sicut testatur in Evangelio Dominus Jesus dicens: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* v, 17). Requies igitur Dei, non laboris remedium, [b] sed cœptorum finis est operum; siquidem postquam perfecit mundum, opus suum regere non desistit. Ipsius enim nutu omnium rerum natura cursum suum vel jussa peragit, vel prohibita subtrahit. Nam in diebus sancti Noe (*Gen.* VIII et IX), ipsius providentia pollutum variis iniquitatibus mundum vel cataclysmo delevit, vel post diluvium reparavit. Ipse super quatuor urbes Sodomorum, ubi masculi in masculos turpitudines exercebant, sulphur et ignem de cœlo (*Gen.* XIX) contra morem pluit, ut quos ardor illicitus, [c] ad expugnandum ipsius naturæ morem succenderat, igneus imber exstingueret. [d] Ipse genus patriarchicum delegit ex Gentibus, populum scilicet Hebræorum; pro cujus libertate, Ægypti regnum novem plagis afflictum, decima interemit (*Exod.* XII, XIII, XIV, XV). Ipse divisit Rubrum mare; quando in murorum firmitatem liquentis elementi unda diriguit, gelaverunt enim, tamquam murus, aquæ: gelaverunt fluctus in medio maris, sicut testatur in Exodo (*Exod.* XV) fides illius Cantici triumphalis. Ipse ergo, inquam, divisit mare Rubrum, quod a Græcis nuncupatur Erythræum; ut et plebi suæ transitum, et persequentibus foveam præpararet. Egressis namque Israelitis per fundamentum maris sicco vestigio, et Ægyptiis omnibus eodem meatu post illos properanter ingressis, confestim proprium liquorem stupentibus aquis, Deus qui abstulerat, reddidit, et

A armatas acies equitum, ipsumque Pharaonem pariter cum quadrigis curruum, totoque exercitu, undis obruentibus, enecavit. Aquarum muri, qui credentem populum tuiti fuerant, hostilem manum propria ruina prosternunt. [e] Ipse pluit manna cibum (*Exod.* XVI) 295 suis cultoribus in eremo, qui ignem pluerat nefando sacrilegio criminosis: ipse pluit manna placidus, qui flammam plueat indignatus. Sed quoniam singula per ordinem replicare [f] propositus primi, ac septimi dierum tractatus non capit, necessaria brevitate præteriens, pauca perstringam. Ipse *disrupit petram, et fluxerunt aquæ* (*Ps.* LXXVII) tot millibus hominum sitientibus in deserto (*Exod.* XVII), prostravit infinitos adversariorum populos, plurima inimicarum gentium regna delevit. Jordanem B quoque siccavit fluvium, ut credentem populum in terram repromissionis induceret. Ipse Jordanem siccavit fluvium (*Jos.* III, IV), qui arentem petram, fluminis verterat in liquorem: *A facie* enim *Domini mota est terra, a facie Dei Jacob. Qui convertit solidam petram in stagnum aquæ, et rupem in fontes aquarum* (*Ps.* CXIII). Deinde Legem quam dederat in Sina, constituit in Sion, auxit in Jerusalem; et post offensam dilecti populi, eamdem porrexit ad Gentes. Nam postquam veniens in hominem Dei Filius, *per quem hæc omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil* (*Joan.* I), ab ipsis suis quondam filiis quos protexerat, et exaltaverat, non solum repulsus est, verum etiam crucifixus, clamat utique per Prophetam: *Filios genui, et exaltavi, ipsi au-* C *tem me spreverunt. Agnovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui, Israel vero me non cognovit, et populus me non intellexit* (*Is.* I); [g] tamquam si diceret, quoniam cognoverunt olim bruta animalia Gentilium populorum regnatorem cœli, suumque possessorem, ac Dominum, humanorum [h] peccatis...

[a] Verbum istud *audis*, et cætera, quæ sequuntur usque ad illud, *cessasse describitur*, interciderant culpa amanuensium, quæ restituimus ex fide Vatt. codd. Editi satis inepte habebant: *cum requievisse et cessasse describitur, cum et alia voluntati suæ placita operari non desinat.* In ms. Pantagathi *cum requievisse, id est cessasse*, cætera etiam ibi desunt.

[b] In mss. sic: *sed cœptorum finis est summæ operum.*

[c] Urbinas et Vatt. duo, *ad expugnandum jus naturæ succenderat*, quibus accedit cod. Pantagathi.

[d] Vaticana lectio. Cusi vero, male, *ipse genus patriarcharum cum delegit.* Liber Pantagathi, *ipse genus patriarchicum.*

[e] Sic editi; at Vatt. duo et liber Pantagathi, *ipse pluit mannæ cibum.*

[f] Sic tres mss. Editi vero, *tractatus non cœpit;* verum *capit* habet etiam cod. Pantagathi, et ita omnino legendum est.

[g] Consentit non paucis ex antiquis Patribus, qui ad interpretandum istud Isaiæ testimonium, allegoria usi sunt. Cum autem animadverteret hunc Gaudentii locum Joannes Antonius Vulpius Bergomas, vir multiplici litterarum tum Græcarum, tum Latinarum genere instructus, dum amice Patavii colloqueremur, apposite dubitavit, num ex eo aliquid sibi præsidium petere possent recentiores ii qui, præeuntibus Casaubono, et Tillemontio, ex consensu antiquorum in explicandis mystice illis Isaiæ verbis: *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui*, putaverunt confici posse, nullo modo verba hæc Prophetæ, historice de bove et asino ad præsepe Domini adstantibus, esse accipienda; ac perinde totam illam narrationem cujus auctoritate bruta hæc animantia cunis Domini proxima appinguntur, fabellam esse male consutam. Nihil D tamen, ubi cætera paria essent, obstare opinabatur, quin Prophetæ verba historice etiam intelligi possent, quamvis a Patribus fuerint satis unanimi consensu mystice explicata: quid enim frequentius apud antiquos, et præcipue apud Gaudentium nostrum, quam ut historica Christi gesta, ipsasque Evangelicas narrationes, ad allegoriæ sensum trahant? Subdebat etiam satis ingeniose, ni fallor, non propterea pictoribus succensendum, etiamsi facti fides, tot sæculorum credulitate fulta, nullo modo constaret: potuerunt enim hujusmodi bruta animantia, tamquam figuræ, ac symbola Judaici, Gentilisve populi, ex unanimi Ecclesiæ placito, cunis Domini nascentis apponi, ut monstraretur, Isaiæ vaticinium, nato Christo, sub hoc signo fuisse impletum. Placuit viri docti opinio, eamque ideo huic loco censui subscribendam.

[h] *Peccamen* pro peccato notavit Voss. l. III de Vit. serm. c. 34; ex Gilda; sed invenitur etiam apud Prudent., in Apoth. 915:

Exin tincta malo peccamine principis Adæ
Infecit genus omne hominum...

caminum pannis indutum, et in angusto Judææ præsepio (*Luc.* II) collocatum, Israeliticus vero **296** populus liberatorem suum [a] non voluit agnoscere: *Auferam*, sicut prædictum est, *ab Judæa, et ab Jerusalem, validum et validam.* Verbum utique incarnatum; *virtutem panis, et virtutem aquæ*, virtutem cibi cœlestis, et virtutem aquæ regenerantis; *et prudentem quinquagenarium*, jubilæum scilicet remissionis annum; *et sapientem architectum* (*Is.* III), Spiritum videlicet sanctum, per quem mihi ædificem Ecclesiam novam ex Gentibus. Ab tulit enim Dominus cuncta salutarium munera dona, vel quæ tribuerat, vel quæ promiserat Judæis ingratis; et contulit ad fidem suam prompto servitio ex omni natione conversis. Quando ergo requievit Dominus, qui semper est operatus, quem ex paucis operibus ejus quæ transiens memoravi, [b] certissime certi sumus semper operatum, et quotidie operari perspicimus? Nam quod elementa tam cœlestia, quam terrena, humano generi serviunt, ipsius opus est. Quomodo enim non contemnerent exiguum terrenumque hominem, nisi Creatoris sui imperio obedirent? Nos ipsi etiam [c] quod nascimur, quod hæc ipsa opera Domini ex parte novimus, quod vivendo vitam quærimus, quod futurorum spem gerentes pie conversamur et loquimur; Dei, inquam, Dei sunt opera. Cujus pietatis et hoc ingens opus est, quod etiam malos atque incredulos patienter sustineat, clementer exspectet, et, si pœnituerint, sicut misericors pater amplectatur. Requievit plane tunc etiam Dei Filius ab omnibus operibus suis quæ cœperat Deus facere, quando consummatis mirabilibus universis, [d] et impleto sexto die omni opere Passionis, die septima, id est die sabbati, requievit sepultus. Sed quoniam Dei operosa quies est, ipsa requies otiosa esse non potuit. Nam corpore [e] in sepulcro seposito, divinitas cum anima hominis ad inferna descendens, vocavit de locis suis animas sanctorum, quorum corpora surrexisse Matthæus evangelista testatur dicens: *Et multa corpora sanctorum dormientium surrexerunt;*

A *et exeuntes*, inquit, *de monumentis post resurrectionem ipsius, intraverunt in sanctam civitatem, et multis apparuerunt* (*Matth.* XXVII). Descendisse autem Salvatoris animam ad inferos visitandos, non solum beati Petri Epistola (I *Petr.* III), verum etiam beati Davidis prophetia testatur, cum dicit: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Ps.* XV). Filius enim Dei non idcirco cum suscepti hominis anima ad inferos descendit, **297** ut eam in inferno relinqueret, sed ut plurimas resurrecturis sanctorum corporibus animas revocaret. Ob hoc namque is qui in forma Dei semper erat, formam servi suscipiens, suscepit et crucem; ut die tertia resurgendo exceptam triumpharet mortem, quam perpeti omnino vitæ Domi-
B num non liceret. Ergo quoniam post Passionem suam Dominus Jesus, illucescente Dominica, a mortuis erat resurrecturus, et primam sanctitatem primo resurrectionis suæ diei collaturus; ideo Lex antiqua prænuntiat, *et primus dies*, inquit, *vocabitur sanctus, et dies septimus vocatus sanctus erit vobis* (*Exod.* XII, 16.) Primum diem resurrectionis vocandum perhibet sanctum, septimum jam vocatum futurum dicit sanctum; septimum millesimum scilicet annum, de quo ait Propheta ad Dominum: *Quoniam mille anni ante oculos tuos sicut dies unus* (*Ps.* LXXXIX). Ita igitur [f] in primum diem resurrectionis Christi omnis erat transferenda festivitas, ut septimi diei exspectanda nobis esset et requies simul, et sanctitas; cum dicitur, *primus dies vocabitur sanctus*, statimque ad-
C jicitur, *et dies septimus vocatus sanctus erit vobis. Omne opus servile non facietis, præterquam quod erit faciendum omni animæ* (*Exod.* XII). [g] Quotquot enim primum diem, id est Dominicum diem, nuncupamus sanctum, credentes eum sanctificatum resurrectione Domini Jesu; exspectamus etiam illum vere sanctum diem, [h] septimi millesimi anni diem, qui adveniet post istos sex dies, sex millium videlicet annorum sæculi, quibus completis [i] requies erit vere

Eadem voce usus est iterum Gaudentius serm. 13: *Ut inimici necandum traderet, quem sine ullo peccamine habuisset infensum.* Et serm. 19: *Ardore videlicet exstincto peccaminum.*

[a] Vatt. duo, Flor. et cod. Pantagathi, *Liberatorem suum contempsit agnoscere.*

[b] Mss., *semper cernimus operatum.*

[c] Sic legunt mss. Editi vero inepte, *quod renascimur;* et quæ sequuntur in mss., sic: *quod hæc ipsa opera Dei ex parte noverimus.*

[d] Vatt. duo, *et impleto omni opere sextæ diei Passionis.* Flor., *impleto omni opere sexta die Passionis;* quemadmodum et liber Pantagathi.

[e] Cod. Pantagathi, *deposito* quod certe melius; ut paulo post pro *vocavit de locis suis* substituit *evocavit de locis suis.*

[f] Codicis Flor. præsidio emendavimus locum hunc, qui vitiose editus fuerat hoc modo: *in primum diem resurrectionis Christo miserat transferenda festivitas;* et Florentini lectionem exhibet etiam liber Pantagathi.

[g] Sic Flor. Vatt. duo et Urb. Editi legebant, *quod enim primum diem Dominicum diem;* verum glossema *illud, id est Dominicum diem*, fortasse additum fuit a *librario, quamvis* occurrat etiam in libro Pantagathi.

[h] Videntur hæc desumpta ex Irenæo, lib. V adver. hær., c. 28; et Lact. lib. VII div. Inst., cap. 14: sed hanc opinionem refellit. Aug. in ps. LXXXIX, et lib. XVIII de Civ. Dei, c. 53, dicens: *Frustra igitur annos qui huic sæculo remanent, computare ac definire cona-*
D *mur, cum hoc scire non esse nostrum ex ore veritatis audiamus.* Vide eumdem Aug., epist. 78, 79, 80. Obtinebat ea tempestate apud Christianos quoque Judaica traditio de mundo duraturo per sex millia annorum, quibus finitis, in septimo millenario periturus, ac vastandus esset; de qua traditione Huetius demonstrat. Evang. prop. 9, cap. 8; et Joan. Albertus Fabricius in Codice Pseudepigrapho V. T. edito Hamburgi 1713, p. 1079. Confer notas Cotelerii ad S. Barnabæ epist., p. 45, 46, in Patribus Apostol., edit. Antuerp. 1698; et Feu-ardentium, not. ad Irenæum, pag. 368, ubi hunc Gaudentii locum laudat.

[i] Lectio vulgata *requies erit veræ sanctitatis*, quam manifeste corruptam ejecimus, restituentes lectionem Flor. codicis. Firmatur hæc emendatio auctoritate duorum Vatt. et Urbinatis, in quibus habetur *requies erit sanctis et fideliter credentibus.* In ms. quoque Octavii Pantagathi, omissa dictione *vere*, legitur *requies erit sanctis et fideliter credentibus.*

sanctis, et fideliter credentibus in resurrectione Christi. Nam nulla erit ibi pugna contra diabolum, qui tunc utique detinebitur suppliciis religatus; nullum certamen contra vitia corporis, [a] quod jam concupiscentiis obnoxium non erit. Nam **298** spiritale resurget corpus, ut Apostolus ait : *Quod seminatur in corruptione, surget in incorruptione : quod seminatur in contumelia, surget in gloria; quod seminatur in infirmitate, surget in virtute; quod seminatur corpus animale, surget corpus spiritale* (I *Cor.* XV). Et iterum post pauca idem beatissimus Paulus : *Oportet*, inquit, *corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* [b] *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet*, inquit, *sermo qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, aculeus* B *tuus* (*Ibid.*, 5)? Et quis iste sit mortis aculeus, ipsius beati Apostoli cohærens aperit sermo : *Aculeus autem mortis peccatum : virtus autem peccati lex* est (I *Cor.* XV, 56). Aculeus quidem mortis peccatum, charissimi, quia per peccatum mors : virtus vero peccati Lex, quoniam sine Lege peccatum mortuum est. Peccatum enim non imputatur cum Lex non est. Nam neque Adam fuisset mortuus, quod de fructu illius arboris manducavit, nisi contra vetitum manducasset, legem mandati contemnens : neque hodie aliquis reatum peccati incurrit, si eum non adstringat aut naturalis lex, aut mandati lex, aut litteræ Lex. Naturalis lex est illa qua Gentes Legem litteræ non habentes, naturaliter ea quæ Legis sunt (*Rom.* II), faciunt; quia rationabilis animæ humanæ C natura, ut Creatorem suum sentiat, ut proximum non lædat, ut non faciat quod pati non vult, naturali quadam lege intelligit : unde inexcusabilis est omnis homo qui vel auctorem suum negat; vel facit malum quod per legem naturæ non ignorat esse malum. [c] Iterum lex mandati est : *Ab omni fructu ligni* A *quod est in paradiso ad escam, edes : ab isto autem non edas* (*Gen.* II); et quæcumque ante Moysen verbo tantum Dominus præcepisse cognoscitur. Lex litteræ est : *Non occides, non mœchaberis, non falsum testimonium dices* (*Exod.* XX), et cætera quæ [d] transacto jam dimidio numero annorum sæculi, ideo per Legem litteræ prohibentur, ut negligenti homini vel **299** naturalem legem, vel mandati legem, scriptum Legis commonitorium traderetur, et haberet oblivio pædagogum, dissimulatio compulsorem; dicente Apostolo : *Quoniam Lex pædagogus noster fuit in Christo* (*Galat.* III). Lex autem sive naturæ, sive mandati, sive litteræ, tunc dominatur homini, quando ætas ejus capax esse cœperit Legis. Et hinc est illud quod apostolus Paulus ex Judæis parentibus natus, Hebræus quippe ex Hebræis, ait: *Ego autem vivebam sine Lege aliquando*, ut ostenderet [e] solam infantiæ ætatem sine Lege vivere, quæ nondum capiat Legem; *sed mox ubi venit Lex*, inquit, *peccatum revixit : ego autem mortuus sum* (*Rom.* VII); hoc est dixisse, peccatum, quod erat ignoranti mortuum, vivere intelligenti cœpit : et ego qui vivebam prius sine Lege, factus sum morti obnoxius, nisi declinavero peccatum, quod jam mihi intelligenti mortem generat : et incipit mandatum quod mihi ad vitam datum est, hoc esse ad mortem. Ille ergo septimus millesimus annus (ut ad propositum caput redeam) ipse erit vere beatissimus dies, quando agonis hujus quem nunc patimur, desinente conflictu, optatam victores requiem capient, ac felici otio perfruentur, [f] nullum servile opus ibi, id est nullum peccati opus facientes; *quia qui facit peccatum, servus est peccati*, ut ait Salvator (*Joan.* VIII); sed hoc plane solum facient quod faciendum erit omni animæ sanctæ, scilicet ut copulati agminibus Angelorum, perpetuos hymnos et gratiarum actiones Domino nostro referant in æternum. Sane

[a] Et hic quoque visum est reponere lectionem quatuor mss. qui nullo discrimine sic legunt; iisque concinit etiam cod. Pantagathi, sed pro *concupiscentiis* habet *concupiscentiæ*. Editi autem minus recte *quod jam concupiscentiis obnoxium est, erit.*

[b] Exciderant verba hæc in editis, quæ tamen necessario restituenda duximus ex mss. Habet ea cod. quoque qui fuit Octavii Pantagathi.

[c] *Mandatum* vocat etiam Philastrius statum humanæ naturæ ante Legem Moysi, cap. 133, tria hæc distinguens, p. 111, *ut in prima ætate sub* mandato *sit, secunda sub* Lege *tertia sub* gratia *Salvatoris.* Vide observata ibi a clarissimo Fabricio, uti et cap. 109, p. 83. Sic idem Philastrius, c. 150 : *Lex litteræ in medio posita est inter mandatum, et gratiam;* et cap. 145 : *In mandato quippe, Lege, et Christi gratia, omnia quæ et primo, et secundo et postremo tempore, populis per diversa meritorum collata sint munera dignitatis.* Philastrio concinit Gaudentius non hic solum, sed etiam supra serm. 8, pag. 273 : *Dies itaque fuit in mandato primus ab Adam usque ad Moysen : secundus dies fuit sub Lege Moysi : tertius dies est sub gratia Salvatoris.* Quod autem hic subdit Gaudentius, ideo datam Legem scriptam, *ut negligenti homini vel naturalem legem, vel mandati legem, scriptum Legis commonitorium traderetur, et haberet oblivio pædagogum*; idem est quod ait Philastrius cap. 133 : *Lex admonitio man-* D *dati, et confirmatio est primi illius;* et paulo post : *cujus oblivione existente in Judæis, admonitio rursum litteræ subsecuta est*; et denuo, cap. 150, *Lex admonitio mandati est.*

[d] Hoc est ter mille annis, juxta sententiam de consummatione mundi finito sexto millenario futurum, de qua paulo ante actum est. Secutus autem videtur Gaudentius supputationem Græcorum, qui diluvium statuebant ab orbe condito post annos bis mille, bis centum, duos et quadraginta; quam supputationem Latinis quoque ævo Gaudentii probatam fuisse, colligo ex Sulpicio Severo, lib. I Sac. Hist., cap. 5. Sed quia, hac supputatione admissa, multo plures quam ter mille anni intercedunt ab orbe condito ad Legem, ideo fortasse Gaudentius posuit *transacto jam dimidio numero annorum sæculi*. Hodie ab hoc calculo immane quam dissentiant qui rationem temporum investigatam scriptis ediderunt.

[e] Sic legunt Vatt. duo, Flor. et cod. Pantagathi. Editi, *solam infantis ætatem.*

[f] Idem mss. codd. exhibent hanc lectionem, quam commodiorem esse nemo negabit, qui attendat ea quæ sequuntur, *quia qui facit peccatum, servus est peccati.* Editi porro sic habent : *nullum servile opus ibi, et nullum peccati opus facientes*; sed perit tota vis hujus sententiæ. In edit. Lugdun., sic: *nullum servile opus facientes*; cætera exciderunt.

juxta historiæ rationem, præceptum Judæis fuerat, A [a] ut diebus sabbati ab omni opere peccati quiescerent, et ea solum quæ animæ congruebant, exercerent : sed quoniam, hac salutari observatione neglecta, omnem sabbati legem ad otium, luxuriamque contulerant, [b] palam est, unde odisse se Deus (*Is.* I) jam non sua, sed illorum sabbata contestatur. In evangelicis lectionibus fraternitati vestræ [c] frequenter exposui, ubi **300** Salvatorem sabbatum violasse, Judæi vecordes incusant, quem nos implevisse magis legem sabbati, ipsorum operum quæ sabbatis celebravit, evidenti probatione docuimus, non aliunde instructi, nisi ex ipsa Lege, quam pariter legimus cum Judæis. Scriptum est enim : *Una Lex erit indigenæ, et advenæ* (*Exod.* XII, 49). Indigenæ procul dubio Judæi erant, patriarcharum ci- B ves, et Prophetarum : advenæ autem, qui græco sermone appellantur προσήλυτοι; nos utique eramus Gentes, ut ait Apostolus, *peregrini, atque hospites Testamentorum, et promissionis eorum, spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo* (*Ephes.* II). Sed postquam credidimus, dicit nobis idem beatus Paulus : *Jam non estis hospites, et advenæ, sed estis cives sanctorum, et domestici Dei* (*Ibid.*). Una ergo nobis cum Judæis est Lex; sed illi eam carnali sensu excipiunt, nihil ibi spiritalis intelligentiæ requirentes; nos vero in ea Christum reperimus, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ cœlestis absconditi* (*Coloss.* II). Denique in hac etiam lectione Exodi quæ ordinem celebrandæ paschæ disponit, [d] verum Dei Agnum cum omnibus mysteriis vitæ nostræ invenimus, [e] ipsum cognoscentes Deum verum, et hominem, Dominum gregis, et ovem, [f] pastorem simul, et pascua. *Misericors* enim, *et miserator Dominus semetipsum dedit escam timentibus* (*Ps.* CX). Nam totius observantiæ veteris Legem, per gratiam Filii Dei, in veritate novi Testamenti cognovimus esse completam, probantes, quomodo paschæ lex, quæ per Moysen fuerat data, [g] *gratia, et veritas per Jesum Christum facta* est (*Joan.* I); cui omni honor, virtus, et gloria cum Patre, et cum Spiritu sancto, per omnia secula. [h] Amen.

SERMO XI.

[i] DE DIVERSIS CAPITULIS PRIMUS.

De Paralytico.

301 Memini, me superiore tractatu sanctæ Edi-

[a] Vatt. duo et Flor. *ut vel sabbatis ab opere peccati quiescerent :* deinde, *et ea solum quæ animæ congruunt, exercerent;* et in hanc lectionem consentit etiam Urbin. et cod. Pantagathi.

[b] Voces illæ *palam est* desunt in tribus mss. cod., retinendæ tamen, ne sensus mancus sit ac mutilus. In ms. Pantagathi eædem voces desiderantur, sed C ipsius manu pro *unde* quod ibi prius erat, repositum est *inde;* legitur etiam *contulerint* pro *contulerant*, *et odire* pro *odisse*, quare totus locus sic habet : *omnem sabbati legem ad otium luxuriamque contulerint, inde odire se Deus.*

[c] Vide sequentem tractatum. Patet manifeste ex hoc loco, quatuor sequentes tractatus de diversis capitulis Evangelii, ante decem paschales fuisse conscriptos. Hoc idem Gaudentius insinuaverat in Præf. dicens: *Quatuor præterea breviores tractatus, quos de diversis capitulis Evangelii apud te olim fuisse me locutum prodidisti.*

[d] Sic emendavimus ex quatuor mss. codd. quibus suffragatur etiam liber Pantagathi, cum in editis exstaret *unum Dei Agnum.*

[e] Videtur omnino hæc esse germana lectio, quam accepimus ex Vatt. duobus, et confirmatur etiam a cod. Octavii Pantagathi. In editis quippe corrupte habetur *Dominum verum, et hominem*, statimque D subditur inepta repetitio *Dominum gregis et ovem.* Annotavimus etiam alibi non semel, ubi legitur *Deus* in mss. suppositum fuisse *Dominus;* nec recens hæc est querela, sæpe numero in vetustis codicibus τὸ *Deus* sublatum fuisse ab iis qui vel deitatem Christi, vel utriusque naturæ unionem jam inde ab ipso conceptionis momento, negabant. Vide annotata ad serm. sequentem in illa verba : *Patrem suum dicebat Deum.*

[f] Discrepant mss. codices : et Vatt. quidem nihil sani prætulerunt, legentes *pastorem simul, et pascham;* sed Flor. satis recte *pastorem simul, et pascuam. Pascua* feminino genere invenitur etiam apud Tertull. Apolog., cap. 22: *Quæ illi accuratior pascua est, quam ut hominem e cogitatu veræ divinitatis avertat præstigiis falsis?* Similiterque apud Voss. lib. v de Vitiis serm. Arnobius Junior, in ps. CX, dixit : *Statuens eis pastores, et pascuas.* Vide Meursium, not. ad Minucium Fel., p. 336, edit. Lugd. Bat. cum notis Var. 1672. Retinuimus porro vulgatam lectionem, quæ fulcitur auctoritate cod. Urbinatis; liber vero Octavii Pantagathi consentit lectioni cod. Florentini, a quo in superioribus non semel dissentire deprehendimus. Quare fieri non potest, ut aut a Florentino, aut a Vatt. vel Urbinate desumptus fuerit, cum ab uno eorum mox, mox ab altero tam frequenter discrepet.

[g] Voculam *est*, quam editi omiserant, restituimus ex quatuor mss, eamque agnoscit etiam cod. Panthagathi.

[h] Vatt. duo subdunt : *Finit Decimus de Paschalibus.* Flor. vero et Urb., *Finitis decem paschalibus incipiunt excerpti tractatus*, etc., quæ est inscriptio sermonum sequentium.

[i] (Galeardus habet hic titulum hujuscemodi : *Incipiunt excepti tractatus de diversis capitulis quorum primus est de Paralytico, et in ordine undecimus;* subnectitque notam sequentem) : Nullo modo dubitandum est, quin hæc sit vetus, et sincera lectio hujus tituli; eamque editiones emendatiores exhibent, nempe Parisiensis, et Coloniensis, quarum exemplar secuti sumus. Vatt. duo nullo discrimine sic legunt : *Incipiunt excepti tractatus, quorum primus de paralytico;* desunt autem verba illa *et in ordine undecimus*, ideo, quamvis ea delere noluerim, suspicor addita a librario; nam Gaudentius, sane finitis decem paschalibus, quasi aliud opus aggreditur. In libro Pantagathi habetur : *Finitis decem paschalibus incipiunt excepti tractatus de diversis capitulis, quorum primus est de paralytico;* eademque lectio est etiam in Florentino et Urbinate. Hos autem tractatus a notariis exceptos, ut titulus præfert, a se recognitos, et emendatos testatur Gaudentius ipse in Præfatione his verbis : *Quatuor præterea breviores tractatus, quos de diversis capitulis Evangelii apud te olim fuisse me locutum prodidisti, et quintum de Machabæis martyribus, emendatos tibi, quoniam cogis, remittam, ut eos si ulla utili memoria dignos arbitraris, in postrema parte schedulæ hujus simul transcribendos adjungas.* Editores Lugdunenses hac tantum inscriptione contenti *De diversis capitulis, et primum est de paralytico*, cætera insuper habuerunt; sed in ea editione, ut jam monuimus, frustra ἀκρίβειαν, aut diligentiam requiras.

lectioni vestræ pollicitum, quod, adjuvante Domino, plenius explanaturus essem, quam ob causam unum se opus fecisse Dominus testaretur : unde plebs ignavissima Judæorum [a] scrupulum passa (*Joan.* VII), et iniquissimo furore succensa, benedictionis datorem maledictis blasphemis pulsavisset, dicens : *Dæmonium habes : quis te quærit interficere* (*Ibid*)? et insuper vitæ Dominum, necis tradere supplicio cogitaret. Probavimus quidem [b] istius Evangelistæ testimonio, non unum, sed multa, et innumerabilia a Christo fuisse opera celebrata. Sic enim in fine libri conscribit : *Sunt autem et alia multa quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, arbitror nec ipsum mundum capere eos libros* [c] *qui scriberentur, posse* (*Joan.* XXI). Sed fortasse dicat studiosus auditor : In primis partibus Evangelii loquitur Dominus, *Unum opus feci, et omnes miramini* (*Joan.* VII) : in subsequentibus ille virtutum cumulus celebratur, et idcirco [d] nihil quæstionis super hoc videtur esse relictum. Verum ego ab isto sermone superiora libri hujus **302** dicta recensens, invenio plurima usque in hunc locum Evangelii [e] Christum Deum nostrum miranda opera confecisse. Jam Nathanaelem viderat, priusquam sub ficulnea constitutus a Philippo vocaretur : jam liquorem simplicissimum perlucentis aquæ in colorem saporemque vini, sua potestate converterat : jam reguli filium morientem cœlestis medicus, priusquam visitaret, dum rogaretur, verbo sanaverat. Jam Samaritanæ illius mulieris vitia occulta prodiderat, et confessam spirituali fonte mundaverat (*Joan.* I, II, IV) : jam paralytici membra per triginta et octo annos emortua, unius vocis præcepto curaverat (*Joan.* V), vel potius reformaverat. Jam quinque millium hominum famem quinque panibus hordeaceis, et duobus piscibus, satiaverat (*Joan.* VI), majore miraculo convivium solvens. Amplior enim cibi appositi quantitate reliquiarum cumulus invenitur, tot populorum famelicis cohortibus satiatis. Jam mare pedibus ambulaverat (*Ibid.* 19), ita ut plantas gradientis tumens unda non tangeret. Sed in catalogo isto virtutum, adhuc unum fecerat opus, [f] quo frementi contra se imperito populo Judæorum, quasi verisimilem sæviendi aditum dedisse videbatur, quod scilicet paralyticum curasset in sabbato (*Joan.* V, 10), cum Lex otium sabbati imperasset. Itaque Christus, qui *Legem* veterem *non solvere* venerat, *sed implere* (*Matth.* V), tamquam violati sabbati reus, insectationem perpetitur Judæorum. Cogor hoc loco, fratres charissimi, omissa præsenti lectionis serie, rationem sabbati explanare, ne justa credatur fuisse contra justum persecutio iniquorum. Nam paralyticus ille qui die sabbati a Christo curatus esse memoratur, ideo calumniam patitur a Judæis, quod ipsa die qua sanatus fuerat, lectum suum portare videretur. *Sabbatum est*, inquiunt, *et non licet tibi portare grabatum tuum* (*Joan.* V, 15). Respondit curatus : *Qui fecit me sanum, ille mihi dixit : Tolle grabatum tuum, et ambula.* Et in subsequentibus : *Jesus est*, inquit, *qui fecit me sanum.* Rudis adhuc ex infirmitate Judaica, sed jam gratus de salubritate recepta, quoniam non prævalet calumniantibus facti præstare rationem, præcepti atque operis demonstrat auctorem. *Qui fecit me sanum, ille mihi dixit : Tolle grabatum tuum, et ambula;* et adjecit : *Jesus est*, inquit, *qui fecit me sanum* (*Ibid*) : vel, filius David est, qui fecit me sanum : vel, filius Joseph, qui fecit me sanum. Hæc enim nomina usitata erant **303** in populo [g] Judæorum tunc temporis de Christo Domino Salvatore. Sed quid? *Jesus est* ait, *qui fecit me sanum;* sciebat enim, utpote Hebræus, nomen *Jesu* ex virtute descendere sanitatis. Salvator siquidem dicitur Jesus, sicut declarat Angelus, cum per somnium de Christo loquitur ad Joseph : *Vocabis*, inquit, *nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (*Matth.* I). *Ille* ergo, inquit, *me fecit sanum* cujus et nomen salus est. Et [h] quomodo poterit salus præscripta lege prohiberi ne salvet, aut sabbatorum conditione immutari ne salus sit? Videamus tamen, fratres charissimi, si vel ipsa Lex, otio sabbati salutis opus exclusit. *Sex*,

[a] Videbatur omnino reponendum hoc loco *scandalum passa ;* sed a mss. et editorum consensu facile non recedo. Certe Judæorum plebs non solum *scrupulum*, id est sollicitudinem, ac molestiam, propter miraculum Christi passa est, sed etiam *scandalum*, quærebat nempe eum interficere ; at enim cum etiam cod Octavii Pantagathi retineat *scrupulum*, mutare nolui. Idem cod. eodem loco pro *plebs ignavissima*, reponit *ingratissima ;* quam lectionem vulgata certe meliorem, aliorum mss. nullus suppeditat ; hæc tamen cum scripta sit ad oram codicis, ut videtur, manu Pantagathi, ideo in textum inducere eam non libuit.

[b] Duo Vatt. *ipsius evangelistæ.*

[c] Vatt. duo et Flor., *qui scriberentur. Sed fortasse dicat*, quibus consentit liber Pantagathi. Editi legebant *fortasse dicit.* Vulgata editio *nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros.* De hac Evangelici textus hyperbole vide, si lubet, Fabricii notas ad Philastrium, supra, p. 79, itemque eumdem Fabricium, in cod. Apocrypho N. T. par. I, pag. 321, et par. III, p. 517, uti et Grotium, in Criticis Pearsonii, ad hunc Joannis locum.

[d] Lectio ex duobus Vatt. desumpta. Editi *nihil quæstionis super hoc videlicet esse relictum.* In libro Pantagathi *nihil quæstionis super videtur esse derelictum.*

[e] In mss. quatuor codd. *Dominum nostrum ;* sed lectio vulgata in editis, quam retinuimus, verior ; nam Gaudentius hoc agit semper, ut in Christo divinitatem astruat. Vide observata in calce sermonis præcedentis.

[f] Vatt. duo atque Urbinas sic legunt, iisque consonat cod. Pantagathi. Editi, *quod frementi.* Tota hæc Evangelicæ historiæ contracta narratio, quam hucusque Gaudentius prosecutus est, nobile est Gaudentianæ eloquentiæ specimen.

[g] In tribus editionibus habetur : *Hæc enim omnia usitata erant in populo tunc;* sed prætulimus lectionem mss.

[h] Verba quæ sequuntur *aut sabbatorum conditione immutari ne salus sit*, deerant in editis, eaque reddidimus ex Urb., Flor. et Vatt. duobus, quorum consensui suffragatur liber Pantagathi. Legebant etiam editi *per præscriptam legem ;* at Vatt. duo *præscripta lege*, uti et liber Pantagathi. Urbinas vero *præposita lege.*

inquit, *diebus facies opera tua, septimo autem die* A [a] *sabbatum est Domini Dei tui* (*Exod.* xx). *Non facies in eo* [b] *ullum opus tuum nisi quod fit pro omni anima.* Proclivum est ex voluntate humanum genus, et maxime Judæorum, ad carnalia opera, [c] potius quam divina; et idcirco constitutus est unus in hebdomade sabbati dies, in quo a carnalibus cessare cogerentur, et vacare solum divinis. Nam [d] neque cibum coquere, neque iter facere in sabbato concedebatur, ne quis, sub prætextu necessitatis humanæ, præponeret terrena divinis. Verum posteaquam Judæi, neglectis spiritualibus negotiis, quæ pro animæ salute Dominus agenda præceperat, [e] omnia legitima sabbati ad otium, luxuriamque contulerant, clamat ad eos continuo Dominus per Prophetam: *Neomenias vestras, et sabbata vestra, et diem magnum* B *non sustineo: jejunium, et ferias vestras, et dies festos vestros odit anima mea* (*Isai.* I). *Sabbata*, inquit, *vestra*, non mea; non enim sunt mea quæ geritis. Meum jejunium, et mea sabbata, quæ ego servanda præcepi, jejunare jubent a vitiis, cessare ab operibus malis, [f] et bonis actionibus inhærere. At **304** e contrario vestra sabbata, vestraque jejunia, et litibus inquieta sunt, [g] et illecebris, et luxuriis plena. Ipse ergo Legis dator in homine veniens, [h] cum operaretur pro omni anima opera salutis (in sabbato enim docebat quod provida ratione præceperat), nec destruebat Legem, sed potius adimplebat Legem: scriptum est enim. *Non facies ullum opus tuum in sabbato: tuum*, inquit, *opus*, id est *humanum* (*Exod.* xx). Et adjicitur, *nisi quod fit* [i] *pro omni anima*, id est ad salvandam animam. Ideoque legimus priores justos in Lege, pro salute animarum sabbatis operatos. Septem diebus Jesus filius Nave, jubente Domino, circuivit civitatem Jerichon, cum Levitis, et sacerdotibus Arcam portantibus Testamenti; et [j] cadunt hostiles muri nutu divino, ut animæ Judæorum de belli discrimine liberentur (*Jos.* VI). In septem vero diebus etiam sabbatum numerari, a quolibet die computare incipiens, deprehendes. Itaque cum dicitur, *Jesus est qui fecit me sanum* (*Joan.* V), admonentur Judæi ex nominis communione, opera non condemnare similia. Ideoque Christus Dominus, cum aut aridam manum, aut hydropem, aut paralysim curaret in sabbatis, tamquam vere Dominus sabbati, rem suam Legis suæ testimoniis tuebatur, dicens ad Judæos : [k] Licet sabbatis benefacere animali; animam salvam facere, an perdere (*Matth.* XII)? In hunc sensum Legis, ut arbitror, quem supra exposuimus, eos introducere volens; simulque exprobrans quod non intelligerent [l] quid esset *opus suum*, et, *nisi quod fit pro omni anima* (*Exod.* xx). Operatur ergo pro salute animæ Christus in sabbato; et operatur in sabbato, et implet Legem, dum conditionem interpretatur Legis, dum operum **305** differentias illuminat, dum facit, [m] quæ

[a] Sic mss. quatuor Codd. quibus consentit Vulgata, et liber Pantagathi. LXX vero *sabbata Domino Deo tuo*. Editi habent *sabbatum est Domini tui*.

[b] Exciderat *tuum* in editis, quod reposuimus ex Flor. et Vatt. duobus; nec aliter omnino legendum est, ut sequens loci hujus expositio docet. Suppeditat *tuum* etiam liber Pantagathi.

[c] Vatt. duo, et Flor., *potius quam ad divina*, deinde *et idcirco statutus est*; utramque vero lectionem habet quoque cod. Pantagathi.

[d] Videtur recta esse lectio quæ habetur in duobus codd. Vatt. scilicet *nec cibum coquere, nec iter agere in sabbato sinebantur; ne quis sub obtentu necessitatis humanæ;* et ita legit etiam Florentinus, sed cum æque recta videatur lectio vulgata, ab ea recedere noluimus. Præceptum non coquendi in sabbato, quod habetur Exod. XVI proprie pertinuit ad tempus mannæ, teste Goduvino, verum Judæi extenderunt ad omne ævum. Proclivis quippe in superstitionem natio multa de suo ad Legis edictum adjecit, de quibus Moyses nihil definivit. Vide Buxtorf. Synag. Jud. cap. 16; Petr. Cun. l. II de Rep. Hebr., c. 24; Goduv. Mos. et Aar. lib. III, c. 3.

[e] Sic supra Serm. præcedenti, p. 299, *omnem sabbati legem ad otium, luxuriamque contulerant.*

[f] Vatt. duo dempta particula conjunctionis legunt *bonis actibus inhærere;* quomodo habet etiam liber Pantagathi, prout in sequenti quoque *et illecebrosa luxuriis.*

[g] Quatuor mss. codd., *et illecebrosa luxuriis.*

[h] Melior omnino videtur lectio quæ occurrit in quatuor codd. et libro Pantagathi, hoc modo : *Cum operaretur pro omni anima opera salutis in sabbato, exemplis docebat quod provida ratione præceperat.* Vox illa *exemplis* per compendium fortasse scripta, fucum fecit imperito librario, qui dum satis incuriose legit, de *exemplis* fecit *enim*, totumque loci *hujus* sensum ineptissime conturbavit. Habet quoque *idem* liber Pantagathi mox in sequenti nec destrue- C *bat legem, sed potius adimplebat. Scriptum est ;* quæ quidem lectio invenitur etiam in Vatt. duobus.

[i] Sic legunt duo Vatt. Flor. et cod. Pantagathi; idcirco delevimus ineptum aliud glossema, quod in editos irrepserat hoc modo *pro omni anima*, *sive omni animæ, et ad salvandam animam.* Hic autem casus in lege sabbati exceptus, vocatur communiter apud Rabbinos *periculum animæ*, teste Casaubono Exercit. 1 in Bar. § 9, unde tritum illud apud Judæos proverbium : *Periculum vitæ pellit sabbatum.*

[j] Editi legebant *motu divino*; Flor. et Vatt. duo *nutu Dei*, quibus consentit liber Octavii Pantagathi; quare mutavimus unicam vocem *motu*, reponentes *nutu :* reliqua intacta reliquimus. Sequentia verba Vatt. duo sic legunt, *et animæ Judæorum de belli discrimine liberantur;* eodemque modo habet cod. Pantagathi, sed lectio hæc non multum discrepat a vulgata. Nonnulli ex Judæorum magistris urbem Jerichuntem ipso die sabbati captam produnt; adeo D verum est quod in eo casu de sabbaticæ legis exceptione ait Gaudentius.

[k] Parva immutatio, sed valde apposita, quam nobis exhibebant duo Vatt. codd., *licet sabbatis benefacere, an male?* quamque commendat etiam ms. Octavii Pantagathi liber mox laudatus. Eam tamen in textum inducere noluimus, cum receptam lectionem tueantur tres editiones, ac duo mss. codd. Flor. nempe, et Urb. in quibus legitur *licet sabbatis benefacere animali;* ita ut sensus sit, si licet sabbatis benefacere animali, ut ipso Domino auctore discimus Matth. XII et Luc. XIV, cur in sabbatis animam salvam facere non licebit?

[l] Mss. quatuor codd. nullo discrimine *opus tuum*, prout etiam liber Pantagathi

[m] Male prorsus editi *quæ Lex de sabbati feriis exhibet;* nam opera quæ Christus faciebat, non exhibita erant in lege sabbati, sed excepta. Hanc autem emendationem hausimus ex utroque Vat. codice quorum lectioni suffragatur etiam liber Pantagathi.

Lex de sabbati feriis excepit, dum ipsum sabbati diem benedictione sua sanctificatum, beneficiis suis efficit sanctiorem. Nam divina in eo præsidia omni animæ credenti largitus, opera debita sabbato reddidit. [a] Ut autem ostenderet Judæis, eumdem se semper operatum fuisse cum Patre, qui tunc etiam operaretur in carne, ait illis : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* v, 17). Et [b] propterea inique magis persequebantur eum Judæi, *quia non solum solvebat sabbatum, sed quia et Patrem suum dicebat Deum* [c], *æqualem se faciens Deo* (*Ibid.*, 18). Evidenter docuit beatus Evangelista, æqualem Deo Patri esse eum qui verus Filius ejus sit proprietate naturæ. Licet ergo veterum documenta præcesserint, [d] nihil tamen hujusmodi assertionis Dominus gestivit opponere : ne, quoniam rara sunt et antiqua; vel incerta apud quosdam, vel fortuita crederentur : sed quotidianis, et usitatis exemplis eos repercutere magis voluit, unde se justissime vel refutatos negare omnino non possent. *Unum opus feci*, inquit, *et omnes miramini* (*Joan.* vii, 21). Quod illud opus? quia paralyticum curavi in sabbato. Et adjecit : *Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem*, [e] *non quia ex Moyse*, inquit, *circumcisio, sed ex Patribus :* id est ex Abraham, qui primus circumcisus est (*Gen.* xvii), et ex cæteris Patriarchis. *Et in sabbato*, inquit, *circumciditis hominem. Si circumcisionem*, inquit, *accipit homo die sabbati, ut non solvatur lex Moysi, mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato? Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate* (*Joan.* vii, 22); tamquam si diceret : Præcepit Lex hoc solum quod pro anima est, opus faciendum in sabbato. Et de circumcisione eadem Lege præcipitur, quod quicumque non circumciderit octava die nativitatis [f] omne masculum, eradicabitur anima illa de populo suo. Ergo pro anima est quod sabbatis circumciditis hominem : pro anima est itidem quod et ego hominem totum sanavi in sabbato : [g] licet ergo pro anima opus fieri in **306** sabbato bonum. Quod si me in isto opere violasse sabbatum judicatis vosmetipsos indesinenter violati sabbati reos esse decernitis. *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate* (*Joan.* vii, 24). Tam rationabili patientia vincit inimicos Dominus noster Jesus, qui utique in hunc mundum, ut patiendo vinceret, a Patre descenderat. Sed consideremus breviter postremi hujus dicti virtutem. *Nolite*, ait, *secundum faciem judicare, sed justum judicium judicate*. Generalis, ut opinor, ista sententia est, retinendæ æquitatis magistra, omnibus posita, multis nota, paucis dilecta. Præcipitur enim ne hujus sæculi divitum personis adulantes, iniquissimo judicio faveamus incredulis; [h] et impios, crudeles, rapaces, luxuriosos, inhonestos, non solum timido silentio nutriamus : verum etiam omni reprehensione dignos, injustis laudibus prædicemus, vel, quod est omni fœditate deformius, turpia lucra captantes, alienæ pecuniæ notabiliter serviamus, Christianæ libertatis obliti : neve carnalis cujusquam formæ pulchritudine illecti, [i] a regione veritatis, rectæque sententiæ, sinistro judicio moveamur, cum de contemnendis opibus scriptum sit : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere* (*Psal.* lxi); et de negligendo carnis decore, Deus ad Samuelem sacerdotem loquatur, electurum regem de filiis Jesse : *Ne admiratus fueris*, inquit, *proceritatem staturæ, vel pulchritudinem vultus eorum*, [j] *quoniam homo videt in faciem, Deus autem videt in cor* (I *Reg.* xvi). [k] Et idcirco beatus David minimus, atque contemptus, oleo sanctificato sublimatur in regnum,

[a] Paris. editio, cæteris emendatior et accuratior, sic legit, et eidem concinunt mss. codd. Duæ aliæ editiones absurdo hiatu habent : *Ut autem cum Patre, qui tunc etiam operaretur.*

[b] Flor. et Vatt., duo *propterea, inquit, magis*, quod æque convenit, cum hæc quoque verba sint textus Evangelici ; *inquit* porro pro *inique* retinet item cod. Pantagathi.

[c] Et hic quoque editi legebant *Dominum*, sed nos reposuimus *Deum* ex Urb. et Vatt. duobus; quam emendationem confirmat auctoritas Evangelici textus, unde hæc verba desumpta sunt, eamdemque tuetur etiam liber Pantagathi. Vide quæ notavimus supra, p. 130, 133.

[d] Nempe quam petere poterat ex allato supra veterum Patrum exemplo in obsidione Jerichuntis. Inepte editi legunt *nihil tamen hujusmodi affectionis;* at Vatt. duo, quorum ope locum sanavimus, *hujusmodi assertionis;* quam postea lectionem deprehendimus etiam in libro Pantagathi.

[e] Urb. et Vatt. duo, uti et liber Pantagathi, *non quia ex Moyse est circumcisio.*

[f] Tam Vatt. duo, quam Flor. legunt *omne masculinum, disperiet anima illa;* et hanc lectionem exhibet etiam Pantagathi Codex. Vulgata editio Gen. xvii sic habet : *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* LXX, *interibit anima illa de genere suo.*

[g] Conclusio hæc in libro Pantagathi deest, quamvis occurrat eodem modo in Flor. et Vatt. duobus.

[h] Sic Vatt. duo, et Flor. Editi legebant *et impios, incredulos, rapaces;* at cod. Pantagathi, *faveamus; incredulos et impios, crudeles, rapaces.*

[i] Vatt. duo, Flor. et Urb. legunt *a rigore veritatis, rectæque sententiæ, sinistro judicio molliamur;* iisque consonat etiam liber Pantagathi, sed lectionem editorum tuti retinuimus. Cicer., iii de Nat. Deor. : *Nec me ex ea opinione quam a majoribus accepi, ullius umquam oratio aut docti, aut indocti, movebit.*

[j] In ms. Flor., *homo videt in facie, Deus autem in corde*, et ita etiam in duobus Vatt. et libro Pantagathi; sed pro *Deus* in illis est *Dominus*, in hoc vero *Deus*.

[k] Ter unctus fuit David : primo a Samuele, I Reg. xvii ; secundo in Hebron, interfecto Saule, II Reg. ii ; tertio item in Hebron, post cædem Isbosethi, II Regum v. Peculiare carmen de quo hic Gaudentius, in recenter excusis libris non esse exspectandum, monuerat Joan. Gregorius Præf. Observat. Sacr., tom. IX. Crit. Angl., verum habes illud in nupera editione Psalterii, ab eminentissimo Thomasio diligenter procurata, p. 650, exstatque insuper (quo magis fit ut nimiam hominis confidentiam demirer) in editione LXX Romana 1588, ultimo loco extra ordinem sub hoc titulo : *Hic Psalmus idiographus in David, et extra numerum, quando monomachiam iniit cum Goliad.* Meminit autem Psalmi hujus, præter Gaudentium, etiam Athanasius, in Synopsi (seu quisquis ejus Synopseos auctor est), et in Sermone ad Marcellinum de interpretatione Psalmorum. Eum-

et se ex humilitate per Dei gratiam ad summum A crevisse fastigium dignitatis, peculiari carmine **307** gloriatur, dicens: *Pusillus eram* [a] *inter fratres meos*, et cætera. Utiliter ergo per omnia Christus ait: *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate* (*Joan.* VII, 24). Et quis nostrum, charissimi, ad singula quæ prædixi servanda idoneus invenitur? *Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore* (*Psal.* CV, 3). Igitur cum generalis, ut supra dixi [b], sit ista sententia, specialiter tamen dirigitur ad Judæos, qui Christum mirabilia facientem, hominem solummodo ex facie judicabant, Deum vero in virtutibus non videntes. Hæreticos etiam Dei Filium blasphemantes, non mediocriter sententia ista contundit, quod humilitatem susceptæ carnis intuiti, immensæ divinitatis B conentur metiri substantiam. Nos autem, fratres, *gratia ejus salvati per fidem* (*Ephes.* II, 8), justum judicium judicemus, æquitatem servantes [c] in omni actione conversationis nostræ. Est enim rationabilis animæ justum judicium, ut eligat Deo magis servire, quam sæculo; ut statuat mandatis Christi obsequi, non diaboli consiliis depravari; ut spiritualibus inhærere [d] decernat studiis, non carnalibus vitiis implicari; et ut æternam beatitudinem futurorum, brevissimis mundi voluptatibus judicet præponendam. Recti itaque cordis æquo judicio gradiamur in omnibus præceptis, et justificationibus Domini, ut possimus vitæ æternæ consortium promereri ab ipso Dei Filio simpiterno, cujus omnipotentia cum Patre, et Spiritu sancto, permanet in C omnia secula. [e] Amen.



SERMO XII.

DE DIVERSIS CAPITULIS SECUNDUS.

De eo quod ait Dominus Jesus: Nunc judicium est hujus mundi.

308 Post illam Dei Patris vocem qua glorificatum Filium rursus glorificandum dixerat, ubi Salvator locutus est ad circumstantes turbas, quod proxime disseruimus, hujus testimonium vocis non sui causa honoris, sed nostræ fidei instruendæ gratia fuisse delatum; quid statim subsequens idem Dominus adjecerit, textus hujus quæ modo decursa est, indicat Evangelicæ lectionis. *Nunc*, inquit, *judicium est hujus mundi* (*Joan.* XII, 31). Considerandum puto, fratres charissimi, cujusmodi dixerit tunc imminere judicium. Si de futuro judicio, quo per ignem judicabitur hic mundus, sentiri voluisset, non dixisset *nunc est*, sed dixisset [f] *tunc erit:* verum quia de præsenti loquebatur judicio, intueri convenit, quod fuerit illud præsens mundi judicium. Numquid in primo adventu suo Christus mundum judicasse existimabitur, quem potius salvasse cognoscitur, sicut ipse testatus est dicens: *Non enim misit Deus Filium suum ut judicet mundum,* [g] *sed ut salvetur mundus per ipsum* (*Joan.* III, 17). Et in Evangelio beati Lucæ legitur, cum quidam vicus Samariæ noluisset suscipere Salvatorem, indigne ferentes Apostoli Jacobus et Joannes, dixerunt ad eum: *Domine, vis dicamus ut ignis descendat de cœlo super eos, et consumat eos, sicut Elias fecit?* [h] *At ille indignatus prohibuit* (*Luc.* IX, 54). O ira misericors! Quid ergo est quod ait: *Nunc judicium est hujus mundi* (*Joan.* XII, 31)? Judicium, fratres, duplici ratione potest intelligi. Nam et decernentis sententia judicium dicitur, et supplicium patientis dicitur pœna: judicium alterum agentis est, alterum patientis. [i] Judex facit judicium, reus subit; et est

dem Græcis versibus reddidit Apollinaris Alexandrinus, Laodicensis Ecclesiæ presbyter, circa annum 360; atque, inter recentiores, elegantem ejus Metaphrasin græce et latine dedit Olympia Fulvia Morata, quam exhibet Joan. Albertus Fabricius in codice Pseudepigr. V. T. pag. 908. Videtur etiam hunc psalmum expressisse Marcus Antonius Flaminius nitidissimo illo carmine quod Paraphrasi triginta Psalmorum prælixit:

Eram paterna abjectus in domo puer,
Cunctisque fratribus meis
Minor, pusillum in monte pascebam gregem.

[a] Hac compendii formula utitur non uno in loco Gaudentius, ut Serm. 4: *Assumet secum vicinus proximum suum, et cætera;* Serm. 14. *Si sumpsero, inquit, pennas meas, et cætera;* Serm. 19: *Quid me vultis occidere? hominem, et cætera;* et alibi. Eadem formula usum quoque Philastrium observavit Fabricius, cap. 150: *Spiritus Domini super me, et cætera;* et cap. 144: *Opus Legis scriptum in cordibus suis, et cætera.* Sic Ennodius Ticinensis lib. IV.: ep., 4. *Juri tuo perpetua liberalitate transfundo mancipium juris mei illud, et cætera;* Fulgentius Ruspensis ep. 5: *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, et cætera.* Usus quin etiam Cic. 2. de Orat. *Si mihi filius genitus, isque prius moritur, et cætera;* et infra eod. lib. *Ages Asellum, et cætera;* et in Top. *In partitione quasi membra sunt, ut corporis, caput, humeri, manus, latera, crura, pedes, et cætera.* Ex hoc autem latinæ linguæ usu factam vocem italicam, *e cætera* notabat Menagius in Originibus linguæ italicæ ver. *E cætera.*

[b] *Ut supra dixi.* Flor. Vatt. duo, et liber Pantagathi *ut prælocutus sum.* Lusus amanuensium.

[c] *In omni actione conversationis nostræ.* Mss. quatuor Codd. et liber Pantagathi *in omni actu.*

[d] *Ut spiritualibus inhærere.* Urb. et Vatt. duo *ut spiritalibus inhærere*, quam vocem *spiritalibus* retinet etiam Cod. Pantagathi. Vide sup. Serm. 2, p. D 259. Serm. 8, p. 272. Serm. 9, p. 289.

[e] *Amen.* In Flor. et Vatt. duobus subditur: *Finit de Paralytico;* in ms. vero Pantagathi, *Explicit de Paralytico.*

[f] Sic Flor. et Vatt. duo pro eo quod in editis est *nunc erit;* at in cod. Pantagathi *tunc erit;* ubi etiam ejus manu pro *dixisset* repositum est *diceret*, in textu vero occurrebat *dixerat.*

[g] Vatt. duo sic habent, et liber Pantagathi; editi vero *ut salvaretur.* Concinit autem lectioni nostræ etiam Vulgata editio.

[h] Codex Urbinas *prohibuit eos.* Vulgata editio tam græce, quam latine, aliter legit: *στραφεὶς δὲ ἐπετίμησεν αὐτοῖς, et conversus increpavit illos.*

[i] Lectio Flor. codicis sic habet: *Judex facit judicium, judicium patitur reus; et est utriusque judicium.* Itaque verba hæc *et est utriusque judicium* tanquam genuina Gaudentiano textui addidimus, ejicientes ineptum glossema quod in editos irrepserat, hoc

utriusque judicium. Mundum vero cum dicit Scriptu- A ra **309** aut facere, aut pati judicium, non elementorum irrationabilium naturas indicat, sed accolas mundi significat : sicuti cum domus Israel dicitur, non parietes, vel tecta, sed homines Israelitæ monstrantur. Ergo dominator omnium Christus, post insuitatum sacræ Virginis partum, post adorata munifico magorum cultu cunabula, post multiplicem doctrinam cœlestis eloquii, post variarum curationum medelas imperio verbi potentis effectas, post istud præsens testimonium Patris,[a] cum esset jam proximus Passioni, sic ait : *Nunc judicium est hujus mundi* (*Joan.* XII); tamquam si diceret : Nunc, nunc est hujus mundi judicium, utrum credere eligat post Passionem voluntariam virtute propria resurgenti, ut ex fide salvetur, an cum Judæis B negandum judicet eum Judicem qui negaturus erit proprios negatores, dicens ad illos : *Nescio vos : discedite a me in ignem æternum, operarii iniquitatis* (*Luc.* XIII). Sive magis (et ita sentiendum auctoritate cohærentis eloquii utilius approbamus), *Nunc judicium est hujus mundi* (*Joan.* XII); id est appropinquavit hora ut mundi Creatorem, ac Judicem mundus judicet judicandus. Similiter namque in Evangelio Lucæ loquitur ad pontifices, et presbyteros, [b] et strategos magistratus templi, qui ad eum comprehendendum venerant : *Quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus; cum quotidie vobiscum fuerim in templo, et non extendistis manus super me; sed hæc est*, inquit, *vestra hora, et potestas tenebrarum* (*Luc.* XXII). Potestas tenebrarum quippe hujus C mundi est, vel hominum mundanorum, qui in tenebris perfidiæ constituti, lumen nolunt aspicere veritatis; et quia Deus hominibus agendi quodcumque velint **310** liberum permisit arbitrium, [c] exercent in Christum sacrilegam potestatem. Unde Pilato dicenti : *Potestatem habeo crucifigendi te, et potestatem habeo dimittendi te;* Dominus ita respondit : *Non haberes potestatem, nisi data tibi esset desurper* (*Joan.* XIX.) Denique ut ostenderet Dominus istud quod dixerat *mundi judicium*, Passionem suam esse; ita copulavit dicens : *Nunc judicium est hujus mundi, nunc hujus mundi princeps mittetur deorsum*, sive *expelletur foras* (*Joan.* XII), [d] ut in Græcis exemplaribus legimus. Erat enim Passio Christi expugnatio futura diaboli. Unde sanctus propheta David ad ejus personam loquitur : *Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris* (*Ps.* L). Licet autem hic versus et alio sensu possit intelligi, huic tamen satis congruit; nam Dominus Jesus in Passione sua judicatur et vincit, moritur et triumphat. Diabolus autem cur princeps hujus mundi dicatur, advertite. Diabolus hujus mundi princeps usurpatione dicitur, non natura. Etenim seducens humanum genus, ut derelicto Deo ipsum Satanam per simulacra coleret manufacta, principatum violenter tenuit, et exercuit tyrannidem, in tantum ut advenientem verum Principem suum non recognosceret mundus, ipsius quippe diaboli prestigiis obcæcatus. Nam *in hoc mundo erat* Christus, ut Evangelista testatur, *et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui non receperunt eum* (*Joan.* I). Passus est ergo Dominus se hujus mundi judicio judicari, ad hunc hostem generis humani præcipitandum, sive expellendum, quia utrumque unum esse dignoscitur; [e] et qua ratione unum,

modo : *Judex facit judicium, reus subit, id est, patitur judicium.* Vatt. duo legunt *judicium patitur reus ; et est uniusque judicium;* quæ licet nonnihil depravata sint, lectionem tamen Flor. codicis confirmant. Eamdem exhibet etiam cod. Octavii Pantagathi, quo fit ut vix dubitem, quin hæc tamquam vera et genuina Gaudentiano textui restituenda sit, legendumque, *judex facit judicium, judicium patitur reus, et est utriusque judicium ;* sic enim habet prædictus liber, Florentino concinens.

[a] Flor. cod., *cum esset jam jam proximus*, at liber Pantagathi retinet lectionem vulgatam.

[b] In ms. Urb. non habetur vox *magistratus* (quæ deest etiam in libro Pantagathi), unde fit ut suspicer tam istam, quam sequentem vocem *templi*, esse additamenta librariorum, qui ineptum glossema oræ paginæ adscriptum, in textum admiserint. Nihil profecto, quod sciam, *strategi* ad templum pertinebant, sed rem militarem curabant, ut ex Jul. Poll., l. I, c. 10, satis liquet. Hinc *strategia* apud Plinium dicitur præfectura, seu rei militaris imperium, ut lib. IV, c. 11 : *Thracia inter validissimas Europæ gentes, in* strategias *quinquaginta divisa;* et lib. VI, c. 9, de Armenia, sic ait : *Dividitur in præfecturas, quas ii* strategias *vocant.* Plautus item, Curcul. act. II, sc. III, 6, *strategum* non sacris, sed profanis magistratibus accenset :

> Nec *strategus*, nec tyrannus quisquam, nec agoranomus.
> Nec demarchus, nec comarchus...

Igitur quamvis legendum censeam *ad pontifices et presbyteros, et strategos, qui ad eum comprehendendum venerant*, tamen mutare nolui; sed conjecturam D meam lectoris judicio permitto. Postquam hæc Patavinis typis vulgassem anno 1720, Acta Lipsiensia mensis Octobris 1722, pag. 488, docuerunt me, quamvis non sine felle, haberi *strategos templi*, στρατηγοὺς τοῦ ἱεροῦ, act. IV, 1, et V, 24; addi poterat etiam Lucæ XXII, 4, quæ profecto loca fortasse tunc aliud agentis diligentiam fugerunt. Dubitat nihilominus cl. Lightfootus, Hor. Hebraic. in Evang. Lucæ c. XXII, num tribunus, vel centurio istius præsidii, στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, dicendus potius fuerit στρατηγὸς τῆς Αντωνίας, quem vide, si lubet; uti et Grotium in Matth. XXVI, 45, cui apertum est, præsidium istud non fuisse in Templo ordinarium, sed festis diebus illuc ex Antonia translatum. Verum doctis illis viris valde displicuit, quod Barthium, cui non ideo quidquam de summæ eruditionis laude detractum velim, modeste licet ac leviter vellicaverim. Sed pace eorum, de Barthio, ejusque erratis (homo enim erat; sicut et nos, et cæteri omnes), præter alios, immo et Fabricium quoque hujus editionis p. 17, videndus omnino Reinesius in epistolis ad Christianum Daumium; ut non propterea ob unicum Cotelerii verbum, a me simpliciter repositum, tantam mihi litem movere debuerint Actorum Lipsiensium conditores.

[c] Vatt. duo et Flor., *exercent in Christum Dei.* Cod. Pantagathi, *exercendi in Christum Dei.*

[d] Patet vel hinc, quanta tunc temporis esset auctoritas Græcorum exemplarium, etiam ubi a Vulgata recederent. Legit autem Græca editio ἐκβληθήσεται ἔξω, *ejicietur*, sive *expelletur foras*, ut idem Gaudentius paulo inferius vertit.

[e] Unus ex Vatt. codd., *æqua ratione unum*, perci-

percipite. Non in planis, atque humilibus habitabat diabolus, [a] unde pulsus, ad alium locum credatur absque casu suo transire potuisse; sed cum de sublimitate cœlesti expellitur, utique deorsum præcipitatur. Significanter plane in Græco positum est ἐκβληθήσεται ἔξω, id est *ejicietur*, sive *expelletur foras*; ut etiam de animis credentium jam cœlestibus, tamquam de cœlis, nosceretur esse pellendus; ut scilicet, expulso eo, Christus Dominus regnaret in nobis. Quapropter adjecit : *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum* (*Joan.* XII). Et quod exaltandum se a terra indubitanter crucis patibulo indicabat, sic interloquentis evangelistæ sermo declarat : *Hoc autem* **311** *dicebat significans qua morte esset moriturus.* [b] *Ego cum exaltatus fuero a terra*, inquit, *omnia traham ad me ipsum* (*Joan.* XII, 33); videlicet quod elevatus in crucem omne sæculum ad suam fidem vocaturus esset. Sed quod ait, *omnia traham ad me ipsum*, et non *omnes*; illud significari existimo, quod omnia creaturarum genera quæ idolis [c] vel immolabantur, vel dedicabantur, Christus ad suam benedictionem revocanda promiserit, suoque nomini consecranda. Necesse est enim, juxta sententiam Pauli apostoli, *ut ipsi confiteatur omnis lingua, et subditus fiat omnis mundus Deo* (*Philipp.* II). Deo nempe huic *qui ascendit super cœlum cœlorum ad orientem*, ut Psalmista ait (*Ps.* LXVII); [d] huic Deo qui cum *ascendit in altum, captivam duxit captivitatem* (*Ps.* LXVII). Cavendum plane nobis, fratres charissimi, ne victoriam Christi, qua diabolum triumphavit, de captivitate ejus nos redimens suo sanguine pretioso, et auferens ei humani generis principatum, nostro vitio irritam faciamus : [e] illius tyrannidi per illecebras carnis, ejus crudeli iterum regno nos subjicientes, in contumeliam Redemptoris; unde merito conqueratur increpans, et exprobrans : *Quæ utilitas in sanguine meo* (*Ps.* XXIX)? [f] Sine causa meus pro vobis sanguis effusus est, [g] si ita vos geritis, itaque conversemini, ut auctor cupiditatum malarum diabolus iterum principetur in vobis, [h] spolia se tanto detraxisse victori, prædo superbus insultans. [i] Nam dixit: *Persequens comprehendam, partibor spolia,* **312** *replebo animam meam; interficiam gladio meo, dominabitur manus mea* (*Exod.* XV). Hac de causa nos adhortatur beatissimus Paulus apostolus dicens : *Non ergo regnet peccatum in carne vestra mortali, neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes* (*Rom.* VI). Et alibi iterum : *Idcirco enim Christus et vixit, et mortuus est, et resurrexit; ut et vivorum, et mortuorum dominetur* (*Rom.* XIV), utique *ut qui vivunt jam non sibi vivant, sed illi qui pro eis mortuus est,* [j] *sed et resurrexit* (II *Cor.* V). Talibus ergo, fratres, instrumentis edocti, omnem nostram vitam Christi servitio mancipemus, cujus regnum cum Patre, et cum Spiritu sancto permanet in omnia sæcula. Amen.

pite : alter, *æqua ratione utrumque percipite*. Neutra lectio æquæ rationis quidquam habet; et porro *æqua ratione unum* habebat etiam liber Pantagathi, sed in superiori lineæ spatio, ipsius Pantagathi manu reformatum est *et qua ratione unum*.

[a] Editi, absurde, *ubi pulsus*; et quidem manifesta erat emendatio etiam absque suffragio utriusque Vat. codicis, in quibus legitur *unde pulsus*; quam lectionem exhibet etiam cod. Pantagathi.

[b] Vatt. duo, *Ergo cum exaltatus fuero, omnia traham*. Flor. vero, *Ergo cum exaltatus fuero a terra, omnia traham*; et profecto eodem modo habet etiam liber Pantagathi; sed ejus manu hic quoque repositum est *ego*.

[c] De immolatitiis diximus supra, in notis ad tract. 9, pag. 283. De dedicatione autem luculenter Brissonius, Formul. l. I, pag. 125, edit. Paris., 1583, et Laurentius Pignorius, Symbol. ep. 32. Insignis porro de dedicatione idolorum locus est Arnobii lib. VI, ubi ex persona Gentium sic loquitur : *Nam neque nos æra, neque auri, argentique materias, neque alias quibus signa conflunt, eas esse per se deos, et religiosa decernimus numina; sed eos in his colimus, eosque veneramur quos* dedicatio *infert sacra, et fabrilibus efficit inhabitare simulacris:* et paulo post : *Illud a vobis primum desideramus, et postulamus audire, inviti ne hoc faciunt, id est jure* dedicationis *attracti*. Minutius in Octavio : *Quando igitur hic nascitur? Ecce funditur, fabricatur, scalpitur. Nondum deus est. Ecce plumbatur, construitur, erigitur. Nec adhuc deus est. Ecce ornatur, consecratur, oratur. Tum postremo deus est, cum homo ille voluit et dedicavit.* Hinc apud nos *dedicatio ecclesiæ, dedicatio altaris*, atque his similia, quæ nempe a profano Gentilium ritu, christiana religio ad sanctitatem traduxit. Consule Baronium, not. ad Martyrol., 9 Nov.

[d] Flor. et Vatt. duo legunt : *Huic Deo qui ascendens in altum*, quibus assentitur liber Pantagathi. LXX quoque, *ascendens in altum*; sed Vulgata, *ascendisti in altum*. Justinus, in Dial. cum Tryphone ita citat hunc locum : *Ascendit in altum, captivam duxit captivitatem*. Et August. in psal. LXVII, afferens locum Apostoli Ephes. IV : *Ascendit in altum, captivavit captivitatem*.

[e] Urbinas, Vatt. duo et Flor. summo consensu legunt : *illius nos tyranni per illecebras carnis crudeli iterum regno subjicientes*, iisque consonat etiam cod. Octavii Pantagathi.

[f] Flor. et unus ex Vatt., *sine causa eos pro vobis effusus est*, ubi pro *eos* legendum videtur *ergo*, sed rectius Urbinas et alter ex Vatt., quorum lectionem editis quoque prætulerim, *sine causa pro vobis effusus est*. Hæc porro jam vulgata fuerant, cum liber ms. Octavii Pantagathi meliorem cæteris lectionem suppeditavit : *sine causa enim pro vobis effusus est*.

[g] Ita legitur in quatuor cod. mss. quorum ope locum hunc emendavimus in editis nonnihil depravatum; sic enim distinguebant : *si ita vos geritis. Itaque conversemini ne auctor*; quamvis et lectio probari possit. In libro Pantagathi, *si ita vos geritis, itaque versamini*.

[h] Flor. et Vatt. duo, *spolia se tanti detraxisse victoris*. Liber Pantagathi habet : *spolia se tanti detraxisse victoris prædonibus insultans*; sed ejus manu ad oram paginæ repositum est *prædo nobis*.

[i] In Vatt. duobus, *nam dixit inimicus*, sicut et in cod. Pantagathi.

[j] Vocula *sed* videtur superfluere. Deest etiam in Flor. et Vatt. duobus, Vulgata legit ; *sed ei qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit*. Cod. Octavii Pantagathi, *sed illi qui pro eis mortuus est, et resurrexit*.

SERMO XIII.

DE DIVERSIS CAPITULIS TERTIUS.

[a] Die natali Domini.

Contra avaritiam Judæ et pro pauperibus.

Per omnes divini eloquii libros Filius Dei non solum Deus, sed et homo, ac filius hominis prædicatur. [b] Et in veteri quidem Testamento prænuntiatur, atque promittitur, in novo autem demonstratur, et creditur; quoniam vetus Lex, ut ait Apostolus (*Hebr.* x), [c] umbra erat futurorum bonorum: illorum quippe bonorum quæ compleri noscuntur in Christo, [d] quibus homo humani generis, hodie per beatissimam Virginem natus, redintegravit imaginem, venenato [e] serpentis morsu corruptam: [f] ut cujus opifex a mundi principio fuerat, esset in consummatione sæculi reparator. Quis hanc pietatem digne mirari sufficiat? Quis tantæ 313 bonitatis idoneus prædicator existat? [g] Quis protestari sufficiat, immensum, et inestimabilem Deum ob nostram vitam fieri voluisse quod homo est, et universarum virtutum cœlestium conditorem ad hujus terrenæ carnis humilia descendisse? Sic tamen homo pro nobis factus est, ut non desineret esse quod Deus est. Nam licet *Verbum caro factum sit*, ut evangelista testatur (*Joan.* I), tamen quia permanet esse quod ante hominem fuerat, additur statim, *et habitavit in nobis*; quo dicto et habitator ostenditur, [h] et habitaculum pariter demonstratur. Sic ergo cœpit esse quod prius non erat, ut non desisteret esse quod erat. Hanc omnipotentiam Filii Dei, et hominis, etiam mater Virgo testatur; quæ de Spiritu sancto concipiens, ita Deum et hominem, quem pudico utero gestaverat, edidit, ut apud incorruptam tanti hominis matrem, post divinum partum gloriosior integritas permaneret. Divinum recte diximus partum, quia Deus est iste qui per Virginem natus in carne est; dicente Gabriele archangelo ad eamdem: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I). Ex quo enim carnem nostræ fragilitatis assumpsit, idem Filius est hominis qui et Dei; quia non alius ex Maria natus est, quam qui per maternas illapsus aures, uterum Virginis opplevit. [i] Sancto videlicet Spiritu ipse formans hominem suum, siquidem *sapientia ædificavit sibi domum* (*Prov.* IX): habitaculum quippe corporis nostri jam suum, quo habitaculo indutus est; sine ullo damno integritatis maternæ, egreditur. Nam beatissima Maria incorruptibilem pariens, et mater, et virgo est. Hæc ad demonstrandum incarnationis Filii Dei mysterium breviter dixerim: nunc ad partem venio illius lectionis Evangelicæ explanandam, quæ jamdudum fuerat aliis incumbentibus prætermissa. Nam disseruimus (ut meministis) omnem textum lectionis ejus quæ comantem describit in Bethania Dominum, explanantes discubitum Lazari, rationem loci et temporis, Marthæ ministerium, sororis ejus obsequium, unguenti virtutem, rationemque crinium quibus Maria [j] pretioso myro unctos Christi tersit

[a] Sic legunt Flor. et Urb. Editi vero, una cum Vatt., *De Natali Domini*; priorem tamen lectionem veram puto, cum pauca admodum de Natali Domini perstringat, ac totus tractatus sit contra Judæ avaritiam et pro pauperibus. Cod. Pantagathi, *Item die Natalis Domini*; et quidem vox *item*, licet a nobis omissa, habetur etiam in aliis quatuor mss. Sermo iste omnino probatur Dupinio Gaudentii reprehensori; eum enim cæteris præfert, iisque meliorem, atque utiliorem judicat.

[b] Particula conjunctionis deficit in quatuor mss. et libro Pantagathi.

[c] Mss. codd. legunt, *umbra erat futurorum bonorum quæ compleri*.

[d] In quatuor mss. habetur nullo discrimine *qui bono humani generis*, quod prima facie placuerat, verum sequentia illa, *redintegravit imaginem*, monuerunt retinendam esse priorem lectionem quæ habetur in editis, licet etiam in libro Pantagathi occurrat *qui bono humani generis*.

[e] Sic editi; mss. vero, *serpentis morsu concisam*. Similem huic lectionem offendimus supra, in Præfat. ad Benivolum, ubi mss. habent *præcipiti excipientium festinatione esse concisa*. editi autem *esse conscripta*. Utroque in loco vulgatam lectionem retinuimus, et porro retinemus, licet etiam cod. Octavii Pantagathi habeat hic quoque *serpentis morsu concisam*.

[f] Edidimus lectionem Flor. cod., quæ cæteris omnino præcellere visa est. Concinunt etiam Vatt. codd., sed modicum eorum lectioni inest vitium, *in consummationem* pro *in consummatione*. Urb. habet, *ut cujus opifex mundi a principio fuerat, esset in consummatione sæculi reparator*. Cod., Pantagathi Urbinate ac Vatt. rectius, *ut cujus opifex a mundi principio fuerat, esset in consummatione sæculi reparator*; in quo quidem paria facit cum Florentino. Editi male, *ut sicut opifex mundi a principio fuerat, sic esset usque in consummatione sæculi reparator*. Non enim de mundi opificio, sed de humani generis imagine per Christi nativitatem reparata, loquitur Gaudentius.

[g] Verba hæc desunt in mss. quatuor exemplaribus, ubi sic legitur: *Quis tantæ bonitatis idoneus prædicator existat, immensum, et inæstimabilem Deum*; hæc autem lectio est etiam in cod. Pantagathi.

[h] Nescio quo fato mss. codd. hoc loco male mulctati sunt, desunt quippe triginta ferme et octo versus ab his verbis et *habitaculum*, usque ad ea *servet illud*: quo vitio non caret etiam liber Octavii Pantagathi, quanto sermonis hujus detrimento, prudens lector æstimabit: sed properantes operæ monstra hujusmodi edere sæpius solent.

[i] Durior lectio quam Gaudentiano stylo conveniat; et nisi hoc modo distinguas, intellectu difficilis. Editi codd. hic mala interpunctione laborant.

[j] Corrupte editi legunt *myrrho*, quod emendavimus reponentes *myro*, quamvis ob lacunam superius designatam nulla adessent subsidia mss. Sic etiam Benedictini editores Hieronymi, in Præfat. ad libros Vet. Test., t. I, col. 321, cum in mss. codd. invenissent *myrrho*, restituerunt *myro*, legentes: *Sed et vos famulas Christi rogo, quæ Domini discumbentis prætiosissimo fidei myro ungitis caput*. Est autem μύρον Græce, Latine *unguentum*; qua voce præter Hieronymum, et Gaudentium, usus etiam Hilarius invenitur in psal. CXXXII. *Igitur hoc myron omnes fetentes odores, quocumque infusum fuerit, exstinguit*. Et Cassian. Coll. XIV, c. 14: *Facilius enim odoratissimum myrum semel horrendis imputa fœtoribus testa contaminat*. Habet hanc vocem etiam Vulgata editio Judith. X: *et lavit corpus suum, et unxit se myro*

pedes; et quemadmodum Judas pio, debitoque 314 A Salvatoris, sub prætextu pietatis tamen, illa ipsa adversarius obsequio, dum patronus pauperum vult videri, furti reus arguitur : sed illud omisimus, vel potius reservavimus, quid inter hoc locutus fuerit Dominus Jesus. *Sine*, inquit, *eam*, sive *sinite* : [a] utrumque enim et in Græcis, et Latinis exemplaribus invenitur; sed magis congruere videtur sensui cum legitur *sinite*, etc., propter illa quæ pluraliter subsequuntur : *pauperes enim semper habetis vobiscum*. Quærendum ergo, dilectissimi, quamobrem ad Judæ solius verba pluraliter responderit Dominus, *Sinite eam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud : Pauperes enim semper habetis vobiscum, me autem non semper* (*Joan* XII; *Math.* XXVI; *Marc.* XIV). Admirabilis vere, ac nimium providens Christi patientia! In commune omnibus discipulis loquitur, [b] ut B ab adversantis Judæ contumelia temperet; neque acriter ut in fraudatorem invehitur, sed dissimulato ejus crimine, quem et Evangelista furem noverat, leni monitu universos pariter instruit; docens interim, illud quod Maria fecerat, necessario erga se celebratum fuisse sepulturæ mysterio. Cæterum pauperibus largiendi omni tempore, [c] iis qui vellent esse posse copiam, quia semper nobiscum sint : [d] sibi vero in carne jam non diu a quoquam ministrandum, quia post imminentem Passionem resurgens, continuo susceptum corpus ducturus esset ad cœlum. Idcirco autem supradicta lenitate, ac promiscuo monitu, Judæ sermones Christus evacuat, ne aut ipsi Judæ occasionem excusandi furoris tribueret, aut alicui Apos- C tolorum quidquam scrupuli daret, piam fortasse suspicanti Judæ suggestionem; vel certe ne cuiquam postea lecturo, aliquod offendiculum reservaret. Judas enim licet studio fraudis, et odio

Salvatoris, sub prætextu pietatis tamen, illa ipsa fallaciæ verba deprompserat : *Quare hoc unguentum venumdatum non est*, inquit, *denariis trecentis*, *et datum est pauperibus* (*Joan.* XII)? Irreligiosus 315 nimium, et satis importunus dispositor, [e] avari fraudatoris affectum, crimen videlicet proprium, sub specie religionis dum tegere conatur, expressit. Irreligiosus plane, atque importunus; quia quod ad honorem Christi factum fuerat, non modo superfluum computavit, verum etiam sermone improbissimo reprehendit. Fraudator etiam; quia, loculum tenens, exportabat ea quæ mittebantur ad usus indigentium, sicut evangelista conqueritur (*Joan.* XII, 6). Avarus quoque; quoniam non satiabatur, stipendia pauperum quotidie subtrahendo, sed et sepulturæ Christi pretium in propria ardebat lucra convertere : convertit autem non in momentanea suæ cupiditatis lucra, sed salutis detrimenta perpetua. Siquidem non multo post, universa quæ vel impius fur collegerat ex fraudibus perpetratis, vel quæ sacrilegus Christi traditor pro mercede iniquitatis acceperat, cum vita pariter amisit. Nam prædictorum facinorum conscientia strangulatus, mortem debitam laqueo sibimet intulit præparato, confestim [f] rapiendus ad inferni supplicia. [g] Quod autem unguentum illud ad obsequium profecerit Dominicæ sepulturæ, idem Salvator in Evangelio Matthæi apertius declaravit : *Mittens*, inquit, *hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit* (*Matth.* XXVI). Quamvis ergo Dominus Jesus conscientiæ judex esset, noluit tamen Judam de occultis ejus acrius increpare, ne, quoniam verisimili ratione videbatur locutus, putaretur forsitan injuste correptus; [h] atque hinc iracundiæ justam concepisse causam, ut inimicis necandum traderet, quem

optimo. Hinc *myrothecium*, unguenti repositorium, apud Cic. II ad Attic., ep. 1 : *Myrothecium Isocratis totum consumpsi*. Frustra igitur, ut ex his liquet, Auctor Hieronymianarum quæstionum, nimio repugnandi studio a certa Benedictinorum emendatione dissentit.

[a] Hinc colligas licet, Gaudentium nostrum fuisse criticæ artis non imperitum, dum ita diligenter in conferendis Bibliorum exemplaribus versatur; ait quippe : Sine, *inquit*, *eam*, *sive* sinite : *utrumque enim et in græcis et latinis exemplaribus invenitur*; *sed magis congruere videtur sensui cum legitur* sinite, *propter illa quæ pluraliter subsequuntur : pauperes enim semper habetis vobiscum*. Variantes item lectiones alibi observat serm. 12, p. 310 : *Nunc hujus mundi princeps* mittetur deorsum, *sive* expelletur foras, *ut in Græcis exemplaribus legimus*.

[b] Restituimus lectionem subsidio cod. Urb. cui suffragatur etiam liber Pantagathi. Uterque Vat. habet : *ut ab adversante Judæ contumelia temperetur*; quæ quidem, licet mendo non vacent, tamen emendationem nostram nonnihil confirmant. Deterior est cæteris vulgata lectio in editis, *ut adversantis Judæ contumeliam temperet*.

[c] Ita unus ex Vatt.; alter, *si qui vellent*, cui consentit Urb. et cod. Pantagathi. Editi, *si quid vellent*.

[d] Deest vox *jam* in editis, eamque supplevimus ex quatuor mss. quibus consentit etiam liber Pantagathi.

[e] Aptior visa est lectio utriusque Vat. cod. quam substituimus vulgatæ, quæ habebat *avari fraudatoris affectu*. Illud enim quod statim sequitur *crimen videlicet proprium*, magis cohæret. Etiam cod. Pantagathi habet *avari fraudatoris affectum*; et paulo post ubi vulgata exemplaria legunt *sepulturæ Christi pretium in propria ardebat lucra convertere*, idem liber *in propria trahebat lucra*; quod scriptum est ad oram paginæ manu ipsius Pantagathi, cum in textu, omissis quæ sequuntur, hæc tantum occurrerent *sepulturæ Christi pretium in propria ardebat lucra*.

D [f] Cusi legebant *rapiendus est*; sed Vatt. duo, et Urb. *rapiendus ad inferni supplicia*; liber Pantagathi *rapiendus ad inferna supplicia*. De eo quod hic ait Gaudentius de Juda, nempe quod *mortem debitam laqueo sibimet intulit præparato*; videnda Jacobi Perizonii erudita dissertatio de morte Judæ edita Lugd. Bat. anno 1702.

[g] Et hic quoque pro *unguentum illud* a Gaudentio conscriptum fuisse *myrum*, seu *myron illud*, ex consensu mss. codd. valde conjicimus. Nam Flor. et Urb. legunt *quod autem myron illud*. Vatt. vero *quod autem myron illud*; cod. Pantagathi *mirum illud*, quod ad oram libri, ipsius Pantagathi manu ita reformatum est : *μύρον, unguentum*. Itaque *unguentum*, ut suspicor, glossema est ab indoctis librariis in textum ejecta vera lectione inductum. Ex hoc repetito vocis hujus apud Gaudentium usu, alterius loci emendandi indicium avide arripuimus in sermone de Petro et Paulo.

[h] Ita mss. quatuor codd. quorum lectionem se-

sine ullo peccamine habuisset infensum. Nihil ergo acerbum Christus voluit pro merito sceleratæ mentis illius loqui, ne Judas eum tradere videretur iratus. Vult enim Dominus vere justus judex, ut meriti proprii sibi sit causa unusquisque : vult et justum pro sola justitia pati : vult et iniquum, si in **316** malitia perduraverit, reum mortis proprio arbitrio judicari. Figuravit enim Deus hominem, ut Scriptura testatur (*Gen.* I, 26), et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum, et dimisit eum in manu consilii sui. Posuit ante eum ignem, et aquam, dicens : *Ad quod volueris, extende manum tuam* (*Eccli.* XV). Posuit, inquit, ante hominem Deus aquam, et ignem, id est refrigerium, et pœnam; remissionem, et supplicium; vitam, et mortem. Quis, oro, non refugiat supplicium, pœnam, et mortem; et eligat refrigerium, remissionem, ac vitam? Sed ille fugit mortem qui per itinera graditur vitalium mandatorum; ille donum percipit vitæ [a] qui per laborem spiritualium studiorum mortales actus evitat. Ideoque dictum est : *Ecce aqua, et ignis : ad quod volueris, extende manum tuam* (*Eccli.* XV); hoc est opus tuum. In manu quippe opera demonstrantur, quia nec tormentis subjici sine crimine possumus, nec præmium sine certa-

A mine promereri; dicente Apostolo : *Numquid injustus Deus, qui infert iram* (*Rom.* III)? et iterum : *Quoniam non coronatur quis in agone contendens, nisi legitime certaverit* (II *Tim.* II). Certamen nostrum contra vitia carnis est, contra cupiditatem pecuniæ, contra animi iracundiam : quæ sunt arma diaboli, quibus resistendum est utique galea fidei, lorica continentiæ, misericordiæ clypeo, *in quo possimus*, ut ait Apostolus, *omnia jacula nequissimi candentia exstinguere* (*Ephes.* VI). Etenim [b] *sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna resistit peccato* (*Eccli.* III, 33), id est, sicut aqua baptismi salutaris exstinguit flammam gehennæ per gratiam, ita eleemosynarum fluvio omnis ille coacervatus post acceptam fidem, peccatorum ignis exstinguitur; si tamen post B conversionem, non iterum renovatis criminibus inardescat. Is enim qui eleemosynis remedium peccatorum pœnitens quærit, [c] debet jam non agere pœnitenda, ne quod uno latere exstinguitur, alio succendatur. Fluvium diximus eleemosynarum, ut largitatem donandi sentires : [d] sed rarus quisque est qui vel rorem spargat **317** eleemosynæ suo refrigerio profuturum. [e] Egreditur de ecclesia Christianus, et surdis auribus precantem pauperem præterit. [f] Ita nos Deus

culi sumus; respondet enim apprime quod præcedit, *putaretur forsitan injuste correptus*. Editi habent: *atque hinc iracundia ejus tantam concepisse causam*, male. Invenerunt fortasse librarii, ubi linea desinit, *atque hinc iracundiæ jus*, ex quo fecerunt *iracundia ejus*; *tam* vero, quod in principio sequentis positum erat, congeminantes, fecerunt *tantam*. Cod. Pantagathi legit *atque hinc iracundiæ justam concepisse causam*.

[a] Sic Flor., Urb. et liber Pantagathi. In Vatt. vero, *qui pro labore*. Editi legebant *qui per laborem spiritus mortalium studiorum*.

[b] Locus iste a Dupinio non satis recte acceptus est, quippe qui eum sic Gallice interpretatur : *Il exhorte à l'aumône, qu'il ne feint point de comparer au Baptême, en disant que comme l'eau du Baptême éteint le feu d'enfer, de même l'abondance des aumônes éteint le feu de la cupidité, qui reste après le Baptême; ou du moins empêche qu'il ne s'enflamme.* Prorsus male. Gaudentius ait : *peccatorum ignis exstinguitur, si tamen post conversionem, non iterum renovatis criminibus inardescat*; at Dupinius non est assecutus.

[c] Editio Lugdun. fœdissime corrupta, *debet jam non agere pœnitentiam*; at cod. Pantagathi una cum aliis mss. et editionibus, *debet jam non agere pœnitenda*.

[d] Sic Vatt. duo, quorum lectio hoc loco cæteris visa est emendatior. Cod. Pantagathi legebat, *sed carnis quisque est*, pessime quidem; at in margine repositum fuerat *quotus* pro *carnis*, ut haberet *sed quotus quisque est*, apposita interrogatione in fine commatis, quæ sane lectio toti huic loco optime congruit. Editio Col. et Lugd., *sed rarus qui es;* Paris., *sed rarus quis est*. Consentiunt vero tres editiones in aliud mendum, legentes *suo refrigerio profuturo*, quod emendavimus ex duobus Vatt.

[e] Mss. quatuor codd. legunt : *Egreditur de ecclesia Christianus, si tamen Christianus*; quæ fortasse germana est lectio, eamque ostendit etiam liber Pantagathi. Simile habet Cyprianus in eodem argumento de opere et eleemos.: *Quid facit in domo Dei perfidum pectus? Quid? qui Christo omnino non credit appellatur et dicitur Christianus? Pharisæi tibi magis congruit nomen.*

Habes hinc quo antiquum Ecclesiæ morem confirmes, cum pauperes stipem accepturi, pro templorum foribus adstabant. Joan. Chrysost., hom. 28, ad populum Antiochenum, Bernardo Brixiano inter- C prete : *Propterea ante ecclesias, et martyrum monumenta, pro foribus pauperes sedent, ut nos ex hujusmodi spectaculo multum capiamus utilitatis*; et in I ad Cor. XII, hom. 30, Germano Brixio interprete : *Quid est enim vilius et abjectius mendicantibus? sed tamen ii quoque usum maximum implent in ecclesiis, affixi portis templi*. Vulgatum est illud Act. III, 2, de claudo, quem ponebant quotidie πρὸς τὴν θύραν τοῦ ἱεροῦ, *ad portam templi, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus :* hic autem mos custoditus est recentioribus etiam sæculis, ut habet concilium Bituricense anni 1585, tit. 9 : *Curabunt custodes ecclesiarum, ne mendici per ecclesiam vagentur, aut chorum introeant prætextu eleemosynæ petendæ, divini officii, vel concionis tempore; sed in foribus ecclesiarum eleemosynas exspectent*. Exstat Pii V, pontificis maximi, constit. v, *Cum primum*, edita anno 1566, qua pauperes stipem petentes ab ecclesiarum septis arcet.

[f] Tempora hæc bellorum calamitatibus plena D erant, quibus orbis Romanus premebatur. Hieron. Epitaph. Nepot. : *Horret animus temporum nostrorum ruinas persequi. Viginti et eo amplius anni sunt, quod inter Constantinopolim, et Alpes Julias, quotidie Romanus sanguis effunditur. Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessalonicam, Achaiam, Epiros, Dalmatiam, cunctasque Pannonias, Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni, vastant, trahunt, rapiunt*. Confer Zosim. lib. IV Hist. novæ. Gaudentius Merula, lib. II de Antiquit. Gall. Cisalp. c. 14, postquam recitavit mox allatum Hieronymi locum, hæc subdit : *Miror non adjecisse illum Cisalpinam Galliam, quam a Marcomannis vastatam fuisse, præsertim Insubrum agrum circa Mediolanum, refert Flavius Vopiscus, qui postmodum Aureliano imperante, tanta clade Romanos ad Placentiam affecere, ut pene Romanum solveretur imperium.* Locus Vopisci est in Aureliano, cap. 18;

exaudiet obsecrantes, ita inter pericula imminentium barbarorum, auxilio protegi divino merebimur; scriptum est enim (*Tob.* XII), *bonum esse jejunium cum eleemosyna*. Utrumque fieri oportebat ad indignationem Domini mitigandam. Sed jejunare forsitan non potes, et non potes quia non vis: vel certe esurientibus alimenta largire. Qui tribus horis præter solitum [a] jejunus esse non potes; poteris profecto intelligere, quid patiatur ille qui per inopiam jejunat invitus, quem jejunare tua crudelitas facit, qui largis dapibus saginatus, nec exiguo cibo famem solari cogitas indigentis. Sterilitatem causaris, necessitates prætendis, temporis angustias quereris: turpius illo indigente mendicas; quin potius Deo ingratus existis, dum falso quereris. Sed esto: si sterilitas fuerit, hanc tu solus sentis, quæso, pauper ille non sentit? [b] Quid, quod argentum novum quotidie lucrari moliris? domos marmoribus exstruis? vestes sericas comparas? monilia auro gemmisque pretiosa mercaris? [c] Pudet dicere, pœnitet recordari, quantus numerus rusticorum, de possessionibus prædicta pompa viventium, **318** vel fame sit mortuus, vel eleemosyna Ecclesiæ sustentatus. Proh dirum nefas! mortui sunt homines in quibus omnis census est possidentis: ita nec præsentis temporis utilitatibus consulunt, dum nimia cupiditate cæcati sunt. A nostris ergo incipientes, charissimi, benefaciamus egentibus ac miseris; victum, potum, vestitum indigentibus ministremus, quia operum talium justus retributor est Dominus; qui cum venerit in majestate sua (*Matth.* XXV), regnum cœlorum largietur [d] in parte dextera pro merito constitutis nutritoribus inopum: at e contrario inhumanos, atque impios æternis decernet ignibus concremari, seipsum dicens in pauperibus vel pietate fotum, vel crudelitate neglectum. Tantus erga pauperes suos nostri Salvatoris affectus est. Studeamus ergo diligere et in pauperibus Christum, qui nos dilexit per omnia; et qui tamquam bonus pastor, animam suam posuit pro ovibus suis (*Joan.* X). Sed si explanare cœpero, quibus officiis dilectionem tuam circa Dominum probes, nescio utrum me ipsum loquentem diligas, nescio utrum me libenter audias: nisi si forte ita religiosus es, ut sicut lætabaris paulo ante in divinis beneficiis, sic [e] etiam præceptis ejus parere desideres, et amplectaris discere, quæ sint exercenda erga Deum dilectionis officia. Ipse Dominus loquitur, qualis amor esse in eum debeat uniuscujusque credentis. *Qui habet præcepta mea*, inquit, *et servat ea, ille est qui diligit me* (*Joan.* XIV). Perfecte enim ille diligit Deum [f] qui præcepta ejus vel habet in corde, vel custodit in opere. Nam qui perfunctoria confessione, ore tantum refert divina mandata, et ea nec mente retinet, nec factis servat, nequaquam potest hic dicere: *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in consilio justorum*, **319** *et congregatione* (*Ps.* CX); sed necesse est ut cum synagoga populi contemptoris, increpantem Deum audiat per prophetam: *Populus hic me labiis diligit, cor vero eorum longe est a me* (*Is.* XXIX; *Matth.* XV). *Nolite errare; Deus non irridetur* (*Galat.* VI). An existimatis quod Deum diligat tepidus, ac negligens christianus, qui idola in possessionibus suis coli permittit; [g] qui fanum dæmonis, et aram dia-

at turpiter labitur Merula, dum cladem Romano imperio a Marcomannis illatam sub Aureliano, tertio Christi sæculo, a Hieronymo vult recenseri, qui res tantum *viginti annorum*, aut paulo amplius enarrat. Quam vero barbarorum irruptionem potissimum Gaudentius designet, an illam Eugenii, et Arbogastis, qua exstincto Valentiniano in Italiam invaserunt, circa annum 392, an vero aliam Radagaisi, et Alarici, post annum 400, mihi incertum est.

[a] Tres mss. codd. habent *jejunus esse non poteris, intelligis profecto, quid patiatur*. Flor. vero et cod. Pantagathi aliquanto melius, *jejunus esse non poteris, intelligis profecto quid patiatur*.

[b] In ms. Pantagathi deest vox *lucrari*, atque ideo legitur *quid quod argentum novum, quotidie moliris*; et in hac lectione consentiunt una etiam alii mss. codd. ut ineptum illud *lucrari* debeatur tantum editionibus. Respondet quoque optime quod sequitur *domos marmoribus exstruis*.

[c] Insignis Gaudentii locus, a nemine quod sciam hucusque observatus; ex quo satis liquet, peculiarem fuisse eo sæculo Ecclesiæ curam de pauperibus et egenis, cujus argumenti exstat dissertatio Joan. Launoii de cura Ecclesiæ pro miseris et pauperibus, licet in ea posteriorum potius temporum οἰκονομίαν, quam illius ævi disciplinam respiciat. Cyprianus, ep. 7, edit. novissimæ, alias lib. II, ep. 24: *Infirmorum, et omnium pauperum curam peto diligenter habeatis; sed et peregrinis, si qui indigentes fuerint, sumptus suggeratis de quantitate mea propria, quam apud Rogatianum compresbyterum nostrum dimisi; quæ quantitas ne forte jam universa erogata sit, misi eidem per Naricum Acoluthum aliam portionem, ut largius et promptius circa laborantes fiat operatio*. Quænam porro fuerit Ecclesiæ disciplina in hac patrimonii Ecclesiastici dispensatione, ab ejus usque exordio ad imperium Constantini Magni, delineat Thomassinus part. III, lib. II, c. 12, ubi n. 10, ex Justino Martyre, Apolog. 2, indicat *Ecclesiæ præpositum* fuisse *indigentium omnium curatorem*.

[d] Editiones legebant *de parte dextra*, mss. vero *in parte dextera*; quæ fortasse monitio nostri non erat, nisi sedulitas nostra lectoribus fuisset probanda.

[e] Ita Vatt. duo, Urb. et duæ editiones. Paris. autem, *sic etiam in præceptis*, non satis recte; at liber Pantagathi *sic etiam præceptis*. Observanda porro tota hæc Gaudentii præoccupatio, qua auditorem suum mirum in modum benevolum, atque attentum reddit.

[f] Secuti sumus lectionem Flor. cod. cum reliqua exemplaria tam mss. quam edita, nihil sani præferrent, legerentque hoc modo: *qui præcepta ejus vel habet in ore, vel custodit in opere*. Quæ mox subsequuntur: *Nam qui perfunctoria confessione, ore tantum refert divina mandata*, aperte ostendunt veritatem lectionis nostræ; eamque probat cod. quoque Octavii Pantagathi, hoc loco Urbinate et Vatt. præstantior; quin etiam pro *perfecte* paulo ante habet *profecto*.

[g] Reliquiæ igitur Gentilitatis, atque idolorum delubra, Gaudentii ævo, nempe circa A. C. 400, nondum penitus sublata, quod colligitur ex aliis item Gaudentii locis, tr. 8, p. 277: *Fugiamus, obsecro, ab idolis; ne repudiati similiter mereamur audire*; et tr. 4, p. 253: *Vos igitur, neophyti, videte quomodo ab omni pollutione escarum, quas superstitio Gentilis infecerit, vestras animas conservetis*. Exstant celebres Ambrosii ac Symmachi disputationes de ara Victo

boli stare in contumeliam Dei patitur; qui adulteria, et stupra exercere non desinit; qui aliena quotidie rapit, quotidie concupiscit; necare proximum quibuscumque modis gestiens, quo vel voluptatem, vel cupiditatem suam licentius impleat, licet explere non possit? Nam [a] stupri assiduitas luxuriam carnis non cohibet, sed accendit; dicente Propheta: *Omnes fornicantes, velut ardens clibanus corda eorum* (*Osee* VII). Prædatoris quoque rapacitas non comprimit avaritiam, sed irritat; scriptum est enim: *Qui amat pecuniam, non satiabitur pecuniis* (*Eccl.* V). Nec ille Deum diligit qui non miseretur pauperum, in quibus Christus se vel foveri contestatur, vel negligi. *Quod enim non fecistis*, inquit, *uni ex minimis his, nec mihi fecistis* (*Matth.* XXV). Et Joannes apostolus in epistola sua loquitur: *Qui viderit fratrem suum in necessitate constitutum, et clauserit viscera sua ad eum, non est charitas Dei in illo* (I *Joan.* III). Mentitur ergo se amare Christum qui eum in egeno non diligit, qui dilectionem quam promittit verbis, negat operibus. Studeat igitur unusquisque factis misericordiæ approbare quod Deum diligat, ut dilectio Dei mundet eum ab omni peccato. Vis autem nosse, quantum eleemosynæ sublevent onera peccatorum? Audi consilium quod peccatori diviti ingerit propheta Daniel: *Nunc*, inquit, *rex, consilium meum placeat tibi; iniquitates tuas eleemosynis redime, et peccata tua miserationibus pauperum* (*Dan.* IV). Sed forte vel tibi, vel filiis tuis [b] servatum æstimas quod pauperibus negas. Nolo sis tam periculose sollicitus; [c] *nescis enim* **320** *quid pariat subsequens dies*. Deus noster potens est et illis dare, sicut et tibi; quinimmo quidquid largitus pauperibus fueris, et tibi, et tuis liberis contulisti. Deesse nihil poterit eis [d] quibus Christum comparticipem feceris. Novit retribuere qui se in pauperibus testatur accipere. Securus dona; est enim repensor idoneus qui cœlorum regna promittit. Loquitur Scriptura divina: *Conclude eleemosynam in corde pauperis, et ipsa pro te exorabit ad Deum* (*Eccli.* XXIX); hoc est dixisse: vende patrimonium, et eme patrocinium; cujus interventu certus de impetrata venia, venturum Judicem liber merearis aspicere. In Evangelio autem: *Si vis perfectus esse*, ait, *vende omnia tua, et da pauperibus; et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me* (*Matth.* XIX). Si omnia erogare præcipimur, advertamus, quis reatus exspectet eos, atque eas, quibus sericæ, et purpureæ, et auratæ vestes in usu sunt, si nudos qualicumque indumento non texerint. Quædam fœminæ onerant auro, et margaritis, vel sua, vel filiarum membra; et aridis manibus prætereunt inopum precantium turbas. [e] Brutis quoque animalibus, equis, ac mulis, ex argento, et auro [f] subtilia ornamenta componunt; et homini ad imaginem Dei facto vilissima vel vestimenta, vel alimenta non tribuunt. Et existimant se aliquam requiem in die judicii invenire, nisi vel de cætero [g] opera pietatis arripiant? Obsecro vos, misericordes simus in pauperes, ut et ipsi juxta Domini eloquium (*Matth.* V) misericordiam consequamur. Et divites, et mediocres, certatim debent **321** eleemosynas dare pro

riæ, quæ idem manifeste ostendunt; idcirco fit ut omnino se ridendos præbeant Brixiani scriptores, qui jam inde a secundo Christi sæculo totam Brixiæ urbem, sub Apollonio episcopo, ut Ughellus refert, fuisse volunt ad fidem Christi conversam. Gaudentius profecto, Brixianam Ecclesiam a Philastrio prædecessore suo in fide fundatam non obscure dicit in serm. de Ordinat. sui: *Post illam venerandæ memoriæ patris mei Philastrii eruditissimam vocem, quæ per gratiam Spiritus sancti large effluens, hanc Ecclesiam in fide Trinitatis adorandæ fundavit.* Philastrius Brixiæ episcopus fuit circa A. C. 380.

[a] Editi habent *stupri assiduitate*; at Flor. et Vatt. duo, *stupri assiduitas*, prout etiam liber Octavii Pantagathi.

[b] Flor., Vatt. duo et cod. Pantagathi eodem modo, *servare ea æstimas quæ pauperibus negas.*

[c] Cum hoc loco editi constanter annotarent c. VIII Ecclesiastici, deprehendimus mendosam esse citationem, nam ibi hæc tantum habentur: *Coram extraneo ne facias consilium; nescis enim quid pariet.* At Prov. XXVII, Vulgata legit: *Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies.* LXX vero: *Ne glorieris in iis quæ in crastinum; non enim cognoscis quid pariet superveniens dies.* Joan. Chrys. hom. 22, in II Cor. X, interprete Erasmo Roterodamo, sic legit: *Nescis enim quid paritura sit superventura dies.*

[d] Flor. et Urb., *quibus Christum participem feceris.* Vatt. duo, *quibus se Christum participem fecit*; sed neutra lectio tanti est, ut propterea ab editis recedamus. Cod. Pantagathi concinit Florentino et Urbinati.

[e] Mos hic erat nobiliorum feminarum, ut ex notis Claudiani carminibus de zona, et phaleris equi regii, a Serena ad Honorium, et Arcadium Augg. missis, apertum est. Porro notabilis videtur fuisse cultus Brixianarum mulierum, utpote qui luxu et divitiis, cum ipsis reginis certaret. Quod paulo ante dixit Gaudentius: *Quædam feminæ onerant auro et margaritis, vel sua, vel filiarum membra*; ab eodem Claudiano non abludit:

> Frenaque, quæ volucrem Xanthum, Balliumque decerent,
> Æquore quæsitis *onerabat* sedula gemmis.

Similiter Publius Syrus apud Petronium:

> Quo margarita chara tibi, bacca Indica?
> An ut matrona *onerata* phaleris pelagiis...

Et Horatius Epod. 8:

> Nec sit marita quæ rotundioribus
> *Onusta* baccis ambulet.

Zeno Veronensis, serm. 2 de avaritia: *Ancilla Christi falsam idolum recepisti: mihi crede, in te colis, cujus ornatum, cujus imaginem non deponis. Ad Ecclesiam Dei, opere vario totum inaurata corpus, exsecrabili metallo procedis onusta.*

[f] Parva quidem immutatio, sed valde apposita, quam suggerebat hoc loco cod. Pantagathi, pro *subtilia ornamenta* legens *inutilia ornamenta*; sed cum in aliis mss. et editionibus occurrat *subtilia*, mutare nolui.

[g] Et huic quoque loco opem tulit Flor. cod. cum editi pariter ac mss. inepte haberent *operæ pietatis accipiant.* Hier. ad Eustoch., de custodia virginitatis: *Arripe scutum fidei, in quo ignitæ diaboli exstinguuntur sagittæ.* Aug. lib. IX Conf. c. 12: *Psalterium arripuit Evodius*; et lib. VII, c. 21: *Avidissime arripui venerabilem stylum spiritus tui.* Etiam cod. Pantagathi satis recte habet *opera pietatis arripiant.*

viribus: *Nihil enim intulimus in hunc mundum, sed nec auferre aliquid possumus* (I *Tim.* VI). *Nudus exivi*, ait sanctus Job, *de utero matris meæ, nudus iterum revertar in terram* (*Job.* I). Hoc secum quisque portat ex facultatibus quas accepit, quod in opus religionis impenderit, quod pro dilectione Dei fecerit, præceptis ejus obtemperans; dicetur enim in die judicii: [a] *Ecce homo, et opera ejus;* non dicetur: Ecce homo,[b] et potentia ejus, et divitiæ ejus, et hæredes ejus. Opera requirit qui præcepta commisit; misericordiæ repensor est qui docuit pietatem, qui dilectionem sui in præceptorum probari custodia præfinivit. Nam sibi præstitum reputat [c] quidquid egeno præstitum erit. Unde alibi legimus: [d] *Qui miseretur pauperis, Deo fenerat* (*Prov.* XIX). Et plane fenerat; recipiet enim magna pro modicis, et cœlestia pro terrenis ab ipso Dei Filio sempiterno, cujus regnum cum Patre, et cum Spiritu sancto, permanet in omnia sæcula.

SERMO XIV.

DE DIVERSIS CAPITULIS QUARTUS.

[e] *De promissione adventus Paracleti.*

322 Ineffabilis providentia unigeniti filii Dei, veritatem fidei salutaris, quam pariter excipere humana corda non capiunt, paulatim dignatur suis aperire discipulis. [f] Jam de unitate divinitatis suæ cum patre plurima in superioribus dictis docuerat, [g] sicut proximo Tractatu exposui: ostendens intantum nihil divisionis esse inter Patrem, et Filium, ut etiam sermonem suum, quem loqueretur, suum diceret non esse, nisi Patris esset. Dixerat enim: *Et sermo meus, quem audistis, meus non est, sed ejus qui misit me, Patris* (*Joan.* XIV, 24). Quo dicto satis claruit, Patris contemptores esse universos doctrinam Filii unigeniti contemnentes; quoniam quem suum sermonem dicit Filius, hunc suum negat esse nisi sit Patris. Tunc enim Filii sermo est, si Patris sermo est; quia *omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*, inquit (*Joan.* XVI, 15). Et alio in loco ad Patrem dicit: *Quoniam tua omnia mea sunt, et mea tua sunt* (*Joan.* XVII, 10); per unitatem videlicet divinæ substantiæ, quæ nescit aliquid habere suum, quod naturæ suæ non sit. Nunc autem subsequens adjungit statim, eamdem quoque sancti Spiritus unitatem credi oportere, dum plenitudinem doctrinæ suæ [h] per ipsum Paracletum prædicit consummandam, dicens: *Hæc locutus*

[a] Similis omnino est locus Ignatii in epist. ad Smyrnenses: *Consentaneum est ad Deum conversos pœnitere; in inferno enim nullus est qui confitetur. Ecce enim homo, et opera ejus ante faciem illius.* Fortasse tunc temporis obtinebat opinio, verba hæc a Christo Domino fuisse prolata, ut habet Nierembergius de origine sacræ scripturæ lib. XII, c. 15. Eadem porro sententia, *Ecce homo et opera ejus*, in Meditationibus invenitur quæ tum Augustini, tum Bernardi nomine circumferuntur; illius quidem cap. 39, hujus cap. 2: sed in eo falsus est Nierembergius, quod ea putaverit verba esse Christi Domini; procul dubio enim desumpta sunt ex Isaiæ LXII, 11, atque a LXX ita reddita: Ἰδοὺ ὁ Σωτήρ σοι παραγίγονεν, ἔχων τὸν ἑαυτοῦ μισθὸν, καὶ τὸ ἔργον αὐτοῦ πρὸ προσώπου αὐτοῦ, *Ecce Salvator tuus venit, habens mercedem suam secum, et opus tuum ante faciem suam;* de quo videsis Usserium, Prolegom. ad Ignatii epistolas cap. 11, extremo. Epistola autem illa Ignatii, quam laudat Nierembergius, est ex interpolatis apud Cotelerium, pag. 91; nam in epistola genuina ad Smyrnæos testimonium illud propheticum non habetur, quamvis iisdem omnino verbis occurrat etiam apud Clementem Potteri pag. 642.

[b] Exhibuimus bona fide integram lectionem trium mss. codd., nempe duorum Vatt. et Urb. In editis legebatur *et potentia ejus, et hæredes ejus. Operum qui præcepta commisit;* sed manifestus est hiatus culpa librariorum inductus. Flor. cod. sic habet: *et potentia ejus, et hæredes ejus. Opera requirit qui præcepta commisit.* Liber Pantagathi: *et divitiæ ejus, et hæredes ejus. Opera requirit qui præcepta commisit;* ut ex utriusque cod. collatione integram lectionem elicias.

[c] Lectio unius ex Vatt. Cæteri mss. habent *quidquid egeno præstiterit.* Verum facilis fuit lapsus librarii; dum enim incuriose legit quod per compendium fortasse hoc modo scriptum fuerat, *præstit. erit*, ex duobus verbis unum conflavit. Duæ editiones legunt *quidquid egeno præstiteris*, quibus concinit liber Octavii Pantagathi; Colon. vero editio, mendose, *quidquid egeno præsteris.*

[d] Sic Vatt. duo, et Urbinas, itemque cod. Pantagathi. Flor. quoque, sed immutat verbum *pauperis* in *pauperibus.* Editi: *Qui miseretur pauperibus, Deo feneratur; recipiet enim.* Sic etiam Eligius Noviomensis, hom. 11: *Deo enim eleemosynis pauperum feneratur;* at Cyprianus, tract. de Oper. et Eleemosyn. et tract. de Orat. Dom., hoc testimonium sic legit: *Qui miseretur pauperis, Deum fenerat.* Similiter tract. de Habitu virg.: *Patrimonio tuo Deum fenera.* De quibus locis vide Gronov., Observatis ad Eccles. Script. cap. 1. pag. 10.

[e] Titulus hic ita legitur in duobus Vatt. et in libro Pantagathi. Flor. vero sic habet: *Incipit de promissione adventus Paracliti.* Urb.: *De promissione adventus Paracliti.* Editiones: *De promissione Paracleti.*

[f] Sic Vatt. duo, et liber Pantagathi. Editi autem *nam de unitate.*

[g] Nonnullos Gaudentii tractatus intercidisse, apertum fit ex hoc loco non solum, sed etiam initio tract. 11 et 12; nam in quibus ibi innuit, se explanare aliquid promisisse, aut proxime disseruisse, non exstant; quemadmodum etiam illud quod ait Serm. 2, p. 242: *de præcinctione lumborum frequenter* a se *latius dictum* fuisse, nusquam occurrit. Item serm. 13, hæc commemorat: *Disseruimus* (*ut meministis*) *omnem textum lectionis ejus quæ cœnantem describit in Bethania Dominum, explanantes discubitum Lazari, rationem loci, et temporis, Marthæ ministerium, sororis ejus obsequium, unguenti virtutem, rationemque crinium quibus Maria pretioso myro unctos Christi tersit pedes.* Cuncta hæc pariter in præsens a nobis desiderantur; prout etiam quæ tract. 8, p. 274, explicasse indicat his verbis: *His cohærent ea quæ suo in loco, ut meminit dilectio vestra, minutatim disserui, ubi confestim Dominus legatos Gentium gratulanter amplectens, et in paucis credentibus fidem prævidens innumerabilium populorum, dixit Apostolis: Venit hora ut glorificetur Filius hominis.* Vide sis annotata ad hunc locum.

[h] Sic editiones; mss. vero *per ipsum Paracletum prædicat consummandam.* Urb. *per ipsum Paraclitum*, idemque codex alibi etiam pro *Paracletus* legit *Paraclitus;* sed utrum *Paracletus* legendum sit, an *Paraclitus*, non satis constat inter eruditos. Exstat de hac re locus Haymonis, Halberstatensis episcopi, super Evangelia Dominicalia dignus plane qui a nobis hic describatur: *Quidam Græcus veniens in palatio regis, cum legeretur illud Evangelium, et diceretur,*

sum **323** *vobis apud vos manens. Paracletus autem ille Spiritus sanctus quem mittet Pater meus in nomine meo, ille vos docebit omnia, et admonebit vos omnia quæ ego dixi vobis* (*Joan.* XIV, 25). Prænuntiare quidem beatis Apostolis eloquio isto dignatus est et suum post incumbentem Passionem ad cœlos regressum, et sancti Spiritus super eos de cœlis adventum, cum dicit: *Hæc locutus sum vobis apud vos manens. Paracletus autem ille Spiritus sanctus quem mittet Pater meus.* Sed neque Spiritus sanctus in cœlo erat solum, et in terra non erat; neque Filius ita cœlos ascensurus erat, ut terras relinqueret; neque Pater tantum cœlestem thronum possidet, ubi remeare Filius, et [a] unde sanctus venire Spiritus perhibetur. Nam propheta beatissimus hujusmodi confessionem refert ad Patrem: *Quo ibo*, inquit, *a Spiritu tuo?* [b] *et a facie tua quo vadam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas in directum, et habitavero in postremo maris* (*Ps.* CXXXVIII). *Si sumpsero*, inquit, *pennas meas*, etc. Bene quod pennas suas habet, quibus assumptis, quocumque desiderat, penetrat. Cæterum qualiter propheta in corpore constitutus, vel in cœlum ascensurus erat, vel in infernum descensurus, vel trans ultima maria perrecturus? Quas tandem, quas habet pennas? Alas fidei mens credentis assumit, [c] ut sublimior a terrenis, et totus in spiritu constitutus, *possit comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, et latitudo, et altitudo, et profundum scientiæ Dei* (*Ephes.* III). Istas fidei alas hæretici non habentes, de Deo disputant, et per terrena volvuntur; et a sublimitate divini intellectus ad caduca, atque carnalia deducuntur, cogitationum terrestrium [d] pondere prægravati. Nec ad notitiam possunt illius immensæ divinitatis accedere, ubi non habet nisi sola mens fidelis accessum, quæ adorandæ Trinitatis unitatem sentit, credit, confitetur, ac prædicat; et quoniam digne exprimere non potest, in eo vel maxime gloriatur. *Quo ergo ibo*, inquit, *a Spiritu tuo? et a facie tua quo vadam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas in directum* [e] *et habitabo in postremo maris: etenim illic manus* **324** *tua tenebit me, et deducet me dextera tua* (*Ps.* CXXXVIII). [f] Indivisam Trinitatis naturam confessio ista signavit. *Quo ibo*, inquit, *a spiritu tuo?* ipso nempe Paracleto, cujus plenitudinem sumentes Apostoli, promissionem Dei fatentur impletam Petri ore testantis: *Hoc est quod dictum est per Joel prophetam: In novissimis diebus (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo super omnem carnem* (*Act.* II, *Joel* II). *Et a facie tua quo vadam* (*Ps.* CXXXVIII)? A Filio scilicet, qui facies Patris est; quoniam Pater videtur in Filio, juxta ipsius Domini Salvatoris sententiam, qui obsecranti Philippo, *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis*, ita respondit: *Tanto tempore sum vobiscum: et non agnovistis me? Philippe, qui vidit me, videt et Patrem meum. Quomodo tu dicis: ostende nobis Patrem? Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est* (*Joan.* XIV)? Ne vero divisus putaretur vel Spiritus sanctus a Patre, cujus Spiritus est, vel Filius ab eo crederetur sejunctus, cujus et facies, et dextera, et sapientia, et virtus est; non ait: *Si ascendero in cœlum, Spiritus tuus illic est;* vel, *facies tua, et Spiritus tuus illic sunt:* sed, *tu*, inquit, *illic es:* cum Filio utique, et cum Spiritu sancto; quoniam Trinitatis adorandæ una eademque divinitas semper ubique est. Sed ut Patris, et Filii, et Spiritus sancti, una traderetur credentibus fides, et distincta confessio, propterea Pater et Filium mittere, et Spiritum sanctum scribitur

Paraclitus; *dixit:* Paracletus *deberet dici. Tamen nos non audemus illud mutare, ex consuetudine. Paraclitus* barbare dici vult Scaliger l. I de causis L. L. c. 26, quamvis hanc vocem tueri conetur Joannes Baptista Thiersius, dissert. de retinenda voce *Paraclitus;* at *Paracletum* penultima longa omnino dici debere, contendit Quintianus Stoa, municeps noster, Epographia 4, cap. 4, p. 276, edit. Venetæ 1568, apud Hieronymum Scotum. Cod. Octavii Pantagathi constanter habet *Paracletus, Paracletum, Paracleto.*

[a] Sic Parisiensis editio, et liber Pantagathi. Vatt. codd. autem: *unde Spiritus venire sanctus perhibetur.* Duæ aliæ editiones vitiose: *unde sanctus venire Spiritus prohibetur.*

[b] Florentinus, Vatt. duo et liber Pantagathi, *a facie tua quo fugiam?* Constat ex hoc loco, aliisque non paucis, Gaudentium peculiari aliqua Versione usum fuisse, nisi forte ea fuit antiqua Itala, cum eorum quæ profert, sæpe numero aut nulla, aut exigua admodum vestigia in Vulgata, vel in LXX interpretatione deprehendamus.

[c] Depravatissime editi legebant *ut sublimiora terrenis, ut totus in spiritu*, quod σφάλμα emendavimus ex duobus Vatt. quibus suffragatur etiam scriptura cod. Octavii Pantagathi.

[d] Sic Flor. et Vatt. duo. In editis, *pondere gravati.*

[e] Uterque Vat., *et habitavero in extrema maris;* Flor., *et habitabo in postrema maris.* Liber Pantagathi, *et habitavero in postrema maris.*

[f] Restituendæ lectioni nullum subsidium ferebant codd. cum tamen in editis manifestum esset mendum, ubi pro *indivisam* habetur *indivulsam;* itaque vocem hanc tuto ejecimus. Cod. Urb. legit *invulsam Trinitatis naturam*, nullo sensu: at cod. Pantagathi, qui unus hoc loco sanus est, *indivisam Trinitatis naturam;* quare et aliorum librorum vitio medetur, et conjecturam nostram in priori Gaudentii editione vulgatam egregie confirmat. Porro quamvis scirem inveniri apud Macrob. lib. I Sat. c. 11, *indivulsus comes*, non propterea credideram, hac vocis novitate Gaudentium de Trinitate loquentem uti voluisse. Emendationem præterea nostram adhuc magis indubitatam reddebat quod paulo post sequitur: *Ne vero divisus putaretur vel Spiritus sanctus a Patre, vel Filius ab eo crederetur sejunctus*, Vigilius Tapsensis, lib. V de Trin., *Inenarrabilis plenitudo substantiæ* indivisæ *Trinitatis.* Tertullianus pariter, advers. Praxeam cap. 8: *Radix, et frutex duæ res sunt, sed conjunctæ. Et fons, et flumen duæ species sunt, sed* indivisæ. Et paulo post: *Ecce enim dico alium esse Patrem, et alium Filium, et alium Spiritum: non tamen diversitate alium Filium a Patre, sed distributione; nec* divisione *alium, sed distinctione.*

cum neque qui mittit, neque qui mittitur, Deus credi possit, si in quodam loco est, [a] et in quodam loco non est. Ipsi Filio credamus loquenti, qui veritas est: *Non sum solus*, inquit, *quia Pater mecum est* (*Joan.* VIII). Et iterum de Spiritu sancto: *Si ego*, inquit, *in Spiritu Dei ejicio dæmonia* (*Matth.* XII, 28). Et Evangelista Lucas: *Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est ab Jordane* (*Luc.* IV). Cum igitur nusquam desit divinitas Trinitatis, dispensatio salutis nostræ est, quod mittens prædicatur, et missus. Aliter enim credere mens humana non caperet, Patrem Patrem esse, et **325** Filium Filium, et Spiritum sanctum Spiritum sanctum, nisi distinctionem disceret ex nuncupatione mittentis ac missi. Et rursus unam divinitatem non agnosceret Patris, et Filii, et Spiritus sancti, nisi missum legeret a mittente nullatenus separari. Nam nec Pater (ut prædictum est) missum deseruit Filium; nec Spiritus sanctus, qui dirigendus erat Apostolis, umquam Patri ac Filio defuisse monstratur: ita tamen ut Filius Dei tantum fuerit incarnatus. Nam *Verbum caro factum est* (*Joan.* I), ut legimus, non Pater, non Spiritus. Quomodo autem istud Incarnationis mysterium Filius Dei salva unitate Trinitatis impleverit, illa omnipotentia testis est qua idem Dei Filius sic cum corpore suscepti hominis ascendit ad cœlos, ut usque ad finem sæculi cum suis discipulis permaneret. *Ecce enim*, inquit, *ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Usque ad consummationem sæculi*, inquit, *vobiscum sum* (*Matth.* XXVIII): non solum cum Apostolis, [b] sed et cum discipulis utique credentibus universis. Credere itaque nos oportet non aliter esse Deum, [c] quam se ipse proprio sermone revelavit esse credendum. Facta quoque ejus non debemus rebelli spiritu discutere, sed fideli studio admirari, quoniam *rectus est sermo Domini, et omnia opera ejus in fide* (*Ps.* XXXII). Si omnia opera in fide, quanto magis istud opus sacratissimæ incorporationis ejus! Desinamus ergo fide neglecta, contumeliosis quæstionibus divinum pulsare mysterium. Nam scrupulositas hæsitantis, intelligentiam factorum Dei superflua curiositate non invenit, sed fidem perdit, quam constat esse ducem salutis ac vitæ. Quod autem nimia scrupulositas fidem perdat, facile potest ex una specie divinæ operationis intelligi: *Dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux* (*Gen.* I). Cum non assequar, qualiter eam Creator ejus ex nihilo fecerit, nisi credidero tamen, et confessus fuero eam factam, mendacem Deum sacrilega cunctatione pronuntio. Universa itaque opera ejus, [d] et præcipuum, divinumque opus Incarnationis Filii Dei (sicut Scripturæ sanctæ prædicant) fideli affectu mens debet uniuscujusque credentis excipere, et quod stabili corde crediderit, fido oris obsequio confiteri; *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem* (*Rom.* X). Quod vero plenitudinem doctrinæ suæ per sanctum pollicetur Spiritum retribuendam, [e] æqualem suæ omnipotentiæ **326** eum credi voluit. Non est enim in Trinitate Dominus, et servus; Deus, et Angelus; Creator, et creatura: sed est aliud idem; [f] aliud persona, idem natura; ac proinde non dii, sed Deus, quia divisionem non capit unitas Deitatis. Ait denique ibi Christus de Spiritu sancto: *Quem mittet Pater in nomine meo* (*Joan.* XIV); id est in Dei nomine, Deum scilicet, sicut Filium, profitendum. Et ideo Filius Dei de se quidem dicit: *Ego veni in nomine Patris mei* (*Joan.* V, 43); quod et Propheta de illo prædixerat, et pueri in Evangelio laudantes probaverant, dum clamarent: *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Matth.* XXI). Recte *in nomine Domini*; non in nomine servi, quia Deus: non in suo, quia Filius: nomen enim Patris in Filio. De se ergo, inquam, dicit Filius: *Ego veni in nomine Patris* (*Joan.* V). De sancto autem Spiritu dicit: *Quem mittet Pater meus in nomine meo* (*Joan.* XIV). Et cum Baptismi opus in Trinitate decerneret celebrandum, non ait *in nominibus*, sed *in nomine* (*Matth.* XXVIII). Pater enim Deus est, et Filius Deus est, et Spiritus sanctus Deus est, sicut sanctarum Scripturarum testimoniis dilectioni vestræ sæpius approbavi; ac propterea unum Trinitatis est nomen, cujus una virtus, atque divinitas, permanet in omnia sæcula. Amen.

SERMO XV.

DE DIVERSIS CAPITULIS QUINTUS.

Die natali Machabæorum [g].

De his beatis Martyribus.

Si quis vestrum, fratres dilectissimi, fortasse mi-

[a] Male prorsus editi, *et in quodam loco non: id est, ipsi Filio credamus*, quare prætulimus lectionem quatuor codd. mss. cum quibus facit etiam liber Octavii Pantagathi.

[b] Ita Flor. et liber Pantagathi. Editi, *sed cum discipulis*.

[c] Vatt. duo, *quam se ipse primo sermone*, sed calami lapsus est. Pantagathus in margine libri sui pro *revelavit*, quod statim sequitur, rescripserat *revelarit*. Porro locus iste Gaudentii, quo nos admonet, Deo esse credendum, factaque ejus rebelli spiritu non esse discutienda, laudatur a Dupinio: quæ quidem Dupinii laus tanto pluris facienda est, quanto eum Gaudentius reprehensorem nactus est magis infensum. Vide quæ diximus in Præfatione.

[d] Sic Vatt. duo, Urb. et liber Pantagathi. Editi, *et præcipuum divinum opus.*

[e] Lectio duorum Vatt. In editis autem, minus recte, *æqualem sua omnipotentia*, quod nullo modo convenire potest. Liber Pantagathi, *æqualem cum suæ omnipotentiæ*; quin etiam pro *retribuendam* quod mox præcedit, aliquanto melius *tribuendam*.

[f] Non modica labe in editis locus iste erat infectus, quem expurgavimus præsidio quatuor mss. codd., in quibus nullo discrimine habetur *aliud persona, idem natura*. Editiones vitiose legebant, *aliud persona. Id enim, natura*. Cod. Pantagathi totum locum sic effert: *sed est aliud, et idem. Aliud persona, idem natura*; ad oram vero paginæ ipsius Pantagathi manu ita scriptum est: *alius et idem; alius persona, idem natura*; quod cæteris quoque prætulerim.

[g] (Titulus *Tractatus ejusdem de Machabæis martyribus die natali eorum* est hic in editione Galeardi,

ratur, Judæos viros supplicia pro Legis præcepto perpessos, nunc a christiana plebe inter sanctos Martyres honorari; is profecto, si omnem sanctæ religionis causam, rationemque cognoverit, intelliget, probabili, ac summo judicio id fuisse a nostris majoribus constitutum. Judæi erant isti ante adventum Domini Salvatoris, sub Lege tantum veteri conversantes; quique cognomentum Machabæorum [a] trahebant ex genere, sicut hodie [b] Aniciorum **327** progenies, vel si qua sunt hujusmodi nuncupationum vocabula, quæ stirpem nobilitatis usurpent, ex divitiarum terrestrium cumulo descendentem; cum vera nobilitas non subsistat ex divitiis, sed cognoscatur in moribus. Quanto enim nobiliores isti septem pueri rege Antiocho! quinimmo [c] quam clara in istis nobilitas fidei, et quam ignobilis in illo, ac pœnalis nota perfidiæ! Isti Deum Patrem colunt, ille diabolum: isti venerantur legem patriam, ille contra Deum rebellans, filium se fatetur esse diaboli. Cogebat enim contra præceptum divinæ Legis, ut suillas carnes comederent (II *Mach.* VII); non dubium quod sacrificio profano pollutas, *coinquinatis enim, et infidelibus nihil mundum* (*Tit.* I). Sed esto (ut quidam volunt) sacrificatæ diabolo carnes illæ non fuerint, [d] quia hoc ipsa scribens historia manifestius non deprompsit; attamen gravissimi erat, extremique delicti, præceptum divinum vel blandientibus præmiis, vel suppliciis cruciantibus temerare. Præceperat Judæis Deus (*Levit.* XI, *Deut.* XIV), [e] ne porcum, cæteraque similia manducarent; [f] et erat hoc duplici de causa, fratres charissimi; sive ut luxuriosus populus flammam carnalium vitiorum calidis carnibus non nutriret, perhibentur enim calorem nimium præstare corporibus; sive ut porcorum more non viverent. Nam sues semper immundi sunt, et de fonte, vel de fluvio exeuntes, iterum volvuntur in cœnum; nec umquam intuentur cœlum, sed prono semper ad terram capite ventri deserviunt. Et idcirco Dominus (*Matth.* VIII) legionem dæmonum in gregem permisit ire porcorum; id est in eorum gregem qui tantum ventris sunt animalia, qui numquam cœlestia intuentur, sed immunditiis semper dediti, et [g] cœno sunt obliti vitiorum. Salubriter ergo **328** Deus vel abstinentiam gulæ, vel continentiam immundarum actionum imperavit; *Lex enim sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum* (*Rom.* VII). [h] Salutaria quippe mandata divina sunt; nam *qui fecerit ea homo, vivet in illis* (*Deut.* IV, 1). Sed finge, nihil noxietatis inesse suillis carnibus, nec ullum fomentum illecebris augere corporeis; [i] quin etiam esse hodie *omnia munda mundis, sanctificata per verbum Dei, et orationem* (*Tit.* I, 15; I *Tim.* IV, 5): præcipientis tamen Dei erat potestas, et auctoritas cogitanda, qui istud jusserat [j] tunc temporis observari. Nemo enim imperantem Dominum, aut sine pœna sui sacri-

qui subjicit notam sequentem). Expressimus titulum hunc ex fide mss. codd. Florentini., Urb. ac duorum Vatt. quibus accedit liber Pantagathi. Editiones vero Colon. et Paris. sic habent: *Tractatus ejusdem de Machabæis Martyribus, et eorum die natali.* Lugdun. hæc tantum: *De Machabæis Martyribus, et eorum die natali.*

[a] Sic mss. In editis mendose *trahant ex genere.*

[b] *Aniciorum* omnino scribendum est, quamvis in mss. legatur *Anitiorum.* Plura autem Aniciorum marmora habes in inscriptionibus Gruterianis pag. CCCLII, CCCLIII, et alibi, in quibus semper constanter legitur *Anicius*, et *Anicia.* Mendose editi *Ariciorum* progenies; quæ si ineptus aliquis ex nostris superiore ætate legisset, non dubitasset hanc item familiam in censum Romanum inferre. Aldus, in Orthograph. pag. 34, *Anicius*, non *Anitius. Lapides Capitolini, et alii*, quos subinde profert. Hieronymus, ad Demetriad. ep. 98, edit. Bened.: *Illustris Anicii sanguinis genus; in quo aut nullus aut rarus est qui non meruerit consulatum.* Duæ Hieronymi editiones Benedictina, et Erasmi, legunt *Anitii sanguinis;* sed fuit mendum typorum.

[c] Hæc est lectio codicis Flor. quæ sanior, ac verior visa est. Numquam enim in animum inducere potui ut probarem lectionem Urbinatis, et Vat. utriusque, in quibus occurrit *quam clara in istis nobilitas Dei*, licet eam retineant tres editiones. Liber quoque Octavii Pantagathi, Florentini lectionem præfert *quam clara in istis nobilitas fidei.*

[d] Sic legunt Vatt. duo, Urb. et cod. Pantagathi. Editio Paris. et Lugd., *quia hoc ipsa scribentis historia.* Colon., minus recte, *qui hoc ipsa scribentis historia.* Intelligit Gaudentius historiam Machabæorum, quæ in Bibliis legitur; nam Josephus, in tractatu de Machabæis, cap. 5, suillas carnes idolis immolatas fuisse asserit: καὶ χρέων ὑείων, καὶ εἰδωλοθύτων, *et suillam carnem, et idolis immolatam.*

[e] Editi habent, *ne porcum, cæteraque illi similia;* sed vox *illi* deest in mss. Interdictum Legis feriebat non solum porcos, et porcis similia, verum etiam plura alia animantia quibus cum porco nihil simile erat. Vide Levit. XI et Deut. XIV. Infra etiam Gaudentius: *Judaico populo abstinentiam vel porcinæ carnis, vel similium quadrupedum, nec non et quorumdam volatilium, atque piscium fuisse indictam.*

[f] Aliter hic mss. legunt; nam Flor. et Urb. habent: *et hoc erat duplicis causæ, fratres;* at Vatt. duo et liber Pantagathi: *et erat hic duplicis causæ fructus;* sed neutram lectionem vulgatæ prætulerim.

[g] Sic Philastrius, cap. 73, de Borborianis loquens: *Hi itaque in cœnum euntes, et inde obliti, de cœno facies, et membra sua deformantes.* Claudianus Mamertus, lib. II de Statu animæ c. 10: *Cur sponsam Christi cœno falsitatis oblinis?* Cicero quoque, lib. III in Verr.: *Omnia cum summo dedecore, ac turpitudine, tum singulari stultitia, atque inhumanitate oblita.* Et V in Verr.: *Nolo eos, judices, sic in hac urbe notatos, ut non cera, sed cœno obliti esse videantur.*

[h] Male editi legunt *salutaria videntur mandata divina sunt;* sed consensus mss., *salutaria quippe mandata divina sunt.*

[i] Sic editi. Vatt. duo, *quoniam sint hodie.* Cod. Flor., *quin sint hodie;* at in libro Pantagathi *quoniam sunt hodie.*

[j] *Tunc temporis* habet Gaudentius etiam supra, tract. 11, p. 303: *Hæc nomina usitata erant in populo Judæorum tunc temporis de Christo;* et tract. 6, p. 260: *In nobis completa sunt quæ tunc temporis umbraliter contingebant;* fortasse etiam alibi. Philastrius eamdem formulam frequenter usurpat, p. 117: *necessitate urgente tunc temporis;* p. 121: *in Salem civitate tunc temporis ita nominata;* p. 77: *Apostolos, atque Gentes credentes tunc temporis in Christum Dominum Salvatorem.* Quamvis porro hic loquendi modus alicui barbariem sapere visus sit, invenitur nihilominus etiam apud Justinum, l. 1, c. 4, *Ex gente obscura tunc temporis Persarum.*

legii discutit, aut impune contemnit. Nam neque in A illa arbore inesse malum potuit quam inter cæteras arbores Paradisi bonus Creator plantaverat; cujus fructus ita erat speciosus, ac dulcis, ut concupiscentiam præstaret oculis, gulæ conciliaret illecebram. Scriptum est enim: *Et vidit mulier fructum ligni, quia gratus est ad aspectum, et dulcis ad escam: et accepit, et manducavit, et dedit viro suo* (*Gen.* III). Sed si forte dixeris, non omne quod gratum videtur, et dulce, bonum quoque esse, quia sint aliqua etiam mala, quæ grata videantur, et dulcia; [a] cedo, acquiesco, consentio. *Mel* enim *distillat*, ut ait Scriptura, *a labiis mulieris meretricis, quæ ad tempus* [b] *impinguat fauces suas*; *novissimum autem amarius felle invenies, et acutius gladio utraque parte acuto* (*Prov.* V). Et certe malum nihil est vel in specie, B vel in sexu mulieris; sed est utique malum [c] in voluntate peccantis, et per intemperantiam concupiscentiæ transgredientis a legitimo jure conjugii. Nam et vini natura cum bona sit, recte tamen damnatur ebrietas. Audi modo generalem de creatis omnibus, divinæ Scripturæ sententiam: *Et vidit Deus omnia quæ fecit*, [d] *et ecce bona valde* (*Gen.* I). Tamen quia veritatis ratio postulabat, [e] ut servilis humana conditio legem Dei dominantis acciperet; proprii arbitrii libertati permissa, **329** unam Deus elegit arborem de omnibus lignis paradisi, non utique malam, sed [f] in qua esse scientia boni et mali videretur; in qua servorum suorum obedientiam pertentaret, ut libertas arbitrii [g] vel immortalitatis præmium possideret obediens, vel C contemnens exciperet mortis interminatæ sententiam. Manducavit homo, quia voluit: mandatum non custodivit, quia noluit: morte mulctatur, [h] quia mandatum servare potuit et non studuit. Arbor quidem bona, et fructus quidem bonus; sed prævaricatio mandati mala, et contemptus Dei malus: atque ita malum non in fetu arboris est, [i] sed in voluntate hominis transgressoris. Igitur si unius arbusculæ fructus, contra Dei mandatum temere a protoplastis degustatus, mortem generi acquisivit humano, potuit et Machabæis tunc sub Lege positis interitum parare, mandati divini transgressio; quibus nunc honorem, et gloriam, præcepti ejus custodia comparavit, fidem Dei in ipso viriliter, constanterque servantibus. Nam fidem Dei servat qui mandati ejus jura non violat; quoniam non idcirco illi manducare illicita noluerunt, quod horrorem paterentur in specie, sed contumeliam facere prohibenti Deo, justissime formidarunt. *Qui in modico fidelis est*, ait Dominus, *et in magno fidelis est* (*Luc.* XVI). In magno fuerunt isti fideles, [j] cum idolothyta inter supplicia respuerunt: in parvo fuerunt fideles, cum solum ut carnes prohibitas non comederent, suas potius devorandas suppliciis tradiderunt. Insignior fides est quæ nec in modicis violatur. Formam tolerantiæ præbuerunt isti beatissimi fratres futuris post passionem Christi martyribus, ut intelligant, [k] quanta animi magnitudine, et constantia pro Redemptoris nomine dimicare debeant, pro cujus mandato tam pertinaciter [l] ipsi certassent. Nemini **330** absurdum videatur quod eos paulo ante Aniciis comparavi. [m] Anicii quippe ex Græco sermone a nobis nuncupantur invicti. Exercuit enim varia suppliciorum genera in eorum corporibus crudelissimi tyranni feritas: et cum non valuisset constantiam fidei in sex fratribus [n] atrocitate supplicii superare callidus persecutor, in septimo, quia esset junior, ad

[a] Sic. Paris. editio, et mss. quatuor, quibus consentit liber Pantagathi. Aliæ duæ editiones, *credo*, *acquiesco*.

[b] Sic editi. Mss. vero, *impinguat fauces tuas*, *novissime autem*.

[c] Cod. Urb., *in voluptate peccantis*, sed minus recte; et ita legitur etiam in cod. Octavii Pantagathi; at Gaudentius, eodem modo paulo infra: *Malum non in fetu arboris est, sed in voluntate hominis transgressoris*.

[d] Lugd. editio, *et erant bona valde*.

[e] Ita locum istum reformandum putavimus, cum D legerent duæ editiones, *et servilis humana conditio legem Dei dominantis acceperat*. Lugd. autem, *legem Dei damnantis acceperat*; at Flor., *legem Dei damnantis acciperet*. Alii tres mss., *et servilis humana conditio legem Dei dominantis acciperet*; deinde, male, *proprii arbitrii libertate permissa*. Nos autem, *proprii arbitrii libertati permissa*, quod ab editis acceptum libenter retinuimus. Liber Pantagathi sic habet: *ut servilis humana conditio legem Dei dominantis acciperet proprii arbitrii libertate permissa*. Facilis librariorum lapsus scribentium *libertate* pro *libertati*.

[f] Vatt. duo, *sed in qua esset scientia boni, et mali, videlicet in qua*; et eadem lectio apparet in libro Pantagathi; Urb. vero, *sed in qua esse scientia boni, et mali, videlicet in qua*. Lectionem editorum retinu mus.

Lectio Urbin. Cæteri tam mss. quam editi, *vel immortalis præmium*; at cod. Pantagathi, *vel immortalitatis præmium*.

[h] In quatuor mss. et in libro Pantagathi, *quia præceptum servare*; et paulo post, *et fructus ejus bonus*, ubi editi legunt, *et fructus quidem bonus*. Præceptum non comedendi de ligno scientiæ boni et mali vocatur a Gaudentio *mandatum* non solum hic, sed etiam tract. 10, p. 298, ubi expresse dicitur *lex mandati*. Vide annotata nostra in eum locum.

[i] Flor., Urb. et liber Pantagathi, *sed in voluntate est hominis*; et paulo post in eodem libro, *interitum parere*, ubi *interitum parare* legitur in editis et Vatt. duobus.

[j] Mss. quatuor codd. eodem modo legunt *si carnes idolothytas inter supplicia respuerunt*; quæ profecto aptior lectio videtur, ut respondeat quod mox subdit, *carnes prohibitas*; comparat enim prohibitum idolothyto, atque idolothyto vesci gravius esse infert. Vide sup. in notis ad tr. 9, p. 283. Cod. Pantagathi habet: *si carnes idolothytas*; deinde *in parvo fuerunt fideles, si carnes solum prohibitas ne comederent*, quæ lectio est etiam in aliis quatuor mss.

[k] In quatuor mss. *quanto nisu pro Redemptoris*, prout etiam in libro Pantagathi.

[l] Sic mss. quatuor et liber Pantagathi. Editi vero, *tam pertinaciter certassent*.

[m] Græce enim 'Ανίκητος, *invictus*, ab α et νικάω, id est *vinco*, *supero*. Hesiodus, Theog. 489, ἀνίκητος, καὶ ἀκηδής, *invictus et securus*. Vetus inscriptio apud Reines., class. I, n. 49: ΗΛΙΩ ΑΝΙΚΗΤΩ ΕΥΧΗΝ. *Soli Invicto votum*.

[n] Vatt. duo et Flor., *atrocitate cruciatuum*, quam lectionem habet etiam cod. Pantagathi; et paulo

blandimentorum sese tormenta convertit; divitiarum præmiis, et honorum promissionibus puerum torquens, quem tamen detorquere non potuit. Erat enim fratrum suorum frater; et filius matris illius quæ dum singulos filios pro Dei nomine puniri læta et aspicit, et hortatur, tot martyria pertulit, quot pignora consecravit: [a] septies in propriis passa visceribus, octava et ipsa accessit numero, ad octavum Christi resurrectionis diem cum charis pignoribus occursura. Unde non immerito præsumitur ista mater beatissima, Ecclesiæ sanctæ imaginem [b] præmonstrasse, quæ spirituales Deo filios parere consuevit, nihil de carne et sanguine cogitantes. Jam vero si quis a me superioris disputationis reliquias exigat, inquirens cur illi cibi qui fuerant causa continentiæ in Lege probibiti, non etiam nunc ejusdem rei gratia arceantur, breviter, ut sentio, respondebo. Sic ablatas fuisse de medio, legalium præceptorum multiplices observationes reor, ut generalia præcepta in statu pristino perdurarent. Diximus, pudicitiæ servandæ causa, Judaico populo abstinentiam vel porcinæ carnis, vel similium quadrupedum, nec non et quorumdam volatilium, atque piscium [c] fuisse indictam: adhærentibus licet typis rationabilium figurarum, quas doctor spiritualis propriis quibusque locis singillatim debet exponere: sed quoniam terrenorum mentes, perplexitate multiplicium mandatorum onerari potius, quam instrui videbantur, indefessa et in hac parte erga humanum genus divina providentia, per Prophetam promittitur Isaiam: *Quoniam verbum abbreviatum faciet*, inquit, *Dominus super terram* (*Is.* x, 23). Et idcirco beatus Jacobus cum cæteris Apostolis decretum tale constituit in Ecclesiis observandum: *Ut abstineatis vos*, inquit, A *ab immolatis*, [d] *et a fornicatione, et a sanguine* (*Act.* xv), [e] id est a suffocatis. [f] Prætermiserunt homicidium, **331** adulterium, veneficia; quoniam nec nominari ea in Ecclesiis oporteret quæ legibus etiam Gentilium punirentur: prætermiserunt quoque illas omnes minutias observationum legalium, et sola hæc quæ prædiximus, custodienda sanxerunt, ne vel sacrificatis diabolo cibis profanemur immundis, vel ne emortuo per viscera suffocatorum animalium sanguine polluamur, vel ne immunditiis fornicationum corpora nostra, quæ templa Dei sunt, violemus. Sic ergo permiserunt omnia manducari, ut fornicationem præciperent fugiendam. Nostri jam debet esse moderaminis [g] tantum laxare habenas licentiæ, ne præcipites feramur in luxum, sed B ut pudicitia tuta esse possit, quam beatus Paulus sine circumcisione gulæ sciens custodiri non posse, sic ait: *Omnia quidem munda sunt: et nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: sed malum est homini qui per offensionem manducat* (*Rom.* xiv, 20); [h] id est qui offensionem patitur cum manducat. Et subjecit statim salutare consilium: *Bonum est*, inquit, *non manducare carnem, neque bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur* (*Rom.* xiv, 21). Quis ille conjunctior frater, quam homo noster exterior? cui ne nostra licentia vel offendiculum, vel infirmitatem, vel scandalum pariat, utendum est ciborum licentia, non abutendum; ut sciamus, [i] nos non edendi causa esse natos, sed bene vivendi. Quapropter C imperio animæ carnis conditio obsecundet, ne effrenata licentia, ut ait Salomon (*Proverb.* xxx), servus regnet, et stultus saturetur, et ancilla ejiciat dominam suam, cum Lex præcipiat: *Ejice ancillam*,

supra in eodem libro, pro *tyranni feritas*, *tyranni feralitas;* sed neutro in loco immutare placuit, quamvis *tyranni feralitas* occurrat in Flor. quoque et Vatt. duobus.

[a] Notum est illud Gregorii Magni de beata Felicitate: *Ad pœnam prima venit, sed pervenit octava.* Male editio Lugdun. et Colon., *septies in propriis pascha visceribus*; sed Paris. et mss., *passa*.

[b] Sic Paris. editio, et mss. quatuor cod. Duæ aliæ editiones *demonstrasse;* at *præmonstrasse* præfert etiam liber Pantagathi.

[c] Tres editiones, mendose, *interdictam*. Sed Vatt. duo, et Urb. *indictam;* quod verbum est etiam in libro Pantagathi.

[d] Verba illa, *et a fornicatione*, reddimus ex quatuor mss., quæ ante in editis desiderabantur; eaque suggerit etiam liber Pantagathi., atque omnino hic necessaria esse tum Vulgatæ consensus, tum sequens Gaudentiani sermonis contextus manifeste persuadet.

[e] Hanc Gaudentii lectionem, qua vocem *a sanguine* interpretatur idem esse ac *a suffocatis*, valde illustrat locus Ambrosii in Ep. ad Galat. cap. II: *Tria hæc mandata sophistæ Græcorum non intelligentes, scientes tamen a sanguine abstinendum, adulterarunt Scripturam, quartum mandatum addentes*, et a suffocato *observandum; quod puto nunc Dei nutu intellecturi sunt, quia jam supra dictum erat quod addiderunt.* Confer Irenæum, lib. III, advers. hær. c. 12, editionis Feu-ardentii pag. 188.

[f] Vetus lectio fœde corrupta sic habet: *Præter miserum homicidium*; sed mendum per se manifestum expunximus, freti etiam subsidio mss. Dissentit autem aperte Gaudentius ab eorum sententia qui Apostolicum edictum abstinendi *a sanguine*, de homicidio, ac cæde intelligendum esse contendebant, teste Aug., lib. XXXII contra Faust. cap. 13; nam dicit, ab Apostolis prætermissum fuisse homicidium. Quid vero per illa verba *a sanguine, id est a suffocatis*, intelligendum senserit, statim aperit, subdens: *ne emortuo per viscera suffocatorum animalium sanguine polluamur.* Quo fit ut mirer, Macrium in Hierolexico vocem hanc *suffocato*, hoc loco a Gaudentio pro *sanguinis effusione* acceptam, affirmare potuisse.

D [g] Vatt. duo, et Flor., *intantum laxare*, et paulo post ubi editi habent, *sed ut pudicitia*, sic *sed quoad pudicitia;* cui lectioni consentit etiam Urb. Codex Pantagathi totum locum sic effert: *Nostrum jam debet esse, moderatius intantum laxare habenas licentiæ, nè præcipites feramur in luxum, sed quoad pudicitia tuta esse possit.*

[h] Verba hæc in quatuor mss. desunt; ideo facile suspicor, glossema esse a librariis additum, quod abest etiam a libro Pantagathi.

[i] Flor. cod., *nos non edendi causa esse natos, sed esse vivendi*, cui lectioni favet etiam liber Octavii Pantagathi; editiones autem, *nos non edendi causa esse natos, sed vivendi.* At unus ex Vatt., quem cæteris hoc loco prætulimus, *nos non edendi causa esse natos, sed bene vivendi.* Vox *bene* incuriose a librariis omissa Gaudentium nostrum pene fecerat cum Epicuri scola sentientem; quare omnino erat in textum reducenda.

et filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac (*Gen.* XXI). Ejiciamus ergo ancillam concupiscentiam, et filium ejus peccatum, ut efficiamur hæredes Dei, cohæredes autem Christi, qui lignum 332 crucis suæ propriis portando humeris (*Joan.* XIX, 17) imaginem Passionis, quam sub umbra Legis in sancto Isaac præmonstraverat (*Gen.* II, 6), in veritate hominis suscepti complevit, pretioso sanguine suo vitam nostram redimens ab æternæ mortis exitio. Ipse est enim nostra redemptio, cui omnis honor, virtus, et gloria, cum Patre, et cum Spiritu sancto, per omnia sæcula. Amen.

[a] SERMO XVI.

DE DIVERSIS CAPITULIS SEXTUS.

[b] *In eo quod S. Episcopum prima die ordinationis ipsius quorumdam civium* [c] *notarii exceperunt.*

Imperitiæ meæ conscius, et [d] ætatis ipsius immaturæ ad sacerdotii dignitatem pudore deterritus, merito silendi licentiam a [e] summis sacerdotibus postulabam. Metuo enim primum, [f] ne virtus verborum cœlestium exiguitatis meæ sermone teneetur: deinde erubesco, quod tantæ exspectationi optatum doctrinæ fructum præstare non valeo. Unde imparem me vestro desiderio per omnia sen- A tiens, onus istud totis viribus conatus sum declinare. Sed beatus Pater Ambrosius, cæterique 333 venerandi antistites, sacramento, quo temere vos ipsos obligastis, astricti, tales ad me epistolas cum vestra legatione miserunt, ut sine damno animæ meæ ultra jam resistere non valerem, cui ab Orientalibus quoque episcopis, nisi meum ad vos reditum pollicerer, salutaris communio negaretur. Tali igitur conclusus articulo, et auctoritate Sanctorum præsentium subjugatus, suscepi hoc summi sacerdotii munus, nec merito dignus, [g] nec ætate aptabilis, nec doctrina maturus. Intuemini ergo, quid patiar, qui cum loqui nesciam, tacere non possum. Cogor enim seniorum præcepto obsequi ultra vires meas, nec potestatem silendi habens, [h] nec B facundiam proloquendi. Sed spiritualium Patrum salutaria esse præcepta, divinæ Legis auctoritate perspiciens, audeo in verba prorumpere, ac tenuem vestris auribus inferre sermonem; quem idcirco forsitan patienter accipitis, quoniam populo Christi utile videatur, obedientiam, quæ et sacrificio divino præponitur, et mandatis Dei omnibus anteferetur, exemplo discere prædicantis (I *Reg.* XV). Nam cum populus Hebræorum post Ægyptia illa portenta, ad unius Dei notitiam vocaretur, primam didicit obe-

[a] Sermo iste a Gaudentio coram Ambrosio Mediolanensi antistite habitus est, ut infra patet.

[b] Recte observavit Ferrar., lib. III de Rit. sacr. Eccl. Conc. cap. 12, non solum in ipso primo episcopatus natali die, verum etiam recurrente anniversario, habitas interdum fuisse a priscis Patribus conciones, quod exemplis petitis ex Augustino, C et Leone Magno, luculenter probat.

[c] De Exceptoribus vide quæ tradidimus supra, in Præfat. ad ea verba: *Notariis latenter appositis*, pag. 220.

[d] Disciplina eorum temporum ferebat ut episcopi non nisi matura et provecta jam ætate fierent; quam annorum quinque et quadraginta esse voluit Siricius in epistola Decretali ad Himerium episcopum Tarraconensem c. 9. Plura nihilominus sunt exempla summorum virorum, qui venia annorum accepta, immatura ætate ad episcopatum provecti sunt; idque eorum virtuti datum est, ut legibus solverentur. Euseb., lib. VI Hist. Eccl. c. 30, de Gregorio Thaumaturgo, et Athenodoro, H. Valesio interprete: *Igitur tantopere in divinis eloquiis profecerunt, ut ambo adhuc admodum juvenes, Ecclesiarum in Ponto episcopi fuerint constituti.* Mitto Joannem Chrysostomum, Epiphanium Ticinensem, Remigium. Præsens tractatus insigne nobis exhibet Gaudentianæ modestiæ specimen.

[e] Episcopos olim nonnunquam vocatos fuisse *patres patrum, summos sacerdotes, et episcopos Episcoporum*, pluribus docet Fer. rar. lib. III de antiquo Eccl. epist. genere cap. 1, quo in loco a Baronio dissentit, qui ad A. C. 216, ex Tertulliano affirmavit, ultimum hunc titulum, nempe *Episcopum Episcoporum*, unius Romani pontificis peculiarem fuisse. Quod ad *summi sacerdotis*, vel etiam *summi pontificis* appellationem episcopis olim attributam spectat, confer Bar. ad A. C. 397, num. 61, et in not. ad Mart., 9 Aprilis, quo utroque in loco Gaudentium laudat. Idem Gaudentius episcopos *summos sacerdotes* vocat tract. seq.: *Hodie adepti summorum sacerdotum præsentiam.* Utrumque hunc Gaudentii locum profert Joannes Savaro, not. ad *Concionem* Sidonii Apollinaris lib. VII, ep. 9, sed pro *summorum sacerdotum præsentiam* male reponit *summorum sacerdotum sententiam.* Hic autem obiter monitum lectorem velim, si quid forte hujusmodi in isto sermone occurrat, quo Gaudentius videatur magnifice nimis, ac præclare de Ambrosio loqui; habendam esse rationem eorum temporum, quibus eo Mediolani episcopo constituto, atque Italia, ut ait Hieronymus, ad rectam fidem conversa, egregiis Ambrosii erga Ecclesiam meritis totum id tribuebatur; ut docte notavit cl. vir abbas Benedictus Bacchinius, dissert. de Eccles. Hier. originibus, par. II, pag. 347.

[f] Male editi legebant, *ne via verborum cœlestium;* sed mss. quatuor codd., *ne virtus verborum cœlestium*, quæ lectio apparet etiam in cod. Octavii Pantagathi.

[g] Pari modo Remigius ad Remensem Ecclesiam electus annos natus non amplius quam viginti duos, ætatem opponebat, ut tradit Flodoard. lib. I Hist. Rem. c. 11: *Sanctissimus igitur adolescens his depressus angustiis, quoniam nec fugæ locus ei uspiam patebat, nec populo ut ab intentione cœpta desisteret, ullo modo satisfacere poterat; super ætatis infirmæ cœpit conqueri tempore, et quod Ecclesiastica regula hunc ætatem ad tantam non admitteret dignitatem,* D *voce publica prædicare.* Et Ennodius in vita Epiphanii, eum anno ætatis octavo et vigesimo episcopum ordinatum, presbyteros ac ministros sic alloquentem inducit: *Quamvis me, fratres charissimi, inter primordia immatura titubantem, judicii vestri et susceptæ dignitatis pondus oppresserit.* Verum surda aure hujusmodi querimonias populi præteribant; unde idem Ennodius paulo supra Rustici præclarissimi viri sententiam de Epiphanii ætate refert in hunc modum: *Scimus, et profunda consideratione perspeximus, juvenem istum non oportere pro ætatis immaturitate censeri; nec debere gravis consilii hominibus teneros pro quodam obice annos afferri.* In mss. quatuor codd. legitur *nec ætate aptus*; ut et in libro Pantagathi.

[h] Ita reponendum censuimus ex quatuor mss. codd., ut magis conveniat illud *cum loqui nesciam.* Editi habebant, *nec fiduciam proloquendi*; at cod. Pantagathi, *nec facundiam proloquendi.*

dientiam, tamquam ducem servandorum cœlestium mandatorum. Sic enim Scriptura testatur: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Dominus unus est* (*Deut.* VI). Et iterum: *Audi, Israel, præcepta vitæ* (*Deut.* IV). Hoc quod dicitur, *Audi*, non audientiam, ut opinor, simplicem sonat, sed observandæ Legis obedientiam prædicat, testante rursum Domino, ac dicente: *Si volueritis, et audieritis me, quæ bona sunt terræ manducabitis* (*Is.* I). Quod si secundum beati Pauli apostoli sententiam, *non auditores, sed factores Legis justificabuntur apud Deum* (*Rom.* II); non jam videbitur perfunctoria ista auditio, quæ bonorum terræ præmiis honoratur, et non cujuslibet terræ, sed illius olim promissæ, illius fluentis lac et mel. Promissionis enim terra Christi caro est, ex massa humani generis de terra formati suscepta, ac dulcibus divinæ gratiæ succis exuberans; cujus purissimo doctrinæ lacte alimur et nutrimur; cujus **334** [a] cœlestium charismatum suavitate reficimur; cujus ubertate credentium corda pinguescunt; cujus bonis obedientium mentes, animæque fidelium, et in hoc, et in futuro sæculo [b] saginantur. [c] Quonam ergo hæc spectat tractatio? Nempe ut vestra dilectio evidenter intelligat, quanta vis meam compulerit parvitatem arduis obsecundare præceptis, atque aperire os meum sub tantorum præsentia sacerdotum; et maxime post illam venerandæ memoriæ [d] patris mei Philastrii eruditissimam vocem, [e] quæ per gratiam Spiritus sancti large effluens, hanc Ecclesiam in fide Trinitatis adorandæ fundavit, in vera spe, et charitate perfecta constituit, ad virtutes erexit, in A pace reliquit. Hæc ad excusationem illius, quæ in me reprehendi potuisset, audaciæ, breviter dixisse sufficiat. [f] Nunc vero sanctarum lectionum puteus altus est (*Joan.* IV, 11), et ego hauritorium verbi non habens, aquam vivam sitientibus vobis interim ministrare non possum. Obsecro [g] communem patrem Ambrosium, ut post exiguum rorem sermonis mei, ipse irriget corda vestra divinarum mysteriis litterarum. [h] Loquetur enim Spiritu sancto, quo plenus est, et flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, et tamquam Petri apostoli successor, ipse erit os universorum circumstantium sacerdotum. Nam cum Dominus Jesus [i] interrogaret apostolos: *Vos autem quem me* **335** *esse dicitis* (*Matth.* XVI)? solus Petrus omnium credentium ore respondit: *Tu es Christus Filius* B *Dei vivi*. Quid statim muneris accepit ista confessio? beatitudinem scilicet, regnique cœlestis gloriosissimam potestatem. Solus ergo cum loquitur Petrus, nequaquam reliquorum credentium fides excluditur. Sed congruus ordo servatur, dum principi Apostolorum primus loquendi locus jure defertur; [j] ne tumultus quidam magis quam responsio videretur, si tunc universi certatim ac pariter respondissent. Dicat forte aliquis, sicut illos tres in camino fideles pueros (*Dan.* III), ita in hoc examine omnes Apostolos consona voce debuisse eadem profiteri. Sed considerandum quia Judas ille Iscariotes quod corde non crediderat, ore confiteri non poterat: et neque beatitudinem merebatur incredulus, neque ante diri facinoris perpetrationem, justi Judicis poterat C [k] sententia prædamnari. Postea vero pro commisso

[a] Sic editiones. Vatt. duo, Flor. et cod. Pantagathi, *cœlesti charismatum suavitate*.

[b] Duæ editiones, Col. nempe et Lugd. mendose legunt *signantur*; at Flor. cod., una cum libro Pantagathi aliisque mss. *saginantur*.

[c] Mss. quatuor cod. eodem modo: *Quonam spectat iste tractatus?* iisque concinit liber Pantagathi.

[d] Philastrius Brixianæ Ecclesiæ decus, et Gaudentii antecessor, de quo supra in Præf. ad Benivolum: *Imbutum te admirabilibus doctrinis apostolici per omnia viri patris nostri Philastrii*. Plura de eo, infra, in serm. de Vita Philastrii.

[e] Sic Vatt. duo et liber Pantagathi. Paris. editio, *qua per gratiam Spiritus sancti large effluens*. Colon. vero et Lugdun., *quia per gratiam Spiritus sancti large affluens*.

[f] In mss. legitur: *Nunc quoniam sanctarum lectionum puteus altus est*; deinde *obsecrabo communem patrem Ambrosium*; quæ quidem lectio occurrit etiam in cod. Octavii Pantagathi.

[g] Mos fuit priscis, ut nonnumquam concionantis episcopi, vel presbyteri sermonem, altera adstantis episcopi concio exciperet, quod quidem hoc loco honoris causa Ambrosio, tamquam seniori et digniori, a Gaudentio tributum est. Apud Joan. Chrysost. seu quisquis ejus sermonis auctor sit, hom. de Nativ. Dom., ad II Luc. caput, edit. Basil. 1539, tom. II, p. 848, hæc habes: *Obliti sumus propositum nostrum: plus diximus quam cogitaveramus: aliud mens disputavit, ad aliud lingua prolapsa est. Præparemus igitur aures nostras pontifici, et quidquid a nobis minus dictum est, intentis auribus audiamus*. Et homil. I de Pœnitentia, ad fin., *Restant*, inquit, *plura; sed hæc sobriis ad correctionem sufficiant. Quare necesse orationem supprimere, nam cupio Patris audire vocem: quoniam ipsi quidem pastoralis pueri calamo sibilamus; hic autem veluti musicus optimus auream citharam modulatus, sonorum consonantia universum excitat theatrum*.

[h] Ne cui mirum fortasse videatur, præsentem in concione Ambrosium a Gaudentio laudari, operæ pretium est audire locum Gregorii Nazianzeni Orat. 28, de funere Patris, in qua præsentem Basilium his verbis alloquitur, J. Billio interprete: *Homo Dei, et fidelis serve, et mysteriorum Dei dispensator, et vir spiritualium desideriorum; hoc enim nomine sublimes, et excelsos viros, et supra ea quæ oculis cernuntur, positos, Scriptura vocat*. Et Orat. 16, in electione Eulalii Doarensium antistitis, ad eum conversus sic ait: *At nunc, o pastorum optime, ac perfectissime, ades dum, ac populum tuum nobiscum, et ante nos accipe, quem Spiritus sanctus tibi tradidit, quem offerunt Angeli, quem vita moresque tui tibi commiserunt*. D Præclara est etiam prima Ennodii dictio in Laurentii Mediolanensis episcopi natali cathedræ die habita, qua eum præsentem summis laudibus cumulat. Similia congerit Ferrar. lib. II de Rit. sacr. Eccl. Conc. cap. 6.

[i] Vatt. duo et Flor., *omnes interrogaret Apostolos*; deinde ubi editi habent, *solus Petrus omnium credentium ore*; iidem tres mss. legunt, *solus Petrus credentium ore*; utramque vero hanc lectionem exhibet etiam liber Pantagathi.

[j] Sic editi; in tribus mss. vero, nempe Flor. et Vatt. duobus, *vel ne tumultus quidam magis*.

[k] Sic iidem tres codd. Editi legebant, *sententiis prædamnari*; verum tribus laudatis codd. tam in hac, quam in præcedenti lectione, consentit etiam liber Octavii Pantagathi.

scelere jam damnato Juda, omnes Apostoli[a] Christo surgente, in Petro claves accipiunt; quinimmo cum Petro cœlestis regni claves ab ipso Domino accipiunt, quando ait illis: *Accipite Spiritum sanctum: quorum peccata dimiseritis, dimissa erunt* (*Joan.* xx, 22). Et iterum: *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, et baptizate eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* xxviii). Janua quippe regni cœlorum nonnisi hac Sacramentorum spiritualium clave reseratur. Precentur modo hi omnes apostolici sacerdotes misericordiam Dei Patris, *qui suscitavit de terra inopem, et de stercore erexit pauperem, ut faceret eum sedere*[b] *cum principibus populi sui* (*Ps.* cxii); ut etiam sancti Spiritus virtutem ad Ecclesiæ suæ [c]gubernaculum tenendum mihi minimo omnium largiri dignetur, per unigenitum Filium suum Redemptorem nostrum, cum quo vivit et regnat semper Deus, in unitate Spiritus sancti, ante omnia, et nunc, et semper, et in cuncta sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVII.

DE DIVERSIS CAPITULIS SEPTIMUS.

[d] Die dedicationis basilicæ[e] Concilii Sanctorum.

336 Divinis muneribus, et cœlestibus beneficiis condignas referre gratias pusillitas nostra non prævalet, fratres charissimi. Nam ut venerandas Sanctorum reliquias haberemus, Deus noster tribuit: deinde ut hanc honori eorum fundare basilicam valeremus, ipse largitus est: et hodie ut adepti summorum sacerdotum præsentiam, dedicationem celebrare mereamur, ipse concessit. Convenerunt enim sancti antistites, et apostolici viri, ad persolvendum beatissimis patribus, et præceptoribus suis debitæ devotionis obsequium, ut ubertate plenissima benedictionum spiritualium ditaremur;[f] licet importunitas barbarorum maximam partem celebritatis diei hodierno subtraxerit,[g] ne cæteri sancti antistites, quos interfuturos credidimus, advenirent. Jam qui sunt isti quorum beatis reliquiis illustramur, hinc incipiam numerare. Primo in loco Joannes Baptista est, ultimus quidem, sed maximus Prophetarum: novissimus **337** tempore, quia omnis *Lex, et Prophetæ usque ad Joannem* (*Matth.* xi, 13);[h] sed merito prior, et dignitate præstantior, quia ita de illo Christus loquitur ad Judæos: *Quid existis in deserto videre? Prophetam? dico vobis et plusquam prophetam. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce mitto Angelum meum*[i] *ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam*

[a] Ita in editis habetur; sed mss. quatuor, scilicet Flor., Urb. et Vatt. duo, nullo discrimine legunt *Christo resurgente, Petri claves accipiunt*. quod plane non recte dictum; non enim loquitur Gaudentius de primatu Petri, sed de sacerdotali potestate omnibus Apostolis tradita, ut ex consequentibus liquet. At cum porro statim quod dixerat, hoc modo veluti corrigat, *quinimmo cum Petro cœlestis regni claves ab ipso Domino accipiunt*, potest et lectio mss. non improbari, quibus accedit etiam cod. Pantagathi.

[b] Mss. quatuor codd., *cum principibus, cum his utique principibus populi sui;* quod fortasse a Gaudentio dictum est, ut circumstantes episcopos denotaret.

[c] Vatt. duo et Urbin., *gubernaculum continendum*. Flor., *tenendum*, uti etiam tres editiones.

[d] (Non sic, ut in cæteris titulis, inscribitur in codice Galeardi: hic enim habet *Tractatus ejusdem exceptus die dedicationis basilicæ concilii sanctorum incipit*, subditque notam sequentem). Præclarissimus vir Carolus Majellus, Bibliothecæ Vaticanæ præfectus, cui editio hæc nostra plurimum debet; amice monuit, hanc esse genuinam tituli hujus lectionem, quæ in Vaticanis codd. et Urb. habetur; ideoque editæ præferendam, quæ habet *Die dedicationis basilicæ Sanctorum quadraginta martyrum*. Parui lubens ac volens placito eruditissimi viri; eoque lubentius, quod hanc eamdem lectionem *basilicæ concilii Sanctorum* confirmatam inveni a Flor. cod., eamque omnino esse veram ac legitimam sermonibus hujus inscriptionem, docet idemmet Gaudentius hoc tractatu, ad fin.: *Hanc ipsam basilicam eorum meritis dedicatam*, concilium Sanctorum *nuncupari oportere decernimus*.

[e] *Concilia Sanctorum*, seu *Concilia Martyrum*, dicta fuere loca, illa in quibus multorum martyrum corpora requiescebant; uti ex Molano tradit Baron., in not. ad Martyr., 23 Junii, quo in loco hunc Gaudentii tractatum laudat. Turpiter autem se dedit Octavius Rubeus popularis noster. qui in vita SS. Faustini et Jovitæ, pag. 65, Ecclesiam *Concilii Sanctorum*, hoc nomine appellatam fuisse existimavit, quia in ea fidelium conventus agerentur; cujus profecto appellationis originem, si hunc Gaudentii tractatum legisset, ignorare neutiquam potuisset. Basilica hæc *Concilii Sanctorum*, de qua Gaudentius in præsenti tractatu, Brixiæ amplius non exstat; aut si aliqua alia Ecclesia ejus loco succrevit, nomen non retinet. In catalogo ms. episcoporum Brixiæ, non tamen admodum antiquo, hæc legi: *Gaudentius, qui jacet in ecclesia S. Joannis* deforis Brixiam. *Hæc Ecclesia videtur eadem esse, quæ dicta est etiam basilica, vel ecclesia* Concilii Sanctorum, *fundata et ædificata a Gaudentio, quemadmodum testatur tractatus habitus ab eo in die dedicationis ejus.* Deinde paulo post in *Theophilo* sic habetur: *Theophilus, qui jacet ad* Concilia Sanctorum, *id est in ecclesia S. Joannis* deforis Brixiam, *in capella Capreolorum.* At Florentinius in indice chronologico antistitum Brixianorum, Brixiæ impresso anno 1614, in *Theophilo*, ait: *Meminerunt antiquissimi SS. pontificum fasti, ejus ossa quæ nunc in S. Joannis evangelistæ servantur, jacuisse in ecclesia, quæ* Concilia Sanctorum *dicebatur, cujus memoriam exstinctam dolemus.* Hæc autem latius a me deducuntur in annotationibus ad Martyrologium Brixianum, quæ aliquando Deo dante in lucem prodibunt.

[f] Eam fortasse barbarorum irruptionem vel adhuc impendentem, vel jam factam, designat Gaudentius, de qua supra tract. 13, p. 317: *Ita nos Deus exaudiet obsecrantes; ita inter pericula imminentium barbarorum, auxilio protegi divino merebimur.* Vide quæ ibi annotavimus.

[g] Antiqui moris fuisse tum in Oriente, tum in Occidente, jampridem ætate Constantini Magni, ut dedicationes ecclesiarum et altarium plerumque fierent in conventu episcoporum, qui ea de causa invitari consueverant, observavit Edmundus Martene T. III de antiquis Ecclesiæ Ritibus, lib. II, c. 12, laudatus a cl. v. Francisco Blanchino, qui etiam ad illustrandum hunc morem non pauca de suo præclare addidit Præf. ad Anastasium n. 35.

[h] Mss. tres legunt *sed merito prior, sed dignitate;* et paulo post *existis in desertum;* utramque porro hanc lectionem commendat etiam cod. Octavii Pantagathi.

[i] Verba hæc, *ante faciem tuam*, supplevimus ex mss. cum deessent in editis; eademque habentur in libro quoque Pantagathi.

(*Ibid.*, 8). Uno testimonio Salvatoris beatissimus A Joannes Baptista et angelus, et apostolus, et propheta præcipuus declaratur. Vere enim Dei est angelus, qui præcursor, et nuntius Christi est : vere apostolus est, qui missus a Deo est, destinatus enim nuncupatur apostolus. *Fuit*, inquit, *homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes* (*Joan.* I, 6). Idcirco autem sanctus ipse propheta dicitur, et plusquam propheta, quia Christum et sua, et omnium prophetarum voce prædictum, digito meruit demonstrare ; dicens : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Ibid.*, 29). Post hunc habemus Andream beatissimum, primum Joannis ipsius discipulum, deinde Salvatoris ; quem priorem Christus apostolum scribitur elegisse. *Erat*, inquit, *Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus qui audierant ab Joanne, Ecce Agnus Dei, et secuti erant eum. Invenit hic primum fratrem suum Simonem, et dixit ei : Invenimus Messiam* (*quod est interpretatum Christus*). *Et adduxit eum ad Jesum* (*Ibid.*, 40). Tertius beatus B Thomas, qui post resurrectionem Christi solus desideravit, solusque obtinuit, ut membra Christi curiosis quidem, sed utique dignis manibus contrectaret. Ardentis siquidem desiderii fuit illud, non incredulitatis, quod condiscipulis suis, qui ipso absente Dominum viderant, ait : *Nisi videro, et contrectavero, non credam* (*Joan.* XX, 25). Erat enim valde anxius, ne non et oculis frueretur eo quod corde credebat ; ne privaretur aspectu illius lucis qua se cæteri apostoli illuminatos gloriabantur.[a] Satiavit esurientem Dominus, cujus manet illa promissio: *Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam, quoniam ipsi* C *saturabuntur* (*Matth.* V, 6). Apparuit secundo Apostolis (*Joan.* XX, 26), ut Thomæ desiderium adimpleret : profuit cupiditas ejus et cæteris ; nec [b] ipse minus aliquid habet, quia posterior Christum videt. Nam detrimenta prioris aspectus visu pariter, et attactu compensat ; qui utique, si juxta opinionem quorumdam infidelis fuisset, Christus illi post **338** resurrectionem suam apparere [c] non fuerat dignatus. Scriptum est enim : *Quoniam invenitur ab his qui non tentant eum : apparet vero his qui fidem habent in ipsum* (*Sap.* I, 2). Quod autem dixit illi Salvator : *Noli esse incredulus, sed* [d] *credens* (*Joan.* XX, 27); et : *quia vidisti, credidisti : beati qui non viderunt, et crediderunt* (*Ibid.*, 29); informare in eo voluit omnes postea credituros, ut populus noster, similis Thomæ qui absens erat quando apparuit Christus apostolis, relationi eorum [e] indubitatam fidem commodet ; nec exigat in carne conspicere quem testimonio apostolorum, post passionem crucis resurrexisse, et visum fuisse didicerit. Neque enim postquam regressus est ad cœlos, solis in hoc mundo virtutibus præsens, debet quotidie pro cujuscunque voluntate, singulis, universisque credentibus, in corpore apparere. Sufficiat nobis, quoniam [f] sancti Thomæ curiositas, ambiguitatis futuræ scrupulo satisfecit. Quod enim absens fuit, quod avidius et videre, et attrectare Dominum perquisivit, totum nostræ procurabatur saluti ; ut evidentius nosceremus resurrectionis Dominicæ veritatem, quam beatus Thomas ob necessariam curiositatem providenter reprehensus affirmat, dicens ei : *Dominus meus, et Deus meus* (*Joan.* XX, 28). Quartus Lucas est evangelista, qui beatos Apostolos pari merito subsecutus, et Evangelii librum, et Actus Apostolorum,[g] miranda examinatione conscripsit. Horum quatuor beatas habemus in præsenti reliquias, qui regnum Dei, et justitiam prædicantes, ab incredulis, et iniquis occisi, Deo semper vivere operationum suarum vir-

[a] Lectio Flor. cod. et Vat. utriusque, quam meliorem, et aptiorem ostendunt ea quæ mox sequuntur: *Beati qui esuriunt*. Tres editiones habent *satiavit ergo eum Dominus*. Cod. Pantagathi, *satiavit esurientem Dominus*.

[b] In ms. Pantagathi ad marginem, ejus manu additum est *aliis* ; itaque legit : *nec ipse minus aliis aliquid habet, quia posterior Christum vidit*.

[c] Barthius l. XXII Advers. c. 6, hunc Gaudentii locum recenset inter nec grammatice, nec Latine dicta, subdens : *Dicendum erat*, non fuisset. Deinde profert similem Eginharti locum in Vita Caroli M. : *Poterat citius finiri, si Saxonum perfidia pateretur*, pro *passa fuisset* ; et Fulgentii ep. 1, c. 1 : *Febrium violenta nimietas commeatum mihi vitæ auferret, nisi verus animarum et corporis medicus dignaretur largiri remedium*, pro *dignatus fuisset*. Hæc Barthius. Laudo profecto summi Viri eruditionem, sed cum tres editiones quæ mihi ad manum sunt, diserte legant *non fuisset*, oportet Barthium aliqua alia vetustiori editione esse usum. In mss. quidem legitur *non fuerat*, sic enim habet ex Vatt. unus, alter vero *non fuisset;* at Flor. et Urb. eodem modo *non fuerat*, quibus consentit liber Octavii Pantagathi ; quare maluimus genuinam mss. simplicitatem, quam ineptas typographorum emendationes retinere, præsertim cum præter loca a Barthio prolata, apud ecclesiasticos scriptores sit hujusmodi locutio non infrequens; ut apud Augustinum X Conf. 10, extremo : *nisi admonente aliquo eruerentur, ea cogitare non possem ;* pro *eruta fuissent*, et *non potuissem ;* dixerat enim supra *didicissem, agnovi, dixi*, ut textum legenti liquet. Similiter X Conf. XVIII : *cujus nisi memor essem, non invenirem, quia non agnoscerem ;* pro *non invenissem*, et *non agnovissem ;* dixerat enim antea *memini me quæsisse, atque invenisse*. Item II Conf. II, *aut certe sonitum nubium tuarum vigilantius adverterem*, pro *advertissem ;* et paulo inferius : *has ergo voces exaudirem vigilantius*, pro *exaudissem ;* subdit enim mox : *sed efferbui miser, et excessi*. Contra D Fulgentius *meruisset* pro *mereretur* Serm. de S. Stephano : *Stephanus sævitiam Judæorum potuit superare, ut ita meruisset feliciter triumphare ;* et mox : *ut coronam meruisset accipere, charitatem pro armis habebat*.

[d] Mss. quatuor, *noli esse incredulus, sed fidelis*.

[e] Flor. et Vatt. duo, *indubitantem fidem*.

[f] Sic legitur in quatuor mss.; editi vero, *sancti Thomæ curiositas, et ambiguitas, futuræ scrupulositatis finem fecit*. Male; nam Gaudentius supra nullam agnoscit in Thoma ambiguitatem, aut incredulitatem; itaque ineptum foret hoc loco admittere quod antea rejecit.

[g] Et hunc quoque locum in editis depravatum restituimus subsidio quatuor mss. quibus tam hic, quam in superiori etiam lectione consentit cod. Pantagathi. Tres editiones habent *imitanda examinatione;* at Lucam Apostolicas ut puto, et Evangelii librum conscribentem, nemo, πράξεις, sanæ mentis imitari præsumpserit.

tutibus **339** demonstrantur. [a] Joannes in Sebastena urbe provinciæ Palæstinæ, Thomas apud Indos, [b] Andreas et Lucas apud Patras Achaiæ civitatem, consummati referuntur. Post istos habemus Gervasium, Protasium, atque Nazarium, beatissimos martyres, qui se ante paucos annos apud urbem Mediolanensem sancto sacerdoti Ambrosio revelare dignati sunt, [c] quorum sanguinem tenemus gypso collectum, nihil amplius requirentes; tenemus enim sanguinem, qui testis est passionis. Recepimus etiam A sanctos cineres [d] Sisinnii, Martyrii, et Alexandri, [e] quos nuper in Anaunia venerandæ religionis cultui attentius inhærentes gens **340** interfecit sacrilega, flammisque adhibitis concremavit, ut holocaustum Deo ipsi fierent, qui Christianos suos victimas dæmoniis ministrare, increpatione justissima vetuissent. Jam quid post istos decem, de Quadraginta Martyribus dignum loquar, qui se itineri meo, [f] cum per urbes Cappadociæ Jerusalem pergerem, fideles comites præbere dignati sunt? In ipsa enim

[a] Quod hic ait, Joannem in urbe Sebastena occisum, non satis convenit cum Josepho qui lib. XVIII, c. 7, eum Macheruntem in carcerem actum, ac necatum fuisse tradit; quam Josephi sententiam tuetur Cellarius dissertatione de Joanne Baptista, et dissert. de Joannis Baptistæ carcere, et supplicio, contra cl. Lightfootum in Matth. XIV, 10. Sepultus quidem fuit Sebaste, vel Samaria, urbe Judææ, ut B innuit Hieron. in epist. ad Marcell., quæ civitas, et provincia minime Herodi obediebat, sed Archelao. Vide Bar. ad A. C. 33, n. 4 et 5. Cod. Urb. legit *in Sebastina urbe*. Porro de loco sepulturæ Joannis videndus idem Cellarius dissert. de Joannis Baptistæ carcere, et supplicio, n. 15.

[b] Quæ ad illustrandum hunc Gaudentii locum faciant, hæc habes ex Mabillonio in Notis ad Kalendarium Ecclesiæ Carthaginensis tom. III, Analect., p. 415, cum enim in eo Kalendario hæc occurrant: III *Id. Oct. Sancti Lucæ Evangelistæ, et martyris*; hanc Mabillonius observationem subdit: *Duo hic cum cæteris non conveniunt, nempe dies, et martyris nomen.: cum Lucas* XV *kal. Nov. notari solitus sit, nec martyris nomen passim obtineat. Quamquam id insinuat Gregorii Nazianzeni Oratio* 1 *in Julianum, et aperte dicunt Paulinus, et Gaudentius. Martyrii modum describit Nicephorus in lib.* II, *cap.* 43, *ubi habet, Lucam ex olea arbore fuisse suspensum, quod* C *aridi ligni, ex quo crux fieret, copia non adesset. Locum apud Patras Achaiæ civitatem designat Gaudentius in Serm.* 17, *seu Tractatu de Dedicatione Basilicæ sanctorum* XL *Martyrum*. Hæc Mabillonius.

[c] Aliquando mecum ipse reputavi, num ex hoc Gaudentii loco, quo tam præclaram sanguinis Martyrum Gervasii, et Protasii mentionem injicit, aliquid momenti accedere posset narrationi miraculi illius quod Gregorius Turon. de gloria Mart. l. I, c. 47, refert, in eorum translatione, cum forte tabula ex Ecclesiæ camera decidisset, ac in eorum capita fidelium venerationi exposita impegisset, copiosum inde sanguinem profluxisse. *De quo*, ait Turonensis, *infecta linteamenta, vel pallulæ, sive vela ecclesiastica, beatus cruor collectus est: qui usque adeo confluxisse fertur, quoadusque linteamenta quæ susciperent, sunt repleta. Ex hoc enim eorum reliquiæ affatim collectæ, per universam Italiam, vel Gallias, sunt delatæ*. Videbatur locus Gaudentii intelligi posse de hoc sanguine, a sanctorum capitibus recenter effuso; cum D enim eorum translatio, Ambrosio curante, inciderit in annum 386, Sermo autem iste Gaudentii de dedicatione basilicæ habitus fuerit paulo post annum 397, ut infra dicimus, poterat utique hujus sanguinis pars ad Gaudentium esse delata, qui tam insigni miraculo de Sanctorum capitibus manaverat. Accedebat huic conjecturæ, quod in editis legeretur: *quorum sanguinem tenemus gypso collectum*; deinde paulo post: *tenemus etiam sanguinem, qui testis est passionis*; idcirco apparebat, de duplici quodammodo sanguine Gaudentium loqui, nempe de sanguine *gypso collecto*, tempore martyrii: mox iterum de sanguine in translatione sanctorum, *linteaminibus, et pallulis* mirabiliter insperso. Sed facta collatione mss. invenimus pro *tenemus etiam sanguinem*, legendum esse omnino *tenemus enim sanguinem*; ita enim habetur nullo discrimine in tribus mss., nempe Flor. et Vatt. duobus, quibus consonat etiam liber Pantagathi; quare patet, Gaudentium loqui de unico tantum sanguine, effuso tempore passionis sanctorum, ac *gypso* a fidelibus, juxta priscum morem, *collecto*. Nihil igitur ponderis ex auctoritate Gaudentii, narrationi Turonensis accedit. De vitreis, et figlinis vasculis, quibus martyrum sanguinem colligere fideles solebant, præclare Aringhius l. III Romæ subterr. c. 22.

[d] Sic Vatt. duo; tres vero editiones corrupte *Sisinnii Martyrio, et Alexandri*; sed vitium hujusmodi etiam absque ope mss. erat per se manifestum. Vide quæ de his Martyribus diximus in Annotationibus ad Ughellum tom. IV, col. 523, Venetæ edit. Eorum meminit Martyrologium Romanum, itemque Usuardi 29 Maii.

[e] In editis legebatur *quos nuper in ara Agatini*; quo sane verbo imperiti librarii Gaudentii lectoribus crucem fixerant; nam quis unquam divinet, quænam sit, aut ubi terrarum exstet *ara* illa *Agatini*? Itaque reposuimus *in Anaunia*; cum enim Flor., Urb. et Vatt. duo, summo consensu legant *in Anauni venerandæ*, facilis erat emendatio; passi quippe sunt hi martyres in valle *Anaunia*, vulgo *Val d'Anagna, o di Nonn*, Tridentinæ diœcesis; unde *Anaunenses* martyres a nonnullis appellantur, eosque sic vocat Augustinus ep. 158, ad Marcellinum Comitem. Lectionem aliorum mss. tuetur etiam cod. Pantagathi legens *in Anania*, quinta vocali omissa, quam facilis supplebat conjectura; constat autem ex hoc loco, Tractatum hunc a Gaudentio conscriptum fuisse paulo post annum 397, qui fuit annus passionis horum martyrum, ut ex eruditorum calculis firmat Ruinartus in Actis Mart. p. 6?3 edit. Paris.: ait namque Gaudentius, *quos nuper in Anaunia*; ideo facile est ex his verbis temporis notam colligere.

[f] De Orientali peregrinatione, quæ maxime olim pietatis, ac religionis pars fuit, habes insignem Hieronymi locum in epistola ad Marcellam, Paulæ et Eustochii nomine data; ex qua castigandus est Baronius, ubi in Notis ad Sulp. Sever. pag. 374 edit. Amstel. 1665, ait, ante Constantinum, tamquam rarum de Alexandro notari (apud Euseb. l. VI Hist. Eccl. c. 11, edit. Vales.) quod Hierosolymam, adorandi, et loca sancta videndi causa, iverit. Hieronymus namque contra aperte sic loquitur: *Longum est nunc ab ascensu Domini usque ad præsentem diem, per singulas ætates currere, qui episcoporum, qui martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica virorum, venerint Hierosolymam*. Origenes quoque, qui integro ferme sæculo floruit ante Constantinum, l. I contra Celsum testatur, Bethlehem speluncam adhuc suo tempore apud infideles celebrem fuisse, *quod ibi natus esset Jesus, qui a Christianis adoratur*. Maxime autem ævo Gaudentii, ac Hieronymi, invaluerat Hierosolymitana peregrinatio; unde idem Hieronymus in ep. ad Desiderium inquit: *Pars fidei est adorasse ubi steterunt pedes Domini*. Adi sis Baronium not. ad Martyrol. 4 Maii litt. *e*, quo magis conspicuus Hornium in meridie cæcutiens; verum plura Hornii errata in observationibus ad Sulpicium Severum recenset Bochartus dissert. ad [illegible]

maxima Cappadociæ civitate, quæ appellatur Cæsa- A rea, ubi habent iidem beatissimi insigne [a] Martyrium, reperimus quasdam Dei famulas, monasterii sanctarum virginum dignissimas matres, prorsus Mariæ, et Marthæ consimiles, quas merito diligat Jesus; natura, fide, et studio, et castitatis integritate germanas. Quibus [b] ab avunculo suo summo sacerdote, ac beato confessore Basilio, olim traditæ fuerant horum martyrum venerandæ reliquiæ, quas desiderio nostro incunctanter, ac fideliter tribuerunt; idoneos veneratores tanti nos esse muneris approbantes, simulque sub testificatione Domini confitentes, se semper orasse Deum nostrum, ut hæc tam pretiosa possessio in tales transfunderetur hæredes [c] qui eam consimili fide, diligentiaque percolerent; qui studii, ac venerationis ipsarum et suc- B cessores, et augmentatores existerent; [d] quoniam essent ipsæ in annis senilibus constitutæ, et transmigrationem 341 de hoc mundo suam quotidie exspectarent. Exaudita est ecce fidelis oratio. Venerabiles ipsas Martyrum quadraginta reliquias populis credentibus hodie proponimus [e] percolendas, licet eis ex illo jam tempore celebritas debita numquam defuisse nostri cognoscatur officii, præclaris eorum beneficiis salutariter mancipata. Sed jam quo ordine ad martyrii gloriam pervenerint ipsi beatissimi, breviter enarrabo; quamvis ad prosequendas eorum laudes imparem me esse confitear. Plane [f] habent idoneum suis meritis, dignissimumque præconem, beatæ recordationis virum, confessorem Basilium, Ecclesiæ Cæsariensis antistitem, cujus eloquentia singularis, et sermo Apostolico sale conditus, paupertatem mei retundit ingenii. Quid enim a me inferri novum potest quod non ille in eorum laudibus ubertate eloquii sui opulenter effuderit, copiose ornaverit, signanter expresserit? Ingentis quippe difficultatis est, easdem virtutes diversis sermonibus prædicare. Aggrediar tamen instituendæ dilectionis vestræ causa, vel historiam replicare gestorum. Milites erant isti in partibus minoris Armeniæ constituti, florentes ætatibus, corporum proceritate sublimes, experientia belligerandi laudabiles, stipendiis militaribus virtutum suarum merito honorati, [g] et, quod hæc omnia supergreditur, Christiani; atque ad omnem probitatem morum, bene venerandæ religionis ornati, et spiritualibus armis doctrinæ cœlestis instructi. Statim denique ubi tuba persecutionis increpuit, fortissimos Christi milites amor fidei præcinxit ad bellum. Nam [h] cum feralia edicta sacrilegi regis proponi a judicante cœpissent, quibus præcipiebatur ne quisquam vel privatus, vel miles, Christianum proferre nomen auderet, sed ut omnis populus sacrificare dæmoniis cogeretur; sponte prorumpunt in medium, Christianos se esse clarissima voce testantur, seque ab hoc salutari cultu nullis terroribus divelli posse pronuntiant. Intuitus constantiam juvenum terribilis persecutor, seposita auctoritate, blandis eos horta-

Vossium quæ habetur t. I Opp. pag. 1058.

[a] Id est Ecclesiam, quæ Græco more *Martyrion* appellabatur. Consule Baron. in Not. ad Martyr. 6 Julii. Concilium Chalcedonense c. 8: *Clerici in ptochiis, et in monasteriis, aut* martyriis *constituti, sub potestate sint ejus qui in ea est civitate episcopus*. Cyrillus item Catech. 14, ecclesiam Hierosolymis Resurrectionis appellatam, *μαρτύριον* vocat. Confer Euseb. in Vita Constantini lib. IV, cap. 46, 47, ibique Henricum Valesium in Notis, et in epistola de Anastasi, et Martyrio Hierosolymitano.

[b] Flor. et Vatt. duo suppleverunt locum hunc, qui in editis sic legit: *ab avunculo suo sacerdote, ac Confessore Basilio*; at Gaudentius etiam supra Episcopos *summos sacerdotes* vocat. In ms. Pantagathi eadem lectio occurrit, quæ in aliis quoque: *ab avunculo suo summo sacerdote, ac beato Confessore Basilio*. De his Basilii neptibus cl. Muratorius in Anecdotis Græcis ad carmen 130 Gregorii Nazianzeni, ubi hunc Gaudentii locum profert.

[c] Sic mss. quatuor nullo discrimine, quibus consentit liber Pantagathi; tres vero editiones male *qui eas consimili fide, diligentiaque imitarentur*; ut etiam paulo infra *proponimus perpendendas* pro eo quod in mss. legitur *percolendas*; quare utrumque locum emendavimus.

[d] Deerat hoc totum summo loci hujus detrimento, quem male a librariis mulctatum sanavimus ex Flor., Urb. et Vatt. duobus. Qui sic legunt: *et successores, et augmentatores existerent, et transmigrationem de hoc Mundo suam quotidie exspectarent*. Male; at vulgatæ lectionis defectum supplet etiam cod. Pantagathi. Hic autem librariorum error transversum egit solertissimum Tillemontium, qui loci hujus Gaudentiani sensum cum minime assequeretur, sic interpretatus est, quasi hæ Basilii neptes tales harum reliquiarum hæredes expeterent, *qui studii, ac venerationis ipsarum et successores, et augmentatores* C *existerent, et inde addiscerent* (nempe ab his mortuis martyrum cineribus) *transmigrationem de hoc Mundo suam quotidie exspectare*. Sic tom. X, pag. 581, edit. Paris.: *Qui imitassent, et même qui augmentassent le respect et la vénération qu'elles avoient pour ces martyrs*, ET QUI APPRISSENT DE CES CENDRES MORTES ET VIVANTES, *à vivre tous les jours dans l'attente de la mort*. Prorsus male; sed librariorum incuria doctissimo Viro minime est imputanda.

[e] Male editi *perpendendas*, ut supra innuimus; quin etiam paulo inferius ubi in editis legitur *instituendæ dilectionis vestræ causa*, cod. Pantagathi, et Vatt. duo reponunt *instruendæ*.

[f] Præclara est Basilii Magni homilia, de SS. XL Martyribus, cujus auctoritate Patres septimæ synodi generalis sæpius usi sunt ad refutandos hæreticos sanctarum Imaginum oppugnatores. Ex ea SS. Patres Gregorium Nyssenum, Ephrem Syrum, et Gaudentium nostrum, quamplura mutuasse, recte notavit Ruinartus in Actis Martyr. pag. 581.

D [g] Sic etiam Gregorius Turon. lib. II Hist. Franc. c. 2: *Puella quædam prædives opibus, ac secundum sæculi dignitatem nobilitate senatoria florens: et quod his omnibus nobilius est, fide catholica pollens*. Salvianus quoque ep. 1: *Inter cæteras castimoniæ sapientiæque virtutes, est etiam Fide nobilis, quæ omnibus semper ornatibus ornamento est*. Videndus Joannes Savaro in Not. ad Sidon. Apollin. l. III, ep. 12, ubi hunc Gaudentii nostri locum laudat.

[h] Inepte omnino tres editiones *cum per alia edicta*; sed Vatt. duo *cum feralia edicta*; mox statim ex iis unus corrupte *proponi adjudicare cœpissent*; at cod. Pantagathi, *cum feralia edicta sacrilegi regis proponi a judicante cœpissent*; ut etiam in sequenti recte cum Vatt., *sine respectu ulterius rationis*. Habet etiam idem cod. ubi editi legunt non satis bene *Christianum proferre nomen*, aliquanto melius *præferre*; sive ut in margine apponitur *præ se ferre*.

tur alloquiis, ne vellent hac pertinacia uti, ne erga imperatorem suum contumeliosi **342** existerent, ne ejus præcepta contemnerent, ne alias devotissimi, in hoc facto offensam regis maximam provocarent, a quo magis beneficia, et honores pro hac specialiter obedientia sperare deberent. Indecorum certe bellatoribus viris esse, ut inter ignavos, et noxios, morte turpissima deperirent. Cogitandum illis esse juventutis suæ florem, et jucunditatem lucis hujus ac vitæ, quam [a] sine respectu ullius rationis imprudentes amittere suaderentur. Talibus auditis Christiani viri, meritoque mirabiles, venenatas perniciosi hortatoris blanditias non solum constantibus animis respuerunt, verum etiam responsione acerrima refutarunt. Quid tu, aiunt, omnium nequissime, contra Deum rebellare ausus, famulos ejus verbis fallacibus supplantare conaris? Quid nos a cultu Dei veri, et vivi, ad mortua dæmonum simulacra inclinare contendis? Quid honorum terrestrium caducis promissionibus, et inanium rerum præstigiis, animos nostros e vigore fidei cœlestis depravare pertentas? Exsecramur munera, quæ detrimentum salutis important; repudiamus honores, qui auferunt illam gloriam sempiternam; reprobamus amicitias regis, quæ nos a charitate Dei separare desiderant; respuimus et hanc temporalem nostri corporis vitam, quæ cum periculo fidei servata animæ acquirit interitum; postremo nec suppliciis præsentibus deterremur. Tradimus carnem pœnis, quascumque irrogare volueris, ne abnegantes Christum Deum, ad tormenta perpetua demergamur, quæ diabolo, et vobis ministris ejus sunt ab initio præparata. Tunc ille judex iniquitatis, hujusmodi dictis accensus, furorem suum, quem paulo ante subtilius explere voluerat, excogitata supplicii novitate [b] geminavit. Perspiciens enim regionis naturam nimiis rigentem frigoribus, tempus etiam, quo maxima hiemis asperitas Aquilone flante violentius incumbebat; [c] montes nivibus, pruinis arva tegebantur; liquores agnoscere suam naturam solis ignibus cogebantur; stupebant ingenti glacie torrentium fluminum cursus; [d] stagnum quoque urbi in qua ista gerebantur, subjacens, **343** longe lateque diffusum, validissimo gelu durante, iter solidum plaustris gementibus commodabat. [e] Hac ergo vi loci, vel temporis immanitate perspecta, sacrilegii Gentilis exactor, istud supplicii genus sanctis adhiberi imperat, ut nudatis corporibus religati in aperti aeris pruinosa duritie pernoctarent, balneis longe sub conspectu eorum fumantibus; ubi velox remedium victis callidus persecutor, animas eorum magis interficere gestiens, promittebat. Sed beatissimi martyres, Spiritu sancto ferventes, vestibus suis procul abjectis, festini ad stadium properant, coronam tanto certamini propositam cœlitus intuentes. Deinde hortatibus mutuis patientiæ, vires accendunt, gloriam regni cœlestis pœnis præsentibus præferunt, et hoc inter cætera replicantes: quod qui pro salute regis terreni hostiles gladios formidare contempsimus, cur non pro fide Dei, ac Domini nostri Jesu Christi regis æterni, omnes irrogatos nostro corpori cruciatus, æquo animo patiamur, ocius ad æternæ lucis beatitudinem, vitamque perpetuam, gloriosæ mortis compendio transituri? [f] Inter pruinas ardebat Fides, et cœlestes animi desiderio Christi fervebant. Urebat acritudo nimii frigoris lucentes rigentium corporum cutes: at occupatæ erga Dei amorem religiosæ mentes amœnitatem paradisi cogitabant. Terebrabantur penetralia viscerum gelu, ita ut medullas ossium gravissimis cruciatibus internus quidam [g] glacialis tortor urgeret: et animorum virtus im-

[a] Et hic quoque opem tulerunt Vatt. duo, cum male editi legerent *sine respectu illius rationis*.

[b] Sic mss. quatuor; in editis *geminabat;* at *geminavit* præfert etiam cod. Pantagathi. Quæ sequuntur ex Basilio desumpta, manifeste ostendunt, hos sanctos martyres non in aquam mersos fuisse, ut plerique putarunt, sed supra stagnum ipsum gelu rigens, brumali aeri fuisse expositos, ut frigore necarentur. Vid. Bar. Not. ad Martyr. 9 Martii, et Ruinart. in Act. Mart. pag. 586. Quanta autem fuerit immanitas frigoris, quantusque algor regionum illarum, satis colligitur ex iis quæ passi sunt Romani milites in Armenia agentes sub Corbulone; nam ut refert Tacitus lib. XIII, cap. 35: *Ambusti multorum artus vi frigoris, et quidam inter excubias exanimati sunt: annotatusque miles qui fascem lignorum gestabat, ita præriguisse manus, ut oneri adhærentes truncis brachiis deciderent.* De acerbissimis Armeniæ frigoribus conqueritur etiam Joan. Chrys. ep. 4 et 6, ad Olympiadem.

[c] Hoc Gaudentii loco usus est Fronto Ducæus ad asserendam veram lectionem Basilii Serm. de XL Martyribus, ubi pro τὴν φύσιν τῆς χώρας ὅτι κρυμώδης, *regionis naturam quod frigida esset;* Volaterranus verterat *regionis naturam salebrosam, et collibus præruptam*, quod fortasse in aliquo cod. pro κρυμώδης legisset κρημνώδης.

[d] Interpres Sermonum Basilii Raphael Volaterranus, stagnum istud extra urbem collocavit, sic illius locum in serm. de XL Martyribus vertens: *Igitur sancti Dei sub dio pernoctare in quodam stagno jussi sunt, quod pro mœnibus civitatis erat;* in quo quidem non leviter lapsus est, dum pro περὶ ἣν ἡ πόλις κατάκειται, nempe *circum quod civitas adjacet*, reposuit *quod pro mœnibus civitatis erat;* uti pridem notavit Baronius ad Martyrol. die 9 Martii. Rectius porro Gaudentius *stagnum urbi subjacens* dixit; quamvis nec ipse apte satis ad mentem Basilii, qui diserte scribit media in urbe, atque in stagno circum quod urbs habitabatur, Martyres fuisse cruciatos, ἐν μέσῃ τῇ πόλει, *in media civitate;* quin etiam locus a Baronio allatus in melioribus Basilii editionibus pro κατάκειται legit κατῴκισται, hoc modo: λίμνην μὲν περὶ ἣν ἡ πόλις κατῴκισται, *stagnum circum quod condita erat civitas.*

[e] Melius omnino liber Pantagathi: *Hac ergo vel loci, vel temporis;* qui etiam paulo post *sub conspectum eorum*, ubi in editis *sub conspectu eorum*.

[f] Hieronymus ad Lætam: *Scythiæ frigora fervent calore fidei.* Et Ambrosius in epistola ad Ecclesiam Vercellensem: *Non frangebat glacialis plagæ frigiditas, quibus ferventi spiritu vernabat devotio.* Locum hunc Gaudentii profert Savaro in Notis ad carmen 16 Sidonii Apollinaris.

[g] Ita est Vat. unus; alter *glacialis terror*, cui lectioni favet cod. Pantagathi.

mobilis, cursus sui metas aspiciens, de proxima consummatione gaudebat, fideli tolerantia promissum Dei munus exspectans. Sed unus ex eorum numero, brevissimi adhuc, et jam supremi doloris impatiens, rogare miser cœpit ut [a] ad balneas duceretur. Miles interea, cui sollicitudo injuncta fuerat ut illud mortis lavacrum victis quibusque reseraret, dum curiosis oculis de loco sublimi agonem virorum spectat insignium, rei exitum captans, videt ducem cœlestis militiæ descendentem cum multitudine angelorum, et fortissimis bellatoribus claras vestes, atque opima singillatim **344** præmia erogantem, quæ solus ille miserabilis cujus fidem diabolus fregerat, non accepit. Ducitur infelix ad balneas; ibique confestim caloris afflatu, quo se animandum crediderat, exanimatus, et vitam perdidit, et coronam. Luctuosum facinus gratulatio inopinata subsequitur. Repente ejus locum supradictæ visionis admirator invadit; nudat membra optato supplicio; se esse Christianum clamore ingenti congeminat, quem spectaculi illius admirabilis virtus, subito ex Gentili verum fecerat Christianum. Tenetur continuo professionis suæ reus; ligatur volens, et secantibus vinculis crudeliter innodatur; perseverat adstrictus, gloriatur in pœna, spe divinæ remunerationis effertur. Crescit inter supplicia fides Christi: augetur inter tormenta dilectio. Nam sensu apostolico testabatur: Me nulla suppliciorum vis, nulla immanitas tormentorum *poterit separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (*Rom.* VIII, 9). In mediis cruciatibus novus martyr, instruente Spiritu sancto, eruditur et proficit; moritur et triumphat. Trinitas adoranda testem suum inter pœnas fideliter permanentem, martyrio ipso ad vicem baptismi, gloriosius [b] et abluit, et emundat, et ad cœlorum

A regna perducit. Commoritur denique [c] quadragesimus iste sanctus cum sanctis, ut sacer numerus, quem Salvator jejuniis honoraverat, compleretur; sicut ipsi beati martyres orasse memorantur. Post hæc [d] jussit carnifices, defunctorum corpora longius transportata ignibus concremare. Relinquebant unum, qui adhuc vivere putabatur, si forte mutaret in pejus ipsa solitudine voluntatem. Ibi ejus venerabilis mater, quæ talem filium bono sapientiæ cœlestis lacte nutriverat, cucurrit ad cadaver spirantis filii, et propriis cum manibus vehiculo quo corpora aliorum congesta ad pyram trahebantur, imposuit. Vade, inquit, nate, istam bonam viam, salvus cum coætaneis tuis, et gloriosus ad Dominum. O admirabilis, et vere digna mater martyris! quinimo et ipsa B jam martyr; [e] quæ propriis visceribus non pepercit, dum sua membra pro Christi nomine puniri lætatur in filio. Jam vero nec illud in postrema parte reticemus, quod cum cineres exustorum corporum, mandato persecutoris, in fluvium jacerentur, [f] non defuerunt religiosæ manus, quæ [g] partem cineris **345** vel furto eriperent, vel pretio compararent. Hinc et Ecclesia Cæsariensis exsultat, et nostra fraternitas non immerito gloriatur, reservatum sibi providentia Dei salutare munus intelligens. [h] Portionem reliquiarum sumpsimus, et nihil nos minus possidere confidimus, dum totos quadraginta [i] in suis favillis honorantes amplectimur: sicut illa in Evangelio (*Matth.* IX, *Luc.* VIII) fidelis mulier quæ per fimbriam Christi salvata est, oram tenuit C vestimenti, et virtutem divinitatis exegit: attactu fimbriæ medelam credenti fides traxit, et salutem quam præsumpserat, acquisivit. Itaque pars ipsa quam meruimus, plenitudo est; dividi enim quadraginta isti martyres ab invicem nullo modo pos-

[a] Tres editiones, *ad balnea*, quod verbum male acceptum emendavimus auctoritate Vat. utriusque et Flor. cod., in quibus legitur, *ad balneas*; eamdemque lectionem habet etiam liber Pantagathi. *Balnea* multitudinis numero dici negabat Varro, cujus verba lib. VII de L. L. hæc sunt: *Neque ab eo quod dicunt balneum, habet multitudinem consuetudo.* Sic etiam infra ubi editi legunt *ducitur infelix ad balneum*, iisdem mss. præeuntibus, reposuimus ad *balneas*; balneum enim privatum erat, balneæ publicæ, eodem Varrone teste lib. VIII de L. L.: *dicuntur multitudinis nomine* PUBLICÆ BALINEÆ, *non* BALINEA, *contra quod privati dicunt unum* BALINEUM, *quod plura* BALINEAS *dicant*.

[b] Sic Vatt. duo et cod. Pantagathi, qui etiam in sequenti habet *quadragesimus iste sanctus*; editi vero corrupte, *et abluit, et emendat*.

[c] Flor. et Vatt. duo addiderunt vocem *iste*, quæ in editis abest; legunt quippe *commoritur denique quadragesimus sanctus cum sanctis*.

[d] Quis jussit? Nempe *judex iniquitatis*, cujus imperio Gaudentius etiam cætera quæ supra retulit, facta fuisse commemorat. Fortasse scriptum fuerat *jussi carnifices*, sed librariorum oscitantia immutavit; idque in cod. Pantagathi apparet, ubi ad oram paginæ legitur eadem manu *jussi*, pro eo quod in textu habetur *nisi*.

[e] Editi non habent τὸ *quæ*; sed exstat in tribus mss. et in libro Octavii Pantagathi.

[f] Hoc ait Gaudentius, occurrens tacitæ, quæ fieri poterat de sanctis reliquiis objectioni, ut recte notavit Baron. ad Martyr. 9 Martii. Sed labitur idem Baronius subdens, Gaudentium affirmare, hoc martyres passos esse Sebaste, civitate metropoli minoris Armeniæ; nam quamvis de loco martyrii omnes consentiant in eam urbem, hoc tamen Gaudentius non dicit.

[g] Flor., Urb. et Vatt. duo, *partem reliquiarum*, ut etiam infra *portionem reliquiarum*, quam lectionem D tuetur etiam liber Pantagathi. Locus iste Gaudentii valde illustrat antiquum morem Christianorum redimendi pretio sanctorum martyrum corpora, de quo sæpius in Actis Martyrum.

[h] Præclarum hunc Gaudentii locum laudat Joannes Ferrandus disquisit. reliquiar. lib. I, cap. 4, art. 2, ex quo, aliisque tum ipsius Gaudentii, tum aliorum Patrum testimoniis, factum esse contendit, ut hoc pacto Ecclesiæ nonnullæ totum alicujus martyris corpus possidere se asserant, cujus exiguam forte portionem dumtaxat, altaribus, memoriis, aut loculis conditam habeant.

[i] Hier. epist. ad Marcell.: *Martyrum ubique sepulcra veneramur, et sanctam favillam oculis apponentes, si liceat, etiam ore contingimus.* Plin. lib. XIX, c. I, ubi de lino asbestino: *Regum inde funebres tunicæ corporis favillam ab reliquo separant cinere.* Flor. et Vatt. duo legunt *in sanctis favillis venerantes*. Cod. Pantagathi, *in suis favillis venerantes*.

sunt, quorum sunt inseparabiles et indiscretæ reliquiæ. Nam sicut animas eorum igneus ille Spiritus Dei, salutaris fidei unitate conjunxit (*Erat* enim (*Act.* IV, 32) omnium *credentium cor unum, et anima una*), ita etiam membra eorum concremans ignis in unum favillæ corpus redegit. Habemus ergo et hos quadraginta, et prædictos decem sanctos, ex diversis terrarum partibus congregatos; unde hanc ipsam basilicam eorum meritis dedicatam, CONCILIUM SANCTORUM nuncupari oportere decernimus. Dignum est enim, ut ad tantorum Martyrum venerandas reliquias processuri, ad CONCILIUM SANCTORUM nos procedere fateamur. Tot igitur justorum patrocinio adjuvandi, tota fide, omnique desiderio, supplices [a] secundum eorum vestigia curramus; ut ipsis intercedentibus, universa quæ poscimus, adipisci mereamur, magnificantes Christum Dominum tanti muneris largitorem; cui omnis honor, virtus, et gloria, cum Patre, et cum Spiritu sancto, ante omnia, et nunc, et semper, et in cuncta sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVIII.

DE DIVERSIS CAPITULIS OCTAVUS.

Seu responsio S. Episcopi ad [b] *Serminium* [c] *de villico iniquitatis.*

Servo Christi SERMINIO GAUDENTIUS episcopus.

346 Sapientem virum semper convenit dicta sapientiæ cogitare, hisque intelligendis omne acumen ingenii, omnem vigorem mentis intendere. Et idcirco tu, qui et mundanæ sapientiæ litteris eruditus es, et veram Dei sapientiam per sacras litteras didi-

A cisti, operam navare non desinis ad perquirendos interiores sensus verborum Christi, quem Dei esse virtutem, Deique sapientiam, docente Apostolo (I *Cor.* I, 24), non ignoras. Nam inter cætera divinæ Legis eloquia, [d] quorum dissertionem frequenter exigis, hoc etiam specialiter postulasti; ut parabolam de Villico iniquitatis valde difficilem, [e] cujus nemo nostrum tibi idoneus videretur interpres, [f] ego scriptis propriis explanarem. Explanationem vero ipsam litteris tradi ideo forsitan vis, ut chirographum teneas responsionis meæ de capitulo, ut ipse fateris, obscurissimo. Sed non formidabo vel eloqui interrogatus, vel etiam scribere pro pusillitate sensus mei, [g] salva fidei ratione, quid sentiam. Ac primum, charissime, ipsius lectionis verba ponenda sunt, et ita de-

B mum ratio est aperienda dictorum. Refert in Evangelii sui libro beatus Lucas: *Dicebat*, inquit *Dominus Jesus ad* 347 *discipulos suos parabolam: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum:* [h] *et hic delatus est quasi dissiparet facultates ejus. Et vocato eo ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ: jam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia Dominus meus aufert a me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam, ut, cum amotus fuero de villicatione, recipiant me in domos suas. Et convocans unumquemque debitorem Domini sui, dicebat primo: Quantum debes Domino meo? At ille dixit:* [i] *Centum batos olei. Et ait illi: Accipe litteras tuas: et sedens cito scribe quinquaginta. Deinde alii dixit: Tu vero*

C *quantum debes? At ille ait: Centum coros tritici. Et ait illi: Accipe litteras tuas, et scribe octoginta. Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter*

[a] Recte quidem editi, licet mss. quatuor habeant *ad eorum vestigia concurramus*; quod nullo modo adoptandum censuimus, tametsi eadem lectio appareat in cod. Octavii Pantagathi.

[b] Cum tituli fere omnes horum tractatuum in editis depravati sint, propterea etiam in hoc exprimendo sequi maluimus consensum mss. in quibus habetur *ad Serminium*, quam vulgatam lectionem retinere *ad Germinium*. Cod. Pantagathi legit *ad Herminium*, quod quidem non displicet; ac fortasse vera lectio est, quamvis aliorum mss. consensum prætulerim. Editio Lugd. cæteris deterior, perturbato ordine sic habet: *De Villico iniquitatis. Tractatus XVIII. Responsio ad Germinium.* Quis fuerit iste Serminius, sive Herminius, quem Gaudentius sacris et profanis litteris instructum vocat, omnino me latet.

[c] De hac Villici parabola videndus Hieronymus in epist. ad Algasiam quæst. 6, itemque ex Hieronymo Zacharias Chrysopolitanus lib. III de Concord. Evang. c. 108. Notat autem Valla in hunc locum Luc. XVI commodius vocabulum esse *dispensator* quam *villicus*. *Villicus* enim ex Varrone agri colendi causa constitutus, atque *a villa* appellatus est; ex quo idem Valla infert, non utique fuisse Hieronymum Vulgatæ versionis N. T. auctorem, quia in epist. ad Algasiam aliter hunc locum transfert, inquiens: *Redde rationem dispensationis tuæ, neque enim ultra mea poteris dispensare.* Vulgata vero: *Redde rationem villicationis tuæ: jam enim non poteris villicare.* Videndus hac de re Martianæus in suis ad Hieronymi librum Quæst. Hebraic. in Genes. annotationibus tom. II, edit. Bened. p. 529, uti et in Notis prolixioribus ad eumdem librum p. 519.

[d] Sic mss. editi corrupte, *quorum dispersionem*.

[e] Sic Vatt. duo, et Urb. Editi vero, *cujus nemo vestrum tibi idoneus videtur*. Flor. etiam *cujus nemo nostrum*, Ecclesiasticorum scilicet tractatorum. Tillemontius ex lectione vulgata, *cujus nemo vestrum*, conjecit, Serminium hunc minime fuisse Brixianæ ditionis, nullumque eo in loco ubi degebat invenisse satis idoneum propositæ quæstionis explanatorem, quod fortasse probatum etiam Pantagatho, qui in margine libri sui reposuit *vestrum*, cum in textu occurreret *nostrum*.

[f] In ms. Pantagathi, ejus manu ad oram paginæ adscriptum est: *ego verbis propriis explanarem; explanationem vero ipsam litteris traderem: id eo*; quod fortasse omnino magis congruit, si pro *id eo* legas *idque*, aut etiam *idque ideo*; respondet enim apprime D quod sequitur *non formidabo vel eloqui interrogatus, vel etiam scribere.*

[g] Ms. pariter, et ed.; sed Lugd. male, *salva fideli ratione*.

[h] Flor. Cod. legit, *et hic diffamatus est ei*; Vatt. autem duo, et Urb., *et hic diffamatus est quasi dissipans facultates ejus*. Cod. Pantagathi, *et hic diffamatus est ei quasi dissipans facultates ejus.*

[i] Sic Paris. et Col. editio; at Lugd. et mss. quatuor *centum cados*, quibus consonat liber Pantagathi. *Batus*, βάτος, genus mensuræ liquidorum apud Hebræos, continens decimam partem cori. Ezech. XLV: *Batus olei decima pars cori est, decem bati corum faciunt.* Latini interpretes plerumque vertunt *cadus*; ideoque promptum fuit librariis pro remotiore et eruditiore vocabulo, usitatum substituere. Fortasse glossema erat margini appositum, quod postea in textum irrepsit.

fecit : quoniam filii hujus sæculi prudentiores quam filii lucis in generatione sua sunt. Et ego vobis dico : facite vobis amicos de mammona iniquitatis : ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Qui fidelis est in minimo, et in multo fidelis est : et qui in minimo iniquus est, et in multo iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, [a] *quod verum est quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis? Nemo potest servus duobus dominis servire :* [b] *aut enim unum oderit, et alterum diliget; aut unum patietur, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire, et mammonæ* (*Luc.* XVI).

Perfecti doctoris est, ad erudiendos discipulos, similitudines earum rerum proponere quæ in conversatione humani generis frequentantur, ut auditor idoneus, ad operandi studium comparationis magisterio informetur; nec dubitet hoc opus aggredi quod possibile ac necessarium esse, parabolæ imago monstraverit. Et idcirco Dominus Jesus, salutarium mandatorum verus magister, discipulos suos, vel tunc apostolos, vel **348** nunc universos credentes, [c] incitare volens ad eleemosynas fideliter exercendas, similitudinem proposuit Villici, ut exemplo hujus personæ nihil esse nostrum in sæculo isto signaret, sed nobis creditam esse dispensationem facultatum Domini nostri, vel ad utendum ex eis sufficienter cum gratiarum actione, vel ad distribuendum conservis, prout cuique opus est; nec licere nobis passim facultatibus abuti commissis, aut in expensas usurpare superfluas, cum sit erogationis ratio Domino venienti reddenda. Denique post finem parabolæ sic adjecit : *Et ego dico vobis : facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula* (*Luc.* XVI, 9); id est amicos vobis pauperes facite de terrenis facultatibus quas iniquitas humanæ avaritiæ sibi vindicat, ne hominibus Dei ex ejus rebus quidquam impertiat. Mammona enim sermone

A Syro pecuniæ, sive divitiæ, nuncupantur. *Facite ergo vobis*, inquit, *amicos* pauperes *de mammona iniquitatis*, [d] *ut, cum defeceritis*, eadem substantia in pauperum necessitates erogata, atque consumpta, *recipiant vos in æterna tabernacula*; iidem videlicet pauperes amici conciliandæ salutis, in quibus Christus remunerator æternus se hujus humanitatis fatebitur officia percepisse. Recipient ergo nos non ipsi omnino pauperes per semetipsos, sed per eum qui in illis obedientiæ, ac fidei nostræ fructu reficitur, suscepturus ministros pietatis hujus in æterna tabernacula regni cœlestis. Dicit enim : *Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum quod vobis paratum est ab origine mundi : esurivi enim, et dedistis mihi manducare : sitivi, et dedistis mihi bibere :* B *peregrinus eram, et collegistis me : nudus, et cooperuistis me : infirmus, et visitastis me : in carcere eram, et venistis ad me* (*Matth.* XXV, 34). Quibus verecunde, ac reverenter excusantibus : *Domine, quando te vidimus in his necessitatibus, et ministravimus tibi* (*Ibid.*, 37)? respondebit dicens : *Amen dico vobis, cum fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis* (*Ibid.*, 40). Nulli itaque absurdum videatur quod illi nos dicantur suscipere quorum causa suscipimur; cum et ipse susceptor noster Dominus Jesus, qui necessitatibus humanis non subjacet, se in illis esurisse, et sitisse, et peregrinum, et nudum, et infirmum, [e] et carceratum fuisse, perhibeat. *Facite ergo vobis, ait, amicos de mammona iniquitatis,* [f] *ut, cum defeceritis,* **349** *recipiant vos in æterna tabernacula.* Et post C pauca : *Si in iniquo mammona fideles non fuistis,* [g] *quod verum est, quis credet vobis?* Enimvero, dilectissime, quis ei qui terrenas facultates, [h] iniquitatis plerumque materiam suggerentes, dispensare fideliter nesciat, committendas putet esse veras cœlestium rerum divitias, quibus fidelis distributor, ac justus, rite, meritoque perfruitur? Nam *gloria et divitiæ in domo ejus, et justitia ejus manet in sæculum sæculi* (*Psal.* CXI, 3). Statim denique sermo

[a] Male tres editiones *quod vestrum est;* at Vat. uterque, *quod verum est :* eodemque modo habet etiam cod. Pantagathi; nec aliter omnino legi debet ut sententia constet, quamvis Flor. et Urb. cum editis consentiant. Isidorus Clarius Brixianus, episcopus Fulginas, in Scholiis ad hunc locum : *Ex minoribus factis majorum conjectura fit. Si ergo in administrandis divitiis, quæ res quædam falsa est, fideles non fueritis, quis credet vobis ea quæ vera sunt, administrationem scilicet donorum spiritus? et si in his divitiis, quæ res aliena quædam est, reperti fueritis infideles, quomodo apti eritis quibus credantur ea quæ vestra proprie sunt, dona spiritus administranda?*

[b] Sic Vatt. duo, *Flor.* et Urb.; sed pro *oderit* legunt *odiet*, quemadmodum etiam liber Pantagathi. Ludg. editio, *aut enim unum odiet, et alterum diliget; aut uni adhærebit*; et hoc modo habet etiam Vulgata. In editione Paris. et Col., *aut enim unum oderit et alterum patietur, aut alterum contemnet*. Exciderunt tres voces *diliget, aut unum*.

[c] Editi, *incitare;* sed melius tres mss., *incitare*, quod habetur etiam in cod. Pantagathi.

[d] Mss. quatuor summo consensu, *ut cum defecerit eadem quippe substantia*; sic etiam supra, *ut cum defecerit, recipiant*, quod quidem satis recte dictum videtur, et consentit etiam cod. Pantagathi; tamen receptam lectionem mutare nolui, cui Vulgata suffragatur.

[e] Editiones legunt *incarceratum;* sed quatuor D mss. melius *carceratum*, idque habet etiam liber Pantagathi. Salvianus lib. II de Gubern. Dei, loquens de Davide pœnitente : *Cultu et corde mutatur, totum regem cum ornatibus suis abjicit, jejunio exigitur, ariditate siccatur, fletu effunditur, solitudine carceratur.*

[f] Et hic quoque tres mss., nempe Vatt. duo et Urb., *ut cum defecerit.*

[g] Iterum in editis mendose *quod vestrum est*, at mss. quatuor, et liber Pantagathi, *quod verum est ;* quamvis iidem codd. paulo inferius non satis recte *si in alieno fideles non fuistis, quod verum est :* ubi editio nostra *quod vestrum est;* Et ita hoc loco legendum esse ostendit quod statim sequitur : *Profecto quidquid in hoc sæculo est, alienum nobis est.* Vide quæ notavimus supra p. 347.

[h] Tres mss., *iniquitati plerumque materiam;* et *iniquitati* tertio casu, non *iniquitatis* præfert etiam cod. Pantagathi.

ille Dominicus ita conjungitur : *Et si in alieno fidelis non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis* (*Luc.* XVI, 11)? Profecto enim quidquid in hoc sæculo est, alienum nobis est; qui retributionem futuram sperantes, velut hospites et peregrini in hoc mundo conversari jubemur, ut unusquisque nostrum securus Domino audeat confiteri : *Advena ego sum, et peregrinus, sicut omnes patres mei* (*Psal.* XXXVIII, 13). Propria vero credentibus, et æterna possessio est illa cœlestis, ubi esse cor, et thesaurum nostrum novimus (*Matth.* VI) : ubi jam toto affectu mentis, per fidem nos habitare præsumimus; quoniam juxta beati Pauli doctrinam, *conversatio nostra in cœlis est* (*Philip.* III, 20). Nostrum est igitur cœlorum regnum, si pollicenti Domino, in humilitate cordis, et spiritus mansuetudine serviamus. *Beati* enim *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V, 3). Quod utique regnum non potest adipisci omnis qui in alieno hujus sæculi patrimonio temporarie sibi credito, idoneus, ac fidelis dispensator non fuerit; unde alio in loco dicebat Dominus : [a] *Quam difficile qui pecunias habent, intrabunt in regnum Dei* (*Matth.* XIX, 23)! Et in fine lectionis hujus ait : *Non potestis Deo, et mammonæ servire* (*Luc.* XVI, 13). Dei enim Christi servos, atque discipulos, imperare oportet pecuniæ, non servire; ne, dum cupiditati ejus obedimus, a charitate servitutis ejus, [b] dominante pecunia, separemur. Dispergendæ sunt ergo pecuniæ indigentibus, secundum præceptum Creatoris omnium Dei; quoniam neque nostræ sunt, neque illas sine **350** iniquitate, ac sui pernicie, avarus quisquam detinet. Nam juxta sententiam Salvatoris aditum regni cœlorum suis retentoribus intercludunt, *et facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei* (*Matth.* XIX, 24) : illum nempe divitem, qui sit ob horrorem turpis avaritiæ [c] camelo infirmior. Gravis pecuniarum sarcina est, quæ tenacium sui mentes avaritiæ pondere ad terram deprimit, nec emergere ad superna, cœlumque suspicere, ubi vita nostra est, omnino permittit; cum doceat beatus Apostolus : *Si consurrexistis cum*

A *Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Coloss.* III, 1 *seqq.*). Quoniam vero *arcta et angusta via est quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII, 14), oneratos divitiarum terrestrium fascibus ingredi per illam non capit. Expeditos quærit ac tenues, omnique continentia castigatos; et (ut ita dixerim) filo gracili similes, qui etiam per foramen illius mysticæ acus facile transeant, spiritales effecti. Hæc est ratio, et utilitas parabolæ hujus, cui primum, juxta quod jubetur, parendum est : et ita intellectus secretior, si reperiri valeat, inquirendus est; quia *non* B *in sermone est regnum Dei, sed in virtute* (I *Cor.* IV, 20). Et *non auditores tantum, sed factores Legis justificabuntur apud Deum* (*Rom.* II, 13); nec potest aliquis liquido comprehendere interiorem scientiam divini eloquii, Apostolo protestante : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam imperscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit* (*Rom.* XI, 33, 34)? Et alio in loco, cum de Adam et Eva, sacramentum divini sermonis nimium grande sentiret, et loqui illud digne non posset, ait : *Mysterium hoc grande est : ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V, 32). Vis autem nosse, quod ad æternam vitam non per notitiam secretorum, sed per operum bonorum efficientiam, per- C venitur? Dominus in Evangelio interroganti cuidam diviti sic respondit : *Si vis ad vitam venire, serva mandata* (*Matth.* XIX, 17). Quæ cum ille se omnia custodisse **351** jactaret, extorqueri tamen [d] ab eo ad præsens unum mandatum non potuit, ut misericors esset in pauperes, et thesaurum suum transferret ad cœlum; nam statim audito hoc sermone abscessit tristis. Nec immerito tristis; quia gaudium cœlestis thesauri, malo avaritiæ possessus possidere non poterat. Profecto *radix omnium malorum est amor pecuniæ*, ut ingemiscit Apostolus : *quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus*

[a] Isidorus Clarius ad hunc Matthæi locum : *Videntur mihi omnes qui peccant, naufragium facere : at in naufragio alii adhærent alicui rei, cui innixi non omnino sine spe sunt : alii sine spe relicti undis feruntur, qui si serventur, solius Dei beneficio acceptam referunt salutem ; quamvis etiam alii qui tabula aliqua ferebantur, gratias agunt servatori Deo. Divites ergo iis similes sunt qui amissa alioqui omni spe, solius Dei quodam miraculo servantur. Et cum tam periculosa res sint divitiæ, is tamen felicior a stulto hominum errore creditur qui ditior est ; hoc est qui sævioribus circumvolvitur fluctibus.*

[b] Ineptissime Lugd. editio *donante*. Videtur autem Gaudentius respexisse illud Horatii I, ep. 10 :

Imperat, aut servit collecta pecunia cuique;

dum ait, *Christi servos, atque discipulos, imperare oportet pecuniæ, non servire*. Sic etiam Seneca lib. de Vita beata : *Divitiæ apud sapientem virum, in servitio sunt; apud stultum, in imperio.*

[c] Ex consequentibus verbis *gravis pecuniarum sar-* D *cina est*, videtur Gaudentius, Evangelicum istud *facilius est camelum per foramen acus transire*, intellexisse de camelo animante; cui sententiæ favet etiam Hieronymus in Matth. XIX. Cod. Pantagathi pro *camelo infirmior* habet *camelo informior;* et consentiunt Vatt. duo, ut respondeat quod præcedit *ob horrorem turpis avaritiæ*, quæ nonnisi de camelo animante dici apte queunt. Alii vero accipiunt pro fune nautico, cui anchoram alligabant, quo sensu reperitur apud Suidam. Et ideo forsan Gaudentius huic etiam intelligentiæ se accommodare volens, paulo post dicit quod *via quæ ad vitam ducit, expeditos quærit, ac tenues, et filo gracili similes*. Fuit autem hoc Hebræorum adagium, de quo luculenter Samuel Bochartus Hieroz. part. I, lib. II, cap. 5, ubi plura ex Hebræis profert, quæ adagio huic illustrando apprime faciunt.

[d] Sic editi; at Flor. et Vatt. duo, *ab eo præsens et unum*, eodemque modo legit etiam cod. Pantagathi.

multis (I *Tim.* vi, 10). Nam [a] perniciosum fidei errorem patitur, et inserit se doloribus multis, qui amore terrestrium, sicut adolescens iste, discedit a Christo; dum mandatum ejus subterfugit; dum a conspectu Domini, tristis, ac lugens, ad pœnas avaris et contemptoribus præparatas, spontanea cæcitate deducitur. In sinistra enim parte, infructuositatis merito constitutis dicetur: *Discedite a me in ignem æternum, quem paravit Pater meus diabolo et angelis ejus : quia cum non fecistis misericordiam indigentibus, nec mihi fecistis* (*Matth.* xxv, 41). Venio nunc ad illud quod tantopere a me exegisti, et quid super eo sentiam, qua potero brevitate narrabo; nulli præjudicaturus, qualiter interpretari voluerit, modo ut explanatio ejus traditionem fidei apostolicæ non infringat. Iniquitatis villicum diabolum puto esse, qui idcirco [b] ob correptionem generis humani sæculo isto dimissus est, ut immanitatem crudelissimi hujus villici fugientes, ad pietatem Dei suppliciter concurramus, cujus misericordia atque virtute contra omnes infestationes ejus defensi esse possimus : quandoquidem et ipse villicus sub potestate constitutus est Domini Dei; illius vere divitis qui, sicut docet Apostolus, dives est in omnes, et super omnes qui invocant eum. *Omnis enim qui invocaverit nomen Domini, salvus erit* (*Rom.* x, 12, 13). Dissipat autem diabolus facultatem Domini sui, quando in perniciem generis humani grassatur; id est in nostram necem, qui possessio Dei sumus, sicut ipse Dei Filius, Patris sui dicta per Prophetam referendo, testatur : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Ps.* ii, 8). Et iterum : *Quoniam elegit sibi Dominus Jacob, et Israel in possessionem sibi* (*Ps.* cxxxiv, 4). Videns ergo Deus in tantum dæmonis audaciam prorupisse, ut quos correctionis causa tentare solum permissus fuerat, usurpaverit, et necaverit, [c] comminatur illi expulsionem, **352** ut immanitas ejus, metu ultionis interminatæ frangatur. At ille nequissimus, hominum mortem quæstum suum computans, æstuat anxius, [d] quod Dominus ei potestatem dominandi ablaturus esset; et quoniam nec operari bonum vult, et petere misericordiam pœnitens erubescit, argumentatur, quomodo prævaleat debitores Domini sui (id est peccatorum debitis involutos) non tantum aperto prælio persequi, sed etiam sub prætextu fallacis benevolentiæ, blanda fraude decipere, quo magis eum in domos suas falsa benignitate seducti recipiant, cum ipso in perpetuum judicandi. Magnum siquidem suppliciis suis diabolus putat hoc esse remedium, si pœnarum socios multos acquirat. Nam callidus hostis, adveniente et comminante Christo turbatus, excogitavit venenato consilio, qualiter hi etiam qui illum persequentem fugiebant, cedentem sequantur. Festinat enim novis artibus, variisque tentationum generibus supplantare homines, a quorum dominatu in fine sæculi submovendum se penitus esse cognoscit. Nam post adventum Christi, duplicato contra hominum genus furore succenditur, *sciens quia modicum tempus habet*, sicut scriptum de illo est (*Apoc.* xii). Debita conservorum suorum, quæ in potestate Domini sunt, relaxare se falso promittit, dum vanam, vel in fide, vel in opere peccantibus, indulgentiam pollicetur : dum persuadet non imputari ad peccatum ea scelera quæ ipsi etiam qui committunt, gravia esse crimina non ignorant. Nam confitentur sui debiti quantitatem, cum ex integro obnoxios se esse Deo, et pro fide contempta, et pro opere neglecto, negare non possunt. Qui autem reddunt quæ Dei sunt, Deo jam debitores non sunt. Nec mireris, si debitorum remissionem taliter mentiatur hominibus [e] quos hac arte subtilius conatur occidere, qui Christo rerum omnium conditori ausus est regna mundi promittere, sua illa esse impudenter asserendo. *Hæc omnia mea sunt*, inquit, *et cui volo, do illa. Tu itaque si procidens adoraveris me, erunt tua omnia* (*Matth.* iv). O inenarrabilis Christi patientia, quæ idcirco tentatorem loqui permittit, ut suscepto homini artem præliandi, atque vincendi, in semetipso demonstraret! O effrenis diaboli mendacis audacia! Deum sentit, et tentat : Dominum novit universæ creaturæ, cui sua esse mundi regna mentitur; et ei se largiturum possessionem [f] creabilium pollicetur per quem creata esse omnia non ignorat. *Ab initio* enim, **353** sicut scriptum est, *homicida fuit diabolus, et in veritate non stetit, quia veritas non est in eo* (*Joan.* viii, 44). Sed jam ad ipsas de quibus quæritur, species veniamus, Triticum, sicut supra tetigimus, fides Christi est, vitæ humanæ principium. *Hic enim est panis vivus, qui de cœlo descendit, et vitam dat huic mundo* (*Joan.* vi, 33). Et iterum dicit ipse : *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet* (*Joan.* xi, 25). Oleum vero bona sunt opera, quæ non habentes illæ virgines fatuæ (*Matth.* xxv), exstinctis animarum suarum lampadibus, in tenebris

[a] Vatt. duo et Urb. Editi, *pretiosæ fidei errorem*; sed *perniciosum fidei errorem* habet etiam liber Pantagathi.

[b] Vatt. duo, *ad correptionem*. Suspicor scriptum fuisse *ad correptionem generis humani sæculo isti immissus est*; at meliorem cæteris lectionem exhibet cod. Pantagathi : *ad correctionem generis humani in sæculo isto dimissus est*.

[c] Sic Vatt. duo, et Urb. Editi *comminatus*, et paulo post *interminata*, pro quo ex Vatt. reposuimus *interminatæ*; utramque porro emendationem fulcit etiam cod. Pantagathi.

[d] In editis additur particula conjunctionis, sed videbatur otiosa; legunt enim *quod Dominus ei et potestatem*. Vatt. duo, *quod Deus ei potestatem*. Liber Pantagathi, *quod Dominus ei potestatem*.

[e] Mss. sic; editi vero mendose *quos hac parte*. Liber Pantagathi, *quos hac arte subtilius fallere conatur*.

[f] In libro Pantagathi, *creatium*, quod editorum lectioni accedit, idemque exhibent etiam Vatt. duo; sed in ms. Pantagathi ad oram paginæ repositum est *creaturarum*, quod minus displicet, nam quæ diabolus Christo promittebat, non profecto *creabilia* erant, sed jamdiu creata.

remanserunt, a thalamo regni cœlestis exclusæ. Animas enim nostras non solum virgines esse in fide oportet, atque integras, verum etiam totius boni operis oleum portare secum semper in vasis suis; ne ipsæ in nobis fidei lampades defectu operum exstinguantur. Nam *sicut caro sine anima, ita fides sine operibus mortua est*, secundum Jacobi sancti sententiam (*Jac.* II, 26). Lumen quippe fidei tunc erit juge atque perpetuum, si affatim bonorum operum [a] pinguedine animetur. Circumvenit ergo diabolus hominum genus pollicitationibus falsis, ut debitum fidei et operum non cognoscant; donec sententia Domini judicis in inferni carcerem retrudantur, usque ad novissimum quadrantem per supplicia exigendi (*Luc.* XII, 59). Quod autem [b] centum vasa olei, id est operis, persuadet in quinquaginta transcribi, et centum coros tritici, id est fidei, cogit in octoginta transferri; occultior ista fraus est, multumque subtilius circumventio inimici: dum retractos ab idololatria homines, variis perniciosorum dogmatum involvit erroribus, summam salutaris fidei minuendo; et ab iniquis actibus remotos, bonisque operibus insistere cupientes, pestifero jactantiæ amore supplantat. Nam conatur fidem nostram, et opera nostra a centenario numero, perfecto scilicet, et in dextera constituto, ad sinistræ partis dolosa compendia depravare; apostolicam fidem sinistro hæreticæ persuasionis sensu pervertens, et merita bonorum operum, dexterorumque factorum, ad sinistros mores plerumque deducens. Quantos enim diabolus a dexteræ partis vigore, sinistris monitis, in vitia voluptatum carnalium relaxavit! Quantos debita spiritualia religionis operibus persolvere gestientes, [c] mercede cœlesti, injecta gloriæ humanæ cupiditate, privavit; ut dexteræ **354** partis præmia promissa non capiant, dum in ipsis bonis operibus non Deo, sed hominibus placere festinant! Unde filius Dei Christus Dominus discipulos suos monens,

A ut justitiam, et eleemosynas, et jejunia, et precationes suas non studerent coram hominibus celebrare, ne per vitium jactantiæ, quod sinistræ parti deputatur, mercedem dexteræ partis amitterent; ait: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua* (*Matth.* VI). Clare patet ergo, quam venenata prudentia ille iniquitatis villicus, debita religionis officia de dextera parte in sinistram commutet. Nec illud otiosum est quod major numerus deperit Domino, cui debitores sumus, ex operibus oleo figuratis, quam ex tritico ad vitalis fidei specimen comparato. [d] Minor enim turba est quæ a fide recta, quam quæ ab operibus congruis, diaboli fraude subtrahitur, Salvatore testante: *Quid mihi dicitis, Domine, Domine, et non facitis quæ dico vobis* (*Luc.* VI, 46)? Laudat vero
B Dominus non bonitatem, non pietatem, non æquitatem, sed astutiam, et callidam prudentiam villici iniquitatis, quod dolum suum subtili nequitia concinnasset. Laudat autem minaciter simul, et prudenter. [e] Minaciter quidem, dum ipso iniquitatis vocabulo pessimam diaboli prudentiam damnat: prudenter autem, dum contra argumentorum ejus consilia discipulos audientes informat, ut omni cautela, atque prudentia, tam callido, tam nequiter prudenti inimico repugnent. Ipse enim serpens erat in paradiso prudentior omnibus bestiis (*Gen.* III), qui protoplastos homines venenato morsu seductionis occidit. Cujus serpentis tortuosa ingenia beatus Apostolus deprehendens, ait: *Non enim astutias ejus ignoramus* (II *Cor.* II, 11). Unde et Salvator:
C *Estote*, inquit, *prudentes sicut serpentes, et simplices ut columbæ* (*Matth.* X): quod aliis verbis apostolus Paulus edisserit, cum dicit: *Malitia parvuli estote, ut sensibus perfecti sitis* (I *Cor.* XIV, 20). Prudentes nos esse Christus præcepit, non venenatos: sapientes, non noxios: sed qui veterem peccati tunicam, ut coluber, deponentes, in novum hominem reformemur; [f] caput nostrum quod est Christus, omni diligentia

[a] Editi legebant, *pinguedine illuminetur*; aptior autem visa est lectio trium mss., nempe utriusque Vat. et Florent., quæ habet *pinguedine animetur*, et ita occurrit etiam in libro Pantagathi. Prudentius, 2, contra Symmachum, vers. 405:

Hauserit, et calidis animetur tota medullis.

Hinc *animator* apud eumdem, hymno de Romano D Martyre, vers. 788:

Novit animator solus, et factor tui;

ψυχοδότωρ nempe, qui dat animam, spiritumque vitalem; notante Georgio Fabricio ad Prudentium, Weitzii pag. 401.

[b] Totum hoc deest in Lugd. editione, ubi sic: *Quod autem centum coros tritici*.

[c] Male editi, *a mercede cœlesti illectos, gloria humanæ cupiditatis privavit*, quam lectionem manifeste corruptam expunximus. Irrepsit perperam vox *illectos* pro *injecta*, permutatione facili oscitantiæ librariorum, nam in quatuor mss. et in libro Pantagathi pari consensu habetur: *a mercede cœlesti, injecta gloriæ humanæ cupiditate*; quamvis et in iis codd. modicum insit vitium; præpositio scilicet illa perperam injecta, qua deleta locum integritati suæ restituimus.

[d] Turpissime in editis, *minus enim turpis est qui a fide recta, quam qui ab operibus*; quasi infidelitas minor esset aliis delictis; sed mss. quatuor, quorum lectionem expressimus, loco huic pessime affecto opem tulerunt reponentes *minor enim turba est quæ a fide*; et ita habet etiam cod. Pantagathi.

[e] *Providenter* et hic, et paulo post, legitur in libro Pantagathi; ita ut providentiam magistro, prudentiam discipulis tribuat.

[f] Physiologus, qui sub nomine Epiphanii episcopi primum prodiit Antuerpiæ, ex officina Plantiniana anno 1588, editore atque interprete Consalo Ponceleonio, cap. 15, hæc habet: *Debemus igitur et nos in tempore periculi totum corpus morti concedere, solum caput custodire: hoc est, Christum non deserere, quemadmodum sancti martyres fecerunt*. Eadem omnino sunt apud Epiphanium, lib. I, tom. III, contra Ophitas. Isidorus autem Pelusiotes, ep. 126, ad Herminum Comitem, J. Billio interprete: *Dominus*, inquit, *nos prudentes ut serpentes esse jubet, vir ingeniosissime: sic nempe ut caput nostrum, hoc est fidem in Christum, in omni tentatione conservemus. Etenim quibuscumque adversis casibus ac plagis serpens prematur, incolume atque illæsum caput servat*. Hæc et similia affert prædictus Ponceleonius, in notis ad Physiologum, ubi etiam hunc Gaudentii nostri locum laudat.

conservantes, et pro eo membra omnia persecutoribus **355** laceranda tradentes, ut fides Dei, quæ caput salutis ac vitæ nostræ est, sana et invulnerata permaneat.[a] Quapropter, dilectissime, imitemur prudentiam villici hujus, non perfidiam : æmulemur astutiam ejus, non sectemur nequitiam. Quantum ille in opere iniquitatis suæ nocendi peritus est, tantum nos studiis salutaribus eruditi, et omni prudentia instructi, atque armati esse debemus : *Induentes* nos ipsos *loricam fidei, et galeam salutis* (I *Thess.* v), *et gladium spiritus* (*Sap.* v), *et scutum inexpugnabile æquitatis, in quo possimus*, ut hortatur Apostolus, *omnia jacula nequissimi ardentia exstinguere* (*Ephes.* vi) ; ne nos incautos suggestionum suarum spiculis ubicumque configat, ne inermes opprimat, ne interficiat dormientes ; ne et vigilantes, et armatos, si usum belligerandi nesciamus, interimat. [b] Prudentiores enim reperiuntur interdum spiritus immundi, quos filios sæculi, id est tenebrarum filios, Dominus nuncupat, quam filii lucis, quos Deus, qui lux est, in adoptionem filiorum vocare dignatur [c] per lavacri cœlestis sacramenta renatos. [d] Vale, in Christo charissime fili.

SERMO XIX.

DE DIVERSIS CAPITULIS NONUS.

Seu responsio ejusdem S. Episcopi ad Paulum diaconum,

De eo quod Dominus Jesus Apostolis : Quia Pater major me est.

356 Ante istum sacri Evangelii locum, cujus a C me intelligentiam fideli studio per litteras exigis, [e] Paule frater, carnis ac spiritus germanitate charissime, plurima Christus Filius Dei vivi de divinitatis suæ una et perfecta cum Patre substantia locutus esse cognoscitur, cum diceret Judæis : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30) ; cum sancto Philippo

A responderet : *Qui me videt, videt et Patrem* (*Joan.* xiv, 9) ; cum beatis Apostolis communiter loqueretur : *Credite mihi, quia ego in Patre, et Pater in me est* (*Joan.* xiv, 11). Post hæc ergo, et istiusmodi multa, quibus ὁμούσιον se esse cum Patre probavit, et ejusdem essentiæ, nunc aliquid illaturus quod robustis in fide mentibus plenitudinem scientiæ cumularet, scrupulum dubiis, perfidis fomentum blasphemiæ ministraret (quoniam sermo Dei (*Luc.* xi, 34) *positus est in ruinam, et resurrectionem multorum*), præmonuit undecim beatos Apostolos, simulque fidei eorum vestigia secuturos, ne ad auditionem proferendi sermonis [f] turbellam mens alicujus pateretur. *Ne turbetur*, inquit, *cor vestrum, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis : vado, et venio* B *ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem : quia Pater major me est* (*Joan.* xiv, 27, 28).

Hanc habent hæretici Ariani [g] famosissimam quæstionem, qua Filium Dei ore sacrilego minorem Patre suo esse contendant, ipsius testimonium **357** proferentes, quoniam ait : *Quia Pater major me est. Excæcavit eos nequitia cordis eorum* (*Sap.* ii, 21), ne ex antelatis sermonibus rationem dicti hujus agnoscerent ; vel potius ne veritatem cognitam sequerentur. Duplex est in Christo substantia ; [h] una propria, alia nostra jam sua : id est una Dei, alia hominis. Filius enim Dei, ex quo eum illibata Virgo peperit, de Spiritu sancto conceptum, atque hoc genere nascendi *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* i) ; idem cœpit esse etiam Filius hominis qui in principio erat apud Patrem Filius Dei, utique Deus Verbum. Exinde per incrementa ætatis, Creator temporum profecit in virum perfectum, testante evangelista : *Puer autem crescebat, et confortabatur, et implebatur sapientia ; et gratia Dei erat in illo* (*Luc.* iv, 40). Quem profe-

[a] Sic Flor. et Urb., quibus adjungitur cod. Pantagathi. Cusi : *Quapropter, dilectissimi* ; at Gaudentius alloquitur Serminium, aut Herminium, ad quem tractatus iste, seu epistola conscripta est ; unde etiam paulo post concludit : *Vale, in Christo charissime fili.*

[b] Editio Paris. et Col. habet *prudentes enim* ; Lugd. quoque, *prudentes enim* ; sed paulo post *quos magis filios sæculi*. Fortasse scriptum erat, *prudentes enim magis* ; nos vero prætulimus lectionem Flor. cod. et duorum Vatt., quam deinde invenimus etiam in libro Pantagathi.

[c] Versus est hexameter, sicuti etiam ille tr. 1 :

Non potuit celebrare, secundo mense celebret.

Ita apud Eucherium in Parænetico ad Valerianum :

Et cum prospera sint, te non meruisse fateris.

Hæc memorat Barthius inter versiculos qui nolentibus exciderunt, l. iv Advers. c. 13.

[d] Hæc conclusio deest in ms. Florentino, desideraturque etiam in cod. Octavii Pantagathi.

[e] Discimus ex hoc loco fuisse Gaudentio fratrem, nomine Paulum, cujus in scriptis suis nomen exstare voluit ; quemadmodum exstare voluit Gregorius Cæsarii fratris sui, Hieronymus Pauliniani, Ambrosius Satyri. Non desunt inter sæculares Scriptores qui fratribus suis idem amoris officium præstiterint.

[f] Flor., Urb. et Vatt. duo monuerunt, hoc loco reponendum esse *turbellam*, quod omnino magis convenit iis quæ mox subsequuntur, *ne turbetur cor vestrum*. *Turbella* enim parva turba est, parva commotio, ut apud Plaut. Pseud. act. I, sc. i :

Scis tu quidem hercle....
Quo pacto et quantas soleam *turbellas* dare.

et Bacchid. act. IV, sc. ix : *Tantas* turbellas *facio*, Ad quem locum Meursius scribendum putavit *turbelas*, ut *suada, suadela ; fuga, fugela* ; et profecto hoc Gaudentii loco *turbelam*, non *turbellam* legit cod. D Octavii Pantagathi, quod maxime Meursii conjecturam confirmat. Librarii insolens verbum conspicati, inepte deleverant, substituentes *scandalum* ; quare in editis legitur *scandalum mens alicujus pateretur*. *Turbulentare* dixit Zeno Veronensis in serm. de Patientia.

[g] Quia tunc maxime agitabatur. Editi vitiose legebant, *formosissimam* ; at Flor. et unus ex Vatt., itemq. cod. Pantagathi, *famosissimam*.

[h] In mss. Pantagathi cum legeretur *alia nostra jam sua*, ita ab ipso Pantagatho locus hic reformatus est : *una propria, alia nostra. Una sua, id est una Dei*, quod omnino rectius habere nemo dubitabit. Fortasse potius delenda est additio illa *jam sua*, quæ otiose ingeritur, legendumque *una propria, alia nostra* ; *id est una Dei*.

ctum nostro profectui profecisse, intelligens apostolus Paulus aiebat : *Donec perveniamus*, inquit, *omnes in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (*Ephes.* IV, 13) : quamquam perfecta divinitas, quæ quod erat semper erit : et sine fine, nullo eguerit incremento. Omnia ergo quæcumque in hac duplici substantia constitutus, vel locutus est, vel fecit, vel pertulit Christus; nunc omnipotentem Dei naturam, nunc infirmam suscepti hominis demonstrabant. Nativitas carnis hominem monstrat; Deum probat inusitatus Virginis partus. Angustum præsepis cunabulum, et obvolutio consueta pannorum, humanam signat infantiam : sed Angelorum voces Deum pastoribus annuntiant esse qui natus est. Nam cum diceret Angelus : *Nolite timere : ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod* B *erit omni plebi; quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum : invenietis infantem pannis obvolutum et positum in præsepi. Subito facta est cum Angelo multitudo exercitus cœlestis laudantium Deum et dicentium : Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 10 *seq.*). Deinde Herodes persequitur parvulum : sed stellæ obsequentis fulgor magnum declarat Deum; [a] quem legati universarum Gentium magi suppliciter adorantes (*Matth.* II), cœlesti Regi **358** honorificentiam debitam, oblatione mysticorum munerum, deferebant. Annorum duodecim puer Jesus in templo a parentibus anxiis reperitur (*Luc.* II); sed in verbis eum Sapientiam Dei, doctorum circumse- C dentium turbæ mirantur. Et *qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus* (*Is.* LIII), ad Baptismum Joannis quasi homo peccator accedit, nostra in suo corpore crimina abluturus; sed et ibi statim naturæ divinæ proprietatem vox Patris ejus e cœlo intonat dicens : *Hic est Filius meus dilectus, in quo bene complacui. Hunc audite* (*Matth.* III, 17). [b] Ut ad hominem diabolus tentator accedit (*Matth.* IV) : sed triumphato diabolo statim succedunt Christo tamquam Deo servientium ministeria angelorum. Seditiones furentium Judæorum declinat frequenter ut homo (*Joan.* VIII) : sed legiones dæmonum quasi servorum, Deus verbi sui fugat imperio (*Luc.* VIII). Supra puteum sedet fatigatus ex itinere quasi homo (*Joan.* IV); sed Samaritanæ mulieris occulta D reserat quasi Deus, humanarum mentium perscrutator; et non solum reserat, sed etiam lavacro aquæ

A in æternam vitam salientis emundat. Emundat autem fideliter supplicantem : *Ab occultis meis munda me* (*Ps.* XVIII); nam dicit ad eum mulier : *Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam amplius* (*Joan.* IV); ardore videlicet exstincto peccaminum. Esurire, sitire, fatigari, dormire, hominis est : sed quinque panibus quinque millia hominum satiare, Dei est (*Joan.* VI). Et largiri aquam vivam (*Joan.* IV), cujus unus haustus bibenti præstet ne ultra jam sitiat, sed sit in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, nonnisi Dei est. Et qui labore terreni itineris conficitur velut homo, rursus idem super aquas ambulat quasi Deus. Nam cum Dominus (*Matth.* XIV) discipulos suos jussisset navigare trans fretum, donec ipse dimitteret turbas; abscedentibus turbis, ascen- B dit et oravit in monte. Vespere autem cum jam navicula in medio mari fluctibus jactaretur contrario vento commotis (*Marc.* VI; *Joan.* VI), ipse majestatis suæ virtute subvectus, ambulabat super terga æquoris, nec plantas gradientis tumens unda tangebat. Periclitantes Apostoli quarta vigilia noctis venientem Christum procul aspiciunt. Petrus rogat : *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas* (*Matth.* XIV, 28). At ipse, ne quid fideli negaret desiderio, ait : *Veni. Et descendens*, inquit, *Petrus de navicula, ambulabat super aquas ut perveniret ad Jesum. Videns vero ventum validum, timuit :* **359** *et cum cœpisset mergi, clamavit dicens : Domine, salvum me fac. Et continuo Jesus extendit manum, et apprehendit eum, dicens illi : Modicæ fi-* C *dei, quare dubitasti* (*Matth.* XIV, 29, 30)? Dum per terram gradiens fatigationem sentit, homo est : sed idem dum secura potestate per fluctus ambulans, Petrum mergentem sublevat, Deus est. Simulque hoc in loco et illud Ariani considerent, quod dubiis in fide Christi, exitialis quædam sit parata submersio, nisi per confessionem veram supplices ad ejus omnipotentiam convertantur. Alibi quoque dormisse navigans Christus Dominus, a sancto evangelista describitur (*Matth.* VIII, 24), cum discipuli in extremo tempestatis discrimine constituti suscitaverunt eum, dicentes : *Domine, libera nos, perimus* (*Ibid.* 25); quando surgens imperavit vento, et mari, et facta est tranquillitas magna. Dormit ut homo, et exsurgens elementis imperat quasi Deus. Nam tumen- D tes fluctus verbo compescuit, statimque siluit increpata tempestas, et ad Creatoris sui vocem, [c] plana confestim jacuit inflati gurgitis moles. Sed ne hu-

[a] Barthius, l. XXII Advers. c. 20 : *Nota res de magis, qui adoraturi Christum ab ultimis, ut scribit Prudentius, Bactris venerunt Hierosolymas. At illud non vulgatum, veteres censuisse, non suo illos nomine, sed tamquam legatos lectos a toto Sapientum Orientalium choro, illud iter confecisse. Unde scribit Juvencus, l.* I :

. . . . . Nomen tenuere magorum.
Hinc læti proceres Solymas per longa viarum
Deveniunt, regemque adeunt....

Gaudentius episcopus Brixianus ad Paulum fratrem : Deinde Herodes persequitur parvulum; sed stellæ obsequentis fulgor magnum declarat Deum, quem legati universarum Gentium magi suppliciter adorantes, cœlesti Regi debitam honorificentiam, oblatione mysticorum munerum, deferebant. Quamquam mystice etiam loquatur Gaudentius. Hæc Barthius.

[b] Elegantissima Evangelicæ historiæ syopsis, cui similem contexuit, supra, tr. 8, et tr. 11. Quam fuerit Gaudentius ingenii felix, ac dicendi ubertate præstans, frequentia hæc specimina ostendunt.

[c] Obvia erat emendatio, quæ tamen ex tribus mss. Flor. et Vatt. duobus desumpta est. Male editi, *plena confestim*; at in cod. Pamagathi, *plana confestim jacuit infinita gurgitis moles*, ubi pro *inflati* habetur *infinita*.

ejusmodi singula recensendo longius a proposito sermone videar evagari, pauca adhuc ex verbis Domini nostri Jesu Christi adjiciam, ex quibus in ipso et humanæ naturæ conditionem, et divinam perspicias potestatem.[a] Judæis dicit : *Quid me vultis occidere? hominem*, etc. (*Joan.* VIII, 40). Et alibi confitentem Petrum, *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 16), beatum pronuntiat, quod dignus fuerit cui hanc fidem Deus Pater infunderet; verum quippe Filium Dei se esse hac elocutione confirmans. Et qui dixerat : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (*Joan.* X, 18), rursus ait : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI). Et idem qui ait : *Solvite hoc templum, et ego in triduum suscitabo illud* (*Joan.* II, 19), iterum dicit : *Pater, si possibile est, transfer calicem hunc a me* (*Luc.* XXII). Ea igitur ratione ipse qui ex persona Dei dixerat : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X); ex persona suscepti hominis dicit : *Quia Pater major me est* (*Joan.* XIV). Jam vero intelligenti quæ dicta sunt, sequens explanatio apertius declarabit, qua ex causa dicatur istud quod scribitur, et quidnam sit quod ait : *Quia Pater major me est;* quamvis evidenter liqueat testimoniis **360** supradictis, Filium Dei sine ullo initio a Patre genitum, postquam nasci ex Maria beata dignatus est, et Deum esse et hominem; et nunc humilia quæque secundum carnem [b] vel egisse, vel locutum fuisse, vel passum : nunc immensam sublimitatem naturæ Dei tam verbis docuisse, quam factis mirabilibus approbasse. Tamen distinctionis hujus regulam non sequuntur nequissimi Ariani, sed cauponum dolo Judaicorum [c] miscent aquam vino, id est humana divinis; et ita illam meram atque apostolicam fidem adultera permixtione confundunt, Deo ascribentes ignorantiam, infirmitatem, metum, impossibilitatem, dubitationem, dolorem, esuriem, sitim, lassitudinem, cæterasque hominis passiones; quas Filius Dei absque detrimento divinitatis suæ ita cum homine suscepit, atque portavit, ut proprias quidem [d] computaret contumelias quas patiebatur in carne, sed tamen divinitas ejus, vim naturæ suæ retinens, impassibilis permaneret. Unde sanctus Apostolus (II *Cor.* XIII), salvo statu incorruptibilitatis divinæ, Dominum majestatis memorat crucifixum. Enimvero ipsius Passio non in divinitatem, quæ est impassibilis, sed in ejus hominem celebrata, pereunti mundo subvenit; hujus namque vulnere nos salvi facti sumus. Non quod divinitas ejus vulnerari potuerit, sed quia ipse infirmitates nostras susceperit, et peccata nostra portaverit, ac pro nobis doluerit, secundum Prophetæ doctrinam (*Is.* LIII) : neque enim ipse infirmatus est, [e] vel peccavit, vel ipse dolores crudelium vulnerum sensit. Nam quomodo fieri poterat, ut qui multiplices ægritudinum morbos præcepti sui potestate curaverat, et mortuis iteratam vitam imperio suo tribuerat; ipse [f] secundum naturam divinam fuerit Passioni subjectus? Sustinebat ergo ut homo contumelias Passionis in carne, et operabatur ut Deus propria auctoritate virtutes. Unde Apostolus ait : *Crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei* (II *Cor.* XIII). Et hinc est illud **361** quod cum ad Passionem deducitur, tactu dexteræ suæ novam format aurem Malcho (*Luc.* XXII, 51), contra patientiæ suæ propositum, Petri ulciscentis gladio amputatam : et quod pendens in cruce latroni confitenti paradisum donat (*Luc.* XXIII): et quod [g] in sepulcro positus corpora sanctorum resuscitat (*Matth.* XXVII) : et quod resurgens in ea videtur qua passus fuerat compositione membrorum (*Luc.* XXIV), et ad Apostolos intra unum domicilium congregatos, januis clausis ingreditur (*Joan.* XX) :

[a] Immane quam ab hoc versu usque ad finem hujus tractatus in quatuor mss. turbata et confusa sint omnia; desunt enim hic illic lineæ fere centum; reliqua vero quæ supersunt, perpetuo luxata, vix Ariadnæo filo, recto ordine deduci et componi possunt; eodemque omnino vitio laborat etiam cod. Pantagathi. Merito monuit vir doctus, in not. ad Longinum, edit. Salmurii pag. 385, fieri solere in fine omnium pene mss. codd. ut pluribus mendis scateant, cum tædium, aut negligentia, aut nimium festinandi studium reliqua corrumpit.

[b] Sic mss. quatuor; tres vero editiones, inepte, *delegisse*. Cod. Pantagathi, *vel egisse*.

[c] Ita legendum esse persuadet consensus mss. Congruit etiam quod sequitur, *id est humana divinis*. At minus recte editi, *miscent aquæ vinum*. Infra etiam hoc eodem tract. humanitatem aquæ, Deitatem vino comparat : *Ut sane Incarnationis aqua vinum fieret Deitatis, quod hæretici adulterantes verbum Dei, adhuc velut aquam vino permiscent*.

[d] Verbum hoc deest in editis, sed habetur in mss. quatuor, et in cod. Pantagathi; qui deinde mox vocem *sed* expungit, legens *divinitas tamen ejus*.

[e] Mss. quatuor legunt *vel ipse portavit, vel ipse dolores crucialium vulnerum*, id est eorum quæ Christus pertulit in cruce positus; et eamdem lectionem habet etiam cod. Pantagathi. Fortasse scripserat Gaudentius *crucialium*, corruptæ latinitatis vocem, quomodo *cruciarium* Domini dixit Commodianus instructione 32 :

Cruciarium Domini si non adorasti, peristi;

quo in loco crucem, vel cruciatum Christi, interpretatur Rigaltius.

[f] Restituimus locum hunc ad normam mss., qui in editis aliquo laborabat vitio; sic enim habent : *secundum naturam divinam fuerit passionibus in carne subjectus?* Atqui Gaudentius hoc pacto non suæ, sed Arianorum causæ patrocinari videretur, Christum secundum naturam divinam, Passioni in carne subjectum fuisse, quodammodo pronuntians. Error inde ortus, quod verba illa *in carne*, quæ mox suo loco reposuimus, *sustinebat ergo ut homo contumelias Passionis in carne*, in hunc locum incuria librariorum traducta fuerant.

[g] Ἀντιχρονισμός; non enim statim post mortem Christi, sed post ejus resurrectionem, surrexerunt sanctorum corpora, tamquam *appendices Dominicæ resurrectionis*, ut loquitur Tertull. in lib. de Anima c. 33. Sane Hieronymus, Epitaph. Nepotiani hæc habet : *In resurrectione ejus, multa dormientium corpora surrexerunt, et visa sunt in cœlesti Jerusalem*, ad quem locum videsis annotata a Martianæo, t. 4, edit. Bened., pag. 267.

et quod cœlos ascendens, discipulos fideles non deserit, cum ipsis se permansurum usque ad consummationem sæculi pollicendo (*Matth.* xxviii).

Hanc distinctionem si sequerentur hæretici Ariani, numquam mysterium vitæ nostræ in contumeliam Filii Dei converterent, minorem illum Deo Patre blasphemis vocibus asserentes, quem vas electionis æqualem Patri esse testatur; aperiens omnem illam rationem, pro qua Dei Filius qui et homo, dixerit: *quia Pater major me est. Hoc*, inquit, *sentite in vobis quod in Christo Jesu: qui in forma Dei constitutus, rapinam non arbitratus est quod esset æqualis Deo* (*Philipp.* ii). Æqualem testatur Apostolus: minorem conatur asserere Arius. Arbitrio committitur audientium, cuinam credendum censeant: utrum Paulo apostolo, qui electus a Christo magister Gentium, *velut sapiens architectus fundamentum* Fidei *posuit* (I *Cor.* iii); quique *usque ad tertium cœlum raptus audivit arcana cœlestia* (II *Cor.* xii): an exsecrabili Ario, [a] qui principis Constantini temporibus, cum venenato corde confessionem catholicæ fidei simularet; ambiens in amicitiam regis, et in gradum presbyterii, unde merito pulsus fuerat revocari; ad similitudinem Judæ traditoris, *crepuit medius*, *et effusa sunt omnia viscera ejus* (*Act.* i), ne sub indumento ovis, lupus ad devorandum gregem Domini introiret. Hujus improbi assertionem sequentes Ariani, exemplum pariter sequentur et mortis. Nos autem [b] qui apostolicam fidem, et doctrinam sequimur, ad explanationem supradictam **362** beatissimi Pauli, aures nostrarum mentium fideli commodemus affectu. Sequitur enim: *sed sese exinanivit* (voluntaria scilicet bonitate) humiliando *semetipsum*. Et adjicitur: *formam servi suscipiens*, non utique servus effectus: *in similitudine*, inquit, *hominis factus* (*Philipp.* ii). *Quod* enim *factum est*, *in illo vita* est (*Joan.* i): nempe illud quod in eo secundum carnem factum est, vita nostra est, ipso testante: *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant* (*Joan.* x). Deinde adjecit: *et specie inventus ut homo* (*Philipp.* ii); nam Dei speciem, quanta sit, id est ipsum proprie *Deum*, *nemo vidit umquam* (I *Joan.* iv). Deinde *humiliavit seipsum, factus*, inquit, *obediens usque ad mortem, mortem*

A *autem crucis* (*Philipp.* ii); spontanea quippe humilitate cum patris voluntate, volens crucem pertulit, ut mors ejus fieret vita credentium. *Propter quod*, inquit, *exaltavit illum Deus*. Quem illum? eum scilicet qui supplicium crucis ac mortis excepit; non singulariter Deum, qui semper excelsus est per naturam. *Et donavit illi nomen quod est super omne nomen* (*Ibid.*). Nomen super omne nomen Deus est; et [c] non utique Deo donatur, ut Deus sit. Nam *in principio* apud Patrem Filius *Deus erat Verbum:* sed homo a Filio assumptus promovetur in Deum, [d] ut Filius Dei qui semper fuerat, Deus esset pariter et cum ea substantia quam sumpsit ex Virgine, totus iterum Deus. *Ut in nomine Jesu*, Dei quippe et hominis, *omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum; et omnis lingua confiteatur quoniam Dominus Jesus est in gloria Dei Patris* (*Ibid.*). Id est, ut post Passionis mysterium, et Ascensionis triumphum, jam totus Dei Filius cum eo quod pro nobis dignatus est assumere, in gloria Dei Patris (in divinitate scilicet naturæ suæ manens) ab universis cœlestium, terrestrium, et infernorum virtutibus adoretur. Prius ergo quam pateretur; priusquam triumphata morte cœlos victor ascenderet, priusquam divinitatis paternæ in sinum cum tota, qua ex Virgine natus fuerat, substantia remearet; priusquam ab omni creatura rationabili cœlestium, terrestrium, et infernorum agnosceretur, atque adoraretur Dominus Jesus in gloria Dei Patris, merito discipulis dicebat: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quod vado* **363** *ad Patrem: quia Pater major me est* (*Joan.* xiv, 28). Erat enim minor adhuc in carne natus Filius Dei, donec in antiquam gloriam suam [e] suscepti hominis naturam collocaret. Et ideo alibi ex persona ejus dicit ad Patrem: *Pater, glorifica me ea gloria quam habui apud te priusquam hic mundus esset* (*Joan.* xvii). Utique ut gloriam divinitatis, quam Deus apud Deum Patrem Filius ante mundi constitutionem semper habuerat, cum tota [f] nativitatis corporea substantia possideret. Propter hoc ita et post resurrectionem suam loquitur quibusdam de hac dispensatione hæsitantibus. *O insensati*, inquit, *et tardi corde ad credendum, in omnibus quæ lo-*

[a] Acta sunt hæc post concilium Nicænum, cum nempe Arius a synodo Hierosolymitana receptus, apud Constantinum pœnitentiam simularet. Confer Socrat. l. i, c. 26, edit. Vales.; Sozom. l. ii, c. 27; Athanas. in Apolog. ii; Epiph. hær. 69. Illustrat non parum locus iste Gaudentianus Arianæ hæreseos historiam; ideoque etiam a Baronio profertur ad A. C. 336, n. 56, inter elogia Patrum, quibus turpem Arii obitum suggillat. Videtur autem Gaudentius Ambrosium imitatus, qui lib. i de Fide ad Gratianum, c. 9, sic ait: *Cui ergo credimus? Joanni in Christi pectore recumbenti, an Ario inter effusa se sua viscera volutanti? ut agnosceremus similem Judæ proditoris Arii quoque fuisse perfidiam, quem similis pœna damnavit, effusa sunt enim et Arii viscera, pudet dicere ubi, atque ita crepuit medius.*

[b] Lectio Urbinatis, quæ cæteris melior visa est. Flor., *qui Apostolicam doctrinam sequimur:* at Vatt. duo, *qui Apostolicam fidem*. Utraque hæc lectio Urbinati consentit; aliter vero editi, *qui apostolicam* D *disciplinam consequimur*. Cod. Pantagathi: *Nos autem qui Apostolicum sequentes doctrinam*. Fortasse τὸ *qui* superfluit.

[c] Sic Flor. et Urb. quibus consentit liber Pantagathi. Vatt. duo, minus recte, *non utique Deo donatur ut Dominus sit*. Editi, *non utique donatur ut Deus sit.*

[d] Sic Paris. editio et mss. quatuor, una cum libro Pantagathi. Duæ editiones, *et Filius Dei qui semper fuerat;* ut etiam supra, *Filius Dei erat Verbum;* at nos, *Filius Deus erat Verbum*, ex Paris. et quatuor mss. ac cod. Pantagathi.

[e] Editiones legebant *donec in antiquam gloriam suam suscepit hominis naturam;* quare hic quoque reddidimus lectionem mss. sibi invicem consentientium, nisi quod Urb. habet *suscepti hominis materiam;* prout etiam cod. Pantagathi.

[f] In libro Pantagathi legitur aliquanto melius, *nativitatis corporeæ substantia.*

cuti sunt Prophetæ! *Nonne hæc oportuit Christum pati, et ita introire in gloriam suam* (*Luc.* XXIV)? Non immerito minorem se esse testatus est, sed in eo loco ubi rationem Passionis, et resurrectionis, et ascensionis suæ propriis insinuabat Apostolis. [a] Ne tu, Ariane, sententias ejus quas de perfecta divinitatis substantia ante Passionem locutus est, evacuari posse existimes incredulitatis vernaculæ argumento, quo animæ tuæ salutem perniciosa calliditate interimis. Sermo Christi vel cum de divinitate sua docet, vel cum de incarnatione loquitur, tota claritate distinctus est. Nam et per Prophetas aliter sublimitatem Deitatis suæ annuntiat, cum dicit : *Audi, populæ meus, et loquar : Israel, et testificabor tibi, quod Dominus Deus tuus ego sum* (*Ps.* XLIX) : aliter futuræ incorporationis suæ humilitatem designat, cum dicit : *Ego autem sum vermis, et non homo : opprobrium hominum, et abjectio plebis* (*Ps.* XXI). Et post multa, ut ipsius esse omnem textum prophetiæ non dubites : *Diviserunt*, inquit, *sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* (*Ibid.*); quod a crucifigentibus factum de vestimentis Christi evangelistæ testantur (*Matth.* XXVII; *Joan.* XIX). Nemo itaque fidelium conturbetur, quod minorem, se in hoc mundo secundum carnem positus, Patre suo dixerit Filius, qui etiam vermi seipsum jam tum per Prophetam comparare dignatus est : et hoc quidem non sine ingentis ratione mysterii Constat enim, [b] sine coitu generantis, futuræ apis vermem nasci, *cujus labores reges* **364** *et mediocres* [c] *ad sanitatem afferunt ;* sicut scriptum est. Labores enim Passionis Christi, quem velut apem virginem permansurum [d] Virgo edidit mater, tam reges a regendo (summi videlicet sacerdotes) quam mediocres quique sequentium, vel ordinis Levitici, vel fidelium plebis, in figura corporis ejus, ac sanguinis, pro salubritate vitæ communis afferimus, et agnitam dulcedinem mysteriorum [e] conscio ore testamur : *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus* (*Ps.* XXXIII). Sed væ hæreticis, qui id quod dulce est, amarum conantur asserere, ibi æqualitatem subtrahere de Filio gestientes, ubi totus in gloria Dei Patris manere cognoscitur, consummato mysterio Passionis. Nam sic ait ad beatos Apostolos, Ascensionis ejus majestatis gloriam desiderio mentis audientes : *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem : quia Pater major me est* (*Joan.* XIV). Declarans quippe, ideo se in utraque substantia, Dei et hominis, post Passionem, resurrectionemque suam, cœlos ascensurum, ut is qui ob incarnationis humilitatem, minor se ipso, et idcirco Patre suo minor videretur in terris, calcato mortis aculeo cœlos victor ascendens, æqualis Patri, sicut semper fuerat, permaneret; et idem qui semper Deus, nunc et homo, jam Deus in æterna Patris gloria constitutus sine fine regnaret. Nam qui prius in imagine, de aqua vinum fecit, cum diceret beatissimæ Mariæ : *Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea* (*Joan.* II); ipse post horam Passionis suæ, veritatem præmissi ænigmatis eatenus consummavit, ut sane incarnationis aqua vinum fieret Deitatis; quod hæretici adulterantes verbum, Dei, adhuc velut aquam vino permiscent, cum totus Dominus Jesus, et quod ex Deo Patre est, et quod ex Virgine matre est, Deus sit unigenitus **365** in gloria Dei Patris : quoniam quidem Deus diminutus non est in homine, sed homo proficit in Deum; ut sicut *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I), ita caro Deus fieret, et habitaret in cœlis. Unde consequenter addidit : *Et nunc*, inquit, *dixi vobis antequam fiat, ut cum factum*

[a] Sic mss. quatuor; editi vero, *ne tum, Ariane*. Cod. Pantagathi : *Ne tu, Ariane*. Videtur autem scribendum *Apostolis ; ne tu Ariane*, ideoque delenda nota finiti sensus, στιγμή, ut *ne tu Ariane* referatur ad illud quod dixerat *sed eo in loco*.

[b] Loquitur Gaudentius ex Plinii sententia, cujus verba, lib. XI, c. 16, hæc sunt : *Apum coitus visus est numquam. Plures existimavere oportere confici floribus compositis apte, atque utiliter. Aliqui coitu unius, qui rex in quoque appellatur examine*. Deinde hac sententia rejecta subdit : *Quod certum est, gallinarum modo incubant. Id quod exclusum est, primum vermiculus videtur, candidus, jacens transversus, adhærensque ita ut pascere videatur*. Aristoteles vero apibus coitum tribuit l. III, de Gener. animal., c. 10, Theodoro Gaza interprete : *Si sine regibus gigni fœtus apum videretur, apes etiam sine coitu ex se generari necesse esset : sed cum hoc negent qui in eorum animalium cura versantur, relinquitur ut reges et se generent, et apes*. Nota est Virgilii narratio de Aristæo pastore Georg. IV, in qua sane videtur poetico genio obsecutus; nam eadem ratione non solum ex bove, sed ex leone etiam apes oriri posse, ut traditur Jud. XIV, nullo negotio docuit Bochartus in Præfat. ad Hieroz. pag. 48, apes nempe ibi repertas fuisse, non natas. Consule Augustinum, XV de Civ. c. 27, ibique Ludovici Vives annot. ad verba : *Alia vero sunt in quibus nihil sit maris et feminæ, sicut apes*. Cardanus, lib. IX de Subtil., apes e melle gigni affirmat; at Cardanum irridet Scaliger Exerc. 191, quem adire omnino operæ pretium erit. De apum coitu hodie res adeo comperta est, ut nullo modo amplius in quæstionem revocetur.

[c] Ubi scriptum est? Unus est ex iis locis qui in Hebraico textu et Vulgata editione non exstant, cum tamen apud LXX et plures ex Patribus inveniatur. Nam, ut notavit Samuel Bochartus in Præf. ad Hierozoicon, Prov. VI, 8, post locum de formica, apud Græcos de ape quædam adduntur, quæ citant multi Patres, transtulit Arabs, et Castalio quoque his verbis : *Aut apem adi, et disce, quam operosa sit, quamque augustum opus exerceat ; cujus laboribus et reges, et privati vescuntur salubriter*. LXX autem : *Aut vade ad apem, et disce, quomodo operaria est : operationemque quoque quam venerabilem facit ; cujus labores reges et idiotæ ad sanitatem afferunt*. In mss. quatuor, et in cod. Pantagathi, habetur *ad sanitatem offerunt ;* et paulo infra *pro salubritate vitæ communis offerimus :* sed neutro in loco putavimus, vulgatam lectionem esse immutandam; Judæis enim mel offerre (qui apum labor est) Lege interdictum erat. Lev. II : *Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiet ; nec quidquam fermentati ac mellis adolebitur in sacrificio Domino*. Vide Saubertum, de Sacrificiis Veter. cap. 25.

[d] Sic mss. quatuor, et liber Pantagathi; in editis legitur *Virgo mater dedit*.

[e] Grandis hic est in mss. lacuna; desunt enim integri versus quinque et sexaginta, ab his verbis usque ad illa : *Nam quem inclinatum*.

fuerit, credatis (*Joan.* XIV, 29) : id est, ideo dixi, si diligeretis me, lætari vos oporteret quod ad Patrem pergerem, quia pater major me est, [a] ut cum factum fuerit, credatis æqualem. *Cum factum fuerit :* quid? illud utique; cum post passionem meam cœlos ascendero, in illa gloria quam cum Patre, et apud Patrem semper habui permansurus. Ideo postquam resurrexit a mortuis, quidam dubitantes increpantur ab ipso; et audiunt, oportuisse hæc omnia pati Christum, et ita introire in gloriam suam, quam se ante constitutionem mundi semper possedisse testatus est. Quapropter Apostolus : *Etsi cognovimus*, inquit, *secundum carnem Christum : sed jam nunc non novimus* (II *Cor.* v, 16). Est enim Deus et homo, utrumque jam Deus in Dei Patris dextera constitutus, *quoniam calix in manu Domini vini meri plenus est mixti. Et inclinavit ex hoc in illud : verumtamen fæx ejus non est exinanita* (*Ps.* LXXIV). Et quamquam sciam, charissime, psalmi hujus textum alio sensu, et quidem rationabili, fuisse a prioribus explanatum; [b] ego tamen pro libertate fidei, opportunitatem dictorum secutus, traxi ad incarnationis Dominicæ sacramentum. Nam sic vel inclinatus, vel humiliatus est Deus in homine, ut permanens Deus esset quod fuerat, hominemque, propter quem se humiliaverat, exaltaret; quia ita *Verbum caro factum est*, ut habitaret *in nobis* (*Joan.* I); et ita rursus homo in Deum conversus est, ut in Deum quidem promotam, naturæ tamen suæ substantiam retineret. Atque ideo Propheta ait : *Quoniam calix in manu Domini vini meri plenus est mixti : et inclinavit ex hoc in illud : verumtamen fæx ejus non est exinanita. Vini*, inquit, *meri plenus est mixti* (*Ps.* LXXIV). Et mixtum perhibet vinum, et illud ipsum merum testatur esse, ut eumdem credamus Deum, quem pro nobis et hominem confitemur. Nam quem inclinatum nuntiat, pariter dicit et plenum; ut is qui sese exinanivit **366** formam servi accipiens, plenus Deus esse non desinat. *Habitavit* enim in Christo *omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II), et *de plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratia* (*Joan.* I, 16). Hunc vero calicem *bibent*, inquit, *et peccatores terræ* (*Ps.* LXXIV). Recte juxta hunc intellectum ait : *bibent et peccatores terræ*; quia peccatores cœli ex Angelis dæmones facti, salutis poculum bibere non merentur : terræ autem peccatores contra venena dæmonum, morbosque vitiorum, calicem salutis accipient, et nomen Domini invocabunt (*Ps.* CXV). *Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit* (*Rom.* X). Ideo vero calix iste peccatoribus bibendus tribuitur, quia *non est opus sanis medico, sed male habentibus. Non veni*, inquit, *vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam* (*Matth.* IX) : tales enim sapientia Dei ad istum cratera salutiferæ mixtionis invitat, cum sublimi voce hortatur, ac dicit : *Quisquis est insipiens, divertat ad me. Et egentibus sensu ait : Venite, edite de meis panibus, et bibite vinum quod miscui vobis* (*Prov.* IX). Ob hoc autem invitatur insipiens a sapientia Dei, ut fiat sapiens; et peccator, ut convertatur ac vivat.

Ad istud poculum divinæ misericordiæ universi generaliter convocamur : *Omnes enim peccaverunt*, ut ait Apostolus, *et egent gloria Dei*. Quod si *omnes peccaverunt*, [c] *et egent gloria Dei* (*Rom.* III, 23) (majestatis quippe ejus medela), quos tandem dicemus sanos, quibus medici officium necessarium non sit, nisi forte illos qui ab ipso jam curati, medicina ultra non indigent? Cæterum nemo sanctorum medicina Christi non indiguit, cum sanctos eos nonnisi fides ejus effecerit, sicut scriptura testatur in epistola Pauli beatissimi ad Hebræos (*Hebr.* XI). Et idcirco gratias referens idem prædicabat Apostolus : *Fidelis*, inquit, *sermo, et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere; quorum ego sum primus* (I *Tim.* I). Nec sibi aliquis de salute propria sine Dei Christi munere blandiatur, quando Vas electionis [d] priorem se fatetur esse omnium peccatorum. Quotquot igitur ex peccatoribus **367** congregati, bibere fidem Christi meruimus, participes altaris effecti, et donum charismatis consecuti, cum voce exsultationis et confessionis, Dei munera prædicemus dicentes : *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum : et pocu-*

[a] Isidorus Clarius in Scholiis ad hunc locum : *Quod ait debere eos gaudere, quod eat ad Patrem, videtur ob hoc dictum, quod proficiscente in cœlum Domino, intellecturi apertius essent mysteria illa divinitatis, et nativitatis Filii a Patre, et unitatem Filii cum Patre, et cætera hujus generis.*

[b] Nota est regula quam pro exponendis Scripturis tradit Aug. l. I de Doctr. Christ. c. 36 : *Quisquis Scripturas divinas, vel quamlibet earum partem, intellexisse sibi videtur, ita ut eo intellectu non ædificet geminam charitatem, Dei, et proximi; nondum intellexit. Quisquis vero talem inde sententiam duxerit, ut huic ædificandæ charitati sit utilis, nec tamen hoc dixerit quod ille quem legit, eo loco sensisse probatur; non perniciose fallitur, nec omnino mentitur.* Paulo aliter idem Gaudentius, supra in tr. de Villico p. 351 : *Venio nunc ad illud quod tantopere a me exegisti, et quid super eo sentiam, qua potero brevitate narrabo; nulli præjudicaturus, qualiter interpretari voluerit, modo ut explanatio ejus traditionem fidei apostolicæ non infringat.*

[c] A Lapide in hunc Apostoli locum recte observat, quod cum ait, *Omnes egent gloria Dei*, juxta Cyrillum in lib. de Recta Fide ad Reginas, per gloriam intelligit Christum, qui est gloria Patris, hoc ipso quo est Redemptor, et justificator noster; quasi dicat Paulus : *omnes egent Christo Redemptore*. Alii magis genuine ad mentem Apostoli, per *gloriam* hic accipiunt *gratiam*, qua glorificatur Deus. Unde Hier. lib. VI in Isaiam c. XVI, et Aug. l. I de peccat. Merit. c. 27, citantes non tam verba, quam sensum Apostoli, legunt : *Omnes egent gratia Dei*. Quamquam omnes hi sensus eodem fere tendunt. Lugd. editio legit *et egent gratia Dei*, et paulo post denuo *et egent gratia Dei*; *majestatis quippe ejus medela*; at Flor. cod. et liber Pantagathi utrobique habent *gloria Dei*.

[d] Hoc est *deteriorem, pejorem*, non *digniorem*, ut putavit Barthius in Animadvers. ad Paulini Petrocorii lib. I de vita B. Martini; hoc loco Gaudentii usus ad illustrandum Paulini illud :

Ipsos subdiderat dilectio vera *priores*.

lum tuum inebrians quam præclarum est (*Ps.* XXII)! A ut possimus, misericordia [a] Domini subsequente, habitationem [b] domus ejus perpetuam promereri ab ipso Dei Filio sempiterno, cujus regni non erit finis, quia vicit mortem, et perpetuo regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XX.

DE DIVERSIS CAPITULIS DECIMUS.

De Petro et Paulo. [c]

[d] Venerabilis antistes Christi, communis autem pater, [e] affectu quo me proficiscentem detinuit, nunc etiam compulit excusantem, ut iterum dilectionem vestram tractatu [f] mei sermonis alloquerer. Et idcirco aliquid de laudibus beatissimorum Apostolorum, pro pusillitate sensus mei perstringam, B ipsorum tamen quorum natalis est, præsidio [g] animatus. Tres intelligimus [h] nativitates humano generi ab æterna **368** Trinitate concessas. Una carnalis est omnium : duæ spiritales sunt pro merito fidei singulorum. Prima, qua creamur ex nihilo in substantiam vitæ mundanæ : secunda, qua regeneramur in Baptismo ex iniquitate, et erroribus ad justitiæ veritatem : tertia, qua beatissimi martyres, ob confessionem nominis Christi, per tormenta nascuntur ad regnum. Talis forma præcessit in Christo, qui [i] ex Virgine natus, [j] in Jordane renascitur, in crucis patibulo pretiosi [k] cruoris sanguine baptizatur. Nam post illud baptisma quod pro nobis in Jordane susceperat, [l] de Passione sua dicit Apostolis : *Baptisma habeo baptizari* (*Luc.* XII, 50). Resurrexit enim [m] ex ipso baptismo Passionis ad vitam termino jam nullo claudendam : remeavit ad regnum, *cujus regni non erit finis* (*Luc.* I, 33). Per hujus magistri vestigia gradiuntur fideles discipuli Petrus, et Paulus, quorum passionis natalem hodie per universum mundum omnes Ecclesiæ debito honore [n] concelebrant. In hoc enim [o] die apud urbem Romam ambos pro Christi nomine [p] Neronis cru-

Ait quippe : *digniores, abusu ævi.* Deinde profert locum Alcimi Aviti et Gaudentii. Poterat Barthius alio Gaudentii loco uti, ubi digniorem *priorem* vocat tr. 17. *Sed merito prior, et dignitate præstantior.*

[a] Inepte omnino tres editiones, *materia Domini subsequente ;* sed mss. quatuor, *misericordia Domini ;* cod. vero Pantagathi pro *possimus, misericordia Domini subsequente, habitationem domus ejus,* habet *possideamus, misericordia Domini subsequente, habitationem domus ejus;* quod videtur sensui magis congruere, sed syntaxis sequentium verborum repugnat.

[b] Reliqua desiderantur in mss. quatuor, et in C cod. Pantagathi, qui mox verba hæc apponit : *Expliciunt sermones D. Gaudentii ad Benivolum;* at clausula ista aptanda potius erat ad finem sermonis de Machabæis martyribus ; ibi enim finiunt sermones a Gaudentio ad Benivolum missi, juxta ea quæ Gaudentius ipse in Præf. scripserat ad eumdem, p. 220.

[c] (Habet Galeardus : *S. Gaudentii Brixiani de Petro et Paulo Sermo,* cum nota sequenti.) Hunc titulum præfert antiqua editio Veneta sermonum S. Zenonis Veronensis episcopi, in qua sermo hic primum prodiit anno 1508, habeturque l. III, serm. 48. Exstat etiam in codd. Urb. 150 et Vat. 1235, cum quibus collatus est, sicque inscribitur : *S. Gaudentii Brixiani de Petro et Paulo.* Nulla ergo dubitatio quin genuinum sit Gaudentii opus. De hoc eodem sermone testimonium proferunt recognitores atque editores sermonum S. Zenonis episcopi Veronensis, qui recusi fuerunt Veronæ apud Hieronymum Discipulum 1586, jussu Augustini Valerii cardinalis, Veronæ episcopi. Eorum verba hæc sunt : *Monemus prætermissum esse S. Gaudentii episcopi Brixiensis sermonem, qui excusis sermonibus S. Zenonis fuerat additus, quod in vetusto ms. codice non reperitur.* Invenitur etiam inter schedas Octavii Pantagathi hoc titulo : *S Gaudentii Brixiani de Petro et Paulo.*

[d] Videtur Ambrosium designare; sic enim in serm. de Ordinat. sui : *Beatus pater Ambrosius, cæterique venerandi antistites.* Et infra, eodem serm. : *Obsecro communem patrem Ambrosium.*

[e] Habitum fuisse Mediolani sermonem hunc, verba ista satis indicant ; qua in urbe non semel sermocinatum Gaudentium ex sequentibus liquet. Porro peregrinos episcopos antiquitus ad concionandum invitari solitos fuisse ab ejus civitatis ad quam venissent episcopo, pluribus observavit Ferrar. l. II, de Rit. sacr. Eccl. Conc. cap. 5, quam laudabilem, ac piam priscæ religionis consuetudinem negligi, atque intermitti cernens sanctus Cardinalis Carolus Borromæus, eam in Ecclesiam Mediolanensem et facto et decreto revocavit, ut in ejus actis legitur.

[f] Ita cod. Urb. et Vat. In veteri editione deest vox *mei,* quæ desideratur etiam in ms. Pantagathi.

[g] Consentiunt mss. codd. Urb. et Vat. Editi mendose legebant *precibus.*

[h] Ita etiam Vat. cod., nam Urb. habet *humanitates;* in quo manifestus est librarii lapsus.

[i] Sic editi. Cod. Urb., *ex Virgine in homine natus.* Vat. quoque.

[j] Emendavimus ex Urb. et Vat.; nam antea cusi sic : *in Jordane nascitur.*

[k] Sumitur sanguis nonnumquam pro succo et liquore; unde illud Manilii l. V :

Et viridis nemori *sanguis* decedit, et herbis.

Similiter Gen. XLIX, 11 : *Lavabit in vino stolam suam, et in* sanguine *uvæ pallium suum.* Et Deut. XXXII, 14 : *Et* sanguinem *uvæ biberet meracissimum.* Eodem modo quo Gaudentius, loquitur etiam Cyprianus ad Martyres et Confessores ep. 10, edit. Amstel. 1700 : *Fluebat* sanguis *qui incendium persecutionis exstingueret, qui flammas et ignes gehennæ glorioso* cruore *sopiret.*

[l] Ita cod. Urb. et Vat., nam antiqua editio habet *per Passionem suam.*

[m] *Ex isto* legunt mss. codd. Urb. et Vat.

[n] Concinit uterque codex; et ita omnino legendum videtur, ut referatur ad illud *per universum mundum,* et *omnes Ecclesiæ.* Editi, *celebrant.*

[o] Sic mss. Editio autem vetus non habet *die,* nec D liber Pantagathi. Suppeditat hic Gaudentius quo sententiam eorum fulcias qui asserunt, una die, eodemque anno, Apostolos passos esse, de qua Bar. ad A. C. 69, n. 4. Aliter sensit Valesius in not. ad Euseb. l. II, c. 25.

[p] Nerone scilicet Romæ agente ; an eo in Græciam profecto? Si hoc postremum; Gaudentii dictum, quod Apostolos *Neronis crudelitas interfecerit,* ita demum accipiendum erit, quia proposito capitali edicto, eos per satellites suos jusserit occidi. At prior opinio multo plures habet assertores. Baronius quidem Apostolos passos tradit L. Fonteio Capitone, et Caio Julio Rufo coss. A. C. 69 (at verius 67), cum jam Nero ex Achaia Romam rediisset ; at Pagius, eo Romæ agente antequam in Græciam proficisceretur, occisos esse contendit, Nerva et Vestino Coss., nempe A. C. 65. Confer Tillemontium, in notis ad vitam S. Petri, not. 40.

delitas interfecit, Domini justitia coronavit. [a] Petrus crucifigitur verso ad terram capite, et in sublime pedibus elevatis, asserens indignum se qui ita crucifigeretur ut Dominus suus. Paulus gladio capite truncatur. Ambo nobiles, ambo insignes : duo vero mundi lumina, columnæ fidei, Ecclesiæ fundatores, innocentiæ magistri, totius sanctitatis et veritatis auctores. Quos tunc digne laudare possumus, si eos divinis testimoniis prædicemus, quibus eos **369** Veritas ipsa laudavit. Petro confitenti Dominus dicit : *Beatus es, Simon Bar-jona : quoniam caro et sanguis non revelavit* [b] *tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est* (*Matth.* XVI). Et, *tibi dico, Petre, tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum*; et cætera. De Paulo [c] quid dicam ? *Quoniam Vas electionis est*, inquit, *hic mihi, ut portet nomen meum in universo mundo* (*Act.* IX). Super unum fundatur Ecclesia : alter [d] pretiosum fidei myrum doctrina sua portat in populo, ipse Vas electionis effectus. Petrus signis, et mirabilibus enitescit : Paulus in doctrina, et persecutionibus gloriatur. Petrus [e] erat antea A piscator : Paulus persecutor ; sed ambo postea facti sunt hominum piscatores. Etenim per totum mare sæculi hujus [f] salutaris doctrinæ retia tetenderunt. Petrus ambulare jubetur in fluctibus (*Matth.* XIV, 29); Paulus in nubibus, [g] dum usque ad tertium ducitur cœlum : ambo in invii itineris gradiuntur elemento, fidei virtute sublimes. Quem cui præponere audeam, nescio ; cum Dominus eos sub una confessione [h] æquales in passione monstraverit, in vera fraternitate conjunxerit, unanimitatis vinculo copularit ; ut etiam de ipsis rectissime præsumamus prophetico spiritu **370** prædicatum : *Ecce quam bonum, et quam jucundum, habitare fratres in unum* (*Ps.* CXXXII). Sunt quidem Moyses et Aaron, de quibus dicitur fratres. Sunt Prophetæ et Apostoli una B doctrina, spiritu fratres. [i] Sunt in nobis interior et exterior homo, si unum sapiant, fratres. Sunt etiam Petrus et Paulus vere consanguinei fratres, quos una pariter fides proprii sanguinis fecit communione germanos. Ego eos et geminos dicere fratres audebo, quos mater una confessione, felici utero, simul fudit in regnum. *Beati enim qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipso-*

[a] Putabat vir quidam doctus, desumptum hoc esse ex Actis apocryphis quæ sub Lini nomine circumferuntur ; sed rem confirmant frequentia Patrum testimonia, Origenis, Augustini, Prudentii, Chrysostomi, et aliorum, quos recenset Bar. ad A. C. 69, n. 49. Ne quis insolentiam rei obtendat, conferendus Lipsius de cruce l. III, c. 8, quo magis fit ut mi- C rer, hujusmodi sententiam eruditi hominis animo insedisse, cum præsertim Acta illa supposititia videantur ævo Gaudentii admodum recentiora. Vide Voss. de Hist. Græc. l. II, c. 9. Cæterum Gaudentii verba eadem omnino sunt ac Hieronymi in libro de Script. Eccl., ubi de Petro hæc habet : *Affixus cruci martyrio coronatus est, capite ad terram verso, et in sublime pedibus elevatis, asserens se indignum qui sic crucifigeretur ut Dominus suus.*

[b] Ita in editis et Vaticano ; nam in cod. Urb., deest *tibi*; at priorem lectionem tuetur textus Evangelicus.

[c] Mss. habent *quid dicit ?* hoc autem magis convenire videtur, cum loquatur ex persona Christi.

[d] Fugisset me profecto locus iste, nisi conniventi, transilientique mihi, vitium indicasset vir nobilitate juxta, ac rara litterarum laude præpollens, Scipio Maffeius, minime mihi in transcursu dicendus, quem jure optimo Italiæ nostræ decus, ac bonarum D artium columen appellare possum. Quamquam enim non plane assentiar iis quæ contra sententiam meam erudite admodum atque ingeniose conscripsit, in dissertatione italica de Veronensium origine et finibus Cenomanorum ; non ideo minus eximiam viri doctrinam, aut ingenii acumen suspicio : non minus ingenuos, ac suavissimos mores amo ; cum, ut inquit Manutius noster, opinionum dissimilitudo tantum absit a simultate, ut sæpissime qui sententia discrepant, in amore consentiant. Sed cæteris missis, quod nunc instat agamus. Legebat vetus editio : *alter pretiosum fidei murum doctrina sua portat in populo, ipse Vas electionis effectus*; sed durior omnino hæc erat lectio et Gaudentiano genio indigna. Nam qui fieri potest ut *vas portet murum ?* deinde etiamsi *vas* illud non esset, quomodo apposite dici queat ut quis *murum portet ?* Apud Hier. in epist. ad Heliodorum habetur : *Aries iste pietatis, quo fides quatitur, Evangelii retundendus est muro ;* at nihil inde prorsus ad lectionem nostram ; nam aries quidem muro retunditur; quod autem *vas murum portet*, nemini umquam auditum. Hic nihil subsidii lucisve afferebant mss. codd. cum vir doctissimus conspicatus est mendum subesse, ortum ex permutatione litterarum *y* scilicet in *u* ; ac proinde pro *fidei murum* legi debere *fidei myrum* ; cujus rei frequentia apud veteres exempla occurrunt ; scribebant enim *Æguptum* pro *Ægyptum*, *Suriam* et *Suracusam*, pro *Syriam* et *Syracusam*, *Sullam* pro *Syllam*, ac similia, ut annotavimus etiam supra, ad tract. 2 ex Cassiodoro, in Orthogr. c. 1 et 4. Nihil hac emendatione certius ; eamque propterea avidius arripui, quod etiam alibi Gaudentius hac voce *myrum* usus invenitur, de qua supra, tract. 15, p. 313, 315. Id autem pluribus hic testatum volui tum ut sciat lector, cui tam præclaram Gaudentiani hujus loci restitutionem acceptam ferre debeat, tum etiam ut sua eruditissimo viro integra laus maneat.

[e] In utroque cod. Urb. et Vat., *erat ante.*

[f] Sic habent mss.; antea vero in editis, *salvatoris doctrinæ* ; quod nullo modo videbatur retinendum.

[g] Emendatum ex utroque cod. Urb. et Vat. Editi habent *diviniaque ad tertium*, Facit locus iste ad quæstionem satis celebrem utrum Paulus spiritu tantum, an etiam corpore raptus fuerit ad tertium cœlum, ut perhibet II Cor. XII ; cum enim Gaudentius dicat quod Paulus jussus est *ambulare in nubibus*, videtur sensisse, eum vere et proprie una cum corpore ad cœlum raptum fuisse ; insinuat enim eodem modo Paulum ambulasse *in nubibus*, quo Petrus ambulaverat *in fluctibus ;* deinde concludit : *ambo in invii itineris gradiuntur elemento, fidei virtute sublimes*. Consule, si lubet, Claudianum Mamertum, lib. II de statu animæ cap. 13, 14.

[h] Ita editi et Vat.; in Cod. Urb. verba hæc desunt.

[i] Sic etiam, supra, in tract. de Machabæis martyr. : *Quis ille conjunctior frater, quam homo noster exterior?* Joannes Cassianus, Coll. XII, c. 11 : *Hoc autem fiet, quando jam desinens caro adversus spiritum concupiscere, desideriis* (castitatis) *virtutique consenserint ; cœperintque sibi invicem pace firmissima fœderari, et secundum psalmigraphi sententiam, habitarent fratres in unum.*

A *rum est regnum cœlorum* (*Matth.* v). Communicemus igitur, fratres, sanctorum Apostolorum memoriis: communicemus [a] sanctorum memoriis fide, opere, conversatione, sermone; ut mereamur eorum precibus ad omnia quæcumque poscimus, adjuvari, largiente gratia [b] Domini Jesu Christi. Cui omnis honor in sæcula sæculorum. [c]

SERMO XXI.

DE DIVERSIS CAPITULIS UNDECIMUS.

Seu [d] *Oratio B. Gaudentii episcopi* [e] *de vita et obitu B. Philastrii episcopi prædecessoris sui.*

[f] Charissimi, nos hodie memores promissionum Christi, honorem debitum beato patri nostro Philastrio, tamquam vere viventi, **371** B deferimus. Est enim Patriarcharum filius, et socius in fide, et æmulator conversationis: quorum sinceritati simillimus [g], et qualem Christus vivere Deo pronuntiat, incredulitatem Sadducæorum valida præscriptione refellens, dum dicit, illum qui nuncupatur Deus Abrahæ, et Isaac et Jacob, non esse Deum mortuorum, sed vivorum (*Matth.* xxii; *Luc.* xx). *Omnes enim*, inquit, *illi vivunt* (*Luc.* xx, 38). Et certe Scriptura divina [h] mortuos eos fuisse juxta conditionem carnis, quamvis in senecta bona, prædixerat, ac sepultos; [i] sicut exstantia demonstrant sepulcra. Quod igitur beato Petro licuit audenter dicere de patriarcha David (*Act.* ii, 29), quia mortuus fuerit, et sepultus, cum sciret eum prophetica fide vitam præsumpsisse post mortem, quippe dixerat: *Vivet anima mea, et laudabit te* (*Ps.* cxviii); et cætera hujusmodi: liceat et nobis audenter dicere ad vos de filio patriarchæ legitimo, summoque sacerdote Philastrio, quoniam mortuus quidem est, et sepultus, et sepulcrum ejus est apud nos, sed vita ejus in Christo est apud Deum. Itaque cum Christus apparuerit vita nostra, tunc et iste cum ipso apparebit in gloria (*Coloss.* iii). Legitimum vero eum esse filium beatissimi Abrahæ, [j] fidei atque operum testantur exempla (*Gen.* xii). Credens enim Deo fide plenissima, exiit et ipse de [k] terra sua,

[a] Retinuimus lectionem quæ est in editis, quamvis verba hæc desint in mss. Fortasse, *sanctorum memoriis* superfluit.

[b] Uterque Cod. Urb. et Vat., *Domini nostri Jesu Christi*.

[c] In mss. additur *Amen*; quæ vox desideratur in editis.

[d] Vagabatur hic sermo extra ordinem, uti etiam in Præfatione nostra monuimus; ideoque hic jure suo locum obtinet, cum alias immerito a Bibliothecæ PP. collectoribus fuerit prætermissus. Sumpserunt ex eo frequentia testimonia Baronius, C Labbeus, Caveus, et alii; collatusque est a nobis cum duobus codd. mss. Archivi Brixianæ Ecclesiæ, quorum prior ac vetustior præfert notam sæculi xi, ac præterea cum editione Veneta Lipomani 1554, et Coloniensi Surii 1579, qui eum vulgarunt in Vitis SS. atque a vetusto libro Sacrarii Ecclesiæ Brixianæ se accepisse testantur. Descripsimus titulum ex utroque ms. Brix.; quia antiquæ simplicitati magis consentaneus videtur, quam qui a Lipomano et Surio editus fuerat in hunc modum: *Vita beati Philastrii episcopi Brixiensis per divum Gaudentium ejus successorem descripta*. In libro Pantagathi apparet hic titulus: *Sermo beati Gaudentii Brixiensis episcopi de vita beati Filastrii prædecessoris sui*.

[e] Philastrii elogium quod habetur in Appendice Adonis, majori ex parte ab isto Gaudentii sermone desumptum est, idemque omnino sermo, prout eum exhibet editio Gaudentii Patavina, pag. 239, diligenter emendatus et illustratus, a v. cl. Guilielmo Cupero denuo vulgatus est in Actis SS. Julii, t. iv, D pag. 387, quem adire operæ pretium erit.

[f] In utroque Brix. cod. scribitur *Karissimi* prisco more, quo *k* pro *c* usurpari solebat. Rei notæ non immoror, cujus frequentia suppetunt nummorum et lapidum exempla. Vetus inscriptio apud Rubeum, p. 268: MONIMAE CRESCENTI KARISSIME M. AELIVS F.; et pag. 252: AVRELIO VIBIO QVI VIX. ANN. XLV. COLLEGIATI EIVS AMICO KARISSIMO. Vid. Lips., de recta pron. Lat. Ling. cap. 13.

Supra etiam in serm. de Ordin. sui, patrem eum appellat: *Post illam venerandæ memoriæ patris mei Philastrii eruditissimam vocem*; et in Præf. ad Benivolum: *Imbutum te admirabilibus doctrinis apostolici per omnia viri, patris nostri Philastrii*. In mss. *beato patri nostro Filastrio*, et sic ubique pro *Philastrius* legitur *Filastrius*.

[g] Supple *fuit*. Reliqua quæ sequuntur, mirum in modum depravata erant in exemplaribus editis, quæ sic habent, *æqualem Christum vivere Deo pronuntiat*; at quorsum hoc loco æqualitas Christi ac Dei? Non enim de Arianorum, sed de Sadduceorum hæresi, qui resurrectionem negabant, sermo est. Præterea videbatur Gaudentius totum locum Philastrio tribuere, quasi is esset qui Sadducæorum incredulitatem validis rationibus refelleret; cum hæc tamen omnia a Christo dicta sint, ut patet ex Evangelico textu. Cuncta igitur hujus initio sermonis, ambiguitatis atque obscuritatis plena erant, nisi subsidium attulisset prior ac vetustior Brix. cod., qui legit: *et qualem Christus vivere Deo pronuntiat*; qua lectione recepta genuinum sensum loco huic restituimus.

[h] Denuo editiones vitio non levi laborabant, legentes: *mortuos asserit eos fuisse in Christo juxta conditionem carnis*; deinde: *quamvis in senecta bona prædixerat esse sepultos*. Absurde admodum additum erat illud *in Christo*; ac præterea duo verba *asserit* atque *esse* superfluebant. Uterque Brix. cod. exhibet lectionem nostram; liber vero Pantagathi habet hoc modo: *mortuos eos fuisse juxta conditionem carnis, quamvis in senecta bona, prædixerat, et esse sepultos*.

[i] De sepultura Patriarcharum Gen. xxv, ubi de Abraham; et xxxv, ubi de Isaac; et L, ubi de Jacob. Mausoleum in quo eorum reliquiæ sepultæ fuerant, exstabat adhuc temporibus Josephi et Hieronymi, in urbe Chebron, ex optimo marmore fabricatum. Vid. Jos. v Bell. Jud., 7; Hier. in loc. Hebr. ver. *Arboc*. Hæc fortasse monumenta in Orientali peregrinatione Gaudentius suismet oculis perlustraverat.

[j] In ms. Pantagathi: *Fides, atque operum*.

[k] Cujas esset Philastrius, omnino nobis ignotum. Hoc autem et veteres latuisse, prodit rhythmus de Philastrio, quem nuper edidimus in additionibus ad Ughellum. In eo sic habes:

Turribus quorum genitus hic fuit,
Nullus ex nobis meminit, sapit nec:
Scimus hoc sed nos, Abraham beatum
Esse secutum.

Porro quia Rhythmus iste de Philastrio multa et egregia continet, ac sub nomine Gaudentii aliquando circumlatus est, eum tamquam præclaram mantissam sermoni huic adjecimus. Philastrium Hispanum vocat Ughellus, *gente forsan Italum* Ca-

et de cognatione sua, et de domo patris sui; et sequebatur verbum Dei, ab **372** omnibus sæculi impedimentis exutus. Ac propterea cito assequi meruit quod sequi studuit expeditus. Exercens namque continentiam singularem, pervigil in Scripturis sanctis, Dei sapientiam concupivit, portionem suam Christum reputans Dominum : *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ cœlestis absconditi* (*Coloss.* II). Quibus cum replevisset desiderium suum, desideriorum cœlestium vir, et [a] per impositionem manus presbyterii, dispensator fuisset divini sermonis electus, negligere gratiam Dei omnino passus non est. Sed circumiens universum pene ambitum Romani orbis, Dominicum prædicavit verbum, Pauli apostoli idoneus imitator exsistens. Sancto enim Spiritu plenus, non solum contra Gentiles atque Judæos, [b] verum etiam contra hæreses omnes, et maxime contra furentem eo tempore Arianam perfidiam [c] tanto fidei vigore pugnavit, ut etiam verberibus subderetur, et in corpore suo stigmata Domini nostri Jesu Christi portaret. Nam et in mediolanensi urbe idoneus olim custos Dominici gregis fuit; Ariano repugnans Auxentio, priusquam beatus eligeretur Ambrosius. Romæ etiam non exiguo tempore moratus, [d] multos et publica et privata dispu-A tatione lucratus in fide est. Sed neque per vicos et castella diversarum præteriens regionum, prædicare verbum Dei umquam destitit fidelis Christi discipulus. Post illos itaque circuitus animarum plurium salutares, Brixia eum rudis quondam, sed cupida doctrinæ, promeruit : scientiæ quidem spiritalis ignara, **373** studio tamen discendi laudabilis. Excidit continuo imis ab stirpibus [e] horrentem silvam diversi erroris bonus agricola, et aratro doctrinæ pronus incumbens, invertit crudam totis viribus terram, squalentemque humum sulcis assiduis in novalia fœcunda convertit, affatim semina vitalium mandatorum gremio ejus insinuans. Plantavit quoque vineam, cujus lætaretur ex fructu : quoniam *vinum lætificat cor hominis* (*Ps.* CIII). Oleas etiam pacis B agrestibus indidit oleastris, et asperitati pomorum silvestrium germina pinguedinis, ac suavitatis *inseruit*; ut haberet [f] apostolicus vir aliquem et in vobis fructum, sicut et in cæteris gentibus. Et iste quidem consummati operis nunc apud Deum fructibus gratulatur; nam *dignus est operarius mercede sua* (*Luc.* X) : et *laborantem agricolam oportet primo de fructibus sumere* (II *Tim.* II). Ego autem minima ejus pars, omnibus votis exopto ut [g] agrum bene a patre consitum, et non satis idonea successione susceptum,

veus, sed nulla probabili conjectura freti. Vide quæ diximus in annotationibus ad Ughellum in episcopis Brixiensibus, tom. IV, col. 525, Venetæ editionis, itemque ea quæ apposuimus in Præfat. ad Philastrium editionis hujus num. 3.

[a] Videtur Gaudentius respexisse ad illud I Tim. IV, 14 : *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii;* ut scilicet hac loquendi formula designaret Philastrium tunc ordinatum fuisse episcopum μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου, quemadmodum ordinatum fuisse Timotheum ibi indicat Apostolus. Mos enim erat ut qui adessent presbyteri una cum cœtus sui principe manus imponerent, notante Grotio ad hunc Pauli locum. Sed fortasse potius congruit significari a Gaudentio deputatum fuisse Philastrium ad munus prædicationis, juxta illud Act. XIII, 3 : *Jejunantes, et orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos;* id nempe magis ferunt Gaudentii verba : *cum per impositionem manus presbyterii dispensator fuisset divini sermonis electus.*

[b] Exstat liber Philastrii de hæresibus, cum studiose, tum pie conscriptus : huic tamen minus accurati judicii notam nonnulli inurunt, eo quod Philastrius in eo plura hæresum catalogo adscripserit quæ minime erant eo nomine censenda. Tres autem classes hæresum seu ordines constituit : primam earum quæ fuerunt ante adventum Christi : alteram earum quæ post Christi Passionem; tertiam earum quæ sub Apostolis exstiterunt. Hujus libelli novam editionem parabat Joan. Albert. Fabricius, ut ipsemet profitetur Bibl. Lat. pag. 732, sed fortasse huc usque manum abstinuit propter raritatem exemplarium mss. Hæc porro vulgata fuerant in editione Patavina anni 1720, cum emisso mox in publicum typis Hamburgensibus, anno 1721, Philastrio Fabricii, nobisque magis magisque aliquod Philastrii exemplar ms. nanciscendi desiderio incensis, eximio amplissimi cardinalis Quirini Brixiani episcopi beneficio, invenire contigit ms. Philastrii codicem monasterii corbeiensis de quo plura diximus in Præfatione ad Philastrium hujus Brixianæ editionis; quique ad emendandum, et restituendum Philastrii librum, insigni nobis subsidio fuit, quemadmodum unicuique Spicilegium nostrum legenti manifeste patebit.

[c] Hunc Gaudentii locum de Philastrio recenset Baron. ad A. C. 369, n. 27, eoque usi sunt Ramc pertus in serm. de Translatione Philastrii, et Ferrarius in Catal. SS. Ital., 18 Julii. Putat vero Baronius hoc loco a Gaudentio significari remansisse post discessionem Hilarii Philastrium Mediolani, ut quoquo modo posset, Catholicum populum in officio contineret; quam ob causam verbera passus sit. Vide quæ diximus in Præf. ad Philastrium, n. 3.

[d] Hic fortasse Gaudentii locus ansam præbuit aliquibus, inter eos quos Philastrius in fide lucratus est, Augustinum quoque liberaliter connumerandi. At hæc sunt otiosorum ingeniorum vaticinia magis quam conjecturæ; quas profecto non tanti pendimus, ut iis refellendis multum curæ, aut temporis impendamus. Vide annotationes nostras ad Ughellum, et Præf. ad Philastrium n. 7.

[e] Sic reposuimus ex priori et vetustiori Brix. cod. Alter porro codex, itemque editi, *horrentem silvis diversi erroris*; quæ item lectio probari potest, habeturque etiam in libro Pantagathi.

D [f] Supra in præf. ad Benivolum : *Admirabilibus doctrinis apostolici per omnia viri, patris nostri Philastrii.* Communis hæc erat episcopis appellatio, ut notat Baluzius ad Salvian. pag. 322. Sic idem Gaudentius, tract. 5 : *Si quis vero est Apostolicus, et per Jesum prostrato Ægyptio magnus factus, ac potens;* et in tract. de Ordin. sui : *Precentur modo hi omnes Apostolici sacerdotes.* Item tract. de Dedic. basil. : *Convenerunt sancti antistites, et apostolici viri.*

[g] Ita Brix. cod. uterque, et quidem recte, cum in editis corrupte legeretur *agrum bene a patre censitum*, sed *consitum* retinet etiam liber Pantagathi. Quod subdit Gaudentius, *et non satis idonea successione susceptum*, eleganter exprimit, quam doleret etiam post exactos annos quatuordecim, quando nempe sermo iste a Gaudentio habitus est (ut ipsemet paulo inferius dicit), quod episcopatus sarcinam invitus ac reluctans subire coactus fuerit. Vide quæ annotavimus ad serm. 16, pag. 332, 333, et in Præf. ad Gaudentium, n. 1 et 2.

quoquo modo tueri prævaleam. Zelum fidei ejus, et magnitudinem laborum paulo ante perstrinximus. Jam reminiscamur, [a] charissimi, vehemens ille ardor animi quantam possederit in sanctis moribus lenitatem : illa celsitudo scientiæ quanta fuerit humilitate sublimis : illa cœlestium rerum peritia quam fuerit ignara terrestrium. Erat enim humanæ gloriæ nescius, et acer divini honoris exactor : non quærens quæ sua essent, sed quæ Jesu Christi (*Philipp.* II). Amicitias sæculi, et officia mundana contemnens, [b] servitio Dei jugiter adhærens, inter humana colloquia jugiter occupatus : nimirum ibi cor ejus erat, ubi thesaurus (*Matth.* VI). Illud etiam quale est, quod cum operosa quæque hujus sæculi, ac pretiosa despiceret, vilium rerum pauperrimos venditores, misericordi ambitione profusus emptor augebat? parum scilicet computans [c] quod professis egentibus largiretur. Erat idem sanctus ira brevis, indulgentia 374 facilis, patientia superans [d], humanitate devincens : in corripiendo districtus, in relaxando absolutus, liber in agendo : omni ætati, et conditioni, et sexui, stupenda benignitate communis, ac [e] tum humilibus quibuscumque conjunctior. Ipse quoque in illo habitu vestium, tota erat vilitate mundissimus : gratus sine industria, [f] contemptibilis sine fuco; et plane qui, ipso nil curante, mentis ejus panderet puritatem.

Pauca hæc de virtutibus [g] hominis Dei, brevissimo sermone memoravi ; [h] ne dies iste quo ad superna migravit beatus Philastrius patronus noster, cujus hodie festa celebramus, tristi silentio inglorius præteriret. Nam cum multa meritorum ejus præconia, [i] quatuordecim jam per annos solemnitatis hujus cultum renovans, auditui vestro intulerim, plura [j] quæ prædicari adhuc possunt, intacta perspicio. [k] Quintodecimo autem Calendarum Augustarum exuit hominem, et migravit ad eum quem dilexit. Tam digni igitur memoriam sacerdotis debito affectu veneremur, ut ipsius quoque suffragio bona quæ poscimus, facilius impetremus ; largiente Dei Filio sempiterno, cui est omnis honor, virtus, et gloria, cum Patre, et Spiritu sancto, in omnia sæcula sæculorum. Amen.

[a] Iterum Brix. uterque *Karissimi*. Ab hoc loco usque ad illa verba : *Pauca hæc de virtutibus hominis Dei*, retulit ex Gaudentii ms. cod. satis accurate Capreolus, lib. III Hist. Brix., ubi de Philastrio verba facit, ideoque videtur primus fuisse qui specimen Gaudentianorum sermonum in lucem ediderit.

[b] Prior ex Brixianis codd. : *servitio Dei sed jugiter adhærens :* alter, *servitio Dei se jugiter adhærens.* Capreolus legit : *servitio Dei jugiter adhærebat.*

[c] Sic legunt Brixiani duo, quibus consonat Capreolus. Editi vero, *quod professus.*

[d] Brixiani duo et Capreolus. In editis, *patientia supremus.*

[e] Uterque Brix. legit *tam humilibus quibusque.* Capreolus autem *pariterque humillimis quibuscumque conjunctus* ; fortasse vera lectio est in mss. Pantagathi, *ac tamen humilibus quibusque conjunctior.*

[f] Apud Capreolum sic : *contemptum sine fuco quærens, ut mentis suæ panderet puritatem* ; quæ quidem lectio melior et commodior videtur. Cætera apud Capreolum non exstant.

[g] Prior et vetustior Brix. cod. sic habet : *hominis Dei, beatissimi videlicet Filastrii, egregii patroni nostri, cujus hodie festa celebrantur, brevissimo sermone.*

[h] Idem cod. : *Ne dies iste celebrabilis, quo ad superna migravit, tristi silentio.* Quamvis autem vulgata lectio habeatur in altero ex codd. Brixianis, quod monere prætermiseram in priori editione, tamen suspicione non vacat, appellationem *patroni*, quæ hic Philastrio tribuitur a recentiori codice, supra vero a priori et vetustiori, minime a Gaudentio manare ; sed in utroque cod. opus esse posteriorum temporum, in quibus Apollonius et Philastrius Brixianæ civitatis patroni fuerunt appellati ; qui quidem honoris titulus jam pridem iisdem tribui desivit. De hoc autem, Deo dante, plura proferemus in annotationibus ad Martyrologium Brixianum.

[i] Hinc facile liquet sermonem hunc habitum fuisse a Gaudentio paulo post annum 400, cum episcopatum accepisse videatur circa annum 387, juxta ea quæ diximus in Præfatione.

[j] Prior et vetustior cod., *quæ prædicari adhuc oporteat.*

[k] Quo nempe die Philastrii memoriam recolunt Martyrologium Romanum, Maurolycus item, ac Galesinius, aliique recentiores Martyrologi, Gaudentii testimonio freti. In utroque ms. cod. Brixiano hæc habentur de Philastrio ante sermonem Ramperti de Philastrii Translatione : quæ denuo proferimus, infra, in not. ad Rampertum : *In Martyrologio nostræ Brixiensis Ecclesiæ ita scriptum invenimus : XV KL. Aug. Brixiæ assumptio beatissimi PP. Filastrii. Jacet ad sanctum Andream* ; ubi titulus vetustæ Cathedralis antiquis temporibus exsistebat. In Martyrologio ms. Bibliothecæ Saibantis Veronæ, qui codex videtur esse XIII sæculi, inscribiturque n. 244, sic legi : XV *Kal. Aug...... In Brixia civitate depositio Filastrii ipsius civitatis episcopi.*

ADMONITIO IN SEQUENTEM RHYTHMUM.

Quoniam rhythmus iste fere eadem metro continet quæ superiori sermone a Gaudentio in laudem Philastrii soluta oratione dicta sunt ; ac præterea aliquando Gaudentium auctorem præ se tulit, ideo ne Gaudentii studiosus lector aliquid a nobis desiderare posset, eum hoc loco subjecimus. Quis fuerit auctor, latet. Non dubium tamen quin sit nono sæculo antiquior ; rhythmi enim hujus Rampertus meminit in sermone de Philastrio, quem habes infra ; cujus Ramperti auctoritate eum Gaudentio libenter abjudicavimus. Certe neque stylus, neque saliva (ut Hieronymi verbis utar) Gaudentium auctorem sapiunt. De rhythmo hoc testimonium Ramperti est hujusmodi : Sed et rhythmicum hymnum, quem ergo auctoritatis Gaudentium episcopum fecisse ferunt, cantare de ipso sedule consueverat. Gaudentium autem ipsum composuisse nuto, cum longe, aliterque sensus primæ

lineæ sit, et ipse rhythmus elementa nominis compositoris sui, per capita, ut ita dixerim, versuum, si quis intendat, habeat. *Videbatur profecto ex hoc Ramperti testimonio aliqua affulgere conjectura de nomine auctoris, cum dicat :* et ipse rhythmus elementa nominis compositoris sui PER CAPITA, ut ita dixerim, VERSUUM, si quis intendat, habeat ; *verum ex initialibus litteris cujuslibet quaternarii nihil aliud efficitur, nisi* FILASTRIUS BRICSIENSIS PRAESUL. *Proinde si quis hunc nodum solvat, erit mihi magnus Apollo. Non enim crediderim, Philastrium ipsum rhythmum hunc in suimet laudem condere potuisse. Fortasse Rampertus intellexit, auctoris nomen contineri alio carmine, quod ad calcem illius rhythmi ab ipso auctore adjectum est, habeturque in priori ac vetustiori ex duobus codd. mss. Brixianæ Ecclesiæ, de quibus paulo supra, in notis, initio sermonis præcedentis ; hoc modo :*

PERFECTUS quondam fueras, pater alme Filastri,
Ingenio, vita, sensibus, atque fide.
PERFECTI nervi studui tibi ponere carmen
Devotus, humilis, servulus atque tuus.
Intercede tuis meritis pro me rogitando
PERFECTE semper, per Dominumque Deum.

Si quis fortasse probare posset, rhythmi illius auctorem fuisse aliquem nomine, aut appellatione PERFECTUM, *ideoque vocem illam alternis versuum capitibus hoc carmine repetitam, non valde repugnarem ; verum aperte profiteor, omnia mihi hoc loci obscura, et incerta esse : nihilque aliud promptum videri, nisi pium aliquem virum Gaudentio juniorem, rhythmum hunc in laudem Philastrii, ex Gaudentiani sermonis sententiis consarcinasse. Qui primi Ramperti sermonem in lucem ediderunt, mala fide usi, Gaudentium rhythmi auctorem facere cupientes, verba illa, quibus id a Ramperto in dubium revocatur, tuti resecuerunt : at nos integrum Ramperti testimonium reposuimus, uti fusius infra suo loco indicamus in notis ad Rampertum. Habetur autem rhythmus iste in iisdem duobus codd. mss. Brixianæ Ecclesiæ in quibus exstat etiam præcedens sermo Gaudentii de Philastrio ; atque ex iis, vel ex horum alterutro, tunc deprompsimus, cum eum edidimus in additionibus ad Ughellum* (*a*). *Quoniam vero in illa editione aliqua mutatio festinantibus obrepsit, hic denuo cum exemplaribus mss. diligenter collatum et emendatum damus. Ne quid porro candidum lectorem et veritatis amantem lateat, monemus, alteri ex his Brixianis codicibus, posteriori scilicet ac recentiori, vitium esse illatum, ubi in hoc rhythmo legitur* SEPTIMUS *fuisse Philastrius Brixiæ episcopus ; nam pro*

SEPTIMUS sedis solio resedit,

suppositum fuit :

DECIMUS sedis solio resedit.

At nota hæc aperte falsitatem suam prodit ; in priori etenim ac præstantiori Codice sincere legitur :

SEPTIMUS sedis solio resedit ;

deinde lex carminis repugnat, et FILASTRII *nomen, quod initialibus litteris cujuslibet quaternarii exprimitur (si tamen conjectura hæc nostra ullius est ponderis), amplius non haberetur : postremo in sermone Ramperti, qui in illo eodem posteriori codice cui vitium illatum est, rhythmo præponitur, diserte scribitur Philastrius septimus episcopus Brixiensis his verbis :* Etenim hic SEPTIMUS EPISCOPUS Brixiensem Ecclesiam Christo tunc prædicando congregans, sanctum dogma custodivit. *Quorsum autem fraus hæc, aut quo tenderet, brevibus dicam. Cœperat nempe jam tum apud nonnullos ex nostris male feriatos homines invalere recentior opinio, decimum fuisse Philastrium Brixianæ urbis episcopum, qui antea* septimus *habitus fuerat ; cum sciolus fortasse aliquis conspicatus notam carminis hujus sententiæ suæ valde incommodam delevit, ac recentiori atramento minioque oblinivit, intactis relictis sermone Ramperti ac vetustiori codice, qui violatricem manum effugerunt. Sed jam ad rhythmum ipsum accedamus.*

(*a*) Tom. IV, col. 526, edit. Venet.

AD LAUDEM

BEATI FILASTRII EPISCOPI

CARMEN SAPHICUM PENTAMETRUM.

327 Fertilem cantum habitator omnis,
Quo fluit [a] Cleosa, fluit atque Mella,
Circuit currens Ollium recurvum,
Concine mecum.

5. Istius, cantus modulator adsit
[b] Nostra Benaci habitans et ora :
Liber, et servus ; recinantque cunctis
Vocibus odas.

[a] Fortasse *Clysis*, aut *Clesis*, ut in mss.

[b] *Al. noster.*

Læta plebs cuncta populi resultet;

Brixiæ quisquis genitus, et hospes,
Clerus, et laici populi phalanges,
Sexus, et ætas,

Ad melos tanti patris excitemur,
Ossibus cujus fruimur perenne;
Præsul et quisquis fuit in hac urbe
Tempore prisco.

Septimus sedis solio resedit
Brixiensis hic bonus, et beatus,
Nobilis, prudensque, Filastrius qui
Nomine dictus.

Turribus quorum genitus hic fuit,
Nullus ex nobis meminit, [a] sapit nec:
Scimus hoc sed nos, Abraham beatum
Esse secutum.

Rebus, et notis patria relictis,
Ac fide sese comitante semper,
Dogma quæsivit jugiter supernum
Sensibus imis.

Is vigil sacros relegendo libros,
Continens, solus veluti fuisset,
Instruit sese sapiens amore
Valde superno.

378 Vir bonus, simplex, bonitate fartus,
Portionem qui propriam suamque
Esse credebat Dominum Deumque,
Sorte perenni.

Sorte divina sacer est sacerdos
Consecratus; tum studuit deinceps
Orbis ad metas populos docere
Dogmate sancto.

Barbaras gentes idolis recurvas,
Atque Judæos homines iniquos,
Perfidos contra monitis supernis
Restitit ipse

Regis æterni amabilis minister;
Perfidæ sectæ monita [b] magis sed
Arianorum fore falsa dixit,
Semper ubique

Intimo sensu veluti repugnans.
Sedulis flagris sua membra fundunt
Cæsa currentem rosei coloris
Sæpe cruorem.

Curiosus dum jugiter moneret,
Impiis tantum licuit in ipsum,
Ut suis membris nimium referret
Stigmata Christi.

Sed tibi, Auxenti, miser, imperite,
Restitit fortis fidei vigore,
Morsibus vestris populum refellens
Usque cruentis.

A In fide multas populi cohortes
Urbis orbem per stabilivit ipse;
Brixiam donec adiit, volente
Rege [c] polorum;

Et rudem, sed tunc cupidum moneri,
Insciam quamquam, tamen ad docendum
Firmiter promptam, studio sagaci,
Ingenioque.

Nam rudem plebem, maculas habentem
Exuit multas veteres, novisque
Induens, ipsam recreando Christo,
Moribus almis.

379 Sanctus hic vates fuit hujus ævi,
Nescius pompæ, Domini honoris
Arduus cultor, sua non requirens;
B Euge, fidelis!

Istius sæcli vacuos honores
Credidit vilis pretii fuisse,
Lege sub Christi meditatus est qui
Nocte dieque.

Sæculi magna et pretiosa quæque
Sprevit ut parvum, nihilumque duxit;
Venditores sed pretii minoris
Auxerat emptor.

Patris affectu patiens, ad iram
Et brevis, nec non facile remittens;
Dulcis, humanus, sobrius, benignus,
Omnia cunctis.

Rectus et judex, medicusque prudens,
Spiritalem qui sapuit medelam:
C Miscuit Baccho latices olivi,
Vulnera curans.

Ac pater quamvis minimis fuisset
Nexior semper, tamen ipse nexus
Sexus, ætatis, famulatus, atque
Nobilitatis.

Euge mirandus, imitandus atque!
Vilis, et grati habitus fuitque:
Vilitas spurco caruitque gestu,
Gratia fastu.

Sexies terna rapuit dies quem
Julii mensis, lacrymante clero;
Flente sed multum populi caterva
Vocibus altis.

Unde nos semper meritis beatis,
D Credimus nostri relevarierque
Fasce peccati, veniæ locumque
Posse tenere,

Luminis Patris, Genitique si sit,
Spiritus sancti, miserendo nostrum,
Gratia perpes jugibus medelis
Omnibus annis. Amen.

[a] Al. *sapitve*.
[b] Al. *magisque*.

[c] Al. *populorum*.

ANNO DOMINI CCCCXX.

SANCTUS AURELIUS

EPISCOPUS CARTHAGINENSIS.

PROLEGOMENA.

(Biblioth. Vet. Patr. Galland. tom. VIII.)

1. Aurelius, totius Africæ primas, inter illustres Ecclesiæ Patres et Doctores a sancto Fulgentio recensetur his verbis (*a*) : « Quis neget beatos episcopos Innocentium Romanum, Athanasium Alexandrinum, Eustathium Antiochenum, Gregorium Nazianzenum, Basilium Cæsariensem, Ambrosium Mediolanensem, Hilarium Pictaviensem, Constantinopolitanum Joannem, AURELIUM CARTHAGINIENSEM, Augustinum Hipponensem, cæterosque pontifices qui Ecclesias Dei vigilantissime gubernantes, aut nascentibus aut jam natis hæreticis habitante in se sancto Spiritu restiterunt, nec veteres lupos ecclesiastico gregi permittentes irrepere, nec novos perniciose intra ovile dominicum latitare; quis, inquam, istos neget vasa misericordiæ, quæ Deus præparavit in gloriam ? » Hæc sanctus ille Ruspensis episcopus. Et jure quidem Aurelius Carthaginiensis tanto præconio dignatur. « Primus enim omnium, inquit vir doctissimus (*b*), adhuc silente Augustino, Cœlestium renuentem peccatum originis admittere condemnavit, ejusque sectatores pluribus deinceps synodis coactis sacro anathemate percussit. Hinc sanctus Prosper in Carmine *contra Ingratos* cecinit de Pelagianis in synodo ab eodem damnatis (*c*):

> An alium in finem potuit procedere sanctum
> Concilium, cui dux Aurelius, ingeniumque
> Augustinus erat?

Donatistas præterea universa fere Africa exclusit; paganorum etiam templa in christianæ religionis usum redegit; ac in decem et septem plenariis ex tota Africa conciliis orthodoxam doctrinam ac disciplinam egregiis legibus confirmavit. »

2. Porro de tempore quo sedit Aurelius, illud primum constat eum anno 390 nondum fuisse ad cathedram episcopalem evectum : eo enim anno, concilio II Carthaginiensi XIV kal. Junii coacto præfuit Genethlius ejus decessor, qui tamen postmodum vitam clausisse comperitur : ut propterea insequente anno 391 vel ut maxime 392 fuerit Au- A relius episcopatum adeptus : quæ est Tillemontii sententia (*d*). Verum quo anno demum decesserit idem Aurelius, non est adeo exploratum, ut certum quidquam statui possit. In vivis agebat anno 427, quo sanctus Augustinus librum XXXII *de Civitate Dei* litteris consignabat. Ibi enim verba faciens de diaconis Carthaginiensis Ecclesiæ (*e*) : *In quibus erat*, inquit, *et ex quibus solus est nunc in rebus humanis, jam episcopus cum honore a nobis debito nominandus, Aurelius.* Idem evincitur ex ejusdem libro II *Retractationum*, eo ipso anno exarato, ubi hæc habet (*f*) : *Propter hæc venerabilis senex Aurelius, Ecclesiæ ipsius civitatis episcopus, ut hinc aliquid scriberem jussit, et feci.* Præterea vivebat adhuc anno 429, quo scripta fuisse perhibetur ejus- B dem Augustini epistola 231, ubi Darium monens de missis libris quos non petierat (*g*) : *Hos omnes*, inquit, *si dum es intra Africam legeris, judicium tuum mitte de illis, aut mitte nobis, aut quo nobis a domino fratre Aurelio mittatur, dimitte.* Ad hæc, ut advertit Norisius (*h*) et post ipsum Pagius (*i*) ac Tillemontius (*j*), ex Marii Mercatoris Commonitorio Theodosio anno 429 oblato erudimur, Aurelium eo ipso anno vitam adhuc egisse. Ibi enim dum meminit hic scriptor Ambrosii, Innocentii, Zosimi, Theodori, Prayli, eos *beatæ recordationis* appellat : ubi vero Aurelium nominat, non ita. Siquidem de Cœlestio Carthagine accusato : *De infra scriptis capitulis*, inquit, *apud Aurelium episcopum memoratæ urbis, per libellum a quodam Paulino diacono sanctæ* C *memoriæ Ambrosii Mediolanensis episcopi est accusatus.* Quamobrem eo anno etiamnum superstes erat Aurelius : qui tamen paulo post e vivis excesserit; et quidem, ut videtur, insequente anno 430. Nam ante pascha anni 431 sedebat Carthagine Capreolus, ut ex ejus litteris in concilio Ephesino recitatis colligimus (*k*). Quibus temporum rationibus subductis, postquam annos ferme XL primatum Africæ tenuisset venerabilis senex, supremum diem obierit

(*a*) Fulgent. de Veritat. prædest. et grat. lib. II, num. 42.
(*b*) Noris. Hist. Pelag. lib. II, c. 8, sub fin.
(*c*) Prosp. carm. de Ingrat. vers. 90.
(*d*) Tillem. Mem. Eccl. tom. VI, p. 159, et tom. XII, p. 555.
(*e*) August. lib. XXII de Civ. Dei cap. 8, n. 3.
(*f*) Idem lib. II Retract. cap. 16.
(*g*) Idem epist. 231, n. 7.
(*h*) Noris. loc. cit.
(*i*) Pagi ad ann. 430, § 26.
(*j*) Tillem. Mem. Eccl. tom. XII, p. 559.
(*k*) Concil. Ephes. part. II, act. 1, p. 1074 tom. III edit. Vers. Labb.

anno 430, quo item sanctus Augustinus spiritum Deo reddidit : sed paulo ante, scilicet die 20 mensis Julii, qua colitur ejus memoria in vetustissimo Carthaginiensis Ecclesiæ Kalendario a Mabillonio edito, atque his verbis notatur (a) : XIII *kal. Ag.* (s c) *Depositio sancti Aurili episcopi.*

3. Præter allocutiones ad patres Africanos in Codice ecclesiæ Africanæ relatas, varias scripsit epistolas noster Carthaginiensis antistes, quas diligenter recenset Tillemontius (b). Ex his una exstat encyclica ad omnes episcopos per Byzacenam et Arzugitanam provinciam constitutos, *de damnatione Pelagii atque Cœlestii hæreticorum;* quam ex collectione Cresconiana annalibus ecclesiasticis intexuit magnus Baronius (c). Nos vero exemplar secuti sumus ab eruditissimo viro Joanne Garnerio variis lectionibus et notis illustratum, ex ejus Dissertatione 3, ad Marium Mercatorem *de Constitutionibus Imp. editis in causa Pelagianorum* descriptum. Est autem epistolæ subscriptio hujusmodi : *Dat. kal. Augusti Carthagine, Monaxio et Plinta coss.* id est, anno 419. Hinc ergo in nostro edito ex eo anno retrahenda epistola cui est illigata, et serius collocanda; iis vel maxime si animum adjicias, quæ modo de sede Aurelii episcopali edisseruimus. Cæterum ad ejusdem epistolæ commendationem plurimum facit, quod observat laudatus Garnerius (d), « hanc nimirum fuisse ad episcopos scriptam ab eo qui scientissimus foret canonum, sanctitate eximius, retinentissimus episcopalis dignitatis, Augustino in rebus agendis conjunctissimus, et fere unus : ut scientia, sanctitas, dignitatis studium, Augustini societas, tantam Aurelii auctoritatem tribuant hac in parte, quanta potest esse maxima, etiam ad præsulum exemplum. » Huc usque vir doctus.

4. Neque hic demum prætereundum, complures item epistolas ad eumdem Aurelium scripsisse viros sanctitate ac doctrina præstantes, Innocentium I, ejusque successorem Zosimum, Paulinum Nolanum, Augustinum, Alypium, Joannem Chrysostomum, alios (e). Nostro quoque Aurelio idem S. Augustinus magnum illud opus *de Trinitate*, nec non librum *de Gestis Pelagii*, aliumque *de Opere monachorum*, honoris gratia inscripsit. Quid plura? ut verbis tandem scriptoris eminentissimi orationem concludam (f) : « Tantum ab universis illarum provinciarum episcopis uni Aurelio tributum est, ut in concilio Carthaginiensi, Honorio VII et Theodosio II celebrato, Patres hæc eidem dixerint : *Placuit etiam petitu omnium, ut epistolis omnibus de concilio dandis* SANCTITAS TUA SOLA *subscribat.* »

(a) Mabill. Analect. p. 164 edit. nov.
(b) Tillem. Mem. Eccl. tom. XII, p. 556 seq.
(c) Baron. ad ann. 419, § 58.
(d) Garner. in not. infra, p. 130, sub fin.
(e) Tillem. loc. cit.
(f) Noris loc. cit.

SANCTI AURELII

CARTHAGINENSIS EPISCOPI

EPISTOLA AD OMNES EPISCOPOS PER BYZACENAM ET ARZUGYTANAM PROVINCIAM CONSTITUTOS.

(Indidem pag. 129).

De damnatione Pelagii atque Cœlestii hæreticorum.

Dilectissimis ac desiderabilibus fratribus ac consacerdotibus, [a] DONATIANO primæ sedis, [b] JANUARIANO, FELICI, PALATINO, [1] PRIMIANO, CAJANO, et alii CAJANO, JANUARIO, VICTORINO, et cæteris per

[1] Mss. Magd., *Primino, Gajano*, etc. Uss., *Gatano.* Bal., *Galano*, etc.

[a] Præfuit Donatianus Ecclesiæ Teleptensi, totique Byzacenæ provinciæ, in qua duas videtur hoc anno habuisse synodos, alteram ante Pascha, alteram circiter autumni tempus. In illa excepit legationem provinciæ proconsularis, qua functi sunt Vincentius Culusitanus, et Fortunatianus Neapolitanus : in ista accepit litteras Aurelii cum Honorii constitutione. Prioris acta habentur in secundo tomo maximæ Collectionis conciliorum; posterioris nihil superest. Verum in prioris consignatione opinor irrepsisse mendum : neque enim haberi potuit VI kalendas Martias; incidisset enim in Quadragesimæ diem nonam, Pascha incidente in diem 30 Martii. Atque ita, quod abnorme fuisset his temporibus, abfuissent Patrum media pars a suis Ecclesiis, magnam partem Quadragesimæ. Neque vero mendum satis emendaveris, si, quod pronum videtur, restitueris decadis notam X, habitamque dixeris synodum XVI, kalend. Martias. Nam et hæc dies fuerit prima Quadragesimæ, qua nefas esset episcopis abesse a suis Ecclesiis. Quod si servata numerali nota VI, pro Martiis kalendis reponantur Februariæ, atque ita synodus habita dicatur die 27 Jan., sic omnia belle congruent : nam servatus fuerit canon Nicænus, de cogenda suæ provinciæ synodo a primatibus ante Quadragesimam Paschæ; et feria secunda, datum fuesynodo initium, quod solemne; et Patres suis Ecclesiis interfuerint principio Quadragesimæ.

Donatianus porro celebre in Africana Ecclesia gessit nomen : namque interfuit concilio Carthag. ante Collationem ann. 411, concilio Africano cum Aurelio præfuit ann. 418, Teleptense concilium coegit ann. 419, eodem anno præsedit cum Aurelio concilio Africano, canonesque præcedentium synodorum recognovit, et secundus post Aurelium subscripsit.

Occasione Donatiani Teleptensis emendandum est, quod Binio et Christophoro Justello subrepsit, quasi Donatianus, non ætatis jure, sed civitatis, primatum suæ provinciæ obtinuerit : id enim omnino veritati pugnat, quandoquidem in synodica concilii Byzaceni, primas Muzonius appellatur tantum senex, ut solent alii, qui reliquis provinciis præter proconsularem, præerant privilegio ætatis.

[b] Ex novem episcopis, quorum nomina inscri-

tractum provinciæ Byzacenæ et Arzugitanæ constitutis, AURELIUS episcopus. A

[a] Super Cœlestii et Pelagii damnatione, eorumque [1] dogmatis, participem se sancta dilectio vestra [b] in plenario concilio fuisse commeminit, dilectissimi ac desiderabiles Fratres. Sed quoniam, pro honore Dei, *in cujus manu cor regis est constitutum* (*Prov.* XXI, 4), gloriosissimorum principum Christianorum fidem rectam et catholicam [2] custodientium [c] accessit auctoritas, quam per humilitatem meam universis coepiscopis [d] voluerunt intimari: idcirco honorabilem fraternitatem vestram, missis exemplaribus, instruere festinavi, ne quid mali, [3] in aliqua parte provinciæ, ex supradictorum serpentina persuasione, [e] ab universali Ecclesia totius orbis exclusa, fortasse subrepat.

Ob hoc ergo [f] tam necessaria constitutio Christianorum principum charitatem vestram latere non debet, et ad me ab eis datæ [g] litteræ: quarum simul exemplaribus lectis, quemadmodum subscribere unusquisque vestrum debeat, dilectio vestra cognoscet, sive quorum synodalibus gestis subscriptio jam tenetur, sive qui non potuistis eidem [h] plenario totius Africæ interesse concilio; quo, cum in supradictorum hæreticorum damnatione, omnium vestrum fuerit [4] integra [i] subscriptio, [j] nihil om-

[1] Magd., Bal., Uss., *dogmatibus*, minus apposite ad historiam. B

[2] Magd., *constituentium*. De industria forte peccaverunt heterodoxi, præ adulatione ergá principes.

[3] Magd., *provinciarum supradictarum*. Bal., *provinciæ supradictorum*, omnes non male.

[4] Bal., *integrata*, minus apposite ad historiam, et mentem scribentis. Vide notas.

buntur epistolæ, quinque nominantur in concilio Teleptensi, Donatianus, Januarianus, Felix, Januarius, et Victor; reliquorum quatuor, Palatini, Primiani, et utriusque Cajani nulla fit mentio. Crediderim ego, utrumque Cajanum atque etiam Primianum pertinuisse ad Arzugitanam seu Tripolitanam provinciam. Palatinus Byzacenus fuit. Erat autem Januarianus Tubulbacensis, Felix Segermitenensis, Januarius Cenculianensis, Palatinus Bosetensis, Victor Culletensis, vel Bahanensis Ecclesiæ præsul.

[a] Digna sunt duo, quæ hic observentur. Alterum, appellari priore loco Cœlestium, tum Pelagium, licet ille foret discipulus, hic magister. An quod Cœlestius presbyter, Pelagius erat tantum monachus? An quod totum pondus negotii, latente Hierosolymis Pelagio, jamdudum in Cœlestium incubuerat, postquam ex discipulo *totius agminis ductor* factus esset, ut loquitur Hieronymus (*Epist. ad Ctesiph.*)? An quod Afris cum Pelagio ipso rei nihil fuerat, plurimum cum Cœlestio? An quod de gratia tunc minus, quam de peccato originali quæstio fervebat, quæ pars erroris Cœlestio defendenda, quasi sortitione obvenerat?

Alterum, nullam fieri tota Aurelii epistola mentionem octo canonum adversus hæresim constitutorum in posteriore concilio plenario, idcirco certe, quia non ipsis subscribendum erat, sed tractoriæ Zosimi pontificis, qua continebatur utriusque hæretici tota caussa, sententiaque simul Ecclesiæ catholicæ, ambos cum suis dogmatibus damnantis.

[b] Illo nempe, quo accepta est catholica Zosimi tractoria, cum privatis ad Afros litteris, et unde post receptam, communi omnium subscriptione, sedis apostolicæ sententiam, actæ sunt laudibus cumulatæ gratiæ fidei vindici. Huic autem concilio, quod decimo quinto loco posuimus (*Dissert. de synodis*), interfuit Donatianus Teleptensis primæ sedis in provincia Byzacena episcopus.

[c] Nomen auctoritatis positum est ad significandam constitutionem, usu non infrequente codicis Theodosiani: idem enim adhibetur ad significandam legem, *leg. antic. de centur.* et pro rescripto, *leg.* 51 *de petit. cap.* 5. Hinc apud Collectorem appendicis additæ ad epistolam Cœlestini ad Galliarum episcopos, dicta est *regularis auctoritas*, pro decretali sententia.

[d] In omnibus editis codicibus legitur, *voluit intimari*; sed Latinitatis leges coegerunt pluralem numerum pro singulari reponere.

[e] Hæresim dicit exclusam ab universali Ecclesia, *quam damnatam* sciebat a sede apostolica; missas enim ad universos orbis episcopos litteras non dubitabat subscribendas fore ab omnibus catholicæ partis episcopis. Eodem sensu, qui communis omnium hujus ævi, scripsit Possidius, Honorium imperatorem secutum fuisse catholicæ Ecclesiæ judicium, tunc cum secutus est latam a summis duobus pontificibus sententiam: perinde quasi ea ætate, unum idemque haberetur Ecclesiæ catholicæ, et sedis apostolicæ judicium in rebus fidei.

[f] Necessitatem exigendæ in causa Pelagianorum subscriptionis, de qua est tota constitutio, explicuimus prolixe in dissertatione singulari super ea re (*Cap.* 2), omnesque necessitatis causas revocavimus ad unam præcipue Pelagianorum pertinaciam. Et C vero, ut nulla fuit hæresis versuta magis, artibusque instructa maligníoribus, quam Pelagiana, ita neque ulla pertinacior adversus omnes Ecclesiæ sæculique vires.

[g] Quæ litteræ intelligantur, non satis apertum est. An aliquæ a constitutione diversæ? favet orationis series. An quæ forent eædem cum ipsa constitutione? forma litterarum ita docet. An prima constitutio, quam pertinax malum geminari coegit, quæque cum epistola, id est, cum secunda constitutione ad Aurelium missa sit? probabile admodum est. An denique cum epistola ad Aurelium venit simul ad vicarium Africæ mandatum principis aut edictum præfecti prætorii cujus utriusque exemplaria directa sint ad coepiscopos? id dictu verius.

[h] Quod concilium plenarium, aut quis potius concilii plenarii consessus significetur, explicuimus, non sine laboriosa inquisitione, in dissertatione de synodis: ostendimus enim in tertio consessu concilii ann. 418 habiti subscriptum fuisse acceptæ Zosimi D tractoriæ, actasque pro damnatis hæreticis pontifici gratias, easque, ut par erat, amplissimas.

[i] In appendice Salviani a Baluzio editi legitur *integrata*, apud reliquos editores *integra*: utrobique non improbabili sensu, quamquam secundo meliore, quandoquidem universos alloquitur Aurelius, et ab omnibus poterat integram, a paucis integratam subscriptionem exigere. Quæ vero subscriptio censeri debeat integra, definit Leo Magnus (*Epist.* 86) de Pelagianis scribens ad Nicetam Aquileiensem.

[j] Causas affert exigendæ ab omnibus episcopis subscriptionis in hoc negotio, nempe quod non immerito quidam haberentur suspecti nomine, vel *dissimulationis*, cum sinerent secretis tractatibus homines, nova et inusitata meditantes, occultare sacrilegium publica auctoritate damnatum; vel *negligentiæ*, ut qui pravas hæreticorum disputationes publica oppugnatione non destruerent, vel occultæ pravitatis, propter tacitum consensum, quo

nino sit, [1] unde ullius, vel dissimulationis, vel negligentiæ, vel occultæ forsitan pravitatis, aliqua videatur merito remansisse suspicio.

A (*Et alia manu :*) Opto, Fratres, bene vivatis mei memores. Dat. Kalend. Augusti, Carthagine, Monaxio et Plinta coss.

[1] Magd., *imbecillius sive dissimulationis*, omnino corrupte.

astruerent damnatos errores. Unicus autem pœnæ, quam maximam Imperator minaretur, vitandæ modus fuit integra subscriptio, id est, qua pateret mens pura : una enim eademque culpa est eorum, qui aut dissimulando conniventiam, aut non damnando favorem noxium præstiterunt.

Sub finem observa, quod facit ad commendationem epistolæ, hanc ad episcopos scriptam ab eo, qui scientissimus foret canonum, sanctitate eximius, retinentissimus episcopalis dignitatis, Augustino in rebus agendis conjunctissimus, et fere unus : ut scientia, sanctitas, dignitatis studium, Augustini societas, tantam Aurelio auctoritatem tribuant hac in parte, quanta potest esse maxima, etiam ad præsulum exemplum.

SYNODICA AURELII CARTHAGINENSIS EPISCOPI.

Ex libello synodico, apud Labb. Concil. tom. II, col. 1184.

Θεοδοσίου γοῦν καὶ Νεκταρίου μεθαρμοσθέντων πρὸς τὰ οὐράνια, τοῦ μὲν τὴν βασιλείαν ὁ υἱὸς Ἀρκάδιος διαδέχεται, Γρατιανοῦ δὲ, ὁ ἀδελφὸς Ἀρκαδίου Ὀνόριος. Ἐν οἷς χρόνοις ἐν Καρθαγένῃ σύνοδος τοπικὴ καὶ ἱερὰ συναθροίζεται, πατέρων ἑκατὸν εἴκοσι καὶ ἑπτὰ συνέλευσιν φέρουσα· κατὰ εἰδόλων [Legisse videtur interpres εἰδωλολατρῶν] Δονατιστῶν, καὶ ἄλλης ἑκάστης αἱρέσεως, καὶ τῶν ἐν τόποις ἐκείνοις ἀτόποις σφαλμάτων. τὰς πράξεις ποιήσασα. Ἧς ἡγεῖτο Αὐρήλιος ὁ Καρθαγένης ἐπίσκοπος. Καὶ κανόνας ἱεροὺς ἐκθεμένη καὶ θείους, ἕως καιρῶν τοῦ μικροῦ Θεοδοσίου διήρκεσε.

B Theodosio igitur et Nectario ad cœlestia translatis, in illius quidem imperium filius Arcadius successit, ut in Gratiani Honorius, Arcadii frater. Quo tempore Carthagine Synodus provincialis et sacra congregata fuit, patrum centum viginti et septem conventum præ se ferens, quæ contra idololatras Donatistas, et aliam quamcumque hæresin, et alia illorum locorum errata, actiones instituit : cui præfuit Aurelius Carthaginensis episcopus. Canones sacri et divini, quos illa edidit, ad Theodosii usque minoris tempora obtinuerunt.

Ad nos pervenerunt quoque multa dicta S. Episcopi in Collatione Carthaginensi contra Donatistas : quæ adisis inter monumenta ad horum hæreticorum historiam spectantia Patrol. tom XI, col. 1223 seqq.

APPENDIX.

MONITUM IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

Quam evidentibus signis hæc epistola spuritatis arguatur exponit Baronius ad annum 374, num. 40, hæc edisserens :

« Ejusdem anni consulibus datæ habentur litteræ nomine Damasi ad Aurelium episcopum Carthaginensem, positæ ab Isidoro Mercatore in suæ collectionis exordio; quas præcedunt litteræ ejusdem Aurelii nomine ad Damasum primo scriptæ, quibus petierat ab apostolica sede ad se mitti decreta Romanorum pontificum. At quid opus fuit (pace illius dixerim) mendaciis exornare vestibulum amplæ domus, ut in non levem suspicionem adducat cætera quæ habentur? Quo modo, quæso, potuit Aurelius episcopus Carthaginensis scripsisse ad Damasum Romanum pontificem, et hunc ad illum litteras reddere hoc potissimum anno, sub his præsertim consulibus, si adhuc cum S. Augustinus factus Christianus est, reversus in Africam, reperit dictum Aurelium diaconum agere Ecclesiæ Carthaginensis, post aliquod vero temporis spatium factum esse ejusdem civitatis episcopum? Testatur id quidem ipse Augustinus, ac disertis plane verbis, cum in commentario de Civitate Dei meminit de reditu suo ex C transmarinis partibus Carthaginem, recensetque miraculum illud de Innocentio ex incurabili morbo sanato, atque demum hæc ait : *Visitabant eum quotidie sancti viri, episcopus tunc Uzalensis beatæ memoriæ Saturninus, et presbyter Gelosus, ac diaconi Carthaginensis Ecclesiæ, in quibus erat, et ex quibus solus est nunc in rebus humanis jam episcopus cum honore a nobis debito nominandus Aurelius ; cum quo recordantes mirabilia opera Dei, de hac re sæpe collocuti sumus, eumque valde meminisse, quod commemoramus, invenimus.* Ita ipse. Vides igitur ad quanto posteriora tempora sit referendus Aurelii Carthaginensis episcopatus; et quam longe absit, ut ipse jam episcopus hoc anno ad Damasum scripserit, vel acceperit a Damaso litteras : cum certum sit, reditum Augustini in Africam, postquam Christianus jam effectus Mediolano recesserat, et a portu Romano solverat, contigisse anno Domini trecentesimo octogesimo nono; ut appareat nec post annos quindecim Aurelium creatum esse episcopum Carthaginensem, D sed perseverasse diaconum. Vides igitur quo modo recta temporum norma tortuosa aliorum figmenta improbentur : ut non mireris, si in dignoscenda certa temporum ratione crebrius atque solertius occupemur. »

EPISTOLA AURELII DAMASO PAPÆ.

Beatissimo papæ DAMASO AURELIUS Carthaginensis episcopus.

Gloriam apostolicæ sedis, et vestræ sublimitatis gratiam nostra humilitas exoret [*F.* exorat], ut statuta, quæ reperire poteritis, post finem beati principis apostolorum Petri, usque ad vestræ sanctitatis principium juxta apostolicæ sedis auctoritatem, quam cognovimus per vestræ sapientiæ sanctitatem guber- A nari, nobis scripta mittere dignemini : quatenus per vestræ sanctitatis nobilitatem atque prudentiam nosse valeamus, quæ in præfecta sancta sede supra dictis temporibus sunt decreta, et qui adversus canonum apostolorum instituta gesserunt, cognoscantur. Bene vale, sanctissime papa, et ora pro nobis amantissime pater. Data octavo kalendas Martii. Idem lecta Romæ, quinto nonas Maii.

(Responsio supposita Damasi Aurelio legi potest tom. XIII inter apocrypha scripta S. Papæ.)

ANNO DOMINI CCCCXX.

BACHIARIUS MONACHUS.

(Biblioth. Vet. Patr. Gall. tom. IX.)

PROLEGOMENA.

1. Bachiarius *vir Christianæ philosophiæ, nudus et expeditus vacare Deo disponens, etiam peregrinationem propter conservandam vitæ integritatem elegit.* Hæc Gennadius (*a*) : qui et illud addit, cum *adversus querulos et infamatores de fide libellum* scripsisse. Cujas porro fuerit auctor, nulla veterum produnt monumenta. Verum ex allatis Gennadii verbis, atque in primis ex ipsius Bachiarii testimonio, existimarim equidem, illum eo potissimum nomine peregre profectum esse, quo Paulus Orosius : adeoque scriptorem nostrum, quemadmodum et ille, Hispanum fuisse. Atque in hanc sententiam ivisse quoque, licet alia via, Florium v. c. intelligimus (*b*). Nimirum eadem ferme tempestate claruit Bachiarius, qua Orosius, id est sæculo V ineunte. Et hic quidem Hispanias Priscillianistarum atque Origenistarum erroribus imbutas animadvertens, illinc discessum parat atque in Africam pergit. Eadem item de causa Bachiarius permotus, patriam cognationemque reliquit (*c*) : *eo quod*, inquit, *cujusdam hæresis macula solum nostrum originale perstrinxerit.* Non idem tamen utriusque viri consilium. Orosius siquidem alio commigrans, ad oras Africanas appellit, quo conterraneis suis hæreseos morbo laboran- B tibus salutaris doctrinæ medicinam ex Hipponensi episcopo Augustino procuret (*d*). Bachiarius vero in erroris suspicionem adductus, peregrinationem suscipere statuit, simulque *de fide libellum* scribit *adversus querulos et infamatores*, non quidem *peregrinationis suæ*, ut arbitrabatur Gennadius, sed potius adversus eos qui eum *de patrio errore* incusabant (*e*). *Suspectos nos*, inquit (*f*), *quantum video, facit, non sermo, sed regio; et qui de fide non erubescimus, de provincia confundimur.* Hanc autem opinionem eo libentius amplectimur, quod Bachiarius ipsemet eam confirmare videatur, dum ait (*g*): *Præsidentum quorumdam sententia judicamur, quasi liberi esse ab erroris deceptione nequeamus.* Quibus sane verbis præsules aliquos innuere videtur auctor, qui de sua ipsius C fide suspecta quererentur, vel sibi etiam hæreseos crimen exprobrarent. Ii vero *præsidentes* meo quidem judicio, Eutropius et Paulus episcopi fuerint, Orosio memorati (*h*); qui *eadem qua et ipse salutis omnium utilitate permoti*, ex Hispaniis in Africam iter arripientes, *commonitorium jam dederunt de aliquantis hæresibus* magno illi doctori Augustino. Verum has qualescumque demum conjectationes eruditorum arbitrio dimittimus.

(*a*) Gennad. de Vir. illustr. cap. 24.
(*b*) Flor. ad Bachiar. Dissert. 1, § 1.
(*c*) Bachiar. Fid. § 1.
(*d*) *Oros. Common.* § 4.
(*e*) Bachiar. § 2, l. c.
(*f*) Id. ibid. § 1.
(*g*) Id. ibid. § 1.
(*h*) Oros. Common. § 1.

2. Jam vero Bachiarii sive natione sive patria utcumque ita constituta, eum monachum egisse illa satis ostendunt quæ modo ex Gennadio retulimus. Nimirum, *vir christianæ philosophiæ, nudus et expeditus vacare Deo disponens, pro conservanda vitæ* (seu *propositi*, ut præfert codex Corbeiensis) *integritate... peregrinationem suscepit; ut exiens de terra sua, cohæres fieret Abrahæ patriarchæ.* Et hæc quidem Massiliensis presbyter litteris tradidit ab ipso Bachiario edoctus, qui ait (*a*) : *Nos patriam*, etsi secundum carnem novimus, sed nunc jam non novimus (II *Cor.* v, 16), *et desiderantes Abrahæ filii fieri, terram nostram cognationemque reliquimus.* Neque vero umquam episcopali honore scriptorem nostrum fuisse auctum, ut plerisque visum, rationibus acriter conclusis evincit eruditissimus Florius (*b*) : quod utique nuspiam ex utroque ipsius libello colligere est. Quin potius in instituto monastico retinendo eum perstitisse, haud leviter suggerunt peregrinationes a *viro christianæ philosophiæ* susceptæ, quæ pastorali sollicitudini minus enimvero congruere noscuntur. Denique ad extremum, fictitium Bachiarii episcopatum extra omnem ingenii aleam positum fuerit, si hujusmodi ipsius verba in medium adducantur (*c*) : *Pastor est*, inquit : *quo vocaverit, sequar: quod dixerit ruminabo; quia ipse scit, sibi pro custodia mea reddendam esse rationem.* Ecce tibi pastorem in ovium censu repositum. Quin immo tantum abfuit ille ab aliorum regimine suscipiendo, ut etiam *sacerdotibus sive doctoribus caput pro sanctificatione summittere atque cor suum humiliare* consueverit (*d*).

3. Sacris litteris excolendis operam in primis dedisse Bachiarium, manifesto liquet ex duobus opusculis quæ temporum vicissitudo nobis non invidit. Et horum quidem alterum, *Fides* inscriptum, desinente superiore sæculo e tenebris eruit vir eruditione ac doctrina præstans Ludovicus Antonius Muratorius (*e*) : alterum vero *de reparatione lapsi* jam diu cum inter Orthodoxographa, tum in variis Patrum Bibliothecis in vulgus prodierat. Prioris meminit Gennadius, ut superius diximus, qui et illud a se lectum testatur; sed nimis profecto incuriose: ait enim fuisse hujusmodi opus ab auctore conscriptum atque Urbis pontifici exhibitum, quo æmulorum calumnias revinceret, simulque se non timore hominum, sed Dei, peregrinationem suscepisse indicaret. Presbyteri Massiliensis auctoritas viris doctis imposuit, quos inter vel ipsemet Tillemontius (*f*): A sed criticus sagacissimus sibi plane cavisset, si libelli perlegendi opportunitas ipsi præsto fuisset. Utcumque se res habeat, errorem Gennadianum detexit primus rejecitque accurate vir doctissimus subinde laudatus (*g*), ad quem proinde lectores remittimus. Posterius autem opusculum memorat anonymus Mellicensis (*h*), cui Bachiarius *vir optimi ingenii* dicitur. Utriusque porro libelli editionem haud ita pridem adornare aggressus est v. c. cujus modo meminimus (*i*), eamque ad mss. codices bibliothecæ Ambrosianæ, nec non ad antea vulgata exemplaria exactam, duabus eruditis dissertationibus auxit notisque illustravit. Atque hanc præclaram ἔκδοσιν præ cæteris seligendam duximus, cui præterea Muratorianas observationes in Bachiarii *Fidem* subdidimus.

B 4. Sed antequam manum de tabula in medium adducere haud otiosum fortasse fuerit, unam alteramve animadversionem, quam Petrus Wesselingius in priorem auctoris nostri libellum intexuit epistolæ ad H. Venemam *de Aquilæ in scriptis Philonis Judæi fragmentis*, editæ Trajecti ad Rhenum eo ipso anno 1748, quo Romæ prodiit Floriana Bachiarii editio. Primum itaque vir eruditus locum excutit (*j*), quem ex II *Thessal.* II, 3, refert Bachiarius his verbis (*k*) : *Nisi venerit refuga et discessio :* eoque recitato « Bachiarius, inquit, quod orationis series liquido ipsaque ejus ætas manifestat, in *refuga* acquievit: *discessio* alienæ et nimis officiosæ debetur diligentiæ. » Hæc ille. Nolim equidem velut iniquam rejicere omnino hujusmodi cl. Wesselingii censuram : nonnulla C tamen in eam annotare liceat. Textus Paulinus sic effertur : ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία: *Nisi venerit discessio.* Ita cum Vulgata semel iterumque Hieronymus (*l*), Rufinus (*m*), alii. Sed vetustiore versione usus fuerit Bachiarius, in qua *refuga* legerit, quemadmodum legit sane Augustinus (*n*). Quæ quidem vox, ut advertit Millius (*o*), ex interpretamento manasse videtur vocis ἀποστασίας, sumptæ pro ipso Antichristo, quomodo explicant Græci; qui eo utique sensu, *refuga*, desertor ἀποστάτης, dicatur. Quam in sententiam Sedulius Scotus (*p*) : *Quod autem*, inquit, DISCESSIONEM *hic dicit, alibi eum* REFUGAM *appellavit in Latinis exemplaribus. Utrumque autem ita intelligendum est, quod nisi venerit refuga veritatis, sive sui principatus desertor, sive discessio gentilium*, etc. D Hæc porro ex Pelagio αὐτολεξεὶ exscripsit Sedulius : quæ tamen minus emendata et male interpuncta occurrunt in editionibus Hieronymianis tum Martia-

(*a*) Bach. Fid. § 1.
(*b*) Flor. Dissert. 1, ad Bachiar., § 7, pagg. LIII seqq.
(*c*) Bachiar. l. c. § 7.
(*d*) Id. ibid.
(*e*) Murat. Anecdot. tom. II, pagg. 9 seqq. Mediol. 1698.
(*f*) Tillem. Mem. eccl. tom. XVI, pag. 473, not. 9.
(*g*) Flor. ad Bachiar. Dissert. 1, § 6, pagg. XLVII seqq.
(*h*) Anon. Mellic. de Scriptor. eccl. cap. 53.
(*i*) Flor. Bachiar. opusc. edit. Rom. 1748.
(*j*) Wessel epist. cit. § 7, pag. 29.
(*k*) Bachiar. Fid.
(*l*) Hieron. Biblioth. divin. opp. tom. I, pag. 1647, edit. BB. Paris. — Id. epist. 121, ad Algas., quæst. 11, opp. tom. I, pag. 879, edit. Vallars. Veron.
(*m*) Rufin. Comment. in Symb. num. 34, p. 97 nov. edit. Veron.
(*n*) Aug. de Civit. Dei lib. XX, cap. 19, opp. tom. VII, pag. 596, edit. BB. Paris.
(*o*) Mill. N. T. Gr. ad. II *Thess.* II, 3, et in Prolegom. num. 846.
(*p*) Sedul. Collect. in II *Thess.* II, 3, in Biblioth. Paris. 1644. tom. I, pag. 1011.

mei (*a*) tum Vallarsii (*b*), nec non apud Clericum qui ejusdem Pelagii commentarios ex Frobenianis Erasmi editionibus in sua Appendice Augustiniana iterum evulgavit (*c*). Ex dictis itaque in vetustum Latinum codicem inciderit Bachiarius, ubi utraque lectione, *refuga et discessio* junctim inventa, utrumque simul et ipse attigerit.

5. Alterum præterea locum in auctore nostro perstrinxit Wesselingius, aitque (*d*) se nescire unde is acceperit ejusmodi verba (*e*) : *Per bonum operatum est mihi omnem concupiscentiam.* « Redolent illa quidem, subdit, Paulinum aliquid ex Epist. ad *Roman.* VII, 8, sed minus sincerum. Græca, ut ea in Epistola nunc leguntur, nihil admodum juvant, neque suspicionibus et conjecturis abuti libitum est. » Ita v. c. Nihil sane dubites, quin ad illud *Roman.* VII, 8, respexerit Bachiarius. Græca sunt : Ἀφορμὴν A δὲ λαβοῦσα ἡ ἁμαρτία διὰ τῆς ἐντολῆς, κατειργάσατο ἐν ἐμοὶ πᾶσαν ἐπιθυμίαν. Quæ sic reddit vulgatus interpres : *Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Verum haud nimis laborandum, quo inustæ censuræ subducatur Bachiarius. Noverat ille, paulo post dixisse Apostolum vers. 12..... ἡ ἐντολὴ..... ἀγαθή, *Mandatum.... bonum.* Ad hoc itaque comma 12 oculos intenderit scriptor noster, dum superioris commatis 8, διὰ τῆς ἐντολῆς, *per mandatum*, reddidit *per bonum*, subaudiendo *mandatum ;* Apostoli scilicet mentem potius, quam litteram assectatus. Hæc habuimus, quibus utcumque adstruatur, prout exstat, Bachiarii contextus. Meliora dabunt viri docti, quorum acriori judicio istiusmodi conjectationes B subjicimus.

(*a*) Martian. Hieron. opp. tom. V, pag. 1083, post. med.
(*b*) Vallars. Hieron. op. tom. XI, pag. 1040.
(*c*) Cler. Append. Aug. pag. 440.
(*d*) Wessel. l. c.
(*e*) Bachiar. Fid. § 5.

[a] BACHIARII FIDES.

1. *Omne quod fuit, ipsum quod erit; et non est* C *omne recens sub sole* (*Eccle.* I, 9, *juxta LXX*). Et iterum Apostolus : *Omnia hæc in figuram nostri contigerunt* (I *Cor.* X, 6) : quod præsentis rei probatur effectu; cum gesta olim evangelici sacramenta mysterii, iterum ætatis nostræ temporibus renovata [b] celebrentur. Ecce nunc, quantum intelligimus. Christus a Samaritana aquam postulat, cum beatitudo tua fidem a nobis requirit. Suspectos nos, quantum video, facit, non sermo, sed regio; et qui de fide non erubescimus, de provincia [c] confundimur. Sed absit, beatissime, ut apud viros sanctos macula nos terrenæ nativitatis inficiat. Nos patriam *etsi secundum carnem novimus, sed nunc jam non novimus* (II *Cor.* V, 16), et [*1] desiderantes Abrahæ filii fieri, terram nostram cognationemque reliquimus (*Gen.* D XII, 1). Hoc autem ideo dicimus, quia sicut Samaritanis, sic nobis non creditur a Judæis, eo quod cujusdam hæresis macula solum nostrum originale perstrinxerit : sic præsidentum quorumdam sententia judicamur, quasi liberi esse ab erroris deceptione nequeamus. Dictum est similiter quondam ab incredulis : *A Nazareth potest aliquid boni esse* (*Joan.* I, 46)? et tamen inde Christus processit. [2] Numquid, rogo, Apostolorum merita unius perfidia avaritiaque mutavit, qui, non dicam de eadem regione, sed eorum processit e latere? Numquid patriarcharum vitam fratrum culpa [d] turpavit? Numquid prophetarum oracula, pseudoprophetarum commenta falsarunt? Core illo Levitico [e] in hæresim declinante, numquid reliqua cognatio ex hac stirpe descendens, maculam ex propinquitate contraxit? Pontificis filiis ignem offerentibus alienum, germani eorum sacerdotali funguntur officio, et inculpatos se a crimine fratrum ministerii sui honore testantur. [3] Nicolao diacono in hæresim declinante, gloriosa

[1] Gennadius de Script. Eccles. hæc de Bachiarii Apologia refert : *Satisfacit pontifici Urbis adversum querulos et infamatores peregrinationis suæ, indicans se non timore hominum, sed Dei causa peregrinationem suscepisse, ut exiens de terra sua et cognatione sua cohæres fieret Abrahæ patriarchæ.* Quibus postremis verbis ad hoc loci respexit Gennadius. Quamquam fateor difficile hinc posse cognosci peregrinationem ullam a Bachiario susceptam fuisse.

[2] Apposite in hanc rem S. Cyprianus scribit lib. de Unitate Ecclesiæ : *Ut Judam inter Apostolos Dominus elegit, et tamen Dominum Judas postmodum prodidit. Non tamen idcirco Apostolorum fides, et firmitas cecidit, quia proditor Judas ab eorum societate defecit,* Sanctus Hieronymus quoque epist. 22, ad Eustoch. : *Neque ait, undecim Apostoli Judæ proditione sunt fracti.* Et contra Vigilantium : *Apostolorum seriem Judæ proditio non destruxit.*

[3] Hic ille est Nicolaus, qui Apostolorum temporibus in Diaconorum censum cooptatus Nicolaitarum hæresi originem dedit, cujusque mentio est in Act. Apost. cap. VI, num. 5. S. Irenæus lib. I, cap. 27, advers. Hæreses. hæc de illo habet : *Nicolaitæ autem magistrum quidem habent Nicolaum unum ex septem, qui primi ad diaconium ab Apostolis ordinati sunt, qui indiscrete vivunt.* Clemens Alexandrinus lib. III. Strom., Theodoritus lib. III Hæret. fabul., Eusebius Cæsariensis, Augustinus, aliique meminere.

[a] Codex Ambrosianus ita inscribitur : *Bachiarii incipit Fides.* Gennadius vero idem opusculum legisse videtur hoc titulo insignitum : *Liber de Fide.*

[b] Ita Ambr. At Muratorii editio habet, *celebrantur.*

[c] Editionem Mediol. sequimur, licet in codice scriptum sit, *confundamur.*

[d] Codex Ambr. et Med. editio mendose, ut puto, *turbavit.*

[e] Origenes Homil. 9 in Numeros, num. 1 : *Core figuram tenet eorum, qui contra ecclesiasticam fidem et doctrinam veritatis insurgunt.*

* *His numerulis indicantur Notæ Ludovici Antonii Muratorii v. c. ad calcem appositæ.*

collectorum fratrum in virtutibus Dei opera refulse-runt. Crimen nobis regionis intenditur. Quisquis hoc dicit, legat [1] Christum *Samaritanum* (*Joan.* VIII, 48): in qua provincia, non solum [2] hæresis, sed idololatriæ criminibus servierunt. In domo [a] profani et sceleratissimi Achab Abdias servus Domini inventus est, qui corporibus prophetarum meruit copulari. In [3] Sarepta [b] Sidoniæ, inter [4] Chananæorum scelestissimum genus, vidua fidelis reperitur, et prophetarum hospita eligitur. Magister idololatriæ et caput hæresis Balaam, ut Christum prædicaret, admissus est. Job [c] ex Esau profani et infidelis stirpe descendit. Ruth cognata generis Christi, Moabitis esse describitur, cujus origo [d] in æternum ab Ecclesiæ foribus abdicatur. Abraham caput fidei de Chaldæorum stirpe descendit, quibus vernacula et naturalis magicæ artis impietas est. Magis Christum adorantibus, vetera errorum non imputantur opprobria. Moysi Ægyptiorum artibus erudito prophetalis spiritus gratia condonatur. Jam in Christo renatis terrenæ provinciæ error ascribitur?

2. Si [e] agnoscimus patriam, erubescamus et culpam; mihi enim civitas cui renovatus sum, regio effecta vel patria est. Nihil mihi de terrenis affinitatibus ascribatur, quibus renuntiasse memini. Quisquis est, qui me provinciæ cognatione æstimat infidelem, ipse infidelem se esse noverit; quia aut oblitus est, aut lubricum putat, quod in baptismo confessum esse cognoscit: sine dubio enim non relinquit terrenam cognationem, qui me de patrio errore confutat. Certe secundum institutionem actus humani, pater patriam facit. Qualiter mihi patria in terra esse dicitur, cui ex præcepto cœlesti [f] Patrem in terra vocare, aut habere non sinitur (*Matth.* XXIII, 9)? Vis enim, ut evidentibus tibi per me hoc probetur exemplis, qui patriæ culpas errorem? Nonne [5] Novatiani [g] hoc genere a catholicis dissidentes, probrosæ hæresis lepram judicio contraxere

[1] Duplici ratione hic explicari Bachiarius potest. Aut enim Christum Samaritanum appellat, quippe qui non raro in Samariæ urbibus versatus fuerit, aut quod illum Judæi convicii ergo Samaritanum vocarent. S. Joan. in Evang. cap. VIII, num. 48: *Nonne*, aiebant, *bene dicimus nos, quia Samaritanus es, et dæmonium habes?* Animadvertit autem Augustinus cum in Enarr. in psalmum XXX, tum in Expos. in Evang. Joan. tract. 43, Christum minime se negasse Samaritanum. Sunt ejus verba: *Horum duorum sibi objectorum unum negavit, alterum non negavit; respondit enim et ait: Ego dæmonium non habeo. Non dixit: Samaritanus non sum*, etc. Tum silentii rationem a Samaritani vocabulo petit.

[2] Utique ab Hebræorum doctrinis ac institutis cum olim Samaritani desciverint, idcirco hæretici sunt appellati. Philastrius episcopus Brixiensis lib. de Hæres. cap. 7, perversa eorum dogmata refert. Nicetas Choniates in Thesauro lib. I, cap. 34, hanc gentem ita hæreticis accenset, ut tamen idololatria non carere affirmet. *Quamvis*, ait, *idololatræ revera sint; summa tamen illis, ne tales videantur, cautio est*. Dilucide supra omnes S. Epiphanius rem prodit lib. I adv. hæres. ad Samaritanorum hæresim; enarrata enim eorum a Judæis discessione addit: Καὶ αὐτὴ αἵρεσις ἀθετοῦσα μὲν νεκρῶν ἀνάστασιν, ἀποθουμένη δὲ εἰδωλολατρείαν, ἐν αὐτῇ δὲ εἰδωλολατροῦσα κατ' ἄγνειαν διὰ τὸ ἀποκεκρύφθαι τὰ εἴδωλα τῶν τεσσάρων ἐθνῶν ἐν τῷ ὄρει, etc. Ita vertit Petavius vir magnus: *Sed illud huic hæresi contigit, ut dum mortuorum resurrectionem improbat, idololatriamque respuit, in eam imprudens inciderit, quod nationum quatuor simulacra in monte quodam occultata sunt*, etc. A lege autem Judæorum ita dissentiebant Samaritani, ut in alienigenarum numero ab illis notarentur. Propterea, cap. XVII num. 17 Luc., ipse Jesus de Samaritano illo, qui ex decem leprosis mundatis unus, ut gratias ageret, rediit, sic loquitur: *Nonne decem mundati sunt? et novem ubi sunt? Non erat alius, qui daret gloriam Deo, nisi alienigena iste.*

[3] Emendandus est locus, et pro *Ferepta* scribendum est *Sarepta*. Urbs hæc in Phœnicia apud Sidonem sita olim fuit nostrisque etiam temporibus durat, ni nos recentes geographi fallunt. Plinius lib. V, cap. 19: *Inde Ezhydra, Sarepta, et Ornithon oppida, et Sidon*, etc. Viduæ memoratæ historia desumpta est ex Evangelio Lucæ cap. IV, ubi ita legitur: *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cœlum annis tribus et mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra; et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam*. Uberius autem res describitur lib. III Reg. cap. XVII. Ævo quoque Hieronymi tum hoc oppidum, tum Eliæ domicilium exstabat; inquit enim S. Doctor epist. 27, ad Eustoch., in Epitaph. Paulæ: *Beryto Romana colonia, et antiqua urbe Sidone derelicta, in Sareptæ littore Eliæ est ingressa turriculam.*

[4] Sarepta, uti dictum superius, inter Phœniciæ urbes numerabatur. Phœnices autem Chananæi quoque promiscue appellabantur. Sic Saul modo filius τῆς Φοινίσσης, hoc est *mulieris Phœniciæ*, modo τῆς Χαναανίτιδος nempe *Chananitidis* in sacris Bibliis dicitur. Mulier quoque illa *Chananæa*, quam memorat S. Matthæus cap. XV, 22, a S. Marco cap. VII, 26, *Syrophœnissa* nuncupatur. Hanc rem illustravit erudit. Bochartus lib. V, cap. 34, Geogr. Sacræ n. 2.

[5] A Novatiano potissimum hæretici isti originem duxere, cui Novatus Afer in errore promulgando suppetias tulit. Eorum autem perversum dogma fuit, nullos qui in idololatriæ crimen lapsi forent, licet pœnitentes in Ecclesiam admittendos. S. Cyprianus cujus temporibus hæc pestis erupit, quique supra omnes in illam dimicavit, hujusce rei testis

[a] Edit. Mediol., *in domo Achab*.

[b] Eadem habet, *Ferepta*, cujus loco reponendum esse, *Sarepta* monuit cl. Murat. In Ambr. libro legitur. *Serepta*.

[c] Consule additamentum quod legitur ad calcem libri Job juxta versionem τῶν LXX, et interpretes. *Male*, inquit sanctus Hieronymus in Quæst. Hebr. in Genesim, *quidam æstimant Job de genere esse Esau: siquidem quod in fine libri ipsius habetur*, eo quod de sermone Syro translatus est, et quartus sit ab Esau, *et reliqua quæ ibi continentur, in Hebræis voluminibus non habentur.*

[d] Τὸ *in æternum* deest in edit. Mediol.

[e] Murat. legit: *si agn. pat. erubescimus at culpam*. Sed legendum videtur: *si non agnoscimus*, etc. Quam conjecturam confirmant quæ statim subdit. Sed et superius dixerat, se patriam non agnoscere.

[f] Cod. Ambr., *Patriam*. Sed veritus non sum tam apertum sphalma emendare.

[g] An *Donatiani?* Ita non raro appellantur a veteribus schismatici Afri, ac præsertim a sancto Augustino *de Hæresibus* cap. 69, ubi hæc habet: *Donatiani in hæresim schisma verterunt, tanquam Ecclesia propter crimina Cæciliani seu vera seu falsa peri-*

perverso, eo quod ante actam culparum seriem crediderunt etiam posteris ascribendam, et non tam hæresim odere quam plebem? Si pro culpa unius, totius provinciæ [1] anathemanda generatio est, damnetur et illa beatissima [a] discipula, hoc est, Roma, de qua nunc non una, sed duæ vel tres, aut eo amplius hæreses pullularunt; et tamen nulla earum cathedram Petri, hoc est, [2] sedem Fidei, aut tenere potuit aut movere. Damnentur postremo et omnes provinciæ, de quibus diversi erroris rivuli manavere. Ille vas electionis et gentium Doctor (*Act.* xx, 9), [3] lapso Eutycho de tertio tecto, credo, aliquid de Trinitate erranti, restituit calorem fidei, et vitam reddidit, hoc est, veniam relaxavit. Nos fortasse adhuc in fenestra, id est, in lucis via et fidei splendore residentes, severi nimium judices, non ex discussione, sed ex suspectione condemnant: nescientes, quia *quo judicio judicaverint, judicabitur de eis* (*Matth.* vii, 2), *et qui fratri suo dixerit racha, reus erit gehennæ ignis* (*Matth.* v, 22). Racha enim, *vacuus* interpretatur. Et quis est vacuus, nisi cujus interiora carent fidei veritate, et est *velut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens* (I *Cor*, xiii, 1)? Ille, qui una tantum nocte Christum viderat, ait contribulis suis: *Numquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audiat quæ agit* (*Joan.* vii, 51)? Et hi qui tot annorum Domini sectatores sunt, prius judicant, quam id unde judicant, audiant atque co- A gnoscant? Si ante cognitionem promenda est sententia, cur legislator præcepit (*Levit.* xiv, 36 *seqq.*), ne antequam introeat sacerdos, et videat domum quæ cariosæ vel tinnientis lepra hæresis scindatur, immunda judicetur? Ne, quæso, beatissime frater, male de provincia sentiatur. Non latet enim perspicaciam tuam, quia cum in adventu arcæ Dominicæ Dagonis caput in centum partes cum utrisque pedibus comminutum sit, spina ejus integra superfuisse describitur (I *Reg.* v, 4, *sec.* LXX), Nos enim Dagonis caput sive pedes, membra mundi, id est, orientem et occiduum esse sentimus; [4] in quibus partibus sub præsentia legis [b] omnis errorum contrita perversitas est. Tuum sit enim judicare, quæ sit medietas spinæ, in qua adhuc nodorum compago B dissoluta perdurat. Ut quid, rogo, quæritur provincia mea? *Peregrinus ego sum, sicut omnes patres mei* (*Psal.* xxxviii, 17). Verumtamen si magnopere quæritur, ubi natus sim, [5] accipiatur confessio mea, quam in baptismi nativitate respondi: non enim mihi patria confessionem, sed confessio patriam dedit; quia credidi, et accepi (*Matth.* xxi, 22). Nec me offuscet Samaritana conditio; quia Christum interrogatus ad puteum credidi, et purgatus a lepra infidelitatis agnovi. Verumtamen [c] quia apostolicæ eruditionis instituta nos commovent [*An.* commonent] (I *Pet.* iii, 15), ut omnibus poscentibus nobis rationem de fide et spe quæ in nobis est, profera-

habetur in epist. 52, ad Antonianum. S. Epiphanius in Hæresi 59, n. 1, quæ est Catharorum, Novatianos affirmat pœnitentiæ virtutem omnino infirmasse, cum dicerent μετὰ τὸ λουτρὸν μηκέτι δύνασθαι ἐλεεῖσθαι παραπεπτωκότα, *ei qui post baptismum delinqueret, nullam adhiberi posse misericordiam.* Idem tradunt Philastrius cap. 34 de Hæres. aliique non pauci. Huc igitur respexisse Bachiarium crediderim his verbis, in queis tamen aliquem librariorum errorem latere mihi facile suadeo.

[1] Hoc est excommunicatione percellere. Ita scriptum in codice nostro. Vox melioribus quidem ignota, sed Bachiarii tempore usurpata. Siquidem observavit Salmasius ad Tertullianum de Pallio in ms. Commonitorii S. Augustini ad Faustum *Anathemare* bis legi. Pro eo *anathematizare* posuerant veteres typographi, sed Clarissimi PP. Benedictini in postrema Aug. editione *Anathemare* scribunt. Faustus quoque Regiensis pag. 18 et 19 editionis 1586, et concilium Toletanum primum contra Priscillianistas hanc vocem nequaquam fugerunt. Vide clarissimum virum du Fresnium in Gloss. mediæ, et infimæ Latinitatis.

[2] Et hoc Romanæ sedis præconium animadvertisse prætereundo juvat. Scilicet *Petri cathedra Fidei sedes*, et inviolatum religionis tribunal ac sanctuarium nuncupatur. Hæreses quidem vel ex ipsa Urbe eruperunt; nulla vero Ecclesiæ catholicæ caput ac firmamentum appetere valuit, hoc enim Petro luculente Christus spoponderat. Adderem aliqua, immo omnium antiquorum in hanc rem simil- C lima verba, ni plurium scriptorum calamos hic labor occupasset, et flumina quam rivulos petere præstet. Eminentissimi Bellarminus, Baronius, et Sfondratus hic potissimum consulendi.

[3] Rem narrat S. Lucas in Actis Apost. cap. xx, n. 9: *Sedens quidam adolescens nomine Eutychus super fenestram, cum mergeretur somno gravi, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum, et sublatus est mortuus.* Tum addit eum a sancto Paulo vivis restitutum.

[4] Hic quidem concilia omnia sunt intelligenda, quæ tum in Oriente, tum in Occidente adversus hæreticos celebrata fuerant. Potissimum tamen his innui verbis arbitrarer concilium Constantinopolitanum primum, et Aquileiense, quæ anno Christi 381, hoc est ante paucos quam Bachiarius scriberet annos, habita fuere. Illud in Oriente, hoc in Occidente; illud œcumenicum, hoc vero ex omnibus ferme Occidentis provinciis coactum fuit.

D [5] Ab ipsis Ecclesiæ incunabulis Christianis omnibus id moris fuit (quod etiam nunc perseverat) ut ante baptismum solemniter fidei professio emitteretur. De qua re videndi Tertullianus lib. de Pudic. cap. 9, et lib. de Baptismo cap. 6; Cyprianus epist. 70, ad Januarium, et 76, ad Magnum; Gregorius Nazianzenus Orat. 40, in Sanct. Lavacr.; Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 1 et 2 Mystag.; Epiphanius in Anchorato, et reliqui Patres. Luculentissime autem omnium rem pertractavit Joseph Vicecomes Ambrosiani collegii doctor in erudito volumine de antiquis baptismi ritibus lib. ii, cap. 23 et seq.

rit. Horum itaque proprium fuit ascribere posteris culpas a majoribus admissas. Sed et *plebis* mentio qua nihil frequentius in causa Donatistarum, pondus addit non leve suspicioni huic nostræ. Cæterum grave mendum latet in his verbis: *non tam hæresim odere quam plebem;* ac pro *odere* scribendum, dilexe- *re*, vel quid simile.

[a] Aliquid deest. Urbem Romam sanctus Leo magnus appellat *discipulam veritatis*. Forte *Petri discipulam* dixit Bachiarius.

[b] Ita cod. Ambr. At Murat., *omnium.*

[c] Deest, quia in cod. et edit. Murat.

mus; non moremur fidei nostræ regulam beatitudini A tuæ, [1] qui artifex es ipsius [a] ædificii demonstrare.

3. Sed ne forte hoc ipsum suspicionem infidelitatis incutiat, quod tardius ad interrogata respondeo; credimus Deum esse : quod fuit, [b] erat; quod erat, erit, numquam aliud, semper idem : Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus : unus [c] Deus, et unus filius de Patre, [2] Spiritus sanctus Patris et Filii. Unius Trinitatis ista substantia, et tria ista unam habentia voluntatem. Nec communicans major, nec accipiens minor : nec est secundus a primo, nec tertius de secundo; quia sic nos prophetica instituta docuerunt [3] dicendo : [d] *Non ascendes per gradus ad altare meum* (*Exod.* xx, 26). Altare enim velut quamdam basem Fidei suspicamur, unde vitalis cibi participantur alimenta; B quia *altare* ex proprietate nominis sui, nonnisi sublimium rerum alta cognitio est. Divisum enim per syllabas nomen altaris, inchoatumque de fine, *res alta* significatur et sonat. Ad hanc Fidem per gradus ascendere non debemus, ne inæqualiter sentiendo, de inferiore ad superiorem transitum faciamus; sed æquali gradu nostri cordis intrare, ut unius substantiæ, unius potestatis, unius virtutis, et Patrem et Filium et Spiritum sanctum sentiamus. Pater enim principale nomen divinitatis per se, quod creditur, et quod dicitur Pater Deus, Filius Deus ex Patre, non ex se, [e] sed Patris. Pater Deus, et Filius Deus: sed non idem Pater, [f] qui Filius; sed idem esse creditur Pater, quod Filius. Et Spiritus sanctus, non Pater ingenitus, sed Spiritus ingenitl Patris. Filius genitus, non Spiritus Filius, [g] sed ipse Filius, super quem a Patre missus est Spiritus. Itaque, cum ingenitus Pater sit, cujus est Spiritus, [4] incaute Spi-

[1] Posceret illustre hoc Bachiarii testimonium, ut Romani pontificis in rebus Fidei statuendis auctoritatem ex antiquorum penu firmarem; is enim Petri successor neque falli, neque fallere Christi ipsius testimonio potest. Sed ad aliorum in hanc rem tractatus uberrimos dimittere consultius duco, ne incongrue libellum parergis onerem. Itaque consulantur Bellarminus de Romano Pontifice, Bzovius eodem tractatu cap. 17, Card. Sfondratus in Gallia Vindicata, aliique innumeri.

[2] Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere, et hinc discere possumus. Si enim Spiritus est Patris ac Filii, ideoque a Patre procedit, quia Patris est Spiritus; utique cum sit et Filii Spiritus, ab isto quoque procedere est dicendus. Tantum autem roboris hæc ratio habet, ut S. Augustinus tract. 99 in Joan. ita locutus fuerit : *Cur non credamus quod etiam de Filio procedat Spiritus sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus?* Idem repetit lib. xv cap. 17 de C Trinit. Spiritum itidem Filii esse nos docuit Cyrillus Alexandrinus in Epist. ad Reg. relata tom. I, cap. 6, Concilii Ephesini : cui adde Epiphanium in Anchorato, et quæ ego animadverti ad Nat. XI S. Paulini tom. I Anecd.

[3] Divinare mihi non videar, si proposita Bachiarii verba ad celebrem *disciplinam arcani* referenda esse pronuntiem. Etenim hic secundum antiquorum morem mirandum Eucharistiæ sacramentum proponitur, sed sub verborum involucro et nube. Ecquid sane est *Altare, unde vitalis cibi participantur alimenta*, nisi sacrosanctum dominici corporis sanguinisque sacramentum? Nempe consuevere Veteres dogmata quædam ritusque ecclesiasticos occultare, ne infidelium ludibrio sacra exponerentur, Christi mandatum secuti : *Non esse dandum sanctum canibus, nec margaritas projiciendas esse ante porcos*. Quin ipsis catechumenis ecclesiastica quædam mysteria occultabantur, ejusque rei fidem facit S. Aug. tract. 96 in Joannem : *Catechumenis*, inquit, *sacramenta fidelium* D *non produntur*. Præcipuum vero ex iis capitibus quæ reticebantur, fuit incruentum sacrificium altaris, utpote quod ethnicorum rudiumque in fide hominum intelligentiam superet. Possem hoc sexcentis probare exemplis, nisi eruditis præsto forent c. v. Emmanuelis a Schelstrate Vaticanæ olim bibliothecæ præfecti edita in hanc rem volumina, ubi *disciplina arcani* egregie proponitur validiusque confirmatur. Illius quidem laborem Wilhelmus Tentzelius vir eruditus deprimere editis libris conatus est, at quali successu jam doctis est animadversum. Satis igitur Bachiario fuit tantum sacramentum dumtaxat designare, illudque *rerum sublimium altam cognitionem* appellare, ne publicus libellus in ethnicorum manus fortasse delapsus mysterio venerabili periculum pareret. Propterea inferius de animæ origine loquens, altaris injecta mentione hæc ait : *Basis altaris velut quædam radix profunditatis est, cujus secreto etiam rationem animæ jungamus.* Vides ex nostro auctore tum animæ originem, tum sacramenti venerandi institutionem ad *arcani disciplinam* spectare. Sed hæc satis superque et ex mera conjectura

[4] Tertiam Trinitatis personam incaute dici *ingenitam* Bachiarius affirmat, ejusque ratio validissima profecto mihi videtur; evitandum enim est, inquit ille, *ne duo ingeniti, aut duo Patres ab infidelibus æstimentur.* In symbolo tamen quod S. Athanasio ascribitur, atque ab Ecclesia catholica adoptatum fuit, hæc ita leguntur : *Spiritus sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Si *non genitus* est Spiritus, ergo *ingenitus*, ac idcirco stat contra Bachiarium Ecclesia. Et re vera unum Verbum vocari posse *genitum* tum a Joanne in Evangelio cap. primo, ubi *unigenitum* bis appellat, tum a symbolo Apostolorum et a plerisque Patribus docemur. Igitur Spiritus dici nequit *genitus* et contra *ingenitus* dici poterit. Verum recte sensisse Bachiarium, ni mea me fallit opinio, evidenter ostendam. Itaque primum animadvertamus oportet, *ingenitis* vocem ita Patris esse, ut tamquam ejus proprietas personalis apud scriptores antiquos haberetur. Eusebius Cæsariensis cap. 19 lib. II Actor. concilii Nicæni a Gelasio Cyziceno col-

[a] Edit. Med., *artificii*.

[b] Vix mihi temperare potui, quin scriberem, *quod fuit, est; quod est, erit.* Amicus doctiss. nihil mutat, sed locum ita distinguit. *Credimus Deum esse; quod fuit : erat, quod erat : erit numquam aliud, semper idem.*

[c] Legendum suspicor, *unus* Pater *Deus :* vel, *unus Pater, et unus Filius de Patre.*

[d] Prioris editionis interpunctionem corrigimus. Refellit auctor veteres quosdam, ac præsertim Arianos, qui *gradus* in Trinitate commenti sunt, ceu Spiritus sanctus esset inferior Filio, hic Patre, quem solum idcirco vocabant τὸν ὑπὲρ πάντα Θεόν.

[e] Verba hæc, *sed Patris*, abundant.

[f] In libello Orationum Gothico-Hispano, quem edidit Joseph Blanchinus v. cl. tacite notantur antiqui illarum regionum Unitarii his verbis : *Filius, non ipse qui Pater est, creditur; dum tamen ipsut esse, quod Pater est, fateatur*, pag. 18.

[g] Vix dubito, quin Bachiarius scripserit, *sed spiritus Filii.*

ritus sanctus dicitur ingenitus, ne duo ingeniti, aut duo Patres [a] ab infidelibus æstimentur. Filius Patris ante sæcula genitus a Patre, non potest alium genitum habere consortem; ut credatur unigenitus, et duo geniti non dicantur. Pater enim unus ingenitus, Filius unus est genitus, Spiritus sanctus a Patre procedens, Patri et Filio coæternus; quoniam unum opus, et una in Patre et Filio et Spiritu sancto voluntatis operatio est. Pater ingenitus, Filius genitus, Spiritus sanctus [1] a Patre procedens, Patri et Filio coæternus; sed ille nascitur, hic procedit, sicut in Evangelio beati Joannis legitur: *Spiritus qui a Patre procedit, ipse vobis annuntiabit omnia* (*Joan.* XV, 26, *et* XVI, 13). Itaque Spiritus sanctus, nec Pater esse ingenitus, nec Filius genitus, æstimetur; sed Spiritus sanctus, qui a Patre procedit. Sed non est B aliud quod procedit, quam quod [b] unde procedit. Si

A persona quæritur, [c] Deus est. Hæc per hoc tripartita conjunctio et conjuncta divisio, et in personis excludit unionem, et in personarum distinctione obtinet unitatem. Sicque [d] credimus beatissimam Trinitatem; quod unius naturæ [e] est, unius deitatis, unius ejusdemque virtutis atque substantiæ; nec inter Patrem et Filium et Spiritum sanctum sit ulla diversitas, nisi quod ille Pater sit, et hic Filius, et ille Spiritus sanctus; Trinitas in subsistentibus personis, Unitas in natura atque substantia. Filium quoque credimus in novissimis diebus natum esse de Virgine et Spiritu sancto, carnem naturæ humanæ et animam suscepisse. In qua carne et passum et sepultum, resurrexisse a mortuis credimus et fatemur; et in eadem ipsa carne in qua jacuit in sepulcro, post resur- B rectionem ascendisse in cœlum, unde venturum expectamus ad judicium vivorum et mortuorum: [2] Vir-

lectorum hæc habet: Εἷς ἀγέννητος ὁ Θεὸς καὶ Πατήρ. Εἷς καὶ ὁ γεγεννημένος ἐξ αὐτοῦ μονογενὴς υἱὸς Θεὸς λόγος. *Unus ingenitus Deus et Pater. Unus ex eo genitus unigenitus Filius Deus Verbum.* Addit: ὥσπερ οὖν οὐκ ἔστι συναγέννητος τῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ Θεὸς ἕτερος, οὕτως οὐδὲ συγγεγεννημένος. *Sicut igitur non est] alter Deus cum Deo et Patre ingenitus, ita neque congenitus,* etc. Idem etiam animadvertit S. Thomas contra error. Græc. Opusc. I, cap. 8. Idcirco vetustus auctor Quæstionum quæ S. Athanasio tribuuntur, quæst. 5, *ingeniti* agnomen proprium unius Patris vocat: Ἴδιον τοῦ μὲν Πατρὸς τὸ ἀγέννητον, τοῦ δὲ υἱοῦ τὸ γέννητον, τοῦ δὲ ἁγίου πνεύματος τὸ ἐκπορευτόν. *Proprium Patris est ingenitum esse, Filii vero genitum, at Spiritus sancti procedere.* Neque aliter loquuntur S. Athanasius in Epis. ad Serapionem, Nazianzenus in Orat. 23 in laudem Hieron. prope finem, Isidorus lib. 7. Etymol. cap. 4 § 1, Anselmus in Monolog. cap. 54, a med., aliique Patres; inter quos Augu- C stinus lib. XV de Trin. cap. 26, ait: *Pater solus non est de alio, ideo solus appellatur ingenitus*: quod alibi repetit. Rectissime igitur animadvertit Bachiarius Spiritum sanctum incaute *ingenitum* vocari; illud enim vocabulum proprium amplius non foret Patris. Aliud autem est Spiritum dicere *non genitum*, aliud *ingenitum* appellare. Primum Ecclesia ipsa usurpat, alterum vix patitur, ne duo *ingeniti*, duoque idcirco Patres esse videantur. Hæc est Bachiarii ratio, eademque est quam S. Augustinus sequitur Serm. 58 de Temp., qui est 3 infra Oct. Epiph. *Spiritus sanctus*, ait ille, *nec ingenitus, nec genitus alicubi dicitur; ne si ingenitus diceretur, sicut pater, duo Patres in sancta Trinitate intelligerentur; aut si genitus diceretur, sicut Filius, duo itidem Filii in eadem æstimarentur esse sancta Trinitate.* Auctor quoque anonymus libri de Trinit. et Unitate Dei cap. 1, tom. IV operum S. Augustini, ait: *Spiritum sanctum neque ingenitum, neque genitum Fides recta declarat; quia si dixerimus ingenitum, duos Deos affirmare videbimur,* D etc. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 50, de Fide Nicæna: *Spiritum*, inquit, *sanctum Deum, non ingenitum, neque genitum, veneramur.* Et Orat. 26, col. 3, fatetur: Πνεῦμα ἐν ἐκ Θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον, παραχωροῦν Πατρὶ μὲν ἀγεννησίας, *Spiritum ex Deo substantiam habentem, hoc solo nomine Patri cedentem, quod non ingenitus sit.* Idem repetit aliis in locis laudatus Doctor, et post hos omnes concilium Toletanum undecimum in Profess. fidei ita Patrem *ingenitum* profitetur, ut dicat: *Spiritus sanctus nec ingenitus, nec genitus creditur; ne aut si ingenitum dixerimus, duos Patres dicamus,* etc. Hinc est quod Ruiz eruditissimus vir e S. J. in Comment. ad S. Thomam de Trinitate disp. 52, sect. 3 et 8, sentiat: *Simpliciter loquendo Spiritum sanctum non esse ingenitum.* Hunc ibidem consule, et præterea Vasquez tom. II, in primam partem S. Thom. disp. 140: patebit quam prudenter in hanc sententiam Bachiarius iverit.

[1] Spiritum sanctum a Patre procedere, Bachiarius affirmat, et nihil de Filio habet. Scilicet eo tempore nondum hæreses exortæ fuerant, quæ Ecclesiam ad hanc definiendam quæstionem compellerent, uti sequentibus sæculis factum. Synodus Constantinopolitana prima, seu œcumenica secunda, in symbolo vulgato Spiritum a Patre procedentem vocarat, nil autem de Filio cogitavit. Hoc symbolum tota diu Ecclesia custodivit, quale a concilio acceperat; scriptoresque catholici idcirco absque nota processionem Spiritus sancti a Filio reticebant tantum, non infitiabantur. Secuta sunt deinde tempora, quibus occidentalis Ecclesia particulam *Filioque* symbolo addendam prudentissime censuit. At de hac re infra mihi sermo recurret, ubi de Symbolo *Quicumque* agam. Vide etiam, quæ annotavi ad versum 139 Nat. XI S. Paulini tom. I Anecdot.

[2] Helvidii hæresis ejusque impia in Mariæ Virginitatem dogmata cui nota non sunt? Sub sæculi quarti finem famosus hic nebulo vixit, quo eodem tempore Bachiarium nostrum scripsisse, in Prolegomenis non sine ratione affirmavi. Illud etiam hinc probari aliquantulum potest: nullum enim alium hæreticum præter istum noster commemorat, cujus rei causam hanc unam suspicor, nempe quod hæreses propiores magisque præsentes apertiori refutatione indigere, quam longe ante damnatas is arbitraretur. Cæterum Helvidianas blasphemias præclarissimo libello Hieronymus excepit, ubi *perpetuam Virginitatem*

[a] Ita Ambr. Minus recte prior edit., *in infidelibus*.

[b] Ambros. *inde*; sed retinere placuit scripturam editionis Mediolanensis, seu rectam Muratorii emendationem.

[c] Desunt nonnulla. Dixerat fortasse Bachiarius: *si persona quæritur, Spiritus; si natura quæritur, Deus est.* Ex iterato ejusdem vocis intra paucas lineas occursu sæpe contingere, ut quæ media sunt seu interposita ab amanuensibus omittantur, jam diu observavit Criticorum veterum princeps Hieronymus lib. XI Comment. in Isaiam cap. XL et XLII, lib. VI in Jerem. cap. XXX, et alibi.

[d] Hæc et plura deinceps totidem fere verbis sumpta sunt ex Apologia Rufini ad Anastasium. Vide sis Diss. 1, cap. 11. — Hæc Dissert. doctissimi editoris alibi proferenda.

[e] Rufinus, *sit*. Mox, *nec inter*, cum Rufini, tum Ambrosiani libri auctoritate scribere non dubitavimus. Editio cl. Muratorii, *ne*.

ginem quoque de qua natum scimus, et virginem A ante partum, et virginem post partum, ne consortes Elvidiani erroris habeamur. [1] Carnem [a] quoque nostræ resurrectionis fatemur integram atque perfectam, hujus, in qua vivimus in præsenti sæculo, aut bonis artibus gubernamur, aut malis operibus subjacemus, ut possimus in ipsa, aut pro malis pœnarum tormenta sustinere, aut pro bonis bonorum præmia acquirere: neque, ut quidam absurdissime, aliam pro hac resurrecturam dicimus, sed hanc ipsam, nullo omnino ei vel membro amputato, vel aliqua corporis parte [b] desecta. Hic est nostræ Fidei thesaurus, quem signatum ecclesiastico Symbolo quod in baptismo accepimus, custodimus. Sic coram Deo corde credimus: sic coram hominibus labiis confitemur; ut et hominibus cognitio sua fidem faciat, et Deo imago sua testimonium reddat. Hic est [c] baculus defensionis nostræ, quo murmurantium adversus nos ora feriamus, qui nos per viam hujus sæculi transeuntes, jugo consuetudinis, non studio rationis oblatrant. Hoc scutum fidei nostræ, quo obtrectantium verborum et venenata suspicionum spicula repellimus ac vitamus, ne aliquod in nobis patens membrum et de protectione fidei nudum, sermo inimici qui ad feriendum destinatur, inveniat. Sed sileamus de his, quia nobis nunc, non repercutiendi, sed vitandi tantum hostis cura suscepta est.

4. Jam vero, si etiam illud a nobis quæritur, qualiter de anima sentiamus, factam credimus esse, sicut legimus in Hieremia propheta per regem Sedeciam dicentem: *Vivit Dominus, qui fecit nobis animam istam* (*Jerem.* XXXVIII, 16). [2] Si autem quæritur, unde sit facta, nescire me fateor, quia nec usquam legisse cognosco: et ideo nec de imperitia erubesco, quia lectione non doceor; neque periculum formido, quia quæ non lego, non præsumo, ne transgressor propheticorum inveniar præceptorum, qui mandat sanguinem non manducari, adjiciens, (*Levit.* XVII, 14), quia [d] *omnis carnis sanguis anima est.* Quid enim est sanguinem manducare, nisi de B anima disputare? Et ideo carnem quæ nobis in Adam fundata est, possumus dicere ex mundi qualitatibus [e] substantiæ Deo artifice et auctore compactam; sanguinem enim ad basem [f] fundamus altaris; id est, ut ipsi qui creavit, scire unde creaverit, relinquamus. Basis enim altaris velut quædam radix profunditatis est, cujus secreto etiam rationem animæ jungamus, de qua disputare non possumus. Et ideo nec partem dicimus Dei animam, sicut quidam asserunt, quia Deus impartibilis et indivisus et impassibilis est: anima vero diversis passionibus man-

B. Mariæ illustribus argumentis tuetur. In hanc eamdem arenam descendit Epiphanius hæresim Antidico Marianitarum recensens; quin prolixam in eosdem hæreticos epistolam scripsit, quam ibidem legere est.

[1] Hæc quidem verba in Origenem prolata esse videntur; hic enim pluribus in locis, et præcipue lib. IV de Resurr. et in Expositione primi psalmi, et in Stromatibus propriam carnem qua homines in vita sunt usi, extremo judicii die non resurrecturam affirmavit. Mihi tamen propiora Bachiario tempora hic significari creduntur; siquidem sub sæculi quarti finem Joannes Hierosolymitanus episcopus eosdem Origenis errores recoquens, causam SS. Epiphanio ac Hieronymo præbuit pro catholica veritate scribendi. Egregia admodum hanc in rem videnda est ejusdem Hieronymi epistola 61, ad Pammachium, *adversus errores Joannis Hierosolym.* Hunc vero episcopum infra tacito nomine designari arbitror, cum Bachiarius ait: *Neque, ut quidam absurdissime, aliam carnem pro hac resurrecturam dicimus.*

[2] Eminentissimus, et clarissimus card. Norisius in Vind. August. cap. 4, § 3, quæstionem hanc ita occupavit, ut alia addi omnino nequeant. Pauca ex eodem libabimus. Certum est per plura sæcula vel Patrum præstantissimos in origine animæ assignanda ancipites hæsisse. Et sane divini scriptores Augustinus ac Hieronymus, hac per epistolas varias C quæstione agitata, nihil certi statuere potuerunt. Consulantur hujus Epistola ad Marcellinum, et Apologia contra Rufinum; illius vero epistolæ ad Hieronymum et ad Optatum, librique quatuor *de origine animarum*, in quibus tamen rem dubiam utrique fatentur. S. Eucherius in cap. III Genesis, Pomerius in lib. de anima, Africani Patres sæc. VI, in epist. synod. ex Sardinia Byzantium missa, S. Fulgentius lib. III de Verit. prædest. et gratiæ, ad eumdem scopulum hæsere; et postremus iste cap. 18, Augustinum, quod ea de re dubitarit, maximis effert laudibus, et caput vigesimum his claudit verbis: *Quanto ergo melius ab hujus quæstionis certamine temperamus, in qua nos inaniter laborare cognoscimus! præsertim quia quod a sanctis viris majoribus nostris videmus minime definitum, oportet nos tanto cautius atque temperantius quærere, quanto ad ejus finem illos præclaros viros cernimus minime pervenisse.* Cassiodorus quoque lib. de Anima cap. 14, Gregorius Magnus lib. VII, epist. 53, in eadem fuere dubitatione: quin S. Isidorus Hisp. episc. lib. II de Offic. Eccl. cap. 23, inter alias sententias, quas *de fide* tenendas proponit, hanc inseruit: *Quod incerta sit animæ origo.* Alios auctores etiam ævi sequioris congerit D laudatus cardinalis Norisius in præclarissimo Opere superius memorato. Nemo igitur mirabitur adeo dubium in hac sententia stetisse Bachiarium.

[a] Rufinus habet *carnis nostræ resurrectionem*; atque ita corrigendam puto lectionem cod. Ambr. quam sequitur Murator.

[b] Male in Ambr. atque editis, *deserta*. Ex Rufino emendamus.

[c] Presbyter Aquileiensis num. 1, professionem Fidei quam ad Anastasium misit, *baculum* perinde appellat: *Ut æmulis,* inquit, *adversum me forte oblatrantibus baculum quemdam tibi confessionis meæ, quo abigerentur, offerrem.* Vide sanctum Hieronymum, lib. XI in Ruf. n. 2.

[d] Monet sanctus Augustinus *contra Adimantum* cap. XII, numquam scriptum esse, quod anima humana sanguis sit: idem repetit lib. XI *contra Advers. Legis et Prophet.* cap. 6. Legendus præterea Basilius Magnus, Hom. 8 in Hexaemeron num. 2.

[e] Optime amicus meus locum ita restituit, *substantiaque, Deo artifice*, etc.

[f] *Fundimus* reponendum esse facile crediderim. Rufinus *Apologiæ* num. 6: *Usque ad præsens,* ait, *certi et definiti aliquid de hac quæstione non teneo; sed Deo relinquo scire, quid sit in vero.... præter hoc, quod manifeste tradit Ecclesia, Deum esse animarum et corporum Creatorem.*

cipata, sicut quotidianus rerum exitus probat. Nec de creatura aliqua factam dicimus, ne eam faciamus viliorem reliquis creaturis, quibus domina, si bene egerit, constituta est; sed ex Dei tantum voluntate formari, cujus potentiæ non necessaria est materia, ex qua quod voluerit operetur, sed ipsa voluntas ejus materia [a] eorum, quæ fieri aut esse mandaverit. [1] Sed nec illi assertioni tradimus manus, qua quidam superfluo delectantur, ut credant animas ex transfusione generari; quia contradicit huic suspicioni beatus David dicendo: *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, et non ipsi nos* (*Psal.* XCIX, 3). Et alibi: *Qui finxit singillatim corda eorum* (*Psal.* XXXII, 15). Ubi hic transfusio inveniet locum, ubi aut singillatim corda finguntur, aut dicitur: *ipse fecit nos, et non ipsi nos?* Qui ergo ex tranfusione dicunt animas generari, id asserere dicuntur, quia ipsi nos faciamus. Sed hoc [b] præscientia prophetalis objurgat dicendo: *Ipse fecit nos, et non ipsi nos.* Absque sola igitur Trinitate, omne quod in cœlis sive in terris et mari potentatur, agitur, movetur, creaturam esse credimus et fatemur.

5. [2] Diabolum non ita factum sentimus, ut diabolus [c] est, nec proprium habuisse naturæ suæ genus, ut diabolus nasceretur, et hoc cognomen meritum dedisse, non Deum: nec ingenitum esse, quia Deus non est; nec factum esse diabolum, quia Deus malum non [d] fecit, sed angelum bonum factum, sicut Scriptura demonstrat: *Per bonum operatum est mihi omnem concupiscentiam* (*Rom.* VII, 8). Malum enim angelum fuisse sic credo, ut Apostolus dicit: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ qui me colaphizet* (II *Cor.* XII, 7). Et alibi: *Nisi venerit refuga et discessio* (II *Thess.* II, 3). Ergo qui nunc refuga est, fuit aliquando intuitu Creatoris, et in illa gradus sublimitate [e] quæ scripta a prophetis, cum dicitur: *Et tu eras consignatio similitudinis, et corona decoris* (*Ezech.* XXVIII, 12), et reliqua; et alibi: *Quomodo de cœlo cecidit Lucifer, qui mane oriebatur* (*Isai.* XIV, 12). [f] Hunc boni et mali capacem dicimus accepisse ex factore naturam, immortalitatis gloria et honore circumdatum; accepisse etiam scientiæ dignitatem; [g] qui elatus in superbiam, suum credidit esse quod non erat; quoniam qui eum fecerat, [h] Dominum non videbat. *Ego sum*, inquit, *et non est alius præter me* (*Isai.* XLVII, 12). Inde terræ deputatus est et cineri, ut scriptum est: *Quid superbis? terra et cinis* (*Eccli.* X, 9), et, *Initium peccationis superbia* (*Ibid.*, 15). Qui tartaro et igni perpetuo deputatus, perennis est pœnæ, non immortalis vitæ. Credimus omnem creaturam Dei quæ ad usus ciborum a conditore concessa est, bonum esse, sicut et [i] factum est: *Et vidit Deus,*

[1] Animas a Deo in singulorum hominum conceptione creari veteres Patres sensere; eademque sententia, ut docet eminentissimus cardinalis Norisius in Vindiciis August. cap. 4, § 3, usque ad Pelagianæ hæresis tempora potiorem auctoritatem obtinuit. Cum vero exinde illud argumentum hæretici promoverent, nempe animas, si a Deo creentur, non posse cum peccato produci; tum S. Augustino, tum præstantissimis Patribus alia sententia placuit, qua animæ ex anima parentis traduci ac propagari censebantur. Tantum autem roboris Augustini verba sibi conciliarunt, ut pluribus post illum sæculis scriptores sanctissimi de origine animæ dubitarint, donec Scholasticorum opinione prævalente, et animarum traduce antiquato, earumdem creatio in Ecclesia communis evasit. Id ex pluribus Augustini locis patet, et præsertim lib. X de Gen, cap. 23, epist. 28, ad Hieron., ac epist. 147, etc. Igitur hinc etiam tempus, quo Bachiarius scripsit, eruere nobis aliquantulum licet: si enim iis temporibus quibus ille hanc Apologiam conscripsit, Pelagii deliramenta christianam rempublicam occupassent; utique sententiam illam qua animas ex traduce in nos devenire censuerunt viri doctissimi, quamque catholicis dogmatibus, Augustino præeunte, altius favere crediderunt, sibi minus probari non dixisset.

[2] Hic insanum Manichæorum dogma refelli patet. Siquidem hi inter cætera deliramenta, quibus perniciosissimam hæresim in orientem invexere, hoc quoque pronuntiarunt, nempe *diabolum ab origine malum nequaquam fuisse.* Audiatur S. Epiphanius Hæres. 66, quæ est de Manich. num. 16, ubi hanc eorum opinionem refutans, ait: Ἅμα δὲ καὶ περὶ διαβόλου οὕτως διαληπτέον, οὐκ ἀπὸ κτίσεως φυσικῶς κακοῦ κεκτισμένου, ἀλλὰ ἑαυτῷ μετὰ χρόνον τὸ ποιεῖν κακὸν ἐφευραμένου. *De diabolo quoque sic habendum est, eum minime ab origine ipsa neque conditione malum exstitisse, sed aliquanto postea tempore malum quod faceret excogitasse.* Hoc idem infra, num. 62, pluribus probat. Neque solis Manichæis insana hæc opinio placuit, verum etiam Priscillianistis, qui omnium hæresum contagia in unum coegere. Leo magnus epist. 93, ad Turibium Asturicensem episcopum, cap. 6, horum errorem ita designat: *Sexta annotatio indicat eos dicere, quod diabolus numquam fuerit bonus, nec natura ejus opificium Dei sit, sed eum ex Chao et tenebris emersisse; quia scilicet nullum sui habeat auctorem, sed omnis mali ipse sit principium atque substantia: cum fides vera quæ est catholica, omnium creaturarum sive spiritualium, sive corporalium bonam confiteatur substantiam, et mali nullam esse naturam; quia Deus qui universi est conditor, nihil non bonum fecit*, etc. Videndus hac etiam de re S. Cyrillus Hierosolymitanus Cathec. 2, et Coccius lib. IV, artic. 5, tom. II. Damnatus autem hic error antiquitus fuit in vetustissimis Capitulis contra Manichæos, quæ post Bachiarii opera subjeci; ibi enim sic legitur: *Si quis hujus mundi principem, hoc est diabolum, et tenebrarum globum asserit procreatum, et non a Deo bonum angelum factum, et propria postremum perversitate mutatum, anathema sit.*

[a] Subauditur *est.*

[b] Med. edit., *scientia*, reclamante autographo, cujus scripturam in textum inferre placuit, licet forte legi debeat: *sed* NOS (nimirum traducis patronos) SCIENTIA *prophetalis objurgat.*

[c] Magis placet, *esset.*

[d] *Murator.*, *facit.*

[e] Forte, *descripta*, vel, *quæ scripta est.*

[f] Errore, ut videtur, typographi, Med. edit. *nunc.*

[g] Lege sodes, et meo periculo, *qua.*

[h] Vox *Dominum* deest in prima editione.

[i] Scribendum videtur, *dictum est: et factum est ita. Et vidit Deus, quia bona sunt valde.*

quia bona sunt valde (*Gen.* I, 30, 31). [1] Sed ab his ad tempus abstinere, non pro superstitione religionis neque abominatione creaturæ Dei, sed pro continentia carnis, utile esse sentimus secundum Apostoli consilium, qui dicit : *Bonum est non manducare carnem, neque bibere vinum* (*Rom.* XIV, 21); atque cum libuerit, uti; et cum delectaverit, abstinere, in hominis potestate consistere. [2] Conjugia probamus, quæ Deo auctore concessa sunt : continentiam in ipsis prædicamus; virginitatem, utpote egregium germen, et ex effeta trunci radice procedens, extollimus et miramur. Justorum peccatorumque distantiam, non ex conditione creatoris, sed arbitrio credimus accedere voluntatis. Pœnitentiam peccatorum plenissima fide suscipimus, ac veluti secundam gratiam suspicamur, sicut Apostolus ad Corinthios dicit : *Volui per vos venire, ut secundam gratiam habeatis* (II *Cor.* I, 15).

6. Vetus et novum Testamentum æquali fidei lance suscipimus; ac veluti currentis per signa ponderis libra, sic testimoniorum gesta mobili meditatione pensamus. Nec [a] evacuantes historiæ fidem, credimus universa gesta esse quæ legimus; sed juxta doctrinam Apostolicam sensum in his spiritualem, prout Dominus dederit, perscrutamur : qui tamen sensus ad typum Christi Ecclesiæque pertineat; aut in morum emendationem correctionemque proficiat. Et hoc ipsum juxta illud, quod Apostolus ait : *Omnia hæc in figuram nostri contigerunt* (I *Cor.* X, 6). Et alibi beatus Petrus : *Omnis sermo interpretatione indiget* (II *Pet.* I, 20). Omnem scripturam quæ ecclesiastico canoni non congruit neque consentit, non solum non suscipimus, verum etiam velut alienam a Fidei veritate damnamus. Peregrinis atque ignotis fabulis de scripturarum continentia, non facile accommodamus assensum; neque cito nova doctrina aurium nostrarum intrat cavernas, quia legimus Virginem [b] novam aliam in secreto, quam rudem vel secretam suspicamur esse doctrinam; quæ ob hoc prohibetur inspici, ne hominum corda, commentitia, sub specie veritatis, sermonum pulchritudine suavitateque decipiat. Virgo est illa doctrina, quæ nulli viro ecclesiastico vel catholico cognita est; sed inter mulieres semper adolevit, id est, animas, quæ semper discentes, omni spiritui deceptionis credula se facilitate commiscent, non curæ habentes unde concipiant; cum Dominus in Lege mandaverit, ne non nisi de tribu sua in conjugio copuletur, id est, illi fidei [c] intellectus, qui ex patrum semine, hoc est, doctrina descendit, et Abrahæ qui primus in præputio credidit, prosapia nobilitatur et genere. Virgo est illa doctrina, quæ [d] tantum in secreto sibi placet, et in publicum erubescit exire. Hanc talem, non solum fugimus, verum etiam publica voce damnamus, stultum [e] docentes hoc credere, quod aut ipsi defendere non possumus, aut ad aures publicas non debeat pervenire.

7. [3] Jejunia attentiora secundum ecclesiasticam

[1] Sanctum jejunii usum Jovinianus, cujus tempore Bachiarium vixisse crediderim, improbare est ausus, eique se catholica statim opposuit Ecclesia. Hieronymus vir sanctissimus, cui omnium primo hanc hæresim jugulare contigit, hæretici errores duobus libris excepit, in quorum altero pluribus de jejunii utilitate agit, ubi etiam erudite probat *omnem creaturam Dei quæ ad usus ciborum a conditore concessa est, bonam esse*, uti Bachiarius ait; quod tamen inscite Jovinianus negabat. S. Augustinus ad Quodvultdeum lib. de Hæres. num. 82, de Joviniano loquens, ait : *Hic omnia peccata, sicut Stoici philosophi, paria esse dicebat, nec posse peccare hominem lavacro regenerationis accepto, nec aliquid prodesse jejunia vel a cibis aliquibus abstinentiam.* Vide S. Ambrosium in epist. 82, ad Vercell.; Gennadium in Fidei profess., etc.

[2] Altera hæc fuit Joviniani hæresis, nempe conjugia sacro Virginitatis voto æquare. S. Augustinus loco supra citato addit : *Virginitatem sanctimonialium, et continentiam sexus virilis in sanctis eligentibus cœlibem vitam, conjugiorum castorum atque fidelium meritis adæquabat; ita ut quædam virgines sacræ provectæ jam ætatis in urbe Roma ubi hæc docebat, eo audito nupsisse dicantur.* S. Hieronymus quoque lib. I contra Jovinianum hanc ejusdem proponit hæresim : *Dicit virgines, viduas et maritatas, quæ semel in Christo lotæ sunt, si non discrepant cæteris operibus, ejusdem esse meriti.* Gennadius Massil. in Profess. Fidei, quæ in Append. ad tom. III S. Augustini edita est, num. 68, similia habet : *Sacratæ Deo virginitati nuptias coæquare, aut pro amore castigandi corporis abstinentibus a vino vel carnibus, nil credere meriti accrescere, non hoc Christiani, sed Joviniani est.*

[3] Egregiam Disquisitionem de veterum Christianorum Jejuniis vide apud c. v. Cabassutium in Notit. sæc. II. Jejunii autem vera ratio non in eo solum sita erat, ut a cibis et comessationibus Christiana gens abstineret; verum etiam, ut se reliquis voluptatibus subduceret. Qui pius mos apud veteres Patres non raro descriptus reperitur, et præcipue apud sanctum Maximum, S. Leonem, aliosque veteres patres. De Jejuniis elegantissimum tractatum edidit clarissimus P. Thomassinus. Vide vero Disquisitionem meam *de Jejuniis trium et quatuor Temporum*, quam ut hunc locum illustrarem in hoc libro invenies.

[a] Notissimus est hac de re Origenis error, quem Doctor Maximus sæpe notat, præsertim vero in libro contra Joannem Hierosolymit. num. 7. Consule, si lubet, Diss. 2, cap. 4. — Hæc quoque Dissert. alibi exhibenda.

[b] Locus, si quis alius, corruptissimus. Libenter ita restituerem : *Quia legimus Virginem nominari Alma, hoc est in secreto*, vel *secretam*. Adeundus sanctus Hieronymus in cap. VII Isaiæ, 14, ubi inter cætera hæc habet : *Ergo* ALMA *non solum puella, vel* VIRGO, *sed cum ἐπιτάσει, virgo* ABSCONDITA *dicitur vel* SECRETA, *quæ numquam virorum patuerit aspectibus.* In Hebraicis nominibus sæpe ludit Bachiarius, ut observavimus Diss. 2, et cuique observare licet in altero libello *de Reparatione lapsi*.

[c] Lege, *intellectui*. Νοῦν vocant Philo Judæus et Philonis sectator Origenes, quorum uterque innumeris in locis allegorice illius conjugia explicat. Sed interpretes sæpius decorum non servant, et νοῦν reddunt, *mentem*, femininam vocem.

[d] Corrupte editio Med. cui tamen favet autographum, *tanto*.

[e] Mallem, *ducentes*.

A regulam disciplinamque servamus, ut *tribus temporibus anni masculinum nostrum* (*Exod.* XXXIV, 23), hoc est, opus virtutis quod cætero operi præcellat, *appareat :* ac si quando jejunia indicta Ecclesiæ, tunc nos cupimus, non solum de usu consuetudinarii, verum etiam a conversatione, fabulis, salutationibus quæ fabulas interserunt, jejunare. Et [a] cum hæc, teste Deo, ita, ut scribimus, sentiamus; tamen non sic nobis de veritate blandimur, ut si forte sacerdotes sive doctores, qui sunt capita populi et colomnæ ecclesiarum, quodlibet ex his quæ professi sumus, [b] probantes (aliquid) rectius quid dixerint, pigri simus in eorum sententiam transire; præceptumque meminimus scriptum : *Interrogate patres vestros, et dicent vobis* (*Deut.* XXXII, 7). Neque enim tam stulti sumus, ut quibus capita pro sanctificatione submittimus, his corda nostra humiliare nolimus. B Pastor est : quo vocaverit, sequar : quod dixerit, ruminabo ; quia ipse scit sibi pro custodia mea reddendam esse rationem (*Heb.* XIII, 17). Hæc [c] sint, de quibus interim vobis ad præsens occurrere potui : si quæ aut studio præteriisse, aut te adhuc titillare videantur, sine verecundia interrogare dignare, ut sine cunctatione respondeam, et aut emender de errore, aut confirmer in Fide. Testor omni legenti verba professionis hujus, quoniam si quis dempserit de [d] his, demet Deus de libro vitæ partem ejusdem (*Apoc.* XXII, 19). Etenim ille qui nos crediderit aliud labiis loqui, aliud corde tenere; sicut superius dixi, cor nostrum Deus potest inspicere. C Ipsi obtulimus labia ad confessionem : de quibus possunt homines judicare, satisfecimus; ac sic duobus testibus stabit omne verbum nostrum (*Deut.* XVII, 6), id est, Deo, cujus judicium in nos, si fallimus, invocamus; et hominibus, quorum suspiciones nostra confessione corrigimus, ne amplius in nobis velint male sentiendo peccare. Si quis his auditis in incredulitate perstiterit, ut non nobis fidei assensum tradat, non dubito, [e] quin in die judicii partem aut inter incredulum populum, aut inter falsos testes habiturus sit, et secundum judicium legis Moysi iniquitatem quam in fratre suo meditatur, sit recepturus (*Deut.* XIX, 19).

8. Nos enim, etsi peccatores sumus, tamen [f] propter illa trecenta aurea scuta quæ Salomon fabricavit (III *Reg.* XIV, 27), ærea facere non debemus. Scutum enim Fidei forma est secundum Apostolum, qui dicit : *et Accipientes scutum fidei* (*Ephes.* VI, 16). Et ille pro aureis ærea facit, qui [g] subtracta fidei veritate, solum degenere reddit et confessione tinnitum; et cum devotus videatur in numero, tamen reus invenitur ex voto, id quod non credit confitendo. De quibus quidem dixisse beatus Apostolus suspicandus est : *Habentes speciem pietatis, et virtutem ejus abnegantes* (II *Tim.* III, 5). Nonne videtur tibi virtus in auro, et species in ære posse sentiri? Sed optamus assertionem propheticam custodire, ut ante pedes equorum regis, qui nisi episcopi aut doctores sunt, quorum pedes veloces sunt super montes (I *Isai.* LII, 7), evangelizantes pacem, fidei nostræ scuta ponamus. Trecenta enim aurea scuta, sive beatæ Trinitatis fides, sive omnium creaturarum satio, cœli, terræ et maris : cursores [h] enim qui ante pedes equorum ponunt ea, illi credendi sunt qui potuerunt dicere : *Cursum consummavi* (II *Tim.* IV, 7) : quia instituti lege [i] huc usque ad finem servare possimus, ne illa i Suracim rex Ægypti (III *Reg.* XIV, 25), hoc est, diabolus, a templo nostri cordis abripiat. Excubent suffragia orationum tuarum ad Jesum Christum Dominum nostrum, cui gloria in sæcula sæculorum [k] amen.

[a] Ita edidit Muratorius. Sed codex Ambr. hæc habet : *Et quoniam hæc teste Deo etiam scribimus*. Rectissimam puto conjecturam viri docti, qui ita locum emendat : *Et quamquam hæc, teste Deo, etiam, uti scribimus, sentiamus*.

[b] Lege, *improbantes, rectius quid dixerint ; τὸ aliquid* varia lectio est ab antiquario in margine prioris exemplaris annotata pro *quodlibet*. Exscriptor utraque lectione intrusa, sensum turbavit. Simile fere mendum adhuc superest in vetustissimo libro *Pastoris* lib. I, *vis.* 4, n. 2, *Solitudinem, et sollicitudinem tuam*. Prior vox audacter expungenda est. Statim repetit Hermas absque glossemate : *Immittite sollicitudines vestras super Dominum*. Et *vis.* III, num. 11, *Non projecistis a vobis sollicitudines vestras in Dominum*.

[c] Ita Ambros. Prior autem editio, *hæc sunt quæ*.

[d] Male in edit. *de hisdem, et Deus*. Videsis Diss. 2, cap. 1.

[e] Sæpius laudatam Rufini apologiam imitatur, qui ait num. 8 : *Reddent autem in die judicii rationem hi, qui offendicula et dissensiones et scandala fratribus propter invidiam solum generant et livorem*.

[f] Legendum *propterea*.

[g] Edit., *substantia*. Textum ad Codicis fidem emendamus. Similem ferme allegoriam exhibet Homilia 11 Origenis in Numeros : *Ubi*, ait, *vera fides est, et integra verbi prædicatio, aut argentea dicuntur, aut aurea : ut fulgor auri declaret fidei puritatem, et argentum igne probatum, eloquia examinata significet. Ista ergo quæ dicuntur ærea, in sono tantum vocis consistunt, non in virtute Spiritus ; et sunt, sicut Apostolus dicit, ut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens*.

[h] An, *autem?*

[i] Scribendum, *hæc usque ad finem*.

D i Med. edit., *Juracium*. In versione τῶν LXX dicitur Σουσακίμ. In Vulgata III Reg. XI et XIV, nec non II Paralipomenon XII, rex hic Ægyptius appellatur *Sesac*. Observavit sanctus Hieronymus, ante suam versionem libri Paralipomenon nomina in Græcis et Latinis codicibus ita vitiata fuisse, ut non tam Hebræa, quam barbara quædam et Sarmatica nomina congesta videri possent. Hæc ferme sanctus Doctor Domnioni et Rogatiano in Proœmio tom. X, pag. 431.

[k] In Ambr. cod., *Finit. Amen*.

BACHIARII AD JANUARIUM
LIBER
DE REPARATIONE [a] LAPSI

Benedicto in Christo fratri, omni mihi fide et dilectione venerabili, Januario Bachiarius peccator salutem.

1 Nisi vererer, beatissime frater, ne inter simulatos amicos Job mihi portio poneretur, qui videntes plagam ejus, veluti qui non [b] haberet consolationem, jugi silentio quieverunt; prope fuerat, ut et ego superposita manu ori, et [c] obturata fistula linguæ, januas labiorum meorum taciturnitate concluderem. Sed absit hoc a fide mea, ut aliquam dicam plagam esse, quæ non habeat consolationem; cum mihi Propheta proclamet : *Numquid medicus non est in Galaad, aut resina non est illic* (*Jerem.* VIII, 22)? Galaad enim interpretatur [d] *acervus testis* : et hunc acervum testem, totum canonem divinorum librorum esse sentimus; ubi indissolubilium cumulus testimoniorum, ut quidam congestus est lapidum : in quo cumulo medicus verus, [e] noster Dominus Jesus Christus, si quæsitus fuerit, invenitur. Resina autem quid est, nisi continentiæ virtus, quæ dissoluta conjungit et scissa conglutinat? Quod nos scientes, non dubitamus ad consolationem ipsius plagæ quæ contigit, oris nostri lamenta miscere. Audivimus enim horrendæ cladis excidium : audivimus [f] exsultantem de ruina militis Christi Satanam; et jubilatio vocis quam in triumpho suo diabolicus dedit exercitus, ad aures nostras usque pervenit : et *testem Deum invoco super animam meam* (II *Cor.* I, 23), quia [g] sunt mota viscera mea; et ita commoverunt se ossa mea, ut omnem partem corporis mei sentirem eadem plaga torqueri. Neque enim absque damno meo hoc accidisse dixerim malum, ubi A membrum corporis mei diabolica sagitta percussit, cum Apostolus dicat : *Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra* (I *Cor.* XII, 26).

2. Sed non admittitur in totum animus meus lamentationi vacare vel fletui, quia adversus vos mihi locus est irascendi. Ecce [h] in communes inimicos processit frater nobiscum in prælio, et subito prostratus est casu : hunc vos nec sepulturæ dignum honore judicastis, sed reliquistis eum feris et alitibus devorandum. Ubi est misericordia christianæ religionis, quam Magister noster (*Matth.* IX, 13) sacrificio docuit esse meliorem? Ecce jacet frater ab hoste percussus : adhuc forsitan palpitat; et vos, quia sine vulnere [i] revertimini, ne consolationem quidem plagæ ipsius deferri tentastis. Nolite esse B sine formidine, beatissimi [j] fratres : fortiorem percussit inimicus, ut celerior postmodum ei fieret aditus ad reliquos. Ut quid, rogo, spernitis vulneratum, aut sic [k] putatis esse mortuum? Melior fuit concubina Saulis [l] filia Respha (II *Reg.* XXI, 10), quæ corpora defunctorum quos David pro Gabaonitarum ultione percusserat, eo usque accincta sacco, hoc est, cilicio custodivit, donec eis roraret aqua de cœlo, id est, donec pro venia eorum misericordiæ cœlestis stilla deflueret. Melior ille Judas Machabæus (II *Machab.* XXI, 40), qui etiam pro mortuis fratribus orationem credidit esse faciendam, quos furata de [m] Jamnia civitate idolorum dona prostraverant.

3. Ut quid, rogo, Medicus noster inter librorum

---

[a] In editis inscribitur, *De recipiendis lapsis.* Vide sis Diss. 2, cap. 1.

[b] Ambrosiani codicis ope, cujus apographum accurate descriptum transmisit cl. Saxius, genuinam lectionem restituimus. Erasmus legit, *haberent*. Editiones aliæ, *haberet solatium*.

[c] Ita Ambr. et Eras.; sed Gryn. et Magar., *obturato linguæ sibilo.*

[d] Interpretationes nominum locorumque Hebraicorum plerumque consentiunt cum sancti Hieronymi libris de hoc argumento. Alia tamen Lexica et Commentaria consuluit, quibus vis illarum vocum tropologice explicatur.

[e] Erasmus, *medicus verus, Deus meus Jesus Christus.*

[f] Penes Ambr., Gryn., Bign., ita legitur. In editionibus vero Pseudo-Hieronymianæ *Objurgationis : exsultantes de ruina Christi milites Satan.* Durius id, si non impie, dictum. Germanam lectionem confirmat Bachiarius num. 10, ubi ait, *homines sæculi exhilarari,* C *cum audiunt ruinam militis Christi.*

[g] Erasmus, *ita commota sunt v. m. et contremuerunt o. m.*

[h] Ita Ambr. in editis, *Ecce enim contra*, etc.

[i] Optima lectio, quam præfert Erasmus. Reverti dicuntur, *e prælio* nimirum, ad quod una cum lapso processerant. Amb. *Sine vulnere convertimini.* Bignæus, *sine vulnere estis, convertimini.*

[j] Ambr., *patres*. Mox pro *clarior*, quod exstat in edit. Bign., ex Gryn. et Ambr. intulimus *celerior*.

[k] Magis placet, quamvis mutila sit editio Erasmi, *aut sicut putatis et mortuum.*

[l] Erasmus, *illa Respha concubina Saülis*. Retinemus vulgatam lectionem, cui non medetur codex Ambrosianus. Legendum putarem, *filia Aiæ*, expuncto nomine *Respha*, quod e margine forte in textum irrepsit.

[m] Ambr. corrupte, *Trimnia*, Gryn. *Lamyria*, Bign. *Lamyrni*.

suorum loculos tot constituit genera pigmentorum, si nihil est ex omnibus emplastris ejus, quo sanari possit vulnus quod inflixit inimicus? Itane fuit quod lateret [a] Archiatrum, cui nequaquam artis suæ peritia provideret? [b] Et si placet, aperiamus scholam Medici nostri; et ea principio canonis vulnerum et medicaminum species perquiramus. Ecce in ipsius introitu scholæ occurrunt illi duo auctores seminis carnalis [c], qui venenato serpentis dente percussi, non statim [d] perpetuæ pœnæ mortis addicti sunt; sed dejecti de paradisi deliciis, id est, de Ecclesiæ libertate et de sacri communione mysterii, ideo temporarie sub typo mœroris tribulationisque damnati sunt, ut malagmate pœnitentiæ sanarentur; et eo usque de ligno vitæ, id est, Christi participio exsules fierent, donec ad eum per romphæam flammeam (*Gen.* III, 24), id est ignitam martyrii passionem, aut per Cherubim Domini qui interpretatur *multitudo scientiæ*, remearent : de quibus nunc per singula non est temporis loqui. Quid vero ille fratricida, cui ob hoc signum Dominus mandat imponi (*Gen.* IV, 15), ne ab aliquo possit occidi? *Non vult enim mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII, 32). Nec longe ab his distat ille princeps patrum, qui primus *credidit, et reputatum est ei ad justitiam* (*Gen.* XV, 6); qui captum ab hostili [e] legione filium fratris, assumpta vernaculorum turba, surripuit : quem postmodum de Sodomæ plaga, id est, de judicio gehennæ, habito cum divina majestate colloquio, hoc est, orationis suæ meritis liberavit. Et tu ergo assume vernaculorum turbam [f], id est, opere tuo non alieno, fratri auxilium præsta captivo. Loquere cum Domino, hoc est, ora ad Christum, ne eum futuri judicii ignis exurat.

4. Imitare patriarcharum opus (*Gen.* XXXIV, 25 *seqq.*), qui stuprum sororis suæ in alienigenarum manus incidentis, non solum [g] horruerunt, sed etiam vindicaverunt. Require tamen, qui ultores fuere peccati. Nonne Simeon atque Levi? Et tu ex tribu Levi es, qui ecclesiastico servis officio. Simeon autem *obauditio* interpretatur. Et tu ergo, qui obediens fuisti Deo, inobedientem animam liberare aut vindicare cur cessas? Anima autem fratris tui, soror tua est; quam si passus fueris inter alienigenas servire, peccabis. Sed dicis fortasse, Levita est iste qui cecidit : non ei remedii potest medicina conferri. Erras, frater : recurre ad scholam Medici. Ecce in secundo loco, id est, Exodi libro, ubi totius plaga populi vulnusque describitur, etiam Levitæ peccasse referuntur; qui priores ad correptionem legislatoris emendati esse perhibentur; et non tam in eis peccati crimen arguitur, quam velox conversio in pœnitentiæ celeritate laudatur (*Exod.* XXXII, 1 *seqq.*). Cujus rei etiam in Ezechiele meminit Dominus noster, cum dicit de Levitis: *Qui primi exierunt a me, cum errasset Israel* (*Ezech.* XLIV, 10). Ipse quoque pontifex ad suggestionem populi idolum fabricavit : pro quo orationem fecit Moyses, hoc est, fraterno liberatus est auxilio. Sed dicis fortasse, beatissime : Adhuc nec Levitæ sanctificati erant, nec pontifex consecratus, cum istius mali crimen admissum est. Non contradico perspicaciæ tuæ, quam ex Scripturarum voluminibus concepisti. Tamen sic [h] possem respondere tibi secundum apostolicam sententiam, qua loquitur ad Hebræos (*Hebr.* VII, 9, 10); quia in Abrahæ lumbis latens Levi decimas [i] Melchisedech dedit, et accepit. Aut ipsi Aaron quid tibi minus videtur fuisse de pontificali honore vel gradu, cum Ægyptum signis percussit horrendis, et egrediens nocte cum populo, [j] sanctum celebravit pascha? Scimus autem quia sine sacerdote pascha non poterat celebrari.

5. Sed intermissis his, interrogare te volo : Quid erat Aaron, cum adversus Moysen invidiæ livore percussus, juncta sibi Maria, murmuravit (*Num.* XII, 1, 2)? At dicas fortasse, minus est invidia quam fornicatio. Lege ergo beatum Apostolum, qui dicit: *Neque fornicarii, neque invidi, neque maledici, neque avari, neque detractores regnum Dei consequentur* (I *Cor.* VI, 9). Vides ubi velut æqualia sibi similiaque junguntur, quæ ad cœlorum regna non subeunt? Adverte cujus pœnæ sententiam mereatur invidia, per quam prophetissa Maria lepra percutitur (*Num.* XII, 10) : cujus etiam avaritia, pro qua Giezi Elisæi minister simili sorte damnatur (IV *Reg.* V, 27). Tu vero, [k] qui avarum non detestaris,

[a] Pessime in editis, *Architectum*. Locum emendat cod. Ambr. Uberius Erasmus, *itane fieret aliqua plaga, quæ scientiam nostri lateret Archiatri*.

[b] Legendum censeo, *At*.

[c] Gryn. et Bign. addunt, *Adam et Eva*; sed glossema deest in Ambr. et Erasmi editione.

[d] Τὸ *perpetuæ*, quod Gryn. et Bign. non agnoscunt, exstat in Ambr. codice, et Hieronymianis editionibus.

[e] Mendose in Ambr. scriptum est, *regione*.

[f] Ambr. addit *propriam*. Male in editis, *pro isto, id est, opere tuo*. Melius Eras., *turbam, id est, proprio opere tuo*.

[g] Ambr., *eruerunt*.

[h] Erasmum sequi placuit. Amb. atque editi, *tamen respondissem tibi, si possem respondere*.

[i] Ita Ambr.; editi vero, *decimas a Melchisedech accepit, et dedit*. Ex libro Geneseos XIV, 20, non satis aperte colligimus, quinam decimas acceperit, Abrahamne ex Melchisedech, vel e contrario. Sed Apostoli auctoritas cogit ut sentiamus Abraham dedisse: *Per Abraham, et Levi, qui decimas accepit decimas est. Adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech* Locum igitur Bachiarii in hunc modum restituerem : *In Abrahæ lumbis latens Levi decimas Melchisedech, quas accepit et dedit*.

[j] Bign., *sancio*. Hunc Bachiarii locum affert Antonius Augustinus Touttée Benedictinus clariss. in notis ad sancti Cyrilli Hierosol. Catech. 2, num. 10, ubi per anticipationem, sacerdotis nomine Aaron exornatur. *Moyses*, inquit Cyrillus, *pro summo sacerdote peccante supplicans Deum flexit*. Hoc sensu explicare facile est etiam Ambrosium epist. 66, num. 3, et *Apolog. David* cap. 4, num. 17. Bachiarius autem vix excusari potest.

[k] Pessime Bignæus : *cur avarum*, etc. Gryn., Er., Ambr., *qui*. Apud antiquos, ut notant Petavius, Morinus aliique, peccata in tres classes distinguebantur : quarum primam constituebant idololatria, mœchia, homicidium, eorumque manifestæ species, quibus

qui invidum non refugis, qui detractorem raptoremque non devitas, fornicatorem ad tempus fratrem revertentem æternæ mortis pœna condemnas? Nec ideo hoc dicimus, ut peccandi frena laxemus. Advertat quisquis hoc legerit, quia non viventibus loquimur, sed mortuum consolamur. Denique resurgat; et [a] videbis, quod statim ei trademus Psalmistæ versum dicentis : *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt* (*Psal.* XXII, 4). Accipiet virgam correptionis, et baculum qui sustentare possit infirmum. Ita autem intelligamus Apostoli dictum, quod neque invidi, neque fornicatores, neque aliena appetentes regnum Dei possidebunt; id est si quem in hoc vitio tempus [b] accersionis invenerit; quia alibi Dominus dicit : *Unumquemque in viis suis judicabo* (*Ezech.* XXXIII, 20). Et ipse Apostolus ait : *Quales aliquando fuerint, nihil mea interest* (*Gal.* II, 6). In epistola sua beatus Joannes [c] orare mandat pro fratre, qui non habet peccatum usque ad mortem (I *Joan.* v, 16), id est, non usque ad extremum vitæ suæ finem peccatorum suorum mala fuerit secutus. Nam de Levitis quod superius dixeras, non eos fuisse sanctificatos, cum peccatis fuere polluti : quid tibi videtur illud quod scriptum est in beati Esdræ libris (I *Esdr.* x, 18), ubi [d] reversi de captivitate Babyloniæ, et restructis nuper templi Dominici fundamentis, non solum plebs vulgi, verum etiam familia sacerdotalis, et illius Jesu magni, invenitur in mulieribus alienigenis, hoc est, Syris et Idumæis et Moabitis et Ammonitis esse permixta? Qui tamen omnes peccato eodem, accipientes consilium Esdræ, et recedentes a mulierum alienigenarum consortio, caruerunt. Unde vides quod sicut peccati contagione maculamur, ita expulsione ejus abluimur [e].

6. Ne, quæso, beatissime, fratrem nostrum in profundo putei sub iniqui principis potestate demersum, lapidibus desperationis obruamus. Imitemur illum Æthiopem (*Jerem.* XXXVIII, 7, 11), qui sanctum Jeremiam in lacum ab iniquo rege de-

A mersum, assumptis triginta hominum auxiliis, et demissis ad eum pannis ac funibus [f] liberavit. Ecce frater in lacu est : assumamus triginta homines, id est, sive beatæ auxilium Trinitatis, sive cum labore [g] animi, carnisque et spiritus, demersum in profundo putei liberemus. Mittamus ei pannos veteres : reducamus in memoriam ejus exempla antiquorum, qui per peccatum collapsi, postmodum de profundis malorum per pœnitentiam ad superna relati sunt; quæ cum ei ante oculos posita fuerint, desperare non poterit. Solet percussus miles in primo certamine, in secundo fortius dimicare, et contra [h] percussorem suum magis iratus insurgere. Ecce in [i] sæculi fine consistimus : instant pro Christi nomine prælia passionum. Quid mirum, si ille
B quem fornicationis hasta percussit, in passionis congressione superaverit? Quid si victor fuerit in martyrio, quem vicerat incontinentia et libido? Nonne sic fecit ille Nazaræus (*Jud.* 16) ex repromissione natus, quem cum in perniciem sui mulieris blandimenta vicissent; postmodum in fine obitus sui, sub [j] martyrii passione, majorem inimicorum exercitum prostravisse, quam ante quando Nazaræus, hoc est, immaculatus fuerat, reperitur? Sicut enim illa sacerdotalis familia de Heli cognatione descendens (I *Reg.* III, 14), cui juraverat Dominus, ut nullus de ipsis ante faciem ejus assisteret, eo quod gravibus peccatis Dominum provocasset : nonne omnis illa cognatio pro Davide a Saule refertur occisa (I *Reg.* XXII, 18)? Et quid est hoc,
C nisi forma martyrii, ut quos grave peccati crimen involverat, mors pro Christo illata liberaret? Hæc sunt beatorum voluminum sacra mysteria. Sic vasa [k] sua nequaquam figulus patitur interire (*Jerem.* XVIII, 6), qui etiam ea confracta et in lapidibus illisa redintegrare posse se dicit.

7. Ne spernas, quæso, fratrem defunctum : filius est Sunamitis sterilis (IV *Reg.* IV, 20), id est, Ecclesiæ : ex repromissione natus est iste qui mortuus

eluendis durior pœnitentia indicta fuit. Hac distinctione (quam Hispanicæ ecclesiæ notam fuisse, docet Paciani libellus *de Pœnit. et Confess.* pag. 184, edit. Manut.) ii abutebantur, quos hic refellit Bachiarius, ut fratri lapso negarent pœnitentiæ remedium. Sed longe aliud est desperatio veniæ, aliud rigor disciplinæ. Noster recipiendum quidem ad pœnitentiam lapsum putat, licet gravissimi criminis reum; non tamen, priusquam laboriosum ac diuturnum illius cursum emensus fuerit, communionis participem fieri posse censet. Id cum ex integro libello colligitur, tum maxime ex iis quæ leguntur num. 4 et 15.

[a] Ita Er. et Ambr. Minus recte in editis, *videbit... tradimus.*

[b] Gryn., *arcessionis;* Er., *recessionis.* Bignæanæ editioni favet Ambrosianus liber, quem merito præferendum duxi.

[c] Ambr., *hortari.*

[d] Expunctis glossematis, locum sanitati reddit cod. Ambr. Historia hæc legitur cum in canonico Esdræ libro, tum III cap. IX, quem in apocryphorum classem rejecit Ecclesia. Hunc laudari a Bachiario censent Bignæus et Tillemontius : quod minime

miraremur, cum solemne fuerit PP. Græcis Latinisque ex eodem testimonia afferre, uti peculiari de hoc libro Dissert. docuit Calmetus tom. III, Ven. edit. pag. 162.

D [e] Hactenus Pseudo-Hieronymiana *Objurgatio in Evagrium*, e qua plura Diss. 2, cap. 3.

[f] Bign. addit, *veteribus*. Legere mallem, *veteribus pannis, ac funibus veteribus*. LXX Παλαιὰ ῥάκη, καὶ παλαιὰ σχοινία.

[g] Passim veteres distinguunt animam a spiritu. Sanctus Pacianus, Hispaniæ lumen, ait Corinthium a Paulo apostolo traditum fuisse Satanæ in interitum carnis, *non tamen animæ, non etiam spiritus, sed ad solius carnis interitum*. Epist. 3, ad Sympronian., pag. 207 edit. Rom. 1564.

[h] Ambr. *persecutorem*.

[i] Vide sis nostram Diss. 2, cap. 4.

[j] Id fecisse Samsonem, non humaniter deceptum, sed divinitus jussum, sententia est magni Augustini aliorumque. Martyrii laudem illi tribuit Bachiarius, innixus fortasse Paulinæ epistolæ ad Hebræos, ubi inter eos laudatur, qui *testimonio Fidei probati sunt*. Cap. XI, 32, 39.

[k] Ex Ambr. addimus, *sua*.

est. Quondam enim nativitatem ejus [a] secundo Abrahæ Dominus in Isaac semine spopondit atque pollicitus est (*Gen.* XXII, 15; *Hebr.* XI, 18); cujus caput in messe calore percussum est, id est, principale mentis ejus inter ipsam [b] spei libidinis flammam concaluit. Currat ad Elisæum mater ejus; id est, sollicite plangat Ecclesia: resurget enim, si fideliter hoc speraverimus a Christo. Et tu, beatissime, in defuncto fratre opus imitare Elisæi: manus manibus, pedes pedibus, os ori compone. Primum, ut compatiaris ei qui mortuus jacet; neque elatus integritatis tuæ triumpho superexcrescas eum, aut superextendas te ei, quem repentina mors rapuit; sed imitare Apostolum, qui dicit: *Timeo ne humiliet me Dominus Deus meus apud vos, et lugeam multos ex eis qui ante peccaverunt* (II *Cor.* XII, 21). Appone præterea oculos tuos oculis ipsius, ne in perditionem sui ulterius evagentur: os [c] illius, ne confabuletur iniqua: manus illius, ne operentur adversa: pedes illius, ne vagentur in turpibus. Et sic, cum pro custodia sui membris illius membra tua fuerint copulata, non solum peccandi ulterius spatium non habebit, verum etiam spem capiet resurgendi; ut qui peccati frigore mortuus est, consolationis tepore revocetur ad vitam. Memento autem, ut omnes a conspectu ejus ejicias: nullus videat, nullus in medio sit, nec quisquam sibi visionem ejus de propinquitate præsumat. Quid dico propinquum? si [d] mater illa carnalis sit, nec ei aditus detur intrandi. Sic enim Elisæum in Sunamitis filio (IV *Reg.* IV, 34), sic Dominum nostrum in principis filia (*Matth.* IX, 25), sic beatum Petrum in Dorca vidua fecisse cognoscis (*Act.* IX, 40). Valde enim debet secretus et solitarius locus mortuo in peccatis homini præparari, ubi nihil capiatur amplius, quam medicus et cadaver.

8. Ne, quæso, beatissime, [e] percussum fratrem, et aliquando nobis placitum relinquamus, inermem quem invenit inimicus. Defuit ei lorica justitiæ (*Ephes.* VI, 14; II *Thess.* V, 8), galea spei ac salutis, et gladius spiritus, quibus armantur milites Christi. Curetur, rogo, quia adhuc palpitat; et revertatur ad pugnam. Nonne ille egregius et fortis David, qui in adolescentia sua gigantem miræ magnitudinis superavit, postea mulieris inepta nuditate superatur? (I *Reg.* VII). [f] Qui mox ut prophetæ vocibus (II *Reg.* XII), quod peccasset, agnovit, statim ad pœnitentiæ malagma confugiens, cicatrices criminum confessionis satisfactione sanavit. Sed nec sic quoque eum impugnare destitit inimicus. Nam et postea eum, populum numerando (II *Reg.* XXIV, 1), peccare persuasit; et pene telo gigantis occidit (II *Reg.* XXI, 16, 17), nisi eum [g] Abisai frater Joab principis militiæ interposita auxilii sui tuitione liberasset. Unde etiam, credo, ipse in psalmo LXX dicit: *Mei autem pene moti sunt pedes* (*Psal.* LXXXII, 2). Et alibi: *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea* (*Psal.* CXXVIII, 1). Sed [h] qui dicis, Non fiat ejus memoria, quia turpi peccato se ipsum jugulavit; require primum, frater, utrum iste qui cecidit, in pugna inventus, an in domo fuerit vulneratus: quia plus quidem misericordiam meretur quem in certamine hostis percussit, quam ille quem dormientem latro confoderit. Ego illum certe in prælio vidi constitutum: pugnabat cum scuto jejunii adversus illecebras gulæ: pugnabat cum taciturnitatis lorica contra detractionis jacula et reliqua tela maledicta; sed in illo loco in quo securiorem se arbitrabatur esse, percussus est. Sicut enim Asael, frater ille Joab principis militiæ David, qui [i] *velox sicut cervus* a Scriptura esse perhibetur (II *Reg.* II, 18, 23), ob hoc, credo, quod incoinquinati corporis puritas donum ei velocitatis

[a] Ambr. *sancto*. Sed mutare nolui, quod certum sit ab auctore innui verba Geneseos: *Vocavit autem Angelus Domini Abraham* SECUNDO *de cœlo dicens*, etc. Similem varietatem in codicibus mss. Matthæi Villanii objecit Muratorius Justo Fontanino archiepiscopo Ancyrano, qui in comment. *De Corona Ferrea*, cap. 7, pag. 57, historici illius testimonium protulerat. Consule tomum XIV *Rer. Italic.* pag. 264, not. 86, sed præsertim præfat. Collectoris pag. 2 et seqq.

[b] In voce *spei* mendum cubare puto. An, *turpis*? Infra num. 18, *per flammam turpis concupiscentiæ*.

[c] Sc., *os tuum ori illius*, etc.

[d] Vulg. edit., *sit mater illa carnalis nec*; etc. Aureis apicibus describenda forent quæ de hoc argumento nuperrime protulit sanctissimus pontifex BENEDICTUS XIV, lib. VII *de Synodo diœcesana* cap. 57. Inviti plura omittimus; sed præclaram regulam quam ibidem præscribit episcopis, præterire nefas esset: *Quamobrem* (ita recte ille sapienterque num. 4) *licet in diœcesi contingat turpe incestus flagitium, semel aut iterum, ab uno aut altero clericorum perpetrari; non idcirco fas erit episcopo a communi regula recedere, et non sine populi admiratione ac scandalo, quasi omnes haberentur ejusdem enormis criminis aut rei aut suspecti, statim edicere, ne ullus in posterum clericorum cum nepte, amita, sorore aut matre cohabitet: sed si quemquam reperiat dubiæ famæ, cujus cum consanguinea contubernium, etiam apud probos et prudentes viros, male oleat, illi cui certe congruit regulæ limitatio, separationem injungat, ea tamen adhibita circumspectione et cautela, quam rerum circumstantiæ exposcunt, ne delictum quod latet, patefiat.* Chromatius Aquileiensis ecclesiæ presbyter, et Eusebius illius frater diaconi munere insignitus, domi versabantur una cum matre vidua, et sororibus quæ virginitatem professæ fuerant. Uterque Hieronymi ac Rufini libris consecratus, ac pietatis et doctrinæ merito episcopalem dignitatem adeptus est: prior nimirum Valeriano nostro successit; alter vero incerti nominis ecclesiam (nisi Bononiensis fuerit) sanctissime rexit. Sed quod inculpatis concesserunt canones spiritu Dei conditi, usurpare non licebat lapsis aut pœnitentibus, quorum flagitia publica fuerant. Porro Hispanus asceta, non civitatem modo in qua degerat, sed universum pene orbem sacrilegii sui fama compleverat, ut ait noster n. 10.

[e] Gryn. *impercussum*, eodem tamen sensu. Retinet hæc editio nonnulla antiquitatis insignia. Nam ex. g. habet, *laqueas*, *stimulas*, non *laqueos*, *stimulos*, uti editio Marg. et Ambr.

[f] Addunt *qui* Ambr. et Gryn.

[g] Male in editis, *nisi eum Joab in principe*. Hæc veræ lectionis vestigia servat Ambr., *ab Isai fratre Joab principis*, etc.

[h] Ita Ambr. melius quam editi libri, qui habent, *sed quid dicis?*

[i] In Vulgata nostra dicitur, *quasi unus de capreis*,

indulserat (*Corpus enim* (*Sap.* IX, 15) *quod corrumpitur, aggravat animam*) [a] ab eo quem persequitur, Abner, de cuspide lanceæ in renibus refertur esse percussus. In quo loco membri, vitium fornicationis poni, nullum puto esse qui dubitet. Sicut etiam ipse Abner a Joab fratre ejus postmodum in inguine percussus esse perhibetur (II *Reg.* III, 27); quia fornicationis forma non alibi quam in inguine merebatur interfici. Numquid autem Asael consolationem fratrum non meminit, quem ita totus Davidis planxit exercitus? aut de libro vitæ deletus est, id est, de memoria Dominicæ lectionis? Sic scriptura non obliviscitur, ut etiam velocitatis ejus quam ante mortem habebat, [b] faciat mentionem, cum dicit : *Velox erat sicut cervus ;* id est, qui non solum perspicacia mentis, inimici laqueos evitabat, verum etiam serpentium, hoc est, adversariarum virtutum interfector exstitit.

9. Memento, frater, quod caro sumus : mare illud (hoc est, forma baptismi) quod beatus Joannes in Apocalypsi vidisse se dicit, vitreum fuisse descripsit (*Apoc.* IV, 6; XV, 2); et ideo in nobis cito periclitatur aut frangitur. Lubrica est via sæculi hujus, glaciali iniquitate constricta : quam cum [c] modice concupiscentiæ calor solverit, facilis est ad lapsum ruinamque miserorum : *Porrige manum tuam jacenti fratri* (*Eccl.* XV, 18), qui confusus pudore peccati, nec erigere se nec oculos audet attollere. Comple legem Moysi : *Si ceciderit asinus* [d] *fratris tui sub pondere* (*Exod.* XXIII, 5), hoc est, caro victa peccato, acclina te, et humilia te, et subleva de ruina. Quid erubescis conjungi homini peccatori? Respice illum qui dicit : *Noli nimium esse justus* (*Eccle.* VII, 17). Magister noster a latronibus vulneratum (*Luc.* X, 30), non solum cura dignum judicat, verum etiam ad stabulum suum et ovile restituit; ac datis stabulario duobus denariis, hoc est, utrisque divini canonis Testamentis, majus ei præmium pollicetur, si diligentia sua percussum hominem ad statum pristinum reduxerit. Et tu ergo collige fratrem, quem diabolus latro cum satellitum suorum turba percussit : assigna stabulario, hoc est, [e] B. episcopo, qui si quid in eo impenderit, amplius a Domino consequetur. Sed dicis forte : Ille vulneratus erat; hic mortuus est. Et tu ergo si mortuum dicis, vel juxta Elisæi illum ossa constitue (IV *Reg.* XIII, 21). Nolo, ut cum longe segreges a Christi membris, quia ipse consortio meliorum erubescet, et resurget ad vitam. Non emendationis parvum putes esse [f] tormentum, si peccator adsciscitur in consortium beatorum; quia A illorum præmia, sua sentit esse tormenta. Si quis laudatur, erubescit : si quis vituperatur, agnoscit. Inter hæc verborum flagella constitutus, satisfactioni emendationique semper approximat.

10. Jam vero illud quale est, quod a quibusdam audivimus dici : ut illa vel ille, qui criminis peccatique consortes sunt, veluti in matrimonio conjugioque jungantur. Absit hoc a [g] christiani oris eloquio. Serpentis est ista suggestio, ut illius quem occidit, etiam cadaver assumat. Nonne simile est, si quis percussus graviter, extremo anhelet in fine; et hunc terrenus medicus, si forte visitaverit, quia non posse vivere suspicetur, hortetur occidi? Simile est sine dubio quod dicitur : Inventus est frater, aut soror, concupiscentiæ telo graviter vulneratus : huic cum B [h] sceleris sui nuptiæ suadentur; quid aliud dicitur nisi occidatur, quia vivere aut evadere non poterit de hac plaga? Nescis fortasse, quæ pœna maneat desperantem? Ille nuntius Saulis mortis (II *Reg.* I, 2 *seqq.*) cum ad David venisset, et referret ei inimicum suum esse prostratum; David causam mortis inquirens, audivit ab eo, quod ipse nuntius illum suo gladio peremit, addens et dicens : *Quia videbam quod ictu illati in se vulneris non erat victurus* (*Ibid.*, 10); quem David statim morte damnavit; cum percussum ab hostibus desperasset esse victurum, et eum sublata spei fiducia jugulasset. Quin immo more Davidico scindantur vestimenta cordis et pectoris : flebilis vox tollatur in planctum : doceatur lamentum Israeliticus populus, id est plebs ecclesiastica, et dicat : C [i] *Subleva lapides tuos super altitudines tuas, et cogita de interfectis tuis, quomodo ceciderunt potentes in prælio. Non nuntietur hoc in Geth, neque prædicetur in viis Ascalonis, ne forte lætentur filiæ alienigenarum et exhilarentur filii incircumcisorum* (*Ibid.*, 19, 20); et reliqua, quæ continentur [j] lamenti ipsius edicto; et dicat, aut loquatur : ecce prohibetur ne in terminis Geth, neque in finibus Ascalonis, hoc est, in notitiam sæcularium sive hominum mundanorum, casus fratris vel ruina seminetur : et nos passi sumus, non solum ipsam quam incolit civitatem, sed etiam totum orbem famæ ipsius desperatione compleri? Nonne huic præcepto cohæret etiam ille evangelicus sermo, qui dicit : *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum solus; quod si te audierit, lucratus es eum :* D *si autem non te audierit, adhibe tecum duos vel tres testes* (*Matth.* XVIII, 15, 16), et reliqua quæ continet sermo præcepti. Vides ergo quid dicit : *Ne exhilarentur filii incircumcisorum.* Me miserum, qui ista cognosco. Filii enim incircumcisorum qui sunt nisi homi-

quæ morantur in silvis. Apud LXX, similiter ὡς ἡ μία δορκὰς ἐν ἀγρῷ.

[a] Gryn., *Istum persequitur Abner.* Ambr., *Iste dum persequitur Abner.*

[b] Negantem particulam quam interserit Bignæus, expungimus ope ms. et primæ editionis.

[c] Iidem libri emendant Margarini editiones, quæ legunt *immodicæ.*

[d] LXX, Τοῦ ἐχθροῦ σου; Vulg., *odientis te.*

[e] Litteram hanc initialem non agnoscit cod. Ambros. Rursum num. 17 laudat *beatissimum pontificem:* de hoc honoris titulo egimus Diss. 1, cap. 6.

[f] Ita recte Ambr.; sensus tamen postulat ut pro *tormentum* legamus, *momentum.*

[g] Edit., *Christi.* Melius Ambr. quem sequimur.

[h] Ita Ambr. At Bign., *cum ipsius nuptiæ.* Gryn., *cum sceleris ipsius.*

[i] LXX, στήλωσον, quod significat : *titulum inscribe, cippum erige.*

[j] Ambr. *continet lamenti* ipsius editio.

nes hujus sæculi, in peccati sui errore [a] et gentilitate viventes? Hi ergo exhilarantur, cum audiant ruinam militis Christi, vel ex illius se consolantur opere dicentes : Ecce qui nobis [b] exprobratur a cæteris : ad cujus exemplum cogebamur vivere; qui cum nostro emersisset e corpore, tamen ad confusionem nostram vita ejus dicebatur esse dissimilis. Numquid non melius erat nec inchoare quod bonum est, quam tam turpiter cadere, aut non posse se complere quod cœperis? Nescientes, quod judicio Dei majorem forsitan excusationem habitura sit anima, quæ bonum voluisse et ab insidiatore supplantata esse noscitur, quam ea quæ rebellis Deo, ex servilis desperatione formidinis magis elegerit jugo captivitatis addici, quam periculum certaminis experiri. Nonne apud regem suum [c] miles excusatur propriis vulneribus, et plerumque strenuum bellatorem cicatricum suarum plaga commendat.

11. Sed prætermissis his, plangatur defunctus, sepeliatur mortuus; id est, partim nostro labore, partim verecundiæ suæ confusione peccatum ejus celetur, et auferatur e medio. Nos autem consolationis linteamina et cœlestis spei pigmenta tribuamus : ipse autem intra sepulcrum secreti sui, confusus peccati pudore contineat se; ibi conscientiæ suæ verme laceretur, qui [d] totas in eo putredines peccatorum consumat, donec nullum ex se fetorem famæ turpis emittat. Nonne sic beatus Tobias veniam misericordiæ cœlestis emeruit, mortuis in captivitate fratribus tribuens sepulturam? credo, lapsis sub mundialis principis dominatione suadens insinuansque pœnitentiam (*Tob.* I, 18; II, 9). Et nos ergo, secundum quod meretur, corpus illius [e] contegamus. Ecce exiit propheta de Hierusalem (III *Reg.* XIII, 1 *seqq.*), hoc est, de domo Domini adversus Bethel quæ fornicabatur a Domino, id est, mundi istius civitatem; cui præceperat Dominus, ne de cibo ejus gustaret aut potu. Sed qui per pseudoprophetam, id est, per spiritum fornicationis, deceptus est ab iniquo, cecidit in potestatem leonis ac [f] sortem, qui

A *rugiens circuit, quærens quem devoret* (I *Pet.* V, 8). Qui tamen juxta cadaver ejus assistit, ut nisi fuerit ad Ecclesiæ sinum et sepulcrum portatum, in cibum ei escamque proficeret. Sed nos vel pseudoprophetæ imitemur officium; et eum quem percussit diabolus, [g] debito omnibus honore tumulemus. Solet Christus de tali sepulcro mortuos suscitare : tantum ne cadaver ejus devorandum feris aut alitibus, id est, vitiis sive hominibus sæculi relinquamus. Qualiter, rogo, de misericordia Domini possumus desperare, qui etiam Pharaonem arguit, quare nequaquam pœnitere dignatus sit, dicens in prophetia Pharaonis : *Brachia regis Ægypti contrivi; et non est deprecatus ut daretur in eo sanitas, et redderetur ei virtus ad comprehendendum gladium* (*Ezech.* XXX, 25).

B 12. Salomon [h] ille mirabilis, qui meruit *adsistrici Dei* (*Sap.* IX, 4), hoc est, Sapientiæ copulari, in alienigenarum mulierum incurrit amplexus; et vinculo libidinis illaqueatus, etiam sacrilegii errore se polluit, quando simulacrum Chamos Moabitico idolo fabricavit (III *Reg.* XI, 17). Sed qui per [i] prophetam culpam erroris agnovit, numquid [j] misericordiæ cœlestis extorris est? At forsitan dicas : Nusquam eum in canone lege pœnituisse, neque misericordiam consecutum. [k] Audi ergo, frater. Pœnitentiam ejus quæ non scribitur publicis legibus, fortasse ideo acceptabilem aliqui dicant, quia non ad faciem populi, sed in secreto conscientiæ, Deo teste, pœnituit. Veniam autem ex hoc consecutum esse cognoscimus; quia cum solutus fuisset a corpore, sepultum illum

C inter regum Israelitarum corpora Scriptura commemorat : quod tamen alibi peccatoribus regibus abnegatum esse cognoscimus, qui usque in finem vitæ suæ in propositi perversitate manserunt; et ideo quia inter reges justos meruit sepeliri, non fuit alienus a venia : veniam autem ipsam sine pœnitentia non potuit promereri. Synagoga illa Core, cum pro ausus sui temeritate terræ hiatu viva fuisset absorpta; [l] arulæ tamen eorum in quibus ignem succendebant alienum, a Domino circumdari jubentur al-

[a] Pro *et* in Ambr. *ex*. Synchronus auctor Epistolæ *ad Monachum lapsum*, 45 inter Basilianas num. 21: *Captivorum*, ait, *facti sumus tragœdia; a Judæis et gentilibus res nostræ in scenam deducuntur*.

[b] Forte, *exprobrabatur*.

[c] Gryn. et Ambr. consentiunt. Minus recte in Bign. edit., *suum excus. propr. vuln. et miles*.

[d] Edit., *totus*.

[e] Bign., *contigamus*. Elegantem ac veram lectionem restituimus ex vetustiore Grynæi editione ex codice Ambrosiano.

[f] Quid? si Bachiarius scripserit *fortem* : quo nomine leo innuitur in Samsonis ænigmate *Judic.* XIV, 14. Vulgata tamen lectio ferri potest, eique astipulatur codex Ambros.

[g] Ambr., *omni debito tumulemus*.

[h] Ad oram libri Ambr. rubeis litteris scriptum est *Salomonis* nomen, ut lectores forte monerentur exstare hoc loco præclaram sententiam, et observatione dignam. Illam excerpsit Fulbertus, quem laudavimus Dissert. 2, cap. 3. Male ibidem legitur, *astrui Deo, sapientiæ copulari*. Aperte Bachiarius alludit ad illam orationem *Sap.* IX, 4: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam*. Ex quo discimus, Bachiarium tribuere librum hunc Salomoni, cujus nomine inscribitur. Idem placuit Rufino nostro, qui interpretem agens hom. 12 in Prov. sancti Basilii num. 1, verba hæc, τρεῖς τὰς πάσας ἔγνωμεν πραγματείας τοῦ σοφωτάτου Σαλομόντος, ita reddit :

D *Tres istos libros novimus* PRINCIPALITER *sapientissimi Salomonis, Proverbiorum, et Ecclesiasten, et quæ dicuntur Cantica Canticorum*, tom. II, p. 730.

[i] Apud Fulbertum rectius, ut videtur, *per prophetiam*.

[j] Ambr., *medicinæ cœlestis*.

[k] Fulbertus locum refert in hunc modum : *Non ambigas, frater, de pœnitentia ejus, quæ non inscribitur publicis legibus. Et fortasse ideo acceptabilior judicatur, quas non ad faciem*, etc. Mirum videtur, qui Bachiarius ultro concedat adversariis pœnitentiam Salomonis in libris canonicis non referri; cum veteres qui Salomonis saluti favent, maxime innitantur verbis illis *Proverb.* XXIV, 21, ubi ex versione LXX Interpretum Sapiens de se testatur : *Novissime ego egi pœnitentiam*. Cæterum publica pœnitentia Salomoni subeunda erat, ut populi offensioni mederetur.

[l] Ambr. *areolæ*. Vulgatus Scripturæ interpres,

tario (*Num.* xvi, 37), ob hoc quia sanctificatæ fuisse dicuntur : quas nos animas eorum esse sentimus, in quibus adulterinæ flammæ calorem præsumpta libertate susceperant; et ideo vivi deglutiuntur; arulæ vero eorum perire prohibentur; sicut etiam Apostolus dicit : *Dedi hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit* [a] *in die Domini nostri Jesu Christi* (I *Cor.* v, 5). Considera ergo, frater, quam paucis tribuitur, ut de amphitheatro mundi istius, ubi cum feris, hoc est, cum vitiis depugnatur, immaculati a peccati morsu membra liberent sua. Quod expertus ille dicebat : *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi* (*Psal.* LXXIII, 19). Sed quia jam dudum est, quod tecum sermocinantur, cavendum est nobis, ne offendat te nostra verbositas. Unde etiam ad te cujus causa hæc diximus, stylum vertimus.

13. Quid me refugis, frater? Quid te magis consortio mundialium hominum credis? Illi fortasse [b] rideant culpam tuam ; ego plango, et si commori necesse erit, optabo. Quid erubescis præsentiam nostram ? Similis nobis causa est, quia et ego in tuo negotio pudore confundor. [c] Rasit, ut video, Ammonitius rex (II *Reg.* x, 4 *seqq.*) militibus David, hoc est, ministris Christi, dimidium barbæ et tunicas eorum usque ad inguina præcidit : id est, sustulit ab eis in dimidietate barbæ virilem speciem, et effeminari eos per delectabilem vitiorum novaculam fecisse monstratur. Dimidia autem barba tibi rasa est, quia uno vitio, si quid boni in Dei virtutibus gesseras, perdideris : dimidia et tu rasus es barba, quia si volueris reliquo vitæ tuæ tempore quod tibi superest laborare, concrescet. Præcidit vero tunicas usque ad inguina, cum turpia facta quæ ipse persuaserat, in oculis hominum revelavit. Sed et super hoc spes. Sedeamus in Hiericho, donec crescant barbæ nostræ : id est, simus opprobrium et ignominia meliorum et efficiamur anathema omnium, sicut in Hiericho Israelitico populo fuit, donec barbarum species nobis, hoc est, virtutum incrementa nascantur. Crede mihi, quia regi nostro dolebit injuria, ulciscetur nos mi- A lites suos, quibus in dehonestatione sua fecit ista inimicus. Abfuit paulisper a conspectu nostro rex noster David ; et ideo victi ab inimicis, [d] partem agri plenam lenticula rubicunda quæ est verecundiæ nostræ et delicatæ castitatis forma, confregimus. Sed jam ubi recordationem peccati rex noster oculis nostri cordis aperuit, stemus, ut vel illud quod residuum est, id est, reliquum vitæ nostræ tempus defendatur, ut salvum sit. Ne, quæso, te persuadeat quisquis ille dicat tibi, ut scelus hoc in conjugium vertas, ac de crimine matrimonium voces. [e] Nolo offensam Dei provoces, atque multiplices. Si enim ut vocatur in culpam, quod furtive ac cum timore persuasit tibi inimicus, quomodo merebitur veniam, quod veluti insultans Deo et ejus judicio, publice tibi B cœperis vindicare ? Imitare illum Amnon Davidis filium (II *Reg.* XIII, 15 *seqq.*), qui cum in sororis suæ stuprum illicita flamma caluisset, postmodum eam magis exosus est, quam antea amaverat ; et pro hoc facto occisus est a fratre, quia [f] agnita culpa erroris non mansit in crimine, sed materiam ipsius peccati vehementer exosus est. Unde etiam suspicamur Davidem ei non fuisse commotum, quia cito vidit eum pœnitentiam recepisse ; et id, [g] per quod unius horæ spatio deceptus est, statim eum impatientia odisse, et virtute pœnitentiæ disrupisse ejus laqueos. Qui vero captus est in rete vitiorum, et patienter inimicis suis, hoc est, venatoribus acquiescit, donec etiam recludatur in cavea, et ibi longo temporis spatio saginetur ad pompam ; tum maxime [h] principalibus sæ- C culi, cum occisus fuerit, placiturus est. Donec [i] muscipulam fornicationis evaseris, non te ebrietatis laqueis credas, per quos [j] animos irati Absalonis incurras (*Ibid.*, 28) ; quia luxuria atque ebrietas, quædam sibi in vitiorum nativitate germanitas est.

14. Attolle ergo animos, frater, erige oculos quos conscientiæ pudor inclinavit ; nec te inimica desperatio confringat. Ecce Absalon qui fratrem occiderat, per amicorum suffragia regis veniam promeretur (II *Reg.* XIV, 23) : ita ut etiam osculum pacis et præ-

thuribula. Rufinus, *bacilli* tom. II Oper. Origen. edit. Ben.

[a] Ita Ambr. ; sed Bign., *fiat in diem.*

[b] Gryn., *rideant.* Bign. *vident.* Et ad libri oram rejecit, *rident.*

[c] Legendum, *Annon.* Sanctus Eucherius in libros Regum, lib. II, pag. 197, eadem allegoria utitur : *Sicut Annon,* inquit, *rex Ammon servos David ad se missos deturpavit, atque ludibriter fœdatos ad eumdem David remisit ; ita et diabolus, princeps hujus mundi, plerosque religiosos per subripientia vitia deturpare consuevit. Qui dum eorum latentia mala in aperta et flagitiosa perpetrataque luxuria detegit, quasi eorum indumentis usque ad nates abscissis, nudos a dignitate castitatis relinquit ; et dum pristinam eorum fortitudinem eripit, velut barbam radit : quos tamen verus David, Dominus scilicet et Salvator noster, clementi respectu a pœnitentiæ indulgentia non exclusit ; quos et in Hiericho, hoc est, sub anathemate pœnitentiæ residere jubet, donec sacramenta spiritalia, et fortitudinem mentis quæ peccando perdiderunt, satisfaciendo recipiant, et sic demum in conspectu ejus stare valeant.* Utrique, ut videtur, idem fons patuit.

D [d] II Reg. XXIII, 11 : Μερὶς τοῦ ἀγροῦ πλήρης φακοῦ· Sed qui *partem agri* ait confractam esse ? An hoc nomine intelligit vas, seu testeam laguncula m?

[e] Integra hæc pericope deest in Ambr. errore amanuensis.

[f] Hæ sunt meræ nugæ, quas sacer textus refellit. Quemadmodum incertum est, an fœdissimi criminis Amnonem pœnituerit ; ita nemini dubium esse potest, quin Davidi, ut illi parceret, patrius animus ; Absaloni autem, ut sæviret in fratrem, impotens iræ cupiditas suaserit. Sed allegoristis donandæ sunt hujusmodi argutiæ ; nec paucis offendimur maculis.

[g] Corruptissima est Ambrosiani codicis scriptura : *Et id pro causa ejus qui unius horæ deceptus est laqueo et statim in patientia, hoc est virtute pœnitentiæ dirupit. Et ejus qui captus est,* etc. Grynæi editio hoc loco mulctata, nihil præsidii affert.

[h] Forte, *principatibus.*

[i] Ita Ambr.; in edit. Bign., *donec etiamsi.* Videtur legendum : *Denique, etiamsi,* etc.

[j] Reponendum suspicor, *in manus ;* sed invitis editionibus et codice nostro, nihil muto.

sentiam vultus Christi non desperet exposcere. Et tu ergo quos amicos Davidis esse nosti, qui quondam pater tuus, quando non peccaveras, fuit, humilis esto et acclinis, ut quod a te non potes, per illorum suffragia [a] merearis. Ac si forte duri fuerint in audiendo, opportune, importune non desinas supplicare; quia Absalon per injuriam meruit, quod per amicitiam impetrare non potuit; et quod [b] pro meritis non meruit, per injuriam obtinuit. Vis scire quod plerumque per occasionem injuriæ sancti pro peccatoribus deprecantur? Beatus ille unus ex [c] quatuor, confessorum caput et martyrum, cum ab insano populo lapidibus urgeretur, *in ipso exitu Israel de Ægypto* (*Psal.* CV, 1), id est animæ de corpore discedentis, genu flexo, patri pro peccatoribus supplicavit (*Act.* VII, 59): Magistri nostri secutus exemplum, qui persequenti semetipsum populo veniam postulabat (*Luc.* XXIII, 34). Ecce vides, ubi occasio precum nascitur ex injuria et pœna sanctorum. Nec hoc ideo dicimus, ut tu per contumelliam beatorum suffragia merearis; sed consilium damus, ut si pro magnitudine sceleris tui supplicare non ausi sunt, [d] importunitatis tuæ injuriam patientes, facilius pro eo a quo læsi sunt, audiantur. Incende hordeum finitimum tibi, quod est in agro (II *Reg.* XIV, 30); *quia lingua ignis est* [e] (*Jac.* III, 6), ager autem est hic mundus. Sic quandocumque cœperis vitæ bonæ fructibus derogare, et dicere: ecce quales sunt sancti, qui pro peccatoribus non audent rogare: ubi est quotidiana merces operis? tunc incensa per linguam tuam sanctorum spes incitabitur ad fiduciam deprecandi; quia cognoscent te ad hanc necessitatem, utilitatis tuæ causa, non vitio detractionis impactum: sicut Absalon, non ob hoc segetem Joab incendit, quod nocere vellet ei tamquam inimico; sed ut vel sic ad detrahentem sibi respiceret, quem non audierat blandientem; et ita ejus præsentiam mereretur, qui Christi erat proximus vel amicus. Fructus enim sanctorum qui secundum homines est in hordeo, non incongruenter accipitur: qui vero secundum Deum, in tritico poterit æstimari; quia non dubium est, sanctos utrumque seminare secundum Apostolum, *providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus* (*Rom.* XII, 17). Et ideo Absalon hordeum finitimum sibi, id est, conversationem quæ inter homines agebatur, incendit: ad illud vero quod coram Deo est,
A pervenire non potuit, quia illud solus Pater agnovit.

15. Sed forsitan dicas: Persuasio tua quietum requirit hominem vel securum; me autem necesse est quotidie persecutorem sæculi formidare, qui in me dedecus [f] proximæ suæ optat ulcisci. Si ergo tale aliquid pertimescis, ecce sex refugii civitates (*Jos.* XX, 2 *seqq.*), quas, si placet, ingredere. Ac si forte pro conscientia peccatorum, illas quæ sunt in terra repromissionis, hoc est, in Ecclesia, intrare non audeas; est *Bosor* [g] ultra Jordanem in solitudine, quæ interpretatur *angustia;* id est, cellula monasterii parva vel modica; et optime tibi conveniet, quia de sorte Ruben est, et ipse torum patris maculavit illicite (*Gen.* XLIX, 4). Est et Ramoth de
B sorte Gad, quæ interpretatur *excelsa mors*, vel *visio mortis*. Vere enim excelsa [h] mors, pœnitentia dicenda est, cum mortificatis membris deducatur homo ad excelsa cœlorum unde fuerat ante dilapsus: sive juxta istam humilem mortem quæ generaliter omni carni imminet, illa ad comparationem ejus rationabiliter excelsa nominatur; quia multo nobilius est per pœnitentiam mori, quam communi hac morte dissolvi. Si autem visionem mortis sentire velimus, ita potest intelligi; quia cum sumus in pœnitentia constituti, et ante oculos nobis ponimus gehennæ infernique tormenta, videmus ipsam speciem mortis, de qua pœnitentiæ beneficio liberamur. [i] Tantum memineris te in ancillæ filii civitate agere pœnitentiam; quia *Omnis qui peccat, servus est peccati* (*Joan.*
C VIII, 34); [j] et formam servi accipiens, necesse est humilies teipsum usque ad mortem (*Philipp.* II, 7, 8). Est Gaulon in finibus Manasse, quæ interpretatur volutatio, ut tu memineris tibi in cilicio et cinere esse volutandum: et hoc in finibus Manasse, qui interpretatur *oblivio*, ut obliviscens ea quæ ante gessisti, in priora te extendas (*Philipp.* III, 17). Hic ergo inhabita, ut per angustias, mortem et volutationem, iram persecutoris evadas et spem salutis invenias. Tum deinde in his si quid utiliter gesseris, etiam ad Cades in terra repromissionis, quæ est in Galilæa, poteris pervenire: quæ interpretatur *sancta;* ut cum in tribulatione opus corruptionis abjeceris, etiam ad sanctam tibi Ecclesiam tribuatur accessus; et in sortem Nephthalim, quæ dicitur *vitis remissa* (*Gen.*
D XLIX, 21), ut de sacramento dominici sanguinis participare merearis. Sed nec Hebron aditus tibi clau-

[a] Inter officia pœnitentis Tertullianus cap. 9 de Pœnit. commemorat, *omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere*. Et libro ejusdem tituli Pacianus, *multorum precibus adjuvari*.

[b] Ita Gryn. et Ambr. Apud Bignæum τὸ *pro meritis* desideratur.

[c] Ita editi; Ambrosianus, *ex septem:* qua de re fusius Dissert. 2, cap. 1.

[d] Pessime Bign., *in opportunitate tuam.*

[e] Ambr. addit.: *Et manus iniquitate sæpe per linguam insistit in membris.* Paulo aliter Gryn., *Et mundus iniquitatis est. Per linguam constat in membris.*

[f] Bign., *proxime suum.* Scriptura Ambrosiani *quam sequimur*, confirmare videtur conjecturam Tillemontii, fuisse nimirum, qui monacho nuptias suaderent cum virgine corrupta, ut parentis iram emolliret.

[g] Bing. *citra.* Ambr. *contra.* Cur neutrum sequamur, diximus Diss. 1, cap. 7, pag. LIX.

[h] Hoc sensu Veteres accipiunt verba Apostoli de Corinthio, quem se dedisse ait Satanæ *in interitum carnis.* Inter hos eminet sanctus Zephyrinus, in quem frustra debacchatur Tertullianus de Pudicitia cap. 13.

[i] Bign., *Donec memineris.* Melior visa est scriptura codicis nostri.

[j] Hæ quæ non exstant in Ambr. libenter expungerem.

datur, quæ interpretatur *conjunctio*, sive *conjugium*. Revertatur enim anima tua ad virum suum, id est, ad spiritum Dei, a quo pro tempore peccaminum fuerat [a] viduata. Sicque etiam sextam civitatem Sichem quam Joseph noster in hæreditatem consequitur, [b] propter quod ibi sepultus est, valebis intrare: quæ interpretatur *humerus*, sive *labor*; ut ostendas te per laborem pœnitentiæ, ab errore tuo Christi humeris reportatum (*Luc.* XV, 4), et adjunctum nonaginta novem ovibus, effectumque centesimum, quia ipsa Sichem ab alienigenis centum agnis scribitur comparata (*Gen.* XXXIII, 19).

16. Sed cur, frater, adhuc jacentem te torpor delectat? Surge, quia medicus advenit, qui dicit secandas esse putredines peccatorum, et post hæc curandam plagam ipsius cicatricis. Quid expavescis? Quid refugis curam? Qui hastam [c] zabuliticam quæ sexcentorum siclorum pondere prægravatur (I *Reg.* XXII, 7), nequaquam veritus es; cur subterfugis cultellos evangelici ferramenti? Qui ignem inimici flammasque perpessus es, cur ignem Domini, hunc quem venit mittere in terram (*Luc.* XII, 49), qui consumet fenum, et stipulam, et ligna (I *Cor.* III, 12), formidas? Abscinde a te [d] putrem consuetudinis voluntatem: ure renes tuos et cor tuum; damna inimicam tuam corporis speciem, per quam aut ipse deceptus es, aut alios decepisti. Horreant [e] exinanita membra jejunio, et cilicium quod sordida ratione pollueras, pro tegmine habere consuescas; ut cum attactus ejus atque asperitate compungeris, semper peccatorum tuorum stimulos recorderis. [f] Timet in te vitulum tuum Moyses (*Exod.* XXXII, 20), per quem luxuriatus es in eremo; id est, carnem tuam legis ac jejunii disciplina conficiat, ut ad nihilum redacta tenuetur. Legisti, credo: *Irascimini, et nolite peccare* (*Psal.* IV, 5). Ita et tu irascere peccatis tuis, ut ultra non pecces. Præveni ultricis gehennæ sæva tormenta, et ipse tibi tortor exsiste; ut cum venerit, nihil inveniat, [g] quod in te possit punire inimicus. Si venerit passionis occasio, memento qualiter tibi sub Regis tui præsentia dimicandum sit, ut culpam emendare possis desertoris et refugi. Si vero forsitan defuerit hujus felicitatis occasio, ipse tibimetipsi tuus poteris esse persecutor; ut, sicut Apostolus dixit (*Rom.* XII, 1), [h] per omnem mortem constituas te Deo. Ingredere monasterii tui carcerem; et tenebras solitudinis quibus ad lucem perditam revoceris, exquire. Sit tibi fames pro [i] gula, sitisque pro flamma; ut manu carnificis voluntatis, per abstinentiæ pœnam costarum compago nudata visceribus sit; et pro supplicio ignis internas ossium medullas duræ sitis depascat incendium. Sit tibi vigilia velut officiorum custodia publicorum; ac sicut catena rigentis ferri, sic duriori consuetudine et lege constrictus, sub imagine martyrii veniam misericordiæ cœlestis exspecta. Eia, eia quid dubitas? Scalam illam Jacob (*Gen.* XXVIII, 12) unde lapsus es, dum velis ascendere, adhuc posita nondumque subtracta est: et licet in ruina tua omnia membra colliseris, tamen iterum conare ascendere: et donec venias ad illum gradum unde cecidisti, fortiter te serva atque custodi; quia licet lubricus sit omnis ascensus, tamen ille cito vergit ac dejicit in profundum.

17. Sed fortasse dicas, quia more Pharisæorum imponam gravia onera super humeros hominum, et ipse digito meo nolim contingere ea (*Matth.* XXIII, 4). Ecce, frater, quia nobis [j] jurandi licentia prohibetur (*Matth.* V, 37), si quid infelicitati meæ credis, spondeo secundum [k] misericordiam Domini, hujus me laboris quem suadeo, velle esse participem: consortium vero tuum, cupidus salutis tuæ non solum ingero, sed etiam offero: ac si tu ad nos fortasse venire confunderis, manda; et ego ad ducendum te sine dilatione properabo. Horreat consortium

[a] Veram lectionem restituimus ope codicis Ambr. Simili utitur allegoria Philo Judæus in libro, *Quod det. pot. ins. soleat* pag. 141. Veteres editiones habent, *judicata*. Obiter observo vocem *peccaminum* placere Hispanis scriptoribus: sæpius a Prudentio usurpatur; eamdemque noster infra repetit num. 21. In libello Orationum Gothico Hispano pag. 24, Virgini Mariæ preces deferuntur, ut a Deo nobis obtineat *peccaminum* remissionem.

[b] Male Gryn. *pater quod*, etc. *Eodem loco* (ait sanctus Hieronymus Quæst. Hebr. in Gen.) *sepultus est Joseph, et mausoleum ejus ibi hodieque cernitur.*

[c] Ambr. ita legit: Vulgati libri *zaboliticam*. Vid. not. 2 Rosweidi in sancti Paulini epist. ad Severum, aliosque passim.

[d] Optimam Grynæi scripturam sequimur. Amb. non male, *putridæ*.

[e] Sanctus Ambrosius de Lapsu virginis consecratæ cap. 9, num. 40: *Petas ultro carcerem, obstringas catenis viscera, animam tuam gemitibus jejuniisque crucis; sanctorum petas auxilium; jaceas sub pedibus electorum.* Hæc pœnitentis officia fusius explicat Bachiarius.

[f] Corruptam Bign. lectionem retinemus. Ambros. *liniet*. Lege *comminuat, tenuat*, etc. — In codice Vaticano 3834 diserte scriptum est, LIMET, scilicet *atterat, comminuat*, uti legendum esse conjeceram.

[g] Ambr., *quod in te prævenire valeat inimicus.*

[h] Sententiam hanc verbis expressis apud Apostolum non reperi. Sed in altera ad Corinthios VI, 4, hæc leguntur: *Exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis*, etc. En omne genus mortis, laboriosa scilicet pœnitentia, qua lapsus sui criminis maculas eluere debebat.

[i] Vitio huic facile medemur, si pro *gula* reponamus *gladio*. Pœnitentia martyrii vices subeat.

[j] Plures veterum ita loquuntur. Sanctus Chromatius noster de octo Beatitudinibus: *Unde jurare nos prorsus non convenit. Quid enim unicuique nostrum jurare necesse est, cum nobis mentiri omnino non liceat?* Vide sis quæ sequuntur tom. XI, pag. 168, Bibl. PP. Paris. 1624.

[k] Ambr., *secundum nomen Domini*. Antiquus auctor Epistolæ ad monachum lapsum, quæ inter Basilianas est 44, num. 2, habet fere similia: *Ne cuncteris ad me venire. Ego enim receptum mortuum meum lugebo, ego curabo.... Excipient te omnes, omnes se tibi laborum socios adjungent.*

tuum, velut Ruth de agro Moabitico, hoc est [a] animæ de ebrietate et fornicatione venientis : qui sua tantum quærit, et misericordiæ nescius, de Israelitica sibi solum stirpe gloriatur. Ego vero licet Booz similis non sim (*Ruth.* IV, 1 *seqq.*), tamen animam tuam mihi cupio sociari; nec [b] arguat me quispiam esse præsumptionis, quia licitum est mihi semen de fratris defuncti vidua suscitare (*Deut.* XX, 7, 9), ne perdam calceamenta paschalia, et exhæres Christi passionis efficiar; ac pro verbo sponsi velut cæcus effectus, salivam [c] jejuni oris quæ in terram projicitur et conculcatur, ne accipiam, donec effuso semine ad viduam animam defuncti fratris, id est mortui per desperationem, introeam; sed quæsita multitudine seminis, aggregata de scripturis copiositate verborum, huic viduæ conjungar [d] ac proximem, ut auditis his, possit sine difficultate concipere, et salutis spiritum parturire. Memini enim apostolici verba præcepti, ubi dicit : *Quosdam quidem eripite de igne, dubios vero consolamini* (I *Thess.* V, 14); et alibi : *Qui revocaverit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam suam de morte* (*Jac.* V, 20). Non est minimum, si [e] extremam aut summam auriculam de leonis faucibus extrahamus (*Amos.* III, 12): tametsi beatissimum pontificem qui in iisdem locis cum sacerdotibus suis divino assistit altario, non aliud reor quam Davidicum opus imitari; ut quando de grege leo aut ursus ovem rapuerit, insurgat adversus eum, et præstrangulatis faucibus prædam ex gutture eripiat; aut velut pastor bonus vagantem revocet, alligetque attritam, errantemque convertat.

18. Tu tamen, frater, nequaquam scelerato acquiescas impudicoque conjugio : non [f] insultes ei, cujus iram sustentare non poteris. Quin immo et illa quam tibi fecit sceleris culpa consortem, revertatur ad virum suum. Numquid patriarcharum soror (*Gen.* XXXIV), postquam peccavit, [g] nupsisse perhibetur? Legislator præcepit (*Levit* XX, 10), ut qui uxorem alterius macularet, cum ipsa lapidaretur pariter; et ideo non permittit conjugium, sed sub nomine lapidum dura sententia emendat corrigitque

A peccatum. Aspice prophetam, qui dicit : *Et dixi, postquam meretricata es, ad me revertere* (*Jerem.* III, 1). Licet dominici templi vasa rex captaverit Assyrius (*Jerem.* XXVII, 16), tamen revertantur ad templum (I *Esdr.* I, 7-11), ne ea in perpetuum Babylon immunda possideat. Licet per flammam turpis concupiscentiæ incenderit templum Domini princeps cocorum, qui domino suo, id est, principi mundiali escas nostrorum parat peccatorum; tamen veniat Zorobabel, hoc est, spiritus sapientiæ, qui jam intellexit mulierum potentiam malis hominibus [h] principari, et totus in veritate confidit : veniat Esdras, bibliotheca Legis, et memoria lectionis : veniat [i] Naaman Syrus, virtus confidentiæ contemptorque formidinis; qui pro restructione patriæ principis potentiam non veretur; ac dispositis per singula B Hierusalem loca (II *Esdr.* IV, 16, 17), id est, membra corporis angelicis patriarcharumque virtutibus, ut collapsa [j] restruantur, et restructa custodiat, una manu serviat fabricæ, alia vero custodiæ; quia Adam positus est in paradiso operari (*Gen.* II, 15), et custodire. Reædificentur ergo per tropologias nominum claustra portarum. Restruatur in principiis *porta Probatica* (II *Esdr.* III, 1, *juxta* LXX), quam nos esse suspicamur auditum, per quem, utrum bona sint aut mala quæ extrinsecus ad nos introeunt, comprobamus; quia *fides ex auditu* est (*Rom.* X, 17). Faciamus, quod Apostolus dicit : *Si estis in fide, ipsi vos probate* (II *Cor.* XIII, 5). Restruatur *porta Piscatoria* (II *Esdr.* III, 3), id est, vi- C suum nostrorum vaga semper natura, ac per semitas maris, hoc est, vias mundi istius oculorum velox ac fugitivus aspectus; quia ipse visus pro sagena poterit æstimari : quidquid aspexerit, statim capit; et captum, ad cordis cellaria interiora transmittit. Restruatur *porta* [k] *in Anathoth*, quæ interpretatur *respondens signum* (*Ibid.*, 6): quod suspicamur esse frontis patibulum, ubi signum salutis nostræ et Dominicæ sanctitatis [l] accepimus : quod est aurea lamina, ubi pontifex nomen Domini scriptum mandatur accipere tetragrammaton. Vis scire, quia non incongrue portam in Anathoth, quæ inter-

[a] Hæc compares velim cum editis : menda expunximus ope codicis nostri.

[b] Legis verba, ad quæ alludit Bachiarius, lucem afferent huic loco, qui obscurior est, ac præterea corruptus. *Sin autem noluerit accipere uxorem fratris sui, quæ ei lege debetur,.... accedet mulier ad eum coram senioribus, et tollet calceamentum de pede ejus, spuetque in faciem illius, et dicet : Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui.*

[c] Ita editi. Ambrosianus vero, *salivam junioris*. Legendum videtur simpliciter, *salivam oris*.

[d] Edit., *conjungar proxime.*

[e] An, *extremum aut summum auriculæ?* LXX, λοβὸν ὠτίου. Vulgata consentit.

[f] Recte Ambrosianus. Gryn., *insulte*. Bign., *conjugio*, *cujus iram*, etc.

[g] Ambr., *nubisse*.

[h] Miror verbum hoc Joanni Launoio *Epistol.* parte IV, *epist.* 1, adeo displicere, ut cardinalem Cajetanum *ideo arguat*, *barbaræ et opicæ* locutionis. Nimius maledicendi pruritus transversum egit hominem alioqui versatum in scriptis ecclesiasticis. Antiquus Scripturæ interpres apud Lactantium lib. IV *Div. Inst.* D cap. 13; Vulgatæ auctor Marci X, 42; sanctus Augustinus lib. I, *de Nept. et Concup.* cap. 9, num. 10; sanctus Hieronymus in versione Homil. 4 et 8, in Jerem. præter Bachiarium : hi, inquam, omnes quos barbare aut opice loqui nemo dixerit, aliique plurimi idem verbum usurpant.

[i] Fœdum errorem vetustioris editionis non emendat codex Ambr. Editiones Bign. non habent hanc pericopen : *Ven. Na. Sy. vir. conf. cont. for.* Nemo non videt legi debere, *Nehemias.*

[j] Ambr., *collapsa restituantur.*

[k] Vulgatus Scripturæ interpres, II Esdr. III, 6, appellat *portam veterem.* LXX, Τὴν πύλην ἰασαναῖ, al. τοῦ ἀσανά. Nullam portæ in Anathoth mentionem reperio. Vitiatus itaque Versionis Italicæ liber Bachiarium fefellit.

[l] Amb., *accipimus.*

pretatur *respondens signum*, pro patibulo frontis accipimus? Jungit propheta huic portæ [a] *unguentariorum* loca (*Ibid.*, 8), quæ per tropologias nominum ab aliis virtutibus dicuntur esse restructa. Unguentariorum autem loca quæ sunt, nisi illa quæ chrismatis sanctificatione tanguntur? Sequitur post hæc [b] *porta Frugis* (*Ibid.*, 13), quam nos suspicamur esse oris ac saporis officium, per quam omnium seminum, hoc est, verborum Dei fructus egreditur. Restruatur et *porta Stercorea* (*Ibid.*, 14), quam nos suspicamur esse narium sive odoratus introitum, per quem nos turpis decepit illecebra, et æstimavimus lucra esse, quæ erant stercora (*Philipp.* III, 8). Restruatur et [c] *Fortis porta* (II *Esdr.* III, 15), quam credo manuum nostrarum sive tactus officium esse; quia non fortiter tenuimus quod tenebamus, et alter tulit coronam nostram (*Apoc.* III, 11). Restruantur et *muri Natatoriæ* (II *Esdr.* III, 15), id est, forma baptismi nostri, et mystici fontis disrupta munimenta, quæ sunt castitatis insignia; quia soluto per luxuriam continentiæ pariete, velut abruptis obicibus sacri laticis, fontis undam effudimus atque perdidimus. Cujus muri propterea dicuntur restrui, ut cognoscamus tantam esse misericordiam Domini, ut etiam interruptæ castitatis tempora possint restructa ad priorem similitudinem continentiæ virtute revocari. Sic et tu per vocabula nominum ac tropologias locorum, hæc quæ dicuntur restrui, officia intelligas esse membrorum.

19. Donec [d] ne opus Babylonis regis imiteris (*Dan.* V, 2 *seqq.*), ut in phialis templi dominici vinum perditionis potare debere te credas, et hoc coram diis tuis, Venere, Marte atque Mercurio, id est, fornicatione, vel avaritia, vel furore; quia scriptum est: [e] *Furor hominis incontinens est* (*Job.* XXXI, 11, *juxta* LXX), et alibi: *Avaritia, quod est idololotria* (*Ephes.* V, 5). Non enim potestis solam in pecunia avaritiam computare; quia vel maxime avaritia in libidine esse sentitur, cui numquam finis imponitur. Quia vero phialæ in templo Domini virgines nuncupentur, Propheta nos docet dicendo: *Triticum juvenibus, et vinum suave olens virginibus* (*Zach.* XI, 17, *sec. LXX*); ac si cui vini liquor infunditur, quid nisi phiala nuncupetur? Velim siquidem a peritioribus edoceri, ex qua Scripturarum auctoritate nubere corrupta suadetur; cum beatus David nec concubinas suas quas filius turpi coitu maculavit, postea nubere aut viros habere permiserit (II *Reg.* XX, 3). Nonne viduas eas, præstans illis substantiam, usque in finem servavit? Non vult David, hoc est, Dominus Christus, ut in conspectu ejus ab alio viro habeatur uxor ejus. Denique illam filiam Saul quam (II *Reg.* III, 13 *seqq.*) ad tempus in persecutione perdiderat, postmodum sibi poposcit reddi atque restitui; et licet fuisset etiam alteri copulata, tamen ei aufertur, et illi cujus prius erat, destinatur. Polluisti uxorem David: ne ulterius hoc præsumas; sed sicut ille fecit qui eam acceperat, flens ac lugens redde atque restitue.

20. Ac forsitan suggesserat tibi ille sapientior omnibus bestiis et consiliator antiquus (*Gen.* III, 1), quia possis istam pœnitentiam quam suademus tibi, in senectute tua agere, et nunc famem desiderii tui sub conjugii nomine satiare. Sed tu ne exstinguas evangelicam scintillam humore vitiorum, quæ de illo totius libri igne procedit, ubi ait: *Stulte, hac nocte exposcetur anima tua a te* (*Luc.* XII, 20). Si enim apud quos honesta conjugia sunt, diuturna esse non possunt; apud te, ubi cum crimine copulantur, qualiter permanebunt? Veniat ille qui dicit, crimen hoc emendandum nuptiis, et de [f] sceleris tanti nomine conjugium esse vocandum. Conjugium enim religiosi nominis vocabulum est (*Hebr.* XIII, 4), quoniam Deo auctore concessum est. Ecce honestis conjugiis clamat Apostolus: *Habentes, tamquam non habentes* (I *Cor.* VII, 29). Et quis dicit, [g] Adulter habeat, utatur, exerceat? Sed video ad quid se pro sui defensione convertat; scriptum est enim, inquit, [h] *Melius est nubere, quam uri* (*Ibid.*, 9). Hoc de virgine dictum est, vel vidua. Ista jam virgo non est. Tunc urebatur, et nupsit: nunc jam [i] refrigeretur, et vivat. Virgo non est, quia corrupta est: vidua non est, quia vir ejus vivit in æternum. Ut quid ergo ei nuptias suadetis? Vis scire quæ sit Apostolica sententia de hoc errore? Ait in Epistola sua: *Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes quidem; ita ut uxorem patris sui quis* [j] *habeat* (I *Cor.* V, 1). Ecce quiddam factum simile. Uxor patris erat hæc juvencula quæ deliquit, illius Patris qui nos *genuit in verbo veritatis* (*Jac.* I, 18). Tunc, credo, ei in conjugium copulata est, quando secundum exemplum Rebeccæ ad Isaac de Mesopotamia venientis, pallium quo ve-

[a] Haud procul a porta veteri ædes excitasse fertur Ananias quidam υἱὸς τοῦ ῥωκεῖμ seu ῥοκεῖμ. Idem in Vulgata dicitur *filius pigmentarii*.

[b] Τὴν πύλην τῆς φάραγγος. *Portam vallis* vocant Seniores interpretes. Ex Græco forte vocabulo efformatum fuit nomen *Frugis*, quod in Italica Versione aut in aliquo Commentario Bachiarius invenit.

[c] Corrupto hoc in loco Scripturæ codice utebatur Bachiarius. LXX vocant Τὴν πύλην τῆς πηγῆς; ac perinde in Vulgata nostra legimus *portam fontis*.

[d] Ita Ambros. Gryn., *Donec nec*. Bign. pessime, *Donec opus*. Lege, *Denique ne opus*.

[e] Mutilus refertur hic locus Jobi, nec satis emendatus. Græca Seniorum versio ita habet: Θυμὸς γὰρ ὀργῆς ἀκατάσχετος, τὸ μιᾶναι ἀνδρὸς γυναῖκα.

[f] Edit. Lugdun., *de scelere tanti nominis*. Conjugium *Deo auctore concessum esse*, iisdem verbis profitetur in libro *de Fide* num. 5.

[g] Ambros., *adulteram*.

[h] Ambrosius de Lapsu Virginis consecr., c. 5, n. 21: *Dicet aliquis: Melius est nubere, quam uri. Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velutam. Cæterum quæ se spopondit Christo et sanctum velamen accepit, jam nupsit, jam immortali juncta est viro. Et jam si volueris nubere communi lege conjugii, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Videsis Dissert.* 2, *cap.* 5, et auctorem libri *de Virginitate*, olim Basilio M. ascripti num. 39, ad calcem tom II Ben. edit.

[i] Ambr. sequimur; editi, *refrigeratur*.

[j] Ambr., *habuerit*.

laretur caput, accepit (*Gen.* xxiv, 65). De hoc facto Apostolus dicit : *Dedi hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat* (I *Cor.* v, 5).[a] Numquid dixit, Jussi, ut ei quam corruperat, nubat? Sed, *dedi eum Satanæ in interitum carnis.* Satanas enim interpretatur *contrarius;* per quod, credo, significat, ut quidquid contrarium deliciis, quidquid contrarium voluntati est, totum caro sentiat quæ deliquit, *ut spiritus salvus fiat in diem Domini nostri Jesu Christi.*

21. Sed et tu frater, quisquis tibi hoc suaserit, exsecrare. Aspice enim, quia numquam in sacrificiis pecora senio confecta jugulantur, sed ubique, aut agnus, aut vitulus, [b] aut hircus, aut hædus immolatur (*Exod.* xxix *et alibi*), id est, tenera adhuc parva, vel modica peccata. In uno tamen loco Eliam legimus bovem obtulisse, sed hoc semel tantum (III *Reg.* xviii, 33). Hoc uni licuit Salvatori, qui inveterata totius populi peccata jugulavit. Sed nec tu putes adhuc hædum tenerum tuum esse peccatum. Mihi crede, hircus est. Ecce per quot terrarum tractus fetoris tui, hoc est, famæ turpis opinio peragravit. Qualiter ergo quod ita fetet, non hircus esse dicitur? Propheta beatum dicit esse eum, qui tenet parvulos Babylonis, alliditque ad petram (*Psal.* cxxxvi, 9). Et tu exspectas, donec gigas tuus inimicus efficiatur? Sed si vis scire, jam gigas est. Mox enim ut cupierunt filii Dei filias hominum, nati sunt inde [c] gigantes (*Gen.* vi, 4) : quod enormis nimium et ultra staturam peccaminum reliquorum gigantis forma est. Ac si quis est fortasse, qui dicat, quia David eam quam adulteravit, etiam in conjugium suæ societatis adsciverit (II *Reg.* xi, 27); non est causa consimilis : hæc enim conjux regis, illa autem uxor militis fuit. Ille utpote homo terrenus, potuit factione subdolæ artis interfici : Rex autem iste cœlestis est, cujus uxor corrupta est atque violata. Nequaquam ei passio mortis approximat, qui non est temporalis, sed æternus. Et tamen David, non præsente Uria Hethæo, quamvis milite suo, quamquam homine terreno, præsumpsit sibi concubitum Bethsabee. Nonne, non solum ingerere ei, sed etiam extorquere conatus est (*Ibid.* 13), ut post cibum potumque quem subdola arte largius jusserat ministrari, domi suæ toroque cubitaret? Tu qualiter vivente viro ac præsente, simul et Rege, quod his majus est, immortali atque perpetuo, concubitum tibi adulteræ vindicabis? Sed fortasse A dicas : Agnita stupri causa, vir ejus eam dejecit ac repulit. Fallis te, fratrer, quia per Prophetam ipse proclamat : *Quis liber repudii matris vestræ, quo eum dimisi?* (*Isai.* l, 1.) Et alibi : *Numquid qui cadit, non resurget? aut avertens non convertatur? Quare non pœnitet populus meus a malitiis suis, et detenti in propositione sua maligna, noluerunt reverti ad me* (*Jerem.* viii, 4, 5)? Ecce propheta ex præcepto Domini meretricem duxit uxorem (*Ose.* i, 2 *seqq.*); et tu dicis animam ad perditionem a Deo esse projectam? Sed nec ego contradico huic conjugio, si potes talem fructum ex hoc matrimonio procreare, qualis processit de Bethsabee atque David, quem Dominus per prophetam [d] *Dirigiam*, hoc est, *in verbo Domini*, nuncupavit (II *Reg.* xii, 25), qui B inter homines dictus est Salomon, hoc est, *Pacificus*, et universi orbis, id est, totius hominis tenuit principatum. Talis filius nascitur ex pœnitentia : talem parturiunt gemitus et lamenta plangentium. Denique ipse beatus David, cum in adolescentia sua cum adultera deprehensus sit, in senectute cum virgine invenitur (III *Reg.* i, 1 *seqq.*); ut intelligamus, quia post peccatum longa castitas imitatrix est virginitatis. Sed et tu imitare Davidem, ut quam habuisti in corruptelæ vitio collegam, habeas in pœnitentiæ labore consortem : non ut conjuncti pœniteatis, sed ut separati ad alterutrum, unum opus agendo jungamini; quia fumantem adhuc de incendio titionem, cito vorax flamma comprehendit.

22. Ante omnia igitur, frater, nequaquam in te C desperatio inimica crescat, eo quod asserat ille infidelis, lapsum non posse reparari; cum Dominus dicat: *Quia omnia peccata, et blasphemiæ remittentur hominibus; qui autem peccaverit in Spiritum, non remittetur ei* (*Matth.* xii, 31). Ego autem dico, hoc ipsum desperare de Domino, in Spiritum esse peccare, quia *Dominus Spiritus est* (*Joan.* iv, 24), et ideo non remittitur ei, quia non crediderit Dominum reddere sibi posse quæ perdidit. Quid est enim, quod nobis obsistet de venia? Dominus noster omnipotens est. Numquid omnipotenti impossibile est delere peccatum? Dominus noster bonus est; quia *nemo bonus, nisi unus Deus* (*Luc.* xviii, 19). Numquid in [e] illa præcipua bonitate et perfecta potest hoc vitium cadere, ut non audiat deprecantem? D Age ergo, amice, consurge; et perdita inter fluctus sæculi mercede atque substantia, velut naufragus [f] ad unam tabulam (*Luc.* xv, 13), hoc est, ad

[a] His jungit Ambr. reliqua Paulinæ sententiæ verba, quæ leguntur in fine hujus sectionis, omissa penitus intermedia explicatione Bachiarii.

[b] Invito Bachiario suspicor irrepsisse, *aut hircus.* Quin et glossam redolent quæ statim sequuntur : *In uno tamen loco Eliam legimus bovem obtulisse.* Quibus expunctis ita legerem . . . *peccata. Sed hoc semel tantum hoc uni licuit Salvatori.*

[c] Bign., *nati sunt inter gigantes et petram.* Retinent hæc, ni fallor, veræ scripturæ vestigia : *Nati sunt in terra gigantes, et Rephaim.*

[d] Ita edit. In Ambr., *Dirigam.* Minus corrupte Eucherius in lib. III Reg. aliique, *Ididam.* Sed neque nomen hoc significat, *in verbo Domini*, sed *dilectum Domini.* Theodotionis versionem Bachiarius sequitur, quæ ita habet : τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰεδιδία ἐν ὀνόματι κυρίου, *Et vocavit nomen ejus Jedidia* (dilectum Domini) *in verbo Domini.* Vide Origenis Hexapla a Montfauconio collecta, tom. I, pag. 333.

[e] Legere ne dubites : *in illam præcipuam bonitatem, et perfectam*, etc. Hæc, ni fallor, exstant apud Lactantium, vel alium Bachiario antiquiorem.

[f] Edit. Bign., *Naufragus imam tabulam, hoc est, scientiam divini*, etc. Gryn., *naufragiis ad imam.* Nos, *unam* ad fidem Ambrosiani exemplaris restituimus.

scientiam te divini canonis tene, quæ te adducat ad A littus, ubi ait : *Si dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint : si justificationes meas profanaverint, et mandata mea non custodierint : visitabo in virga iniquitates eorum, et verberibus peccata eorum; misericordiam autem meam non dispergam ab eis, neque nocebo in veritate mea* (*Psal.* LXXXVIII, 31-34). De cujus hoc filiis dicitur? Nonne Domini nostri Jesu Christi, quos ecclesiastici fontis uterus et secreti ac perplexi vulva mysterii parturivit; quos natos Crucis cuna suscepit, Evangelii mamilla lactavit? Vis et scire quia baptizati, non cathecumeni, filii appellantur? Aspice, quod ipse Apostolis suis dixit : *Jam non dicam servos, sed filios* [Gr. φίλους] (*Joan.* XV, 15). Et tu ergo, si filium fuisse te nosti, hoc est, si apostolicum in te B aliquid habuisti, nec sic desperare permitteris. Si vero servi, hoc est, peccatoris usus es semper officio; major tibi detur ad consurgendum audacia : quia ejus qui de humili labitur, levior est ruina; et minoris iracundiæ pondere prægravatus is, qui semper in errore versatus, ad rectam aliquando se convertat vitam [*Al.* viam], quam his, qui post sanctos actus turpiter vixerit, et veterem pannum rudi assuerit vestimento (*Marc.* II, 21). Quid vero illud, quod dicit ad Ecclesias suas in Apocalypsi, quæ inter fidelium numerum septiformibus candelabris sub custodia angelica [a] comparantur? *Memento, unde cecideris, et age pœnitentiam, et priora opera tua fac : alioquin venio tibi cito, et amovebo candelabrum tuum* (*Apoc.* II, 5). Et in priore parte libri innumerum populum vidisse se dicit (*Apoc.* VII, 15), qui in tribulatione laverunt stolas suas, et candidas eas fecerunt in sanguine Agni; quos dicit quia Agnus Dei deducat ad vitæ fontes (*Ibid.*, 17). Quem tamen nos numerum pœnitentium esse sentimus, quia non nisi per tribulationem planctumque salvati sunt.

23. Et tu ergo lava stolam tuam in fonte lacrymarum : [b] fortasse poteris byssum castitatis imitari. Quid si donaverit tibi purpuram, et tu pro nomine ejus succum tui cruoris effundas? Coccum autem abundare tibi poterit, si erubueris in iis quæ antea gessisti. Nec deerit tibi hyacinthus, si livore [c] obcalueris corpus tuum, et in servitutem redegeris (I *Cor.* IX, 27). Ac sic cum his coloribus fortasse poteris in tabernaculum Domini misceri quandoque. Hoc, dilectissime frater, tui amore et dolore compulsus, etiam supra vires meas possibilitatemque tentavi. Tu habebis in die judicii duplicem pœnam, si velut aspides surdæ, incantationis nostræ verba respueris (*Psal.* LVII, 5); aut [d] spernendum credideris, aut rogantis verbum, aut monentis consilium, aut dolentis affectum. Jesus Christus Filius Dei sublata tibi per invidiam diaboli, in duplum tua bona restituat; sicque reconcilieris Domino, ut etiam pro nobis qui amici tui sumus, intervenire merearis in Domino nostro Jesu Christo. Amen.

[a] Ambr., *ornabatur.*
[b] Locum depravatum, luxatumque in veteribus editionibus sanitati reddimus auctoritate codicis Ambrosiani. Mysticam quod attinet colorum explicationem, parum noster recedit ab Origene, qui C *Hom.* 11 in Exod. num. 3 hæc habet: *Bysso* (conferri potest) *virginitas : cocco, confessionis gloria; purpuræ, charitatis fulgor; hyacintho, spes regni cœlorum.*
[c] Ambr., *obvolveris.*
[d] Lege, *et.*

ANNO DOMINI CCCCXX.

ZACCHÆUS CHRISTIANUS
ET
EVAGRIUS MONACHUS.

(Biblioth. Vet. Patr. Galland. tom. IX.)

PROLEGOMENA [a].

1. Vetustissimos esse Dialogorum libros qui ZACCHÆI nomen præferunt, ex antiquitate mss. codicum, immo ex ipsa librorum lectione constat. Certam porro auctoris ætatem præfigere operosum adeo ac difficile nobis visum est, ut post accuratam D diligentemque discussionem, post consultos a nobis viros doctissimos, nihil exploratum hactenus occurrerit. Enimvero tam studiose et quasi composito nomen suum dissimulasse videtur auctor iste, ut fictitia tantum nomina ZACCHÆI et APOLLONII affixe-

[a] Disquisitionis hujus auctor Acherius ex tom. I *Spicilegii*, ad pag. 1.

rit Dialogis suis : et profiteatur licet se ex superiorum Patrum monumentis suam hausisse doctrinam, unius tamen nec nomen apponit, nec scripti genus indicat. Proinde nonnullas dumtaxat conjecturas hic tibi, lector erudite, exhibere cogimur.

2. Professio Zacchæi nostri non perinde obscura ac ejus ætas : nam cum teste Cassiano (*a*), monastici ritus non nisi ab expertis tradi queant; ex his quæ scribit toto fere libro tertio colligitur, eum in monastice meruisse : quod et ipse alicubi significavit. Hinc ætas illius forsitan definiri possit. Cum etenim sexto circiter sæculo regulam sancti patris Benedicti omnes prope monachi in occidente sint amplexati, si noster Zacchæus ad hæc usque tempora superstes fuisset, eadem lege qua ex sanctis Patribus fidei dogmata, ex sancti Benedicti regula monasticum institutionem fuisset mutuatus : quod tamen eum non præstitisse, facta collatione liquido comperimus. Sed neque eum ante sæculi quinti initium huic operi manum admovisse, non obscura suadent argumenta. Ante illud ævi non prostabant in Europa ubi ille tum temporis versabatur, illustria numerosaque Patrum volumina ad quæ suum Apollonium missitaret velut ad fontes, e quibus totam hanc catechesim hausisset : neque ante illud tempus ea de quibus agit libro secundo contra Arianos, Photinianos aliosque hujusmodi tenebriones, erant ita diserte a patribus Latinis explicata, ut sine tædio refricari non possent : quod ipse habet (*b*). Quæ sic constituta inducunt animum, ut quinto sæculo Dialogi natalem ascribamus.

3. Id suadet etiam quod Zacchæus ipse hæreticos solum Manichæos, Marcionitas, Photinianos, Sabellianos, Patripassianos, Arianos ac Novatianos, qui sua tempestate amplius fremebant vigebantque, perstringat. At de Pelagii ejusque sectatorum hæresi, quæ procedente sæculo quinto maximam orbis partem infecit, ne verbum quidem; cum pluribus in locis, libri potissimum II, cap. 11, sese dabat occasio. Observandum hic interim, auctorem nostrum hallucinatum vel amanuensium inscitia subreptum fuisse in descriptione Sabellianæ hæresis, quippe, quæ Macedonii est, ascribit Sabellio. Accedit, quod omnia signa quibus Antichristi adventum instare auguratur (*c*), cum hisce nostris conjecturis quadrant ex amussi. Illud enim ipsum tempus est, quo ingentia barborarum examina in Africam atque Europam effusa, Galliam, Hispaniam, Italiam ac ipsam imperii arcem Romam devastarunt; dum interim in oriente regia Constantinopolis ac pleræque civitates Palæstinæ horrendo terræ motu quaterentur; fame denique ac peste homines afflictarentur. Vide sis Orosium (*d*), Zosimum (*e*), Sozomenum (*f*), sanctum Hieronymum (*g*), Lucam Tudensem in Chronico et Marcellinum comitem (*h*). Favent insuper quæ de institutis cœnobitarum in urbibus degentium, deque sacra hymnodia fuse narrat (*i*). Quippe ante annum 400 pauca admodum, immo forte nulla cœnobia in Europæis urbibus visebantur. Quod vero ad cantum attinet, illum in ecclesiam a beato Ambrosio quinto sæculo appetente invectum non obscure scribit Augustinus (*j*). Postremo stylus plerumque turgens ac lacertosus, sententiæ sæculi hujusce scriptoribus familiares non semel usurpatæ; mathematicorum ac hæreseon in quas tunc patres stylum stringebant, perspicua confutatio; supplicationum quibus pluviæ arcerentur non prætermittenda commemoratio, aliaque hujuscemodi complura, conjecturas nostras satis superque confirmare videntur. Hactenus itaque conjecturas, non nostras tantummodo, sed et virorum clarissimorum indigitavimus, nempe : Sebastiani Le Nain D. de Tillemont, Caroli du Fresne D. du Cange, Joannis Baptistæ le Cottelier, RR. PP. Joannis Garnier S. J. ac Paschasii Quesnel Congregationis Oratorii Domini Jesu presbytorum, et nostri præsertim Francisci Delfau.

4. Erit forsan et emunctioris naris criticus, qui non nihil momenti ad hæc argumenta accedere putet ex his quæ scribit auctor (*k*), ætate sua scilicet dominicæ mortis indicia felicis sepulcri exuvias continuisse : quibus exuviis credat significari sindonem illam qua sacrum Christi corpus obvolutum est; quam ineunte quinto sæculo Eudocia Constantinopolim asportaverat, quamque teste Gualterio (penes quem hujus rei fides sit) anno 439 Theodosius II Vesuntionem summa solemnitate transmisit. Erit præterea qui conjecturam capiat temporis quo vivebat auctor noster, ex eo quod alicubi (*l*), non quidem cultum omnem, sed *incautum*, ut ait, *obsequium* imaginibus imperatorum a populo exhibitum reprehendit. Quippe desinente sæculo quarto vigebat ritus ille, ut pictæ aut fictæ augustorum imagines solemni pompa circumferrentur, ac publicis vulgi acclamationibus exciperentur. Verum non raro cultus ille in superstionem cedebat ex impotentia vulgi, qui affectibus suis, sicubi adulatio aut lætitiæ publicæ ostentatio movet, moderari nequit. Hoc etiam locus nonnumquam faciebat. Si quidem non tantum in profanis, sed in sacris quoque locis exponebantur imagines illæ, sicut Eudociæ statuta Constantinopoli prope basilicam erecta, quæ Joanni Chrysostomo justi zeli simul et invidiæ causa fuit. Quo respexisse videtur Zacchæus, cum infit, sacerdotes ejusmodi consuetudinem incautioris obsequii prohibere. Ut enim patres censuere colendas esse imperatorum imagines, ita semper immoderatum

(*a*) Cassian. præfat. ad Instit.
(*b*) Zacch. Consult. lib. II, cap. 1.
(*c*) Id. ibid. lib. VIII, cap. 8.
(*d*) Oros. lib. VII, cap. 40, sub. fin., et cap. 42.
(*e*) Zosim. lib. VI.
(*f*) Sozom. lib. IX, cap. 8.
(*g*) Hieron. epist. 16.
(*h*) Marcell. Chron. pag. 27.
(*i*) Zachh. l. c. lib. III, 6.
(*j*) Aug. Confess. lib. IX, cap. 7.
(*k*) Zacch. l. c. lib. I, cap. 21.
(*l*) Id. l. c. lib. I, cap. 28.

improbavere cultum qui ad religionem, immo ad superstitionem, accedere videbatur. Quin etiam imperatores quibus pietas cordi erat, non tulere effusam libidinem in colendis iconibus suis. Præclara est eam in rem lex Theodosii imperatoris, quam huc ascribam ad id loci illustrandum (*a*) : *Si quando nostræ statuæ vel imagines eriguntur, seu diebus, ut adsolet, festis, sive communibus, adsit judex sine adorationis ambitioso fastigio, ut ornamentum diei vel loco et nostræ recordationi sui probet accessisse præsentiam. Ludis quoque simulacra proposita tantum in animis concurrentum mentisque secretis nostrum numen et laudes vigere demonstrent : excedens cultura hominum dignitatem superno Numini reservetur*. Eodem spiritu animatus Honorius, paternæ pietatis imitator, arguit Arcadium fratrem, quod non solum B Constantinopoli Eudociæ augustæ colenda populo statua exponeretur, sed et per provincias velut fabulosæ Cybeles simulacrum circumferretur. Cæterum frustra quis hunc Zacchæi locum detorqueret in venerationem sanctarum imaginum : quandoquidem Ecclesia, quæ pium earum cultum prædicat, rejicit immodicum ac superstitiosum, uti Zacchæus, imperatorum.

5. « At enim conjecturis nostris obstare videtur, quod Zacchæus nihil de Apollinaristis, Donatistis, Priscillianistis Pelagianisve scribat. Sed hanc objectionem ipse prævertit, contestatus se non omnes istiusmodi pestes suscepisse recensendas : tametsi dici posset sæculo ineunte quinto Pelagii ac Nestorii dogmata non statim sic exserte proscripta, ut jam C tum exstarent illustria volumina e quibus more suo catholicam erueret doctrinam. Quod iterum singularem hominis modestiam arguit, et assertas de illius ætate conjecturas confirmat. Cæterum fortissimus ille religionis athleta non modo priorum temporum, sed etiam ævi nostri hæreticos compressit, eosque suis coloribus ad vivum expressisse visus est (*b*). Illi namque ipsi, ait, qui *traditionem apostolicam relinquentes, magistros perfidiæ secuti sunt, nomen religionis mutavere cum sensu*. Idem auctor Petrum non solum Ecclesiæ fundamentum esse dicit (*c*); verum etiam in ejus personam potestatem omnium convenire sacerdotum, contra quam sentiunt novatores, affirmat. Rursus potestatem absolvendi a peccatis D sacerdotibus a Christo factam, adversus Novatianos eleganter fortiterque vindicat (*d*). Apollonius jam Christianæ militiæ ascriptus, Ecclesiæ sacrificium et realem Christi in Eucharistia præsentiam confitetur (*e*). Pro obsoletis pecudum atque alitum victi- A mis, cœleste fidelium munus pura oblatione celebrari commemorat (*f*). Liberum arbitrium sartum atque integrum passim propugnat. Sacrarum reliquiarum virtuti illustre testimonium reddit (*g*), dum ea quæ sanctos fecisse legimus vivos, etiam *ante defunctorum cineres* fieri testis oculatus affirmat. Monasticen quam Lutherus ut inventum diaboli exagitat, ut Dei Opt. Max. opus singulare commendat (*h*). Denique Spiritum sanctum a Patre ac Filio esse tradit (*i*), quod me judice idem est, atque a Patre Filioque procedere.

6. « Quamquam, uti nihil ab omni parte beatum, non desunt in hoc auctore aliquot nævi, queis, ut ei auctoritas undequaque constet, benignas, ut par est, interpretationes adhibebit lector eruditus qui eum volet excusatum. Nos interim cautiones opponimus nonnullas, ne simpliciores alicubi temere offendant. In primis videtur non nihil Pelagianæ fuliginis (quæ erat illius sæculi labes) contraxisse, quo forsitan effectum est, ut a Pelagianis Nestorianisque qui ex his originem duxere, perstringendis abstinuerit. Incarnationis *causa est*, inquit (*j*), *vel servandi humani generis vel reparandi*. Et statim hanc reparationem in lege atque exemplo constituere videtur. Præmaturas infantum mortes in elementorum inæqualitatem aut in parentum scelera, non in originalem noxam refundit (*k*), quo Deum injustum non esse demonstret; subditque cum eis benignius agi, ne ex improbis geniti, similes quandoque efficiantur auctoribus : ubi peccatum originale in pravo parentum exemplo fere statuit. Nusquam vero gratiæ Salvatoris meminit, quem ut meritorum dumtaxat arbitrum habet (*l*). Denique totam legis necessitatem in voluntate nostra sitam esse opinatur (*m*). Hanc porro labem absterget catholicus lector eadem spongia, qua sanctus Augustinus eam a Patribus Græcis amovit : quod videlicet nondum hujusmodi dogmata ab Ecclesia exserte explicata essent : tametsi nihil est hac excusatione opus, cum ipse et peccatum originale et gratiæ Christi necessitatem, quantum satis erat ante pleniorem definitionem, insinuarit. *Hæc fuit*, inquit (*n*), *assumendi hominem præcipua ratio vel voluntas, ut peccatum ab homine contractum, per hominem tolleretur*. Et alibi (*o*): *Nullum sine lavacro aquæ spiritalis posse salvari*. Rursus (*p*) : *Generali exemptus ruina, in spem quam amiseras repararis*. Item gratiæ Redemptoris eleganter adstipulatur (*q*). Deinde (*r*): *Ille tantum*, ait, *efficiendi substantiam præstet, qui magna cupere se donante permisit*. Denique (*s*): *Con-*

(*a*) Cod. Theodos. lex unica de imagin. imperial.
(*b*) Zacch. lib. II, cap. 11.
(*c*) Id. ibid. cap. 18.
(*d*) Id. ibid.
(*e*) Id. præfat. ad lib. II.
(*f*) Id. lib. II, cap. 7.
(*g*) Id. lib. I, cap. 21.
(*h*) Id. lib. III, capp. 3, 4, 6.
(*i*) Id. lib. II, capp. 2 et 3.
(*j*) Id. lib. I, capp. 8, 15, 17, 21.
(*k*) Id. lib. I, cap. 36.
(*l*) Id. lib. I, cap. 33.
(*m*) Id. lib. I, cap. 36.
(*n*) Id. lib. I, cap. 14.
(*o*) Id. lib. II, cap. 8.
(*p*) Id. lib. II, cap. 16.
(*q*) Id. ibid. capp. 5 et 8.
(*r*) Id. lib. III, cap. 10.
(*s*) Id. lib. II, cap. 20.

ferre non abnuat, quæ præstitit velle. Ad hæc ait (*a*) justificari per fidem, eo nempe sensu quo beatus Paulus id scripsit de fide quæ per charitatem operatur : *alioquin etsi habuero omnem fidem, nihil mihi prodest.* Præterea dum ista docet (*b*), *sufficiat canonicis inhærere scripturis*, non exauctorat traditiones quas inibi astruit, easque ab heterodoxis prætermissas conqueritur. Alibi (*c*) Angelis pœnitentiæ tempus indultum existimat, forsan non e Scholæ sensu : nisi per tempus illud intelligatur spatium, quod peccatum inter et pœnam intercessit.

7. « Cujas fuerit Zacchæus, inquiris forsitan lector? Næ nobis quid asseramus, ut ingenue fateamur, haud venit in mentem. Quidam rerum antiquarum exploratores curiosi eum vel Gallum vel Italum autumant. Si tamen conjecturæ indulgere liceat, Africanum dicam Zacchæum ob styli affinitatem cum Africæ scriptoribus, qui illo ævo vel paulo ante scriptitabant.

« Superest nunc, ut a me noveris, lector, qua ex bibliotheca suppeditati sint codices mss. unde Zacchæi opus exscribendum curavimus. Cum vv. cc. Carolus du Fresne D. du Cange et Joannes Baptista le Cottelier, uterque eruditissimus, lustrarent inviserentque mss. codices celebris bibliothecæ Thuaneæ, occurrere bini mss. Zacchæi Christiani et Apollonii philosophi Dialogorum libri tres : volvunt illos et revolvunt, ac tandem discussos utcumque, judicant luce dignos. Expetunt pro me nesciente binos mss. a doctissimo bibliothecario Josepho Quesnel; qui cum mihi sit amicitia conjunctissimus et compertæ humanitatis in omnes, benigne utrumque commodavit. Ad me statim detulerunt viri amicissimi, obtuleruntque thesaurum huc usque absconditum atque invisum, quem volupe admodum suscepi ac pollicitus sum in lucem proferre.

8. « Verum enimvero dum illos codices legere atque examinare sum aggressus, hæsi in ipso principio : nempe deerat titulus in posteriori, præ se tamen octingentos annos præferente : prima pagina prope oblitterata erat; verba totius operis identidem inversa, ac syllabæ inconcinne divulsæ et compositæ. In altero autem codice manu paulo antiquiore exarato titulus exstabat quidem, sed characteres visum passim fugiebant, velut et in toto volumine, utpote pluvia et carie labefactato ac putrefacto : deinde non solum est labefactatus iste codex, sed tam oscitanter et imperite exaratus ab inscio quodam, ut subinde textus ordo pervertatur : puta in libro primo; atque ut in uno eodemque capite promiscue ex libro II multa invexit, ita et in libro II et in III pariter contextus seriem perturbavit, ac sensum immutavit. Cum autem anxius hærerem, et nulla in tanto labyrintho sese offerret via qua ex eo emergere valerem; v. c. Dn. Faure do- A ctor Sorbonicus, rerum antiquarum peritissimus, se in bibliotheca sancti Arnulfi Metensis patrum congregationis sanctorum Vitoni et Hidulphi deprehendisse Zacchæi Dialogos mihi significavit. Ea de re actutum scripsi ad R. P. domnum Petrum Descrochets ejusdem congregationis pereruditum presbyterum ac subpriorem Sancti Arnulfi. Ipse, ut est singulari comitate præditus, nulla interposita mora benevole codicem eleganter ab anno circa sexcentesimo conscriptum transmisit. At, mirum! codex ille easdem inversiones sive repetitiones ac antiquior Thuaneus continet. Adjumento nihilominus, fateor, mihi fuit permaximo : siquidem ex eo pluribus in locis nodos qui remanserant, resolvi, nævos extersi. Atque ut dicam quod sentio, par est B credere Arnulfinum codicem ex præfato Thuaneæ bibliothecæ antiquiori transcriptum, jurisque olim fuisse abbatiæ sancti Arnulfi Metensis. Suppetias nonnulli ex nostris tulere, non diffitemur, ad conferendum ingenti labore apographum quo in hac usi sumus editione, cum codicibus mss. atque ad elucidandas tenebras quæ sæpiuscule animum obvolvebant : e nostris etiam D. Gabriel Gerberon et D. Joannes Mabillon præsto fuere. »

9. * « Hactenus Acherius, cujus labori haud parum esset detractum, si *Altercationem Theophili Christiani et Simonis Judæi*, quam R. P. Dn. Edmundus Martene tomo V Anecdotorum edidit, videre potuisset. Cum enim illius *Altercationis* auctor sit Evagrius qui circa annum 420 scribebat, ut discimus e Gennadio (*d*) et e Marcellino comite ad annum 423, C quin idem has *Consultationes* scripserit dubitari vix posse, non immerito arbitratus est vir quem supra nominavi doctissimus.

« Alia sunt quæ lectorem moneri operæ pretium ducimus. Nam quod ait Acherius, felicis sepulcri exuvias forte intelligi Sindonem illam qua sacrum Christi corpus involutum est, omnino est, ut mihi quidem videtur, improbabile. Satis enim constat, Sindonem illam non ab Eudocia, Arcadii uxore, ineunte sæculo V, sed a Theodosii junioris conjuge Ælia Eudoxia, non ante annum 440 Constantinopolim esse asportatam. Hanc scilicet Hierosolymam urbem adiisse omnes sciunt : illam vero in Palæstina versatam esse qui scripserit, neminem novi. Porro D hæ *Consultationes* prius scriptæ erant, quam Eudoxiam duxisset Theodosius junior.

« Quod ab eodem additum est de processione Spiritus a Patre et Filio, minus etiam est accuratum: nam in iis locis quæ indicat, hoc est, capp. 2 et 3 libri II, ne una quidem vocula est, quæ ad eam quæstionem referri ullatenus possit. Quod si de cap. 19 cogitavit, in quo antea legebatur, *Est et Spiritus sanctus a Patre simul ac Filio;* id primum lectorem scire volumus, expunctam a nobis vocem

(*a*) Zacch. capp. 8 et 18.
(*b*) Id. ibid. cap. 19.
(*c*) Id. lib. I, cap. 33
(*d*) *Gennad.* de Vir. illustr. cap. 50.

* Quæ sequuntur, addidit Disquisitioni Acherianæ v. c. *Ludovicus Franciscus Joseph de la Barre*, qui novam *Spicilegii* editionem adornavit.

simul, et in ejus locum ex fide optimi codicis restitutam vocem *similiter*, quæ sententiam omnino mutet, ut in notis videre est : deinde quantumvis servetur vocula *simul*, non liquere Zacchæum sive Evagrium de processione Spiritus sancti idem sensisse, quod nunc omnes Latini : nam fuisse olim qui Spiritum sanctum esse et Patris et Filii, immo esse et a Patre et a Filio faterentur, nec tamen vellent scribi eumdem a Patre et Filio procedere, constat vel ex Anselmi Havelb. Dialogorum lib. II, cap. 17.

« Superest ut moneamus Acherio, cum has Consultationes ederet, nondum factam fuisse copiam ms. codicis sancti Martialis Lemovicensis, ante annum 1010 jussu Ademari Cabanensis exarati, e quo deinde varias lectiones excerptas edidit ad calcem tomi XIII Spicilegii. Eas non mediocri nobis adjumento fuisse ad emendandum contextum libenter agnoscimus; sed ita, ut multo plures e codice monasterii Vindocinensis excerptæ sint a Dn. Martene, qui eas edi curavit ad calcem tomi V Anecdotorum. » Hactenus Dn. de la Barre.

10. Jam vero ne prorsus ἀσύμβολοι huc accessisse videamur, paucula nonnulla conferre libet. Et primum quidem, ad auctoris ætatem quod attinet, excutienda occurrit Fabricii opinio (*a*), qui aliter ac cæteri ea de re sentiendum censuit. Nimirum ejusmodi Zacchæi verbis in medium adductis (*b*), *Regnis insuper regna confligunt, et insuspicabiles sceptris justarum sedium Augustos depellunt;* ipsum hæc scribentem non obscure tangere putat, quæ ab Odoacro Herulorum rege gesta sunt anno Christi 470. Eadem alibi repetit (*c*). Signasset ille saltem anno 476. Verum hoc misso, non est demum cur ad illius barbarorum ducis tempora confugiamus, quo auctoris verbis veritas constet. Quidni enim respexerit personatus Zacchæus ad Radagaisi atque in primis Alarici crebras in Italiam irruptiones, quæ ineunte sæculo V acciderunt? Tunc enim Occidentale imperium misere divexatum, ipsamque Urbem captam ac diremptam fuisse novimus. Quæ quidem vulgo satis comperta, tabulis non indigent quibus comprobentur.

11. Illud præterea ingerimus, Zacchæi Consultationum libris tribus addidisse nos aliud opusculum, quod eidem scriptori jure tributum agnoscunt cum cæteris superius relatis Wollius (*d*) atque Fabricius (*e*). Inscribitur autem : *Altercatio inter Theophilum Christianum et Simonem Judæum*. Illud vero edidere Martenius et Durandus vv. cll. (*f*), qui de eo erudite sic edisserunt : « Hoc opus sua antiquitate merito venerandum nobis suppeditavit vetus codex ms. monasterii Vindocinensis, in quo tribus Altercationum seu *Consultationum Zacchæi Christiani et Apollonii philosophi* libris immediate subjicitur tamquam quartus Altercationum liber; adeo ut ejusdem auctoris fetus esse videatur : qui postquam sub nomine *Zacchæi Christiani* tribus libris confutavit philosophos, singulari opere aggressus est Judæos sub nomine *Theophili*. Et sane id persuadere possunt tres præsertim conjecturæ. Primo enim idem in utroque opere titulus : quippe Consultationum Zacchæi Christiani et Appollonii philosophi libri tres, in codice Lemovicensi sancti Martialis et in Vindocinensi *Altercationis* titulo donantur. Et quidem in Lemovicensi hoc modo : *Altercatio Apollonii philosophi cum Zacchæo Christiano*. In Vindocinensi vero ita : *Incipiunt capitula libri Altercationum primi*. Immo in aliis etiam codicibus quibus usus est noster Acherius, cum eos Spicilegii tom. X in lucem emisit : nam in libri primi calce hæc leguntur : *Finit liber altercationis Zacchæi Christiani et Apollonii philosophi*. Et in fine libri tertii : *Explicit Zacchæi et Apollonii Altercatio*.

Secundo eadem in utroque etiam opere scribendi ratio; nimirum ad modum dialogi seu disputationis, in qua gentilis vel Judæus objectiones et difficultates suas proponit; quas ita explicat ac solvit Christianus, ut tandem persuadeat et vincat.

Tertio stylus pariter ubique idem, nimirum turgens et lacertosus, ut utrasque Altercationes conferenti manifestum esse poterit. Porro cum Consultationum Zacchæi Christiani libros sæculo V saltem ineunte scriptos fuisse optime probet Acherius in præfatione ad Spicilegii tomum X, quodnam sit de tempore *Altercationis Theophili Christiani et Simonis Judæi* ferendum judicium, facile advertent eruditi lectores. Certe antiquissimam esse demonstrat vel ipsa Scripturæ versio qua auctor usus est, primis Ecclesiæ scriptoribus familiaris. Hinc conjicies, quanto ab omnibus habenda sit in pretio.

Hæc ubi scripseram, deprehendi apud Gennadium, auctorem hujusce *Altercationis* esse EVAGRIUM qui circa annum 400 floruit. Sic enim ille (*g*) : « *Evagrius alter scripsit Altercationem Simonis Judæi et Theophili Christiani, quæ omnibus nota est*. Cui succinit Marcellinus comes his verbis (*h*) : *Evagrius scripsit Altercationem Judæi Simonis et Theophili Christiani, quæ pene omnibus nota est*. Quem quidem Evagrium utriusque Altercationis auctorem fuisse mecum conjecerat etiam vir clarissimus Sebastianus de Tillemont. Cæterum quam hic damus, Altercatio visebatur olim in Centulensi monasterio, ut constat ex recensione librorum ejusdem cœnobii tempore Ludovici Pii, quam refert Hariulfus in

(*a*) Fabric. Delect. argument., etc., cap. 5, pag. 255.
(*b*) Zacch. Consult. lib. III, cap. 8.
(*c*) Fabric. Bibl. med. Latin. tom. II, pag. 350, edit. Hamb.
(*d*) Wolf. Bibl. Hebr. vol. III, pag. 1141, num. MMCLXXIII.
(*e*) Fabric. II. modo citt.
(*f*) Marten. Thes. nov. Anecdot. tom. V, pagg. 3-18.
(*g*) Gennad. lib. de Vir. illustr. cap. 50.
(*h*) Marcell. com. in Chron. ad ann. [illegible].

chronico Centulensi, Spicilegii tomo IV. » Hactenus vir eruditus.

12. Verum antequam hinc recedamus, illud quoque animadvertere libet, quod quidem apud Zacagnium inter notas ad Archelai disputationem cum Manete observasse nobis succurrit. Locum scilicet explanans v. c. in quo episcopus ille Carcharensis tradit (*a*) *imaginariam* legem Moysen tradidisse, hæc inter alia scribit (*b*) : « Utitur et hac voce Evagrii monachi vetus interpres in disputatione Theophili episcopi Alexandrini cum Simone Judæo cap. 13, ubi sabbata *imaginariam* requiem vocat septimæ illius diei, in qua Deum mundi creatione absoluta requievisse pagina sacra testatur. » Evagrii locum quem respicit Zacagnius, prout exstat in nostro edito, sic se habet (*c*) : *Edocta mala sabbata*, inquit, *scilicet* IMAGINARIA *requies septimi diei tradita fuit*, etc. His positis, aliud enimvero agebat vir eruditus, dum illa scriberet quæ modo ex eo retulimus. Multa enim in illa annotatione peccasse deprehenditur. Et primum quidem Evagrium nostrum confundit cum Evagrio notissimo illo Pontico, cujus scripta omnia quæ superant, alibi edidimus (*d*): quem tamen errorem facili negotio vitasset, si Gennadium adiisset qui utrumque probe distinguit (*e*). Deinde veterem nostri scriptoris interpretem effingit, perinde ac si Græce ille scripsisset, qui Latinus fuisse agnoscitur. Denique, quod rei caput est, disputationis cum Simone Judæo auctorem statuit Theophilum episcopum Alexandrinum ; adeo ut censuisse videatur cum Judæo episcopum illum disputasse, cujus disputationem Evagrium suum deinceps litteris Græcis consignarit : cum contra noster Evagrius Altercationem illam inter THEOPHILUM CHRISTIANUM et Simonem Judæum habitam fuisse confinxerit. At de his satis.

(*a*) Archel. Disput. cap. 31, in nostræ Bibl. PP. tom. III, pag. 588.
(*b*) Zacagn., ibid., not. 4.
(*c*) Evagr. Alterc., infra.
(*d*) Bibl. PP. tom. VII, pagg. 533 seqq.
(*e*) Gennad. lib. de Vir. illustr. capp. 11 et 50.

---

[a] CONSULTATIONUM

ZACCHÆI CHRISTIANI

ET

APOLLONII PHILOSOPHI

LIBRI TRES.

LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO.

Apud quosdam contradictio gentilium, quia sit ab omni vera sapientia [b] exclusa, exsul et vacua, spernenda potius videtur esse quam refellenda ; cum in contemptu ejus fastidium inutile ; in informatione autem duplex bonum sit, quod et religio nostra [c] sicut est sancta et simplex, omnibus intimatur : et solent edocti credere quod spreverint nescientes. Visum est ergo rem magnam licet tenui stylo condere, et clarius quidem a multis, sed sparsim dicta in corpore quodam credulitatis aperire ; atque introducta sciscitantis respondentisque persona paulatim consultationes de contradictionibus facere. Itaque ne sibi velut absenti præjudicatum gentilitas quereretur, et, ut ille ait : ne, *inquam* et *inquit*, sæpius interponeretur, placuit gentilitatis adhibere Philosophum, qui in præfatione propositionis suæ dum de credulitate nostra arrogantius disputat, breviter quid credere debeamus exponit : membratim postea perscrutans omnia, subcrescentibus interrogationum causis fatum homini non esse cognoscet : de quo præcipue ob mathesim aliquantisper resultans, sicut de cæteris, ad extremum fidei manus dabit. Noster vero in expositionem venerandæ religionis sensim leniterque descendens, ex multis atque inenarrabilibus pauca et summa perstringet, rationem quæ sola ab hujusmodi disputatoribus quæritur, sicubi terrenis intellectibus deest, fidei spiritualiter commissam de-

[a] In ms. codice S. Martialis Lemovic. sic legitur : *Altercatio Apollonii philosophi cum Zacchæo christiano.* Sed veram esse inscriptionem quam edidimus, vel inde liquet, quod auctor ipse in præfat. *Consultationum voce* utitur : *Paulatim consultationes de contradictionibus facere.*

[b] Hanc vocem quæ in aliis mss. deerat, restituimus e codice Lemov.

[c] Ita in cod. Vindoc. ; nam in editis legebatur, *sancta*, nullo sensu. Infra, *edocti* ex eodem cod. e Lemov. reposuimus, ubi editum erat *eo docti*.

monstrans, rerum indiciis non soliditatibus moraturus, quoniam admotum cæcis oculis lumen si splendore non cernitur, calore sentitur. A

CAPUT I.

Si Christus Deus et homo esse possit.

APOLLONIUS. — In tempore, [a] Zacchæe, te mihi et his qui adsunt, opportunitas præstitit, ut quæ olim abusive præloquebamur, nunc libere proferre liceat et probare. Omnes enim religionum sectas, et universos sacrorum ritus rationabilibus manasse primordiis facile intelligas, si diligenter inquiras : vestræ autem credulitatis secta ita superflua et irrationabilis est, ut mihi non nisi per stultitiam recipi posse videatur. Quid enim tam absurdum, et ab humana ratione tam discrepans, quam ut Christus B quem Dei Filium dicitis, Deus et homo pariter idemque credatur? Conceptum sine semine virgo pariat? Deus nascatur ex femina; per consequentes postea ætatum gradus terreni actus humilitatem cognoscat, sentiat, patiatur et perferat? fixus deinde cruci mortem adeat, atque ad extremum mortuus a se suscitetur? Nec sufficit hujus persuasionis auctoribus tam stultæ [b] traditioni aggregare consensum, nisi et immortales gentilium deos fastidiosa infestatione condemnent. Vigentem præterea æternitate sua mundum velut temporarium brevemque despiciant; sibi sine Fati ullius constitutione [c] degentibus post resurrectionem corporum mortuorum immortalitatis beatitudinem pollicentes. Cujus observantiæ rationem (si tamen ratio dicenda est, hominum stulta C persuasio) reddere potes vel audes [d] cum præsentium examinatione demonstra; ut aut convictus ab errore discedas, aut me, eadem conditione superatum, traditioni tuæ concilio teste conjungas.

ZACCHÆUS. — [e] Audere quidem quivis facile potest verum et de Deo proferre, si tamen quidquam ex divinis vestræ sapientiæ congruum, [f] talisque justitiæ non abhorrens possit expromi : vestræ enim sententiæ est, sapientem nihil opinari, nihil credere, non falli, sed per se omnia scire, et occulta atque ignorata non perpeti, nec majorem creatori possibilitatem facere, quam creaturæ, æque de Dei sensu atque hominis judicare : et præcipue adversum Christianos hanc disputationis intentionem tenere : unde hæc quoque collectio tua cœpit quod prius damnaveris, postea velle cognoscere. D

CAPUT II.

Quomodo idem Christus sit Dei Filius.

APOLL. — Facilitas me vestræ credulitatis, et contra totius mundi rationem legemque naturæ suscepta confessio vehementius loqui, et districtius disserere coegit. Verumtamen si est respondendi fiducia, hanc primum mihi fidem pande, quomodo Christum videri Deum vel Dei Filium vultis, quem postea et hominem non negetis : cum utique aut Deus aut homo debeat prædicari, quia omnium intellectibus patet, alterum fieri posse, simul utrumque esse non posse.

ZACCH. — Vestrarum argutiarum est ista subtilitas, quod credi nolitis recepta primum parte destruere, et ad hoc exiguis manus dare, ut integra subruatis. Unde maxime ad vos silentium præstat; quia cum sit levior culpa non deferre quam lædere; vos [g] nec credere in Deum vultis, et loqui sine ejus injuria non potestis.

CAPUT III.

Ne sine causa sit hæc colluctatio.

APOLL. — At ego horum tractatuum collationes semper prodesse dubitantibus credo, et quibusdam inquisitionum rivis ad veritatis fontem [h] veniri expertus affirmo; ac propterea universarum sectarum esse doctrinas, ut audiendo intelligas quod ante nescieris : facilius enim, si ratio suppetat, credi audita possunt, quam inaudita cognosci. Qua de re, si dignum est, specialim pande proposita, ne in vacuum certantibus nobis, hi qui præsentes sunt non sperato intellectu, sed fastidio compleantur.

ZACCH. — Dignum plane est cœlestium consiliorum sacramenta cognosci; et tam simplex de Christi divinitate atque elucens per se veritas est, ut eam licet digne nemo eloqui possit, quivis tamen facile intelligat, si voluntatem exhibeat credituri : qua in re etiam ego qui sum Christianorum minimus, non reticerem, nisi per legem talium altercationum occasiones vitare præciperer. Ubi enim nullus profectus est, conflictus inhibetur. Unde si disputare tantum et convinci impune niteris non crediturus, Epicureos ac Platonicos, cæteraque similium sectarum ostenta perquire. *Nos talem consuetudinem non habemus* (I *Cor.* XI, 16).

CAPUT IV.

Si de Christo aliquid poetæ dicant.

APOLL. — Omissa ista hæc facito, nequaquam a

[a] In cod. S. Arn. *Apollonius dixit : Zacchæe :* sed duo priora verba melius absunt : in editis legitur, *ut mihi*, male : in cod. Vindoc. *te mihi*, bene.

[b] Sic in cod. S. Arn. et quidem haud paulo melius quam quod in textu legebatur, *rationi*. Infra, ex cod. Vindoc. scripsimus *Vigentem*, ubi editi habent *Vincentem*. In Lemov. paulo superius, *nisi et ut mortales*, meo quidem judicio, male.

[c] Ita in cod. Vindoc.; in editis, *de gentilibus* fœdo librarii errore.

[d] Lectionem hanc cod. S. Arn. in textu collocare placuit ubi *eam præsentium* legebatur : in cod. Vindoc. *eum*, haud ita longe a vera lectione.

[e] Ita restituimus e cod. Lemov. in quo *audere*, et e Vindoc. in quo cætera sequuntur sic, ut edita vides. In editis, *audire quidem quivis facile potest*, *et de Deo verum*.

[f] In cod. Vindoc. et Lemov., *talique*. Haud ita multo post, ubi *sed per se omnia scire*, in Vindoc. vocula *sed* abest.

[g] In alio cod., *vos non credere vultis in Deum :* qua de causa præpositionem *in* reposuimus, quæ in textu deerat. Supra, *non deferre honorem lego*.

[h] Haud dubium quin ita legendum sit : nam quod in editis habetur, *venire*, ferri non potest. Paulo infra in cod. Vindoc., *propterea*, emendate : in priori editione, *præterea*, male.

A proposita conditione discedens, ut eum scilicet altera pars sequatur, qui hisdem audientibus in fine superaverit. Et quia, ut vere dicis [a], pro religione loqui nemo oneri juste reputat, membratim universa dicturus de Christo, primum evidentem pande rationem, ut si Deum vel Dei Filium probare potueris, cæteris quæ ab eodem gesta aut gerenda memoratis, facilius acquiescam; nec me pigebit libere credere quod dii non potuerint prohibere.

ZACCH. Et ego per ipsum credo, [b] quia excitare sibi incolas etiam ex lapidibus potest (*Matth.* III, 9), te a gentilitatis errore facile posse deduci, si eum cujus majestatem vel conscius negligis, vel ignorans requiris, deposito falsæ sapientiæ supercilio confestim, ubi rebus agnoveris, corde non renuas: ecce enim munitum Christi fide loquentem dii tui B audient, nec prohibebunt. Sed te miror formam totius scientiæ præferentem, an sit Deus Christus vel Dei Filius dubitanter inquirere, qui non nescias etiam vestrorum auctorum volumina testari ejus divinitatem, et crucem quam irridetis [c] proferre; ex quibus interim duorum exempla nunc proferam. [d] Plato enim, quem doctissimum ac sapientissimum perhibetis, cum de revelanda Christi majestate loqueretur, his verbis etiam signum illius intimavit, futurum astruens Deum, cujus signum circumrotundatum et decussatum est. Sibyllæ perinde prædivina, [e] ut asseritis, carmina proprietatem sancti nominis personarunt cum dignitate naturæ: hæc eadem Deum postea [f] uno versu crucemque signavit; quam vos multis disputationibus refutatis, C prædictum poema ita ponens:

Felix ille Deus, ligno qui pendet ab alto.

Vide distantibus quidem verbis, expressam tamen utriusque confessionem. Ille futurum designat, quia manifestandum in homine sentiebat: hæc felicem eum vocat, quia divinam prævidet in hominis fragilitate virtutem, et in ejusdem hominis morte victoriam. Quos tamen non idcirco consequi convenit, quia his velut per somnium verum sapientiam loqui aliquando permissum est; neque ut gentilitas meruisse ex Deo præscientiam videretur, sed ut Deum Christum ac Dei Filium etiam vestri loquerentur auctores, qui cum pene in omnibus falsi sint, [g] in hoc probabiliter erraverunt.

CAPUT V.

Non solum de dictis poeticis, sed de præsentibus miraculis.

APOLL. — Bene quidem utriusque dictorum ad tempus reminisceris: sed quia probandi libertas est, præcedentem sententiam tuam pari liceat sermone cohiberi; quod hi quorum auctoritas recipi in omnibus [h] (non) debet, in hoc forte humaniter erraverunt. Unde si vere Christus Deus vel Dei Filius est; non veterum tantummodo litteris, sed præsentibus edoceri debet exemplis.

ZACCH. — Quam iniqua est gentilis persuasionis intentio! cum pro se asserit, suis utitur; cum revincitur, nec suis credit. Non est tam inops fidei nostræ aut egena defensio, ut in sui probatione externis tantum testimoniis innitatur, nec quod intra se est, foris quærit. Audi immundos dæmoniorum spiritus, quæ vestra sunt numina, sub hujus vocabuli invocatione conterritos Christum Deum et Dei Filium non negare, ac velut reos cum tormenta sæviunt quæstionum, non quod placeat, dicere; sed quod extorquetur, fateri; et si credulitati nostræ et fidei derogatis, diis saltem vestris credite; aut si alterius pudor non est, negent homines quod etiam dæmones confitentur.

CAPUT VI.

Ut quid ad rationem dandam de dæmoniis dicatur.

APOLL. — Quid mihi varia dæmonum pro omni ratione commenta, et volubilem incertorum spirituum [i] pro tota fide niteris objectare sententiam? Si vobis hæc sola probatio est, ad prædictorum auctoritatem honestius recurretis.

ZACCH. — Æquum esset vestrorum vos primum testimoniis credere; deinde invitam dæmonum confessionem non levi æstimatione pensare: quia nisi invisibilibus cruciatibus agerentur, libere utique pro se facilius dicerent, quam semper contra se mentirentur. Sed cum in re omni inæstimabiles sint divitiæ Dei; maxime in honore sui nominis approbando provocandisque ad fidem hominibus, [j] majestas vera diffunditur. Unde si hæc parva sunt, inaudita curationum remedia succedunt, et inenarrabilia Dei etiam in mortuos porrecta benefi-D cia. Jubente itaque Christo cæci illuminantur, auditus redditur surdis, claudi ambulant, mundantur

[a] Sic in Lemov. qui deinde addit *ac pene*, fortassis *ac bene*. In editis, *Et quia vere, ut ipse dicis*.

[b] In cod. Vindoc., *qui excitare*, fortasse melius.

[c] In cod. S. Arn., *præferre*.

[d] Cum eum locum in Platone quæsiissemus, hoc reperimus in lib. x de Legib. scriptum, motum sphæricum sive in orbem, Menti a qua omnia condita sunt ac reguntur, esse simillimum. Quod quidem absurdum esse nemo non intelligit: sed nescio an non id absurdius sit, quod illic nonnulli veteres Christiani crucis Domini mentionem a Platone fieri conjecerunt.

[e] Vera hæc est codd. Vindoc. et Lemov. lectio; nam ea quam editi præferunt, *ut assentis*, ab *errore immunis* non esse videtur, quippe ex qua concludi posset Zacchæo ipsi Sibyllæ carmina divina visa esse.

[f] Sic in cod. S. Arn.; in textu, *uno verso*, pessime. Superius *personarunt* reposuimus, cum antea *personarint*, legeretur; ac belle omnia distinximus.

[g] In Vind., *etiam in hoc*. Cujus erroris hic vel Platonem, vel Sibyllam insimulet, haud satis scio; nec multum dubito, quin in verbo *erraverunt*, librarius erraverit.

[h] Particulam negationis quæ e codd. omnibus exsulabat, restituimus, ut sententia constaret.

[i] Mallem *pro tua*, si codices faverent.

[j] In editis, *majestatis*, male: in codd. Vind. et Lem., *majestas*, bene.

leprosi, mortui suscitantur (*Matth.* xi, 5). Quæ si ab eodem gesta non creditis, fieri ab hominibus in nomine ejus aut facta cognoscite; qui utique si Dei Filius aut Deus non esset, vel falso induisse hominem crederetur, nec invocatus assisteret, nec profutura indigentibus signa præstaret; quia aperte intelligi potest nec Deum acquiescere mendacio, nec homines per mendacium signa posse promereri.

CAPUT VII.

Quæ necessitas Deo fuit descendendi ad terras.

Apoll. — Viderentur hæc a fide non abesse quæ loqueris, si credulitatem sequentia mererentur: nam ut alia interim taceam, veniendi ad terras Deo quæ ratio aut necessitas fuit?

Zacch. — Deum quidem necessitas nulla complectitur, quia semper liber et nulli est obnoxius passioni: ipsi per semet subjecta sunt omnia, nec cuiquam ipse subjectus est. Verumtamen absoluta est ejus et certa sententia: *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isa.* vii, 9, *sec.* LXX). Proinde si animum in tenebris oberrantem ad superni intellectus lumen erexeris, ut Deum quæcumque velit credas et posse; veniendi eidem ad terras, immo quia ubique semper est, in homine ut visibiliter appareret, necessitatem quidem, quantum in ipso est, non deprehendes, sed cum ratione fuisse intelliges voluntatem.

CAPUT VIII.

Quare incorruptibilem hominem Deus suscepit.

Apoll. — Sicut ea quæ velit Deum posse, ambigi non potest; ita eum nolle contraria ac se indigna, perspicuum: atque ideo si necessitas non fuit, cum ratione edoce voluntatem.

Zacch. — Hoc primum menti tuæ trade, quæcumque idem inter homines Deus ostendit, suscepit ac pertulit, causa est vel servandi humani generis vel reparandi: in quo ita beneficia sua quæ a principio dederat semper dilexit, ut plus veniæ largiretur indultis [a] quam ultionibus mali pensaret. Propter hominem volumina Scripturæ referta exemplis præteritorum, et adhortatione præsentium, futurorum præterea spe metuque completa sunt; ut si ad agnitionem Creatoris et cultum, quæ est summa [b] justitiæ, non illicerent promissa fidelia, denuntiati examinis formido constringeret. Cum hæc igitur constituta parum proficerent per prophetas, præsentiam sui Salvator indulsit, ut salutis nostræ opus integrum cum prædicatione virtus impleret, nec semper a solo homine castigatio venire putaretur: cum in Christo et doctrina et actibus et signis divinitas eluceret, nosque ad imitationem justitiæ ac sanctitatis non vi cogeret, sed mirabilibus invitaret. Ita-

A que opus tantæ dignationis acturus, quemadmodum debuit ad terrena descendere, nisi ut illum [c] in suo fragilis hominum materia sustineret, quem erat visura præsentem, docentem auditura, imitatura operantem?

CAPUT IX.

Quare Deus ex femina nascatur.

Apoll. — Esto veniendi ad terras probabilis cum voluntate ratio videatur, quoniam pro hominis miseratione Deus venisse perhibetur: numquidnam ei impossibile fuit ex quacumque subliniore materia incorruptibile corpus efficere, quo assumpto ita homini opem ferret, ne corruptibili homine gravaretur?

Zacch. — Omnia Deus ex voluntate sua faciens,
B nihil quod sibi grave sit velut coactus [d] assumit; sed sicut falli non potest, ita ipse non fallit. Verum ergo ab eo fieri, non simulatum decebat, nec præstigiorum more phantasiam pro homine monstrari, sed ut hoc esset quod esse vellet videri. Itaque in homine vero pro omnium salute venturus, et nasci debuit, et per ordinem vitæ ætatis incrementa suscipere, ut simul et ea doceret quæ facere homo possit, nec fieri præciperet quod non prius ipse per hominem assumptum fecisset.

CAPUT X

Quomodo fragilitatem humanam evasit ex Virgine natus.

Apoll. — Fiat si libet certandi ex hac quoque parte compendium. Nonne hoc saltem in-
C dignum fuit intra uterum femineum coalescere? aut credibile est eum nasciturum sine semine fuisse conceptum?

Zacch. — Dixi dudum, intellectus fidem sequitur, nec nisi per fidem quæ se altiora sunt et Deo proxima, humana mens [e] percipit. Si enim ex non subsistenti materia, vel ex quacumque, ut paulo ante dixisti, Deus cum vellet et facere hominem potuit: nempe facilius [f] de subsistenti et sua, ut nihil non verum, et mirum magis esset, et permixtionem seminis non haberet. Vel quod animal aut elementum Deo charius quam homo est? Quæ tantæ formationi materia, quam sanctæ Virginis aptior, intra quam Spiritus Dei electo purissimorum viscerum flore corpus effecit: in quo Filius Dei inter homines con-
D versatus habitavit? Quod ne incredibile videatur per Spiritum Dei fieri potuisse, intuere quid mundi spiritus possit, qui utique non Deus, sed unus ex operibus Dei est; quam facile dissolutam naturaliter humum rigore constringat, aquas vertat in glaciem, ex iisdem et nivem gignens, quæ pondus levitate, colorem candore commutet; idem crystalla flatibus duret, naturæ suæ non receptura mollitiem: et post

[a] Sic codex Vind.; in editis, *quam pro ultionibus*, haud ita recte.

[b] Optima cod. Vind. lectio: in Lemov. *justitia*, ac cætera ut in Vind. In editis, *qui est summa justitia*, alio, nec adeo idoneo sensu.

[c] Fœda lectio, quæ omnes codices insedit: libenter legerem, *in sua fragilis hominum natura*.

[d] Ita in Vind., in editis *assumpsit*. Haud ita multo post in Lemov. *sed ut quod esset, vellet videri:* nescio an melius.

[e] In alio codice, *perspicit*, minus recte; cum neque per fidem Deo proxima perspiciantur.

[f] Sic in codd. Vind. et Lem. et quidem optime: in editis, *de subsistenti sua, ut et nihil.*

hæc Deo impossibile fuisse crede, quod esse possibile intelligis creaturæ.

CAPUT XI.

Quomodo per ætates diversas Deus creverit.

Apoll. — Etiamne Virginem peperisse testamini? Creatio enim, sicut asseris, [a] non de incorruptibili Deo, sed ex materia corruptibili effecta, quo pacto modum propriæ fragilitatis excessit?

Zacch. — O mundi sapientia divinum in tua persuasione nihil sentiens! Dei opere fieri intra hominem omnium audis salutem; et cum sine turbatione corporis conceptum intelligas, absque ejus dissolutione prodisse non credis! Ubi est ergo beneficium aut potentia Dei, si humanæ fragilitati sacra conjunctio nomen tantum communicat, non honorem? Tu Christum ex hoc vel maxime Deum esse non credis, quia contra consuetudinem humanæ nativitatis natus prædicatur ex Virgine. At ego hinc eum magis transisse in Dei gloriam credo, quod conditioni nostræ etiam secundum hominem in aliquo dissimilis, et nascendi ordinem decenter implevit, et materni corporis integritatem nascentis [*An* nascendi] necessitate non violavit. Dubium ergo non est, cum sit creatio de spiritu incorruptibilis Dei, incorruptibilem etiam editionem fuisse; et quod erat fragile hominis, divinitatis potius virtute servatum, quam id quod erat Dei, fragilitate hominis imminutum.

CAPUT XII.

De virtutibus Christi.

Apoll. — Pone, ut ita se Christi divinitas et nativitas habeat, quia propter Deum quem rationi semper immisces, etiam Virginem parere potuisse judicandum est; quid momenti fuit infantem in cunis vagisse, deinde in puerili ignorantia remoratum, aut lubricum adolescentiæ tempus annis non transisse majoribus, [b] ubi possibilitate divina statim a firmitate virili quæ erat gesturus inciperet?

Zacch. — Ex hoc tibi vitæ ipsius ratio adjuncta divinitatis voluntate respondit, ut qui convalescentis uteri moras tulerat, tempore servaret ætatis: nec dedignaretur ut homo vivere, qui dignatus fuerat ita nasci. Quando enim verum induisse hominem crederetur, [c] si hos vitæ gradus transcucurrisset? Sed forte spernere aliquid de homine debuit, qui ad edocendam humilitatem et patientiam veniebat. Quanto modestius in se Deum et hominem probans et mira [d] prætulit, et infirma non respuit! Inde in mœrore doluisse, dormisse in lassitudine, in inedia esum desiderasse, flevisse in luctu, et gemuisse in morte perscribitur; ut cum Deum verum quæ superius comprehensa sunt sublimia opera demonstrarent, verum hominem flebilia loquerentur. Cum et quæ nobis sunt propria suscipiendo

A pertulerit, et quæ soli Deo possibilia, verbo, cum voluerit, effecta præstiterit.

CAPUT XIII.

Si Christus alios suscitavit, quomodo morte non caruit.

Apoll. — Memini dudum et curationum varietates, et mortuorum suscitationes fuisse prolatas; in quibus tamen specialem Christi admirationem fuisse non video: siquidem cum et peritiores magi mortuos suscitent, et medici universis debilitatibus remedia largiantur.

Zacch. — Nec me præterit magicis carminibus non mortuorum, sed dæmonum spiritus evocari, eosdemque per phantasiam paulisper simulare quod non sunt: conditionem præterea addere falsitati, ut aut non visi respondeant, aut, si videntur, obti-
B ceant: ut imprudentium vota debilia umbrarum illudat effigies. Defunctorum autem animæ resolutis corporibus ad sedes debitas perducuntur, ac pro meritis usque ad futuri judicii diem vel in locis beatorum morantur, et subjectæ magorum invocationibus non sunt, aut quibusdam clausæ carceribus venire ad superna prohibentur: ita fit ut iisdem venire vel dedignantibus, vel retentis, eorum similitudinem dæmones fingant, ut et fallaciæ quam diligunt semper intersint, et credentes talibus veri imitatione frustrentur. Medicorum vero medelæ multis herbarum confectionibus nec statim nec omnibus prosunt; et si quando altior ægris morbus inoleverit, aut igni viscera exusta torrentur, aut ferro pernicies occulta resecatur: nihil in remedium impe-
C rio agitur, nihil solo sermone perficitur. Et certe fateri omnes possumus derogare medicinam ex eo quod sit in homine, posse; addere non posse quod non sit, quæ Christi operum contra reputatio est. Cæcus materias luminum ab initio non habens, et vacua oculorum loca præbens, limo illitus, quemadmodum erat primum homo factus, visum recepit: gressum nesciens jubetur incedere: solutus in muliere venarum sanguis, dicto sistitur: imperio auris solidatur abscissa: nec medicamine fugit lepra, sed verbo. Huc tabefactum sepulcris cadaver et prodire jubetur, et vivere; nec subitam præsentiam cernentibus præstat, sed cunctis hominum actibus interest, atque annos victurus exsultat. Quis præter Deum quinque panibus tantum [e] plura hominum
D millia pascere ita potuit ut saturaret? Quis mare pedibus ingredi, et immensum ambulando libere calcavit elementum, ut famulantibus viæ fluctibus figeret firma vestigia? Quis ventis jubere, et sævientes in tempestatem procellas sermone compescere? Quis de aqua vinum facere, et ex eadem in eamdem natura sine intellectu demutationis melioris speciei præstare profectum? Quæ Christus in ho-

[a] Particulam negationis quæ omnino necessaria erat, addidimus e cod. Lemov.

[b] Sic codex Vind.; in priori editione, *ut possibilitate*, minus idoneo sensu.

[c] Hic quoque codicem Vind. sequimur; nam antea legebatur, *nisi hos;* fœdo errore, qui inde ortus est, quod librarius verbi *transcurrere* intellectum assecutus non erat.

[d] Ita in codd. Vind. et S. Arn.; in textu *pertulit*, male: utroque haud paulo melius esset, *protulit*.

[e] Sic codex Vind., rectius quam prior editio, *plurima*.

mine agens ut se et Deum probaret, multis videntibus fecit. Itaque si echo loquenti, aut fontibus spuma, vel vero lumini umbra coæquanda est; non indigna comparatione junguntur opera hominum virtutibus Dei : cum hic, hæc tantum remediorum mora sit, ut prodesse jubeantur; illic præstita per laborem prius pene quam sentiantur, evanescant.

CAPUT XIV.

Qui sit diabolus, vel quod peccatum hominis.

APOLL. — Si prædicta miracula, ut credi studes, manens in homine Deus præstitit, numquid suscipere et pati crucem voluit? aut quam ob causam erepturus a morte alios, morte non caruit? vel quemadmodum aliis proderit, qui sibi prodesse non potuit? cum in hoc magis fidem de se ambigentibus munire debuerit, liberaturum et alios fore qui hoc primum in sua liberatione monstrasset. Qua in re aut rationem prodi necesse est, aut credulitatem non exigi satis justum.

ZACCH. — Etiam in hoc æstimatio tua fallitur, ut in crucis affixione divinitatem credas injuriam pertulisse; quæ incomprehensibilis et libera nec pati potuit, nec teneri : sed quemdam de diabolo per assumptum hominem egit triumphum, cum in ligno victoriam carnis imponens, eum sine sui injuria per hominem superavit, qui hominem cum Dei injuria egerat in delictum. Homo ergo, non divinitas cruci data est; et qui per lignum peccaverat, fixus in ligno est. Atque hæc Deo fuit assumendi hominem præcipua ratio vel voluntas, ut peccatum ab homine contractum per hominem tolleretur, et ab illo fides resurrectionis inciperet, quem primum resurgere debuisse constaret : purus enim et ab omni immunis delicto pati pro omnibus voluit; ut non sola potestate, sed merito, omnibus præferretur. Vides ergo quæ sit divinæ pompa virtutis vitæque victoria, mortem non meruisse, sed merentibus abstulisse, et [a] vexillo spiritalis triumphi culpam materiæ affixisse non propriam; quoniam quicumque alius, dum a peccatis nemo hominum liber est, pro se tantum vitam dedisset, illum oportuit pro omnibus interire, qui pro se noxæ nihil debens, cum condemnari non posset, acquieverit et occidi, ne nos perpetua mors teneret.

CAPUT XV.

Si Deus impassibilis est, quare irascitur et vindicat.

APOLL. — Remoto hoc interim, ut quis iste diabolus vel unde sit dicas, quem incentorem nescio cujus peccati fuisse confirmas; ipsum, si non piget, hominis pande peccatum, cujus tanta atrocitas sicut asseris fuit, ut nisi per solam Christi crucem non potuerit expiari : inspecta enim si qua est criminis qualitate, quid hæc crucis prædicatio tantopere elata præstiterit, promptius elucebit.

ZACCH. — Non piget plane offensæ veteris expla-
A nare principia, et quem mali gradum primi hominis transgressio fecerit, simplici narratione contexere; ut qui peccati tantum causas audire desideras, etiam Creatorem humani generis propius agnoscas. Cum enim Deus omnia fecisset ex nihilo, habitatorem mundi hominem finxit ex limo, rudique adhuc et exanimo corpori spiritum sensumque largitus est; spiritum quo communem carpimus aerem, quo membra provehimus; sensum quo a cæteris animalibus discrepamus : tum vivendi proprium arbitrium addidit, liberum in omnia imperium tribuens; tum immortalitas cum conditione permissa [*An promissa?*] est, et in voluntate lex posita, non quæ observatione difficilis periculum inferret ignaro; sed quæ ostensa ne usurparetur, tantam Creatoris gra-
B tiam cum immortalitatis beneficio custodiret. Sic posito itaque homini inter delicias paradisi, amœnissimi scilicet loci, et nulla aurarum intemperie ac varietate corrupti, ex omni pretiosarum arborum fructu edendi copiosa datur facultas; sed in multis unius tantum arboris usurpatio prohibetur, ut interdictam eamdem arborem semper intuens homo, ejus qui interdixerat meminisset, et [b] prælatus omnibus præ se esse non oblivisceretur auctorem; ac sibi ita omnia subjecta cognosceret, ut ei qui sibi subjecerat, esset ipse subjectus : simul ne homo rationabilis factus sicut bruta animalia sine observatione torperet; sed ut eo quem solus præcipuum acceperat sensum, inter præceptum ac beneficium et cavere intelligeret et mereri.

C Huic beatitudini diabolus invidens per serpentem, qui erat cæteris animalibus prudentior, mulierem primum, id est inferioris sexus hominem, et ad credendum animi facilioris illexit interdictum gustatum arboris temerare : per eamdem postea virum simili falsitate decepit, futuros asserens Deo similes si ejus ligni pomis non abstinerent, quod velut ideo divinitas excepisset, ne cœlestem scientiam cum hominibus partiretur. His deceptos dolis in peccatum pravissimum compulit, ut se per transgressionem præcepti Creatori similes esse, quamvis non possint, velle tamen ausi sint. Hac fraude immortalitatis beneficio spoliati de paradiso ejiciuntur; ex illa inviolabili temperie detractis, et sub hoc corruptibili aere victuris pelliceus statim vestitus im-
D ponitur, et ad quærendum victum labor improbus deputatur; ut solum verterent nil sponte præbiturum, et inter spinas ac tribulos desudantes, quamvis plura congererent, mortis tamen sententiæ subjacerent.

Hæc interdicti prima transgressio malorum omnium causa mortisque principium; nec tamen in vindictam Dei promptam patientia sententiæ irrogavit effectum, sed vim severioris edicti temporis interpositione mollivit; ut meritum veniæ esset ex

[a] In Lemov., *specialis*. Infra, *dedisset* restituimus e cod. Vind. cum in editis legeretur *dedisse*.

[b] Totum hunc locum restituimus e codd. Vind. et Lemov.; in priori editione, *prælatis omnibus præesse non sibi*; quo nihil fœdius.

labore pœnitentiæ, ac lapsi observationem justitiæ vel posteros edocerent, [a] quorum gratia restitui vitæ quam amiserant possent, qui per se graviter corruissent. Hæc intervalla pietatis ac salutaris viæ tramitem non per conversionem satisfactio tenuit, sed vitiorum potius incrementa creverunt, et sequentium hominum consumpsit abusio; ita ut postea mortis convalescente sententia, ardentium criminum labem diluvii infusio sola restingueret.

CAPUT XVI.

Quomodo post diluvium homines sint creati.

Apoll. — Suspectæ audientiæ est præterire quæ permovent : nam si Deus et impassibilis et bonus est, quemadmodum nunc et iratus aut vindicans est? ira enim passibilem significat, ultio malum.

Zacch. — Æquus humanorum actuum Deus judex est, qui reddit bonis præmia, malis pœnam : bonus, cum retribuit; cum vindicat, justus. Unde ira non passibilem significat, sed improbantem; et non malum vindicta, sed justum.

CAPUT XVII.

Unde origo Judæorum.

Apoll. — Cedendum est reverentiæ divinitatis, maxime cum hoc semper credi de Deo debeat, quod pro honore sit dignum. Unde ad suspensum articulum narrationem reducens, quemadmodum post diluvium vel facti homines vel nati sint, si auditu dignum est, consultus expone.

Zacch. — Dignum plane Dei erga nos ab initio pandere medicinam, et post diluvium servatum in Noe humani generis semen expromere, atque hinc progeniem venisse per posteros, non jactis post tergum lapidibus puerili modo Deucalionem Pyrrhamque confingere. Itaque terra diluvio eluta, Noe tantum, quia solus justus inventus sit, ad propagandum humanum genus cum progenie [b] reservatur; mortis tamen adhuc sicut nunc manente sententia, ut ex merito conversationis cum resurrectione immortalitas redderetur. Aliquamdiu apud homines justitiæ forma duravit, et exempli memoria viguit disciplina, ac reverentia terrore servata est. Sed sicut semper longa prosperitas ex abundantia securitatem, ex securitate abolitionem, ex abolitione abusionem creavit; obliti metum obliviscuntur auctorem, et a vitiis in sacrilegia proruperunt : jam nec terris habitare contenti, tamquam ascensuri cœlum exstruunt turrem, et hominum manu nubium celsa temerantur. O inexplicabilis bonitas Dei, et nulli, ut dignum est, eloquenda miseratio! Deo non obedire mors justa est, et Dei sedem appetisse impunitas fuit.

Intuere divinæ clementiæ lenitatem : temerarii non puniuntur in scelere, sed ab scelere deducuntur; et ubi sævire debuit cœleste judicium, præstantur signa virtutum. Insuper pœnitentiæ via et intellectus aperitur; nam cum esset adhuc eo tempore unus omnibus sermo, in numerosas quæ nunc per orbem sparsæ sunt, gentes, lingua dividitur singulorum, et in opere ferventissimo, hoc tantum unusquisque loquitur, quod solus intelligit. Cum enim in exstructione sceleris perseveraret audacia, repente nesciunt rogare poscentes, obedire nesciunt ministrantes, et quæ molientibus velut necessaria ingeruntur, adversa sunt. Sic non pœna, sed tædio, cœpta linquuntur, ut miraculis ad omnes postea cum stupore formido sine supplicii perveniret exemplo; cum quam ob causam linguæ prioris notitiam perdidisset, genti suæ in quam sermonis novitatem transierat, unusquisque narraret.

Sed quid prodest crimina texisse diluvio? Quid hanc insaniæ machinam indulgentia destruxisse, non pœna? Ecce iterum, o homo, in Dei injuriam elementa confundis, honorem et cultum invisibilis majestatis ad visibiles transferens creaturas. Si altitudinem suspicis, Deus supra est; si magnitudinem, ille immensior, ubique est; si splendorem (*Sap.* XIII, 3-5), Creator est clarior, et qui fecit speciem necesse est hac virtute a se facta præcedat : sit postremo hæc inter Creatorem creaturamque distantia, ut sic admirationem quæ cernimus habeant, ut ea quæ ob majestatem videre non possumus, cum reverentia non amittant.

CAPUT XVIII.

Quare post egressionem Ægypti in eremo ducti sunt, vel cur Lex data sit.

Apoll. — Si horum quæ recolis fides vera est, inæstimabili modo Dei erga homines, ac sine fine patientia est. Sed quoniam opere turris obmisso, per omnem terram gentes [c] factas linguarum diversitate memorasti; quemadmodum cum Moyse Judæorum subrepserit secta; aut quam ob causam tot sæculorum temporibus absumptis latio legis emerserit, cum hominis sensibus naturaliter lex inserta sit, si facultas scientiæ est, arrepto ordine ingravanter eloquere.

Zacch. — A primo homine usque ad quod dixi tempus, per successionum gradus, Dei notitia tenta est; lex autem etsi non scripta litteris, sicut ipse professus es, sensibus erat inserta naturaliter : sed postquam abolitione utraque cesserunt, Abraham vir fidei singularis eligitur, quem patrem totius credulitatis ob hoc meritum Deus statuit, quod primum incunctabundus domum, patriam propinquosque per vocationem Dei, ad ignota et peregrina iturus, reliquit; ne servituti idolorum degens inter proximos dederetur, et gratiam fidei quam jam merebatur et erat aucturus, amitteret, aut certe tepidius retineret : in sua iterum et uxoris senectute postrema, jam membris per ætatem frigentibus, nasciturum sibi filium, quia hoc ei Deus promisisset, non desperavit, credens naturæ difficultatem divinæ

[a] Optima lectio cod. S. Arn., quam cur in marginem Acherius ablegarit, ut reponeret *cujus*, non video. In sequentibus tot fere occurrunt variæ lectiones, quot verba, sed quæ nullius sunt momenti.

[b] Sic in codd. Vind. et Lem.; in editis *reservato*, male.

[c] Hic quoque codd. Vind. et Lem. sequimur; in priori editione, *facta* legebatur.

sponsionis possibilitate vincendam : quem postea cum esset ei unicus, Dei jussu cædendum aræ incunctanter admovit; præstare amplius Creatori, quam affectui studens, simulque confidens etiam de ambustis cineribus reddi sibi integrum posse, quem Dei causa ignis hausisset [a]. Verum numquam credentibus dura divinitas, non orbari lectissimum virum passa est, sed tantum probari; nam sub ictu gladii jam jamque ferientis arietem subjecit intento, hostiam mitiorem; ut et absque pietatis dispendio devotio compleretur, et nihilominus gratiam fidei acciperet, qui Deum affectui prætulisset.

Tali igitur credulitate promissionem affluentis terræ secuturo semini meruit, et Judaici princeps populi circumcisionem primus accepit. Non quod præputium justitiæ præjudicaret aut fidei, vel aliquid superfluum in homine Deus creasset, quod postea juberet abscindi; sed ut inter alias gentes signaculo corporis electi viri soboles nosceretur.

Itaque plebs eadem ob inopiam earum quas inhabitabat regionum transit in Ægyptum : non quod his Deus quocumque loci præstare abundantiam non valeret; sed ut rursum educturus ex Ægypto, quantus esset mirabilibus edoceret. Fit magnus ex hac progenie populus, et usque ad invidiam multitudinis paucitas crescit; ita ut cum sibi prævalituros Ægyptii formidarent, tamquam debitæ subditos servituti indignis operibus afficere niterentur, sæva insuper edicti violentia virilem sexum ab utero neci dabant, ut oriundos expositio, labor validos assumeret. Sub his afflictionibus auctorem Deum sibi a majoribus traditum peregrina plebs convenit, et in sui liberationem cultam per patres poscit divinitatem; qua factum est ut contra vim crudelis edicti Moyses primum a parentibus educaretur occulte; inventus deinde a filia Pharaonis, cum ob metum præcepti esset expositus, omni Ægyptiorum informaretur sapientia, atque ad liberandum Dei populum præcepta susciperet, ne vel indoctus casualiter, vel mediocris [b] intellectu, si institutus omni eorum sapientia non fuisset, incautus quæ susceperat et credidisse videretur et gerere. Huic per ignem de rubo Deus loquitur, et valitura in Ægyptios signa demonstrat : quibus utique et hi crederent quorum servitus solvebatur, et qui renisuri erant deterrerentur, possetque in hac prodigiorum ostentatione gens utraque servari; cum Dei manu evidenter inspecta, et converti ab impietate sua contumaces admonerentur, et liberarentur afflicti.

Tum Moysi emissionem memoratæ plebis ex Dei auctoritate poscenti, cum Pharaone Ægyptiorum rege magi resistunt, fallere eumdem prodigiorum [c] quæ fecisset imitatione nitentes : nec cedit aliquantisper similitudo veritati, signisque phantasia; sed obniti utcumque permittitur, non ut profanorum falsitas vinceret, sed ut Dei virtus latius eluceret. Nam cum plagarum diversitates in causa signi sicut Moses faciebat, idem quoque facere viderentur, revocare non poterant quod fecissent. Et sicut hæc monstruosa scientia solet, nocere noverant, succurrere nesciebant; malorum quæ ipsi intulerant cessationem ab eo rursum quem imitari conabantur, orantes. Sic ad extremum dimittere [d] populum vi inimitabilium signorum et impossibilitatis suæ confessione compulsi sunt. Admonentur Dei judicio profecturi celebritatem gaudii sub brevi simulare discessu, et ad ornatum absentium solemniorum impetrare hospitum censum, eumdemque pro diuturni laboris merito retinere; non fraudis studio, sed honore mercedis. Ii delusi, cum adhuc de opum retentione nihil scirent, quos ad iter oratu compulerant, recrudescente malitia cum ira insequuntur emissos, et imminente Ægyptiorum exercitu spes evadendi metuentibus deest, cum et a tergo hostes insisterent, et mare a fronte oppositum prohiberet.

Adest territis Deus, et in summo desperantium metu cœleste pugnat auxilium : interjectæ primum per diem tenebræ velut objectu impenetrabili præcedentes defendunt, et a persequentium impetu, mutata elementorum vice, tuetur trepidos subdita noctis infusio. Virga deinde Moyses percutere pelagus jubetur immensum, atque ad præbendam transeuntibus viam profundi aquas imperio removere; celsa altrinsecus undarum acies erigitur, et tamquam ad signum bellici moris dispositos stare diceres fluctus, ac mare muri similitudine solidatum intelligentis obsequio dividi. Panditur siccum gradientibus solum, et ima pelagi ardua laterum mole vacuantur; populoque in littus aliud evadente, cum persequentes abeuntibus imminerent, ictum similiter per Moysen rursum in se convenit mare; et tamquam ob Dei injuriam vindicis elementi immensitas recursu tumidiore conflueret, innumerabili curruum et equorum cum electis ascensoribus multitudo submergitur; mixtaque arenis bellatorum manus, tamquam non fuisset, obtecta est.

His primordiis ab Abraham Moyse duce plebs assumpta Judæorum est; et post transitum maris usque ad eremum in qua quadraginta annis mansere, perducti sunt. [e] Hos per noctem columna lucis tamquam itineris dux præibat : eadem etiam per diem ne fessos lassitudo conficeret, in nube præcedens ab æstus injuria vindicabat. Ita prorsus famulantibus elementis Dei auxilio usi sunt, ut in ejus beneficiis non sola cœlestis potentiæ dignatione, sed et paternæ pietatis indulgentia fruerentur, et cum in-

[a] Sic cod. Lem., e quo etiam *dura* paulo infra restituimus, nam in editis hic habebatur *ussisset*, deindeque *clara divinitas*, nullo sensu. Cætera quæ leviora sunt, omittimus.

[b] Ita legitur in cod. Vind., male; in priori editione *intellectus*, *institutus*.

[c] Hæc etiam est cod. Vind. lectio, quam prætulimus editæ, *quæ fecissent*.

[d] Sic in Vind. et Lem.; in editis, *populum inimitabilium signorum impass.*, pessime.

[e] Totum hunc locum restituimus ope codd. Vind. et Lemov.; fœde in priori editione, *hoc per noctem... dux iis præibat*.

ter admirationem ac necessitatem stuperent, signa et pericula non timerent.

CAPUT XIX.

Si Lex plus attulit hominibus quam natura.

Apoll. — Grata est quidem cognitio prædictorum; sed nisi rationis plenitudine muniatur, infirma est. Quid igitur fuit causæ, ut emenso mari tantis rerum miraculis liberati ad eremum ducerentur; aut cur postea in desertis tam longi temporis ablegatione cruciati sunt? Cum illis præterea alimoniam cæteraque vitæ necessaria horrens regionum nuditas non præberet; unde ergo multitudini pastus; aut quam ob causam hæc tantopere liberatis pœna fuerit; vel quemadmodum postea lex lata, deprome.

Zacch. — Nec pœna illud relegationis fuit, nec in desertis ac squalentibus locis necessaria defuerunt; sed pastus hominum exhibitione pretiosior, et eremi ipsius circuitio congrua: atque hæc præcipua morarum causa, ut illic præcedentia miraculorum augerentur exempla; et quia semper assueta diligimus, providendum fuit, ne statim ad promissionis terram brevi ac recto itinere pervenirent, quibus ad Ægyptum revertendi voluntas, sicut confestim probatum est, posset aliquando subrepere; cum etiam in summa abundantia [a] incognitæ regionis assuetorum desideriorum et profani sacrorum ritus a quibus maxime arcebantur, occurrerent; ne expellendarum præterea ex iisdem regionibus gentium, licet prævia divinitate illis non illatura dispendium, statim bella terrerent. Simul etiam ut post eremi injuriam promissa habitatio plus placeret, quam licet per se inæstimabilis amœnitas commendaret, præteritorum tamen recordatio faceret aptiorem. Et vide clementem in sua patientia divinitatem. Victum non supplici sperantibus prece, sed deesse tumultuarie querentibus, nubem quamdam præstat annonæ, et angelorum cibo corpora humana vescuntur: ita ut nocturnæ largitatis infusio non querelæ tantum intercluderet locum, sed usui congesta superesset. Illic per omne quod dixi tempus mirum in modum, non calceamentum, non vestis atteritur, nulla perinde capillorum aut unguium excretio dominata est; sed velut immortalitate jam reddita, immutabilem hominis formam simplex servavit integritas.

Illic Moyses ad suscipiendam legem vocatur in montem, et quadraginta diebus ac noctibus Dei tentus alloquio, scripta in lapideis tabulis refert præcepta: proh nefas! corruptos sacrilegio quos reliquerat deprehendens, dum adhuc manna et cœlesti oblectatione essent [b] refecti. Cum enim ejusdem Moysi moras velut non redituri idem populus incusaret, prædicta abundantia saturatus cito Deum a quo ex Ægypto eductus esset, oblitus est; poscere per luxuriam quos coleret deos cœpit; missisque in ignem mulierum monilibus, illi se dandum professus est religioni, quæ culti in Ægypto idoli formam referret. Reversus Moyses fideliter sævit in facinus, et redacto in pulverem tauri capite quod factum in similitudinem abominationis Ægyptiæ fuerat, delatas in legem tabulas indignatione confringit, indignos fore Dei litteris judicans quos talis ausi exsecratio polluisset. Nec prius ab iræ impetu destitit, quam missis per castra sectoribus multorum cæde piaretur admissum, et sedata injuria Dei refecta in tabulis reportarentur præcepta; quorum reparatione monstratum est, Deum non odisse quos permiserit corrigi, sed deleri noluisse quos sic voluerit castigari. Hæc ergo eremi circuitio, hæc erga susceptam semel plebem beneficia Dei quadraginta annis durarunt: tum lex divinitus lata est, quæ [c] sui editione non præceptorum novitatem, sed reparationem justitiæ naturalis afferret; ut quod ante pauci admodum et sapientes sciebant, omnes nunc intueantur et perlegant; nec excusandi habeat ignoratio locum, cum id quod sibi ingenitum quis fore non sentit, non solis sensibus quærat, sed visibus recognoscat.

CAPUT XX.

Quare salus hominum tam tarde advenerit.

Apoll. — Hærere naturaliter humanis sensibus legem, et inesse omnibus intellectum quid noceat ac prosit, quid æquum aut injustum sit, aperta cognitio est; quando et diligere [d] propria scimus et odisse contraria, ac simul placita alii præstare sit bonitas, et rursum improbitas alii quæ displiceant irrogare. Unde quid amplius lex per Moysen lata detulerit, quam natura tradiderat, nisi edictorum qualitas exponatur, intelligere non possum.

Zacch. — Dei agnitio et cum dilectione formido, lex prima est. Deum enim nosse quid prodest, si diligere ac timere non cordi est? Consummatus deinde justitiæ ordo subsequitur, studere pietati, et in observantias bonorum operum mentis puritate transcendere. Inest præterea præsens pœna commissis et piacula junguntur offensis, summaque edictorum conclusione præcipitur, ne aliis facias quod fieri tibi nolis; et rursum, ut aliis facias quod fieri tibi velis. Creatio perinde mundi hujus inserta est, et hanc elementorum conspirationem idem qui ex nihilo fecerat fabricator exposuit, sui indicans operis, quæ illi coæterna humanus error invexit.

Post Moysen currentibus temporum spatiis, cum per abusionem salutarium præceptorum idolorum cultus incresceret, additur frequens increpatio prophetarum, et adventum Christi quem jam experti sumus, et nunc opperimur, multa curationum genera denuntiant ac præcedunt. Deus enim ne vel raro vindicet sæpius comminatur, iræ cœlestis severitatem timeri magis quam [e] exseri cupiens. At contra

[a] Haud dubium quin locus hic male habitus sit a librariis. Ita emendari posse arbitror, *cognitæ regionis*, h. e. Ægypti, *assueta desideria*. Quod deinde legitur, *post eremi injuriam*, ferri non potest: itaque lego *post eremi moram*.

[b] Ita cod. Vind.; in editis *referti*: infra ex eodem cod. *Deum* ascripsimus.

[c] Sic. cod. Vind. in priori editione legitur *sui edictione*.

[d] Vind. et Lem. sic habent, et quidem haud paulo melius quam prior editio *prospera*.

[e] Hæc quoque est utriusque codicis lectio; quæ

si hoc forte judicium vultis videri, non præfinita universorum consummatio efficit finem, sed ordo decedentium.

ZACCH. — Tota in errore est vestra definitio: [a] nam quemadmodum animæ hominum judicium susciperent, si ex Deo essent? Simplex enim substantia divinitatis non purgatur, quia nec pollui potest: necesse est enim ut purgatio passione non careat, quam, sicut scimus, substantia divina non recipit. Animæ ergo hominum non ex Deo sunt, sed a Deo factæ, et opus Creatoris, non consortes Divinitatis. Cum vero prædicti judicii tempus advenerit, defuncta quælibet olim recepturæ sunt corpora, ut cum iisdem aut juste acta percipiant, aut inique perpetrata patiantur. Christus autem manifeste iterum de cœlestibus veniet: illius coram tribunali astabimus, illius sententia universorum merita pensabuntur: et qui sub judicio passus est, judicabit, nulla iniquitatis vestigia relicturus, cum et fidelibus immortalitatem reddat in regno, et incredulis perpetuum in dolore cruciatum.

CAPUT XXIII.

De neglectis et a bestiis devoratis.

APOLL. — Hoccine etiam asseri a sapientibus potest, antiquas mortuorum favillas, et in sepulcris sæculorum ætate consumptis vix ossium cinerem residentem, rursum in corpora posse componi, ac pristinum membrorum vigorem dubii pulveris collectione solidari? Unde animas cuilibet judicio subdi posse facilius acquiescam, quam mortuorum corpora in vitæ ordinem posse revocari.

ZACCH. — Et admonitionis meæ et tuæ sponsionis oblitus es [b], si Deo aliquid impossibile contendis. Qui igitur quod non erat fecit ut esset, ergo ut sit quod fuerat non potest facere? aut non etiam nobis difficilius est facere quod non fuerit, quam reparare quod fuerit? Sed hanc Dei possibilitatem æstimatio humana non [c] capiat, si hoc præsentes non edocent creaturæ, si tempora specierum varietate non signant. Diversæ arbores hiemis rigore nudantur, et decussis foliis perisse cum gratia spem germinum credas. At ubi lenius veris tempus afflavit, mirum in modum humor radicibus tentus celsa conscendit, candorem cum specie quem in ligno non habuerat, in floribus creans: fructus adjiciuntur in pomis, et quidam vestitus in foliis, quodque in arbore non erat, videtur in tempore. Quid jacta in agris semina? non plenam fidem resurrectionis ostendunt? Aperiuntur terræ viscera, ut nuda sulcis grana mandentur; quod humus non texerit, vires non habet renascendi. Unde etiam in parvis potentiam Creatoris considera:

A nisi putruerint semina non resurgunt, et nisi prius mortua non reviviscunt. Numquid sulcis virentia sunt demersa, aut cum calamis operta latuerunt? Unde ergo [d] in uno multiplex semen? Unde cum aristis novus palearum candor emergit? Quo pacto ex radice vis germinis scandit in spicas, vel quemadmodum postea ex viridibus herbis alba mollities mutatur in farra? Quæ certe similiter fieri posse non crederes, nisi semper videres. Quod ergo in his quæ ad victum hominis pertinent, ut ab initio Deus statuit, terra sic reddit, in ipsius hominis reparatione non faciet? Qui mirabilium Dei testis effectus (est), in se necesse est post resurrectionem maxime stupeat, quod in subjectis ante laudavit. Unde horum omnium ratione perspecta, defunctorum **B** cineres vel favillas semen corporum esse non nescias, ex quo in adventum majestatis suæ Christus secundum merita excitabit et formas. Parum est enim divinæ clementiæ species tantum reparare quæ fuerint, nisi et bonorum corpora splendor exornet, et malorum confusio deformitatis obscuret.

CAPUT XXIV.

Quomodo moles cœli aut facta sit aut fine prætereat.

APOLL. — Pone interim quod de sepulcris tamquam ex notis sedibus mortuorum favillæ reparentur in corpora; et quia condita membra sua [e] animæ noverint, ex iisdem locis confidenter reposcant: quid eos qui fluctibus mersi sunt bellisque prostrati, et post latronum cædes exsequiis funebribus caruerunt, **C** escis, non sepulcris membra linquentes; numquid credibile est in eadem quæ habuerint corpora posse restitui, cum etiam reliquiæ cinerum non queant inveniri?

ZACCH. — Si Deum posse omnia crederes, hoc denique facto facile judicares, neque humana disputatione discerneres, utrum fieri possit quod faciendum ille dixisset: et ideo fides summum pro bonis omnibus meritum est, quia quæ Deus dixerit, implenda non dubitat. Rei autem hujus hæc ratio est: elementa omnia cunctæque creaturæ nullo quidem nobis sensu intellectuque respondent, et ad observantiam tantum proprii ministerii videntur bruta subsistere, quoniam vel indigni eorum imperio sumus, vel mundi arcana nescimus: Deum autem et **D** intelligunt et verentur, atque ita jussis illius obsecundant, ut ad nutum præcepta mox impleant. Quælibet ergo exesis corporibus piscium, bestiarum aliumque digestio aut aquis miscetur, aut terris: nec fieri ullo pacto potest, ut ex eo quod qualitercumque substiterit, nihil restet; sed pretiosiorem

[a] Voculam *nam* addidimus e codd. Vind. et Lem.; infra altera pagina scripsimus *recepturæ*, ubi prius legebatur *receptura*; hoc enim de animabus dicitur.

[b] Sic in cod. Vind., in editis *es de resurrectione, si Deo*: sed eas voces imperitus quidam librarius obtruserat. Infra *ut esset* ascripsimus ex eodem codice.

[c] Ita restituimus, cum in editis legeretur *capit*, et in Vind. *capiat*. Totum hoc caput ita editum erat, ut intelligi vix posset: nunc servatis interpunctionum legibus, quarum nullam Acherius rationem habuerat, egregias sententias perspicue in eo deprehendes.

[d] Hic etiam codicem Vind. sequimur: in priore editione habetur *ex uno*, male. Haud ita multo post ubi *testis effectus est* legitur, verbum *est* addidimus.

[e] Posterior hæc vocula addita est e cod. Vindoc.

materiem quacumque deciderit, hæc duo elementa [a] conservant, et in se velut speciali colore distinctam resurrectioni redditura custodiunt, nec residere umquam velut perditum poterit quod et divinitus inquirendum est, et sponte prometur: sic famulantibus cunctis dispersorum viscerum reliquiæ in suam formam corpusque rediture sunt; ita ut in resurrectionis miraculo inde fidei meritum credentibus augeatur, unde aliis incredulitatis augmentum est.

CAPUT XXV.

Si mundus reparetur in melius.

Apoll. — Jam dudum in hoc tractatus tui tendit intentio, ut cum elementa singula ex nibilo facta commemores, etiam mundum quem ex semetipso esse, et sua credimus æternitate mansurum, et initio minuas et fine concludas; ac licet assertionis tuæ ordinem teneam, quo factum a Deo in præcedentibus meministi: quemadmodum tamen inexplicabilis poli molem aut factam credi velis, aut sicut nunc est non semper futuram, ratione confirma.

Zacch. — Omnia igitur elementa quæ vos Deo velut coæterna numeratis, ab ipso, sicut jam dixi, et ex nihilo facta sunt, et in hanc mundi formam mirabili conspiratione sociata; quæ sicut initium ex Dei creatione sumpserunt, ita perennitatem ejus beneficio consequentur: et ideo ei coæterna non sunt a quo facta sunt; quia nulli dubium est auctori quælibet non solum paria non esse, sed esse subjecta. Hoc autem intellectui apertissime patet mundum ex pluribus fuisse compositum; unde adverti facile potest non illi inesse, sed præesse divinitatem, quoniam alterius adjumento divinitas sola non indiget, sed una in se et simplex atque perfecta est, quia incorporalis; et ideo invisibilis et incorruptibilis Deus est: quæ in hujus mundi actu et contemplatione non ita sunt, sed corporalia esse, etiam ea quæ ex ipso mundo gignuntur ostendunt. Quæcumque præterea ab eodem vel agi cernimus vel creari sub dispositione divina, non suæ voluntatis, sed officii sunt. Aspice transitus solis lunæque discursus, et utrique quotidie per vicissitudines temporum vel ortum vel occasum esse repetendum. Adventu noctis sol diem perdit, quem tamen nec semper objectu nubium velut exclusus [b] illuminat. Luna sui patitur detrimentum, et plenitudinem luminis sub constitutione rectoris aut perdit, aut recipit. Varius præterea siderum lapsus, et rationi signa famulantia, et intumescens notis mensibus mare, et sub certa horarum dispensatione excessum modumque custodiens aut sereno quiescit, aut tempestate turbatur. Terra imbribus infusa mollitur, eademque rursum aut gelu stringitur, aut calore siccatur: quia et aspectu Dei metuens contremiscit, et se imperio subditam motu fatetur. Ipsum aerem perniciosior halitus sæpe corrumpit, et postquam gravaverit, efficit pestilentem. Vincuntur piis ad Dominum precibus pluviæ, et prolixa rursum serenitas supplicatione mutatur: cunctaque aut impositæ serviunt rationi, aut in usum hominis necessarium sub religiosa deprecatione vertuntur.

Hæc vos appositis nominibus pro Deo singula atque universa veneramini. Quod si ita est, falso dii æstimantur, et error in promptu est; si vero aliquos qui iisdem ex arbitrio Dei præsint, apertæ stultitiæ est subjicienti æquare subjectos. Dii enim plures non sunt, sed unus nascentium viventiumque formator sicut fecit omnia, et regit, parique imperio vel mansura efficit vel casura decernit. Vides ergo Deo soli initium non apponendum a quo omnium processit exordium, nec consempiterna majestati illius æstimanda, quæ ut æterna sint, sicut de homine, ipse facturus est. Illo enim adveniente destructa in melius mutabuntur, ut immortalia cum homine perdurent, quæ nunc utique nostris criminibus, licet invita et gementia, aut passione tamen polluuntur aut visu; quoniam quæ a passione immunia sunt, contaminantur aspectu (*Rom.* VIII, 20, 22). Ita fiet ut etiam elementis cum homine in melius innovatis, memoria auctoresque intereant vitiorum; cum etiam illa purgentur quæ ingenitam puritatem non factis, sed factorum scientia perdiderunt.

CAPUT XXVI.

Cur frustra adorentur idola, si in templis donant responsa.

Apoll. — Credi quidem arduum est, ut mundus tanta virtutum admiratione consistens aut destrui umquam possit aut refici; sed quia immutandum Dei possibilitate confirmas, quid futurum sine ullo erit? aut qualis reparatio est effectura clariorem, cujus tanta vel magnitudo vel gratia est, ut nec magnitudo ejus ratione aut notitia deprehendi, nec splendor possit augeri? Quæ ergo super hoc definitio vel sententia sit sequenda, promissæ instructioni convenit non sileri.

Zacch.—Recte quidem dicis, intellectibus nostris ad integrum in Dei providentia indeprehensibilem esse rationem; sed præsentis gratiæ formam multiplex splendor aucturus est: quoniam longe amplior ei a Creatore lux veniet, quam [c] est ab eodem inserta creaturis. Ergo invisibilia metiri ex visibilibus nos oportet, et incorruptibilia de corruptibilium admiratione pensare: justis autem in gaudia æterna surgentibus, cœlum novum et rudis terra revelabitur: multiplicatum perinde supra solem ex Dei conspectu se lumen infundet; quia multo magis sol a Deo distat, quam nos ab eodem sole distamus. Hi potius quos ad hanc vitam diversis justitiarum gradibus merita provexerint, splendorem solis habituri sunt, et ita singuli indeptæ felicitatis honoribus perfruentur, ut nec altior efferatur, nec spernatur inferior, sed

[a] Sic codex Vind. et infra idem, ac Lemov., *prometur*. In editis *conservent... custodiant.... promitur*.

[b] Ita codd. Vind. et Lemov.; in priori editione *exclusum*, haud ita bene.

[c] Voculam *est* addidimus e cod. Vind. Infra in eodem et in Lemov., *omnium specierum nulla*.

gaudia sua unusquisque sic diligat, ut claritatis distantiam pari immortalitate compenset. Nulla tum interjectio noctis continuitatem diei lucisque violabit: præsens enim cernentium visibus Deus, et beatorum lætitiæ semper socia divinitas obscuritatem fugabit, diemque junctura est. Non livor miseros, non suspicio vexabit incautos, nullus animi ac viscerum dolor; nullaque peccati vel necessitas, vel occasio, vel voluntas mortem aut mereri faciet aut timeri: vernabunt cuncta cum fructibus, omnium specie nulla temporum varietate mutata: odor cum amœnitate certabit: non illic importunæ obscuritatibus pluviæ, aut perennis auræ libertatem rigor calorque corrumpet: sed manebit perpetuo blanda temperies, et inæstimabilia illius beatitudinis gaudia præteritorum recordatio nulla vexabit; ita ut præsentis mundi usum etiamsi abolitio futura non tolleret, transisse tamen gauderent justi potius quam dolerent.

CAPUT XXVII.

Si Deus solus debetur honorari, quare et homines honorantur, et imagines sculpuntur in vasis Dei.

APOLL. — Magna est, sicut dicis, adhortatio futurorum, sed nondum patuit gentilium [a] vanam religionem, aut vacua honore divinitatis numina nuncupari; quando et certa ex adytis responsa præstantur, et futura noscuntur in templis: quæ si et vera sunt et quærentibus prosunt, frustra Christiani destruere conamini quod eripere non potestis.

ZACCH. — Hæc quidem quæ in templis ostendere extorum inspectio solet, et ex adytis velut futura portendere, nec semper vera sunt, et nulli umquam, ut arbitror, prosunt; quia si adversa sunt, et ad correctionem ex Deo veniunt, nisi ab ipso non queunt immutari. Et denuntiata scisse quid prodest, si vitari prædicta non possunt? si autem ex Deo non sunt, nec bona possunt esse nec vera, et sicut haud officiunt, ita nihil prosunt: sed sive sunt falsa, seu certe ex proventu habent aliquid veritatis; omnia figmenta sunt dæmonum, qui et sperari a se volunt, et sperantes decipere consueverunt; ut cum a Dei cultu homines abstraxerint, etiam beneficiis exuant atque ab ejus bonitate disjungant. Hi gentilium obsident templa, hi sub mortuorum hominum nominibus sedem in vestris adytis collocarunt; et quia illis nusquam præterea consistendi in terra locus est, aerem sub nubibus præcipites incursant, volucrique discursu omnia perscrutantes, aut jam visa denuntiant, aut a se nequiter facienda quasi ut caveantur, adversa prædicunt. Nam licet nequam et incerti sint spiritus, omnique crimine reatuque polluti; incorporalis tamen, ejusque substantiæ cujus dignitatem amisere cum cœlo, naturæ beneficio et vigore A non carent, ac plus quam homines sciant necesse est, quorum et creatio sublimior est, nec terreno corpore sensus includitur. Et quæ, rogo, illorum divinatio est? Nonne similiter cum hominibus quos per vitia ceperint, Christi invocatione terrentur? Volunt quædam sponte prædicere, et de absentibus vel futuris, velut manifesta denuntiant, dum aut medelam cruciatibus sperant, aut prædicturos imitantur ut fallant. Omnis tamen divinandi simulatio de rebus actibusque terrenis est: nihil ante factum, quod sit Dei [b], prævident; nihil prius quam videant cœleste noverunt; et quod magis mirere, ne cogitationes quidem in cordibus hominum deprehendunt.

His ergo non pudet cultum veræ divinitatis ascribere, his vitam hominis spemque committi, qui- B bus circumscribendi semper dolus est, et fallendi pro divinatione subtilitas? His etiam simulacra aut igni excocta componitis, aut in ligno vel sculptilibus adoranda præbetis, ex quibus is vobis venerabilior deus est, qui artificis manu melius expolitus; et hoc divinitas clarior, pictura si pulchrior: nec requirendi Creatorem studium est, aut agnoscendi Deum verum sensus apponitur. Nonne manifestæ dementiæ est, his quasi Deo hominem subjici quos tibi possis Deum credendo subjicere, et ab his vitæ auxilia postulare quos in reatu esse non dubium est? Quos si profuturos putas, et ideo placari debere confidis; profuturos cuiquam crede propitios, si spreti a fidelibus nocent, si his a quibus propter Deum contemnuntur officiunt. Cum ergo nos ti- C meant, [c] vobis præsunt. Et vide qualiter haberi debeant, qui nec prodesse umquam possunt, nec semper nocere, cum et sit facilius, et velle non desinant.

CAPUT XXVIII.

Quare Christiani fatum non credunt.

APOLL. — Habet quidem speciem veritatis objurgatio tua, sed potest recurrentibus confutari. Nos enim eorum simulacra vel imagines adoramus, quos vel vera religione deos credimus, vel antiquorum traditionibus [d] docti deos non esse nescimus: vos vero quibus istud abominatio est, cur imagines hominum vel ceris pictas, vel metallis defictas sub regum reverentia etiam publica adoratione veneramini, et ut ipsi prædicatis Deo tantum honorem debitum etiam hominibus datis? Quod si et illici- D tum legique contrarium est, cur hoc facitis Christiani, aut cur hoc vestri non prohibent sacerdotes, ne id quod ignorantibus nobis pro sacrilegio ascribitis, scientes sub officii excusatione subeatis?

ZACCH. — Istud quidem nec debeo probare nec possum, quia evidentibus Dei dictis non elementa, non Angelos, nec quoslibet cœli ac terræ vel aeris

[a] Optima codicis Vind. lectio: in priori editione corrupte *nondum gentilium potuit vana religione*. Alia sunt quæ ope ejusdem codicis deinde emendavimus; sed leviora sunt, quam ut singula indicare necesse sit.

[b] Totum hoc de rerum cœlestium cognitione e margine in textum revocavimus. Illud, *quod sit Dei*, vix ferri potest; itaque libenter legero, *quod solius est Dei*.

[c] Sic codd. Vind. et Lemov. emendate: prior editio, *vobis prosunt*, corrupte.

[d] Uterque codex, *ducti*, fortasse melius: haud multo post iidem codices, ubi legitur *nobis pro sacrilegio ascribitis*, habent tantum *nobis objicitis*.

principatus adorare permittimur. Divini enim speciale hoc nomen officii est, et altior omni terrena veneratione reverentia: sed sicut in hujusmodi malum primum adulatio homines impulit, sic nunc ab errore consuetudo vix revocat; in quo tamen incautum obsequium, non aliquem divinum deprehenditis [a] cultum. Scilicet propter similitudinem amabilium vultuum gaudia intenta plus faciunt, quam hi forte exigant quibus defertur, aut perfungi oporteat deferentes; et licet hanc incautioris obsequii consuetudinem districtiores horreant Christiani, nec prohibere desinant sacerdotes; non tamen Deus dicitur cujus effigies salutatur, nec. adolentur thure imagines, aut colendæ aris superstant, sed memoriæ pro meritis exponuntur, ut exemplum factorum probabilium posteris præstent, aut B præsentes pro abusione castigent. Vides ergo nil vestris erroribus simile in hoc esse quod arguis, nec juste profanis actibus officia incautiora conferri; quando etiam ipsi ad quos referri istud potest, aut fieri hoc nolint si consulantur, aut quamlibet vanæ gloriæ consuetudinem non recidant, nihil temere assumentes divinum, mortales se esse, et Dei indignos honore fateantur, cui et quod sunt debent, et fide ut hoc essent fortasse meruerunt.

CAPUT XXIX.

Quare Christiani fatum non credunt.

Appoll. — Advertere in hujus propositionis principio potuisti, tenui me objectione ista libasse, quia professionis vestræ perfecta, ut vultis, observatio, nil penitus quo exasperari Deus possit, debet adC mittere: nunc autem neglectis his, hoc si videtur signanter exprome, cur fatum homini esse nolitis, aut quam ob causam nullam decreti necessitatem videri; cum hæc ipsa per cursum siderum lunæque rationem ita inveniantur et certa sint, ut nemo facile devitet quod futurum ei [b] statuta propriæ nativitatis affixerint.

Zacch. — Credo intelligas ex interpretatione sermonis fati nomen assumptum, et quod vocari putatur in specie non rei alicujus esse, sed verbi; decreti autem necessitas si est ulla, quod credi nefas est, humanæ vitæ Deus aut ignarus est, aut injustus: injustus, si bona malaque inexpertis ipse constituit; ignarus, si decerni ab alio se cessante permittit. Nam si necesse est bonos esse, cur ascribuntur D merita voluntati; si malos, cur pœna commissis? Ergo et lex supervacua est, et nescio quam ob causam sæculi jura condantur, si quod recte homo gesserit, proventibus ascribendum est; quod prave, necessitati. Cur præterea idem bonorum potius conditor Deus tantis scripturarum voluminibus vel comminatur judicium, vel beatitudinem repromit- A tit? Quid religiosæ hominum preces faciunt, aut supplicatio enixa quid præstat, si potestas aliqua decreti inexpertis hominibus atque in lucem nascendo prodeuntibus, quod vitari non queat, et quod ipsi videtur affigat? At contra, justus et nulli umquam inæqualis judicio Deus, sicut cuncta ipse formavit, ita et cuncta moderatur, legem ab initio statuens, ut boni tantum simus; immo quia sic creamur et nascimur, ne mutemur: neque tantum ne mali simus, sed ne vel mali esse velimus, ut et faciamus semper bona, non ut merentes mala aliquando patiamur.

Verum hanc de homine, ut videtur, præscientiam malitiarum omnium diabolus auctor invenit, ut velut per innoxiam mathesim occultius decipiantur, qui fraudem illius hanc [c] esse non norunt. Inter omnes enim scelerum suorum artes nulla dubios perniciosius appetit, nec alia a Dei cultu subtilius homines avocat, quam ut, cum sciamus omnes Deo nos debere quod formamur et nascimur, fato nos suadeat debere quod vivimus. Fallimur nisi hæc quibusdam pro tota religione præcipua cura est ut futura non nesciant. Velint nolint, ei a quo scierint efficiuntur obnoxii, quia credunt; ac dum ista sectantur, a fide et religione discedunt; et, quod est sævius, sub specie innocentiæ malum non cavetur, dum vitari posse non creditur, neque si est prosperum a Deo poscitur, quod necessario eventurum speratur. Intuere præterea ipsam maleficiorum scenam: signorum qualitas, status lunæ, dies, hora, consulentis nomen inquiritur. Ecce jam incerta divinatio est, ubi falli interrogans vel respondens potest. Fit postea quicumque prosperorum gradus, et cum evadendi conditione prædicuntur adversa. Nempe etiam hic memorati artificis fraus elucet, quod esse fateatur incerta, quæ evadi posse denuntiet. Deus enim innoxiis adversa non statuit, [d] inexpertis mala non tribuit. Vides ergo et divinæ patientiæ et humanæ curiositati fraudem diabolicæ artis illudere, et velut in supputatione lunæ ac siderum cursu occultum perfidiæ vulnus et virus latere, ut inter cognitionem ac præscientiam futurorum et reverentia Dei, et amor justitiæ apud homines minuantur, cum Deus aut mala nascentibus statuisse credendus sit, aut ab alio constituta auferre non posse.

CAPUT XXX.

Si diabolus in occultis nocet, quomodo potest in cursibus lunæ vel siderum cum sint in præsenti nocere.

Apoll. — Quantum video magna est diaboli hujus potentia, quia contra Dei, ut intelligitur, voluntatem, etiam lunæ ac siderum cursui ea per quæ hominibus nocere possit, inseruit: verum tamen

[a] Sic ex ingenio restituimus. Nam in editis et in mss. *cultum, sed:* corrupte.

[b] Posteriorem vocem adjecimus e codd. Vind. et Lemov.

[c] Sic codex Vind.; prior editio, *esse non credunt*. Infra ubi ex eodem restituimus *nec alia a Dei*, legebatur corrupte *nec alias a Dei*.

[d] Sic edere maluimus, quamquam nullus codex faveret, quam quod antea legebatur *inexpertis magna*. In fine etiam capitis reposuimus *posse*, cum editum esset *posset*.

quo pacto aliunde venire credenda sunt, quæ illic inspecta noscuntur? Arbitror autem in occultis falsitatibus illudi homines ab eo posse; mathesim vero cum signis ac sideribus simpliciter convenire: ac non ideo noxiam debere judicari, quia nihil de casibus subtrahit, sed magis utilem, quæ aut denuntiet prospera, aut cavenda prædicat.

Zacch.— Prius dixi mathesim hoc esse sævius malum quod innocens æstimatur; sed licet investigabili subtilitate tecta atque conclusa sit, actus sui tamen, sicut exposui, corpore ac fine reseratur. Ex Deo enim non est; et idcirco nec sideribus cohærere credenda est; quæ primum incerta et infidelis, deinde inanis est operis, et idcirco observari supervacuum est nil profuturam. Multæ autem stoliditatis est ab eadem prædicta metuere, quæ et cum prædicentis confessione evadi possunt, et præcipue conversis ad Deum precibus superari. Prosperum vero aliquid ab eadem sperare perstultum est, cum tam facile aut falli possit aut fallere. Sed finge verum aliquando denuntiet; quod consilium est cum manifesto reatu ab hujusmodi prodigiis dubios potius exspectare proventus, quam in fide semper securum, vel medelam a Deo sperare vel meritum? Hoc magis noveris, quemdam esse diabolo in sceleribus principatum, atque huic immundorum spirituum ministeria diversa servire; sub illius enim flagitiosa divisione alii concupiscentiæ faces præferunt, et luxuriæ fomenta succendunt: per quosdam in præceps fertur libido, atque avaritia [a] officiis suis utitur; alii amore habendi cruenta persuadent, et fraudes furtorum sorores. (Lætantur ad cognitos.) Illi mæroribus præsunt, et qui terrores metuentibus ingerant certi sunt: aliorum exercetur turba cruciatibus, ut sævius infelicium hominum corpora vexatione quatiantur: a quibusdam sub incremento lunæ augetur insania, et tamquam de plenitudine purissimi luminis captorum labes veniat, sub quadam mali dimensione aut exaggeratur aut incipit: nonnulli magicam præstolantur artem, et mentiri mortuorum figuras in meditatione deputant: his etiam divinationibus doctiores præcurrunt, et fallendi subtilissimos velut simplex mathesis amplectitur. Alii in avibus auguria præcinunt, et volantum lapsus certis laterum partibus monstrant; atque ita illo falsitatum omnium incentore vel præsule, diversis criminum stipendiis dæmones militant, ut indefessos humano generi laqueos prætendentes, vitari ab hominibus ferrique non possint; si tamen, sicut illi vel credi semper vel fieri volunt, totum aut crederetur aut fieret.

CAPUT XXXI.

Qui sint dæmones, et a quo diabolus.

Apoll. — Opportune ad responsionem interrogatio A dudum sequestrata descendit: unde igitur quive isti sunt dæmones quos dudum in templis gentilium commorari, et nunc universis vel præesse vel interesse criminibus signantius edidisti? Quis eorum similiter princeps, quem diabolum vocas? vel unde ad hæc opera sunt dejecti, si ulla his tamen sublimioris naturæ dignitas fuit? Effici enim per eos quæ in superioribus meministi, non nisi ipsorum genere et qualitate monstrabitur.

Zacch. — Eadem quidem etiam nunc illis est natura quæ ab initio fuit, quia quod semel creaverit Deus, aut in melius mutat, aut ipse non abrogat: cœlestem vero dignitatem non sui Creatoris, sed voluntate propria, perdiderunt. Unde quia et offensæ causas requiris, ex Scripturarum ratione utraque B cognosce. Duo creationum genera cum omnia conderet, præcipua Deus fecit, quibus secundum officium tribuit et sensum: in cœlis Angelos, homines in terris: incorporales sunt et vere spiritus Angeli; nos vero cœlestes sensus intra corpora terrena gestamus. Et cum munere Creatoris voluntas utrisque sit libera, major est tamen in hominibus occasio delinquendi; quibus et animo et corpore cavendum est: nam desideriis animæ, corpora actibus peccant.

Illi ergo propiores Deo, qui magis liberi; et quia imperiorum ejusdem ministri semper ac medii, ideo plus scientes. [b] Ergo (ut) quæcumque in terris agi potestatum et dignitatum gradibus vides, umbra cœlestium est: ita et illic magis secundum Dei datum et disciplinæ et ordinum modus præsidentis C Dei servit imperiis, atque ad nutum ineffabilis majestatis innumerabilem Angelorum multitudinem, Archangelorum obedientia regit. Qui nunc autem diabolus et dæmonum princeps, primus omnium Angelus fuit; qui factura et gradu cæteris præeminens, dum effertur superbia, infra omnes effectus est: videri se etenim Deum, quod non erat, voluit; et quia primus inter omnes factus fuerat, Divinitati se comparando honorem Creatoris assumere: ob cujus ausi præsumptionem cum aliquantis ex inferioribus, qui assensum præbuerant, ejectus e cœlo est; quos postquam secum traxit ad terras, tamquam amissum reparans principatum, ex Angelis satellites suos fecit; et, sicut paulo ante memoravi, officiis criminum malisque lapsorum, D negatum in cœlos reditum consolatur. Hic primum hominem ad temerandam præcepti legem in serpente prævius et suasor animavit, et in consequentibus semper bonam nostri creationem per vitæ blandimenta egit in crimina; et quamlibet per manus hominum, hoc tamen Christus insistente crucifixus est.

Illi invidia, tumor, crudelitas et mixtus concupiscentiæ luxus in sordibus cordi semper et gau-

[a] Hoc ut intelligat, monendus est lector, vocem *officium* ita hic accipi ut in codice, et in notitia dignitatum imperii, pro ministris sive *officialibus* præsidis. Quæ uncinis inclusa vides, ea supersunt ex commate in quo Zacchæus scribebat immoderatæ lætitiæ præesse dæmones, quibus id munus a principe dæmone collatum erat.

[b] Voculam *ut*, quæ in editis et in mss. deerat, ideo adjicimus quod necessaria videatur. Infra *et disciplinæ* edidimus ex Vind., nam antea legebatur *est disciplinæ*: male.

dio est: et ne semper impia vel polluta sectando subtilis nequitiæ figmenta nudaret, informationi atque effectibus scelerum honesta permiscuit; videri studens sibi virginitatem placere, dicari debere idolis castitatem, ut quod re destruit, ambiret in nomine; purificatis etiam plus quiddam fallaciæ suæ præstans, et quamlibet homini sectam libenter indulgens, dum Deum nec ignoratum aliquis [a] scire queat, nec agnitum ex ipsius voluntate ac lege veneretur. Hi ergo dæmones, et hic eorum diabolus princeps: hos Christi nomen intra hominum viscera abditos terret et cruciat. Hi omnibus memoratas superius insidias struunt, quos metu nequeunt illecebris capientes, ut cum quolibet modo offensos Deo fecerint, ab spe immortalitatis abducant et oblectatione præsentium, et incredulitate futurorum.

CAPUT XXXII.

Cur præscius futurorum Deus fecerit diabolum, qui futurus esset hominibus inimicus.

Apoll. — Si tam malus est diabolus quam dicis, et tam pertinax criminum, futuri præscius Deus nec malum creare debuerat, nec tanto culmine dignitatis efferre, ne aut sibi obvium, aut hominibus crearet inimicum; cujus quæ ratio facti sit, si scientia suppetit, narratio subsequatur.

Zacch. — Nihil malum penitus in suo opere Deus fecit, nec insitum in his creaturis aliquid noxium est, sed ab his potius appetitum, quia ut placerent facta sunt omnia, non ut nocerent: sed primum Angelis sicut hominibus postea liberam Deus præstitit voluntatem, alioquin in nullo præter naturam mutis animalibus [b] præstitissent, hoc est sicut jam de hominibus dixi, in quodam ignorantiæ torpore compositis aut licerent omnia, aut omnia non licerent. Fons ergo totius rationis Deus irrationabiles sibi erat creaturus ministros? Aut quæ ipsorum sensibus ratio, si nulla voluntati potestas? Quæ postremo obedientia, aut quis Dei cultus nisi jubentis imperiis consequens esset similitudo famulantum? Quod si propter uniuscujusque voluntarium malum creator est arguendus, quod dici nefas est; et de omnibus hoc modo argui potest, quia ad bonum usum facta sunt omnia, et malos exitus habent, si his aliter uti velis.

Numquid malum est ignis? et certe quæ importune admoveris exuruntur: terra obruit, sed cum subruitur: non naufragiis maria congregata sunt, et tamen intempestive ratibus adita submergunt. Numquid ad decidendum celsa constructa sunt? et nisi summis cautius consistamus, excidimus. Vertendæ in sulcos terræ atque excidendorum causa lignorum ferrum hominibus datum est, et exin gladios bella sumpserunt. Numquid in resti mors posita est? et multi vitam laqueo finiunt. Quis hominum lapidationibus saxa, quis ligna crucibus deputavit? Numquid summæ dignitates idcirco regibus dantur, ut tyrannides facilius assumantur? Quam bona creatio vini est! et acceptum effusius gignit insaniam. Ipsi herbarum succi qui profuturis medicaminibus admiscentur, aut sævius insciis nocent, aut largius hauriuntur et perimunt. Creandorum liberorum causa sunt permissa conjugia, et ex licitis cultibus adulteria admittuntur illicita.

Quid, rogo, æquius facere Deus debuit, quam rationabilem Angelorum et hominum creaturam, atque hanc nec libertate privaret, et scientia cautionis imbueret? Quod si futuri præscius Deus creare hujusmodi, aut cæteris præferre non debuit, ergo nec hominem facere aut cunctis præferre debuerat, quem peccaturum sciebat: et sicut tu dicis, ne ipsa quidem fieri elementa debuerunt, si nullius erant usui profutura, vel quoniam nocere universa possunt, si iisdem non ita utaris ut facta sunt. Quanto hic divinæ providentiæ probabilior ordo est, idcirco illi primum summa committere, qui erat ausurus illicita, ut attentior successoris cura justitiæ et [c] amare creatorem institueret et timeret, ac simul tentari eum nec ab Angelis impune monstraret, qui ob præsumptionem etiam Archangelum dejecisset. Vides ergo Dei creatione bonum factum, atque ipsius beneficio in sublimibus constitutum voluntate propria, quam liberam acceperat, et bonitatem mutasse malitia, et dignitatem insolentia perdidisse.

CAPUT XXXIII.

Si peccavit diabolus cum sociis, quare non statim interfectus est.

Apoll. — Etiam hæc cum ratione facere videntur quæ de diaboli creatione casuque dixisti: sed quid causæ sit quod, post ausum tantæ temeritatis, sicut jam quæsivi, deletus statim cum satellitibus non fuerit, signanter edissere.

Zacch. — Dei judicium non tantum ex potestate, sed ex ratione est, [d] qui in condemnatione non judicantis solam vult esse sententiam, nisi et conscientiam delinquentis per quamdam pœnitentiæ comperendinationem, misericordiam semper ad se reverti cupientibus præstans. Et licet in omni æquitate sua justus sit, est tamen in miseratione propensior, neque ad ulciscendum celeri indignatione festinat cujus judicio nemo succedit. Salvare ergo, non perdere quod creavit studet, et inde inenarrabilis patientiæ nec præcipitis aliquando vindictæ est: quod si idem diabolus cæterique ejus perditionis soc[ii] ante augmenta consequentium flagitiorum, et secretorum cœlestium quæ ex parte sciebant, proditionem obnoxias pœnitentiæ manus dedissent, humilitatis exoratione crimen superbiæ diluentes; profecto in

[a] In vind. *scire quærat*, nescio num melius. Haud ita multo post ubi, *hos ergo Christi*, vocem *ergo* delevimus ejusdem codicis auctoritate freti.

[b] Hasce duas voculas quæ in editis deerant, adscripsimus e cod. Lem.

[c] Sic codex Vind. in priori editione, *amari* ... *et timeri*.

[d] Ita e cod. Vind. restituimus, cum antea legeretur, *qui condemnationem*.

eos honor redisset angelicus, nec miseri in eorum nunc sordibus volverentur, quos captos, nequitiarum laqueis deprimunt, et infelici sorte vitiorum tamquam in solatium suæ perditionis adsciscunt.

Vide præterea inter delicta et justitiam hominum dæmonumque certamen, ex compugnantibus inter se luxu atque virtutibus, præmium immortalitatis exsistere. Spectat nos quotidie præliantes meritorum arbiter Deus, et spiritales insidias fragili corpore superari placidus intuetur: debuit profecto tam sublimis creaturæ culpa sic plecti, et erecta in Deum Angeli superbia hominibus subjugari, ut qui sibi auctorem suum præesse noluerit, subditorum prius nunc imperia pateretur, et quamlibet in pejorem partem homines voluntatis suæ dominos pertrahat, plures tamen [a] per se ad Dei sedem virtutum ac fidei probatione transmittit. Vides ergo diabolum ejusdemque participes futuro judicio per providentiam Dei etiam cum quadam hominum utilitate servatos, ut et longanimitas creatoris lapsis pœnitentiæ locum daret; et si indulgentiæ spatia nihil profecissent, sua potius quam Dei sententia damnarentur; quorum reatui quotidie extrinsecus illud accrescit, quod licet ad justitiam hisdem impugnantibus exerceamur: nihilominus tamen et eo magis obtinet terrena fragilitas, quod hi nullo adversante in substantia angelica perdiderunt.

CAPUT XXXIV.

Quare Deus non angelum misit, qui aut hominem restitueret aut diabolum perderet.

Apoll. — Intelligo assertionis tuæ summam in hanc venire sententiam, ut Dei Filium Christum non solum ad restituendum hominem, verum etiam ad condemnandum diabolum ejusque consortes, vel jam ad terras venisse, vel iterum venturum esse confirmes; quod si ita est, potuit et Angelus mitti, qui absque injuria Dei et discretos a bonis malos perderet, et ipsum cum sociis malorum principem divina auctoritate puniret.

Zacch. — [b] Prima est quidem causa qua Christus Dei Filius veniendi ad terras habuit voluntatem, ut vel periturum hominem perire non sineret, vel perditum repararet: sed hoc quoque ejus providentiæ junctum est, ut diabolum atque ipsius socios sicut in homine in primo superavit adventu, ita in homine judicet in secundo; nec difficile Deo fuit per quamlibet cœlestis militiæ potestatem finem præsenti sæculo mittere, et punire prædictos: sed quia memoratus nequitiarum auctor Deum se, sicut jam exposui, voluisset videri, ut coram qui uterque esset ab Angelis et hominibus nosceretur, manifestari Dei Filium visibiliter oportuit, et præsumptorem cominus confutari, ut nulla deinceps de intellectu unius majestatis apud utramque creaturam dubitatio linqueretur. Ilis præterea additur causis, quod hominem sub conditione immortalem antea factum, idem restituere in melius debuit, qui ante plasmaverat. Etenim indecens erat si a Deo corruptibilis homo factus ab Angelo incorruptibilis redderetur, postea quam hoc fidei probatione meruisset. Quid vero Dei munificentia dignius, quam ut præsentiam suam in summam beatitudinis præstet, et quod homini negaverat inexperto, indulgeat restituto? Ut postremo quem tantis malorum passionibus sequimur, quem cum sæculi invidia et periculis confitemur et credimus, sicut cupimus, ab his omnibus liberati, in sua videamus majestate regnantem.

CAPUT XXXV.

Cur iniqui florent et recti premuntur.

Apoll. — Firmata est intra animum expositorum fides: sed, ut nihil cunctationis resideat, jam credenti pande, quæso, quæ vis florere iniquos facit, vel deprimit rectos; et cum de homine, sicut aperuisti, tanta sit Deo cura, tam prava nihilominus utrosque diversitas agat, ut cum in illis malorum et voluntas et actus sit, copia contrario cedat bonorum; his prospera denegentur, quos magis æquum est esse locupletes.

Zacch. — Facilis rei istius intellectus est, nec tota in spiritalibus experimenta quærenda sunt; quoniam evidenter etiam præsens conversatio docet quo pacto aut iniquis affluant cuncta, aut necessaria bonis desint. Hi enim versa actuum vice non solum pertinaciter quæsita concludunt, verum insuper populantur aliena; hi quibuslibet lucris totius vitæ tempus addicunt, et in pecunia spem requirunt. Hi autem propter occasionem delicti etiam honesta compendiorum studia devitant, ac bene parta pertinaciter non tuentes, quietem jurgiis præferunt, et auctorem justitiæ vindicem sperant. Additur, quod pravos miseratio numquam permovet, aut ad data exigua vix educit. His vero inopum sumptus operi est, et prompta semper in opere bonæ voluntatis expensa: quia vero morum subversio ex abundantia maxime venit, suos tantum incentor criminum fovens largas exsultantibus sufficit opes; ut successibus gaudiorum luxuria subrepat: deinde in comessationem exuberatio vertatur, et captiva temulentia vitiis irrigetur. Hinc ad Deum minor abundantibus cura est, et fiducia præsentium sperare non sinit divitias futurorum; prolixæ autem patientiæ Deus et tumentes in dissolutionem projici sinit, et angustatos in passione confirmat, promissum cunctis judicium redditurus, ut hoc illic percipiat unusquisque quod hic egerit, hoc in perpetuum patiatur, quo inferiores ac subditos temporarie despiciendo vexaverit.

CAPUT XXXVI.

Si justus est Deus, quare infantes, malorum nescii, diversis malis afficiuntur.

Apoll. — Aperte etiam hujus interrogationis

[a] Hic etiam codicem Vind. sequimur: nam in priori editione legebatur, *præ se*, nullo sensu. In fine, *quod hi nullo*, reperer at in uno codice Acherius, *et nos* in Vind. reperimus: quod quidem haud paulo melius est, quam id quod edidit *quam nullo*.

[b] Sic codex Lem.; in editis, *prima et quidem*, male. Ibidem Acherius monet in uno codice legi: *Deus filius venit ad terras, ut...*

membra patuerunt; et nisi molestum vererer aliquid tamquam in cumulum præstitæ hactenus expositionis adjicere, non supervacue inquirerem quid hoc sit, quod vitiorum ac peccatorum penitus inscii diversis malis afficiuntur infantes, ac nonnumquam ex utero prodeuntes aut debilitas occupat, aut ad mortem immatura vis præripit; quod sæva innoxios vexat insania, nec majestatis indubie pietas et justitia omnibus prompta succurrit. Unde si, ut dixi, tædium non est, breviter cuncta ostensurus eloquere.

ZACCH. — Amplius quidem postulas quam sufficere possit credenti, et necessariæ scientiæ terminos inquisitione [a] prætergrederis: sed ne in fidei susceptione ex aliquo incertus nutes aut hæreas, atque ut in nullo de Dei justitia infidelium disputatio locum teneat; quid sentiri debeat adverte. (Ex quatuor elementis hominem Deus fecit, siccis, humidis, calidis, frigidisque. In splene frigida, calida ponuntur in felle, in sanguine humida, sicca reputantur in ossibus, miraque, ut intelligis, conspiratio hæc ex contrariis factoris opus in homine conservat, et divinæ artis ingenio, præstantiorem speciem sociata demonstrant quam in semet prius singula retinebant. Sic ire semper in melius quidquid a creatore renovatur, apparet. Hæc ergo in conceptionem æquis partibus confluunt, atque ita ex omni viscerum regione conveniunt, ut in nullo æqualitatem germina Creatoris excedant; sed hanc nascendi integritatem aut parcimonia aut nimietas temperat parentis alterius, et quod male prævaluerit coalescenti intra uterum, vel mox ex utero prodeunti aut valetudines gignit aut mortes: geminæ enim in homine venæ sunt, quæ præcipuum inter omnes spiraminis ac sanguinis obtinent principatum, et ab ipsa sede vitalium exiguis meatibus sparsæ totum corpus illustrant, notisque discursibus exploratum vitæ iter ac pervium servant; quarum si alteram de prædictis vis aliqua præcluserit, perniciem haud dubiæ debilitatis ac mortis operatur: unde infantes sæpissime aut totius lucis efficiuntur expertes, aut confestim parvulos immatura mors præripit.) Nonnumquam et ob eorumdem parentum vel peccata vel merita, infantum citus finis est; quia dilectorum ablatione probantur boni, puniuntur injusti; et qui se argui doloribus aliis, damnisque non sentiunt, etiam orbitatibus affliguntur: justos autem major fidei ignis examinat, cum in levioribus stabiles etiam amissione [b] probantur affectuum.

Quod vero nondum boni vel mali conscios infanda dæmonum vexat insania, patrum quidem, sed distantibus modis causa est: si iniqui sunt, nec prædictis vel similibus castigationibus emendantur, etiam innocentum suorum arguuntur exitiis. Hi autem quibus conversatio recta est, et per se malitiam diabolicam superant, etiam tamen talibus fatigantur insidiis; neque a tædiorum exercitio vacant, quibus nocere aliter vis dolosa non prævalet, ad hoc malorum versutiam semper involvens, ut sive ob vitia, seu propter fidem, ista proveniant, aut iniquum aut negligentem Deum, [c] si quibus forte suadere possit, affirmet. Sed qualibet arte vel parvulos cruciet, vel parentes, Dei justitia in utroque non deest: nam et infantibus translatio malis vitæ istius melior etiam hoc præstat, ne ex improbis geniti similes quandoque efficiantur auctoribus; et hisdem qui genuerunt pro beneficio reputandum est, quod temporario vexatorum dolore aut peccatis eruuntur, et boni sunt, aut meritis augentur, et in fide crescunt.

Habes ergo interrogationum tuarum causas, et omnium ambiguitatum intellectum patentem. Itaque jam subditus Deo promissam concilio fidem redde, abjectaque hac mundi sapientia, veræ sapientiæ affatibus crede; et quærere a te altiora desistens, rationem cœlestium secretorum Auctoris sui scientiæ consilioque permitte. Nam licet nunc plura cognoveris, et de interioribus fidei aliqua supersint; non tamen putes omnia hominem scire posse quæ Dei sunt, nisi quæ aut scire hominem ipse perdocuit, aut intelligere divina aspiratione permisit. Age ergo, et fidem cordis simplicitate susceptam, [d] devoti oris confessione testare, nec gravi præceptorum onere terrearis: levis est servitus Dei, et intra voluntatem hominis tota necessitas legis, quam cum penitus revelatam compereris, ita ejus agnitione gaudebis, ut licet stimulet de ante acto errore pœnitentia, major tamen veniat de confessione gratulatio.

CAPUT XXXVII.

Quæ sit plenitudo legis, confessio credulitatis ad Deum.

APOLL. — Jam dudum voluntas quam expetis, prompta est: sed velut oppleta ruderibus fundamentorum loca, ita mentem dubietatibus emundari, [e] ignorantiam scientia oportuit imbui; ut patentem fidei aditum veterum purgatio firma prospiceret. Unde, quia occupatiori dudum plena legis non po-

[a] Sic Acherius ipse in margine monuit legi oportere, cum in omnibus codicibus reperisset *progrederis*. Infra, *ut in nullo*, restituimus ex codd. Vind. et Lem.; nam antea legebatur *ut nullum*. Quæ deinde parenthesi inclusa sunt, hæc in omnibus codd. præterquam in uno S. Arnulfi, desunt. Idem S. Arn. codex, ubi legis *quid sentiri debeat*, plenius habet *quid usus attentioris vitæ docuerit*.

[b] Sic cod. Vind., emendate: prior editio, *probantur affectum*, corrupte. Haud ita multo post, ubi ex eodem codice scripsimus *arguuntur exitiis*, legebatur *arguuntur exitu*, minus recte.

[c] Hic etiam cod. Vind. auctoritatem secuti, emendavimus id quod prius legebatur, *si quis forte*. Infra, ex eodem et e Lem. edidimus *malis vitæ*, nam Acherius scripserat *ex malis vitæ*.

[d] Optima cod. Lem. lectio quod prius legebatur *devotionis confessione*, minus placebat. In fine idem codex et Vind., *de confessione*: prior editio, *de conversione*.

[e] Sic in cod. Lemov.; in editis, *ignorantiam scientiam*. Infra *Christianis fidei*, quod reperimus in cod. Vind., magis placuit quam quod prior editio habet *christianæ fidei*. Haud ita multo post ubi *si consolari*, lego *et consolari*.

tuit hærere revelatio, digestam in pauca nunc repete; ut, quam propemodum non recepturus audieram, examinatam multipliciter cum veneratione suscipiam.

ZACCH. — Repetam plane; et animæ visceribus intimandam brevioribus eloquar verbis. Christianis fidei integritas, plenitudo justitiæ est, id est Deum nosse, colere, timere, diligere; manu facta nec adorare nec colere, nec profanis immolatorum cibis vesci. Ecce jam non copiosæ cruor hostiæ aut odor polluti ignis exposcitur: enixe Deum colueris, si temet pro omnibus Deo dedas, duo ex omnibus præcipua tenturus præcepta, ut Deum plus quam te, sicut te autem hominem diligas; quia nec prodesse sibi ullus ex se tantum potest, quantum ille vel omnibus in commune vel singulis: quid autem æquius quam ut sicut te hominem diligas, a quo te similiter diligi, si consolari exoptas? Sic præstare quemadmodum et cupere bona: certe non propter caducam brevissimi temporis voluptatem, spem beatissimæ æternitatis excludere, nec tueri præsentium vanitatem, ac fidem destruere futurorum; cum ex duobus conducibilius fore alterum clareat, non dicam sub Dei, sed cujuslibet honesti hominis arbitrio spem ponere, et propter electionem venientium præsentia spernere, quam ob præsentium transeuntem usum mansura præterire.

CAPUT XXXVIII.

APOLL. — Dei unam esse et simplicem majestatem atque ab eo visibilia et invisibilia condita omnes quidem sentiunt, [a] et intelligere omnes possunt; plenam perinde legis ac promissorum illius fidem, A plenamque justitiæ et merito divinæ possibilitati subesse, resurrectionis effectu æterno careat, qui non credit; quique te, Christe, Dei Filium et Deum manentem in homine diffitetur, nec redemptorem humani generis, evecto in cœlos crucis triumpho, et confitetur et prædicat; qui retributorem sancti laboris, aut scelerum vindicem non sperat futurum; ille consortio diaboli gemens perpetuas eat exsul ad tenebras, et profundæ noctis mersus horroribus flagrantis cœni volvatur incendiis.

Absit autem nunc mihi amplius quam de Deo rebusque illius sapere, et nisi ab illo edocta scire velle vel quærere; tantum, ne ignorantiæ vel tardæ credulitatis culpam pœna comitetur. [b] Maculatæ idolorum concidant sedes, et exsecrandæ abomi- B nationis templa vacuentur, ipsaque divinatio quæ, ut video, a multifariis dæmonum fraudibus vel dolosa vel falsa est, sub reverentia sanctæ religionis intereat. Ego Deum Christum et salutis viam sequar, illum præ anima et cunctis visceribus diligens, in me hoc tantum amaturus quod ille dilexerit. Tu autem, qui divini in me muneris minister fuisti, ab auctore gratiam recepturus, trade, quæso, plenitudinem fidei; trade interioris sacramenta mysterii, et caducam materiem celsioris spei innovatione perfunde; si quid enim creditis qui nostris tractatibus affuistis, ita animum veræ lucis gaudia perfuderunt, ut Deum Christum ejusque pietatem, licet diu ignorasse pœniteat, æternæ tamen beatitudinis sperem esse, vel sero agnitum, C credidisse.

[a] Sic uterque cod. Vind. et Lemov., et quidem emendate. In priori editione, *sed intelligere quoque non possunt*. Infra, ubi *evecto in cœlos*, Lemov. habet *tuo*, Vind. *elato*.

[b] Codex S. Arn. et Vind. habent *pollutæ*. Haud ita multo post lectionem codicis S. Arn., *gaudia perfuderunt*: prætulimus illi quam in textu collocaverat Acherius, *gaudia repleverunt*. In fine codd. Lemov. et Vind., *sero agnitum*: prior editio, *sero agnitam*.

LIBER SECUNDUS.

PRÆFATIO.

Cum ad exercitium justitiæ optima atque exoptabilis via sit pie vivere, et vitæ ipsius rationem factorum et cognitionum [a] observantia custodire; præcipui inter bona omnia studii est, aut Deo semper aut de Deo fideliter loqui, quodque in homine maximum est, linguæ ac mentis officium Auctoris sui laudibus deputare, nec tamen ita fervore piæ voluntatis attolli, ut in aliquo sentiendi ac profitendi modum subnixa fidei vota transcurrant, aut sacros divinæ prædicationis terminos [b] audentior licitis calcet ingressus. Non ergo fiducia, sed fide prompti, insinuationem primum D sanctæ Trinitatis aggredimur; post in Judæos, ac deinceps in hæreticos plana expositione pergentes, etiam schismaticum Novatianorum detegemus errorem. Ita instructio ex multis collecta voluminibus breviarii vicem dabit, non omnia in singulis elaborans. Experti itaque rem inter personas melius agi, Zacchæum nostrum Apolloniumque jam nostrum ad prædictos causarum gradus robustiore scientia deducemus, ut libelli superioris more, religionis nostræ æmuli prædamnentur; et is qui discendi accenditur studiis, Deo vivere cupiat ac vitiis interire. Nunc ergo inter prædictos leni collatione et proferentur omnia et probabuntur, ut congrua bre-

[a] Sic codd. Vind. et Lemov., emendate: prior editio, *observantiam*, corrupte. Haud ita multo post, *auctoris sui laudibus*, scripsimus auctoritatem codicis. Vind. secuti; in quo voces intermediæ *rebus aut* non comparent.

[b] Optima ejusdem Vind. cod. lectio; in editis *audentiori liceat calcare ingressu*, minus bene, ut equidem sentio.

vitate monstretur quid recipi debeat, quid caveri; A cum et fidelium credulitas cœlestibus confirmetur exemplis, et profanorum perfidia suis vel maxime intellectibus destruatur.

Apollonius. — Si quisquam, Zacchæe, referre, ut dignum est, gratiam Deo pro collatis in se ejus miseratione beneficiis, aut sermonibus sufficit, aut animo comprehendit: ego præcipue perfungi hoc munere debeo confessionis et mentis, qui illius aspiratione tuave doctrina tantis errorum laqueis evolutus, mortis vincla deposui, et terrenum exutus hominem, in spem cœlestium gaudiorum Dei adoptione transivi; æterni insuper sacrificii particeps factus, [a] immo Deum sumendo pars ipsius, toto animi vigore et salutaria expetere debeo, et obliqua destruere. Sed quoniam in retribuenda gratiarum B vice, nec in hoc quidem sufficientes sumus quod intelligendo sentimus; hæc solum retributionis penes impares via est, si largitor totius indulgentiæ Deus, dignatione qua nostris cogitationibus interest, debentibus inspiciat votum, et pro effectu recipiat voluntatem. Quamlibet ergo ineffabilis lætitiæ compos magna sim consecutus, major mihi tamen ignorantiæ metus est ex quo aliquid esse cœpit scientiæ; grandisque animum cura sollicitat, si spiritualium conscius secretorum plenitudinis sacræ quantum audire farique liceat, aut ignarus aut trepidus deprehendar. Nam prima fidei in me præcepta concludens, Patris tantum ex quo sunt omnia, et Filii per quem facta sunt omnia, credulitatem simplicem poposcisti; post autem incuntis traditionem C mysterii etiam sancti Spiritus mihi a te exacta confessio est, et tota in Trinitatem missa credulitas.

CAPUT I.

Si sit tertia in religionis honore persona.

Apoll. — [b] Promissionis igitur memor, pande an sit tertia in religionis honore persona, vel si ex usu multiplicis reverentiæ et non ex speciali appellatione nomen assumptum: quod si hæc sapientiæ cœlestis occulta reseraveris, quidquid in susceptione advenientis fidei bene cessit consummatum notitia perfectiore roborabitur: consequens erit ut doctrinas quoque hæreticorum et universas schismatum pravitates, quo vitari ocius possint, consultus expedias, si prius qualiter credi debeant jam concessa monstraveris. D

Zacchæus. — Semper quidem stipendiis militiæ spiritalis accinctos velut sub imminentium exspectatione bellorum instructionis usu oportet institui, et otium detestari; sed a multis quæ expetis et prolixe et sublimiter condita, velut novæ eruditionis opus recusant, ac tam plane de omni dudum ambiguitate dissertum est, ut nunc non modo rudes in interpretationibus sensus, sed verba denique nisi inculcata non suppetant. Notissimum præterea in qualibet editione fastidium est aut refricare jam cognita, aut clarioribus inserta monumentis suppresso auctore proferre; unde magis utrique nostrum fortasse conveniat exemplaria adire priscorum, ac de illustrium voluminibus hujusmodi haurire doctrinam: quia et tibi absque dubio conducibilius est perfecta ab eruditioribus discere, et mihi de maximis tutius reticere.

CAPUT II.

Si Spiritus sanctus Deus sit.

Apoll. — Et ego credo aliquos super his, crescente fide nostra, latius disputasse, ac tantis annorum temporumque curriculis spiritalium virorum ingenia, non silentio possessa, sed meritis. Verumtamen rudibus animis diffusa tardius innotescunt, et sensum prius onerant prolixa, quam doceant. Atque ideo excusatione cessante invidiæ metum utilium fervor [c] excludat, et indeptæ quietis quam amplecteris gratiam inexsuperabilis fidei amor vincat; verecundiam proverbii veteris sententia sublevante. Quid enim dici a quoquam potest quod ante non dictum sit? Aut quæ tam abstrusa in nostris rebus scientia est, quam usus non illustraverit præcedentum? Unde hoc primum de sancto Spiritu certus revela: Deus ne, an res aliqua Dei sit? et munus divinitatis, an plenitudo credendus? Probari autem testimoniis oportebit quidquid simpliciter credituro fidei [d] sacramenta dictaveris.

Zacch. — Oneri licet expostulatio tua sit, et quoddam negotium tantæ interrogationis nectat intentio, quia ardui operis res loquenda, et fide magis est intuenda quam verbis: tamen quoniam exigere ab humilibus magna non desinis, et recitandi opportunitatem dominicus fervor exsuscitat, quod fidei substantiam non depressam humo regere, id est, non inclusam cordis retinere secretis, sed notitiæ cupientium prompta annumeratione mutuare, ac vice fenoris multiplicare præcipimur: ad expositionem ineffabilis majestatis trepidi, ad confessionem securi commissa auctori suo ora solvamus. Deus unus est, et quamlibet personis ac nominibus distincta sit Trinitas, a se tamen atque a sua æternitate non distat, sed manens ante sæcula divinitas in Patre ac Filio et sancto Spiritu, vere ac proprie creditur una atque eadem, nec dividi nostris interpretationibus potest, nec rursum versa in unius personam Trinitate confundi. Sic ergo Spiritus sanctus, ut Pater ac Filius, Deus est. Neque in Trinitate unus, sed Trinitas unum est. Hæc fides plena, hæc nostra creduli-

[a] Vix quidquam in toto hoc opere præclarius, quam hocce Apollonii jam christiani de reali Christi dum sumitur præsentia testimonium.

[b] Sic codex Vind., meo judicio, melius quam prior editio, *professionis*. Infra idem et Lemov., *quo vitari tutius*.

[c] Ita edidimus ex codice Lem.; in editis, *ut illum fervor*, male. Paulo superius, ubi legitur *non silentio possessa, sed meritis;* nemini quidem dubium erit quin aliquod vitii insit, sed nihil in mss. reperimus, quo hæc menda reparari posset.

[d] Præclara emendatio, quam codex Vind. suppeditavit: antea corrupte editum erat, *dictaverint*. Haud ita multo post ejusdem codicis est quod scripsimus *recitandi opportunitatem*, in ejus quod Acherius ediderat locum, *reticendi opportunitatem*.

tas. Idcirco Deos nec æstimari patimur nec vocari, sed Deum in prædictis personis ac nominibus confitemur. Inenarrabilis enim divinitas, non ut concludi aut apprehendi, vel vocabulis possit intra nomina personasque se præstitit : sed ut quod erat, esse et nosceretur, intelligentiam sui ex parte, quam capere humani sermonis angustiæ prævalebant, credentibus dedit. Verum hæc tibi non subtracta æstimes prius, sed non credita prius ; quia ab idolorum multitudine veniens, etiam hic tibi prædicari deos putasses, nisi id quod plenitudo fidei continet traditionis exordia siluissent.

CAPUT III.

Si Scripturis sanctis possit firmari hæc elocutio.

Apoll. — Quantum intelligi datur, adest sperata in interpretationibus fides, ac veritati ratio expositionis cohæret; verumtamen sacris interlocutionibus eadem dicta firmari stabilitas puræ credulitatis exposcit, et quoddam veritatis culmen cessantibus argumentis lectione constitui; quia videri incongruum potest, ita de Deo loqui, ut non magis illa quibus se idem insinuari voluit, proferantur. Qua de re ex multis quæ enumerari ad præsens non posse arbitror, neque ut nunc enumerentur expostulo, qui interim doctrinæ ordinem, non historiæ corpus inquiro ; perspicua quoque et pauca dicturus auctoritatem redde memoratis. Nam, sicut dixi, velut tenuiter jacta nutabunt, nisi humanis astructa sermonibus, divinis insuper fulciantur exemplis.

Zacch. — Competenter exposcis, ut his potius fides detur quæ in testimonium sui Divinitas ipsa prolocuta est; et recte ex innumerabilibus pauca proferri ; quoniam veræ probatio majestatis, tametsi habet pluralitatem, pluralitate non indiget ; credentique et pauca sufficiunt, quæ increduli, etiam si in multis scrutentur, ignorant. Unde primum de veteris Testamenti libris, post etiam novi, sanctum Spiritum in substantia unius divinitatis agnosce, libro Genesis sic inchoante : *In principio fecit Deus cœlum et terram ; terra autem erat invisibilis et incomposita; et Spiritus Dei ferebatur super aquas* (*Gen.* I, 1, *sec.* LXX). Ille principium est, qui Judæis, quis esset, [a] interrogantibus dixit : *Principium quod et loquor vobis* (*Joan.* VIII, 25) ; unde ab eo et alio loco dictum est : *In capite libri scriptum est de me* (*Ps.* XXXIX, 8 ; *Hebr.* X, 7.) Ferebatur autem Dei Spiritus super aquas, ut ex his viva omnia producturus ipse rudibus ignis proprii frmeota præstaret, qui nunc purificatis dona sanctificationis infundit. David perinde, Deo aspirante, testatur : *Verbo Domini cœli firmati sunt et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Ps.* XXXII, 6). Vide quam plena sit brevitas, et quam clare in sacramentum unitatis recurrat ; Patrem in Domino, in Verbi significatione Filium ponens sanctum Spiritum ex ore Altissimi nuncupavit. Et ne vocis editio reputaretur in Verbo, cœlos per eum edocet factos : ne flatus in Spiritu, virtutis in eo plenitudinem demonstravit. Nam ubi *virtus*, ibi necesse est et persona subsistens, ubi *omnis*, non ablata a duabus sed consummata signatur in tertia ; non ut sola habeat quod in toto est, sed ne minus habeat quæ in sola appellatione postrema est.

Iterum idem propheta Trinitatem, dum precatur, exponit : *Cor mundum crea in me, Deus, et Spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, et Spiritu principali confirma me* (*Ps.* L, 12-14). Principalis Spiritus Patris est, rectus est Filii, Sanctus vero cognominis sui adjectione distinguitur. Nec de vocabulorum adjectione movearis, quod principalis et rectus Spiritus sanctus prophetica appellatione signatus est. Licet proprietas una sit in singulis, tamen quia Deus Spiritus est, ne personarum confusio nostris intellectibus fieret, nominibus est adjecta diversitas : qui enim sanctus, necessario rectus est ; nec potest iterum rectus esse, nisi sanctus sit : principalis autem, quia ex eo unigenitus Filius, atque ab ipso Spiritus sanctus procedens ; de quo Esaias sub persona Dei de Christo loquentis hæc posuit : *Ego locutus sum ; et ego vocavi et adduxi eum, et prosperum iter ejus feci : accedite ad me et audite hæc. Non in occulto ab initio locutus sum ; cum fierent, illic eram : et nunc Dominus misit me, et Spiritus ejus* (*Isa.* XLVIII, 15, 16). Angelus perinde ad Mariam sacræ nativitatis mysteria nuntians, paria de eodem sic depromit : *Spiritus Dei superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I, 35). Dominus postea, cum de vocatione gentium loqueretur, intra unum divinitatis nomen sanctum Spiritum prædicans, ait : *Euntes nunc, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). Paulus similiter apostolus : *Qui autem confirmat nos vobiscum Christus Dominus, et qui unxit nos Deus, et qui signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris* (II *Cor.* I, 21, 22). Et iterum, dum cœlestia Corinthiis precaretur, hæc subdidit : *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei et communicatio Spiritus sancti cum omnibus vobis* (II *Cor.* XIII, 13). Unde propositæ veritatis memor, sententiarum multitudinem quæ largissima suppetit, non requiras ; quoniam, sicut dixi, in paucis Deo credere consuetudo fidelium est ; meminisse autem plurium, diligentiæ magis per se proficientis, quam docentis, officium est.

CAPUT IV.

Quid Judæis respondendum sit.

Apoll. — Jam quidem simplex assertio fidem fecerat sanctum Spiritum vere ac proprie Deum credi ; sed quia facilius est sermonibus præbere consensum, quam intellectum sensibus mutuari, firmiter oportuit examinare suscepta, ac volunta-

[a] In Vind. totum hoc comma sic descriptum est : *Ille principii nomine designatur qui de semet ipso : Ego principium*, etc. Infra ubi legitur, *ignis proprii*, ex cod. Lem., in editis corrupte legebatur *signis propriis*.

riam confessionem cœlestibus confirmare doctrinis. Nunc autem sectarum quæ adversæ nobis sunt pravitates retexens, a Judæis, si videtur, ordiro principia, cur indomabilis populus Deum ac Dei Filium abnuat Christum, creaturamque omnium Dominum in neutra velint nativitate subsistere, qui utique ante omnes quæ nunc salvantur salvatæque sunt nationes, futurorum scientiam per legem prophetasque noscentes, quæ erant pro mundi salute facienda nescire nullatenus potuerunt, cum et Deum nossent et Dei eloquiis non carerent.

Zacch. — Non fallitur æstimatio tua, Redemptoris nostri nativitatem, et quæ secundum Deum et quæ secundum hominem in uno eodemque nunc permanet, totis Scripturarum voluminibus contineri; aperteque Judæis sacri adventus mysteria revelata, quæ intimare summatim ab animo non abesset, si in cunctis attentos sensus sequeretur ordo sermonum. Sed quoniam voluntas nobis intelligentiæ simplicis, non pugnæ contraria difficultas est, auditioni tuæ satis sit libatis fastigiis totam lucem in parte luminis intueri, et utrumque brevi expositione percurrere. In libro itaque Genesis dum refertur conflagratio Sodomorum, unius quidem, ut semper, voluntatis, sed non unius personæ actus ostenditur, Scriptura dicente: *Et pluit Dominus a Domino de cœlis* (*Gen.* XXIX, 24). Moyses iterum Dei jussu in lapide constitutus cum posteriora illius cerneret, Trinitatis distinctionem in numero designavit dicens: *Domine, Domine, Domine, misericors et miserator* (*Exod.* XXXIV, 6). Per David autem loquentis ad Filium Dei Patris hæc verba sunt: *Ex utero ante luciferum genui te* (*Ps.* CIX, 3). Per Salomonem vero de se Filius ipse testatur: *Cum pararet Dominus cœlum*, [a] *aderam illi. Cum secerneret suam sedem, et super ventos validos faceret nubes; cum confirmatos poneret fontes sub cœlo: quando fortia faciebat fundamenta terræ, ego eram apud eum disponens, ego eram cui adgaudebat: quotidie jucundabar ante faciem ejus, cum lætaretur orbe perfecto* (*Prov.* VIII, 27, 31, *sec.* LXX). Idem iterum dum de ejus ac Patris ambigit nomine, proprietatem veræ nativitatis exponit dicens: *Quod nomen ejus, vel quod nomen Filii ejus* (*Prov.* XXX, 4)? Hæc de Christo secundum divinitatem ad præsens dicta sufficiant.

Assumendi vero corporis fidem, Moyses primum jussus hoc populo prædicare sic loquitur: *In novissimis diebus Prophetam vobis excitabit Deus de fratribus vestris, sicut me: hunc audietis* (*Deut.* XVIII, 15); *et qui non audierit Prophetam illum, ego vindicabo, dicit Dominus* (*Ibid.*, 19). Quod testimonium a Salvatore firmatum est, cum in Evangelio eosdem Judæos increpans dicit: *Si crederetis Moysi, et mihi crederetis: de me enim ille scripsit* (*Joan.* V, 46). Innumeris vero sub ejusdem Moysi persona trucem populum dum Jesum Nave Deus commendaret, ad-

A monuit ut in cognomine terreni ducis, futuri et cœlestis vocabulum nosceretur: ait enim Deus ad Moysen: *Ecce hic Jesus qui assistit tibi: vide ne spernas illum, quia et ipse obtemperans tibi erit; et nomen meum est in illo* (*Exod.* XXIII, 20, 21). Planissime denique per Jacob patriarcham veritas propheticæ benedictionis impleta est, cum et dux et princeps, id est rex et sacerdos, usque ad ejus tempus Judæis futurus verbis talibus intimatur: *Non deficiet dux de femoribus Juda, et princeps ex Israel, donec veniat* [b] *cui repositum est: et ipse est exspectatio gentium* (*Gen.* XLIX, 10). Balaam perinde in Numeris eadem annuntiat, dicens: *Orietur stella ex Jacob, et homo ex Israel exsurget* (*Num.* XXIV, 17). Quod magi in Orientis partibus semper retinentes, primi
B ortum Salvatoris, inspecto sidere, nuntiarunt; et quod olim per auctorem suæ artis fuerat prophetatum, per ipsos cognita æterni luminis inspectione completum est. Per Isaiam denique Deus loquitur: *Ecce mitto in Sion lapidem electum angularem, pretiosum; et qui crediderit in illum, non confundetur* (*Isa.* XXVIII, 16).

Hunc eumdem ex Virgine nasciturum idem propheta sic memorat: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel; quod est interpretatum: Nobiscum Deus* (*Isa.* VII, 14; *Matth.* I, 23). Sub verbis iterum eorumdem Judæorum in futuro judicio gementium, cum Christum in Patris majestate conspicient, hæc deprompsit: *Non est Deus præter te: tu enim es Deus; et nesciebamus* (*Isa.*
C XLV, 14). Hieremias autem fidelis populi vocibus hæc exponit: *Hic est Deus noster et non deputabitur alius absque illo: qui invenit omnem viam prudentiæ, et dedit eam Jacob puero suo et Israel dilecto suo: post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch.* III, 36-38). Micheas vero etiam locum in quo erat oriundus ita prodidit: *Et tu, Bethleem, domus illius Ephrata, numquid exigua es, ut constituaris in millibus Juda? Ex te enim mihi* [c] *prodiet qui sit Princeps in Israel; et processiones ejus a principio sæculi* (*Mich.* V, 2). Innumera præterea leguntur et suppetunt, quæ mysterium nativitatis utriusque in Deo Christo apertissime docent; sed confutari perditos ac rebelles suorum tantum auctoritatibus ratio est: et sicut jam admonui, interrogationi potius tuæ
D quam renitentium intentioni respondere propositum: habere enim prolixitatum necessitatem ratio certaminum potest; expleri brevibus æquum est studia consulentium.

CAPUT V.

Si et in aliis seducantur Judæi, præter id quod Dei Filium non credunt.

Apoll. — Dubium non est his testimoniis nequaquam subtrahi fidem posse, atque ejusmodi probationes ne ab ipsis quidem Judæis, nisi insanire plus malunt, æquanimiter improbandas; præcipue cum

[a] In cod. Vind., *aderam illic.* Idem, infra, *validas faceret.*

[b] Codex Vind., *qui mittendus est:* haud ita multo post idem, *in Sion lapidem angularem.*

[c] Codex S. Arn., *prodiet ut sit:* idem, *processiones ei ab initio a diebus sæculi.*

ex eorumdem voluminibus intimatæ adeo clara integritate perluceant, ut etiamsi sine assertore percenseas, ipsa se comprobent. Verumtamen quibus iidem Judæi in diversum agantur exemplis, fieri certior cuperem, nec solum rectis sed contrariis pariter edoceri; quoniam illa demum consummata dici doctrinæ veritas potest, quæ errantibus non solum in quo corrigi possunt, verum etiam in quo per semet depravantur ostendit.

Zacch. — Inculcatum tibi sæpissime retines, unum Deum esse, hoc est unam Trinitatis divinitatem, et in hujus vocabuli appellatione significationem unius substantiæ, non unius esse personæ: sed illis hinc error occasioque perfidiæ est, quod sibi in Horeb monte Dei vocibus hæc dicantur: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est* (*Deut.* VI, 4). Et B iterum: *Ego Deus, et præter me Deus non est* (*Ibid.*, 32, 39). Et tertio: *Ego Deus, et non demutor* (*Malach.* III, 6); *gloriam meam alteri non dabo* (*Isa.* XLII, 8). Non utique nulli, sed non alteri; id est, huic tantum dabo per quem vobis ab initio amissam immortalitatem in melius reparari in prædestinatione constitui: demutari autem vere non potest, qui dispendium augmentumque non recipit. Cum vere alia Divinitas non sit, necesse est ut Deus alius non dicatur. Hoc tamen Judæis de unitate Divinitatis non tamquam nescientibus dictum est, sed ad idola transgressuris prædictum, ne deos scilicet aut interpretarentur aut colerent, qui unum in [a] substantia et majestate cognoscerent. Illud præterea clarum est, cum Deus de mundi et hominis creatione disponeret, sacramen- C tum Trinitatis ostensum, Scriptura dicente: *Et dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26). Cum dicit *nostram*, prodit utique non unius; cum vero *ad imaginem et similitudinem* profert, æqualitatem distinctionis insinuat, ut in eodem opere sit Trinitatis aperta cognitio, in qua nec pluritas cassa est, nec similitudo dissentiens, dum et consequentia sic traduntur: *Et dixit Deus: Fiat*: et, *Fecit Deus*: et, *Benedixit Deus*. Deus ergo Pater facienda denuntiat, Filius perficit dicta, Spiritus sanctus benedictione confirmat: et necesse est, ut creationis totius auctor Deus unus sit, tametsi est enuntiantis sermo *Faciamus*: quam fidei rationem antiqua denique per Moysen benedictio pandit et D comprobat, qua benedicere populum sacramento trinæ invocationis jubetur; ait enim Deus ad Moysen: *Sic benedices populum meum, ut et ego benedicam illos: Benedicat te Dominus et custodiat te: et illuminet Dominus faciem suam super te, et misereatur tui: attollat Dominus faciem suam super te, et det tibi*

A *pacem* (*Num.* VI, 23). Unde intelligis non interesse indissociabilis atque indemutabilis Dei, si non ad omnes sententiarum proprietates humanæ efficientiæ verba conspirent; cum evidenti fidelium intellectui sit relictum, ut quod creari a Deo vel effici dicitur, agi et effici semper a Trinitate credatur.

CAPUT VI.

Si Dominicæ passionis sacramenta prophetarum oraculis sunt prædicta.

Apoll. — Specialibus documentis Christi nativitas in Deo et homine monstrata est, atque indubitanter apparuit Spiritum sanctum in eadem substantia permanentem sacramentum perfectæ Trinitatis implere. Unde nunc eadem, si suppetit, Scripturarum editione confirma, utrum et Dominicæ crucis prædicta sit passio, vel si in aliquo legis veteris corpore venerandæ mortis indicia prænotantur; ut sollicitudine parumper indulta, hanc denique sacri operis partem ordo cœptæ eruditionis illustret, quam dudum simplicis traditionis informatio revelavit.

Zacch. — Est plane omnium Scripturarum non solum de passione, verum etiam de resurrectione cœlique conscensu aperta prædicatio, atque in nobis Dei regnum a Christi passione cœpturum præscia prophetarum ora cecinerunt. David præ cæteris sic loquente: *Dicite in gentibus, Deus regnavit a ligno* (*Ps.* XCV, 10). Non quod non semper a conditione nostra sub Dei imperio fuerimus; sed quamdiu ab ejus cultu ac voluntate dissensimus, æstimati sumus alieni. Unde et Moyses prædictum populum prophetice increpat dicens: *Erit pendens vita tua ante oculos tuos, et timebis die ac nocte, et non credes vitæ tuæ* (*Deut.* XXVIII, 66). De quo et in Numeris ita scriptum est: *Non quasi homo Deus suspenditur, nec quasi filius hominis minas patitur* (*Num.* XXIII, 19). Vere enim in ea exprobratione quod se Dei Filium diceret, cuncta perpessus est, et non ut homo [b] datus est morti, quem non a crimine crux recepit. Per Amos vero prophetam Spiritus loquitur die media, sicut factum est in passione illius, noctem futuram; ait enim: *Et erit in die illa, dicit Dominus, occidet sol meridie*, [c] *et dies lucis obtenebrabitur super terram* (*Amos* VIII, 9). Et Hieremias: *Exterrita est quæ parit, et timuit anima ejus. Subiit sol, cum adhuc medius dies esset, et confusa est* (*Jerem.* XV, 9). Sub verbis autem ipsius Domini, etiam tormentorum atque illusionis injuriam Esaias apertissime declaravit dicens: *Dorsum meum posui ad flagella, et maxillas meas ad palmas, et faciem meam non averti a fœditate sputorum* (*Isa.* L, 6). Hinc et per David ante prædixerat: *Foderunt manus meas et pedes meos, et dinumeraverunt*

[a] Sic codex Vind. et Lem.; prior editio *substantiæ majestate*, minus recte. Infra ex cod. Vind. voculam *sic*, quæ deerat, adscripsimus ubi legitur, *sic benedices populum*. Ejusdem est quod edidimus in fine, *agi et effici*, cum edita illic mutila essent.

[b] Id in hunc locum annotavit Acherius: *Id est non quod hominem se diceret, morti datus est*: sed, ut verum fatear, mihi quidem hæc interpretatio non placet hoc enim dicere videtur Zacchæus. Christum a Judæis idcirco esse morti datum, quod se Dei filium diceret, nec damnatum esse ut cæteros homines, cum eum nullius admissi piaculi insimulatum crux receperit: itaque in hunc convenire quæ ex Numerorum libro supra exscripsit. Quod eo loco legitur *minas patitur*, non probat codex Lemov. in quo vox *minas* omissa est.

[c] In alio codice *et in die lux*.

runt universa ossa mea. Ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem (*Ps.* XXI, 17). Nota omnibus causa est, a militibus qui eum cruci dederant, vestem illius fuisse divisam, et unum ex omnibus vestimentis [a] esse ante judicium sorte transcriptum. Aceti similiter et fellis admixtio quam iidem Judæi pendenti in cruce Domino dederunt, per David longe ante prædicta est, sic loquentem: *Dederunt mihi in escam fel, et in siti mea potaverunt me aceto* (*Ps.* LXVIII, 22). Ita et per Zachariam de vulnerum acerbitate conquestus est dicens: *Intuebuntur in me, quem transfixerunt* (*Zach.* XII, 10). Lancea enim latus illius penetrantes; quia frangere os jam defuncto sævientibus non licebat, quod olim Moysi dictum fuerat impleverunt; ait enim Dominus ad Moysem: *Accipient agnum maturum anniculum ab agnis et hædis, et occidet eum omnis multitudo synagogæ ad vesperum, et manducabunt ea nocte; et os non frangetis ex eo* (*Exod.* XII, 3 *et seq.*). Latrones denique suspensioni ejus esse jungendos Spiritus prophetavit, dicens: *Et deputabitur cum iniquis* (*Isa.* LIII, 12). De pactione vero infelicis Judæ, qui unus ex apostolis fuit, et Salvatorem acceptis triginta argenteis tradidit, adeo Scriptura non tacuit, ut modum quoque pecuniæ designaret, ait enim: *Et fecerunt pretium appreciati triginta argenteos* (*Zach.* XI, 13). His testimoniis passionem probasse sufficiat.

Nunc vero resurrectionem sub ipsius Salvatoris verbis ad Patrem loquentis agnosce, David plenissime perdocente: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Ps.* XV, 10). Dicere hoc de se prædictus propheta non potuit, qui usque ad communis resurrectionis diem, in ea qua est patribus additus corruptione, durabit. Per Esaiam similiter: *Nunc resurgam, nunc glorificabor, nunc exaltabor, nunc videbitis, nunc erubescetis* (*Isa.* XXXIII, 10). Vere autem de Salvatore præmonitum præstita inferis bidui mora, et post ascensus consequens prodit, quo corpus sponte depositum, sponte iterum propria resumens evexit. Hunc enim dierum post resurrectionem illius numerum Osee propheta apertius indicavit dicens: *Vivificavit nos Deus die tertio, post biduum resurgemus* (*Osee* VI, 3). Esaias vero totam passionis ascensusque indicans fidem, hæc in prædicatione sua posuit: *Tamquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se sine voce sic non aperuit os suum. In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem autem illius quis enarrabit? Quoniam tolletur a terra vita ejus* (*Isa.* LIII, 7, 8). David perinde sub verbis Dei Patris ad Filium proloquentis, non solum ascensum, sed et judicium prædicavit, dicens: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Ps.* CIX, 1). Cum igitur, testante propheta, Dominus ad Dominum sit locutus; cui dubium est, quod Filio Pater in gloriam divinitatis ex homine transeunti, cœlestis judicii potentiam ac vim exercendæ majestatis insinuet, sicut ipse in Evangelio de hoc eodem loco dicit, nulli umquam Angelorum aut hominum dictum fuisse, ut ad Dei Patris dexteram sedens subjectos pedibus hominis sui calcaret inimicos? Hunc sibi Zacharias astruens demonstratum, sic locutus est: *Et ostendit mihi Dominus Jesum sacerdotem illum magnum stantem ante faciem Angeli Domini; et diabolus stabat ad dexteram ejus adversari ei. Et dixit Dominus ad diabolum: Increpet Dominus in te, diabole, increpet Dominus in te, qui elegit Hierusalem. Nonne hic titio extractus ex igni est* (*Zach.* III, 1, 2)? Id est, numquid non peracta jam passio est, et, hominis fragilitate deposita, potestas Christo sempiterna successit? Daniel quoque paria de eodem proferens ait: *Videbam: ecce in nubibus cœli quasi filius hominis venit usque ad Veterem dierum: qui assistebant obtulerunt eum, et data est ei potestas regia, et omnis terra, et genus, et omnis claritas servient: et potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur; et regnum illius non corrumpetur* (*Dan.* VII, 13, 14). Hæc itaque Judæi audiunt et recensent: noverunt ista, nec tamen credunt Christum, quem a patribus abjuratum non nesciunt: sed nescire se simulant, dum ita semper etiam in eadem quam præferunt lege vixerunt, ut id quod labiis faterentur, corde simul et opere denegarent.

CAPUT VII.

Cur antiquæ legis portio sit recisa, vel quæ volumina observantium justitiæ tradiderint [b].

APOLL. — Satis abundeque monstratum est, resurrectionem dominicam ascensumque cœlestem divinis testimoniis elucere, et ista omnia spiritualibus fulgere documentis; ut etiam si admissi facinoris aliqua possint ignorantiæ excusatione defendi, damnari præsentium incredulitatem veritas latius diffusa compelleret: quia auctoritatem cœlestium statutorum actus denuntiatæ humilitatis implevit, et subcrescentium docet credulitas populorum. Pande nunc itaque cur legis veteris portio sit recisa, vel quæ antiquandorum priorum voluminum causa formam observantiæ justioris invexerit; cum et idem utrorumque sit conditor, et eidem divinæ majestatis substantiam possidenti nec voluntas in ratione dissentiat, et in præscientia æternitas obsecundet.

ZACCH. — Fidelis ac vera professio est, utraque unius Dei censere præcepta, et per Moysen traditam legem non abrogatam per Christum, sed impletam

[a] Optimam lectionem hanc suppeditavit codex Lemov., nam in priori editione legebatur *cessante judicio*, quod vix ferri poterat. Infra *penetrantes*, maluimus, quam quod in editis erat *penetrante;* et favet codex Vind. ex quo etiam infra scripsimus *suspensioni ejus*, cum prior editio præferret *suspensioni ei*. Eum locum Exodi quem Zacchæus laudat, idem codex paulo aliter exhibet: nam in eo legitur *accipe agnum*, et *manducabunt eum nocte:* in Lemov. etiam, *accipe*.

[b] In cod. Vind. legitur *intulerunt*. Infra titulo capitali 12, ex eodem codice et e Lemov. restituimus *qui duos dicunt*, ubi male erat *qui nos dicunt;* et capitulo sequenti verbum *credit* ascripsimus.

fateri, ipso in Evangeliis sic protestante: *Non veni legem solvere, sed adimplere* (*Matth.* v, 17). Olim enim evangelicæ prædicationis promissa lex fuerat, Deo per Esaiam sic loquente: *Lex ex Sion prodiet, et verbum Domini ex Hierusalem* (*Isa.* II, 3). Id est, consummata justitiæ fideique doctrina per Christum, in Ecclesia dignoscetur. Et iterum Michæas: *Lex ex Sion prodiet, et sermo Domini ab Hierusalem: et judicabit inter plurimos populos, et revincet et deteget validas nationes* (*Mich.* IV, 2, 3). Alioquin veteri lege jam tradita, quæ alia nisi Evangeliorum nuntiabatur addenda? De qua per Hieremiam similiter est locutus: *Ecce dies veniunt, et consummabo supra domum Israel et domum Juda testamentum novum. Non secundum testamentum quod disposui patribus eorum, cum apprehendi manus eorum, ut educerem eos de terra Ægypti* (*Jerem.* XXXI, 32). Id est mitiorem in Evangeliis ordinabo, illaque cessabunt, de quibus scriptum est: *Dedi illis præcepta non bona, in quibus non justificabuntur in eis* (*Ezech.* XX, 25); *sed qui fecerit ea, vivet in illis* (*Gal.* III, 12). Quædam ergo in lege idcirco severius sunt statuta, ut rebellem populum atque assueta gentilitate lascivum potius humiliarent, quam [a] attolli justificatura permitterent; et velut quadam custodia disciplinæ præsentis pœnæ terrore cohiberent, quos adhuc longe a sæculi fine degentes, servare judicii interminatio tarda non posset. Hinc illud est: *Oculum pro oculo, dentem pro dente* (*Lev.* XXIV, 20): *Ne manducaveritis, ne contigeritis* (*Lev.* XI, 8). Hinc mensium observatio definita, neomeniarumque festivitas: hinc statutum sabbati iter, ac pene totis humanorum actuum rebus otio interclusa libertas. Sacrari vero pecudum atque alitum victimas prima ratio consuetæ abominationis exegit; quia arceri ab iisdem repente non poterant, consultius fuit paulatim abolenda respuere, quam statim inhibenda punire.

Hæc autem alia et evidens ratio est, quod licet gentilium ritu hostias immolabant, Deo tamen docebantur offerre, quod præstare idolis ante consueverant, et multiplicis sacrificii actibus occupatis ne cogitare quidem de transgressione spatium aut [b] occasio præbebatur; cum et quod desiderare possent, non auferebatur, semperque supererat quod explere devotionis intentio non valeret. Denique mox audiunt prophetam: *Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum, dicit Dominus? plenus sum. Holocautomata arietum, et adipem agnorum, et sanguinem hircorum et taurorum nolo: nec sic veniatis ante conspectum meum. Quis enim exquisivit ista de manibus vestris? Calcare regiam meam non apponetis. Si attuleritis similaginem, vanum est: incensum, abominatio est mihi. Neomenias vestras et sabbata et diem*

A *magnum non sustineo. Jejunium et dies festos odit anima mea. Facti estis mihi in abundantiam. Non dimittam peccata vestra* (*Isa.* I, 11, 15). Id est, non his piaculis crimina vestra purganda sunt; sed quid esset in nostro baptismate purificationis futurum prophetice demonstravit dicens: *Lavamini, mundi estote* (*Ibid.*, 16). Id est, cum illius visitationis tempus advenerit, spiritalis lavacri sacramenta sectamini: *Et si fuerint delicta vestra ut phœnicium, ut nivem dealbabo ea; si autem ut coccum, ut lanam candidam efficiam* (*Ibid.*, 18). In phœnicio obscuritas peccatorum, in cocco mens cruenta designatur. Talibus ergo per Christum denuntiata mutatio in melius versa est, ac pro obsoletis pecudum atque alitum victimis cœleste fidelium munus pura oblatione celebratur, et contra omnes insidias infestantis inimici spiritalis sacrificii admixtione munimur; et illud in assumptum hominem Dei Patris completur edictum: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Ps.* CIX, 4). Ubi ergo Evangeliorum tempus illuxit, solvit continuo gratia quos legis servitus retinebat, sacroque Domini ore prædicatum est: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et invenietis requiem animabus vestris. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde: jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI, 28.30). Ne autem prædictarum vindictarum rigor maneret, et medelam salutaris pœnitentiæ incumbens reatui exitus raperet, sequestrari judicio plectenda constituit, in Evangelio Dominus ita prædicans: *Mihi vindictam, et ego retribuam* (*Rom.* XII, 19): quoniam nisi emendatio justa successerit, nemo rectius vindicat, quam qui in admissi probatione non fallitur.

Sic itaque et sabbati abolitus torpor est, atque a bono opere nullum fidelibus tempus exclusum; ipso in Evangeliis sic loquente: *Quia licet sabbatis bene facere* (*Matth.* XII, 12). Et, *quia Filius hominis Dominus sabbati est* (*Ibid.*, 8). Edendi præterea quæ conveniant, facultas est attributa; quoniam, ut ipse testatus est: *Non coinquinant hominem quæ in os ingrediuntur; sed ea quæ de ore exeunt* (*Ibid.*, 15, 11). Ita hæc omnia quæ cruciatui rebellibus erant, indulta per Christum libertate solvuntur; paucisque [c] a superstitione cessantibus, quæ vere justitiam merentur adjecta sunt: atque ideo inter exordia et plenitudinem fidei lex media subrepsit, quæ feras Judæorum mentes talium sanctionum difficultate confringeret, et venturæ indulgentiæ gratiam suscipi facilius persuaderet, quam diuturnæ absolutio servitutis et exoptata olim libertas amabiliorem etiam incredulis reddidisset.

[a] Sic cod. Vind. et alius quem viderat Acherius, a quo tamen editum est *justificaturi*. Supra, *id est mitiorem in*, nonnihil deest, quod nisi mss. ope resarcire non possumus.

[b] Ita reperimus in cod. Vind. ex quo etiam infra scripsimus *intentio non valeret*. In editis *præbeatur... intentionem valeret*, male.

[c] Vix adducor ita scriptum esse a Zacchæo; cum enim dicere voluerit pauca quædam esse abrogata, in quibus nonnihil esset superstitionis, eam sententiam non male exprimi arbitror si scribas *ob superstitionem*: sed eamdem in vulgata lectione an quisquam agnoscere possit, haud satis scio. In Lemov. deinde legitur, *quæ veram justitiam*, fortasse melius.

CAPUT VIII.

Quæ sit Judæis in circumcisione justitia.

Apoll. — Non immerito in hujus causæ interrogatione prospexeram aliquod divinæ providentiæ fuisse consilium, ut hæc rudis populi permissa primordiis velut profutura ac placita juberentur, quæ aboleri postmodum conveniret. Quid, rogo, in circumcisione hisdem Judæis sanctificationis aut meriti est, quod ea sibi etiam nunc in vicem baptismatis blandiuntur, quam in signaculum tantum electæ sobolis constitutam præcedentis libelli tenore signaveras? Et procul dubio clarum est eos justitiæ præmiis carituros, si in hac tantum corporis imminutione fidentes, totius spei documenta componant, quos, rejecta carnis injuria, gaudere potius incruentis sancti Spiritus muneribus oportebat.

Zacch. — Recte recolis prioris libelli hujusmodi expositionem fuisse, in circumcisione carnali signaculum fidei, non statum fuisse justitiæ, Scriptura memorante : *Et dixit Deus ad Abraham : Hoc testamentum meum servabis inter me et vos; tu et semen tuum tecum. Circumcidetur omne vestrum masculinum, et circumcidetis carnem præputii vestri. Et erit in signum testamenti inter me et vos* (*Gen.* xvii, 10, 11). Hanc usque ad Christum [a] carnaliter custoditam Jesu Nave actus subsequens probat, qui post excessum eremi in qua iidem Judæi quadraginta vixerant annis, nec quisquam huic fuerat subjectus injuriæ, quia in solitudine permixtio extraneorum non erat populorum, plebem signare præcipitur, atque indicto patribus more, Jordanem transituris cognitionem avitæ credulitatis imponere, Scriptura dicente : *Et ait Dominus ad Jesum Nave : Fac tibi cultellos petrinos, et sedens circumcides secundo filios Israel* (*Jos.* v, 2). Istud quidem et secundum litteram contigit : sed in nos magis prophetica interpretatione porrectum est. Jesus enim ille, sed vocabulo tantum, noster et facto, Angelo ad Pastores in Evangeliis nuntiante : *Natus est*, inquit, *vobis hodie Salvator* (*Luc.* ii, 11), *quem vocabitis Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (*Matth.* i, 21). In secundis autem filiis gentium intelligitur populus, et in abscisionibus petrinis evangelicæ conveniunt disciplinæ. Unde Moyses primum talia prophetavit dicens : *In novissimis diebus circumcidet Deus cor vestrum, et cor* [b] *similis populi tui ad amandum Deum vestrum* (*Deut.* xxx, 6). Hieremias perinde non carnem circumcidendam, sed corda denuntiat dicens : *Circumcidite vos Deo vestro; sed et circumcidite præputium cordis vestri* (*Jerem.* iv, 4).

A Dominus autem in Evangelio principi Judæorum evidentissime protestatur, nullum penitus sine lavacro spiritalis aquæ posse salvari, aut possessionem regni illius adepturum; ait enim : *Amen, amen dico tibi : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non videbit regnum Dei* (*Joan.* iii, 5). De quo tamen per Esaiam ante prædixerat : *Nolite priora meminisse, et antiqua nolite recordari. Ecce nova facio, quæ nunc orientur : et cognoscetis ea; et faciam in deserto viam, et flumina in loco inaquoso, adaquare genus meum electum, et plebem meam quam acquisivi, ut virtutes meas exponeret* (*Isa.* xliii, 18-21). Et iterum : *Si sitierint per desertum, adducet illis aquam de petra; findetur petra et fluet aqua, et bibet plebs mea* (*Num.* xx, 8). Et tertio : *Flumina de ventre ejus fluent aquæ* B *vivæ* (*Joan.* vii, 38). Itaque secundum Apostolum, *Circumcisio nihil est, et præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei* (I *Cor.* vii, 29). Quæ in fide evangelicæ credulitatis impleta; gratiaque baptismatis, [c] non nunc etiam sicut ante aut populum signat aut sexum : sed injuriam carnis in signaculum spiritale convertens, nec sexum excipit, nec gentem secernit; atque in se omnes æqualiter salvans præputium in vitiis reputat, et circumcisionem tradit in moribus; quia id quod veræ sanctificationis est, in fide dignoscitur; quod manifestæ fidei, operibus justitiæ non injuriæ corporis deputatur.

CAPUT IX.

Cur patriarchis licuit habere in conjugio plures.

C Apoll. — Hujus quoque dispensationis sicut acceperam certa probatio est, et Judæorum vana præsumptio, qui reputandum sibi pro munere baptismatis credunt, quod pro temporis ratione præceptum, [d] non statum fidei, sed notitiam generis custodivit. Quid patriarchis justitiæ merita retinentibus, quam ob causam habere in conjugio conventuque plures licuit? Nec in peccatum, [e] Deo utique sciente, reputatum est, quod nunc ita inhibetur et plectitur, ut non solum Dei dignum æstimetur offensa, sed ultione hominum æquissimum judicetur.

Zacch. — Multiplex quidem apud plures licentiæ istius causa est, sed hæc præcipua fuisse credenda; D ut perfectionis ordine sequestrato, Dei primum credulitas fundaretur; et fidem potius stabilire contendens lex illata non tolleret, quod fieri velut innoxium reperisset eaque tantum signarentur illicita, quæ vere mortalia credebantur. Inde Abrahæ fides pro justitia reputata est, et devotio cessit ad merita,

[a] In cod. Vind. et Lemov. *rationabiliter custoditam.* Haud ita multo post in Vind. et in alio codice quem Acherius viderat : *Jesus enim ille verbo noster et facto.*

[b] In alio codice *seminis populi tui.* Infra ex codice Vind. scripsimus, *amen dico tibi*, cum in editis legeretur *vobis.*

[c] Sic codex Vind.; sed vox *circumcisio* deinde addenda est sic, ut legatur *non nunc etiam sicut ante circumcisio :* in editis, *nonnumquam*, male. Acherius conjecit, *non umquam.* In fine, *quod manifestæ fidei*, optima lectio codicis Vind.; contra, prioris editionis, *quia manifestæ fidei*, pessima.

[d] Sic codex Vind. et alius quem Acherius viderat, emendate : in textu prioris editionis *non statutum fidei... custodiunt*, corrupte. Superiori capite, *signaculum fidei, non statum fuisse justitiæ.*

[e] Hic sciendi verbum aliter accipitur ac vulgo solet, nimirum ut *scitum* in illa voce *plebiscitum.* Infra, *ultione hominum æquissimum*, ultima vox adscripta e codice Vind. et Lemov.

Scriptura dicente : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam* (*Rom.* IV, 3). Deinde quod plebem exiguam Divinitas fovens, gaudere voluit successionibus numerosis, ut præ cæteris [a] augeretur quam præ cæteris diligebat, et maledictum legis effugeret, qui semen in sobole substituisset. Sed excusatio cunctis ista communis est, et non paucorum causa, sed populi; patriarchis vero extrinsecus æstimatur ; nam promissum ex semine suo Christum dum sibi quisque crederet proventurum, et oriundum adhuc absque semine non legissent, tantæ sobolis amore ferventes conjugia adiere multarum, infirmissimum judicantes uni tantum matrimonio spem sublimissimi germinis deputare. His enim Dei verbis Abrahæ primum ejus facta promissio est : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII, 18). Pari propemodum patriarcha Jacob honoratur eloquio, Domino ad eum loquente : *Ego sum Deus tuus : cresce et reple gentes, et Ecclesiæ gentium erunt de te : reges de lumbo tuo exhibunt ; et terram quam dedi Abrahæ et Isaac, tibi dabo eam et semini tuo post te* (*Gen.* XXXV, 11, 12). David autem in spiritu planius sibi hæc promissa commemorat dicens : *Juravit Dominus David, et non pœnitebit eum ; de fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Ps.* CXXXI, 11). Similis per Esaiam promissionis istius ordo servatus est ; ait enim : *Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (*Is.* XI, 1), *in ipso gentes sperabunt* (*Ibid.* 10). In virga Mariæ venerabilis monstratur integritas ; in odore floris et gratia signatus est Christus, ipso in Canticorum Canticis hoc docente : *Ego sum flos campi, et lilium convallium* (*Cant.* II, 1). Ergo hæc avidorum vota simplicia, Domino per Esaiam loquente, mollita sunt, dum in salutem humani generis per occasionem signi virginalis partus ostenditur, propheta ad Achaz promissionem muneris istius sic loquente : *Ecce dabit Dominus signum. Virgo concipiet* [b] *et pariet filium* (*Is.* VII, 14). Ecce tertia.

Prima ergo est causa, quod non vetitis simpliciter sunt abusi, missisque in numerosam sobolem studiis [c] augeri insipientem populum Divinitas voluit. Hæc denique insuper juncta, quod ex genere suo Christum promissum tamdiu sibi eventurum accessione multiplicis matrimonii incauta sanctorum desideria putaverunt, donec ex virgine nasciturum prædicatio continentiæ jam vicina revelaret, et idem sensim salutis nostræ reparator et conditor crescente justitia impleturus afferret quod olim per dispensationem immaturi temporis distulisset.

CAPUT X.

Quæ gentium offensæ ; cur Judæis, quibus prius Lex data est, abjectis, gentes quotidie amplectitur Deus, edocet.

APOLL. — Quantum reor, et patere omnium intellectibus credo, a cunctis sævioris concupiscentiæ suspicionibus sanctorum simplicitas absoluta est ; præcipue cum explorator mentium Deus prærogativam justitiæ talibus non dedisset, si id quod prohibitum pro dispensatione non fuerat, præsumptum injuria comprobasset. Sed exactis, ut jam videtur, causis, interrogatio inopina subrepit, quæ fuerit gentium specialis offensa, quæ tot sæculis ac temporibus abjectas a Dei informatione repulerit, et nunc spe æternorum munerum provocatas amplectatur ac doceat, Judæis penitus a gratia Dei pulsis, quibus et in legis susceptione usus anterior, et in electione sors prima est.

ZACCH. — Nullum a principio credentium Deus repulit, nec prius creatori suo displicuere gentes, quam beneficiorum illius et suæ conditionis oblitæ pro ejus reverentia vel honore insensibiles colerent creaturas, ac simulacra hominum et pecudum venerantes, his merito similes redderentur, quæ sibi, cum potiores a Deo facti essent, prætulerunt ; Scriptura memorante : *Simulacra gentium, argentum et aurum, opera manuum hominum* (*Ps.* CXIII, 4). *Similes eis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis* (*Ibid.*, 8). Similiter et Salomon : *Homo fecit eos, et qui spiritum mutuatus est, finxit illos. Nemo autem hominum similem sibi poterit Deum fingere ; cum sit mortalis, mortuum fingit manibus iniquis : melior est ipse his quos colit ; quoniam ipse vixit, illi vero numquam* (*Sap.* XV, 16, 17). Et iterum : *Attendentes opera, non noverunt quis esset artifex ; sed aut ignem, aut spiritum, aut aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem, aut lunam rectores orbis terrarum deos putaverunt* (*Sap.* XIII, 1, 2). Cum ergo totius spei fiduciam, neglecto Creatore, in talibus collocassent, mercedem proprii operis perceperunt, ut sua sponte in omne immunditiarum genus ruentes alienæ ab informatione Dei fierent, quæ solis vitiis serviebant, demersæque criminibus non prius viam adipiscendæ immortalitatis agnoscerent, quam mediatori Dei et hominum credidissent : unde in Deuteronomio scriptum est, Synagogæ Ecclesiam ex gentibus præferendam : *Eritis*, inquit, *gentes in caput : incredulus autem populus in caudam* (*Deut.* XXVIII, 44).

Judæis autem quamdiu fides et justitia viguit, Dei quoque ab his dilectio non recessit, ipso per Esaiam in Canticis protestante : *Cantabo nunc dilecto canticum dilectæ vineæ meæ* (*Is.* V, 2). Querela in Cantico, dilectus in Christo est : vinea, synagoga : hoc enim

[a] Hæ voces quatuor additæ e codice Vind. In Lemov. cætera quidem, ut in Vind., sed in eo habetur, *quæ præ cæteris diligebatur.*

[b] Postremam voculam addidimus, seculi auctoritatem codicis Vind. Infra, in eodem *pariet filium et cætera :* sed quanto melius codex Lemov., *Ecce tertia*, nimirum causa cur patriarchis plures uxores ducere licuerit. Hæ duæ voces in editis omnino decrant.

[c] Hunc locum ab errore immunem esse vix credo. Infra, *accessione multiplicis* habent codd. Vind. et Lemov.; ubi prior editio, *accersione.*

et in consequentibus ait: *Et nunc homo Juda, et qui* A *inhabitatis Hierusalem, judicate inter me et vineam meam : quid faciam vineæ meæ quod adhuc non fecerim ei* (*Ibid.* 3, 4)? *Vinea enim Domini sabaoth, domus Israel est* (*Ibid.*, 7). Homo Juda, Salvator ut supra : hi autem qui habitant Hierusalem, [a] quorum pes in Ecclesiæ fide currit. Itaque inter se ac populum Judæorum velut pari conditione Dominus hortatur agnosci. Quid ei adhuc mirabilium ac beneficiorum præstare possit, quod ante non factum sit : cui ex Ægypto gravissimæ liberatio servitutis, et absolutæ a cophino manus ; cui innumera in Pharaonem atque omnes Ægyptios signa, sicut in columna nubis et luminis die ac nocte visibile præviæ divinitatis auxilium, et a persequentium impenetrabilis discretio tenebrarum? Inaudita præterea pelagi B fuga, et contra insistentium violentiam defensio præliantis elementi ; manna in eremo, et sine decoris ac vestium detrimento diuturnæ usus ætatis : expulsio perinde gentium vi ac numero [b] imparibus præstita, atque in possessionem affluentis terræ hæreditas constituta. Quid objurgatio sæpe incruenta peccantibus, et abolita paucorum animadversione transgressio, remissæ peccantium neces, ac pene in abusionem donantis redacta assiduitas lenitatis?

Tantis igitur debacchantis perfidiæ malis quid adjici [c] potius potuit in medelam, quam ut in remedia pereuntium ex utriusque et sancti Spiritus voluntate Dei Filius mitteretur, qui fragilitatis nostræ materiam dignatus assumere totum in Deo susciperet hominem, ut et totum si crederet, in sua C adoptione salvaret? Sed restabat incredulis, ut in illos eorumque nunc posteros sententia compleretur : *Oculis videant et non videant : corde intelligant et non intelligant ; auribus audiant et non audiant ; ne quando convertantur, et sanem illos, dicit Dominus* (*Isa.* VI, 10). Et iterum : *Væ genti peccatrici, populo pleno peccatis, filiis scelestis* (*Isa.* I, 4). Et tertio : *Derelinquetur filia Sion ut tabernaculum in vinea, et sicut casa custodiaria in cucumerario, et sicut civitas quæ expugnatur* (*Ibid.* 8). Quæ a se olim per prophetam dicta confirmans, in Evangelio Dominus approbavit dicens : *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas missos ad te ; quoties volui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas, et noluisti? Ecce relinquetur vobis do-* D *mus vestra deserta* (*Matth.* XXIII, 37, 38). Id est quæ Dei erat habitatio ante, nunc dæmonum est : quia quidquid religio vera deseruerit, superstitio profana sibi vindicat.

Ubi ergo Judæorum perditio in Christi internecione completa est, credulitati gentium fides patuit promissorum : et sicut ab initio non generis dignitati, sed meritis fidei salus magna promissa est, Domino sic docente cum se iidem Judæi pro potius fidei probatione Abrahæ filios esse jactarent : *Vos*, inquit, *de diabolo patre nati estis, et opera illius facitis* (*Joan.* VIII, 44). *Si enim Abrahæ filii essetis, opera illius faceretis* (*Ibid.* 39) ; id est, fides in vobis similis appareret : et sicut ille in omni humanæ hæsitationis difficultate mihi credidit, pari et vos mansuetudine crederetis. Hanc tamen eorum cordis duritiam manere quidem pro sui miseratione Divinitas non vult, sed existere pro eorum incredulitate permisit, ac secundum Apostolum : *Ex parte in Israel cæcitas contigit, ut fides gentium subintroiret* (*Rom.* XI, 25). Itaque ad obtinenda æternitatis bona nec Judæis prærogativa generis sufficit, nisi et fides origini suffragetur ; nosque rursum sola eorum non salvat offensa, nisi prælati humiliatorum pariter vereamur exemplum ; et unam in Christo atque indubitabilem viam utrique populo patere credentes, intemerata fidei dona teneamus ; sicut in Evangelio ipse nos docuit dicens : *Ego sum via, et veritas, et vita. Nemo vadit ad Patrem nisi per me* (*Joan.* XVI, 6). Et : *Qui crediderit in me, hic salvus erit* (*Joan.* VI, 47). Id est, ut sicut unus Deus, ita unus credentium populus Creatoris in perpetuum serviat voluntati : cultumque non respuit, dum neutram partem Dei justitia deprimens, absolvi lætatur in confessione credentes, quos incredulitas in auctoribus prædamnavit.

CAPUT XI.

Quæ hæreticorum genera vel errores.

APOLL. — Multa est Judæorum vecordia, si tam perspicua nesciunt ; damnabilior contumacia, si intellecta contemnunt : sed sive ignorent seu intelligant et recusent, alieni a crimine esse non possunt, quibus aut negligentiæ præjudicium in abusione, aut reatus in incredulitate subeundus est. Hos igitur perditioni suæ, si hoc tamen eligunt, derelinquens, hæreticorum [d] genera proprietatesque mihi pande, ut in fide tamquam in immobili rupe sistentem, cum infestare fluctus perfidiæ cœperint, præcogniti ante non moveant. Nam licet simplicis animi fore credam horum pravitates erroresque nescire, munitioris tamen fidei est pro cautione cognoscere.

ZACCH. — Tantæ hæreticorum ac tam innumeræ pestes sunt, ut eos non solum enumerare difficile, verum etiam nominare deforme sit; ita miseros evidentium pravitatum detestanda traditio a fide avertendo cæcavit, sic denique in sensus pereuntium subtilitas se diabolicæ fraudis immersit, ut etiam hæretici hæreticos habere se credant. Illi itaque, traditionem apostolicam relinquentes, magistros perfidiæ sunt secuti, et nomen religionis mutavere cum

[a] Sic codex Vind., emendate ; prior editio, *quorum spes*, corrupte. Infra idem codex et Lemov., *quod ante non* ; antea legebantur *quod certe non*.

[b] Edita *in patribus*, pessime ; codd. Vind. et Lem., *in paribus*, et ipsi male ; haud dubium quin veram lectionem exhibuerimus hic, perinde atque infra ubi editum erat, *ac pene in abusionem*.

[c] Sic codd. Vind. et Lemov.; prior editio *pretiosius potuit*.

[d] Sic codex Vind.; editi, *genera erroresque*. Haud ita multo post ubi legitur *ut etiam hæretici*, etc.; in eodem codice, *ut jam nec haberi hæreticos se credant*, minus recte. Vide initium cap. seq.

sensu. Prout enim cuique libuit plebem insciam fallendo seducere, ac sibi honorem parare de crimine; Deum aut ex parte credendum docuit, aut penitus abnegandum : habentes præterea Christi nomen, [a] proprio nuncuparunt, ut quoquo pacto a sacrilegio non abessent, qui, Christi nomine derelicto, religionis vocabulum ex homine sumpsissent. Quid enim interest ab idolo an ab homine vocabulum accipiat, qui vocari Christianus desistit? Ex illo igitur hæresis unaquæque nunc dicitur, quo auctore transgressa est, et in tantum proprietate criminis delectantur, ut nec sic quidem intelligant se ab unitate religionis abscissos, quod fidem etiam in nomine perdiderunt.

Ex Manete itaque Manichæi, ex Marcione similiter alumna plebs nominis : Photinus suos etiam vocabulo dividit : Sabellius perinde appellari ex se conventus sui exigit partem : Patripassianis error nomen imposuit; et in diaboli hereditate arcem Arius tenens ex se gregem nuncupat perditorum. Innumera præterea talium prodigiorum portenta dicuntur, quæ stultitiæ vilitas etiam reprehensione indignos facit : prædictorum tamen impietati velut in appendicem connexi, impugnare Ecclesiam Christumque non desinunt. Sed quia semper nihil est validius veritate, elisis undique fluctibus, magnæ molis pondus immobile est, et ictibus propriis infesta franguntur, dum ad hoc tantum perfidorum consurgit intentio, ut a se invicem discrepantes, fidem nostram dum destruere singuli cupiunt, astruant universi.

Manichæus enim duos esse astruit deos, duoque principia, quorum alterum bonum, malum credi alterum velit; bonum scilicet, qui veritatem veterum præceptorum Evangelii editione molliverit : malum, qui hunc fecerit mundum, et per Moysen ac per prophetas cæteros sit locutus. Humani generis insuper Redemptorem non veritatem asserunt carnis habuisse, sed speciem.

Marcion vero secundum divinitatem Dei Filium confitetur, secundum hominem negat. Porro Photinus ex tempore assumpti de Maria hominis filium Dei dicit, ante tempora non esse confirmat. Sabellius cum perfidia qua in Dei Filium blasphemat ut cæteri, etiam sanctum Spiritum diffitetur, et in Patre [b] tantum veritatem deitatis assumit. Patripassianus esse quidem astruit Patrem, sed ipsum mox esse sibi Filium, atque eumdem [c] ab innata substantia in nativitatem passionemque descendere; sanctum perinde Spiritum etiam in persona eumdem esse, non tertium. Scandit Arius sublimia ruiturus ad ima, et Trinitatem in personis ac nominibus confitetur, sed unitatem divinitatis excludit; Dei Filium per quem omnia sunt creata, creaturam statuens non creatorem : appellationi præterea nominum [d] gradus adjicit dignitatum, humiliorem faciens in honore, quem posterius loquatur in nomine.

Istæ sunt principales hæreticorum sectæ, et tam funestæ hominum persuasiones in dogmata diversa rapiuntur, ut substantiam indissociabilis Dei simplicem et divinitatis ineffabilis majestatem aut interpretationibus dividant, aut gradibus exhonorent, cum et quæ indigna sunt de Deo fingunt, et quæ ei sempiterna vel propria, diffitentur.

CAPUT XII.

Contra Manichæos, qui duos dicunt esse Dei filios.

Apoll. — Æstimari ab his haud dubie potest, quas haberi principe loco dicis, quales illæ hæreticorum sectæ sint, quæ condemnari etiam a talibus possunt. Verum quoniam in sponsione propositi est exemplis cuncta firmari, quibus tandem Scripturis has perfidiæ divisiones gradusque condiderint, quove intellectu ad hæc præcipitia sint deducti, interpretationum qualitatibus pande. Ego enim licet nondum quid ab his obtendatur audierim, errare tamen miseros incunctanter adverto, et solam catholicæ fidei integritatem manere; dum plenitudinem Trinitatis atque ejus spiritalia constituta, et probata non renuit, et suscepta custodit.

Zacch. — Si recte de malis meliora dici possint, profecto veniabilius videretur nescire Deum, quam impie confiteri : sed quoniam hi quoque statutorum cœlestium damnantur edictis, qui Deum per legem scire neglexerint; eadem perfidos credere detrectantes malorum perennium amplexura conditio est, Scriptura memorante : *Qui ignorat, ignorabitur* (*I Cor.* xiv, 38). *Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt* (*Rom.* ii, 12). Merito hos eosdem Antichristos [e] vocans, qui veram religionem latenti perfidia destruentes, ut fidem facilius impetant, Deum credere ac prædicare se simulant. Jamque primus Manichæus nefas propriæ traditionis ingressus, ut duos astruat deos duoque principia, ex Scripturis fidelibus auctoritates effecit infideles, Davidicum maxime illud assumens, quo ait : *Tecum principium in die virtutis tuæ* (*Ps.* cix, 3). Non intelligens in Verbo esse principium quod vere manens prædicatur in Christo : diem passionis et judicii mox futuri, omnemque divinitatem non in duobus, sed in Trinitate compleri. Aiunt præterea malum esse qui hunc fecerit mundum, quia scriptum sit : *Mundus in maligno*

[a] Codex Vind., *proprio, ut est Ario, nuncup.* Lem., *id est Ario :* sed hoc mihi glossema videtur quod e margine in textum irrepsit. Statim *a sacrilegio non abessent*, bene quidem, sed ne id quidem male quod est in codice Vind., *a sacra religione abessent*.

[b] Sic codex Vind. et quidem haud paulo melius quam prior editio, *tantum ac Filio sacramentum veræ Trinitatis ;* cum ibi Trinitatem agnoscere non potuerit Sabellius, ubi duas dumtaxat esse personas contendebat.

[c] Sic codex Vind., emendate : in editis, *ab inita*, corrupte; nec melius in codice Lemov. *ab unita.* Acherius in margine scripserat *ab ingenita*, ex codice quodam : an quod sic legendum esse conjecerat? Idem monet in codice S. Arn. scriptum *subsistentia*, quod non placet.

[d] Ita scriptum in utroque cod. Lem. et Vind., male; in editis *gradus adjicit dignitatem.*

[e] Forte leg. *vocat*, Scriptura scilicet : ut I Joan. ii, 18, 22; iv, 3 : II Joan., 7.

positus est (I *Joan*. v, 19). Non hæc quæ cernimus elementa sunt noxia, aut mali aliquid vel gignere vel habere credenda sunt, quæ Dei operatione disposita, valde, cum facta sunt, placuerunt, Scriptura dicente: *Ecce omnia bona valde* (*Gen*. I, 31; *Eccl*. XXXIX, 21). Sed in *malignitate* iniquitas nostra, in *mundo* genus designatur humanum, Joanne dum de adventu Salvatoris prædicat, hoc docente: ait enim: *In hunc mundum venit, et mundus eum non cognovit* (*Joan*. I, 10). [a] Si diversum Evangeliorum ac Legis asserunt conditorem, quoniam in Lege ultio præsens, in Evangeliis veniæ locus datur: Lex quidem vicem poscit injuriæ, et parem conditionem sancit amissi; Deus tamen *non vindicat bis in id ipsum* (*Nahum*. I, 9): et expensa in corpore pro admissi qualitate supplicii mitioris, ut credimus, judicii sorte pensanda sunt. Isthic autem satisfaciendi quidem tempus admittitur: sed nisi dignus pœnitentiæ fructus et opera subsequantur, æternus ignis est vermisque perpetuus; Domino hisdem in Evangeliis protestante: *Quorum vermis non morietur, nec ignis extinguetur* (*Marc*. IX, 43, 45, 47; *Isa*. LXVI, 24). *Ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth*. VIII, 12). Non ergo alius in Christo Deus, aliudque principium; sed idem latæ olim et nunc impletæ auctor est legis: nec malus in Trinitate quisquam, quia unus dicitur bonus; sed cum in uno Deo divinitatis unitas exprimatur, eadem necesse est bonitatis unitatisque æqualitas intimetur: cum et in lege custos justitiæ severitas, non malitia sit putanda; et in Evangeliis absque justitia bonitas non credenda.

His præterea illud adjiciunt, non veram in Christo carnem fuisse, sed [b] ex nescio qua re vel fluento frivolam speciem pro homine demonstratam. Quid ergo universa prædicatio prophetarum de corporali ejus nativitate præmonuit? Quid diversis vicibus Angeli sunt locuti? Joannes deinde fortasse non missus est, aut illa ad eumdem Dei Patris falsa sententia est: *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam* (*Malach*. III, 1). Quid denique intra beatissimam Virginem infusio sancti Spiritus fecit? Cur non in abolitionem secundum prædictos tumentis uteri tempus exceptum est? Ubi integra felicis puerperii signa, et partus matrum omnium conditione sublimior? Infans in præsepibus vagiens, ætate et sapientia puer crescens, atque inter electos seniorum cœtus divinorum intellectuum disputator? Quid rogo impietas flagitiosa non diceret, si hæc fundator salutis omnium non egisset: si despiciens prædicantem, et opinionem tantum originis, non mysterium veræ nativitatis intelligens incredula Judæorum turba siluisset dicens: *Nonne hic est filius Joseph fabri, et mater et fratres ejus nobiscum sunt* (*Matth*. XIII, 55)? Veri ergo hominis gradus isti sunt, et annorum communium certa provectio, Evangeliis sic protestantibus: *Proficiebat Jesus ætate et sapientia et gratia apud Deum et homines* (*Luc* II, 52). Meruit ergo esse quod natus est, qui justitia et vitæ puritate Deo placuit, mansuetudine et humilitate consortibus. Adde usum corporis manifesti; et licet et vita [c] inimitabilis sanctitatis, humanæ tamen infirmitatis natura præsidio indiget vestium; esurit, sitit, mœret, quiescit, dolet perinde atque in fletum movetur, neque ullum ulterius actum aut spernit aut præterit; quin etiam spiritalibus dolis tentatur et vincit, et hostis sui professione, an sit idem Dei Filius exploratur. Huic in exhortationem victricis constantiæ Angeli ministraverunt; hic traditus osculo, tentus ac passus est: et si probari verum hominem infelix perfidia sibi velit, clamantem de cruce priusquam moreretur audiat: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti* (*Ps*. XXI, 1)? Ubi enim humilitas et injuria est, hominem intelligas: ubi virtus et divinitas, Deum credas, Apostolo sic docente: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* (II *Cor*. v, 19).

Ecce enim infirmus ac subditus statuto Apostolis loco sicut prædixerat, tertia die resurgens vix credendus stupentibus redit, fractisque inferi faucibus, cœlo sedem locaturus apparuit. Gratias tibi, Thoma, qui unus ex omnibus tardius credidisti, qui clavorum loca palpans et totius passionis indicia flagitans, probari tibi confitenter expostulas, quod erat quandoque a perfidis denegandum. Profecto facilius incorporeum rediisse contenderent quem sine corpore vixisse confingunt, ex hoc fallaciæ superioris suffragia colligentes, quod mare pedibus supergressus sit, quod manentia improvidus claustra penetrarit, atque exceptus nube fulgenti paternum solium iterum venturus inscenderit. Qui Petrum, jubente eodem, in fluctibus ambulasse non nesciant, et cadentibus sponte vinculis emissum custodia carceris per Angelum non ignorent: Paulum vero ut invidiam vanitatis effugeret, in corpore an extra corpus, sub Dei tamen scientia usque ad cœlum tertium isse fateantur: Heliam denique curru igneo fuisse sublatum, et aspicientes relinquentem prophetas inauditum homini iter subiisse commemorent. Qui nunc in Dei Filio virtutes hujusmodi non credentes, dum sacramentum veræ incarnationis abjurant, actumque dissimulant, et hominem nolunt habere quod meruit, et Deum non credunt potuisse quod fecit.

CAPUT XIII.

Contra Marcionitas et Photinianos, quorum unus Dei Filium fuisse corporalem refutat, alius pro tempore fuisse corporeum, perpetuum esse non posse credit.

APOLL. — Patuit sectæ hujus impietas, et manifeste exsecrabilis damnanda persuasio, quamvis in exordiis narrationis inspecta sit, de propriis tamen est facta signatio: consequens nunc est, ut quæ sit

[a] Ita edidimus e codice Vind.; in editis *sic diversum*. Haud ita multo post ubi ex eodem scripsimus *qualitate supplicii*, antea legebatur *supplicia*, sic ut ea vox referretur ad expensa, fortasse non male.

[b] Sic uterque codex Lem. et Vind.; prior editio, *ex nescio quo aere*.

[c] Hic in codice Vind. legitur, *inæstimabilis sanctitatis*. Infra, ubi *audiat: Deus*, antea legebatur *audiret*.

aliarum in sua traditione perversitas, vel quam defensionem objiciat singularum modum servaturus edisseras; quia speciatim ordinata distinctio confusionem intellectibus derogabit, dum expositionum luce sit clarius, quod errorum tenebris involutum lumen semper refugit veritatis.

Zacch. — Intimatum est superius Marcionitas secundum divinitatem Dei Filium credere, secundum hominem refutare : Photinianos e contrario, ex tempore terrenæ nativitatis Dei Filium dicere, ante tempora diffiteri. Vide concertantium perfidiarum in una collatione veritatem : simul quod in toto est neuter confitetur, et quod simul in toto est uterque non renuit. Dei enim Filius in Verbo ante omnium sæculorum creationem natus ex Patre, de sempiterno sempiternus, verus ex vero est. Neque in eo aliud potest esse quam id quod semper in Patre est, ipso in Evangeliis hoc docente : *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt* (*Joan.* xvi, 15). Et tamen non ita ab eo velut soli propria vindicantur, sed ita communia, ut in singulis plena. Et iterum : *Abraham vidit diem meum, et lætatus est* (*Joan.* viii, 16). Et, *Ante Abraham ego sum* (*Ibid.*, 58). Dicitur perinde ad patriarcham Jacob : *Fac illi Deo altare, qui tibi apparuit cum fugeres a facie fratris tui Esau* (*Gen.* xxxv, 1). Ipse iterum in Evangelio sic locutus ad Patrem est : *Clarifica me, Pater, claritate quam habui apud te, prius quam mundus fieret* (*Joan.* xvii, 5). Iste est qui populum de Ægypto venientem præcessit in nube. Illum Esaias manifesto a se visum testatur aspectu. Ille [a] denique se principem cœlestis militiæ fore in acie a Jesu Nave interrogatus edixit : *Nemo enim umquam novit Patrem nisi Filius* (sicut scriptum est), *et cui voluerit Filius ostendere* (*Matth.* xi, 27). Ille se semper humanis aspectibus dedit, quia, cœlestem societatem fragilitati nostræ admiraturus (*sic*), in homine quod erat futurus, jam meditabatur intelligi. Hæc itaque Marcionitis secundum divinitatem dicta sufficiant.

Corpoream nativitatem Photiniana vicissim hæresis agnoscat. Ait Dominus ad Nathan prophetam : *Vade, dic servo meo David : Non tu ædificabis mihi templum* (II *Reg.* vii, 5), *sed suscitabo semen tuum post te, et parabo regnum ejus : hic ædificabit domum nomini meo, et erigam thronum ejus in sæcula, et ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium* (*Ibid.*, 12, 13). Similiter in Genesi patriarcha Jacob de eodem ante prophetaverat : *Juda, te laudabunt fratres tui : manus tuæ super dorsum inimicorum tuorum : adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda : de germine filius mihi ascendisti : recubans dormisti sicut leo et sicut catulus leonis : quis suscitabit eum* (*Gen.* xlix, 8, 9)? Forte non lateat nobilissimæ feræ hanc esse naturam, ut leo sine spiritu integra tantum corporis forma nascatur, jacensque sic biduum spi-

A ramine genitoris usum vitæ communis accipiat : unde [b] hæc in Salvatorem suscitatio comparata, merito subjecit : *Quis suscitabit eum?* Nemo utique nisi Pater. Adoratus vero Judas a fratribus suis non est : sed quia ex eadem tribu corpus assumpsit, propheticæ benedictionis eloquiis Salvator in Juda, credentes autem computantur in fratribus; ipso in Evangeliis sic protestante : *Hi sunt fratres mei, qui faciunt voluntatem Patris mei qui est in cœlis* (*Matth.* xii, 50). Esaias perinde ait : *Confortate manus resolutas, et genua debilia roborate : Dominus noster judicium retribuit : ipse veniet et salvos faciet nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum audient : tunc saliet claudus sicut cervus : et plana erit lingua mutorum* (*Isa.* xxxv, 4-6).

B Jam quidem hoc in Evangelio novimus factum : sed faciundum plenius in resurrectione confidimus, cum innovata siccis ossibus membra jungentur, et post assumptorum corporum pulverem spiritalis formæ muneribus induemur; Apostolo sic docente : *Oportet mortale hoc induere immortalitatem, et corruptibile hoc induere incorruptionem* (I *Cor.* xv, 53). Ut simus conformes formæ corporis Christi, quem Hieremias venturum in corpore prædicans ait : *Et homo est, et quis cognoscet eum* (*Jerem.* xvii, 9, *s c.* LXX)? Non enim fuerat necessarium cum adjectione hominis de Deo loqui, nisi ut in Deo homo pariter monstraretur. David autem sub verbis Domini ipsius ait : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu; ego hodie genui te* (*Ps.* ii, 7). Quod testimonium in Evangelio C gemina Patris voce firmatum est : primum cum a Joanne baptizatum [c] Jordanis emitteret : secundo cum in monte futuræ claritatis splendore perfusus medius inter Moysen Heliamque consedit. Hæc itaque de eodem Dei Patris utroque in tempore verba tonuerunt : *Hic est filius meus dilectus, in quo bene complacui : ipsum audite* (*Matth.* xvii, 5). Id est, jam non Moysen qui tunc speciem legis exhibuit, aut Heliam qui figuram intulit Prophetarum; sed hunc audite, cui et sermo in potestate est, et in virtute lex gratiæ. Sic enim de eo Scriptura prædixerat : *Orietur vobis sol justitiæ, et in pennis ejus sanitas* (*Malach.* iv, 2). Paulus quoque prædicans ait : *At ubi venit adimpletio temporis, misit Deus Filium suum* (*Galat.* iv, 4) *qui factus est ei secundum* D *carnem* (*Rom.* i, 3). Joannes similiter : *Omnis*, inquit, *spiritus qui confitetur Christum in carne venisse, de Deo est : qui autem negat, de Deo non est, sed antichristus est* (I *Joan.* iv, 2).

Vides ergo perfacile Photinianorum, Marcionitarumque doctrinas posse convinci; sed imbutas funestis fraudibus mentes antiquus serpens diris nexibus illigavit, ut sectæ inexplicabilis labem quadam constantiæ præsumptione tueantur. Nihilominus tamen per utriusque confessionem veritas manifestæ

[a] Ita legitur in codice Vind.; in editis *denique principem . . . se dixit.* Haud ita multo post *quia cœlestem* ex eodem cod. scripsimus, cum editum esset *qui cœlestem*.

[b] Codex Vind. *hæc Salvatori.* Infra in Lemov. *plena erit lingua.*

[c] Antea legebatur *Jordani se mitteret*, fœdo librarii errore. Infra ubi *qui nunc speciem*, vitii nonnihil esse suspicor.

divinitatis elucet, dum altercantium malignitas discors hebesque perfidia partem negantis affirmat, cum partem negaverit confitentis.

CAPUT XIV.

Contra Sabellianos, qui Spiritum sanctum negant Deum, credendum donum potius quam donatorem.

APOLL.—Plana est etiam in his speratæ expositionis inspectatio, et utriusque sectæ indubitata perversitas infelicium pravitatum commenta nudavit. Ordo nunc hæreses pergat in cæteras, et cunctarum vulgationem series cœpta percurrat, ut tamquam venenatorum anguium intra [a] volumina pectorum conditos sinus illata fidei lux revolvat; non quia tales mereantur agnosci, sed ne dubiorum sensibus nociture facilius, dum ignorantur, obrepant.

ZACCH.—Credo teneas in præcedente titulo prænotatum, a Sabellianis præcipue sanctum Spiritum denegari, et donum potius quam donatorem impiorum traditionibus dici; malique hujus auctoritatem sacris vel maxime testimoniis usurpari, quia et dari legatur et accipi; Salvatore ad Apostolos sic loquente : *Et insufflans eis dixit : Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* xx, 22). Quidam etiam discipulorum a Paulo interrogati, *An accepistis Spiritum sanctum* (*Act.* xix, 2)? neque accepisse, nec si esset scire se dixerunt. Quorum intellectuum ratio talis est. Datur quidem, non quia se ipse non præstet, sed ut in eo qui tribuit, inesse monstretur : sicut enim Pater in Filio, et Filius in Patre, ita sanctus Spiritus [b] in utroque, ac rursus in ipso est uterque conspicuus. Hac igitur ratione post ascensum Salvatoris venturus dicitur qui ab eodem prius datur; et quem a se postea mittendum promittit, in se jam esse demonstrat; seque similiter post ejus adventum suumque conscensum nobiscum usque ad mundi consummationem futurum promittens idem Dominus, ait : *Et ero*, inquit, *vobiscum usque ad consummationem mundi* (*Matth.* xxviii, 20). Et iterum : *Nisi ego iero, Paraclitus ille non veniet* (*Joan.* xvi, 7). Adeo connexa et indissociabilis datio in infusione indubitabilem Dei actu aliam probat in exspectatione personam, dum et ascendens ad Patrem nihilominus est nobiscum, et bene ab ascensuro creditur datus qui promittitur adfuturus. Quamvis enim Apostoli ante ascensum Salvatoris, sancti Spiritus donum fuerint consecuti, in ipso tamen postea plenitudinem perceperant, libro Actuum sic docente : *Et factus est subito de cœlo sonus tamquam spiritus validi advenientis; et implevit domum totam in qua erant sedentes : et apparuerunt illis linguæ* [c] *dividuæ : seditque sicut ignis super singulos eorum* (*Act.* ii, 2, 3). Spiritus quin etiam et sermone manifestus est, eadem Scriptura memorante : *Et ait Spiritus ad Philippum : Accede ad currum eunuchi* (*Act.* viii, 2). Et iterum : *Separate mihi Paulum et Barnabam in opus in quo assumpsi eos* (*Act.* xiii, 2). Dominus autem in Evangelio sancti Spiritus reverentiam cum interminatione commendat dicens : *Qui blasphemaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque hic, neque in futurum* (*Matth.* xii, 32).

Hic fidelium corda sanctificat, atque ad omnem cœlestis gratiæ perfectionem informat et dirigit, Domino prædicante : *Cum autem venerit Paraclitus ille quem ego mittam vobis a Patre meo* (*Joan.* xv, 26), *ipse vos diriget, et ipse arguet mundum a peccatis eorum* (*Joan.* xvi, 8, 13). Non est ergo munus, sed munerator; nec donum aliquod, sed largitor donorum : non sanctificatur, sed ipse sanctificat; numquam inter creaturas, sed semper in substantia Trinitatis apparens, Apostolo sic docente : *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus : et divisiones ministeriorum, idem autem Dominus : et divisiones operationum, idem autem Deus. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus* (I *Cor.* xii, 4-6, 11).

Jam vero illud affirmare perstultum est, eumdem Angelum aut aliquem de supernis [d] potestatibus æstimari, cum infundi in plures Angeli non queant, quod huic de propria divinitate possibile est. Illum perinde Angeli tantum obtinent locum, ad quem a Deo aut mittuntur aut redeunt : hic ita alicubi est, ut et ubique sit semper, Psalmista dicente : *Quo abibo a Spiritu tuo* (*Ps.* cxxxviii, 7), etc. Angelos idem propheta ita indicat factos : *Qui facis*, inquit, *Angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem* (*Ps.* ciii, 4). Sanctum vero Spiritum Deum esse Scriptura evidenter ostendit, dicens : *Quoniam Spiritus Deus est* (*Joan.* iv, 24). In largitatibus liber, in majestate simplex, et consentiens in Patris ac Filii voluntate, non subditus, Apostolo sic protestante : *Tribuit Spiritus unicuique prout vult* (I *Cor.* xii, 11). Implet omnia nec minuitur; a cunctis recipitur, et ipse nil recipit; temperat sancto moderamine pias mentes, et nullius indigens invenitur : in judicio justus est, promptus in munere. Namque et justum Ananiæ exitus monuit; et non inaniter Deum credi ante invocationem docentis Petri Cornelius approbavit : sed tamen non hæc tantum subsistentem ejus in deitate personam testantur aut comprobant. Viventis Dei viva species in columba e supernis cœlorum sedibus venit, et ab ipso ut Redemptor mundi esset atque adoraretur ab Angelis, unctus et Christus, ipso de Isaia in Evangeliis sic recensente : *Spiritus Dei super me, propterea quod unxit me* (*Luc.* iv, 18; *Isa.* lxi, 1), etc.

Ergo his testimoniis innumerisque præterea per-

[a] Sic codex Vind. et alius quem viderat Acherius, qui tamen edere maluit *volumina peccatorum*.

[b] Hic e codd. Vind. et Lem. resarcivimus lacunam prioris editionis, in qua hoc tantum legebatur, ita *sanctus Spiritus in utroque conspicitur*, et in margine *conspicuus*.

[c] In codice Vind., *dispertitæ : seditque ignis*. Acherius in uno e suis codicibus legerat etiam *dispertitæ:* in alio, *divisæ*. Statim vocem *Spiritus* adscripsimus e cod. Vind.

[d] Sic codex Vind.; in editis *æstimare*. Infra, ex eodem codice, *in deitate personam*, scripsimus, ubi erat *in deitatem personam*.

ditus Sabellianorum error ostenditur, qui sanctum Spiritum specialiter refutantes, plenitudinem solidæ majestatis sacrilega traditione contaminant; non intuentes illum ut causæ nostræ utilitas exegerit, aut in Patre aut in Filio, aut rursum iisdem in se manentibus demonstrari: quia licet plena nostræ credulitatis salus sit, unum per omnia sicut est Deum credere et confiteri, abesse tamen fidei non potest, Trinitatem non esse sine tertio.

CAPUT XV.

Contra Patripassianos, qui Patrem passum esse existimant.

APOLL.—Diversus quidem a memoratis Sabellianorum error et causa est; sed, ut credo, perfidiæ exitus similis ac retributio præcedentibus comparanda; cum sanctum Spiritum in Dei virtute ac substantia permanentem [a] ab unitatis excipiunt Trinitate, et Scripturis omnibus renitentes, fidem Trinitatis impugnant. Verum his quoque in numero profanorum relictis, residuorum perversitas confutetur, ne id quod retectum expositione non fuerit, suppressum potius æstiment quam relictum, et in quemdam ignem favilla deficiens convalescat, si quando quæsituris mentio facta prætereat, quod Scripturarum auctoritas fortasse non reticet.

ZACCH. — Præmonueram primæ interrogationis exordiis plenitudinem ineffabilis majestatis utcumque intelligi fide posse, verbis ut dignum est patere non posse; siquidem cum ipsa nominum ac personarum distinctionem efficientia veritatis, non status faciat substantiæ differentis: quoniam ad intuendam divinitatem cum etiam sensus impar sit; nulli dubium est imbecilliorem multo sermonis substantiam esse quam mentis. Hanc itaque humanæ infirmitatis difficultatem auctores universorum amplectuntur errorum. E quibus Patripassianus eam sibi partem impietatis elegit, ut quia ex Patre primogenitus Filius, et ab ipso Spiritus sanctus procedens; idem Pater et Verbum sit, atque ab ipso et caro suscepta videatur et passio: idem perinde et Spiritus sanctus. Nec auctor in Trinitate, sed solus in divisionem divinitatis ad [b] dispendium prædicatur, nisi in communionem Trinitas redacta credatur: de qua, ut creberrime memini, quod sensu percipi non potest, inenarrabile potius quam nullum est æstimandum. Non solum autem a Patre abesse injuriam passionis, verum etiam a Verbo multipliciter agnoscitur. Nec enim incorporabilis divinitas, sed corpus affixum est; et quidquid infra honorem cœlestis potentiæ Dei Filius pertulit, non Verbo, sed homini reputatur assumpto. Cumque peccatum in primo homine fuerit, quemadmodum denuntiata a tot sæculis humano generi redemptio proveniret, nisi illud sanguis veri iterum hominis expiasset? Cujus mortem licet jam testimonia plura docuerunt, ne tamen adversus se prædicta hæresis adstruat nihil prolatum, de copiosa exemplorum multitudine pauca sumemus.

David itaque sub verbis Domini ipsius dicit: [c] *Obediens factus sum usque ad mortem* (*Psal.* XXI, *Philipp*, II, 8). Et iterum: *Posuerunt me in sepulcris sicut mortuos sæculi* (*Ps.* CXL, 3). Et tertio: *Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber* (*Ps.* LXXXVII, 5). O inæstimabilis Dei virtus, et inscrutabilis Dei sapientia! Unde hic paulo ante *sicut mortuos sæculi*, nunc *sine adjutorio inter mortuos liber est?* nisi quia, ut ipse prædixerat: *Oportebat Filium hominis pati et crucifigi a scribis et principibus sacerdotum, et debellata morte die tertia ab inferis remeare* (*Matth.* XVI, 21); ut in effectum nostræ salvationis, vivorum simul ac mortuorum acciperet dominatum; et illud sublimissimæ charitatis statueretur exemplum, ut nosmet pro eo passionis calicem biberemus, quem non respuerat ille pro cunctis. Manifesta ergo in personis ac nominibus Trinitas, sed divinitas una est; nec Patripassiani recipimus unionem, sed catholicam in Deo amplectimur unitatem. Ab hac itaque memorati interpretatione dissentiunt, et falsa imponere moliuntur occultis; dum quod ex Patre est, non nisi in eo tantum esse confirmant, quod specialiter ex homine, injuriæ divinitatis ascribunt.

CAPUT XVI.

Contra Arianos, qui Filium et Sanctum Spiritum esse minores Patre dicunt.

APOLL. — Quam metui ne quod validius aut abstrusius malum intra occulta perfidiæ istius viscera resideret! Namque ad primam relationis tuæ frontem non tam perspicua fidei nostræ membra cernebam, et obscuritatem noxiorum fraudibus involutam ignorantiæ potius quam malitiæ deputabam. Itaque probabilis doctrinæ tuæ ordo auctoris laceram rabiem perditioni miscuit et clientelæ. Quid nunc sibi Ariani contra veritatem nostræ credulitatis assumant, simili modo pande; ut si vel ejusdem [d] vel tectioris nequitiæ docebuntur, gregi hæreant prædictorum, non immerito exsecrabiles judicandi, si traditionibus subdolis derogant, quod professionis titulo non recusant.

ZACCH. — Dixi dudum Arianos arcem tenere perfidiæ, et hoc ruinæ majoris putandos, quo celsiora profitentes velut integram fidem præferunt, qui fidei integritatem recusant: non enim creatorem, sed creaturam Dei Filium dicunt, et cæteris hoc tantummodo esse potiorem, quod factus prius ex Deo Patre, non genitus sit: tempori perinde obnoxium

[a] Sic uterque codex Lem. et Vind., nisi quod hic *pœnitentes* habet, male. Prior editio, *ab unitate propriæ divinitatis excipiunt, et Trinitatem Scripturis omnibus recensentes.*

[b] In codd. Vind. et Lem., *prædicantis.* Statim codex S. Arn., *in unionem.* Infra *agnoscitur* scripsimus sic, ut Acherius legendum esse monuit, cum in textu legatur *agnosci.*

[c] Ad hunc locum monuit Acherius, auctorem vel memoriter præfatum esse, vel alludere ad Psalmum XXI, in quo tamen nihil hujusmodi reperi.

[d] In codice S. Arn., *vel tetrioris:* statim *hæreant* codex Vind.; prior editio, *adhæreant.*

esse quia natus est. Quam impietatem talis sententiæ calliditate confirmant : *Erat*, inquit, *quando non erat*. O sæva impiorum malignitas! Deusne potuit aliquando non esse? aut quemadmodum [a] genitus, si et secundum divinitatem factus astruitur? Nam cum Deo speciale soli sit semper fuisse, ex ipso atque intra ipsum nascens quid aliud potest esse quam Pater est? Aut ille quemadmodum Pater, si in Verbo assumptio aliqua, non nativitas vera est? Quod si verus Pater, verus et Filius; et si in nullo dissimilis, tum demum certa imago genitoris. Atque illud consentiens in propheta : *Eructavit cor meum verbum bonum* (*Ps*. XLIV, 1). Et iterum : *Ante luciferum genui te* (*Ps*. CIX, 3). Sed his confestim illa substituunt quæ sub Domini ipsius verbis in persona assumpti hominis proferuntur : *Pater*, inquit, *major me est* (*Joan*. XIV, 28). Et, *Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem ejus qui misit me Patris* (*Joan*. VI, 38). Altioris denique sensus ex verbis Salomonis scripta corripiunt : *Prior*, inquit, *omnium creata est Sapientia* (*Eccli*. I, 4). Et, *Dominus in initio viarum suarum creavit me* (*Prov*. VIII, 22). Quæ si in præscientia, sicut dixi, de auctore redemptionis nostræ prædicta non censent, [b] et Salomonem in eodem Spiritu aliud putant sensisse quam cæteros; audiant æqualitatem substantiæ et divinitatis unius, Patremque ac Filium licet in personis ac nominibus non eumdem, unum tamen in majestate cognoscant : *Ego*, inquit, *et Pater meus unum sumus* (*Joan*. X, 30). Et iterum : *Philippe, tanto tempore vobiscum sum, et nondum me nostis* (*Joan*. XIV, 9)? *Qui me videt, videt et Patrem*. Et tertio : *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt* (*Joan*. XVI, 15); *et quæ vult Filius eadem vult et Pater*; et : *Sicut operatur Pater, operatur et Filius* (*Joan* V, 19). Similiter clarificari perinde a Patre se postulat; sed rursum Patrem a se clarificatum coram hominibus protestatur. Quo autem pacto includi qualibet protensione temporum potest, a quo tempora sunt creata? Vel quod ei initium est adscribendum, per quem omnium initia prodierunt.

Intuere Ariani cæcam persuasionem, et sensum totius impietatis terminos excedentem. Finge quod transgredi rerum initia opinione sua possit, et solidæ majestati præjudicium comparare. Nonne apertæ insaniæ est, Deo cui omnia debeas, nomen substantiæ deterioris ascribere, ac de immenso quasi possis exigua definire? Quid in te, o nequam homo, tantum ille promeruit : immo quid non præ cæteris, cum te post omnia formaret indulsit, ut bonis mala referas, ut zizania esse quam triticum malis? Cunctis posterior factus creaturis per eum potior factus es, quem a se factis profane permiscere studes. Tu de calcabili, ut ipse non renuis, limo, sensu, specie ac potestate imago ac similitu-

A do Dei es; terræ insuper præes de qua assumptus es; validioribus infirmior dominaris, profunda modicis trabibus vectus ingrederis, et subjecto serviunt elementa, non præsunt : tibi anni aut gratæ aut utiles vices mutantur, rerumque varietas dispositos universorum germinum educit fructus : tibi aereæ aves decidunt, et aquis nascentia aluntur ac vivunt. Taceo quod generali exemptus ruina in spem quam amiseras repararis; quod per te munere immortalitatis exutus, per illum tamquam a principio dignus indueris; et velut exigua sit ista liberalitas, cœlum insuper si mereare conscendes : situque materiæ tuæ ulterius non gravandus, choris misceberis Angelorum, ac tot sæculis invisibilem Deum perennis lætitiæ possessor aspicies. Quid plura? Si B adoptionis catholicæ fidem serves, hæres Dei, cohæres autem Christi perpetuo permanebis.

Sed his ac talibus pulsi hærere nihilominus malignis intellectibus student, illud ex Evangeliis assumentes, quod horam adventus sui diemque nescierit. Ut illis hoc dimittatur, assumptum hominem ante nescisse quam terrestrium et cœlestium potestatem in Dei gloria receptus acciperet; numquid etiam Verbi divinitas ignorabat, aut cum sit Filius semper in Patre, atque in Filio Pater, sciet aliquid unus alio nesciente? Et quamlibet ex voluntate Patris a se tamen faciunda penitus ignorabit? cum in ipsa paternæ voluntatis ratione non subjectio, sed consensus est; David in Spiritu sub verbis ipsius sic docente : *Ut facerem voluntatem* C *tuam, Deus meus, volui* (*Ps*. XXXIX, 9). Non est ergo ita obtemperans, quasi subditus, sed voluntatem Patris in sua faciens voluntate : mitti autem dicitur, sed ut alter intelligatur. Novitque etiam secundum hominem omnia; quæ futura sic prænotat, ut in aperto sit consummationis diem nobis potius congruum fuisse nescire, quam illum penitus ignorasse. Denique hinc et vitæ propriæ fine celamur, ut attentiores ad justitiam incerti exitus sollicitudo perficiat, et sub omni peccatorum occasione compositi mortem facilius evitemus, si mortis adventum quotidie timeamus; hoc enim generaliter providens Scriptura præmonuit dicens : *Stulte, hac nocte expostulabitur anima tua : ea quæ præparasti, cujus erunt* (*Luc*. XII, 10)? Similiter Apostoli præmo- D nentur, Salvatore dicente : *Orate sine intermissione* (I *Thess*. V, 17); *quia nescitis quando Filius hominis venturus sit* (*Matth*. XXIV, 42). Id est : Metus vobis et exspectatio incerta consultior est, ne securos fiducia subruat, et futurorum scientia decipiat nil timentes; cum magis spe diuturnitatis abjecta audere salubriter timeas, quod corrigi in spatio posse non credas.

Universæ tamen hæreticorum perfidiæ de utraque Christi nativitate duobus vel maxime testimoniis subruuntur, Joannis Evangelio sic intonante : *In*

[a] Optima lectio codicis Lem. Quod antea legebatur *genitus sit, et secundum*, intelligi non poterat.

[b] Priores duæ voces e codice Vind., posteriores duæ e Lemov. descriptæ sunt. In editis, *quasi... non essent*, pessime.

principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum; et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I, 1-3). Et iterum : *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis : et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis* (*Ibid.*, 14). Vides ergo nullum Arianis locum relictum, quo merito a fidei nostræ integritate dissentiant : cum idem Dei Filius ante sæcula unigenitus, et nunc primogenitus prædicetur ; terreni corporis obtinens veritatem, et cœlestem potentiam non omittens [*Forte* amittens], utraque nativitate complexus est quod per solam divinitatem antea possidebat.

CAPUT XVII.

Contra Novatianos, qui unitatem dissentiunt, et semel lapsum restaurari posse non credunt.

Apoll. — Omnium quidem sectarum error et pravitas in prima statim expositione claruerat; sed ut promptius eluceret, necessario firmitas doctrinæ sequentis accessit, et currens per singula modus competenter detexit quidquid traditio sceleratæ interpretationis obduxerat. Unde nunc ut nulla animo desit instructio, pande, quæso, quæ Novatianos a nobis causa determinet, ut a credulitate catholica discedentes, non solum conventus extra Ecclesiam contrahant, sed, ut credo, etiam fidem illius impetant, a cujus pace unitatis odio recesserunt.

Zacch. — Recte intelligis fidei unitatem penes eos esse non posse, a quibus Ecclesiæ unitas sit relicta; quia non interest quemadmodum quis recedat, si ab ejus corpore sponte se dividit, Domino in Evangeliis hoc loquente : *Qui mecum non est, adversus me est : et qui mecum non colligit, spargit* (*Luc.* XI, 23). Fuerunt hi enim aliquando nobiscum, sed quodam Novato auctore disrupti sunt; non tamen hæreticis coæquandi, quia non a confessione catholica, sed a charitate dissentiunt, atque in solam pietatem rebelles Dei misericordiæ subtrahunt quos semel inimici laqueis irretitos restitui non admittunt. Mundos se atque, ut ipsorum verbo utar, Catharos vocant, divinæ admonitionis semper immemores, qua primum in Job Spiritus dicit : *Quis enim mundus a sordibus, nec si unius diei sit ejus vita in terra* (*Job.* XIV, 4, 5, *sec.* LXX)? Unde et Psalmista similiter sentiens, ait : *In peccatis peperit me mater mea* (*Ps.* L, 7). Et Joannes in Epistola sua : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus; et veritas in nobis non est* (I *Joan.* I, 8). Severioribus itaque judiciis plectenda non credunt, quæ numquam in confessionem deducta, velut latere perpetuo possint, callidissime supprimuntur. Profitentibus vero cum præsentium emendatione præterita non solum veniam non negari, verum

A etiam justitiæ privilegium tribui Deus ipse sic loquitur, per Esaiam conversis ista denuntians : *Dic tu injustitias tuas prius, ut justificeris* (*Isai* XLIII, 26). Intuere cum venia præmium, et cujusdam honoris in simplici confessione mercedem : Deus illi justitiæ fructum promittit, in quem Novatianus dura pronuntiat; et absolvi posse cum gratia pollicetur, quem ille ne salvetur, expellit.

His tamen non legitimus sacerdotii principatus, summaque in pontificio non fuit sedes, sed per obreptionem velut in quadam tyrannide discordia convalescens prædictum schismatis sectatur auctorem, et a consortio piæ [a] communionis exclusi tradi Satanæ perpetuo malunt, quam Deo spiritalis gratiæ exhortatione revocari; recipere innumera Scripturarum exempla nolentes, quibus haud dubia inter-
B pretatione cognoscitur et provocari lapsos debere, et suscipi revertentes, Psalmorum libro sic inchoante : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit* (*Psal.* I, 1). Beatus ergo est qui non ita abiit ut redire contemneret, et profectum consilii melioris accipiens misceri impiis destitit, postquam corrigi potius intellexit. Beatus perinde est qui in via non stetit peccatorum, ille utique qui ingressus vitia non permansit in vitiis, ipso in consequentibus hoc docente, cum obrepentium delictorum excusationem præmittens, conscius nostræ fragilitatis hæc posuit : *Delicta quis intelligit* (*Psal.* XVIII, 13)? Id est, admitti facilius posse, quam nosci. Addit in precibus, ut et ab alienis et ab
C occultis propriis emundetur, immaculatum se fore confidenter affirmans, si ea sibi non dominentur in quibus ante peccaverat. Ecce etiam a maximo delicto purus efficitur, qui in se crimina non reditura condemnat; et immaculati honore gloriatur, qui elegit hoc esse quod noluit, dum perfrui respuit quod dilexit. Similis per Ezechielem sententia Dei est, hæc dicentis : *Ut quid moriemini, filii hominum? convertimini ad me, et convertar ad vos* (*Ezech.* XXXIII, 11). Id est : Inferni est via ista quam pergitis, et in veniæ desperatione mors vera : non sum ego crimina avarus abolere, qui tam leniter ne jam admittantur admoneo, qui judicii mei inviolabilem formam his sermonibus pando : *Nolo mortem morientis; tantum revertatur et vivat* (*Ibid.*). Et, *Si ini-*
D *quus convertat se ab iniquitatibus suis quas fecit, et custodiat omnia mandata mea, et faciat justitiam et judicium; vita vivet et non morietur. Omnia delicta ejus quæcumque fecit, non commemorabuntur* (*Ibid.*, 14).

Sed tamen Dei munus et dignissimum piæ remissionis edictum non solum [b] in abolitione Novatianus reddi prohibet, sed pertinaciter ad veniam non sinit pertinere. Ne sane ab his horumque similibus penitus excedat, levissima quæque et pauca dimittens, in qualibet correctione exsertæ indulgentiæ piget.

[a] Sic e codd. Vind. et Lem. edere libuit, cum antea legeretur *exclusos*. Infra eosdem codices secuti, scripsimus *potius intellexit*, ubi male erat *posuisse intellexit*. Cætera quæ leviora sunt, ascribere

[b] Codex Lemov. *in abolitionem... redigi* : quod ultimum verbum agnoscit codex Vind. uterque deinde *excretæ indulgentiæ*.

vim repellit : cum Salvator in Evangeliis mundari per eleemosynam cuncta commemoret, ac, *sicut aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna exstinguit peccatum* (*Eccli.* III, 33). Relicto denique toto admodum grege, unam ovem fidei pastor inquirit, et inventam humeris superponens plus gaudii in amissæ recuperatione constituit, quam habebat in salvis. Apostolus autem formari in se rursum more partus Galatas ait, quos revalescentibus vitiis frustra primum in regeneratione mentis ediderat. Unde et opere charitatis effecto peccatorum multitudinem regi, Petrus et Jacobus Domini frater affirmant, verbis similibus protestantes : *Charitas*, inquit, *tegit multitudinem peccatorum* (I *Pet.* IV, 8; *Jac.* V, 20). Ita, his evidenter inspectis, intelligis Novatianos atroci obstinatione cæcatos, malitiæ potius suæ quam B Dei satisfacere voluntati; dum in proximos et post compunctionem præteritorum, ipsis qui judicant fortasse meliores, et confessa condemnant, et expiata non solvunt; quæ et donari possunt, et occuli non oportet.

CAPUT XVIII.

Quæ Novatianis respondenda sint.

Apoll. — Manifesta et evidens ratio est, non dicam Dei, penes quem misericordiæ summa est, verum etiam justorum hominum judicio [a] irremediabiles (non) duci, qui vitiorum pravitate calcata ad meliora se conferunt, et antea vel ætatis ignorantia negligentes, vel casuum diversorum erroribus occupati, iter fidei repetunt, atque abjecta, quam prius prætulerant, carnis illecebra, supernæ conversatio- C nis actibus diluunt quidquid ante terrenorum amore polluerant. Sed forte ante infusionem baptismatis ista concessa sint, et aliqua Novatianis adsit auctoritas, qua post lavacrum spiritale pollutos purgari non posse contendant, et inviolabilis sancti Spiritus munus tradi per homines semel posse, amissum restitui non posse confirment : assertioni ipsorum illo forsitan extrinsecus suffragante, quod a se locus pœnitentiæ non negetur, sed a Deo venia sit speranda; et satisfactio explenda pro factis, non reputanda pro meritis. Quid ergo in hujusmodi intentione durantibus referri debeat vel probari, more consuetæ expositionis insinua : ut sermonis nostri occasione et pravis correctio, et venia suadeatur afflictis; D dum irreligiosorum pertinacia panditur quidquid spei desperantium comprobatur.

Zacch. — Felicius quidem est intemerata spiritalis gratiæ dona servare, et incorruptum cœlestis indulgentiæ munus [b] futuro deferre judicio, David hoc perdocente : *Beati immaculati in via* (*Psal.* CXVIII, 1). Apostolus similiter : *Ut possimus*, inquit, *fratres, integram et animam et corpus et spiritum servare in*

A *diem Jesu Christi Domini nostri* (I *Thes.* V, 23). Sed alios incautæ ignorantia juventutis, alios terrenæ fervor illecebræ, ad proclivem delictorum viam ducit; sub verbis propriæ excusationis David in Spiritu istud loquente : *Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris, Domine* (*Psal.* XXIV, 7). Justarum quippe allegatio precum est, annis infirmioribus perpetrata forma remissionis recenseri, et cum ætatis privilegio perperam gesta dimitti; quia in hoc eodem testimonio non otiosa per prophetam refertur historia; sed ætatis ad casum facilitas incautior intimatur. In quo annorum gradu [c] ne velut specialem Novatiani locum teneant, audiant Salomonem sine exceptione temporum similia prædicantem : *Quis gloriabitur castum se habere cor, et mundum se esse a peccato* (*Prov.* XX, 9)? Exclusa est ergo vanitas tacitæ falsitatis : quamlibet purus oculis videatur humanis, non tamen ideo reus non est, quod suæ ille conscientiæ Deoque pollutus est.

Hanc igitur nostræ fragilitatis infirmitatem trino indulgentiæ gradu purgari pietas divina permisit, donans principio cuncta per baptismum ; obrepentia postea pœnitentia tegens, reputari penitus nulla constituit, si ab omni corporis labe martyrii quempiam fervor absolvat, Psalmista dicente : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates ; et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputabit Dominus peccatum* (*Psal.* XXXI, 1). Remittuntur ergo in baptismate omnia, quoniam illa tantum quæ contracta post fuerint, ascribuntur : teguntur in pœnitentia, quæ si fuerint repetita reviviscunt. Imputari autem in martyrio nulla possunt, quia et primum pretiosa sanguinis effusione delentur, et in præjudicium exstincti feliciter corporis non recurrunt. Sed quamlibet astipulante pœnitentia dimittere gravia suæ potestatis negabunt, cum pariter officii ac professionis suæ esse cognoscant, aut ligare quæ dura sunt, aut expiata dissolvere; illa ad Petrum, in cujus personam potestas omnium convenit sacerdotum, Salvatoris sententia perdocente : *Quæcumque ligaveritis in terris, ligata erunt et in cœlis : et quæcumque solveritis super terram, soluta erunt et in cœlis* (*Matth.* XVI, 19). Donari itaque delicta sine exceptione permissum est, si tantum in abolitionem missa non redeant; nec sicut scriptum est horrorem proprii vomitus canis repetat (II *Pet.* II, 22), atque ablutus piis laboribus sordes sus in volutabris [d] mergenda desideret, plus post remedia passura discriminis, quam inchoantibus malis lapsura pertulerat, Domino in Evangeliis sic monente : *Ecce sanus factus es, jam noli peccare; ne quid tibi deterius contingat* (*Joan.* V, 34). Nolo dubites : præsentia semper, non præterita Deus censet; hoc enim ait :

[a] In editis *irremeabiles duci*, si tamen ut Acherius ad marginem monuerit particulam negationis esse adjiciendam : vocem *irremediabiles* e codice Vind. sumpsimus.

[b] Sic codex S. Arn. quem cum Acherius vidisset, edere tamen maluit *puro deferre judicio*. Infra *gesta dimitti*, quod est in codice Vind. maluimus quam quod erat in priori editione *gesta committi*.

[c] Sic codd. Vind. et Lemov. in editis *ne vel specialem :* iidem infra *tacitæ falsitatis*, bene, ubi prior editio *tantæ falsitatis*, male : postremo e codice Lemov. edidimus *quod suæ ille*, cum antea legeretur *quod soli*.

[d] Totus hic locus fœde corruptus. Ita legerem si

In qua via te invenero, in ea te judicabo, dicit Dominus (*Ezech.* 33, 20).

Quod si post baptisma, id est, post sancti Spiritus susceptionem, redintegrandæ nobis gratiæ locus non est; quemadmodum Aaron, utique jam sacerdos, gravi exemptus offensæ amissum pontificii gradum recepit, et post lepræ infusionem mundari Maria cœlitus meruit, quæ ne quemquam pollueret, fuerat segregata? nam in castris congregatio spiritalis signatur Ecclesiæ; lepra vero delicti mortalis effigies demonstratur. Cur patriarcha David geminis sanguinibus expiandus, innovari in se prioris gratiæ Spiritum petit, evidenti fiducia Deo pollicens, ut iniquorum conversio veniæ suæ provocetur exemplo: patere insuper sibi in Dei laudibus loquendi copiam deprecatus, auctoritatem prædicationis obtinuit, dicens: *Labia mea aperies, et eos meum annuntiabit laudem tuam* (*Psal.* L, 17). *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, et sumis testamentum meum per os tuum* (*Psal.* XLIX, 16)? Nisi forte in prophetis alium spiritum, quam nunc accipimus, fuisse contendunt, aut penitus non fuisse, atque immitiorem sub gratia Evangeliorum Deum quam in lege constituunt; qui Petrum, id est, ipsum Ecclesiæ fundamentum, tametsi in crimine non mansisse, fuisse tamen in crimine fatebuntur; et admonitionis Dominicæ recordantem, non perfidiæ, sed infirmitatis reatum amaritudine diluisse intelligant [a] lacrymarum. Talis perinde luxuriosi illius in Evangelio reditus absumptis opibus substantiæ spiritalis, atque a se in cœlum peccatum fatentis, non renuitur ut pollutus, nec refutatur ut prodigus, sed incumbentis in cervicem suam patris osculis, id est, catholica pace, suscipitur; qui utique nisi per adoptionem baptismatis prius filius esse non potuit. Magni etiam convivii lætatus est apparatu, id est, communionis divinæ honore donatus est; in annulo fidem recipiens, in stola gratiæ vestimentum: carne insuper pascitur vituli, id est, æternæ hæreditatis, sacri corporis assumptione, fit particeps; plena Apostolicæ dignitatis ornamenta sortitus.

Postremo etiam blasphemiam quæ cuncta supergreditur crimina, remitti posse Salvator insinuat, abolerique in se commissa non renuit, si veræ conversionis labore mereamur ut sub ejus præcepto cœlum consentiat cum judicio sacerdotum; qua fiducia Salvatoris edicti eos, qui per fidem vitiis emundantur, non tantum ad veniam sed honorem gentium Doctor invitat dicens: *Qui autem se emundaverit ab istis, erit vas sanctificatum* [b] *in honore, utile Domino, ad omne opus bonum paratum* (II *Tim.* II, 21). Itaque ut in unitate divinitatis est Trinitas, ita in uno baptismatis nomine trina purgatio; Domino ad Apostolos sic loquente: *Adhuc*, inquit, *habeo baptizari baptismate quod vos nescitis* (*Luc* XII, 50). Cujus tamen gradus omnibus relicturus exemplum, agens in corpore ipse lustravit. In Jordane baptizatus est; pœnitentiæ speciem pertulit in deserto: quod autem summæ purificationis erat, in passione complevit.

Unde advertis, Novatianos sub omni peccatorum occasione degentes adversum se stultissime recusare, quod Deum pro se intelligant præstitisse; solamque Ecclesiam, ut fide, ita et pietate, Deo proximam, supra vilem concubinarum gregem, reginam merito nuncupari, quæ dextræ partis obtinens locum, sinistræ filios celsa condemnat; ad se venientibus integram fidem tradens, revertendi ad se cupientibus aditum non præcludens; dum et manifestam divinitatem fidelibus prædicat, et spe veniæ promptioris mavult revocare pereuntes, quam corrigendos forsitan desperatione confundere.

CAPUT XIX.

Quæ sit mysteriorum divinorum integra plenitudo.

APOLL. — In aperto est Novatianos stulte ignosci nolle peccatis, et suæ fragilitatis immemores lapsorum magis damnatione, quam conversorum emendatione lætari: sed nisi expostulatio multiplex tædium gignit, unam hanc consummandi operis adjice firmitatem, ut totius credulitatis corpus amplectens, sacramentorum enumeres fastigia divinorum, et memoriæ mandanda constituas, quæ perennis spei intellectibus prodidisti, ut concluso paucis sensibus verbo recolere possit crebra confessio, quod in formam catholicæ brevitatis insinuatio fidelis aptaverit.

ZACCH. — Sufficere quidem poterat decursa in causis singulis ratio, et omnium interpretationum textus elucens: sed ne aliquis ex varietate sensuum scrupulus, ne qua ex responsionum pluralitate ambiguitas excitetur; totius fidei sacrum ordinem tenens, semper hæc recoles. Unus est Deus Pater, qui semper hoc habuit speciale quod Pater est, non recipiens ulla, sed a se proferens omnia; inconvertibilis, invisibilis, inæstimabilis, æternus. Est igitur et Filius nomine atque persona, non substantia, a Patre distinctus, plenæ majestatis ut genitor, perfectus perinde et sempiternus; nec secundum perfidorum opiniones a tempore credendus est quia natus est; sed cum Patre ante tempora manens, nobis ex tempore assumpti Salvatoris ostensus: unus nunc idemque mansurus et credendus est et confitendus; quoniam manifesta ejus divinitas non admittit ut aliquando non fuerit; nec rursum veræ carnis assumptio patitur, ut sancti Spiritus cretione cessante natus ex Virgine non credatur. Est et Spiritus sanctus [c] a Patre similiter ac Filio, persona tantum et nomine, non majestate aut substantia alius æstimandus; non genitus ut Filius, sed a Patre procedens, virtutis, divinitatis, honoris perinde ac voluntatis ejusdem,

res mei arbitrii esset, *mergendo se desideret... passurus... lapsus.*

[a] Sic uterque codex Lem. et Vind. emendate: prior editio, *dilui intelligant*, corrupte.

[b] Codex Vind., *in honorem, utile Deo.* Supra altera pagina ubi legitur *sacri corporis assumptione*, in utroque codice vox *sacri* deest.

[c] Sic codex Vind. haud paulo melius quam prior

idem semper quod Pater ac Filius faciens atque idem præstans : informator sapientiæ, fidei dator, largitor munerum, sanctificationis indultor, remissor criminum, gratiarum divisor, Patrique semper ac Filio omni operum bonitate permixtus; nec creatus aliquando, sed creans semper. Hunc perpetuo credi et confiteri, adorari, colique ac metui convenit; summaque cordis puritate sic diligi, ut sicut idem in Patre semper ac Filio est, ita in eo Patris ac Filii plenitudo credatur.

Habes quæsitorum intellectuum veram ac simplicem rationem, brevitatisque responsi scientiæ congruentis affectum : superest, ut sicut prædictum in principio meministi, refertioribus majorum voluminibus strenuus lector invigiles, et in hoc vel sola brevitate contentus, celsioris doctrinæ notitia glorieris : voluntati potius privatim tuæ quam editioni publicæ respondisse nos credens. Et sane ulterius pergere cœlestium secretorum arcet immensitas, ac retusos propria imbecillitate sensus inenarrabilis majestatis prohibet magnitudo : jamque horis in occasum vergentibus vicina tenebris umbra diffunditur, atque attentos crebra interpretatione sensus et refoveri convenit, et resolvi. Tu autem hæc toto mentis et corporis labore custodiens, numquam fidem, numquam deseras confessionem : ne licitis excedas dum sectaris illicita; et impossibilia cupiens, exuare salutaribus, Deo taliter præmonente : *Altiora* [a] *a te ne quæsieris et fortiora a te ne scrutatus fueris* (*Eccli.* III, 22). Id est, quæ tibi prodita de cœlestibus vel infernis lege ipsius non sunt, noli penitus audire vel credere; quoniam quos decipere carnis vitiis diabolus non potest, tali studio et vanitate supplantat; occultæque scientiæ arbitros statuens, lapidem sub lapide cogit inquirere, ut inveniant serpentem. Ergo sufficiat canonicis inhærere doctrinis et divinarum historiarum notitiam perquirenti, ea tantum non ignorare quæ scripta sunt, summaque diligentia conditum assidue recordari Christum Dominum crucifixum, venturumque in judicium resurgentium corporum, et cum electis perpetuo regnaturum. Hæc fiducialiter credes, hæc futura profitearis, ut sanctorum cœtibus aggregatus æternæ vitæ honore blandissimo et donari possis et perfrui. [b] Sic inter obvias peccatorum procellas atque æstus sæculi collabentis justitiæ regulam servans, fidei specialiter integritate merearis quæ sunt perpetuo mansura post sæculum.

CAPUT XX.

Confessio ad Deum.

APOLL. — Magna est quidem libelli prioris editio, ac [c] perspicuis intellectibus sensus rerum notitiam fidemque docuerunt; sed non minus præsentis utilitati, quam gratiæ ascribendum est præcedentis : quia licet a multis, ut ipse professus es, decursa lustraveris, intulit tamen brevitas commodum quod raro mereantur eloquia prolixorum; fructusque non parvus est. Trinæ primum unitatis divinitatem clara expositione cognoscere, tum Judæorum in perfidia sua casum, et in hæreticis universarum impietatum ruinam; tum denique in stultitia tua, Novatiane, convictus, quantum tibi ex Dei indulgentia derogaris, evidentibus Scripturarum testimoniis didicisti. Brevis insuper fidei adjecta conclusio est, cordique adeo cuncta sederunt, ut in his quæ secunda sunt degere votum sit, in his consummare desiderium : modo ut hæc rerum omnium creator ingenitus per eum quem ex se atque intra se genuit Deum, et nunc florem sumpti corporis habitantem in utraque mansurum nativitate complectitur, per sanctum perinde Spiritum impleturus exaudiat; et alumnæ precationis effectu conferre non abnuat, quæ præstitit velle; reptantemque inter præcepta sua parvis gressibus famulum placidus tueatur et dirigat, Trinitatem in personis ac nominibus, Deum in majestate ac substantia confitentem; utrumque tamen suæ miserationis beneficiis relaturus, si et vivendo voluntatem ipsius impleam, et servatam patrum traditionibus fidem, futuræ resurrectionis gaudiis repræsentem.

editio *a Patre simul ac* : nam in vulgata lectione hæ voces *a Patre ac Filio*, ad verbum *est*, referri necessario debent : in Vindocinensi, ad vocem *alius*, quæ sequitur, referuntur.

[a] Ita hunc locum exhibet codex Vind. *Altiora te ne quæsieris et inferiora te ne*, etc. Supra ex eodem codice scripsimus *fidem...* *confessionem* cum antea legeretur *fide... confessione*.

[b] Ita edere maluimus, quam quod erat in priori editione *si inter obvias*.

[c] Sic uterque codex Lemov. et Vind.; in editis *perspicui intellectibus*. Sub finem ubi *alumnæ precationis effectu*, legebatur *effectus*.

LIBER TERTIUS.

PRÆFATIO.

Tertium hunc jam instruentes libellum conversationis catholicæ formam loquemur, qua instrui alios, non qua ipsi velimus efferri : hæc dispositis observantiæ gradibus quid effici ab homine possit aut soleat, divinis ut exinde sententiis demonstrabit, exiguis ac mediocribus summa sic temperans, ut nequaquam humilioribus deroget, quod sit collatura potioribus; sed ut illud Apostoli : *Quisque sibi vindicans fidem penes se habeat, nec judicans quemquam in Domino glorietur* (*Rom.* XIV, 22) : cautius utique servaturus in propriis, quod in alienis [a] gravius æstimarit. Huic igitur operi paulisper studium commodantes, solitas exercebimus sub congrua disputatione personas; atque institutum a cognito eruditore discipulum arduæ professionis honore provocabimus

[a] In codd. Vind. et Lem., *æstimaret*. Infra ex iisdem scripsimus *divina promissione*, ubi erat *divina provisione*; et sub finem *quid audere*, cum antea legeretur *quid audire*.

morem districtioris aggredi disciplinæ, subjectisque actibus probabilium monachorum mentionem futuræ consummationis inducere : cui hæc breviter perscrutanti quæ sit de Antichristo absolvetur obscuritas; ut his speciatim decursis ultima resurrectionis fides pateat, quæ licet dudum bene credita atque suscepta sit, verbis tamen simplicibus intimata divina promissione firmabitur.

Primus itaque, ut in cæteris, Apollonius dilatæ collationis spatia relaturus, velut comperendinatam repetet subnixa auctoritate vel affabilitate doctrinam, ut prædicti ordinis membra perlustrans servire justitiæ arctius cupiat, ævique residua Deo deputans, mori quoque pro ejus nomine non recuset, cum librato in singulis tenore cognoscat quid velle hominem, quid audere conveniat : quia et soli fiduciæ omnia credere parum firmum est, et infirmitati in omnibus subjici nihil merentis.

CAPUT I.

Quæ opportuna vivendi forma.

Apollonius. — Si digne comparatum est, o Zacchæe, ut id quod in mutis animalibus sæpe comperimus, etiam in quorumdam hominum sensibus cerneremus; profecto in me hoc specialiter veniens dicti veteris sententiam comprobavit : nam sicut cætera animalia ad ea semper loca ubi aliquando bene pasta sunt revertuntur, nec largioribus illecta pabulis oblivisci possunt quod jejuna perceperint : sic nos post verbi, ut nunc intelligo, famem sitimque doctrinæ colloquia tua avidi petimus, expertisque tractatibus fiducialiter inhæremus; a quo scilicet cœlestis scientiæ cibos, et haustus intellectuum sumpsimus divinorum. Ecce enim vix adhuc vastis gentilitatis erroribus liberi, modo infusæ regenerationis novitatem spirantes, [a] integritatem fidei te tradente jam novimus, atque universa hæreticorum membra carpentes munus catholicæ confessionis amplectimur, et Deo auctore fidentes exstructæ super petram domus tegmina possidemus; si idem bonorum omnium largitor induigeat, terrenæ conversationis actum et cæcas sæculi vanitates ab evangelicæ turris specula visuri. Sed quamlibet creatorem proprium, ut est, nosse bonum primum sit, atque in fidei susceptione veræ salutis certa fundamina; alia tamen ordinatio credulitatis, alia vitæ est : et spiritalis ædificii solidam molem tametsi impacta nequitiarum torrentibus unda non subruit; justitiæ tamen metalla non pingunt, si nulla virtutum opera suffragentur. Unde quia ab hujusmodi studiis tempore pridem, non mente cessavimus, recentes post quietem sensus dilatis, ut recolis redde tractatibus; et quam nos potissimum vivendi formam inire conveniat, consultus exprome : ut dum spiritalem indulgentiam salubriter suades, hæc denique ex Scripturis edicta constituas, quæ cum fidem teneant, [b] virtutis operum et gratiam non omittant.

Zacchæus. — Memini dudum collationem nostram diei fine suspensam, et subcrescentibus interrogationum causis tempus magis quam studia defuisse; ob quæ nunc ea conditione tibi cedimus, ut a nobis vivendi formam requirens, competentem scientiæ gradum, non quod gloriemur ex nobis, sed quod ex Deo prodesse aliis velimus, accipias : in quo tamen non absurda præmonitio est tutis primordiis munire proposita, et manentibus in observatione desideriis ascensum semper potiorum moliri. Ait enim in Evangelio Dominus : *Nemo*, inquit, *ædificaturus turrem, non prius secum cogitavit et sumptum* (*Luc* xiv, 28). Ne interrupto opere incautius cœpta rideantur, et sint odii quæ fuerant prius voti. [c] Talis aggrediendorum hostium causa, prænoscere pugnaturos proprias docet vires, perpensoque adversi agminis pondere vel fœdus inire vel prælium, ne sera infirmitatis querela dare insecuturo terga compellat, et post facti præcipitis pœnitentiam loco motis aut lugubris conditio subeatur aut turpis.

Itaque prima ac sine discrimine via est, Deum firmiter credere, et cum bene credideris, plus timere; toto insuper, ut sæpe jam diximus, formidatum corde diligere : non quia idem bene ac male facere potens est, sed quia magis præstare bona mavult, et numquam pro noxa ut meremur, ulcisci. Consequens bonum est vitæ simplicis puritas, et exosis facinoribus in proximos studium charitatis. Sic enim scriptum est : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totis visceribus tuis* (*Matth.* xxii, 37); *et proximum tuum tamquam te* (*Ibid.*, 39). Quo in loco non de propinquitate sola fit mentio, sed jure proximus dicitur, qui malis obrutus prosperis adjuvatur, et adoptiva miseratione confotus, quod cognatione generis non habet, gratiarum ad Deum [d] reddit affectu. Unde illud Salomonis est : *Conclude eleemosynam in corde pauperis, et ipsa pro te exorabit ab omni malo* (*Eccli.* xxix, 15). Et iterum : *Qui pauperis miseretur, Deo feneratur* (*Prov.* xix, 17). David similiter : *Junior fui et senui, et non vidi justum derelictum* (*Psal.* xxxvi, 25, 26); *nec semen ejus quærens panem. Tota die miseretur et commodat, et semen ejus in benedictione erit.* Job perinde : *Conservavi*, inquit, *egenum de manu potentis; et pupillo cui non erat adjutor, auxiliatus sum. Os viduæ benedixit me semper, cum essem oculus cæcorum, et pes claudorum, et invalidorum pater* (*Job.* xxix, 12, *sec. LXX*). Et Dominus in Evangelio se in personis humilium sublevari do-

[a] Sic uterque codex Lem. et Vind. In editis *integram fidei*, male : infra *alia vitæ est*, in iisdem scriptum, ubi editum erat *alia vita est*.

[b] Sic codex Lem. et Vind. *virtutis opera et*. Prior editio *virtutes operum et*. Infra ubi *tutis primordiis munire proposita* : in editis *tut. prim. munere proposito* : quo nihil fœdius; nec tamen melius mss. codices, nisi quod Vind. habet *proposita*.

[c] Sic in cod. Vind. et Lem. emendate : in priori editione *tales... causas... decet*, corrupte.

[d] Posterior vox e cod. Lemov. desumpta est, nam antea legebatur *affectum*. Infra ex eodem codice verbum *prodesse* ascripsimus post illa *misericordiæ opus*. Idem in Esaia habet *cito operientur*, ubi legitur *cito orientur*.

cuit, dicens : *Amen dico vobis, quod fecistis uni ex minimis estis, mihi et fecistis* (*Matth.* xxv, 40). Apostolus quoque : *Qui parce seminat, parce et metet ; et qui seminat in benedictione, de benedictione et metet. Unusquisque autem secundum quod proposuit in corde suo, non quasi ex tristitia et ex necessitate ; hilarem enim datorem diligit Deus* (II *Cor.* ix, 6, 7). Totum autem misericordiæ opus prodesse per Esaiam Spiritus pandit, dicens : *Solve omnem nodum injustitiæ, resolve suffocationes impotentium commerciorum, dimitte quassatos in requiem, et omnem consignationem injustam dissipa. Frange esurienti panem tuum, et egenum sine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, vesti, et domesticos seminis tui ne despexeris. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, et vestimenta tua cito orientur, et præibit ante te justitia tua, et claritas Dei circumdabit te. Tunc clamabis, et ego exaudiam : dum adhuc loqueris dicam, Ecce adsum* (*Isai.* LVIII, 6, 9). Ergo substantia absque fraudibus parta, si ita possideatur, accepta est ; ac non in facultate mediocri, sed in cupidine divitiarum causa peccati est, Domino protestante ; *Væ vobis, divites, qui habetis consolationem vestram* (*Luc.* vi, 24). Et iterum : *Difficile, qui pecunias habent, intrabunt in regnum cœlorum* (*Luc.* xviii, 24).

Conjugia autem honesta Deo non displicent, et in procreationis liberorum solemnis tori modesta dilectio, Scriptura dicente : *Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ ; et erunt duo in carne una* (*Gen.* ii, 24). Et iterum : *Quod Deus junxit, homo* [a] *non disjungat.* (*Matth.* xix, 6). [Inde habitus non luxui deditus, sed nitori.] Et secundum Apostolum : *Omnium quæ in macello veneunt, esca sine culpa est* (I *Cor.* x, 25) ; quoniam, sicut idem Apostolus ait : *Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax in Spiritu sancto* (*Rom.* xiv, 17). Perniciosa tamen nimietas usus utriusque est, Domino sic monente : *Videte ne graventur in vino et crapula corda vestra* (*Luc.* xxi, 34). Quod jam tamen per Salomonem ante prædixerat : *Cui væ, cui lividi oculi? nonne eorum qui commorantur in vino, et sectantur ubi convivia fiunt* (*Prov.* xxiii, 29, *sec. LXX*)? Unde Apostolus sumendi propter infirmitatem vini dat Timotheo præcepta (I *Tim.* v, 3), sed modici. Hæc et alio loco dicens : *Nemo vos seducat* (*Coloss.* ii, 18) ; *ebriosi regnum Dei non possidebunt* (I *Cor.* vi, 10). In hac igitur vitæ forma et conversationis sobriæ disciplina mens ad

A Deum prompta sit ; crebraque jejunia et assiduæ in supplicationibus preces justitiam aut mereantur aut faciant, ut sumpta ex Evangeliis sententia sic viventem comitetur ac protegat : *Gloria in excelsis Deo, et pax in terra hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* ii, 14). Hæc mediocribus, si sublimium fervor aberit, dicta sufficient. His vitæ perennis promissa concedi, omnium Scripturarum pandit auctoritas : ut si inter illa futuri regni clarissima sidera [b] splendor eximius non attollit exiguos, delicta non opprimant, mansionumque, ut ipse meminit, apud Patrem diversitas consoletur, illudque in summa adhortantis Domini succurrit edictum : *Omnes qui crediderint in me, non confundentur* (*Rom.* ix, 33). Id est, ut eos a Christo vis nulla disterminet, quos semel eidem fides

B pura nexuerit, et salutaris signi integritate salventur, qui ea quæ ob laborem difficilia sunt aut impossibilia respuunt, aut aggredi quia sunt ardua et magna, timuerunt.

CAPUT II.

Quæ sit sublimioris vitæ regula conservanda.

APPOL. — Aperta est doctrinæ istius veritas, sanumque consilium, ut Deum præ cunctis affectibus diligentes, etiam si summa non capimus, nequaquam tamen vel [c] mediocribus excedamus : et si honor sublimium splendorque non veniat, sententia miseros æterna non damnet. Sed vere istud aut inertis aut diffidentis est animi, atque a Dei munificentia præcipuum nil sperantis, torpere in exiguis hominem cui summa proposita sint, et vitæ tanti facere com-

C moditatem, ut inæstimabilium sæculorum regna dissimulet, vel quadam vulgi conditione despectus sero se lugeat non quæsiisse, quod jam mereri exacta sæculi conversatione non possit. Quæ nobis ergo vivendi forma sublimiorque sit ratio propositi celsioris, sacris non pigeat docere sententiis, quia non ita labor aspernatur infirmos, ut nulla divinæ provocationis fiducia cohortetur, dum in his quæ, ut ipse dixisti, velut impossibilia prædicantur, et temporibus [d] meritum non tenetur, et actu levius fortasse quam creditur.

ZACCH. — *Angusta* quidem *et ardua via est, quæ ducit ad vitam* (*Matth.* vii, 14) ; sed cum sint possibilia cuncta credentibus, in quantum ratio nostræ fragilitatis admittit, fastigia munerum divinorum

D sub Dei semper invocatione quærenda sunt ; præcipue cum in nostro corpore Dominus, agens nil penitus quod homo efficere non possit, injunxerit,

[a] Codex Vind., *non separet.* Quæ sequuntur uncis inclusa, supersunt e commate in quo Zacchæus de usu licito vestium et escarum disputabat.

[b] Hic locus sic descriptus est in codice Lem. *splendor eximios non attollit, exiguos delicta*, etc. Infra in eodem codice *vis nulla subtrahat*. Quod sequitur *difficilia sunt aut impossibilia*, displicuit Acherio, qui conjecit legi oportere *aut ut impossibilia :* sed hæc vocula melius abest ; non enim hic agitur de præceptis ; ac ne de consiliis quidem generatim, sed de certis dumtaxat consiliis, quæ plerisque hominibus impossibilia esse non immerito dixeris, quod ad ea sequenda vocati non esse videantur. — Magis tamen placet Acherii lectio, quæ item confirmatur infra, ubi legitur, *quæ, ut ipse dixisti,* VELUT IMPOSSIBILIA *prædicantur.*

[c] Acherius recte monuit legi oportere *excidamus.* Infra, *quia non ita labor*, etc., perspicue male ; sed nihil est in mss. quo errorem emendare possimus : forte *asperatur, infirmos ut*, etc., sed mallem *asper dehortatur infirmos, ut*, etc.

[d] Hic etiam librariorum negligentiæ exemplum vides ; nullus enim idoneus sensus ex his verbis erui potest. Non displiceret *non teritur*, hoc est, minuitur ; sed deinde legendum esset, *et actu levius est.*

Apostolis dicens : *Ecce reliqui vobis exemplum quod sequamini* (*Joan.* XIII, 15). Id est : Excusatio impossibilitatis abscedat : ea facere posse vos doceo quæ ipse non renui : quapropter *Si perfectus vis esse* (ut idem consulenti juveni Dominus ait), *vade, vende omnia bona tua, et da pauperibus; et veni, sequere me* (*Matth.* XIX, 21). Id est : Oblitus respuensque terrena, cœlestia concupisce; et, sicut ipse subjicit dicens, *Thesauri spiritalis opibus abundabis* (*Ibid.*). Talis enim apud Deum voluntariæ paupertatis est causa, ut temporarie inops factus, dives maneas in æternum, et caducam sæculi dignitatem vel voluptatem pro illius amore contemnens, cœlestes delicias possessurus obtineas. Inexsolubilia itaque mundi istius vincula rumpenda, et quædam facultatum et prædiorum abjicienda sunt onera; ut ad Redemptorem nostrum pervenire cupientes, nullis B delictorum necessitatibus urgeamur : quibus tametsi cum voluntate ipsa peccandi necessitas abest, timenda nihilominus semper occasio est, ac nonnumquam sub honestis actibus culpa subrepens; [a] in ipso Evangelio veritate sic testante : *Qui non vendiderit omnia quæ possidet* (*Luc.* XIV, 33), *et tulerit crucem suam, et secutus fuerit me, non potest meus discipulus esse* (*Ibid.*, 27). Ergo enitendum est, ut illius primum discipuli, post amici esse possimus. Cessat enim conditio servitutis, si meritum spiritale succedat, ipso dicente : *Si feceritis quod mando vobis, ecce jam non dicam vos servos, sed amicos* (*Joan.* XV, 14). Hic labor sic viventibus gratus est, et pro spe hujusmodi cunctis deliciis præstat in- C juria, blanda humilitas, patiensque contemptus, victus exiguus, pauperque vestitus; et in imperia spiritus carne depressa, obliqua vitiis studia discenda sunt, iram vincere, invidiæ nihil debere, ejus colere mansuetudinem, arrogantiam detestari, respuere humanæ gloriæ vanitatem, et linguam, sævissimum malum, ab obtrectatione cohibere; ut sic exuviis veteris hominis absumptis, non frustra illud Apostoli recenseatur : *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis* (I *Cor.* XV, 50); imitatoresque illius simus (I *Cor.* IV 16), sicut ille Christi, fiducialiter usurpantes: *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III, 20). Et, *Pars nostra Dominus* (*Thren.* III, 24). Cum in hæc semper intenti nec visu recipimus nec auditu, quo aut admitti delictum aut admittendum soleat cogitari.

CAPUT III.

Quæ instituta monachorum; vel quare a multis odio habeantur.

APOLL. — Sufficienter interrogationis istius vota suppleta sunt, et ita veræ perfectionis merita patuerunt, ut quidam animo experiendi fervor obrepserit, et vitæ præsentis usum a totis delictorum occasionibus segregarit. Quæ nunc igitur monachorum congregatio vel secta sit, vel quam ob causam etiam nostrorum odiis digni habeantur, exprome : qui utique si honesta sectantur, neque a fidei unitate dissentiunt, imitandi sunt potius quam vitandi, quia, ut arbitror, ejusdem apud Deum criminis atque peccati est odisse bonos, cujus et noxios non vitare; dum fieri nullo pacto potest, ut esse bonus malit qui diligit malos; vel rursum, malitiæ stimulis non agatur, qui quamlibet bonitatis speciem præferat, [b] sit vere illud quod immerito in aliis exsecretur.

ZACCH. — Justa æstimatione perpendis hujusmodi propositum, vitamque sectantes odio esse fidelibus non debere, ne sub incerto mentis arbitrio pro malis bonorum ineatur offensa; et sicut scriptum est : *Qui oderunt justos, delinquent* (*Psal.* XXXIII, 22). *Væ his qui dicunt malum bonum* (*Isai.* V, 20). Multiplex enim observantiæ istius forma est, ac sub uno propositi nomine diversa genera monachorum : sed talis omnium causa, qualem in cunctis ordinibus fore nosti, ut propter morum varietatem sit etiam diversitas voluntatum : unde professio irreprehensibilis et sancta est; sed quidam sub hujus conversationis velamine odiis digna committunt, ac licet dissimili arguantur reatu, generaliter tamen a professione discedunt. Hi namque quorum inter deviantes perditior animus est, temporarie abstinentiam et continentiam simulant, et primum studiis lubricæ familiaritatis irrepunt, captasque mulierculas vanis opinionibus illudentes, in usum miseræ cupiditatis illiciunt; dum aut muneribus inhiant, et fæda avaritiæ lucra conquirunt, aut dolo subditas vincunt, et a proposito devotæ castitatis abducunt. Alii autem fideliter inchoant, ardentique proposito justitiæ servire contendunt; deinde inconsiderantius arrepta non perferunt, atque a cœptis desistunt, vel certe invidentium aut aggredi detrectantium persuasionibus molliuntur, atque ab instituti rigore discedunt; tum remissioribus assuefacti in omnem illecebram corporis redeunt, ac primam fidem irritam facientes, communis vitæ ordinem laudant, ut actum propositi durioris accusent. Unde intelligis non ab his eorumque similibus integritatem perdurantis industriæ prædamnandam, aut in labore sanctissimo sublimiter consummantium gloriam reverentiamque minuendam; cum, sicut dictum est, persona magis quam ordo displiceat, nec jure despici propter aliquos possit, quod magnanimiter servatur a multis.

D Hi autem vere modum professionis istius exsequuntur, qui, ut jam dictum est, abscissis penitus sæculi vinculis, in legis exercitatione versantur, et promissa ad integrum præstolantes, præcepta ad integrum implere nituntur : sed in his quoque observantiarum non parva distantia est; ac licet cunctis mereri cordi sit gloriam futurorum, alii tamen summis, alii mediocribus student.

Quidam etiam velut in postremo sectæ istius gradu parva observatione contenti, tantum cælibes vivunt, vel numquam experti matrimonia respuentes, vel

[a] Sic codex Vind. prior editio, *ipso in Evangeliis sic protestante*. Haud ita multo post ex eodem codice scripsimus *jam non dicam*, ubi erat *jam non dico :* et infra Lemov. *in imperia spiritus*, ubi legebatur *in imperio spiritus*.

[b] Sic in codice Lem. in editis *sic vere illud*. Infra ubi *fore nosti*, mallem *fere nosti*.

amissorum recordatione commoniti, secunda, si A prima habuere, devitant; dum alterum fere non caventibus provenit, ut aut quod in primis perdiderunt, non inveniant in secundis; aut rursum in consequentibus patiantur, quod caruerint in defunctis. Hi, inquam, rebus communis conversationis intersunt, et secreta non expetunt, vitæ hujus consuetudinem retinentes; ut etiam si a delictis vacui fore possunt, occasioni tamen subjaceant delictorum; dum lege corporis in diversum trahente difficilius magna perficiunt, qui possunt mala videre nolentes. Habitus his nec inhonorabilis nec abjectus est; et aut idem qui omnibus cibus potusque communis, aut raro abstinens et in paucis recisus. Psallendi perinde vigore non fervent, nullisque vigiliis nocturnam rumpunt quietem; non profusum, sed tractabilem B censum poscentium inopiæ suggerentes: fides calida est, non tamen fervens; et mens religiosa, non religioni penitus addicta. Hujusmodi autem consuetudo potiorum est; locis primum remotioribus habitant, etiamsi in urbibus degant, ipsumque conversationis ordinem non quidem jactanter ostentant, sed ab exhortationibus aliorum velle supprimere peccati loco ducunt.

His conveniendi unus omnibus locus est, sed dispar manendi; vestitus humilis, cibusque non blandus; nec interest ex quo potissimum sitis, vel quam vili liquore satietur, dum potandi arceat voluptatem, et vim corpore necessitatis excludat. Psallendi vero intentis crebra sunt studia, certisque horarum vicibus laudandi Deum devotio distributa: ju- C gis jejunii usque ad vesperum labor, et opus diurnum prout est scientia exercetur; [a] ac singulis proprium quod alicui suppetit, non est; et est commune quod deficit. Ideo cunctis exsecrabilis torpor et victus nisi ex labore non congruens. Juncis perinde lectulis strata, parvisque velaminibus permissum somno corpus obtegitur: quin etiam supplicandi in nocte statuta sunt tempora, notæque vigiliæ. Numquam prætcrea diei falluntur adventu, sed strenuos semper psallentes auroræ tempus exsuscitat, atque offerendas Deo laudes devotio matutina compellit.

Hi autem quibus primus observantiæ gradus est, soli eremum ac squalentia deserti loca habitant, verisque vocabulis nuncupati singularem transigunt vitam, aut cavatis in habitaculum saxis subterra- D neis specubus a sole et imbribus temperantes, pane veteri et sine ciborum adjectione vescuntur, sumentes purum e fontibus potum: vestitus talibus aut pellicius aut cilicinus est, et totius vitæ usus in agone mentis et corporis. Jam vero ad Deum incessabiles preces, ac supplicatio in sacrificii vicem cedit; vel si quando ab oratione cessatur, psallendi gratia canitur laus divina, et alacritas mentis exercitio religiosæ jucunditatis accenditur. Inest præterea multifaria dæmonum turba, et dolis immundorum spirituum victrix constantia sæpe congreditur. Continuatio assidua jejunandi, noctesque pervigiles, et aut sine fulcris humo corpuscula decubant, aut saxo [b] paulisper dejecta durantur, ut somnus non agi videatur injuriosa brevitate, sed pelli. Hæc monachorum diversitas, et talis spiritaliter degentium cœlestis in terris agitur disciplina. Pro Dei autem nomine votiva mors omnibus, atque optabilis sancti exitus pompa, dum nulla in sæculo compensatur injuria; quod et sublimi honore munerandum est, et sine ulla temporum mutatione mansurum.

CAPUT IV.

Si fideles monachi a Dei præcepto hæc gerant.

Apoll. — Magna est quidem talium prædicatio virtutum, et in Dei voluntate [c] vel laudibus famulantium servitus gloriosa; quoniam hujusmodi studiis et perniciosa vitæ istius blandimenta vitantur, et perennis beatitudinis præmia conquiruntur. Singula tamen quæ a fidelibus monachis agi superius meministi, ex Dei monentis manare præcepto ordine cœptæ informationis ostende: nam procul dubio clarum est, incerti eadem esse momenti, si non ejus auctoritate suscepta sunt, a quo et muneranda creduntur.

Zacch. — Specialis primum expetendorum secretorum monachis causa est, ut peccati, sicut jam dictum est, etiam occasionem devitent, et quibus voluntas in proposito recta est, actus alius esse non possit; simul denique ut bellum contra sæculum suscepturi, nulla mundi frangantur illecebra; fervens enim in spiritu fides rebus illius inimica est, sicut Joannes in Epistola sua prædicat, dicens: *Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, non est charitas Patris in illo; quia omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi est* (*I Joan.* II, 15, 16). Jacobus similiter: *Nescitis, fratres, quia amicitia hujus mundi inimica est Deo; et quicumque voluerit amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituetur* (*Jac.* IV, 4)? Vestitus autem humilitatem, et jugem jejuniorum laborem Deo acceptabilem fore David specialiter indicat, dicens: *Ego*, inquit, *cum mihi molesti essent, induebar cilicio: et in jejunio humiliabam animam meam* (*Ps.* XXXIV, 13). Et iterum: *Posui vestimentum meum cilicium* (*Ps.* LXVIII, 12). Et: *Panem meum cum cinere miscebam, et potum meum cum fletu temperabam* (*Ps.* CI, 10). Dominus vero Joannis habitum prædicans, ait: *Quid existis in desertum videre? Hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt* (*Matth.* XI, 8; *Luc.* VII, 25). Ibi scilicet cultum fore indicans habitum, ubi et usum in voluptatibus abundantem: erat enim vestitus illius de pilis cameli, id est, etiam lanarum mollitie habitus carens. Zona perinde pellicia cingebatur; et vinum ac siceram non bibens, edebat lo-

[a] Sic edere maluimus, quam ut in priori editione *a singulis*. Infra, ubi scripsimus *semper psallentes*, ex codice Vind. antea legebatur *semper fallentis*.

[b] Ita legitur in codice Vind.; in priori editione *paulisper projecta*.

[c] Hanc vocem, quæ deerat, ascripsimus e codice Vind.

custas et mel silvestre : elegantis paratiorisque convivii copias non requirens, eo tantum utebatur, quod electæ conversationi nec inferret luxuriam, nec gigneret sumptum.

Unde Heliæ magnum iter ex Dei jussione subituro aqua tantum ab Angelo, et vilis ponitur panis. Daniel vero ut desideriorum [a] obtineat effectum, poculis ciboque non fruitur. Ipse denique Dominus in jejunio et humilitate diabolum vincit, sicut Apostolus ait : *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Philipp.* II, 7), *ut nos et paupertate illius divites fieremus, et ab injuria salvaremur* (II *Cor.* VIII, 9). Qui tamen cum in eodem susceptam ex gentibus gubernare vellet Ecclesiam, abstinentiam quoque verbis talibus prædicavit : *Bonum est non manducare carnes, et non bibere vinum* (*Rom.* XIV, 21), *in quo est luxuria* (*Ephes.* V, 18). Id est, ut Deum mens humiliata plus cogitet, carnemque subjectam a luxu pariter sumptuque submoveat, quo utique et quærendo occupamur, et sollicitamur expenso : cum si in Dei regnum intenti potius fuerimus, in exhibendis necessariis sententia illa non desit, qua scriptum est : *Nolite solliciti esse quid manducetis, aut quid bibatis, aut quid vestiamini* (*Luc.* XII, 22); *quoniam hæc gentes requirunt* (*Ibid.*, 30): illi scilicet *quorum venter deus est, et spes omnis in faucibus* (*Philipp.* III, 19). Quibus edendi, bibendique animalium more sola ac præcipua cura est. Prædictam autem rei fiduciam tali protinus confirmavit exemplo : *Aspicite volatilia cœli : non arant, neque serunt, neque in horrea congerunt : et Pater vester pascit* (*Matth.* VI, 26) : *sic et vos modicæ fidei* (*Ibid.*, 30) : *scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis; itaque quærite primum regnum Dei, et hæc omnia apponentur vobis* (*Ibid.*, 32, 33) : id est, nec opinantibus præbebuntur. Unde Apostolus, ut possideri omnia possit, nihil in sollicitudine possidendum declarat, dicens : *Ut nihil habentes, et omnia possidentes* (II *Cor.* VI, 10). Itaque intelligis eos proprietati suæ cuncta subjicere qui cuncta contempserint, atque insipientium judicio pauperes credi, qui sunt in Dei promissione locupletes, et temporarie parva despiciunt, ut perpetua magna mereantur : hisque in sæculo egere contenti sunt, quæ ab aliis cum discrimine honestatis et vitæ ad hoc per omne ævum contracta pariuntur, ut aut mox in sæculo hisdem viventibus pereant, aut quandoque de sæculo recessuris peritura cum sæculo relinquantur.

CAPUT V.

Ex quibus Scripturis continentia vel virginitas prædicentur; vel si præceptum est ut conjugia pro Dei amore separentur.

Apoll. — Clare patuit contemptum mundi cum humilitate vestitus continentiæque proposito, sacræ informationis oraculis præfulgere : eosque in cœlestibus plus mereri qui de terrenis parva præsumpserint, atque ad hoc monachos duris observationibus erudiri, ut non solum vitia, sed materiam amputent vitiorum. Unde nunc evidens continentiæ et virginitatis præceptum iisdem Scripturarum auctoritatibus pande; quare denique cælibes non solum casibus facti, sed a justis conventibus abstinentes, recte quidem illicita condemnant, sed nihilominus licita aut aspernantur aut respuunt; [b] quæ si utique ex præcepto divinitatis ut prædicta venerunt, salubriter exiguntur : sin autem a cœlesti informatione sejuncta sunt; quam ob causam velut oporteat imperantur, quæ et in observatione difficilia, et in labore sine fructu sunt?

Zacch. — Adæ quidem a principio dictum est : *Non est bonum esse solum* (*Gen.* II, 18). Et mox procreationum sententia subsecuta : *Crescite et multiplicamini, et replete terram* (*Gen.* I, 28; IX, 1). Sed facta eidem atque ex eodem mulier prius solatio quam conjugio fuit, donec a paradiso inobedientia faceret extorres, quos intra paradisum obedientia tenuisset, ac post beatæ sedis excessum, mulierem suam pulsus agnosceret, libro Genesis hoc docente: *Et cognovit Adam mulierem suam, et concepit et peperit filium* (*Gen.* IV, 1). Ergo addictum laborem nuptiæ præcesserunt, et tribulos spinasque passuri prævios adjecere conventus; secuta in procreationibus tædia, et parituram aliud præcessit edictum : *In dolore*, inquit, *et mœrore paries filios* (*Gen.* III, 16). Quos utique sic creatos diversi, ut cernimus, casus luctusque subriperent. Unde Apostolus prædicans ait : *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi* (I *Cor.* VII, 28). Non tamen conjugiorum inhonorabiles tori (*Hebr.* XIII, 4), aut immaculatum cubile sine fructu est : nempe soboles inde sanctorum; et quod laudatur in virginitate, conjugii est, sed sublimius continentiæ præmium; celsiorque virginitas, nec potest timere quod minor sit, nec debet insultare quia major est : [c] sed catholica interpretatio distincta honestis conjugiis præconia tribuat castitatis; continentiæ meritum abstinentibus reputet, integris præmium virginitatis ascribat. Hoc est non damnare quod bonum est, sed suadere quod melius; unde illud in Scripturis evidens continentiæ documentum est : *Sciebat*, inquit, *Dominus quoniam minoratus est Israel, et non est jam derelictus præter continentes.* Quod Salomon in Spiritu prævidens ait: *Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexu* (*Eccl.* III, 5). Quia præcepti veteris est, ut terra procreationibus impleatur; novi autem, ut continentia atque virginitas impleat cœlum. Unde per Zachariam Dominus ait : *Sancti lapides volvuntur super terram. In juvenibus triticum, vinum suave olens in virginibus* (*Zach.*

[a] Statim in priori editione sequebatur vox *desideriorum*, quam expunximus ut inutilem. Infra, in codice Vind., *vellet Ecclesiam*, in editis *velit*.

[b] Sic codex Vind.; prior editio, *si itaque*.

[c] Ita edere libuit, cum antea editum esset, *sed catholica interpretatione*. Infra, ubi *minoratus est Israel*, in codice Lem. habetur, *voratus est Israel*.

IX, 16). In Evangelio denique spadonum diversa genera memorantur: sed illis specialis regni possessio deputatur, qui se ejus causa et amore castraverint; id est, non quos impossibilitatis necessitas cogit, sed quos voluntas efficit continentes. Sic enim scriptum est, Domino disputante: *Sunt spadones qui ab hominibus fiunt; et sunt spadones qui ab utero matris suæ ita nati sunt; et sunt spadones qui se castraverunt propter regnum cœlorum* (*Matth.* XIX, 12). De quibus per Isaiam dicitur: *Dabo illis locum meliorem filiis et filiabus* (*Isa.* LVI, 5).

Quam tamen adeo ardui ac sublimioris præmii esse professus est, ut dicentibus quodam loco Apostolis: *Si sic est homini causa cum muliere, ergo non expedit nubere*, ille responderit: *Qui potest capere, capiat* (*Matth.* XIX, 10). Non ergo præceptum de continentibus, sed suasio est; nec injungitur virginitas, ut sit necessitatis, sed, ut voluntatis possit esse, laudatur, Apostolo protestante: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo: sed consilium do, tamquam et ipse scientiam Dei habens. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse* (I *Cor.* VII, 25, 26). Joannes vero in Apocalypsi eos tantum Agni vestigiis inhærere præscribit, qui contaminati mulierum conventibus non fuerunt, dicens: *Hi sunt qui sequuntur Agnum quocumque vadit; hi sunt qui se cum mulieribus non coinquinaverunt; virgines enim permanserunt* (*Apoc.* XIV, 4). Præferuntur itaque rationabiliter meliora, sed tamen quæ humiliora sunt, mala non sunt; nec aliquod in nuptiis signatur delictum; sed ut paulo ante cognosti, propter instantis finis necessitatem, ne secundum Evangelium, *Væ prægnantibus et nutrientibus* sit (*Luc.* XXI, 23), continentia persuadetur, simul ut districtæ satisfactioni aliquando sint dediti, qui conjugiis vacaverunt; ac peccatorum onera recordantes restitui Deo arctius enitantur, dum recte etiam a licitis abstinent, qui illicita commiserunt.

CAPUT VI.

Quæ consuetudo psallendi orandique sit, vel unde monachis hæc præcepta venerunt.

APOLL. — Et ego sciebam virginitatis continentiæque propositum meriti esse sublimis, præcipue cum Dei reverentiæ dedicati humanam consecrent voluntatem: dum et veneratione communi digna suscipiunt, et vitam angelicæ dignitatis vel conversationis imitantur. Sed quia imperium in hac parte, non consilium credidi; auctoritatem ex Scripturis oportuit dari. Nunc autem quæ orandi psallendique consuetudo tam crebra sit, aut [a] unde ad monachos talium doctrinarum studia defluxerint, breviter pande: quamvis enim grande sit in assidua supplicatione momentum, cantandi tamen studium videtur otiosum; cum et attentior in ipsa supplicatione sit raritas, et divinam majestatem seriis potius laudibus quam facetis deceat honorari.

ZACCH. — Intentos quidem orationi ac per omnia serios offerri nos Dei conspectibus fas est, et prosperum actuum regimen subjectis sensibus postulare; sed necesse est ut ocius impetret qui sæpius deprecatur, Domino in Evangeliis depromente: *Amen dico vobis, si non dabit propter amicitiam, dabit propter importunitatem* (*Luc.* XI, 8); id est, si parum potest obtinere per meritum, rogandi frequentia prævalebit. Unde iterum: *Orate sine intermissione, ut digni habeamini effugere mala quæ superventura sunt vobis* (*Luc.* XXI, 36). Per Salomonem vero Spiritus dicit: *Ne impediaris orare semper* (*Eccli.* XVIII, 22). Apostolus perinde: *Orantes incessabiliter gratias Deo agite: hæc enim est voluntas ejus* (I *Thess.* V, 28). In illo autem de canticis sancti carminis textu totum serium, totumque venerabile est; adeoque sanctis cultibus dignum, ut eo semper aut laudetur divinitas aut oretur. Hoc enim illic indulgentia divina prospexit, cum infirmitati nostræ abusionique consuleret, ut tristibus mitia, severis blanda permiscens abire nos quoquo modo a sui recordatione non sineret, cum ejus beneficia non solum loqui, sed et canere delectaret, Moyse primum post Rubri maris transitum, sic docente: *Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est* (*Exod.* XV, 1). David perinde pro bonorum retributione quid Deo potissimum offerret eligenti, cantandi psallendique amœnitas sedit; ait enim: *Cantabo Domino qui bona tribuit mihi* (*Ps.* XII, 6). Et: *Psallam nomini tuo, Altissime* (*Ps.* IX, 3). Et iterum: *Exaltare Domine in virtute tua; cantabimus et psallemus virtutes tuas* (*Ps.* XX, 10). Per Hieremiam vero hujusmodi studiis deditos multiplicandos in gloria Deus dicit: *Erunt*, inquit, *ex his cantantes vox laudantium; et multiplicabo eos, et non minorabuntur* (*Baruch.* II, 32, 34).

Tres autem pueri in camino ignis intacti salvationis vicem in cantico laudis rependunt. Hymno cum Apostolis dicto, Dominus pergit ad montem; ut sanctæ festivitatis [b] libertas ab illo consummatæ auctoritatis haberet exemplum, qui nos in omnibus imbuisset. Quod tamen certis diei noctisque horis esse [c] celebrandum, David sub relatione proprii actus instituit, dicens: *Ego*, inquit, *clamabo vespere, mane et meridie* (*Ps.* LIV, 18). Et iterum: *Septies in die laudem dixi tibi* (*Ps.* CXVIII, 164). Et tertio: *Clamabo per diem, nec exaudies: et nocte, et non ad insipientiam mihi* (*Ps.* XXI, 3). Exsultare ergo Dei laudibus nec regem puduit, nec prophetam, adeoque in his Deo nos placere perdocuit; ut cum sibi nocturnas spiritalium canticorum vigilias fore monstraret, officii ipsius et tempus edicat: *Media nocte surgebam ad confitendum nomini tuo, Domine* (*Ps.* CXVIII, 62). Iisdem se horis fortasse se venturum in Evangelio

[a] Sic unus codex quem viderat Acherius, qui id tamen edere maluit quod in alio codice repererat *unde a monachis*. Infra, ubi *prosperum actuum*, in codice Lemov. legitur *prosperum ac vivum*.

[b] Sic profecto scripsit Zacchæus; nec dubium quin lectio prioris editionis, *libertas ad illa*, vitiosa sit.

[c] Forte addenda vox *Deum* aut *Dominum*.

Salvator astruxit, tum primogenita Ægypti Angelo affligente percussa sunt; et quod a Christo de hujus mundi potentibus in fine faciendum est, plagæ illius præfiguratione signatum est. Paulus denique cum Sila tali meditatione perfuncti, a vinclis cæteris audiebantur in carcere, eosque ab hac solemnitate nec pœna compescuit. Unde advertis psallendi orandique frequentiam justis [a] sanctorum officiis celebrari finemque communem vel, si advenerit, proprium sub tali actu exspectare securos, dum in hac mentium oblectatione et fidei honor et alacritas crescit animorum; interque sæculi ac professæ inquietudinis curas læta exigit gratia, quod obtinere non prævalet tristior disciplina.

CAPUT VII.

Si Antichristus veniet, aut quo mundus fine claudatur.

Apoll. — Bene [b] consummationis in narratione sanctorum actuum adducta cognitio est; atque interminatum sæculi, ut perhibetur, finem quo liberius inquireremus oblatum est. Quali ergo præsentium exitu rerum, vel quem in modum memorata libellis præcedentibus tempora concludentur? Unde præterea tam confidentes gentium minæ, ac profanorum superba sunt jurgia? Eritne aliquis sacræ appellationis assumptor, aut quisquam mortalium mentiri se Dei filium poterit audere? Mihi enim verisimile non videtur, ut diabolicæ fraudis reliquiæ vix admodum in paucissimis residentes, in legem iterum catholicam convalescant; et quamlibet terminis careat divina potentia, in hoc usque antiqui serpentis injuria differatur, ut exstincta tot sæculis bella perfidiæ funestus reducat, perque omnia terrarum loca Ecclesiæ cultibus stratus impium rursus efferat caput, qui ita venerandæ majestatis invocatione torquetur, ut jam adire etiam ipsorum criminosorum volutabra vix audeat, dum occultis ignium suorum cladibus tortus totum undique contremiscit, quidquid ex nomine catholicæ religionis audierit.

Zacch. — Sæva in memoriam redigi cupis, et ineluctabilem humani generis obtritionem supremorum narratione proferri; quæ tam flebili exaggeratione dicenda sunt, ut, sicut scriptum est, *Nec fuerint umquam nec futura sint talia* (*Dan.* XII, 1). Sed hæc fieri humanæ fidei defectio, et peccatorum immensitas maturabit: nec sunt quasi ex aliqua necessitate decreta, sed ex præscientia sunt prædicta, Scriptura de Amorrhæis prodente: *Nondum*, inquit, *impleta sunt peccata Amorrhæorum* (*Gen.* XV, 16). Daniel perinde quia delictorum expletio sit futura, consummationem astruit secuturam. Unde et Dominus in Evangelio de abusione humani generis conquerens, ait: *Cum venerit Filius hominis, putas inveniet fidem super terram* (*Luc.* XVIII, 8)? Apostolus etiam horum A temporum iniquitatem increpans, ait: *Erunt*, inquit, *in novissimis diebus tempora periculosa; homines se ipsos amantes, blasphemi, superbi, parentibus non obedientes, insensati, incompositi, sine affectione, sine misericordia* (II *Tim.* III, 2, 3): *qui cum justitiam Dei* (*Rom.* I, 32), id est, futurum judicium, *scirent, non intellexerunt; quoniam qui talia agunt, digni sunt morte.*

Horum igitur merito venturum Antichristum fides certa est, immo diabolum sub persona hominis sæviturum; sed gentilitatem detestabitur, et circumcisionem suadebit. Nec enim aliter Dei [c] Filius credi posset, nisi a se legis veteris reparationem exhibitam mentiretur; ac primum Judæos idem totius perfidiæ caput ac fallaciæ sibi subdet. Christum enim et B venturum sciunt, et sempiternum judicem confitentur; sed ut atrocitatem illati a se facinoris excusent, in corpore quod interfecerunt venisse non credunt. Hæreticis vero prædictus simulator Deum se quidem sed minorem asseret Patre, ut eorum denique impietatem perditioni suæ suscepturus admisceat, et in utrisque illa ex Evangeliis sententia compleatur: *Credent*, inquit, *iniquitati, qui veritati credere noluerunt* (*Rom.* II, 8). Tum gentiles, velut sensu rationabili carentia pecora, phantasiarum admiratione capturus est, ut illaqueatis nationum pene omnium populis, etiam electi, si fieri possit, dolis talibus seducantur: et hujus mali auctoritatem efficiet multitudo. Inde errorem mali veteris subintroducet; et qui primum idolorum vestigia convulsurus est, in C locis sanctis poni sibi statuas imperabit; easque adorari atrociter cogens, quod se odisse simulaverat subtiliter reparare nitetur. Nam, sicut dixi, ad hujusmodi facinus ignaros signis, præmiis inconstantes, sanctos suppliciis coarctabit infaustæ abominationis imagines vultusque mortificos supplici adoratione venerari; nusquam secura cedentibus fuga, nullaque ut celet in abditis latebra, cum et a proximis prodantur latentes, et fugientes inedia consumantur. Ait enim in Evangelio Dominus cum de malis illius loqueretur: *Et tradet*, inquit, *homo proximum suum* (*Matth.* XXIV, 10). Inopia vero fideles necandos, Apocalypsis sic declarat: *Faciet omnes pusillos et magnos divites et pauperes, liberos et servos,* [d] *ut dent ipsi sibi characteres in manu sua dextera, vel in frontibus suis;* D *u nemo possit emere aut vendere, nisi qui habeat characterem vel nomen bestiæ* (*Apoc.* XII, 16, 17). Quem Daniel his sermonibus futurum prædixit: *Exsurget rex improbus facie, intelligens propositionem; et fortis virtus ejus; mirabilia corrumpet et diriget, et exterminabit fortes, et populum sanctum: dolus in manu ejus et in corde suo magnificabitur, et abundantia corrumpet multos et ad interitum multorum stabit.* Et iterum:

[a] Acherius monet se in codice reperisse *cantorum officiis*: item *substantiali actu*, ubi ex aliis codicibus edidit *sub tali actu*.

[b] Quin ita legendum sit nemini dubium esse potest: prius legebatur *in consummationis narr.*

[c] In editis, *possit*, male. Infra, ubi *Deum se quidem*, legebatur *Deum esse quidem:* et *perditionis suæ* ubi edidimus *perditioni suæ*.

[d] In codice Vind., *ut det unusquisque sibi*. Haud longe *quem... futurum*, sic codex Lem.; prior editio *quam.... futuram*. Infra in codice Vind., *et mirabilis corrumpet multos, et diriget*.

Extolletur rex adversus omnem fortem, et magnificabitur super omnem deum : et loquetur superba, et diriget quoadusque perficiatur ira : in consummatione [a] *enim fiet, et omnem deum patrum suorum non intelliget : et in cupiditatem mulierum non ibit* (*Dan.* XI, 36, 37).

Itaque intelligis exsecrandi temporis regem præ omnibus æstimandum, qui eos quos violentia ac fraude nequiverit corrumpere, nitetur illecebra carpere, nec in deos patrum suorum, id est gentilium, intelligens, feralem in corpore enervato quasi purus præferens castitatem, sanctum populum, id est christianum crudeli internecione vastabit. Sed hunc mundi luctum tribulationemque justorum iræ cœlestis stigmata subsequentur, et rerum omnium finem, priusquam Domini dies magnus adveniat, malorum ineffabilium dolor præcedet, dum ante ultimam mundi solutionem humani generis reliquiis, aut in sacrilegiis perpetuo pereundum sit, aut ob sacrilegia in sæculo non vivendum.

CAPUT VIII.

Quando veniet, vel quæ longinquitas regni ejus.

APOLL. — Futurum vere Antichristum, atque in orbis excidium legemque catholicam sæviturum nimis perspicue clareque docuisti; sed quando adventurus, quanto tempore sit futurus, expositio cœpta non contingit: sedula itaque mente percurre quæ regnantem clausura sint tempora, quæ præcurrant indicia venientem; quoniam si in tanta signorum, regnique virtute spiritalis nequitiæ exserit voluntatem, nullis contra aut destruendus rebus, aut signantius divulgandus; dignoscendæ, ut arbitror, falsitatis nec ipsis copia fidelibus erit, nullaque dubios remediorum genera salvabunt; si compulsio transgressionum atrocitate et phantasiis plena, sit obscura notione. Unde hanc quoque ambiguorum partem divinæ auctoritatis editione distingue; ut, evulsis radicitus fraudibus, et instruantur dubii, et confirmentur infirmi, dum et falsoris prodentur insidiæ, et brevitate temporis forte constringitur insania bacchatoris.

ZACCH. — Manifeste quidem Antichristus veniet, sed confestim secuturus est Christus; et licet diem vel horam adventus sui, ut ipse ait (*Matth.* XXIV, 36), nec angeli sciant; quod secreti istius notionem in suam Pater redegerit potestatem; evidentia tamen eodem mox docente signa præmissa sunt, quibus perpensa præsenti temporis qualitate adesse confestim suprema dignoscimus. Sic enim ait : *Cum videritis signa in cœlis, et prodigia in terris, gentem super gentem, regnum super regnum, prælia et opiniones præliorum, famem et terræ motus per loca; tunc erunt initia dolorum ; sed nondum finis* (*Ibid.*, 6, 8; *Luc.* XXI, 10, 11).Percurre nunc singula,atque ex his quæ gerantur aut gesta sunt quid supersit intellige : profecto id tantum [b] deesse perspicies,quod novissimis aut jam ascribi possit aut jungi. Quis enim natus quietem patriæ possidens vivit? Quis intra genitale solum populus labori exhibetur assueto, aut ab inferendo suscipiendoque discrimine, vel propriæ salutis intuitu, vel domestico retinetur affectu? Ardet bellandi impius furor, atroxque insania armis delectatur et rapto : hinc fauces hiantes avaritiæ cruor pascit, et cum pene injectis mortibus cuncta succenderit, reliquias tamen sitiens aut sternit aut spoliat. Non dilectio proximos, non justitia servat extraneos : gemens interea pietas exsulat, atque ab humanis mentibus pulsa, vestigia quæ pridem reliquerat, auferre compellitur. Regnis insuper regna confligunt, et insuspicabiles sceptris justarum sedium Augustos depellunt. Adde prodigiorum ineffabiles minas, et terræ creberrimos motus, pluraque cœlo signa fulsisse. Quid inediæ funestos exitus loquar, et infandis humanorum corporum cibis impletas deficientium aviditates? Horret animus dicere parricidiis famem pastam, et reliquias corporum dilectorum, ut sævius quam vixerant interirent, visceribus suorum sepultas.

Æstima, quæso, utrum hoc ferre diu sæculum possit, quod eloqui humanus sermo vix audet. Utrumne hæc diabolo otiante sic sæviant; quæ licet merito nostris sint reputanda peccatis, illius tamen [c] opere tecto peraguntur;qui coram continuo congressurus, ita supremorum urgetur angustiis, ut quod implendum Evangelia prædixerunt, agere orbis desertione jam cœperit : hæc enim his quæ nunc memorata sunt, Dominus adjecit : *Cum videritis abominationem desolationis stare in loco sancto : qui legit intelligat* (*Matth.* XXIV, 15) : id est, cum fiet omnium solitudo terrarum, sacrisque altaribus exsecrabilium imaginum abominatio præponetur, *et prædicatum fuerit hoc evangelium in toto orbe, tunc erit finis* (*Ibid.*, 14). Quæ nunc igitur portio habitatioque terrarum est, quæ nomen nostræ religionis ignoret, immo quæ nobis ex se credentium membra non miserit? Unde Evangelii prædicatio propemodum jam impleta intelligitur : in Heliæ tamen qui [d] nunc venturus est, sermone complebitur; tribus enim et senis annis primum Antichristum, deinde Christum adesse [e] prædixit : qui quamlibet pari tempore regnaturus per Apocalypsin designetur, breviandos tamen ejus dies in Evangelio Salvator insinuat, ne intolerabilibus malis per diuturnitatem caro victa succumbat : sic enim ait : *Et nisi breviati fuissent dies illi, non esset salva omnis caro* (*Ibid.*, 22). Non quod dierum ac noctium fixa ab initio constitutio sit mutanda, aut

[a] Codex Vind., *enim finem, et in omnem*. Infra, *quasi purus præferens :* in editis, *præferret*, procul dubio male.

[b] Immo *adesse*, vel *esse*. Haud longe ubi legitur *cuncta succederit*, codex S. Arn. habet *succiderit*. Statim e codd. Vin. et Lem. scripsimus *gemens interea*, cum in priore editione legeretur *gemens in terra*, nullo sensu.

[c] Sic codex Vind.; prior editio *opere tecta*, male : nec melius codex S. Arn., *opere cœpta*.

[d] Videtur legendum, *tunc*.

[e] In editis *prædicet*, *qui qualibet :* in Vind. *prædixit :* in eodem et in Lem. *qui quamlibet*.

currentium temporum horis spatia recidenda; sed sicut per Nathan denuntiata populi cædes pro tribus diebus tres tantum horas divina miseratione promeruit; ita exsecrandi temporis regnum non spatio credimus minuendum esse, sed numero; nec divinæ ordinationi modum, sed furentis imperiis imponendum; ut in resurrectione post tanti certaminis pugnam, et devotio fidelium, et perfidia non lateat impiorum; dum et antiqui hostis brevis dominatio pellitur, et Dei advenientis reverentia sanctorum confessionibus honoratur.

CAPUT IX.

Quibus Scripturis sit resurrectio repromissa.

APOLL. — Quantum videtur, et patere sollicitorum mentibus credo, ambiguæ prædicationis obscuritas absoluta est, et tota in planum supremi temporis missa cognitio; præcipue cum astipulantibus quæ aguntur dierum malis clara sit ratio, nec aliud superesse merito credatur, quam ut annuntiaturi prophetæ præsentia demonstretur. Nunc vero unum hoc consummatis interrogationibus præsta, ut resurrectionem ex Dei possibilitate jam creditam doceas et promissam; ne tantæ admirationis magnitudinem sine auctoritate cœlestium statutorum assertio nuda contigerit; sed libellis prioribus intimata præsentis eruditione firmentur, gaudium allatura credentibus, disputationem dubiis ablatura, dum et possibilem ex Dei potentia fatebuntur, et faciendam ex ejus promissione cognoscent.

ZACCH.—Tam plena est divinæ miserationis erga homines liberalitas, ut ea quæ fragilitas terrena vix credit, probare voluerit antequam facere, ac prius veris confirmare credentes, quam probare dubiis credituros: nam cum hanc muneris sui partem totis admodum Scripturarum voluminibus indiderit, speciali per Ezechielem monstravit effectu, facilius homines suscitari a se posse quam facti sunt, frustraque quasi perditos hic lugeri, quos non sit impossibilitas ulla restitui. Ait enim: *Et tulit me spiritus Domini: et ecce facies campi, et hæc erat ossibus plena. Et circumduxit me in gyrum eorum; et ecce arida nimis. Et ait ad me: Fili hominis, si vivent ossa ista? Et dixi, tu scis, Domine. Et ait ad me: Propheliza super ea, et dic: Ossa arida, audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus: Ecce ego adduco super vos nervos et viscera, et obtegam vos cute, et dabo spiritum vobis, et vivetis. Et ecce os ad os conveniebat, et super ea nervi, et viscera nascebantur, et cutis desuper ascendit; et jacuerunt sine spiritu. Et ait ad me: Prophetiza, fili hominis, spiritui, et dic: Hoc dicit Dominus spiritui: A quatuor angulis cœli veni, spiritus, et insuffla ossibus istis et vivent. Et factum est: et steterunt pedibus suis congregatio nimis multa. Et ait ad me: Fili hominis, ossa hæc domus Israel est. Qui dicunt: Vana est spes nostra nimis; interivimus. Et scient quod ego sum Dominus, cum educam eos de sepulcris et vivificabo populum meum, et ponam illos in terra ipsorum, et faciam hæc, dicit Dominus* (*Ezech.* XXXVII, 1 14).

Unde Salvator Sadducæis resurrectionem non credentibus ait: *Quomodo legistis, Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob? Non est utique Deus mortuorum, sed vivorum* (*Luc.* XX, 38). Apostolus autem sub elementorum comparatione, meritorum quoque distantiam prædicavit, dicens: *Alia claritas solis, et alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum; stella enim a stella differt in claritate: sic erit et resurrectio mortuorum* (I *Cor.* XV, 41, 42). Joannes vero etiam eos quos mare fluctibus tegit, astruit reformandos, dicens: *Et mare reddet mortuos suos* (*Apoc.* XX, 13). Tunc illud David canentis implebitur: *Deus manifeste veniet, et non silebit: ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida* (*Psal.* XLIX, 3). Unde in Epistola sua Petrus: *Quales nos*, inquit, *oportet esse, fratres, in die illa, cum cœli magno impetu transcurrent, et elementa ardore solventur* (II *Petr.* III, 6)? Tunc illud sancti Apostoli vocibus deprometur: *Ubi est, mors, aculeus tuus? absorpta est mors in victoria tua* (I *Cor.* XV, 55). Et qui nunc lacrymosis seminibus justitiæ vias implent, pretiosæ mortis manipulos referentes, sublimium coronarum honore fulgebunt. De quibus scriptum est: *Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis* (*Psal.* CXLIX, 5). Et iterum: *Exsultabunt ut vituli* [a] *ex vinculis soluti* (*Malach.* IV, 2). Et *sicut scintillæ inter arundines discurrent.* (*Sap.* III, 7). Hi statuta cœlestis throni sede Domini invitabuntur affatibus: *Venite, benedicti Patris mei; accipite regnum quod vobis paratum est ante constitutionem mundi* (*Matth.* XXV, 34). Illa impios sententia persequente: *Tacui, numquid semper tacebo* (*Isa.* XLII, 14)? Id est, jam non subditus ut crucifigi a negantibus possim, sed paterna quam cernitis majestate subnixus, qui ex infirmitate carnis mortuus fueram, vivo ex virtute Dei, solioque æterni judicis præsidens, non alia quam in Evangeliis prædixeram inimicos meos definitione condemno: *Ite, maledicti, in ignem æternum, quem præparavit Pater meus diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41), *ubi est fletus et stridor dentium* (*Matth.* VIII, 13).

Hæc sunt quæ moneri nostra voce te liceat: hæc mentis et corporis labore fugienda sunt, et illa quæ electis parantur adeunda, quorum magnitudinem formamque non quæras: erit enim: *Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (I *Cor.* II, 9). Sed si inæstimabiles quarumdam regionum amœnitates, odoresque vix creditos aut audimus, aut cernimus; si quibusdam gentibus auro turbidi fluunt amnes, et gemma pro lapide est; si passim cinnamum et amomum nascitur vulgo; si denique mollia redolentibus thura, et pretiosa balsamis ligna rorantur; si nobis etiam sub corruptibili aere lilia picta sic candent, nec sui imitationem quolibet habitu aut odore permittunt: quid æternarum divitiarum habituræ sint gratiæ, quid splendor cœ-

[a] Sic in codice Vind.; in editis, *ex vinculis dissoluti*.

lestium dignitatum, eloqui sermo sensusque non A prævalet : hoc tantum indubitanter accipias, nil illic necessarium, nil defuturum, sed omnium omnibus Deus lætitiarum inæstimabilium novitate generabit, quod dignum præsentiæ suæ possessione judicetur.

Nunc, inquam, mea qua potui instructione munitum indesinenter admoneo, ne aratrum culturæ Dei ponens omissa respicias, aut ad propositum contendens bravium, cursum propositi ferventis retardes. Nisi peractus agon sit, palma non sequitur : nec nisi certamine consummato insignis gloriæ præstatur triumphus. Unde in Salomone : *Laus in exitu canitur.* Et in Evangelio : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x, 22). [a] Fiat ergo fides tua felix, ac semper informatoris tui ad Deum memento, nec nimis sæculi aut malorum imminentium terrore movearis. Adjutor in omnibus Deus est, illoque virtutem spiritus ministrante inundatio tempestatum in leves defluet spumas ; modo ut prima præstantis conscientiæ arma non desint ; ac si necessitas denuntiatæ tribulationis advenerit, hostem confessio firma sustineat : dabit credenti in mœrore patientiam, qui se præbiturum et verba promisit ; opemque martyrii benignus impertiet, qui ut honorem nominis sui etiam morte tueremur, admonuit dicens : *Qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam salvam faciet eam* (*Luc.* IX, 24). Et iterum : *Qui reliquerit uxorem, filios, parentes, et omnia quæ habet propter nomen meum, in sæculo centuplum accipiet, in futuro autem centuplum insuper et vitam æternam* (*Matth.* x, 30). Ad hoc tamen tentari paulisper cognitos sinens, ut eodem perfuncti examinis labore sibi placeant, et illic justitia sic muneretur afflictos, cum judicare cœperit persequentes.

CAPUT X.

Oratio ad Deum

APOLL. — Consummatus in interrogationibus ordo est, et vota in responsionibus plena, devotioris fidei ignem decursis Scripturarum testimoniis excitarunt : habes promptum institutionis tuæ fructum, et nisi infirmitas carnis [b] officiat, paratam spiritus voluntatem : ille tantum efficiendi substantiam præstet, qui magna cupere se donante permisit. Quid enim quandoque in pulverem redigendo præcipua corpori cura? Quid molles sine exercitio meritorum proderunt somni? Quid quæsitus magno labore vel pretio [c] sæculi honor, et ciborum blandities peritura post fauces? Nulla est illic acceptio personarum, nec sequentur exstinctos onera facultatum : nudi introivimus in hunc mundum, nudi necesse est exeamus ; ac sicut David ait : *Dormient viri divitiarum, et nil invenient in manibus suis* (*Psal.* LXXV, 6). Et secundum Salomonem a multis talia sunt dicenda : *Quid nobis profuit superbia? aut quid* [d] *divitiarum jactantia* B *contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra* (*Sap.* v, 8). Devinctam tu potius cultibus tuis mentem creaturarum omnium formator institue, et qui solus renum scrutator et cordis es, perfice quod in votis est, ut cum elevaveris confringere terram, cum sicut liber plicabitur cœlum, terribilique incendio cuncta solventur, sit primum fidei integritas supplicanti, nec conscientiam desperatio ulla confundat : tum sub conspectu majestatis tuæ assistentium angelorum innumeram multitudinem post magnos patriarcharum honores et cœtus splendentium prophetarum, post sublimes apostolorum thronos et beatorum martyrum exercitus coronatos, felices perinde confessorum catervas, atque impollutorum agmina sacerdotum subsequens famulum turba sus- C cipiat, vitæque istius, si quæ sunt maculæ, labor veræ perfectionis emundet : si vero indulgere pauperi perennium munerum largitor annueris, ut probatio catholicæ confessionis et morte proveniat, [e] vel quod lubricæ conversationis actus infirmior fortasse non prævalet, devotio sanguinis pura sanctificet : erit ut in æternum munere tuo gaudens vere me in laudibus tuis cantasse reminiscar : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* (*Psal.* CXV, 12, 13).

[a] Sic Codex Vind.; prior editio, *ergo fide*. Infra *conscientiæ*, scripsimus e codd. Lem. et Vind. ubi legebatur *constantiæ*, minus idoneo sensu. Haud longe in Lem., *dabit, crede*, ubi *dabit credenti*.

[b] Ita edere libuit, cum antea legeretur *efficiat* : atque medica manus non minus necessaria erat, quam paulo infra, ubi editum erat *se donante promisit*.

[c] Ultimæ duæ voces additæ sunt e codice Vind. ex quo etiam infra scripsimus *acceptio*, ubi legebatur *exceptio*.

[d] Sic etiam codex Vind.; prior editio *divit. jactatio*. Haud ita longe *ut cum elevaveris*, num *ut cum te leva-* D *veris*? Statim e codd. Vind. et Lem. scripsimus *plicabitur*, ubi editum erat *præbebitur*.

[e] Codex S. Arn., *ut quod eluere conversatio infirmior*. Statim vocem *sanguinis*, quæ omnino necessaria erat ascripsimus e codice Vind.

ALTEERCAIO

INTER

THEOPHILUM CHRISTIANUM ET SIMONEM JUDÆUM,

EVAGRIO AUCTORE.

(Ex ms. codice Vindocinensi, Biblioth. Galland. tom. IX.)

Fuit igitur altercatio legis inter quemdam Simonem Judæum et Theophilum Christianum. Judæus igitur sic ait : Cruxicola signifer, Christianæ legis te profiteris esse auctorem (*Lege* doctorem). Habes et

me patientem auditorem, si modo interrogationibus A meis, non lenociniis sermonum aut argumentis, sed legis præsentia comprobes veritatem. Quod si tu me hodie viceris, facito Christianum; aut ego cum te superavero, faciam [a] Nazaræum Judæum.

THEOPHILUS. — Non glorietur giberosus ut rectus.

SIMON. — Quem colis?

TH. — Sane si dicimus, et audenter probamus.

SIM. — Sacri venerandique Deuteronomii vox resultans dicit : *Videte quod ego sum, et non est alius præter me Deus* (*Deut.* XXXII, 39). Et Esaias dicit : *Ego primus et ego novissimus, et præter me non est Deus* (*Isai.* XLIV, 6).

TH. — Sacratissima Christi vox est, quam si tu volueris cognoscere, oportet te primum credere, et tunc demum poteris intelligere. B Esaias enim redarguit te dicens : *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isai.* VII, 9, *sec.* LXX). Indubitanter igitur Deum omnipotentem invisibilem novimus, et scimus, et colimus : deinceps Christum Deum et Dei Filium profitemur. Quod autem dicit : *Ego primus et ego novissimus*, duos adventus Christi significat.

SIM. — Quid illud quod ait : *Præter me non est Deus?*

TH. — Christus Deus et Dei Filius de se dixit, quia prævidebat Antichristum venturum. De quo Zacharias propheta dicit : *Ecce suscitabo pastorem in terra, et quod deficiet non visitabit, et dispersos non requiret, et contribulatum non salvabit, et integrum non consummabit, et carnes electorum comedet,* [b] *eorum C evertet. Gladius super brachium ipsius est, et super oculum dextrum ipsius arefiens arefiet, et oculus ipsius obcæcabitur dexter* (*Zacch.* XII, 16) : proinde Christus dicit : *Ego primus et ego novissimus.*

SIM. — Ergo tu duos facis?

TH. — Deus unus est, ex quo Christus, et in quo Deus : sicut [c] Abrahæ ad ilicem Mambræ tres vidit, quibus occurrens, unum salutavit dicens : *Domine, si inveni gratiam ante te, accipe aquam, et laventur pedes vestri, et refrigera te sub arborem istam* (*Gen.* XVIII, 4); quod scilicet Abraham videbat præsentiam divinitatis, quod arbor crucis Christi tegmen credentibus refrigerii præstaret, de quo propheta in psalmo : *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat* (*Psal.* LXXXI, 1). Utique de D Christo dicit, qui in synagoga deorum docuit, et virtutes fecit : proinde in psalmo quadragesimo quarto dicit : *Thronus tuus, Deus, in sæcula sæculorum : virga æquitatis, virga regni tui : dilexisti justitiam et odisti iniquitatem, propterea benedixit te Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis* (*Psal.* XLIV, 7). Quis Deus propter quem Deum dixit, Judæe? Utique Deus Pater Christum Dei Filium, pro quo et de quo receptissimus prophetarum Jeremias dicit : *Hic Deus, et non est alius, nec æstimabitur absque illo : qui invenit omnem prudentiam, et dedit Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch.* III, 36-38). Item in psalmo quadragesimo quinto dicit : *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus : exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra* (*Psal.* XLV, 11). Et in psalmo sexagesimo septimo : *Cantate Domino, psallite nomini ejus, iter facite ei qui ascendit super occasum : Dominus nomen illi* (*Psal.* LXVII, 5). Longum est, ut exempla persequar plura : his paucis veritas comprobatur.

SIM. — Recte quidem ad colentes testimonia unito spiritu fatentes, ori tuo consentientes; sed illud volo edisseras, sicubi in loco Deus per semetipsum Christum Deum constituit : tunc demum Christum Deum et Dei Filium cogitabo.

TH. — Incredule Judæe, jam et de prophetis disputas? accipe tamen interrogationibus tuis responsum. Deus ad Moysem loquitur dicens : *Ecce dedi te deum Pharaonis, et frater tuus Aaron erit propheta tuus* (*Exod.* VII, 1). Prævide nunc Moysem, typum Christi, fuisse gentium incredibilium deum. Quanto magis Christus credentium est Deus! Sicut enim Moyses populum de Ægypto, durissima Pharaonis servitute; sic et Christus credentes de diaboli potestate liberavit.

SIM. — Si ergo Christus Deus est et Dei Filius, quomodo ergo in Genesi scriptum est : *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I, 1.)? Potuerat dixisse : In principio fecit Pater et Dei Filius cœlum et terram.

TH. — Erras, Judæe, nec umquam invenies veritatem, nisi veritatis intelligas originem. Nam si velis credere, poteris et in principio ejus invenire quis est Christus Dei Filius : sic enim ait : [d] *Fecit Deus cœlum et terram*, hoc est in Christi arbitrio, et ad voluntatem ejus, et ad cujus imaginem hominem dignatus est facere; dicit enim : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem Dei : masculum et feminam fecit eos* (*Gen.* I, 26, 27).

SIM. — Potuit hoc et ad angelos dixisse.

TH. — Erras, Judæe. *Cui umquam Angelorum dixit Deus : Filius meus es tu : ego hodie genui te* (*Hebr.* I, 5)? Et rursus in psalmo dicit : *Principem ponam illum excelsum præ regibus terræ* (*Ps.* LXXXVIII, 28). Angelis autem jubet, Christum adorent. Et iterum in Canticum Deuteronomii dicit : *Lætamini, gentes, cum eo, et adorent eum omnes angeli Dei* (*Deut.* XXXII, 43, *sec.* LXX).

SIM. — Proba mihi Christum esse principem.

TH. — Jam dixi. Accipe nunc aliam probationem, si potueris vel sic credere. Nam cum Jesus filius Nave staret trans Jordanem, virum vidit stantem; et gladius utraque parte acutus in manu ejus. Dixit illi Jesus : *Noster es, an adversariorum? Ego princeps militiæ majestatis Domini* (*Jos.* V, 14).

[a] Legendum videtur, *ex Nazaræo Judæum.*

[b] Deest aliquod verbum. In vulgata editione legitur, *et ungulas eorum dissolvet.*

[c] Forte, *Abraham.*

[d] Lege *In principio fecit*, etc.

SIM. — Et hoc volo mihi edisseras, quomodo est Filius Christus; nam et omnes sancti filii Dei dicti sunt: proinde sicut mihi probasti principem illum esse, proba nunc Dei Filium illum ex Deo natum. Longe enim remota est Divinitas a coitibus humanis, nec miscetur amplexui.

TH. — Loqueris quasi Judæus. Nam, Christus Deus, Deus Filius, primogenitus, verbo editus, ore prolatus. Sicut enim Deus cum hominem in principio e limo terræ fecerat, flatum suum in eumdem spiraverat, et factus est homo in animam vivam; et ita Verbum suum, hoc est Christum ex utero cordis sui genuit; sicut in Basilion libro secundo dicit: *Et fuit verbum Domini ad Nathan prophetam dicens: Vade et dic servo meo David: non tu ædificabis mihi domum ad habitandum; sed cum impleti fuerint dies* B *tui, suscitabo semen tuum post te: hic ædificabit domum nomini meo, et erigam thronum ejus usque in sæcula: et ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium, et fidem consequetur et domus ejus* (II *Reg.* VII, 4, 5, 12, 13, 16). Et in psalmo II dicit: *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania* (*Ps.* II, 1)? Item in psalmo quadragesimo quarto: *Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi* (*Ps.* XLIV, 2). Isaias dicit: *Consummatas quidem et abbreviatas res audivi; quoniam Verbum breviatum facit Deus in omni terra* (*Isa.* X, 22). Hic est Verbum qui verbera nostra sanavit, de quo in psalmo centesimo quinto dicit: *Misit Verbum suum, et sanavit eos* (*Ps.* CV, 20). Item in alio psalmo testimonium perhibet propheta dicens quod cœlum de quo C supra diximus, Christo, et in Christo qui est Verbum Dei, fecerit: *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Ps.* XXXII, 6). Hic est Verbum qui velociter mundum percurrit, et animas errantium per legem novam ad Deum convertit: de quo in psalmo centesimo quadragesimo sexto: *Qui emittit Verbum suum terræ, velociter currit sermo ejus* (*Ps.* CXLVII, 15). Et Isaias dicit: *Ecce Verbum Domini factum est illis in maledictum, et noluerunt illud.* [a] Nam prophetam nostrum Joannem prophetico ore clamantem: *In principio erat Verbum, et Deus erat Verbum, et Verbum erat apud Deum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 1, 3). Et rursus Filius pari genere testimonium reddit D Patri et nativitatis suæ exordia testatur, dicens per Salomonem: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenitus ante omnem creaturam. Ego in cœlis feci ut oriretur lumen indeficiens. Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis* (*Eccli.* XXIV, 5-7). Vides ergo exeuntibus patribus tuis de Ægypto, quia Christus erat qui in columna nubis præcedebat eos. Item illic in Proverbiis ejusdem: *Dominus condidit me in initio viarum suarum, in principio in opera sua: antequam terram faceret, et ante omnes colles genuit me. Cum patraret* [leg. *pararet*, ἐτοίμαζε]

A *cœlos, aderam cum illo; et cum secerneret sedem suam, quando fortia faciebat fundamenta terræ, eram simul cum illo disponens. Ego eram cui adgaudebat, quotidie autem lætabar in faciem ejus, cum lætaretur orbi perfecto* (*Prov.* VIII, 22, 30, *sec.* LXX).

SIM. — Potest hoc pro sapientia dixisse.

TH.— Erras, Judæe, et veluti velamen [*Forte* velamine] ignorantiæ sensus tuus contectus est. Non immerito sanctissimus Moyses velaminis tegmine faciem velabat, quod velamen corda vestra contexit. Accede proinde ad Dominum et Dei Filium, et auferetur de sensibus tuis tegmen ignorantiæ. Sapientiæ dictum existimas, ignorans quoniam *Christus* ipse *est Dei virtus et Dei sapientia* (I *Cor.* I, 24). Adeo reges vestri qui per successionem regnabant, non B poterant sapientiam et virtutem accipere, nisi per vocabulum nominis Christi. Hujus rei auctorem Danielem dabo dicentem: *Signabitur visus et prophetia. Orietur justitia sempiterna, et ungetur Sanctus sanctorum: et scies, et intelliges ab exitu sermonis in respondendo; et ædificabo Hierusalem usque ad Christum christorum et Regem regum vestrorum: unctio Samariæ deficiet cornu illud* (*Dan.* IX, 24). Deinde reges vestri ungebantur, et omnes prophetæ siluerunt, quia de quo loquebantur venit, sicut Isaias ait: *Ego sum qui loquebar, et veni ut evangelizarem vobis* (*Isa.* LII, 6). Proinde, ut diximus, ipse est Christus christorum, Dominus dominorum. Auctorem Esaiam dabo dicentem: *Sic dicit Dominus Christo meo Domino cui tenuit dextram, ut exaudiant eum* C *gentes: fortitudinem regum disrumpam, aperiam ante eum portas, et civitates non claudentur. Portas æreas aperiam, et vectes ferreos confringam, et dabo tibi thesauros absconditos* (*Isa.* XLV, 1). Cui ergo tenuit dextram Pater, nisi Christo Filio, quem omnes gentes exaudierunt, sicut in Psalmo dicit: *Tu mecum semper tenuisti manum dextram meam* (*Ps.* LXXII, 24)? Aut quæ civitas illi clausa est? Et cui omnes portæ æreæ patent? Aut numquid et de nativitate ejus audebit disputare? cum idem propheta: *Factum verbum Domini*, inquit, *ad Achaz: Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, et non tentabo Dominum. Et ait: Audite nunc, domus David: Non pusillum vobis certamen erit cum hominibus; et* D *ideo vos præstabitis certamen cum hominibus, quoniam Dominus Deus dabit vobis signum: Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel*; quod interpretatur, *Nobiscum Deus* (*Isa.* VII, 10-14).

SIM. — Ego prophetis credo. Præterea Isaiam receptissimum accipio; sed aliam virginem dixisse arbitror. Cum enim Salmanassar rex Assyriorum ducem suum misisset ad Hierusalem exprobrare Deum vivum; tunc Isaias prophetavit adversus Salmanassar regem dicens: *Sprevit te, subsannavit te, virgo filia Sion. Caput suum movet adversum te, filia Hierusalem* (*Isa.* XXXVII, 22). Quando et angelus de

[a] Hic aliquid videtur deesse. Forte, *Non velles prophetam nostrum Joannem*: quia Judæi non recipiunt ovi Testamenti Scripturas.

castris Assyriorum centum octoginta millia percussit, in hoc fuit nobiscum Deus.

TH. — Erras, Judaee : nondum removes incredulitatem. Si ergo filiam Hierusalem dicis; quem filium peperit? vel quis butyrum et mel manducavit? aut quis infans fuit qui priusquam cognosceret patrem aut matrem, spolia Samariæ detraxit? aut quem filium de semine David aluit? Isaias enim dixit : *Ecce Virgo in utero accipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet: priusquam cognoscat vocare patrem vel matrem, accipiet virtutem Damasci, et spolia Samariæ contra regem Assyriorum* (*Isa.* VII, 14).

SIM. — Enarra mihi igitur ista quid se habeant, ut credere possim; quid mel aut butyrum intelligitur; aut quæ spolia Samariæ Christus acceperit.

TH. — Si removeas incredulitatem, audies veritatem, ne forte impleatur in te illud quod scriptum est : *Sicut aspides surdæ et obturantes aures suas, quæ non audiunt vocem incantantium* (*Ps.* LVII, 5). Audenter enim Isaias adversus incredulitatem vestram clamat dicens : *Erunt vobis verba libri hujus sicut libri signati ; quem si dederis homini scienti litteras ad legendum, dicit: Non possum legere, signatum est enim. Aut si dederis non scienti litteras, et dicas lege, dicet, Non didici* (*Isa.* XXIX, 11, 12). Primum quia Christus secundum nativitatem infantium omnium, butyrum et mel manducavit. Hoc credimus, et sic vitam nostram custodimus; et quia octavo die circumcisus est. Butyrum autem unctio Spiritus intelligitur; mel autem dulcedo doctrinæ ejus, quam nos assequimur. Spolia autem Samariæ hoc genere detraxit; quod cum infans esset, munera a Magis accepit, aurum, thus et myrrham; et postea adultus cum doceret et omnem veritatem demonstraret, relictis idolis, Samaria et Damascus bene crediderunt, relinquentes Assyrium, id est, diabolum.

SIM. — Bene quidem per omnia patefacis mysteria. Et quia Christum et Dei Filium ore Dei prolatum [a] verbo genitum, et ex Virgine natum probasti. Quomodo ergo ex semine David in Bethleem civitatem natum asseveras?

TH. — Auctorem Isaiam dabo : *Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini* (*Isa.* XI, 1). Virga enim Maria virgo fuit, quæ ex semine David processit, ex qua Christus flos patriarcharum secundum carnem nascitur. Deus enim qui in Numeris signum fecit, ut asina loqueretur, multum majus signum facere voluit, ut Christus ex virgine nasceretur. Aut quid mihi et tibi esset certamen, nisi ut Virgo peperisset?

SIM. — Credo Virginem, ut dicis, potuisse de Spiritu concipere. Agitur, si virgo potuit parere.

TH. — Incredule! Saxum Deus potuit rumpere, et aquam in sitientem [b] producere; quanto magis Deus jubere potuit ut virgo partum ederet! Adhuc A tibi dico aliud testimonium, si tamen credas Baruch, Neri filium, qui in Babylonem prophetavit.

SIM. — Ergo me infidelem jam existimas, ut Baruch discipulum Jeremiæ non recipiam, qui a Jeremia toties missus populum allocutus est, qui et prophetiam suam Baruch conscribere jussit. Et quia sciebat Jeremias illum populum effusum in captivitatem, et prophetavit; sed de Christo nihil meminit.

TH. — Quomodo ergo prope finem libri sui de nativitate ejus, et de habitu vestis, et de passione et resurrectione ejus prophetavit dicens : [c] *Hic unctus meus, electus meus, vulvæ incontaminatæ jaculatus, natus et passus dicitur.* Et quoniam tunicam illius desuper contextam, ut hæc omnia; Simon, si credideris, aut cum veneris in plenitudine B Evangeliorum nostrorum, impleta cognosces. Quod autem in Bethleem natus est, audi Michæam prophetam dicentem : *Et tu, Bethleem, domus illius Ephrata, exigua non eris, ut constituaris in millibus Juda. Ex te enim mihi prodiet, ut sit princeps in Israel, et possessio ejus a principio, a diebus sæculi* (*Mich.* V, 2).

SIM. — Multa quidem legimus; sed non ita intelligimus : proinde volo per singula quæ interrogo, cognoscere comprobata testimonio veritatis. Præterea quia Deus circumcisionem præcepit, quam primum patriarchæ tradidit; quam circumcisionem Christum habuisse superius professus es : quomodo ergo mihi credere suades, qui circumcisionem prohibes?

TH. — Circumcidere carnem prohibemus, C circumcisos autem credere libenter habemus. Abraham enim qui priusquam circumcisus esset, amicus Dei effectus est, et justitiam adeptus est per fidem, non per circumcisionem (II *Paral.* XX, 7; *Isa.* XLI, 8; *Jac.* V, 23). Sic enim dicit : *Patrem multarum gentium constitui te ante Deum, quia credidisti* (*Gen.* XVII, 4). Proinde dicit : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam.* (*Gen.* XV, 6; *Rom.* IV, 3). Hoc enim priusquam circumcideretur audivit, et postea circumcisionem accepit, ostendens duos populos ad fidem Christi venturos, unum ex circumcisione, et unum ex præputio. Nam si Christus circumcisus non fuisset, quomodo mihi hodie crederes; aut prophetis, quod ex semine David veniret? Circumcisio enim signum est generis, non D salutis.

SIM. — Ergo quo modo filium Moysi, cum esset in præputio, angelus suffocabat, nisi Seffora mater ejus accepto calculo circumcidisset? et cum sanguis immineret, oravit dicens : *Stet sanguis circumcisionis pueri* (*Exod.* IV, 25).

TH. — Contra te loqueris, Judæe; et superius tibi (dixi) quod Moyses [d] typum fuit Christi : omnia quæcumque fecit, in imaginem Christi præcurrebat. Nam Seffora mulier quæ puerum circumcidit, synagoga intelligitur. Quod autem dicitur : *Stet sanguis circumcisionis pueri*; adeo Deus in Moysem sic dicit :

[a] Forte, *Patre genitum.*
[b] Addendum existimamus *populum.*
[c] Hæc hodie non reperiuntur in proph. Baruch.
[d] Lege *typus.*

Ædifica mihi altare de lapidibus non circumcisis, et ferrum non injicies in eis (*Exod.* xx, 25) : quod scilicet adveniens Christus, Ecclesiam ædificaturus erat de populo incircumciso.

Sim.—Proba mihi Christum neminem circumcidisse.

Th.—Crede, et ipse tibi probabis : cum cœperis plenitudinem Evangeliorum revolvere, ibi invenies Matthæum apostolum publicanum, et Zacchæum principem publicanorum, et multos invenies [a] incircumcisos, qui cum Judæis crediderunt. Nam si sæculi sacrificia, hostiæ taurorum et arietum et agnorum jussa immolabantur, et prohibita sublata sunt, et populus minor, id est noster, majori prælatus, et Testamentum novum veteri præpositum ; ita et circumcisionem jam non carnis, sed cordis celebrare præcepit. Dicit Deus ad Rebeccam in Genesi : *Duæ gentes in utero tuo sunt, et duo populi de ventre tuo dividentur, et populus populum superabit, et major serviet minori* (*Gen.* xxv, 23). Et in Deuteronomio dicit : *Eritis gentes in caput, incredulus autem populus in cauda* (*Deut.* xxviii, 44). Et Jacob benedicens Ephraim et Manasse, immutans manus, dextram minori superponens, immutationem creaturæ demonstrabat. Pro Testamento autem novissimo sic dicit Isaias : *Ecce facio nova, quæ nunc orientur, et ponam in deserto flumina* (*Isa.* xliii, 19), hoc est in Ecclesia Evangelia. Et Jeremias dicit : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus ; et consummabo domum Israel et domum Juda, testamentum novum ; non tale testamentum quod disposui patribus vestris, in die qua eduxi eos de terra Ægypti* (*Jerem.* xi, 7). Audi nunc de circumcisione legislator Moyses quid dicit : *In novissimis diebus circumcidet Dominus cor tuum et cor seminis ad Dominum Deum tuum ad mandatum* (*Deut.* xxx, 6). Et Jeremias ait : *Viri Juda, et qui habitatis Hierusalem, renovate vobis novale, et nolite serere super spinas. Circumcidimini Deo vestro, et circumcidite præputia cordis vestri, ne exeat ira et exurat, et non sit qui exstinguat* (*Jerem.* iv, 3, 4). Et ad Jesum Nave dicit Deus : *Fac tibi gladios petrinos nimis acutos, et circumcide secundo filios Israel* (*Jos.* v, 2). Numquid tunc [b] ferrum deerat ? Sed Deus ad Dominum nostrum Jesum Christum loquebatur, quod per apostolos suos spiritaliter corda circumciderit ; adeo [An *a Deo?*] apostolus noster Simon dictus, et postea Petrus nomen accepit.

Sim. — Manifesta sunt quæ mihi ostendisti : et circumcisio cordis quæ esse potest, et quod præputium de corde circumcidendum est ?

Th.—Omnis concupiscentia et libido corde concipitur : proinde circumcisio novi Testamenti talis est, quam Deus et Christus Filius ejus ostendit. Circumcidamus libidinem, avaritiam, malitiam, cupiditatem, furta, fraudes, fornicationes ; et omne quod tibi fieri non vis, alio non feceris. Hæc est circumcisio Christianorum, quam et primi sanctorum habuerunt, scilicet Enoch, Noe, Job et Melchisedech ; qui non carnis, sed cordis circumcisionem habuerunt. Potuerat Deus Adam [c] circumcisum formare.

Sim.—Exæstuo vehementi cogitatione, Christum tam maledictam et ludibriosam sustinuisse passionem : si tamen vera sunt quæ dicitis, a patribus crucis [d] patibulum eum esse suffixum. Scimus Aman maledictum a patribus nostris pro merito suo esse suspensum, qui genus nostrum petierat in perditionem, in cujus morte peracta revoluto (anno) gratulamur, solemnia votorum festa celebramus, quod a patribus traditum accepimus ; et Abessalon qui ad cædem patricida fuit pependisse in arbore legimus. Christus autem si patibulum mortis hujus sustinuit, et in cruce pependit ; cur non hoc ipsum a patribus nostris accepimus, nec passum in Scripturis nostris invenimus, ut sicut inimicum genti nostræ gauderemus affectum ? Erubescere poteris, Theophile, si hoc dictum minime comprobaveris. Nam scriptum est in Deuteronomio : *Maledictus homo qui pendet in ligno* (*Deut.* xxi, 23).

Th.—Primum hujus dicti accipe rationem. Recole superius Deuteronomii lectionem, de quibus dictum est : *Sic enim ait Moyses : Si quis peccaverit, in judicium mortis puniatur exemplo : suspendetis eum in ligno ; et omnis qui pendet in ligno, maledictus erit* (*Ibid.*, 22). Sed hoc de peccatore dicit, qui mortale peccatum fecit. Christus autem peccatum non fecit, sicut omnes prophetæ testantur ; sed pati necesse habuit, ut Scriptura impleretur. Dicit enim Isaias : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus ; sed Dominus tradidit eum pro peccatis nostris* (*Isa.* liii, 9). Nam alibi prophetam dixisse ostendimus : *Ecce verbum Domini factum est illis in maledictum, et noluerunt illud.* Et iterum dicit : *Inter maledicos reputatus est* (*Ibid.*, 12). Audi et Jeremiam in Lamentatione dicentem : *Spiritus vultus nostri, Christus Dominus comprehensus est in interitum gentis nostræ ; sub cujus umbra vivimus inter gentes* (*Thren.* iv, 20). Scimus autem sanctissimum David plenum annis in pace quievisse, nec aliquam passionem mortis aut crucis sustinuisse. Audi ergo in psalmo vicesimo primo dicentem Christum : *Fo-*

[a] Existimat hic Evagrius Matthæum apostolum fuisse incircumcisum, hoc est gentilem, non Judæum. Ipsi præiverat Tertullianus lib. de Pudicitia cap. 9, cujus opinionem miratur ac erudite refutat S. Hieronymus ad Damasum scribens his verbis : *Quasi vero et Matthæus non ex circumcisione fuerit publicanus, et ille qui cum Pharisæo in templo orans oculos ad cœlum non audebat erigere, non ex Israel fuerit publicanus..... aut cuiquam credibile possit videri ethnicum templum ingressum, aut Dominum cum ethnicis habuisse convivium.*

[b] Eadem fere habet Lactantius lib. iv Instit. divin. cap. 17, quem sequi videtur Evagrius noster.

[c] Ita Lactantius loco citato : *Si Deus vellet, sic a principio formasset hominem, ut præputium non haberet.*

[d] Legendum *patibulo.*

derunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt et viderunt me : diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum, ad defensionem meam conspice (*Ps.* XXI, 17-20) : et cætera quæ tribus sequentibus versibus dicuntur. Item per Isaiam : *Expandi manus meas ad plebem non credentem et contradicentem, qui ambulat vias non bonas, sed post peccata sua* (*Isa.* LV, 2). Item apud Jeremiam : *Venite, mittamus lignum in panem ejus, et eradamus de terra vitam ejus* (*Jerem.* XI, 19). Item in Deuteronomio : *Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, et timebis die ac nocte, et non credes vitæ tuæ* (*Deut.* XXVIII, 66). Item in psalmo centesimo quadragesimo : *Elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum* (*Ps.* CXL, 2). Item apud Zachariam : *Et intuebantur me, quem transfixerunt* (*Zach.* XII, 10). Item in psalmo LXXXVII : *Exclamavi ad te, Domine, tota die, expandi ad te manus meas* (*Ps.* LXXXVII, 10). Item in Numeris : [a] *Quasi homo Deus suspenditur, neque sicut filius hominis minas patitur.* Et in Canticis canticorum ex persona Ecclesiæ dicit : *Frater meus candidus et rubicundus, lancea compunctus a militibus* (*Cant.* V, 10). [b] Quæ candor quid aliud quam fidem populi demonstrat? Rubor enim passionem significat. In hoc enim primo adventu suo ut omnem humilitatem et deformitatem usque ad mortem sustineret, audi denique in psalmo vigesimo primo quid dicat : *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis et moverunt caput.* Item illic : *Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis, et in pulverem mortis deduxisti.* (*Ps.* XXI, 7, 8, 16). Item illic : *Placebo Domino super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas* (*Ps.* LXVIII, 32). Quid dicis, Judæe? numquid David cornutus erat? Age nunc, intellige racemum illum in Numeris (*Num.* XIII, 24), quem in terra repromissionis duo vectantes reportabant : quod utique figura fuit Christi pendentis in ligno. Adveniens de terra repromissionis, id est de Maria, quæ ex genere terreno fuit. Subvectantes autem [c] phalanguam, duorum populorum figuram ostendebant : unum priorem, scilicet vestrum terga versum Christo dantem ; alium vero posteriorem, racemum respicientem, scilicet noster populus intelligitur.

SIM.—Quid de malagranata dicturus es, quæ ad Moysem allata sunt cum eodem racemo ?

TH.—Rectissime malagranata racemum secuta sunt. Figura scilicet Ecclesiæ fuit, habens intra se populum rubore sanguinis Christi censitum.

SIM.—Quid de ficulneis dicturus es, vel quibus argumentis, tractatibus tuis probabis ficum peccatum non esse, cum [d] quando protoplastus Adam in transgressione sua folia [e] ficus contexit pudenda, quod fuit prurigo et amaritudo peccati ?

TH.—Supra cutem istam intelligis, Judæe : nam arborem ficus et [f] foliarum tegmen veteris hominis figuram intelligitur. Nam si velles spiritalem hominem considerare, hoc est interiorem, pomum de ficulneis ad Moysem de terra repromissionis allatum invenies spiritaliter, sicut Ezechiæ regi Judæ post augmentum vitæ suæ, massa fici in sanitatem carnis suæ accepisse. Adjungens et dicens : *Accipe tibi massam ficus terræ et cataplasmare, et sanaberis* (IV *Reg.* XX, 7) : ut scilicet confractis impietatibus, libidinis sanitatem recipias. Revertamur nunc ad humilitatem Christi et adventus ejus, de quo agebamus, audies Isaiam dicentem : *Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est ? Annuntiavimus de eo, sicut infans : non species ei, neque decor ; et vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem : homo in plaga positus, et qui scit infirmitates sustinere ; quia adversata est facies ejus, depretiata est, nec computata. Hic peccata nostra portavit, et pro nobis in doloribus est. Sicut ovis ad occisionem ductus est ; et sicut agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum : in humilitate judicium ejus sublatum est. Nativitatem autem ejus quis enarrabit? quia tolletur a terra vita ejus : a malignis plebis meæ adductus est in mortem ; et dedi divites pro morte ejus, quia peccatum non fecit, nec dolus inventus in ore ejus : sed Dominus voluit tradere eum pro peccatis nostris, et inter iniquos reputatus est* (*Isa.* LIII, 1, *sec.* LXX). Item illic de humilitate primi adventus ejus testatur dicens : *Posui dorsum meum ad flagella, maxillas autem meas ad palmas, faciem meam non averti a fœditate sputorum : et fuit Dominus adjutor meus* (*Isa.* L, 6, 7). Et Jeremias dicit : *Ego sicut ovis ad victimam ductus, et nesciebam* (*Jerem.* XI, 19). De quo quidem agno in imaginem Christi Moyses apud Ægyptum pascha celebravit in liberationem populi : nec aliter poterat populus Dei de domo servitutis et de pressura Pharaonis liberari, nisi agnus occideretur, et pascha celebraretur, et de sanguine ejus limina domus signarentur, ut cum venerit angelus vastator, viso [g] agno sanguinis in domibus salvarentur. Quod sacramentum ante prædictum adventum Christi impletum est. Pro hoc enim in primo adventu suo occisus est, ut nos liberaret de diaboli potestate et de idolorum cultura. Anniculus autem dictus est, quia posteaquam tinctus est in Jordane, [h] annum prædicavit, et sic passus est : et sanguine ejus fronte signati censemur, ut in secundo adventu, cum venerit vastatio mundi istius, salvi esse possimus. Hujus rei auctorem Ezechielem prophetam

[a] Lege *Non quasi homo*, ut apud Lactantium, lib. IV Institutionum, cap. 18, ubi hunc locum citat etiam ex Numeris, tametsi hunc locum in Numerorum libro reperire nequiverim.

[b] Lege *qui*.

[c] Phalanga seu Palanga aut Palangæ sunt teretes, quibus bajuli ferendis oneribus utuntur.

[d] Vox *quando* est superflua.

[e] Lege *foliis*.

[f] Lege *foliorum*.

[g] Legendum *agni sanguine*.

[h] Eamdem opinionem secuti sunt inter Latinos

dabo, qui et ipse duos adventus Christi significat dicens: *Transi per mediam Hierusalem, et da signum in frontibus virorum dolentium et gementium ab iniquitate quæ fit in terra* (*Ezech.* IX, 4). Et rursum secundum adventum significat vastationem non signatorum dicens: *Ite in civitatem, et nolite parcere seni, neque juveni, et mulieribus, et parvulis, nolite parcere gladio. Super quos autem signum inveneritis, nec tetigeritis, et sanctis meis nolite parcere* (*Ibid.* 5, 6). Hoc signum Raab meretrix quæ in figura Ecclesiæ fuit, coccum et [a] spartum in fenestra pependit, ut cum Jesum Nave veniret Hierico debellare, viso signo coccineo, Raab et qui in domo ejus essent, salvarentur. Ita et in adventu Christi, cum venire cœperit Christus Filius Dei secundum sæculum istum ex igne cremare, Ecclesiæ et qui in ea fronte signati fuerint, salvabuntur. Sic et Osee (*Osee* I, 2) qui typum Christi tenuit, jubet accipere uxorem fornicariam, hoc est Ecclesiam, quam de fornicatione idolorum Christus accepit, quia initium fornicationis est idolorum servitus.

SIM.—Ergo Ecclesia fornicaria est?

TH.—Quid enim interpretatur fornicaria, nisi omnibus venientibus ad se quæstum fidei nulli denegare? Repudiata enim Synagoga, assumpsit sibi Christus Ecclesiam. Audi enim Jeremiam dicentem: *Dimisi matrem vestram, et dedi illi libellum repudii, quod dedi matri vestræ, quia dimisi eam* (*Jerem.* III, 8). Et alius propheta dicit: *Judicamini ad matrem vestram, quia non sum vir* (*Osee* II, 2). Hic est etiam Dei virtus Christus, de quo Salomon in persona Judæorum prophetavit dicens: *Circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris. Improperat enim nobis peccata nostra, et disciplinæ nostræ. Filium Dei se nominat. Videamus si sermones illius veri sint: morte turpissima condemnemus eum. Erit enim respectus ex sermonibus nostris, vel ejus. Si enim est verus Filius Dei, suscipiet eum de manu contrariorum. Hæc cogitaverunt, et erraverunt: excæcavit eos malitia eorum, et nescierunt sacramenta Dei* (*Sap.* II, 12, 13, 17, 18, 20, 21, 22). Et Moyses in Deuteronomio dicit: *Innocentem et justum non occides* (*Exod.* XXIII, 7). Surrexisse autem illum a mortuis Scriptura testatur in psalmo dicens: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo* (*Ps.* XV, 10, 11). Item in psalmo XXIX: *Domine, eduxisti ab inferis animam meam* (*Ps.* XXIX, 4). Item in psalmo dicit: *Ego dormivi et somnum cepi, et exsurrexi quia Dominus suscipiet me* (*Ps.* III, 6). Et Osee: *Vivificabit nos post duos dies, et die tertia suscitabit nos* (*Ose.* VI, 3). Et ad Moysem Dominus in Exodo: *Descende*, inquit, *et testificare populo, et purifica illos, ut lavent vestimenta sua, et sint parati*

A *in die tertia* (*Exod.* XIX, 21). Et Isaias: *Nunc exsurgam, dicit Dominus, nunc clarificabor, nunc videtis, nunc erubescitis: vana erit formido spei vestræ: ignis vos consumet.* Et de morte ipsius: *Occidet sol meridie et obtenebrabitur dies lucis, et convertam dies festos vestros in luctum* (*Amos* VIII, 9). Et Jeremias dicit: *Occidit, cum adhuc dies esset* (*Jerem.* XV, 9). Quod autem in cœlos ascendit, testatur David in psalmo LXVI: *Iter*, inquit, *facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi* (*Ps.* LXVI, 5). Item in XLVI: *Ascendit Deus in jubilatione, Dominus in voce tubæ* (*Ibid.* 6). Item in XVIII: *A summo cœlo egressio ejus, nec est qui se abscondit a calore ejus* (*Ps.* XVIII, 7). Item in XXIV, ascendente Christo in cœlis: janitoribus Angelis dictum est: *Tollite portas, principes, vestras,*
B *et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ* (*Ps.* XXIV, 7, 8, 10). At illi qui nesciebant Christum Verbum in Virginem insinuatum, mirantes quod tali habitu, et [b] trophæam victricem reportans cœlum ascenderet, interrogant: *Quis est iste rex gloriæ?* Quibus responsum datur: *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* Item in CIX: *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Ps.* CIX, 1). De claritate regni secundi adventus ejus apud Danielem: *Videbam nocte in visu, et ecce in nubibus cœli quasi filius hominis veniens, venit usque ad veterem dierum. Et data est ei potestas regia: et omnis claritas serviet ei: et fides ejus æterna, quæ non movebitur, et regnum ejus non corrumpetur* (*Dan.* VII,
C 13, 14). *Dicite in nationibus: Dominus regnavit a ligno* (*Ps.* XCV, 10). Item apud Isaiam: *Puer natus nobis, cujus imperium super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus* (*Isa.* IX, 6). Et si volueris omnem plenitudinem Evangeliorum cognoscere, invenies apud Joannem nostrum euntem ad passionem Christum crucem sibi in humeris portasse, pro quo hæc Isaias dicit.

SIM.—Omnia quidem in Christo præfigurata manifesta probatione [c] præ Scripturis meis mihi ostendisti: et volueram quidem credere, si non me psalmi istius deliberatio revocaret. Nam hic psalmus in Salomone dictus est: *Deus judicium tuum* (*Ps.* LXXI, 2), quem dudum mihi proposuisti: adeo ut titulus ejus te revincat, cum dicat: *Psalmus in*
D *Salomone.*

TH.—Invisor ille qui protoplastum fefellit et populum vestrum decepit, per cujus invidiam mors in orbem terræ venit; hic videlicet sensus cordis tui præoccupavit, ut rem manifestam et in lucem positam errollus (*Sic*) non intelligas. Salomon enim in Judæa quadraginta annis regnavit a Dan usque Bersabee; et postea deliquit, sicut in Basilion libro tertio dicitur: *Et fecit Salomon malum, et non ambulavit in via David patris sui; sed ædificavit excelsum Cha-*

Tertullianus libro contra Judæos, et Lactantius lib. IV Institut. Nullus vero, quem sciam, post sæculum quartum, si tamen unum excipias Orosium. Hinc scriptoris antiquitatem colligas.

[a] Spartum, genus herbæ, quam quidam Latini genistam interpretantur.

[b] Forte, *romphæam.*

[c] Id est, *Scripturis* vel per *Scripturas meas.*

mos. *idola Moad, et regi eorum idola filiorum Ammon et Astaron, idola abominationis Sidoniorum; et excitavit Deus Satanam ipsi Salomoni Ader Idumæum* (III *Reg.* XI, 6, 7, 14). Christi autem regnum in omni porrectum est orbe terrarum. Ideo de eo propheta commemorat dicens: *Permanebit cum sole et ante lunam in sæcula, et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terræ* (*Ps.* LXXI, 5, 8). Non de Salomone dicit, cujus regnum et annos superius tibi ostendi.

SIM.—Recedit, ut video, de sensu meo inimicus patrum meorum diabolus, qui mentem meam cæcabat. Cœpi enim lumen veritatis agnoscere.

TH.—Crede ergo, illuminatus de vinculis exire [a] tenebrarum. Sic enim Isaias de Christo dicit: *Spiritus Domini super me, propterea unxit me. Misit me bene nuntiare pauperibus, sanare contritos corde, educere de vinculis alligatos et de domo carceris, aperire oculos cæcorum* (*Isa.* LXI, 1). Quid aliud intelligi potest, nisi sæculi istius homines ignorantiæ cæcitate detentos, et diaboli vinculis alligatos?

SIM.—Multa quidem et inaudita manifestasti mihi: sed adhuc animæ meæ inest scrupulum diffidentiæ, eo quod omnia [b] relegisse colitis: sabbatum vero quem Deus custodiendum servandumque mandavit, negligitis. Cibos præterea et vinum gentiliter sumitis: cum Deus specialiter præceperit quæ debeant ex animalibus et ex piscibus esse sumenda, et quæ exercenda vel exsecranda, nec mortua illorum tangenda. Nisi hoc per Scripturas probaveris, periclitor credere.

TH.— Jam superius dixi quod diabolus invideat tibi, quod scilicet filius sis patrum tuorum, qui tot beneficiis fulti, ex Ægypto liberati ad [c] vicem metallini æris Rubri maris circumsteterunt: unde largis etiam dapibus apparati, cœlesti manna saturati, oblivione transgressi profanos deos quos colerent, ausi sunt postulare. Merito de vobis Jeremias dixit: *Si mutabit Æthiops colorem, et pardus varietatem; sic et vos* (*Jerem.* XIII, 23). Edocta mala sabbata, scilicet imaginaria requies septimi diei tradita fuit, primum quod Jesu Nave ut Hierico debellaret, septem diebus vicissim muros circuibat, arma bellica arcam testamenti gestantes: septima autem die septies circuierunt. Manifesta veritas est: aut sabbato cœperunt; aut in sabbato, cadentibus muris, Hierico debellaverunt. Accedit quod humanum sabbatum Deus repellit dicente Isaia: *Jejunium et diem festum vestrum et sabbata odit anima mea. Fecistis mihi tædium: non dimittam peccata vestra* (*Isa.* I, 13). Illud autem sabbatum Deus desiderat, requiescere te ab operibus malis; ut millesimo anno, quod sabbatum sabbatorum est, mundus inveniaris ab operibus malis. Hæc erunt sancta tenenda [d] in qua Deus delectetur. Cibus autem quod ambigis manducare debere, non carnes suillas, sed facta porcorum prohiberis admittere. Similiter aqua mixto luto voluptas, sororem tuam tibi in concubitu copulas, sanguinem sanguini incitas, rapinis terram perscrutaris, festa tua publicas, in plateis oras. Ecce quomodo peccas, et non intelligis de te scriptum in psalmo: *Saturati sunt filiis, et reliquerunt quæ superfuerunt parvulis suis* (*Ps.* XIV, 14). Hoc est peccatum vestrum et posteritatis vestræ. De piscibus autem squamis cutem vestitis comeditis; cætera autem quæ confingitis vitare, retibus extracta, et in multitudine piscium permixta, penitus exsiccata in liquamine dulciter manducatis. Vinum autem Christianorum ostende mihi per Scripturas ubi sit prohibitus bibere, et azymas tuas manducare vetamur. Audies prophetam dicentem: *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem* (*Ps.* XIII, 3). Et rursus: *Manus vestræ sanguine plenæ sunt.* Et in Deuteronomio: *de vinea Sodomorum vinea eorum, et propago eorum ex Gomorrha. Uva eorum, uva fellis, et botrus amaritudinis. Ira draconum vinum eorum, ira aspidum insanabilis* (*Deut.* XXXII, 32, 33). Si his tot et tantis testimoniis, Simon, credere nolueris; saluti tuæ contradicis. Lege, Simon, Danielem, et invenies Nabuchodonosor barbarum: Filium Dei ipse cognovit, quem tu tardas agnoscere. *Nonne tres viros in fornacem misimus? Ecce video quatuor viros, et facies quarti similis Filii Dei* (*Dan.* III, 91). Quid dicis, Judæe? Vide, ne in te impleatur invectio Abacuc prophetæ dicentis: *Videte, contemptores, et inspicite, et desperate; quoniam ego opus operor in diebus vestris, quod non creditis, si quis narraverit vobis* (*Abac.* I, 5).

SIM.—Lator salutis, Theophile, ægrorum bone medice, neque ultra differre possum. Jube me catechizari, et signo fidei Christi consecrari. Arbitror enim quod per manuum tuarum impositionem me peccatorum meorum abolitionem [e]: immo sicut Jacob benedixit, et per impositionem manus accepit, ut major fieret ex minore; sic Ephraim et Manasse per impositionem dilatati sunt manuum.

Tunc Theophilus Simonem tinxit, et adeptus est fidem. Simon gratias agere Deo cœpit dicens: Gratias ago tibi, Jesus, quem non vidi facie ad faciem, nunc autem credo in te spiritu et tota mente. Gratias ago tibi, Jesu, quem non audivi, nunc autem audito invoco, Jesu, cujus sensum ante non habui. Nunc autem cupio in te sensum meum esse, per quem cognovi Theophilum discipulum tuum. Domine Jesu Christe, si quidem dignus sum tua convocatione, confirma me. Etenim errantibus viam demonstras, et perditos revocas, mortuos suscitas, infideles in fide tua configuras, et cæcis oculos cor-

[a] Supple *incipe.*
[b] Legendum videtur *religiose.*
[c] Hic locus mutilus et depravatus ita forte posset restitui: *Ad vocem metallini æris Rubri maris littora circumsteterunt. Vid. Exod.* XIV, 31; XV, 20.
[d] Legendum *in quibus.*
[e] Ita videtur hic locus legendum: *Arbitror enim per manuum tuarum impositionem me peccatorum meorum abolitionem accepturum.*

dis illuminas. Tu es ipse qui fuisti cum patribus nostris in deserto, tu es candelabrorum lumen; tu es altarium, et panis propositionum; tu es ara et victima voluntaria; tu es ipse vita mea, margarita, cristallum, jugum argenteum. Oro, Domine, igno- A rantiam meam infelicitatis meæ ne memineris: tu enim absconsa beneficia præstans es, qui mihi dignatus es omnia ostendere. Tibi sit honor, potestas, laus, gloria, hic et in cuncta sæcula sæculorum. Amen.

EVAGRII MONACHI SENTENTIÆ.

(Cod. Regular. Luc. Holsten. tom. VI.)

I.

AD EOS QUI IN COENOBIIS ET XENODOCHIIS HABITANT FRATRES.

Hæredes Dei, audite sermones Dei; cohæredes B autem Christi, percipite eloquia Christi, ut detis ea cordibus filiorum vestrorum; verba autem sapientum doceatis eos. Pater bonus erudit filios suos: pater autem nequam disperdet eos. Fides initium charitatis: finis autem dilectionis scientia Dei. Timor Domini custodiet animam: continentia autem bona confortat illam. Sufferentia viri generat spem: spes autem bona glorificabit eum. Qui servituti subjicit carnes suas, impassibilis erit: qui autem nutrit eas, dolebit super illas. Spiritus fornicationis in corporibus intemperantium: spiritus autem pudicitiæ in animis abstinentium. Secessio cum charitate purificat cor: separatio autem cum odio conturbat illud Melior millesimus in charitate, quam solus cum odio in abditis et speluncis. Qui alligat C memoriam malitiæ in animam suam, similis est ei, qui abscondit ignem in paleis. Ne dederis escas multas corpori tuo, et non videbis in somnis phantasias malas: sicut enim exstinguit flammam aqua, sic phantasmata turpia exstinguit esuries. Vir iracundus terrebitur; mansuetus autem intrepidus erit. Ventus validus fugat nubes, memoria autem malitiæ sensum a scientia. Qui orat pro inimicis, hic immemor est malitiæ: qui autem parcit linguæ, non contristabit proximum suum. Si exacerbaverit te frater tuus, induc eum in domum tuam, et ad ipsum ne pigeat te introire: sed manduca cum eo panem tuum: hoc enim faciens, eripies animam tuam, et non erit tibi offendiculum in tempore orationis. Sicut charitas gaudet paupertate, sic odium delecta- D tur divitiis. Non potietur dives scientia, et camelus non introibit in foramen acus: sed nihil horum impossibile est apud Dominum. Qui diligit pecuniam, non videbit scientiam; et qui congregat illam, contenebrabitur. In tabernaculis humilium commorabitur Dominus: in domibus autem superborum multiplicabitur maledictum. Inhonorat Deum qui transgreditur legem ejus: qui autem custodit eam, glorificat factorem suum. Si æmularis Christum, beatus efficieris: morte autem ejus morietur anima tua, et non contrahes a carne tua malitiam: sed erit processus tuus sicut ortus stellæ; et resurrectio tua, tamquam sol fulgebit. Væ iniquo in die mortis, et injustus peribit in tempore malo. Quemadmodum enim evolavit corvus e nido suo, sic immunda anima e corpore suo. Animas justorum deducent Angeli: animas autem malorum suscipient dæmones. Quocumque ingressa fuerit malitia, ibi et ignorantia: corda autem justorum implebuntur scientia. Immisericors monachus inops erit: enutriens autem pauperes hæreditabit thesauros. Melior est paupertas cum scientia, quam divitiæ cum ignorantia. Ornamentum capitis corona; ornamentum autem cordis scientia Dei. Posside scientiam, et non argentum; et sapientiam super divitias multas. Justi hæreditabunt Dominum: sancti autem nutrientur ab eo. Qui miseretur pauperibus, exterminat iram: et qui nutrit eos, implebitur bonis. In corde mansueto requiescit sapientia: sedes autem impassibilitatis anima bene operans. Fabricatores malorum percipient mercedem malam: fabricatoribus autem bonorum dabitur merces bona. Qui ponit laqueum comprehenditur in eo: et qui occultat illum, disperiet ab eo. Melior est sæcularis mansuetus, quam Monachus furiosus et iracundus. Scientiam disperdit iracundia; longanimis autem congregat eam. Sicut ventus auster vehemens est in pelagus, sic furor in corde viri. Qui orat frequenter effugiet tentationes: negligentis autem cor conturbabunt cogitationes. Non te delectet vinum et te non illiciat caro. Ne enutrias carnes corporis tui, et cogitationes turpes deficient a te. Ne dicas: hodie festus dies, et bibamus vinum; et crastino Pentecoste, et manducabo carnem: eo quod non est festivitas apud monachos in terra ad replendum ventrem suum. Pascha Christi transitus a malitia est: Pentecoste autem ejus, resurrectio animæ. Pentecoste Domini, suscitatio charitatis: qui autem odit fratrem suum, cadit in ruina magna. Festivitas Dei oblivio malorum: retinentem autem malitiam apprehendit luctus. Festivitas Dei scientia vera: qui autem intendit falsæ scientiæ,

morietur turpiter. Melius est jejunium cum mundo A corde, quam epulatio in immunditia animæ. Qui disperdit cogitationes malas de corde suo, similis est ei, qui allidit parvulos ad petram. Monachus somniculosus incidit in mala : qui autem vigilat, sicut passer volabit. Ne dederis te in vigiliis narrationibus supervacuis, et non abjicias sermones spiritales : quoniam Dominus inspicit cor tuum, et non te statuit innocentem ab omni malo. Somnus multus incrassat cor : vigiliæ autem bonæ acuunt mentem. Somnus multus superducit tentationes ; qui autem vigilat effugit eas. Sicut ignis liquefacit ceram, sic vigiliæ bonæ cogitationes malas. Melior est vir dormiens, quam monachus vigilans in sermonibus vanis. Somnium angelorum lætificat cor; somnium autem dæmonum conturbat illud. Pœnitentia et hu- B militas erexerunt animam : eleemosyna autem et mansuetudo confirmaverunt eam. Memento semper patris tui, nec obliviscaris judicium æternum, et non erit delictum in anima tua. Si spiritus acediæ ascenderit super te, ne relinquas domum tuam, et non declines in tempore tristitiæ : sicut enim quis confricat argentum, sic splendidum fiet cor tuum, si perseveraveris. Spiritus tædii abigit lacrymas : spiritus autem tristitiæ contribulat orationem. Cupiens divitias sollicitus eris multum, et amplectens illas lugebis amarissime. Non remoretur scorpius in sinu tuo; sic nec cogitatio mala in corde tuo. Occidere genimina serpentum ne parcas, et non parturies cogitationes eorum. Sicut enim aurum et argentum probat ignis, sic cor monachi tentatio. Aufer a te C superbiam, et vanam gloriam, et jactantiam longe facito a te. Qui enim expetita privatur gloria contristabitur : qui vero adeptus est, fiet superbus. Ne dederis superbiam cordi tuo, et ne dixeris in conspectu Domini, potens sum ; ut non Dominus derelinquat animam tuam, et maligni dæmones humilient illam. Tunc enim de aere conturbabunt te inimici, noctes autem terribiles suscipient te. Conversationem monachi custodit scientia : qui autem ab ea discedit, incidit in latrones. De petra spiritali manat fluvius ; anima autem bene agens bibit ex eo. Vas electionis anima munda : immunda autem replebitur amaritudine. Absque lacte non enutrietur infans : et sine impassibilitate non exaltabitur cor. Charitatem antecedit impassibilitas : scientiam au- D tem præcedit dilectio. Scientiæ adjicietur sapientia : impassibilitatem vero generat prudentia. Timor Domini generat sapientiam : fides autem Christi donat timorem Dei. Sagitta candens incendit animam ; vir autem operator boni exstinguit eam. Clamorem et blasphemiam aversatur scientia : sermones autem dolosos fugit sapientia. Suave est mel, et dulcis favus : scientia autem Dei dulcior ambobus. Audi, monache, sermones patris tui, et ne irritas facias eruditiones ejus. Cum miserit te, obaudi ei, et quantum ad mentem comitere cum eo : hoc enim modo effugies cogitationes malas, et maligni dæmones non prævalebunt adversum te. Si crediderit tibi pecuniam, non dispergas illam : et si superoperatus fueris, non detineas apud te. Malus dispensator contribulabit animas fratrum ; et memor malitiæ non miserebitur eorum. Qui disperdit substantiam monasterii, fraudat Deum : et qui negligit eam, non erit impunitus. Iniquus dispensator, distribuit male; justus autem ut dignum est dispensabit. Qui male loquitur de fratre suo exterminabitur : negligens autem egentem non videbit lumen. Melior est sæcularis in infirmitate serviens fratri, quam anachoretes qui non miseretur proximo suo. Insipiens monachus negligit instrumenta artis suæ ; sapiens autem curam habebit illorum. Ne dixeris, hodie maneo, et cras exibo : quia non in sapientia cogitasti de hoc ipso. Circuitor monachus meditabitur sermones falsos ; proprium autem ludificabitur patrem. Qui exornat vestimenta sua, et implet ventrem suum, hic pascit cogitationes turpes, et cum sanctis concilium non habebit. Si introiveris vicum, non proximaveris mulieribus; et non moratus fueris sermocinari cum eis ; quemadmodum enim si quis glutiat hamum, sic abstrahetur anima tua. Longanimis monachus impassibilitate gaudebit : qui autem exacerbat fratres suos, odibilis erit. Mansuetum monachum diligit Dominus; turbulentum autem repellit a se. Piger monachus murmurabit : et somniculosus dolorem capitis fingit. Si contristatus fuerit frater tuus, consolare illum ; et si dolet, condole illi : hoc enim faciens lætificabis cor ejus, et thesaurum magnum tibi cumulabis in cœlis. Monachus, qui dissimulat custodire sermones patris, maledicet canis patris sui, et derogabit vitæ filiorum ejus : Dominus autem annullabit eum. Qui occasionem quærit, separabit se a fratribus ; patrem autem suum incusabit. Ne dederis auditum tuum sermonibus qui sunt contra patrem tuum, et non suscites animam inhonorantis illum ; ut non Dominus irascatur in operibus tuis, et deleat nomen tuum de libro vivorum. Qui obedit patri monasterii, diligit semetipsum : qui autem contradicit ei, incidet in mala. Beatus monachus, qui custodit præcepta Domini : et sanctus, qui servat sermones patrum suorum. Piger monachus multa detrimenta patietur : si autem perstiterit in audacia, et habitum suum adjiciet perdere. Qui custodit linguam suam dirigit vias suas : et qui servat cor suum implebitur scientia. Monachus bilinguis turbat fratres ; fidelis autem agit quiete. Qui confidit in sua continentia, hic cadet : qui autem humiliat seipsum, exaltabitur. Ne dederis te saturitati ventris, et non implearis somno nocturno : hoc enim modo efficieris mundus, et spiritus Domini superveniet in te. Psallentis viri conquiescet indignatio : et qui longanimis est, interritus erit. Ex mansuetudine generatur scientia ; ex ferocia autem inscitia. Sicut aqua dat incrementum plantationi, sic humiliatio iracundiæ exaltat cor. Qui investigat convivia, exstinguetur lumen ejus; anima autem ejus videbit tenebras. Pondera in statera panem tuum, et bibe ad mensuram aquam tuam ; et spiritus fornicationis fugiet abs te. Da senibus vi-

num, et ægrotantibus offer escas; eo quod contriverunt carnes juventutis suæ. Non supplantes fratrem tuum, et in ruina ejus ne congratuleris: Dominus enim cognoscit cor tuum, et tradet te in die mortis. Monachus prudens impassibilis erit: imprudens autem exhauriet mala. Oculum nequam excæcabit Dominus; simplicem autem eripiet a tenebris. Sicut lucifer in cœlo, sicut palma in paradiso; sic in anima mansueta sensus purus. Vir sapiens scrutabitur sermones Dei, insipiens autem irridebit eos. Qui odit scientiam Dei, et rejicit considerationem, similis est ei qui lancea pungit cor suum. Melior est scientia Trinitatis super scientiam incorporalium, et consideratio ejus super rationes omnium sæculorum. Cani senum mansuetudo; vita autem illorum scientia vera. Juvenis mansuetus multa suffert: pusillanimem autem senem quis sustinebit? Vidi iracundum senem elatum ultra tempus suum: spem tamen non habuit junior, quam ille. Qui scandalizat sæculares non erit impunitus: et qui exacerbat eos, inhonorabit nomen suum. Conturbantem Ecclesiam Domini exterminabit ignis: resistentem autem sacerdoti deglutiet terra. Qui amat pacem, manducabit favum ejus: et qui colligit eam, implebitur melle. Honora Dominum, et cognosces incorporalia; et servi illi, et ostendet tibi rationes sæculorum. Citra scientiam non exaltabitur cor, et arbor non florebit sine humore. Carnes Christi actuum virtutes: qui autem manducat eas, efficitur impassibilis. Sanguis Christi consideratio factorum; et qui bibit illum, illuminabitur ab eo. Pectus Domini scientia Dei: qui autem recubuerit super illud, prædicator erit divinorum. Plenus scientia, et actor bonorum obviaverunt sibi: medius autem inter utrumque stetit Dominus. Qui acquisivit dilectionem, acquisivit thesaurum; accepit autem a Domino gratiam magnam. Consilia dæmonum cognoscit sapientia: astutiam autem illorum investigavit prudentia. Non spernas decreta sancta, quæ posuerunt patres tui: fidem au-
A tem baptismi tui non derelinquas, et non repellas signaculum spiritale: ut adsit Dominus animæ tuæ, et protegat te in die malo. Sermones hæreticorum nuntii mortis: qui autem suscipit illos, perdet animam suam. Nunc ergo, fili, audi me, et non accedas ad ostia virorum iniquorum, neque ambules super laqueos eorum, ut non capiaris. Separa animam tuam a scientia falsa: etenim ego sæpe locutus sum ad eos; tenebrosos autem sermones eorum investigavi, et venenum aspidum inveni in eis. Non est prudentia, et non est sapientia in viis eorum. Omnes qui suscipiunt eos peribunt, et qui diligunt eos implebuntur malis. Vidi ego patres dogmatum illorum, et in desertis commisi cum illis. Inimici enim Domini obviaverunt mihi, et dæmones in verbis concerta-
B verunt adversum me, et non vidi lumen verum in sermonibus eorum. Vir mendax excidet a Deo: seducens autem proximum, incidet in mala. Melior est paradisus Dei super hortum olusculorum, et fluvius Domini super fluvium magnum contenebrantem terram. Fidelior aqua cœlestis, super aquam Ægyptiorum sapientium, haurientium de terra. Sicut enim qui rotas ascendunt, deorsum descendunt; sic qui exaltant verba sua humiliantur. Sapientia Domini exaltat cor; intellectus autem ejus purificat illud. Rationes providentiæ obscuræ; et vix intelligibiles considerationes judicii; vir autem bene agens cognoscit eas. Qui purificat se, conspiciet naturas intelligibiles: rationes autem incorporabilium cognoscet monachus mitis. Qui creaturam dicit
C Trinitatem, blasphemat Deum: et qui spernit Christum ejus, non cognoscit eum. Considerationes creaturarum dilatant cor: verba autem prudentiæ et judicii exaltant illud. Scientia incorporalium elevat sensum, et sanctæ Trinitati applicabit eum. Mementote ejus, qui dedit vobis in Domino proverbia luculenta, et non obliviscamini animam ejus humilem in tempore orationis.

II.

AD VIRGINES.

Dilige Dominum et amabit te; et servi illi et illuminabit cor tuum. Honora matrem tuam sicut matrem Christi; et ne exasperes canitiem ejus quæ peperit te. Dilige sorores tuas sicut filias matris tuæ, et non derelinquas viam pacis. Exoriens sol videat codicem in manibus tuis; et post secundam horam opus tuum. Ora sine intermissione; et memento Christi qui genuit te. Conventus virorum devita; ut non fiat idolum in anima tua, et erit tibi offendiculum in tempore orationis. Christum habes dilectum: projice abs te viros omnes, et non vives exprobrabilem vitam. Animositatem et iram longe facito a te; et memoria malitiæ non demoretur apud te. Ne
D dicas: Hodie comedo, et crastino non comedam: quoniam non in sapientia facis hoc. Erit enim noxa corpori tuo, et dolor stomacho tuo. Edere carnem non bonum, et bibere vinum non optimum: offerre autem oportet te ista infirmantibus. Virgo turbulenta non salvabitur; et quæ in deliciis agit non videbit sponsum suum. Ne dicas, contristavit me famula, retribuam ei; propterea quod non est servitus in filiabus Dei. Non des auditum tuum verbis vanis, et narrationes vetularum fuge circumeuntium. Ferias ebriosarum ne videas, et in nuptias alieni non abieris: immunda enim apud Dominum omnis virgo faciens hæc. Aperi os tuum verbo Dei; et cohibe a multiloquio linguam

tuam. Coram Deo humilia te ipsam; et exaltabit te dextera ejus. Ne avertaris a paupere in tempore tribulationis; et non deficiet oleum lampadæ tuæ. Omnia fac propter Dominum; et noli quærere ab hominibus gloriam: quoniam gloria hominis sicut flos feni; gloria autem Domini manet in æternum. Virginem mansuetam diligit Dominus; virgo autem iracunda odibilis est. Obaudiens virgo misericordiam subsequetur: contradicens autem, valde insipiens. Murmurosam virginem disperdit Dominus; gratam autem liberat a morte. Turpis risus, et exprobrabilis impudicitia: omnis autem insipiens talibus implicabitur. Quæ exornat vestes suas etiam pudicitia excidet. Non commoreris sæcularibus, ut non avertant tuum cor, et irrita faciant consilia justa. Lacrymis in nocte roga Dominum, et nemo sentiat orantem te, et invenies gratiam. Concupiscentia deambulationum, et desiderium alienarum domuum avertit statum animæ, et corrumpit promptam voluntatem ejus. Fidelis virgo non formidabit; quæ autem infidelis est, fugiet etiam umbram suam. Invidia consumit animam, et livor devorat eam. Quæ contemnit sororem infirmam, et a Christo longe erit. Ne dicas meum hoc, et tuum illud: in Christo enim Jesu omnia communia. Non inquiras vitam alterius, et ruinæ sororis tuæ non congaudeas. Subministra autem indigentibus virginibus; et in nobilitate tua ne extollaris. Non proferas verbum de ore tuo in ecclesia Domini; et ne extollas oculos tuos: etenim Dominus cognoscit tuum cor, et omnes cogitationes tuas inspicit. Omnem malam concupiscentiam repelle a te; et non contristabunt te inimici tui. Psalle de corde tuo, et non moveas tantum linguam tuam. Fatua virgo diliget argentum; prudens autem apponet et panem suum. Sicut impetus ignis difficile compescitur; sic anima virginis vulnerata vix sanabilis. Ne dederis animam tuam cogitationibus malis, ut non polluant tuum cor, et mundam orationem longe faciant a te. Gravis tristitia, et intolerabilis acedia; lacrymæ ad Dominum validiores utrorumque. Fames et sitis marcescere facit concupiscentias malas: vigilia autem bona purificat sensum. Iram et animositatem avertit dilectio; memoriam autem malitiæ confundunt munera. Qui detrahit sorori suæ occulte, deforis stabit a thalamo sponsi, et clamabit ad januas ejus, et non erit qui exaudiat eam. Virginis immisericordis exstinguetur lampada, et non videbit advenientem sponsum suum. Vitrum cadens a saxo comminuetur; et virgo adjuncta viro non erit innocens. Melior mulier mansueta virgine animosa et iracunda. Quæ attrahit in risu sermones viri, similis est circummittenti laqueum collo suo. Sicut margarita in fundibulo aureo; sic virginitas cooperata reverentia. Cantica dæmonum et tibiæ resolvunt animam, et disperdunt fortitudinem ejus, quam custodi per omnia, ut non exprobrabilis fias. Non delecteris in risu, et vituperantibus non læteris: quoniam Dominus derelinquet eas. Non exprobrabis sororem tuam edentem, et in abstinentia tua non exalteris: non enim scis quid cogitavit Dominus, aut quis stabit in conspectu ejus. Quæ miseretur liventibus oculis suis, et tabescentibus carnibus suis, non lætabitur super impassibilitate animæ. Gravis abstinentia, et vix dirigibilis castitas: sed nihil dulcius cœlesti sponso. Animæ virginum illuminabuntur: animæ autem immundarum videbunt tenebras. Vidi viros corrumpentes virgines in *doctrinis suis*, et vanam facientes virginitatem earum. Tu autem audi, filia, doctrinas Ecclesiæ Dei, et nemo alienus persuadeat tibi. Deus fundavit cœlum et terram, et providit omnibus, et lætatur in eis; et non est angelus non capax malitiæ, et non est dæmon natura malus: utrumque enim liberi arbitrii fecit Deus. Sicut homo ex corpore corruptibili et anima subsistit rationabili; sic enim et Dominus noster natus est sine peccato, manducans manducavit, et crucifixus, crucifixus est: non erat visio ficta in oculis hominum. Erit mortuorum resurrectio, et mundus transibit iste: et nos spiritalia accipiemus corpora. Justi hæreditabunt lumen; impii autem inhabitabunt tenebras. Virginis oculi Deum videbunt: aures autem virginis audient verba ejus. Virginis os osculabitur sponsum suum: odoratus autem virginum in odore unguentorum ejus curret. Manus virginis palpabunt Dominum; et castitas carnis acceptabilis illi erit. Virginis anima coronabitur, et cum sponso suo vivet semper. Vestimentum spiritale dabitur ei, et cum angelis in cœlis feriabitur. Inexstinguibilem accendit lampadem, et oleum non deficiet in vasis ejus. Accipiet divitias æternas, et hæreditabit regnum Dei. Mei sermones, filia, dicti sunt ad te; verba autem hæc servet cor tuum. Memento Christi custodientis te; nec obliviscaris adorandam et unius substantiæ Trinitatem.

INDEX RERUM

QUÆ CONTINENTUR IN OPERIBUS S. CHROMATII,

SIMUL AC IN PROLEGOMENIS ET COMMENTARIIS AD HÆC OPERA PERTINENTIBUS,

a col. hujus tomi 247 usque ad 436.

(In hoc indice numeri romani prolegomenorum, arabici textus columnas juxta editionis Utinensis ordinem repræsentant.)

A

INDEX RERUM ET VERBORUM

QUÆ IN OPERIBUS S. GAUDENTII CONTINENTUR,

A col. hujus tomi **791** *usque ad* **1006.**

ORDO RERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.